ILLYRICI SACRI

TOMUS SEPTIMUS.

ECCLESIA DIOCLETANA,

ANTIBARENSIS, DYRRHACHIENSIS, ET SIRMIENSIS,

CUM EARUM SUFFRAGANEIS.

AUCTORE

DANIELE FARLATO

PRESBYTERO SOCIETATIS JESU,

ET JACOBO COLETO OLIM EJUSDEM SOCIETATIS ALUMNO.

VENETIIS, MDCCCXVII.

APUD SEBASTIANUM COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

P I O VII.

PONTIFICI MAXIMO

BIBLIOTECA REALE

JACOBUS COLETUS.

DEbitum Tibi ante aliquot annos, tuique Nominis Majestati dicatum Tomum Septimum Illyrici Sacri, nunc demum Tibi offero, PATER BEATISSIME, tuis pedibus demississime advolutus. Quæ vero & quanta obstiterint, ne venerationis & obsequii mei fidem liberarem, quam graves tristesque rerum vicissitudines, quam iniquæ temporum conditiones, silentio liceat præterire; dum in tanta, qua Tui caussa exultat Catholicus Orbis, lætitia mihi potius video gratulandum esse, quod, Te Auspice, Liber prodeat splendidiori tuæ gloriæ lumine circumfusus, ac tuo conspectui tutior & lætior se sistat earum, quas continet, Ec-

Digitized by Google

clesiarum historia. Complectitur enim hic Tomus tres nobilissimas Metropoles, Antibarensem, Dyrrhachiensem, Sirmiensem, quæ a primis usque sæculis fundatæ, plurium Martyrum irrigatæ cruore, piissimorum Antistitum sanctitate, doctrina, laboribus excultæ diu claruerunt, & quarum decora & ornamenta sparsim enarrant Ecclesiastici Fasti. Fuit autem non exigui laboris opus dispersa colligere, collecta, ex editis libris, e manu descriptis, e vetustis tabulis, e pulvere situque in unum historiæ corpus conferre, quod sanctissimæ Christi Ecclesiæ, quod Religionis, quod virtutis unam eamdemque & miram in cunctis orbis provinciis præseferret formam, Romanorum Pontificum vigilantia ac sollicitudine constantissime conservatam, quodque imitatione dignissima præberet exempla. Quantum vero pietatis robur, quantam fidei stabilitatem adjiciat homini Christiano, divinis præcipue addicto ministeriis, bene perspectæ Historiæ Ecclesiasticæ cognitio, permulta in illa declarant, quæ cælestem Ecclesiæ originem, suorum mysteriorum ac dogmatum veritatem, perfectam morum rationem quavis philosophia sublimiorem, admirabile omnium regnorum, omnium gentium in Christiana instituta consentientium testimonium, & quod caput est, Apostolicæ Petræ, cui tota Fidei moles innititur, incredibilem soliditatem evidenter portendunt, quæ sacris legibus instruunt atque disciplinis, quæque, præclaris Majorum gestis propositis, ad ea sectanda, vitamque beatam capessendam occulta quadam vi adhortantur, inflammant, incendunt. Nec splendidissimæ hæ notæ desunt Illyricis Ecclesiis, quæ tanto alacrius in tui adspectus Amplitudinem venire se posse gaudent & lætantur, quod ab ipso exortu, continuis licet hæreticorum, ac barbarorum hominum tentatæ minis, appetitæ insidiis, afflictæ malis, vexatæ, laceræ inhumana sævitie, ab obedientia nunquam desciverint erga Petri Sedem, cui firmiter adhærentes inde subsidia in periculis, solatia in calamitatibus quæsierunt, eaque cumulatissime se recepisse, ipsa, in qua perstant, religione testantur. Sed cum Te in hac Arce, in hoc solio Christiani Imperii intueantur divinitus constitutum, duplici quoque ex caussa majori & lætitia gestiunt, & spe recuperandi antiqui decoris sentiunt se sustentari. Te enim norunt illius Sanctissimi Benedicti Ordinis Alumnum exstitisse, cui quantum Epirus debeat, quantum Pannonia, tot prædicant monasteria, tot Antistites, tot Apostolici Viri, quorum sapientia & pietate & infinitis laboribus aut tuta fides, aut defensa, & formati mores, & dilatata Religio fuit; & quamvis magna ex parte diruta impiorum armis & eversa jaceant illa sanctitatis domicilia, e ruinis ipsis, & e sola nominis recordatione vetus splendor elucet. Hæc porro cum meminerint, & illis confitentur debita, nequeunt, quin Tibi etiam ejusdem olim disciplinæ socio quodammodo referant accepta, seque eorumdem celebritate & commendatione apud Te gratiosas fore confidant. Cui quidem Ordini cum Tu, spretis Claromontanæ Domus avitis honoribus & opibus, nomen ab ineunte ætate dedisses, id divino est perfectum consilio, ut ab illa omnium scientiarum, omnisque sanctimoniæ venerabili sede perpetua flueret & immensa beneficiorum copia, quæ non in unam vel alteram provinciam, sed in universam Christianam Rempublicam dimanarunt; & unde innumera

gran-

Digitized by Google

grandium Virorum orta soboles, quæ longo sæculorum cursu Christi Fidem, quæ Ecclesiam, quæ doctrinam puram incorruptamque mille inter discrimina una servavit, una scientias fovit, nutrivit artes, pretiosa sacræ vetustatis monumenta ab interitu eripuit, urbes, regna, Regumque palatia cælestibus excoluit disciplinis; unde cujusvis generis sanctissimæ Animæ, quarum vario miroque fulgore nitent altaria, templa collucent, celebriores ubique terrarum illustrantur Ecclesiæ; unde demum non pauci maximarum virtutum septi comitatu ad Sedis Apostolicæ Majestatem, ad procurandam tuendamque Ecclesiæ salutem evecti sunt, inde Tu, PATER BEATISSIME, eodem magisterio imbutus, iisdem sensibus altus ad hoc Ecclesiasticæ Hierarchiæ conscendendum fastigium egredereris. Neque ego hic commemoro singulos tui ascensus gradus; quibus in tuo Ordine gravibus amplisque muneribus fueris perfunctus; quo omnium plausu Te sacra Purpura ornaverit magnus ille tuus decessor Pius, ut tuæ præsentiæ, tuorumque consiliorum communione augustum Cardinalium Senatum ipse exornares; qua supremi Numinis providentia Forocorneliensem Ecclesiam administrandam susceperis, quæ Te diu æque Patrem ac Pastorem experta est amantissimum, tuis adhuc monitis, tuis regitur decretis, atque exemplis, Tuique incenso angitur desiderio, ut non tam doctrina quam experientia instructior præluderes, nil tale cogitans, gravissimæ præter humanum captum, & Cælestium Spirituum mentibus formidandæ omnium Ecclesiarum gubernationi. Tuus ipse, tuus, inquam, ascensus in Petri Cathedram quos stupore non perculit? quos in admirationem non rapuit? quibus non suasit esse Numen sui operis, suæ Ecclesiæ vigilem conservatorem, propugnatorem potentissimum? Etenim quid prodigio similius, quam quod, subversa tum bellorum ac Religionis tumultibus Europa, prostrata malorum turbine Italia, tua Urbe Domina in extremam fere adducta perniciem, dispersi tamen lapides Sanctuarii, delecti Ecclesiæ Proceres præter morem, præter consuetudinem extraneum in locum, in hanc Venetiarum urbem inopinato convenirent ad habenda Pontificalia Comitia, ac nullis perterriti periculis, nullis fracti laboribus, nullis turbati angustiis de summo Ecclesiæ Capite eligendo sollerter cogitarent, fortiter providerent, & in Te cunctis suffragiis conspirarent, cui Deus jactatam terribili procellarum agmine Petri navim gubernandam ab ipsa æternitate decreverat? Quo tuæ creationis die nullus inter clariora suæ magnitudinis monumenta lætior Venetæ urbi, quæ prima Te Christi Vicarium venerata est, prima nunquam violatæ Religionis Tibi obtulit obsequia, ac prima a Te paternæ charitatis sacra dona excepit, & pignora humanissimæ benevolentiæ. Neque diem ullum illustriorem vidit Orbis Christianus, qui, Te Pontifice, præsentire jam videbatur, quantum levaminis in communi illa omnium calamitate, quantum præsidii atque solatii sibi esset obventurum. Quamquam nec ulla profecto dies tibi tristior exorta est, cum e sublimi tuæ dignitatis specula illico omnia circumspectans, omnia lustrans, & instantia cernens, futura providens, eventuum consequentias maturo mentis juditio comprehendens, quam ærumnoso Tibi esset navigandum salo intelligeres, nihilque de vita, de salute, de tua sollicitus incolumitate, quæ jam pro Christi grege de-

vo-

Digitized by Google

voveras, sed de Imperii tui Majestate, de Potestate anxius, de Fide, de Religione, de Ecclesia, quæ impenderent tempestates, superno magis lumine, quam ingenii sagacitate pensares. Et intumuerunt quidem erupti e Stygio lacu torrentes iniquitatis, insanierunt feri fluctus maris despumantes suas confusiones, ubi primum clavo manum admovisti; sed quorsum evasit impotens ventorum fluctuumque vesania? Dominus super aquas multas, Deus majestatis intonuit; suæ potentiæ elevavit signum in nationibus; & in Te divini promissi firmavit oracula, veram Christi Ecclesiam nunquam interituram, nullove Inferorum conatu Petri Primatum defuturum. Emersit enim navicula e vadis, dolosas Syrtes elusit, scopulos prætervecta est; undarum minas despexit, superavit insultus, tuoque ductu Romanum in portum laureata contendit. Quisnam vero in tam periculosi regiminis vicibus & eventis inauditis, invisis non admiretur, non extollat tuæ Fidei robur, tui pectoris invictam fortitudinem? quis in tolerandis ærumnis spei firmitatem & patientiam? quis in tuendis Ecclesiæ legibus & juribus insuperabilem constantiam? cui in memoriam non redeant aut Liberii, aut Martini, modo Silverii, modo Felicis, & Gregorii, & Pii postremi decessorum tuorum labores pro Apostolici muneris fide servanda, exilia, carceres, durissimæ perpessiones? Ne offendantur, quæso, modestiæ tuæ aures; opera Dei persequor oratione, quæ in Te mirabilia operatus est; & quæ revelare Tu ipse nosti honorificum esse. Nonne Dei opus in mediis turbulentissimis fluctibus tanta æquanimitas & tranquillitas animi? nonne imperturbata mentis acies in providendo adeo perspicax, & adeo sapiens prudensque in decernendo consilium? nonne tanta in unamquamque gregis partem vigilantia & sollicitudo, tantus charitatis ardor, ut Tui penitus videreris oblitus? At hæc loquuntur gentes vel remotiores, hæc Europa universa, hæc Italia tota, quæ e suis pæne sedibus evulsa Tibi e Galliis redeunti ovans occurrit, Te inter urbium & populorum plausus deduxit in triumphi speciem, Teque in Romanæ Sedis possessionem restitutum maximis honoris significationibus gavisa est. Atque possem hic ego modicis perangustæ hujus dictionis confiniis immensum laudum tuarum campum, ut ita dicam, coarctare, & quæ gessisti, quæ geris in hac Imperii tui quieta administratione facinora, digno eloquio recensere! Verum ne quid ultra cener, quam tenuitas mea ferre valeat, relinquam aliis prædicanda reparata Romanæ Urbis ornamenta insignia, aucta celebriori nomine scientiarum Lycea, revocatum Magistratuum legumque ordinem & splendorem. Dicent alii compositos Pontificiæ ditionis fines, pacatas provincias, iisque redditas magnificas Præfecturas, quidquid subsidii, quidquid commodi & publicæ utilitatis illis æque munifice ac peramanter collatum. Celebrabuntur ab aliis assiduæ & laboriosæ pro Religione vigiliæ tuæ, atque curæ, quarum testis sacrosanctum Cardinalium Collegium & numero & excellentia illustrium Præsulum ad culmen ecclesiasticæ amplitudinis elatum; testes Ecclesiæ e squalore erutæ, e luctu ad gaudium erectæ, Pastorum præsentia, queis diu caruerant, recreatæ; testes Ordinum religiosorum familiæ ad sarcienda ingentia, quæ passæ fuerant, detrimenta tuis decretis, tuis largitionibus adjutæ; testis Societas

Digitized by Google

tas Jesu, quam cum in hanc Ecclesiæ lucem reviviscere voluisti, quid aliud volvebas animo, nisi ut renovato auxilio pugnantem pro cælesti regno eamdem Ecclesiam roborares, & quos illa olim ediderat in omnes gentes uberrimos & saluberrimos vitæ fructus æternæ, haud sui, suorumque Institutorum immemor copiosiores adhuc sanctioresque proferret, uni animarum saluti, huic Apostolicæ Sedi, divinæ gloriæ amplificandæ devota; quæ, cum tua dici debeat, & vere sit, quam singulari amore complecteris, pro tuo hoc immortali beneficio ac divino debitas Tibi gratias nec agere cum bonis omnibus, nec in tempora sempiterna poterit habere. Quo etiam pertinet novum illud decus a Te in illam collatum, cum, condito decreto, Franciscum de Hieronymo, admirabilem virtutibus rebusque gestis ac patratis prodigiis Apostolicum regni Neapolitani operarium, Beatorum fastis inscribi jussisti, & sacro ritu coli ornarique, ut Societatis homines, quibus hujusmodi exemplaria non desunt in historiarum suarum monumentis, vehementius inflammares ad ejus sequenda vestigia, operamque assiduam evangelicis exercitationibus, animarumque bono navandam. Hinc recordabuntur posteri magni animi tui & excelsi cogitationes ac consilia, queis cunctas orbis plagas pervagaris, & pro Christi hæreditate Tibi commissa, pro vinea Domini Sabaoth contra perditorum hominum errores & fraudes, contra corruptelas ac nefariam audaciam meditari, vigilare, agere non desistis, omnia tua sapientia attingis, auctoritate tua, quæ ad divinam proxime accedit, omnia disponis; & cum hæc audierint, vel legerint, obstupescent in tanta negotiorum mole Religionis pietatisque officia dies noctesque a Te propemodum continuata, in celsissimo, in quo sedes loco, in quo Te gentes & regna suspiciunt, loquentem sustinent, imperantem agnoscunt, lenem illam affabilemque naturam, quæ cum majestate, clementiam, quæ cum justitia, rerum humanarum contemptum, qui cum dignitate de præstantia decertat, dum singula cum effusa erga omnes misericordia, munificentia, liberalitate Pontificem Te revera Maximum efficiunt. Quæ omnia cum a longe intelligant Illyricæ Ecclesiæ, quarum historia tuis objicitur conspectibus, altera illis adest lætitiæ caussa & fiduciæ, ab hoc Principis Apostolorum successore, ab hoc totius Ecclesiæ Capite, ab hoc Episcopo Summo, ab hoc omnium populorum Parente, quælibet sibi ad defensionem, ad solamen, ad animarum commodum & adjumentum præsto futura. Supplices Tibi dexteras tendunt, vincula monstrant, ærumnas lacrymarum potius, quam oris voce effantur, Religionis, morumque pericula; & quem expertæ jam sunt Patris affectum, a Te fidentius implorant. Suave illis tuum nomen, BEATISSIME PATER, & jucundissimæ recordationis, sive Pium illum V. recogitent, quo auctore insignes relatæ de immanissimo Turcarum Rege victoriæ, seu alterum Pium II. & inita ab eo fœdera, & comparatas in eosdem classes, & quam pæne in hostium conspectu mortem fortissimam intentis in Epirum oculis Anconæ oppetiit; ac probe sciunt, hoc a Te nomine suscepto tuæ lenitatis & beneficentiæ indice, parem cum illis inesse Tibi virtutem ad magnanima quæque pro Christi Fide aggredienda. Superest igitur, ut Te orem atque obtester, ne, dum hosce qualescumque labores meos tua benignitate accipere

non

Digitized by Google

non recusas, eadem me dedigneris infimum filiorum tuorum. Nulla ad hoc opus elaborandum humana impulit ratio; & divina voluntas, a qua olim onus susceperam, cuique non parere nefas, ob oculos obversatur & stimulos addit, ut uno, qui reliquus est Tomus supremus, illud perficiam; si me supplicem, atque ad Pedes tuæ Majestatis prostratum Apostolica Benedictione impertiaris.

Digitized by Google

CONSPECTUS

HUJUS VOLUMINIS.

ECCLESIA DIOCLETANA ET ANTIBARENSIS.

EPISCOPI ET ARCHIEPISCOPI DIOCLETANI, Pag. 1.

450. I. Evander Episcopus, *ibid.*
590. II. Paullus. 3.
602. III. Nemesion, 4
877. I. N. N. Archiepiscopus, 5
II. N. N.
III. N. N.
900. IV. Joannes, 6.

ECCLESIA ANTIBARENSIS.

EPISCOPI ET ARCHIEPISCOPI ANTIBARENSES. 8.

1060. I. Petrus Archiepiscopus, 17.
1172. II. Gregorius. 23.
1199. III. Joannes. 27.
1248. IV. Joannes II. 36.
1253. V. Guffridus. 41.
1255. VI. Laurentius, 43.
1270. VII. Gaspar, 44.
1280. VIII. T. 45.
1283. IX. Michael. *ibid.*
1301. X. Martinus, sive Marinus, 54.
1307. XI. Andreas. 60.
1324. XII. Guillelmus, 67.
1341. XIII. Joannes III. 70.
1349. XIV. Dominicus. 71.
1361. XV. Stephanus. 78.
1363. XVI. Joannes IV. *ibid.*
1373. XVII. Joannes V. 80.
1383. XVIII. Antonius. *ibid.*
1391. XIX. Raymundus. 82.
1395. XX. Ludovicus. 83.
1396. XXI. Marinus II. 84.
1420. XXII. Joannes VI. 85.
1423. XXIII. Petrus II. *ibid.*
1448. XXIV. Andreas II. 89.
1458. XXV. Laurentius II. 92.
1460. XXVI. Marcus. 93.
1462. XXVII. Simon. *ibid.*
1475. XXVIII. Stephanus II. 96.
1485. XXIX. Philippus. 97.
1509. XXX. Hieronymus. *ibid.*
1517. XXXI. Laurentius III. 100.
1525. XXXII. Joannes VII. *ibid.*
1528. XXXIII. Ludovicus II. *ibid.*
1551. XXXIV. Joannes VIII. 102.
1579. XXXV. Ambrosius. 106.
1599. XXXVI. Thomas. 107.
1608. XXXVII. Marinus III. 109.
1624. XXXVIII. Petrus III. 123.
1635. XXXIX. Georgius, 126.
1644. XL. Franciscus. *ibid.*
1646. XLI. Joseph Maria, 130.
1654. XLII. Marcus II. 132.
1671. XLIII. Andreas III. 133.
1696. XLIV. Marcus III. 140.
1701. XLV. Vincentius. 141.
1719. XLVI. Ægidius. 171.
XLVII. Matthæus. *ibid.*
1745. XLVIII. Marcus IV. 176.
1749. XLIX. Lazarus. *ibid.*
1786. L. Georgius II. 189.
1787. LI. Georgius III. *ibid.*
1791. LII. Franciscus II. 190.

EPISCOPI SUFFRAGANEI METROPOLIS ANTIBARENSIS.

EPISCOPI ARBANENSES SEU ALBANENSES. 191.

1166. I. Lazarus Episcopus Albanensis. 194.
1199. II. N. N. *ibid.*
1252. III. N. N. *ibid.*
1295. IV. Michael. 195.
1304. V. Martinus. 196.
1316. VI. Michael II. *ibid.*
1350. VII. Laurus. *ibid.*
1354. VIII. Nicolaus. *ibid.*
1364. IX. N. N. 197.
1367. X. Dominicus. *ibid.*
1392. XI. & XII. Joannes I. & Joannes II. *ibid.*
1411. XIII. Andreas. *ibid.*
1426. XIV. Andreas II. *ibid.*
XV. N. N. 198.
1494. XVI. Angelus. *ibid.*
1506. XVII. Joannes III. *ibid.*
1518. XVIII. Jacobus. 200.
1519. XIX. Ludovicus, *ibid.*
1554. XX. Dominicus. 202.
1578. XXI. N. N. *ibid.*
1608. XXII. N. N. *ibid.*
1615. XXIII. Joannes IV. *ibid.*
1635. XXIV. Marcus, 203.

Digitized by Google

EPISCOPI BALLEACENSES. 206.

13... I. Guillelmus. 207.
1347. II. Gervicus. ibid.
1351. III. Andreas. ibid.
1420. IV. Alphonsus. ibid.
1424. V. Michael. ibid.
1428. VI. Bernardus. ibid.
1459. VII. Leonardus. 208.
1478. VIII. Daniel. 209.

EPISCOPI BUDUENSES. 209.

1141. I. Silvester. 212.
1196. II. Sebarisius. ibid.
1245. III. Ptolemæus. ibid.
1276. IV. Incellerius. ibid.
V. Anselmus. 213.
1326. VI. Joannes. ibid.
1347. VII. N. N. 214.
1361. VIII. Joannes II. ibid.
IX. Joannes III. 215.
1401. X. Otho. ibid.
1423. XI. Joannes IV. ibid.
XII. Matthias. 216.
1433. XIII. Joannes V. ibid.
1446. XIV. Joannes VI. ibid.
1447. XV. Jacobus. ibid.
1455. XVI. Joannes VII. 218.
1509. XVII. Hieronymus. 219.
1518. XVIII. Simon. 220.
1524. XIX. Gundisalvus. ibid.
1530. XX. Jacobus II. ibid.
1541. XXI. Ludovicus. 222.
1558. XXII. Antonius. ibid.

VICARII APOSTOLICI, SIVE ADMINISTRATORES ECCLESIÆ BUDUENSIS. 225.

EPISCOPI DAYNENSES, SIVE DAGNENSES. 229.

1361. I. Donatus. 230.
1397. II. Joannes. ibid.
1401. III. Blasius. ibid.
IV. Andreas. 231.
1414. V. Prebislavus. ibid.
1420. VI. Blasius II. ibid.
1422. VII. Joannes II. ibid.
1428. VIII. Petrus Matthias. ibid.
1439. IX. Joannes III. ibid.
1444. X. Stephanus. 232.
1456. XI. Godefridus. ibid.
1520. XII. Guillelmus. ibid.

EPISCOPI DRIVASTENSES. ibid.

877. I. N. N. 234.
1062. II. N. N. ibid.
1122. III. N. N. 235.
1141. IV. Petrus. ibid.
1166. V. Martinus. ibid.
1199. VI. Petrus II. ibid.
1220. VII. N. N. ibid.
1250. VIII. N. N. ibid.
IX. Dominicus. 236.
1323. X. Nicolaus. ibid.
1351. XI. B. ibid.
1360. XII. Joannes. ibid.
1373. XIII. Bernardus. 237.
1374. XIV. Athanasius, vel Anastasius. ibid.
1391. XV. Nicolaus II. ibid.
1396. XVI. Andreas. ibid.
1400. XVII. Bartholomæus. ibid.
1405. XVIII. Franciscus. ibid.
1424. XIX. Nicolaus III. 238.
1425. XX. Dionysius. ibid.
1428. XXI. Michael. 240.
1445. XXII. Paullus. ibid.
1457. XXIII. Nicolaus IV. 242.
XXIV. Thomas. 243.
1489. XXV. Franciscus II. ibid.
1509. XXVI. Antonius. 244.
1512. XXVII. Benedictus. ibid.
1516. XXVIII. Theophilus. ibid.
1518. XXIX. Franciscus III. 246.
1520. XXX. Joannes II. 247.
1521. XXXI. Gundisalvus. ibid.
1525. XXXII. Petrus III. ibid.
XXXIII. Franciscus IV. ibid.
1541. XXXIV. Alphonsus. ibid.
1636. XXXV. Hieronymus. 248.

EPISCOPI OLCINIENSES. ibid.

877. I. N. N. 250.
1023. II. N. N. ibid.
1030. III. N. N. ibid.
1121. IV. N. N. ibid.
1141. V. Joannes. ibid.
1166. VI. Joannes II. 251.
1199. VII. Natalis. ibid.
1258. VIII. Marcus. ibid.
1261. IX. G. 252.
1300. X. Miroslavus. ibid.
1331. XI. Thomas. ibid.
1334. XII. Gratia. 253.
1343. XIII. Antonius. 254.
1350. XIV. Petrus. ibid.
1354. XV. Joannes III. ibid.
1360. XVI. Nicolaus. 255.
1406. XVII. Matthæus. ibid.
1410. XVIII. Thaddæus. ibid.
1411. XIX. Joannes IV. ibid.
1414. XX. Nicolaus. 256.
1424. XXI. Franciscus. ibid.
1435. XXII. Petrus II. ibid.
1441. XXIII. Paganinus. ibid.
XXIV. Martinus. 258.
1486. XXV. Marinus. ibid.
1515. XXVI. Laurentius. ibid.
1528. XXVII. Petrus III. 259.
1536. XXVIII. Jacobus. ibid.
1558. XXIX. Andreas. ibid.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI PULLATENSES MAJORES ET MINORES. 261.

877. I. N. N. 263.
1062. II. N. N. *ibid.*
1121. III. N. N. *ibid.*
1141. IV. Theodorus. *ibid.*
1199. V. Joannes. 264.
1227. VI. N. N. *ibid.*
1251. VII. Andreas. *ibid.*
1308. VIII. N. N. *ibid.*
1351. IX. N. N. *ibid.*
1372. X. N. N. *ibid.*
1421. XI. Menelaus. 265.
XII. Nicolaus. *ibid.*
1450. XIII. Stephanus. *ibid.*
1475. XIV. Joannes II. *ibid.*
1518. XV. Isidorus. *ibid.*
1529. XVI. Laurentius. *ibid.*
1574. XVII. Martinus. *ibid.*
1656. XVIII. Vincentius. 266.
1698. XIX. Petrus. 267.
1703. XX. Marinus. 268.
1714. XXI. Petrus II. *ibid.*
1731. XXII. Marcus. *ibid.*
1745. XXIII. Seraphinus. *ibid.*
1756. XXIV. Georgius. 269.
1766. XXV. Alexander. *ibid.*
1781. XXVI. Joannes III. *ibid.*
1791. XXVII. Marcus II. *ibid.*
XXVIII. Angelus. *ibid.*

EPISCOPI PULLATENSES MINORES.

I. N. N. 270.
1345. II. Joannes. *ibid.*
1351. III. Gregorius. *ibid.*
1364. IV. N. N. *ibid.*
1372. V. N. N. *ibid.*
1427. VI. Dussus. *ibid.*
1446. VII. Georgius. *ibid.*
1450. VIII. Damianus. *ibid.*
1467. IX. Margarinus. *ibid.*
1508. X. Petrus. *ibid.*
1508. XI. Didacus. *ibid.*
1513. XII. Dominicus. 271.
1518. XIII. Majorius. *ibid.*
1520. XIV. Vincentius. *ibid.*

EPISCOPI SARDENSES ET SAPPATENSES. *ibid.*

EPISCOPI SARDENSES. 273.

1190. I. N. N. *ibid.*
1199. II. Theodorus. *ibid.*
12.. III. N. N. *ibid.*
1260. IV. Petrus. *ibid.*
1278. V. Ptolemæus. *ibid.*
1291. VI. N. N. 274.
1381. VII. Jacobus. *ibid.*
1386. VIII. Peregrinus. 275.
IX. Antonius *ibid.*
X. Antonius II. *ibid.*
1392. XI. Antonius III. *ibid.*
1395. XII. Marianus. *ibid.*
1402. XIII. Andreas. *ibid.*
1412. XIV. Joannes. *ibid.*
1428. XV. Petrus Matthias. *ibid.*
1444. XVI. Stephanus. *ibid.*
1460. XVII. Jacobus II. *ibid.*

EPISCOPI SAPPATENSES. 276.

I. Paullus. *ibid.*
1376. II. Benevenutus. *ibid.*
1396. III. Petrus. *ibid.*
1414. IV. Nicolaus. *ibid.*
1422. V. Michael. *ibid.*
1425. VI. Petrus II. *ibid.*
1433. VII. Matthæus. 277.
1440. VIII. Georgius. *ibid.*
1459. IX. Emmanuel. 278.
1460. X. N. N. *ibid.*
1473. XI. Marinus. *ibid.*
Gabriel Electus. *ibid.*
1489. XII. Blasius. *ibid.*

EPISCOPI SARDENSES ET SAPPATENSES.

1490. I. Prosdocimus. *ibid.*
1500. II. Petrus. *ibid.*
1508. III. Dominicus. 279.
1512. IV. Ambrosius. *ibid.*
1513. V. Georgius. 280.
1514. VI. Didacus. *ibid.*
1516. VII. N. N. *ibid.*
1518. VIII. Joannes Bonaventura. *ibid.*
1521. IX. Alphonsus. 281.
1578. X. Tossolus. *ibid.*
1583. XI. Georgius II. 282.
1594. XII. Nicolaus. *ibid.*
1620. XIII. Simon. 283.
1621. XIV. Petrus II. 284.
1623. XV. Georgius III. *ibid.*
1635. XVI. Franciscus. 285.
1644. XVII. Georgius III. iterum. 288.
1647. XVIII. Simeon. *ibid.*
1673. XIX. Stephanus. 289.
1682. XX. Martinus. 290.
1685. XXI. Georgius IV. *ibid.*
1707. XXII. Ægidius. *ibid.*
1719. XXIII. Marinus. *ibid.*
1720. XXIV. Joannes. *ibid.*
1728. XXV. Basilius. *ibid.*
1745. XXVI. Lazarus. 291.
1750. XXVII. Georgius V. *ibid.*
1765. XXVIII. Nicolaus II. *ibid.*
1791. XXIX. Joannes II. *ibid.*
1796. XXX. Antonius. *ibid.*
XXXI. Marcus. *ibid.*

Digitized by Google

EPISCOPI SVACIENSES. *ibid.*

1030. I. N. N. 292.
1141. II. Basilius. *ibid.*
1166. III. Petrus. *ibid.*
1199. IV. Dominicus. *ibid.*
1200. V. G. 295.
1250. VI. N. N. *ibid.*
1303. VII. Gregorius. *ibid.*
1308. VIII. Benedictus. *ibid.*
1318. IX. Catharius, sive Zacharias. 296.
X. Sergius. *ibid.*
1345. XI. Paullus. 297.
1360. XII. Petrus II. *ibid.*
1402. XIII. Petrus III. 298.
1418. XIV. Antonius. *ibid.*
1420. XV. Petrus IV. *ibid.*
1439. XVI. Sergius II. *ibid.*
1440. XVII. Paullus II. *ibid.*
1446. XVIII. Antonius. 299.
1510. XIX. Stephanus. 301.
1517. XX. Nicolaus. *ibid.*
1520. XXI. Joannes. *ibid.*
1530. XXII. Thomas. *ibid.*

ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI SCODRENSES. *ibid.*

ARCHIEPISCOPI SCODRENSES. 305.

387. I. Bassus. *ibid.*
431. II. Senecio. *ibid.*
519. III. Andreas. *ibid.*
590. IV. Stephanus. 306.
598. V. Joannes. 307.
601. VI. Constantinus. *ibid.*

EPISCOPI SCODRENSES. 308.

1141. I. Georgius. *ibid.*
1199. II. Petrus. *ibid.*
1251. III. N. N. *ibid.*
IV. Stephanus. 309.
1307. V. Michael, seu Miroslavus. *ibid.*
1320. VI. Petrus II. *ibid.*
1346. VII. Marcus. *ibid.*
1360. VIII. Marinus. 310.
1367. IX. Antonius. *ibid.*
1398. X. Franciscus. *ibid.*
1390. XI. Henricus. *ibid.*
1396. XII. Andruinus. *ibid.*
1401. XIII. Christophorus. *ibid.*
1401. XIV. Meliorinus. 311.
1402. XV. Proganus. *ibid.*
1407. XVI. Joannes. *ibid.*
1451. XVII. Emanuel. 313.
1458. XVIII. Emanuel II. *ibid.*
1465. XIX. Thaddæus. *ibid.*
1467. XX. Bartholomæus. *ibid.*
1471. XXI. Franciscus II. *ibid.*
1492. XXII. Nicolaus. 319.
1495. XXIII. Nicolaus II. *ibid.*
1511. XXIV. Jacobus. 203.
1518. XXV. Petrus III. 321.
1522. XXVI. Hieronymus. *ibid.*
1524. XXVII. Antonius II. *ibid.*
1575. XXVIII. Theodorus. 323.
1582. XXIX. Paullus. 324.
1590. XXX. Ducas. *ibid.*
XXXI. Andreas. 325.
1622. XXXII. Dominicus. *ibid.*
1640. XXXIII. Franciscus III. 327.
1646. XXXIV. Gregorius. *ibid.*
1656. XXXV. Petrus IV. 328.
1677. XXXVI. Dominicus II. *ibid.*
1686. XXXVII. Andreas II. 331.
1693. XXXVIII. Antonius III. 332.
1702. XXXIX. Antonius IV. *ibid.*
1729. XL. Antonius V. 334.
1742. XLI. Paullus II. *ibid.*
1771. XLII. Georgius II. *ibid.*
1787. XLIII. Franciscus IV. *ibid.*
1791. XLIV. Marcus II. *ibid.*
XLV. Antonius VI. *ibid.*

ECCLESIA DYRRHACHIENSIS.

EPISCOPI ET ARCHIEPISCOPI DYRRHACHIENSES.

EPISCOPI DYRRHACHIENSES. 341.

58. I. S. Cæsar. *ibid.*
100. II. S. Astius. 342.
431. III. Eucharius. 343.

ARCHIEPISCOPI DYRRHACHIENSES.

449. I. Lucas. *ibid.*
519. II. N. N. 346.
550. III. Marianus, seu Marinianus. 347.
598. IV. Urbicius. 348.
690. V. Sisinnius. *ibid.*
787. VI. Nicephorus. *ibid.*
810. VII. Antonius. 349.
879. VIII. Lucianus. 553.
1030. IX. N. N. *ibid.*
1040. X. Laurentius. *ibid.*
1141. XI. Gregorius. 354.
1156. XII. Eustathius. *ibid.*
1166. XIII. Michael. 355.
1201. XIV. Manfredus. 358.
1211. XV. N. N. 360.
1296. XVI. Antonius II. 362.
1303. XVII. Petrus. 363.
1305. XVIII. Antonius III. *ibid.*
1320. XIX. Matthæus. 366.
1340. XX. Petrus II. *ibid.*
XXI. Angelus. 367.
1349. XXII. Antonius IV. *ibid.*
1370. XXIII. N. N. 368.
1383. XXIV. Joannes. *ibid.*
1394. XXV. Stephanus. 370.
XXVI. Minor. *ibid.*
1412. XXVII. Joannes II. *ibid.*
1422. XXVIII. Nicolaus. *ibid.*
1428.

Digitized by Google

1428. XXIX. Joannes III. 371.
1458. XXX. Stephanus II. *ibid.*
1459. XXXI. Paullus. 372.
1462. XXXII. Marcus. 373.
1488. XXXIII. Martinus. 374.
1499. XXXIV. Franciscus. 375.
1505. XXXV. Nicolaus II. 376.
1510. XXXVI. Gabriel. 377.
1535. XXXVII. Gregorius II. 379.
1540. XXXVIII. Ludovicus. *ibid.*
1608. XXXIX. Decius. 380.
1625. XL. Antonius V. *ibid.*
1640. XLI. Marcus II. 381.
1657. XLII. Nicolaus III. *ibid.*
1670. XLIII. Gerardus. 382.
1700. XLIV. Petrus III. 383.
1720. XLV. Petrus IV. *ibid.*
1738. XLVI. Joannes IV. 384.
1752. XLVII. Nicolaus IV. *ibid.*
1774. XLVIII. Thomas. *ibid.*
XLIX. Paullus II. *ibid.*

EPISCOPI LISSENSES SEU ALEXIENSES. 384.

592. I. Joannes. 386.
1385. II. Gregorius. 387.
III. Andreas. *ibid.*
1426. IV. Andreas II. 388.
1426. V. Petrus. *ibid.*
1475. VI. Blasius. 389.
1489. VII. Petrus II. *ibid.*
1489. VIII. Blasius II. *ibid.*
1498. IX. Franciscus. *ibid.*
X. Georgius. *ibid.*
1513. XI. Michael. *ibid.*
1517. XII. Nicolaus. 390.
1518. XIII. Joannes II. *ibid.*
1519. XIV. Ferdinandus. *ibid.*
XV. Nicolaus II. *ibid.*
1525. XVI. Joannes III. *ibid.*
1535. XVII. Guillelmus. *ibid.*
1558. XVIII. Nicolaus III. 391.
XIX. Joannes IV. *ibid.*
XX. Theodorus. *ibid.*
1578. XXI. Marinus. *ibid.*
XXII. Innocentius. *ibid.*
1621. XXIII. Benedictus. 392.
1656. XXIV. Georgius II. 393.
1692. XXV. Nicolaus IV. *ibid.*
1728. XXVI. Joannes V. *ibid.*
1738. XXVII. Simon. *ibid.*
1748. XXVIII. Paullus. *ibid.*
1750. XXIX. Antonius. 394.
1765. XXX. Georgius III. *ibid.*
1786. XXXI. Michael II. *ibid.*
XXXII. Nicolaus V. *ibid.*

EPISCOPI AMANTINI. 394.

347. Eulalius, Episcopus Amantinus unicus. *ibid.*

EPISCOPI APOLLONIENSES. 395.

431. I. Felix. 396.
448. II. Paullus. *ibid.*
451. III. Eusebius. *ibid.*

EPISCOPI AULONENSES. 397.

458. I. Nazarias. 398.
519. II. N. N. *ibid.*
553. III. Soterus. *ibid.*
1287. IV. Valdebrunus. 399.
1299. V. Albricus. *ibid.*
1303. VI. Nicolaus. *ibid.*
1343. VII. Jacobus. *ibid.*
1354. VIII. Paullus. 400.
1399. IX. Marianus. *ibid.*

EPISCOPI BENDENSES, PRISCENSES, ET STEPHANENSES. 401.

EPISCOPI BENDENSES ET PRISCENSES. 404.

1363. I. Petrus, Bendensis. *ibid.*
II. Andreas Bendensis, & Priscensis I. *ibid.*
1404. III. Georgius Bendensis, & Priscensis II. *ibid.*

EPISCOPI STEPHANENSES. 405.

879. I. Cosmas. *ibid.*
1366. II. Julianus. *ibid.*
1366. III. Petrus. *ibid.*
1418. IV. Marinus, & Bendensis IV. *ibid.*
V. Lucas. 406.
1499. VI. Joannes. *ibid.*
1510. VII. Demetrius. *ibid.*
1517. VIII. Joannes II. *ibid.*
1549. IX. Georgius. *ibid.*
1582. X. Sylvester, & Bendensis V. & postremus. *ibid.*
1592. XI. Nicolaus. 407.

EPISCOPI BULLIDENSES. *ibid.*

431. I. Felix. *ibid.*
458. II. Philocaris. 408.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI CANOVIENSES, *ibid.*

I. Thomas, 409.
1399. II. Benignus. *ibid.*
1420. III. Proculus. 410.
IV. Joannes. *ibid.*
1492. V. Petrus. *ibid.*
1494. VI. Sebastianus. *ibid.*
1517. VII. Dionysius. *ibid.*
1518. VIII. Opilinus. *ibid.*
1529. IX. Gaspar. 411.

EPISCOPI CROJENSES. *ibid.*

1286. I. Romanus. 413.
1318. II. Andreas. 414.
III. Gregorius. *ibid.*
1367. IV. Andreas II. *ibid.*
1425. V. Antonius. 415.
1468. VI. Petrus. 430.
1475. VII. N. N. *ibid.*
1498. VIII. Joannes. 431.
1517. IX. Ferdinandus, *ibid.*
X. Paullus. *ibid.*
1524. XI. Franciscus. *ibid.*
XII. N. N. 432.
XIII. Joannes II. *ibid.*
1694. XIV. Isidorus. *ibid.*

EPISCOPI LESTRONENSES. 432.

451. Zenobius, Episcopus unicus. 433.

EPISCOPI SCAMPENSES. *ibid.*

458. I. Artemius. *ibid.*
519. II. Trojus. *ibid.*

APPENDIX AD METROPOLIM DYRRHACHIENSEM. 434.

DE ECCLESIA ACROCERAUNIA. *ibid.*

DE ECCLESIA PULCHERIOPOLITANA. 436.

DE ECCLESIA CRAINENSI. *ibid.*

1452. I. Theodosius Archiepiscopus Crainensis. 438.
1455. II. Paullus Archiepiscopus: *ibid.*
1476. III. Andreas Archiepiscopus, *ibid.*
1482. IV. Jacobus Archiepiscopus. 447.
1495. V. Franciscus Archiepiscopus. *ibid.*
1518. VI. Hieremias Archiepiscopus. *ibid.*
1521. VII. Joannes Baptista Archiepiscopus. 448.
1525. VIII. Jacobus II. Archiepiscopus postremus. *ibid.*

ECCLESIA SIRMIENSIS, 449.

ANTIQUI VETERIS SIRMII EPISCOPI, 465.

50. I. S. Epænetus. *ibid.*
59. II. S. Andronicus. 469.

APPENDIX DE SS. HERME, LUPO, ET ELEUTHERIO. 482.

304. III. S. Irenæus. 486.

APPENDIX DE SS. MARTYRIBUS SIRMIENSIBUS. 491.

325. IV. Domnus, seu Domnion, 518.
V. Eutherius. *ibid.*
347. VI. Photinus. *ibid.*
352. VII. Germinius, 533.
380. VIII. Anemius, 538.
383. IX. Cornelius. 539.
400. X. Laurentius. 540.
580. XI. Sebastianus, 541.

EPISCOPI SIRMIENSES POST RESTITUTAM SIRMIENSEM ECCLESIAM. 548.

1231. I. Oliverius. *ibid.*
1262. II. Joannes. 550.
1279. III. Pouka. 551.
1292. IV. Georgius. *ibid.*
1309. V. Ladislaus. *ibid.*
1312. VI. Georgius II. *ibid.*
1334. VII. Gregorius. 552.
1338. VIII. Petrus. *ibid.*
1349. IX. Thomas. *ibid.*
1360. X. Joannes II. *ibid.*
1361. XI. Thomas II. *ibid.*
1364. XII. Demetrius. *ibid.*
1368. XIII. Stephanus. 553.
1374. XIV. Joannes III. *ibid.*
1393. XV. Gregorius II. *ibid.*
1397. XVI. Thomas III. *ibid.*
1399. XVII. Ladislaus II. *ibid.*
1401. XVIII. Dousa. *ibid.*
1410. XIX. Paullus. 553.
1415. XX. Petrus II. *ibid.*
1419. XXI. Franciscus. *ibid.*
1420. XXII. Jacobus Blasius, *ibid.*

1433.

Digitized by Google

1433. XXIII. Conradus. *ibid.*
1434. XXIV. Jacobus. *ibid.*
1455. XXV. Jacobus II. 555.
1464. XXVI. Urbanus. 557.
1469. XXVII. Nicolaus. *ibid.*
1475. XXVIII. Sigismundus. 558.
1481. XXIX. Joannes IV. *ibid.*
1490. XXX. Stephanus II. 559.
1494. XXXI. Joannes V. 560.
1499. XXXII. Nicolaus II. *ibid.*
1502. XXXIII. Stephanus II. 561.
1504. XXXIV. Nicolaus III. *ibid.*
XXXV. Dominicus. *ibid.*
1514. XXXVI. Joannes VI. *ibid.*
1520. XXXVII. Ladislaus III. 562.
1526. XXXVIII. Stephanus IV. *ibid.*
1578. XXXIX. Zacharias. 564.
1581. XL. Petrus III. *ibid.*
1582. XLI. Martinus 565.
1589. XLII. Stephanus V. *ibid.*
1593. XLIII. Nicolaus IV. *ibid.*
1596. XLIV. Demetrius II. *ibid.*
1601. XLV. Simon. *ibid.*
1604. XLVI. Stephanus VI. 566.
1616. XLVII. Ladislaus IV. *ibid.*

EPISCOPI SIRMIENSES NOMINATI.

XLVIII. Andreas. *ibid.*
1624. XLIX. Gregorius III. 567.
1635. L. Georgius III. *ibid.*
1637. LI. Nicolaus V. *ibid.*
1640. LII. Michael. *ibid.*
1640. LIII. Benedictus. *ibid.*
1647. LIV. Andreas II. *ibid.*
1654. LV. Petrus IV. 568.
1662. LVI. Paullus II. *ibid.*
1668. LVII. Joannes VII. *ibid.*
1674. LVIII. Joachimus. *ibid.*
1676. LIX. Joannes VIII. *ibid.*

EPISCOPI SIRMIENSES CONFIRMATI.

1697. LX. Franciscus II. *ibid.*
1703. LXI. Josephus Maria. *ibid.*
1717. LXII. Franciscus Josephus. 569.
1731. LXIII. Gabriel Hermannus. *ibid.*
1734. LXIV. Ladislaus V. *ibid.*
1753. LXV. Nicolaus VI. 570.
1762. LXVI. Joannes Baptista. *ibid.*
1774. LXVII. Matthæus Franciscus. 571.

EPISCOPI SIRMIENSI METROPOLI SUBJECTI.

ECCLESIA BASSIANENSIS. *ibid.*

535. N. N. Episcopus unicus. 572.

ECCLESIA CIBALIENSIS. *ibid.*

S. Eusebius, Episcopus unicus. 574.

DE S. PULLIONE LECTORE ET MARTYRE. 575.

DE S. TIBALLO MARTYRE. 578.

DE SS. VENUSTO ED HERMOGENE MM. 579.

ECCLESIA MURSENSIS. 581.

335. Valens, Episcopus unicus. 582.

ECCLESIA ÆMONENSIS. 588.

381. Maximus, Episcopus unicus. 591.

ECCLESIA HORREO-MARGENSIS. 592.

347. Zosimus, Episcopus unicus. *ibid.*

ECCLESIA MARGENSIS. *ibid.*

N. Episcopus unicus. 593.

ECCLESIA SINGIDUNENSIS. *ibid.*

335. I Ursacius. 606.
370. II. Secundianus. 607.
580. III. N. 609.

ECCLESIA VIMINACIENSIS. 609.

347. Amantius Episcopus unicus. 610.

ECCLESIA AQUENSIS. *ibid.*

347. Vitalis, Episcopus unicus. *ibid.*

ECCLESIA AD CASTRA MARTIS. 611.

347. Calvus, Episcopus unicus. *ibid.*

ECCLESIA ISCENSIS. *ibid.*

347. Valens, Episcopus unicus. 612.

ECCLESIA RATIARIENSIS. *ibid.*

CORRIGENDA ET ADDENDA. 613.

AR-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPATUS ET EPISCOPATUS

Qui in hoc Tomo continentur.

EPISCOPATUS ET ARCHIEPISCOPATUS DIOCLETANUS.

EPISCOPATUS ET ARCHIEPISCOPATUS ANTIBARENSIS.

EPISCOPATUS SUFFRAGANEI METROPOLIS ANTIBARENSIS,
ARBANENSIS, SEU ALBANENSIS, BALLEACENSIS, BUDUENSIS, DAYNENSIS, SIVE DAGNENSIS, DRIVASTENSIS, OLCINIENSIS, PULLATENSIS MAJOR, PULLATENSIS MINOR, SARDENSIS ET SAPPATENSIS, SUACIENSIS, SCODRENSIS PRIMUM ARCHIEPISCOPATUS, DEIN EPISCOPATUS.

EPISCOPATUS ET ARCHIEPISCOPATUS DYRRHACHIENSIS.

EPISCOPATUS SUFFRAGANEI METROPOLIS DYRRHACHIENSIS,
LISSENSIS, SEU ALEXIENSIS, AMANTINUS, APOLLONIENSIS, AULONENSIS, BENDENSIS, PRISCENSIS, STEPHANENSIS, BULLIDENSIS, CANOVIENSIS, CROJENSIS, LESTRONENSIS, SCAMPENSIS.

APPENDIX AD METROPOLIM DYRRHACHIENSEM, IN QUA
EPISCOPATUS ACROCERAUNIUS, ET PULCHERIOPOLITANUS, ET ARCHIEPISCOPATUS CRAINENSIS.

EPISCOPATUS ET ARCHIEPISCOPATUS SIRMIENSIS.

EPISCOPATUS SIRMIENSI METROPOLI SUBJECTI,
BASSIANENSIS, CIBALIENSIS, MURSENSIS, ÆMONENSIS, HORREO-MARGENSIS, MARGENSIS, SINGIDUNENSIS, VIMINACIENSIS, AQUENSIS, AD CASTRA MARTIS, ISCENSIS, ET RATIARIENSIS.

Digitized by Google

ECCLESIA DIOCLETANA ET ANTIBARENSIS.

EPISCOPI ET ARCHIEPISCOPI DIOCLETANI.

Dioclea sita.

DIoclea civitas perantiqua & illustris Dalmatiæ Superioris videtur collocanda esse non longe a palude Labeatum, sive lacu Scodrensi, ab regione occidentali vergente ad septemtrionem, unde Docleatæ Pliniani, qui XXXIII. decuriis in Naroniano Conventu constabant, eosque Diocletanos vocat Constantinus Porphyrogenitus cap. 34. de Admin. Imp. Ptolemæus Docleam, & Doclenses inter urbes Chianam ab ortu, & Rhizanam ab occasu interjecit; sed nulla extant rudera, & vestigia, e quibus certa hujus civitatis positio dignosci possit. Alias *Dioclea*, alias *Doclea*, alias *Doclia* apud Scriptores appellatur. Sunt, qui existimant, auctore Sexto Aurelio, in hac urbe ortum, & ex eadem primo Dioclem, deinde Diocletianum Imperatorem nominatum fuisse. Sed solum natale hujus Imperatoris in ipsa urbe Salona, vel in pago agri Salonitani constituendum esse ostendimus Tom. II. Illyr. Sacr. cap. 1. §. 3. pag. 345. Hist. Dioclet. Propius vero est, quod Constantinus Porphyrogenitus tradit cap. 34. Romanorum coloniam a Diocletiano in urbem & agrum Diocletanum deductam fuisse: *Dioclea regio primitus occupata erat a Romanis, quos illuc transtulerat Imperator Diocletianus*. Ceterum longe ante Diocletianum Romani Diocleam, omnemque Dalmatiam, & universum Illyricum in suam potestatem redegerant. Post Romanum imperium bipartito divisum, ut reliqua Dalmatia, sic Dioclea Græcis Imperatoribus paruit. Cum vero Heraclius sæculo septimo Serblis, populis generis Slavonici, agros & domicilia postulantibus Dalmatiam Superiorem mediterraneam incolendam tradidit, tunc etiam, vel paucis post annis, Dioclea in potestatem Regum ac Dynastarum Serbliæ concessit, quam retinuerunt usque ad annum fere quintum sæculi decimi; quo quidem tempore Simeon Rex Bulgariæ Serblis bellum intulit, & Diocleam vi captam funditus evertit, atque ita delevit, ut excisæ diruteque urbis ne vestigia quidem nunc appareant.

varia nomina,

vices, & excidium.

Primordia Episcopatus Diocletani pervetusta, sed ignota sunt. Nullius Episcopi Diocletani memoria extat ante quintum æræ Christianæ sæculum. Hæc Ecclesia, cum unus esset in universa Dalmatia Metropolita Salonitanus, huic subjecta fuit. Cum autem sæculo quarto Ecclesia Scodrensis ad metropoliticam dignitatem evecta esset, & præposita Ecclesiis Episcopalibus Provinciæ Prævalitanæ, quæ regio est extrema Dalmatiæ ad orientem, in hujus potestatem, ditionemque Diocletana migravit. Post annos fere quingentos Dioclea ex decreto Concilii Delmitani jus nomenque metropoliticum an. circiter 877. obtinuit, sed sæculo proximo amisit, cum hæc civitas a Bulgaris disjecta fuisset, & post annos amplius centum recuperavit, cum Sedes Metropolitica Diocletana Antibari restituta fuit. Paucos Diocleæ Episcopos habeo, veterum monumentorum naufragio ereptos, quos ante Metropolim Diocletanam conditam, pauciores Archiepiscopos, immo unum tantummodo, quem ante urbis illius excidium atque interitum nominare ac proferre possim.

Ecclesia Diocletana antiquissima, olim Metropolis.

Episcopi Diocleæ.

I. Evander an. circ. 450.
II. Paullus an. circ. 590.
III. Nemesion an. 602.

Archiepiscopi Diocleæ.

I. N. N. an. circ. 877.
II. N. N.
III. N. N.
IV. Joannes Archiepiscopus Diocletanus postremus an. circ. 900.

EVANDER EPISC. DIOCLETANUS I.

PRimus est, cujus nomen oblivioni præreptum antiqua monumenta conservarunt, seræque posteritati tradiderunt. Sæculo quinto vertente hanc Ecclesiam regebat, & an. 451.

Evander Episc. Diocl. interest Conc. Chalc. an. 451.

Digitized by Google

451. interfuit Concilio Chalcedonensi, in quo damnatus est Eutyches Constantinopolitanus Archimandrita, auctor novæ hæreseos, quæ naturarum in Christo divinæ humanæque discrimen omne tollebat, itemque Dioscorus Episcopus Alexandrinus Eutychiani dogmatis fautor, & propagator, dux & præses illius Synodi Ephesinæ, quam majores nostri Latrocinalem vocabant, Flaviani vero Episcopi Constantinopolitani ab Eutychianis interfecti memoria cum honore restituta. Hujus celeberrimæ ac frequentissimæ Synodi Œcumenicæ acta & decreta Evandrus Diocletanus suo chirographo, & subscriptione confirmavit: *Evandrus Episcopus Civitatis Diocliæ definiens subscripsi;* idemque cum sexcentis & triginta quatuor sanctissimis Patribus Chalcedonensibus nominatim tum in Dioscorum, tum in Eutychetem sententiam dixit, & utrumque anathemate confixit. Nec vero videtur dubitari posse, quin Evandrus Episcopus fuerit Diocliæ nostræ Dalmaticæ, quæ intra fines Metropolis Scodrensis, & Prævalitanæ Provinciæ continebatur. In Collectione Labbeana Veneta Conciliorum ad nomen *Evandri Diocliæ* hæc nota in margine apposita est, *Prævalitanæ seu Prævalis;* Prævalis autem erat provincia ecclesiastica sub Metropolita Scodrensi, itemque civilis sub Præfecto Prætorio Illyrici Orientalis, unaque de quinque Provinciis, ex quibus Diœcesis Dacica constabat, quæ cum Macedonica Diœcesi suberat eidem Præfecto Prætorio Illyrici Orientalis. Ex Provinciis & Ecclesiis Orientis plurimi quidem Episcopi ad quatuor priora Concilia Œcumenica convenerunt, ex Occidentalibus autem Ecclesiis aut paucissimi, aut fere nullus præter Legatos Sedis Apostolicæ. More itaque, atque exemplo Antistitum Orientalium Evandrus Episcopus Diocliensis Ecclesiæ, quæ ad Prævalitanam Scodrensis Metropolitæ, & Illyrici Orientalis provinciam pertinebat, ad Synodum Chalcedonensem sibi adeundum esse existimavit. Sunt tamen, qui Evandrum Diocleæ Prævalitanæ ademptum, Diocliæ civitati Phrygiæ Pacatianæ attribuunt; inter quos M. Antonius Muratorius in Anecdotis Græcis, in quibus Firmi Cæsareæ in Cappadocia Episcopi epistolas e ms. Cod. Biblioth. Ambros. descriptas edidit; ex hisce vero duæ sunt, decima quinta, & trigesima quarta, ad Evandrium Episcopum, quem Firmus ad quemdam festum diem invitat. Subjicit itaque Muratorius in notis: *In Concilio Chalcedonensi memoratur Evander Dioclia in Phrygia magna Episcopus; sed ille nimium Cæsarea aberat, ut ad festum invitatus a Firmo sit credendus.* At multo longius abfuerit, si Evander Firmo amicus atque familiaris idem esset atque Dioclensis noster in Prævalitana Episcopus.

Inter Episcopos Diocleenses Lequienius Tom. 2. Orient. Christ. adnumerat *Maximum Episcopum Diocletianensem*, qui subscriptus legitur Epistolæ Episcoporum Dardaniæ ad Leonem Imper. de iniqua & sacrilega nece Proterii Episcopi Alexandrini, quem Timotheus Ælurus, ut in ejus sedem invaderet, interficiendum curavit an. 457. Sed cum in Dardania, quæ pars erat Mœsiæ Superioris ad meridiem, civitas esset Diocletianopolis, huic potius, quam Dioclææ nostræ Dalmaticæ, seu Prævalitanæ, attribuerim. In veteri Notitia Provinciarum Ecclesiasticarum Illyrici utriusque legitur in Provincia Dardaniæ urbs *Diocletiana*.

Si Evander Episcopus Dioclææ usque ad initium sæculi sequentis vitam perduxit, is ipse, ut Chalcedonensi, sic Romanæ Synodo quintæ sub Symmacho Papa interfuit. Hæc habita fuit an. 503., in qua, præterquamquod famæ atque honori Episcoporum adversus calumniatores, gravissimis pœnis propositis, cautum fuit, *Apologeticum* Ennodii Episcopi Ticinensis receptum, & approbatum fuit, quod pro defensione quartæ superioris Synodi Romanæ conscripsit, & contra Schismaticos Symmachi causam egregie peroravit. Ad hanc Synodum quintam Episcopi omnino ad ducentos & duodeviginti tum ex Occidentali, tum ex Orientali Ecclesia convenerant, inter quos subscriptus est *Evandrus Diocliæ*. Ceterum Severini Binii animadversio in *Subscriptiones ducentorum & octodecim Episcoporum*, ut de plerisque Episcopis Orientalibus huic Synodo subscriptis, sic etiam de ipso Evandro addubitare nos cogit: *In Subscriptionibus*, inquit, *plurimi Orientales nominantur, qui Concilio Chalcedonensi ante annos quinquaginta duos interfuerunt, & quorum post annos decem a tempore dicti Concilii nulla mentio reperitur. Unde probabile esse apparet, quod hæc subscriptio non sit Romanæ, sed alterius cujusdam Synodi longe ante hæc tempora celebratæ, ut Baronius* &c. cui tamen, quæquæ fuerit, quove anno habita, Evander adfuit. Post Evandrum per annos fere centum, & fortasse amplius nullum nobis Diocleensem Episcopum vetera monumenta suppeditant.

et fortasse etiam Romanæ an. 503.

aut alii incerti loci, & anni.

Quæ sæculo sexto, & superiore in multiplici Ecclesiæ Orientalis perturbatione, rerumque publicarum conversione gesta sunt, ex iis pauca breviter perstringam, quæ ad Ecclesiam Diocleensem, & Provinciam Prævalitanam quoquomodo referuntur. Intra finem sæculi quinti, Anastasio Imp., Totila & Ostroyllus fratres, qui ex partibus septemtrionalibus cum ingenti Gothorum & Slavorum exercitu auxilio venerant Theodorico Regi Italiæ gentili suo, & fortasse etiam consanguineo, universam Dalmatiam Odoacri atque Herulis ademptam ad imperium ejusdem Theodorici adjunxerunt an. circ. 493. Ac Totila quidem in Italiam discessit; Ostroyllus vero Provinciam Prævalitanam jure fiduciario possidendam a Theodorico Rege accepit, in qua tum ipse, tum ejus posteri regnarunt, suamque ditionem plurium terrarum accessione auxerunt. Porro Ostroyllus, sive Ariana perfidia imbutus esset, ut pleri-

Ostroyllus Gothus Provinciæ Prævalitanæ rex fit.

Digitized by Google

tique Gothorum, sive inanium Deorum superstitioni addictus, ut Slavi fere omnes, nullam tamen Christianis & Catholicis molestiam exhibuit: & huc refer, quæ Tomo II. Illyr. Sacr. in Honorio II. Archiepisc. Salon. scripsimus ex Comment. Presbyteri Diocleatis, quod *Regnum Slavorum* inscribitur.

In ea Concilii Chalcedonensis vices.

Episcopi Illyrici Orientalis, qui ante biennium literas sinceræ & orthodoxæ Fidei testes ad Hormisdam Papam miserant, ut epistola ejusdem Hormisdæ ad Avitum Episcopum Viennensem declarat, fere omnes, & nominatim Dardani, non tam sua sponte, quam Anastasii Imp. impulsu, qui rerum in Oriente potitus, & hostis Synodi Chalcedonensis, ac hæreticorum fautor exsilia & cædes Catholicis minitabatur, a fide ejusdem Concilii defecerunt: quo tempore vereor, ne ipsi quoque Episcopi Prævalitani Dardanis finitimi horum exemplum secuti fuerint. Verum an. 578., cum Justinianus Anastasio successit vir pietate clarus, & acerrimus religionis propugnator, tunc Dardani primi omnium, suis ad Hormisdam legatis missis, nefarium Eutychetis dogma, ejusque sectatores nominatim exsecrati suppliciter postularunt, ut se in sinum Catholicæ Ecclesiæ, & communionem Sedis Apostolicæ reciperet. Hæc Baronius in Append. ad Tom. 7. ex epistola ejusdem Hormisdæ ad Cæsarium Episcopum Arelatensem, Nec vero dubitare possum, quin etiam Episcopi Prævalitani Dardanos, si forte errantes secuti sunt, pœnitentes imitati fuerint. Deinde Hormisda, Legatis Pontificiis quaquaversum per Orientem missis, omnes fere Episcopos Illyrici Orientalis præter Dorotheum Primatem Thessalonicensem ad Catholicam veritatem ab errore Eutychiano revocavit.

Anno 535. Justinianus Gothis bellum intulit, neque antea cum illis bellare destitit, quam nomen Gothicum in Italia & Illyrico, imperiumque funditus everteret. Atque ipso primo belli Gothici anno Pannoniam & Dalmatiam Gothis eripuit, ipsamque Prævalitanam Provinciam, Ostroyllo Rege in acie cæso, subegit; quam Senulatus Ostroylli filius paullo post recuperavit quidem, sed illam ut quietam & pacatam sibi retinere posset, se suamque ditionem vectigalem Justiniano, ejusque imperio obnoxiam fecit. Cum igitur Justinianus hoc ipso primo anno belli Gothici Illyricum Occidentale magna ex parte, Gothis expulsis, Imperio restituisset, novam totius Illyrici descriptionem civilem atque ecclesiasticam excogitavit; &, sublata Illyrici Orientalis & Occidentalis divisione, non quidem ex omnibus, sed ex variis utriusque Illyrici provinciis unam Diœcesim conflavit, unamque supremam totius Illyrici Præfecturam constituit; quidquid vero antiqui & universalis Illyrici in hanc descriptionem non inclusit, ab Illyrico seclusit, & ab iis, quibus ipse Illyricum circumscripsit, finibus sejunxit. Cum autem mire cupidus esset patriæ suæ inter Epirum novam & Dardaniam

Nova Illyrici descriptio.

sitæ ornandæ, & illustrandæ, quam a fundamentis refectam, latius amplificatam, firmissimis mœnibus & propugnaculis munitam, & præclaris ædificiis auctam appellari voluerat *Justinianam primam*, hanc totius Illyrici caput & fastigium esse jussit, translata illuc ex Macedonia, & urbe Thessalonicensi tum Præfectura Prætoriana Illyrica, tum supremo Hierarchiæ Illyricæ Exarcho, qui jus nomenque Primatis, & Vicarii Apostolici concessu Romani Pontificis obtinuit; ex quo factum est, ut Justiniana prima habita & dicta fuerit Princeps, ac Domina gentium & Ecclesiarum Illyricarum. Præfecto, & Archiepiscopo Primati Justinianæ primæ has Provincias cum earum Ecclesiis Metropolitanis & Episcopalibus subjecit, Dalmatiam, Prævalim, Epirum novam, Dardaniam, Saviam, Mœsiam utramque, Daciam Ripensem ac Mediterraneam, easque juris & nominis Illyrici esse decrevit, ceteris, quæ ad utrumque Illyricum antea pertinebant, avulsis & detractis; illarum vero Metropolitas & Episcopos subjecit Archiepiscopo & Primati Justinianæ primæ. Hæc ex Novella Constitutione xi. Justiniani Augusti data *Belisario V. C. Consule*, idest an. 535., quam integram habes Tomo II. Illyr. Sacr. in Honorio III. Episc. Salon., quæ tum ibi, tum in Tomo I. pag. 73. fuse accurateque explicavimus. Ad hunc locum quod attinet, post Novellam Constitutionem laudatam Metropolitana Scodrensis cum Diocletano ceterisque Episcopis Provinciæ Prævalitanæ, quæ antea suberant Primati Thessalonicensi, in jus ditionemque Primatis Justinianæ primæ concessit.

Justiniana prima hujus caput tum civile, tum ecclesiasticum,

cui etiam Diocles subjicitur.

PAULLUS EPISC. DIOCLETANUS II.

Intra finem sæculi sexti huic Ecclesiæ præsidebat. Cum Cleri populique suffragiis ex disciplina illorum temporum electus fuisset, præclarum ab utroque suæ virtutis ac sapientiæ, vitæque laudabiliter actæ testimonium habuit. Nec vero dubitari potest, quin priores sui Episcopatus annos cum singulari continentiæ & sanctitatis laude transegerit, omnesque vigilantissimi & optimi Episcopi partes expleverit. Sed quæ est humana imbecillitas & inconstantia, paullatim a se ipso, & a suis egregie cœptis descivit, atque in alia ex aliis scelera prolapsus nefariæ libidinis macula Sedem illam Episcopalem fœdavit. Quæ ejus turpiter & nequiter facta cum in omnium oculos offensionemque incurrerent, Episcopi Provinciales, ad quos Clerus populusque Diocletanus Paulli flagitia detulerant, hominem tantæ turpitudinis nota infamatum, convocato Concilio, in judicium vocant, & multorum testimoniis, suaque ipsius conscientia & confessione convictum e Sede Episcopali dejiciunt, eique omne sacerdotale munus interdicunt, in ejusdem vero locum Nemesionem quemdam substituunt. Tantum vero abfuit, ut suæ illum improbi-

Paullus Episc. Diocl. multorum scelerum reus

e sua sede dejicitur.

Digitized by Google

tatis ac malitiæ pœniteret, ut dolore atque rabie incensus, stipatusque amicorum manu, quos multos sibi potentesque conciliaverat, in palatium episcopale invaserit, Nemesionem violenter extruserit, & prope fuerit, ut resistentem, repugnantemque occideret: multa vero, quæ ad Ecclesiam pertinebant, abstulisse dicitur. De his rebus Nemesion Romam profectus cum Gregorium Pontificem certiorem fecisset, is tum ad Joannem Primatem primæ Justinianæ, tum ad Constantium Metropolitam Scodritanum literas in eandem fere sententiam dedit, quarum summa est: furentes ac violentos Paulli conatus pœnis censurisque ecclesiasticis coerceant, *ut quæcumque abstulit, omni mora vel excusatione cessante restituat*; spem omnem recuperandi Episcopatus adimant; &, *si forte post depositionem suam aliquid de Episcopatu loqui, atque rursus ad hoc qualibet aspirare præsumptione tentaverit*, illum *Dominici Corporis & Sanguinis communione privatum in Monasterium* detrudant, ubi usque ad mortem pro iis, quæ in Deum, Ecclesiam, atque homines peccaverat, rite satisfaciat. Utramque Pontificis epistolam suis in locis alibi exscribemus.

Gregorii P. in eum sententia.

NEMESION EP. DIOCLETANUS III.

Nemesion Ep. Dioclean. 602. in sua Sede a Gregorio P. confirmatur.

Quem Episcopi Provinciales Prævalitani post Paullum exauctoratum ac Sede Pontificia depulsum Ecclesiæ Diocletanæ Episcopum crearunt. Cum eum Paullus male mulctatum per vim & factionem e palatio episcopali expulisset, Romam se contulit ad Gregorium Papam, quem de Paulli criminibus, & Provincialis Synodi gestis singillatim docuit, & Sedis Apostolicæ auctoritatem opemque imploravit. Pontifex per literas paullo superius memoratas acta Synodi probavit, & in epistola ad Joannem Primatem commendat illi Nemesionem, ut eum in possessionem Episcopatus eidem delati restituat, ac ab omni vexatione & molestia sartum tectum conservet: *Suprascriptus vero dilectissimus Frater noster Nemesion in loco suo & Episcopatus officio procul dubio reformetur; & ne denuo hac de re inquietudinem & molestiam patiatur, sollicitos vos esse necesse est; quia hoc non solum ad hujus munitionem, verum etiam ad aliorum constat emendationem proficere, ut pravorum hominum præsumptio nihil de cætero contra sacrorum Canonum Statuta, vel ecclesiasticam disciplinam ullo modo audeat attentare.* Data est epistola Indictione v. quæ congruit cum anno æræ vulgaris 602.

Nemesion Episcopatum an. 602. susceptum quot annos gesserit, quove anno mortem obierit, nullis literis proditum invenio, nulliusque Diocletani post eum Episcopi memoria extat per annos fere ducentos & septuaginta. Dum Paullus & Nemesion Ecclesiam Diocletanam regebant, Rutomirus in Dalmatia superiori, & Provincia Prævalitana rerum potiebatur, qui Christianis, ut est apud Presbyterum Diocleatem, crudele bellum indixit. Nihilo minus eos exagitarunt quatuor Rutomiri successores, quos idem Anonymus Diocleates & Marcus Marulus e suo Codice Slavonico tacito nomine Tyrannos vocant, propterea quod Christianos rabie & immanitate tyrannica divexarunt. Horum regno ac tyrannidi finem attulit an. circ. 639. clades Avarica. Hoc quippe anno Avares & Slavi Danubium transgressi atque in Dalmatiam effusi Salonam capiunt, incendunt, funditus evertunt, omnemque regionem populabundi pervadunt, Epidaurum & plures civitates diruunt, plerique in Dalmatia sedes & mapalia sibi constituunt. Anno sequenti primum Chrobati, deinde Serbli, utraque gens Slavonica, ab Heraclio Imp. supplices petierunt, ut se in clientelam ditionemque Imperii reciperet, &, quas vellet, sedes agrosque assignaret. Utrosque Imperator perbenigne accepit, auctorque illis fuit, ut Avares & Slavos e Dalmatia expellerent, rei bene gestæ præmium fore ipsam illam regionem Avaribus ereptam, quam, distributis inter se agris & domiciliis, sub ea conditione tradidit, ut ab urbibus maritimis atque ab insulis abstinerent, quas sub potestate Imperii Orientalis retinere voluit, atque ut annuo tributo suam erga Imperatores Orientis fidem atque observantiam declararent. Avaribus expulsis, Dalmatia mediterranea inferior quidem usque ad Tilurum Chrobatis, superior vero usque ad Drilonem Serblis obvenit. Hanc Serbli quatuor in partes diviserunt, quarum unam incolebant Narentani, alteram, qui ipsorum lingua Zachlumi nominantur, tertiam Terbunienses & Canalitæ, quartam denique Diocletani, qui a Dioclea nobili urbe, & in primis tum clara se appellari voluerunt. Qui Serblos e Serblia septemtrionali in hanc regionem invexit, ille videtur fuisse, quem Diocleates Zuanimirum, Marulus e Codice Slavonico Satimerum vocat; apud Porphyrogenitum anonymus est. Hic apud Serblos in Dalmatia superiori regnavit fere usque ad annum 670. Ei successit in regnum Svetopelex, sive Budimirus, qui cum plerisque Serblorum ab inanium Deorum superstitione ad cultum Christi conversus baptisma suscepit. Post Budimirum alii deinceps ex aliis Serbliæ imperarunt usque ad Paullimirum filium Petrislavi, nepotem Radoslavi ejus, qui ab Ciaslavo filio expulsus Romam exsulatum abiit, qua in urbe Petrislavum e matrona Romana genuit; hic vero ex illustri adolescentula itidem Romana Paullimirum procreavit. Paullimirus, Roma relicta, cum filiis & consanguineis in Dalmatiam venit, ut regnum avitum recuperaret, anno circ. 875. Ab anno igitur 602. sive a Nemesione Episcopo usque ad annum 875. vel nulli fuerunt Episcopi Diocletani in tanta conversione rerum & perturbatione, vel siqui fuerunt, eorum nomina resque gestæ oblivio ac vetustas posteritati præripuit.

Reges Prævalitani Christianis infensi

Ab Avaribus extincti;

hi expelluntur e Dalmatia a Serblis.

qui in Superiori Dalmatia mediterranea sibi regnum constituunt.

A R-

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPI DIOCLETANI I. II. ET III. ANONYMI.

Adventus Paullimiri, & reliquorum Serblorum, qui nondum Christianam religionem susceperant, itemque Narentanorum ad Christum conversio occasionem, caussamque præbuit celebrandi Concilii Nationalis Delmitani circ. an. 877. de quibus egimus Tomo III. Illyr. Sacr. in Georgio II. Archiep. Spalat. Interfuere Legati Sedis Apostolicæ, & Imperatoris Constantinopolitani, Georgius Archiepiscopus cum aliquot Episcopis Dalmatiæ, Chrobatiæ, & Serbliæ, Dux Chrobatorum, & Rex Serblorum cum suis optimatibus & proceribus. In hoc augustissimo Conventu tum Provinciarum & Magistratuum, tum Ecclesiasticæ Hierarchiæ divisio & descriptio facta fuit. Tunc Ecclesia Diocletana, quæ ad eam diem in ordine atque numero Ecclesiarum Episcopalium constiterat, ex Episcopali ad Metropoliticam dignitatem erecta est; Scodrensis vero ex Archiepiscopali ad inferiorem Episcopalem gradum descendit, & cujus antea mater fuerat, filia esse postea cœpit. Presbyter Diocleates novæ Metropoli civitates omnino duodecim ex decreto Concilii attributas fuisse ait, scilicet *Antibarium*, *Buduam*, *Ecaterum*, *Dulcignum*, *Svacium*, *Scodram*, *Drivastum*, *Polletum*, *Sorbium*, *Bosonium*, *Tribunium*, *Zachlumium*. Exinde Ecclesia Diocletana jus nomenque metropoliticum adepta non solum in regione Prævalitana, quæ Metropolis & Provinciæ Scodrensis finibus continebatur, sed latius etiam dominari cœpit, & habita fuit Sedes primaria & fastigium Regni Serblorum pariter, & Ecclesiæ Serblianæ. Hæc habes accuratius narrata, & exposita in loco superius laudato.

Ecclesia Diocletana ad Metropoliticam dignitatem evehitur

in toto Serbliæ regno;

idque probatur.

Auctorem institutæ Metropolis Diocletanæ neminem habeo præter Anonymum Diocleatem in Comment. de Regno Slavorum; nihil vero caussæ est, cur ejus auctoritatem respuere debeamus. Ecclesiam Diocleæ, cum antea esset Episcopalis, jure postea ac titulo Archiepiscopali donatam fuisse nemo inficiari potest. Cum enim Antibarensis Metropolita olim denominari consueverit *Dioeliensis*, ac titulum utriusque Ecclesiæ retinuerit, id sane argumento est, dignitatem & potestatem metropoliticam non aliunde Antibarim, nisi ex urbe & Ecclesia Diocleæ derivatam fuisse, & Ecclesiam Antibarensem in locum successisse Metropolis Diocletanæ. Alexander II. an. 1062. epistolam suam inscripsit *Petro Vener. Archiepisc. Diocliensis atque Antibarensis Ecclesiæ;* huic vero Ecclesias fere omnes attribuit, quas ante annos fere ducentos Metropolitæ Diocletano subjectas fuisse diximus. Idem confirmat Gregorius Archiepiscopus Antibarensis in suis ad Raynerium Archiepiscopum Spalatensem literis, & plane aperteque testatur. *Ex antiquis rescriptis & monumentis Antecessorum meorum*, inquit, *& diversis aliis conjecturis veritatem perpendens, quod Salonitana Ecclesia totius Dalmatiæ dominatum & primatum quondam obtinuit, & quod Diocletana Ecclesia, cujus vicem Antibarensis Ecclesia in se recto transtulit consilio, in Metropolim prædictæ Salonitanæ consensu se ordinavit.* Ceterum quo tempore, quove auctore Ecclesia Diocletana Metropoleos dignitatem adepta fuerit, nemo veterum, quorum scripta extent, literis ac memoriæ tradidit præter Presbyterum Diocleatem, & Marcum Marulum ex quodam Codice Slavonico, sive exemplari ejusdem Presbyteri Anonymi, *quod rogatu Dominici Papalis*, ut ipse ait, *in latinum converti*. His igitur de tempore & auctore institutæ Metropolis Diocletanæ credamus licet, quando certiora monumenta non suppetunt, ex quibus ejusdem Metropolis conditæ initia cognosci possint, & utrumque ad Concilium Delmitanum, & sæculum nonum referamus, quod quidem Concilium habitum fuisse alibi diximus an. circ. 877. Joannes Lucius lib. 2. de Regno cap. 14. auctoritatem Presbyteri Diocleatis minime rejiciendam esse ait: *In rebus de sua Metropoli relatis, utpote cæteris antiquior, omnino spernendus non est:* quod autem quædam admiscuit aut falsa, aut parum verisimilia, venia illi danda; *nam*, inquit, *ex traditione vel scriptura Archiepiscopatus Diocletani institutionem inveniens, cætera ipsi probabilia scripsisse conjectari potest.*

Primi Archiepiscopi Diocleenses ignoti.

Illud permolestum est, quod neque primi, neque secundi, neque tertii Archiepiscopi Metropolis Diocletanæ nomen, vel res gestæ, vel tempus susceptæ ac depositæ administrationis ad nostram ætatem notitiamque pervenerint. Hæc aut nemo literis prodidit, aut si quæ publicis privatisque scriptis consignata fuerunt, nimia vetustas, aut multiplex illarum regionum clades & direptio ex bellis fere perpetuis consumpsit & abolevit. Ante extremum vix tres Archiepiscopos habeo, qui huic Metropoli, dum stetit incolumis, præfuerunt. Nam hunc amplissimum Episcopalis Hierarchiæ gradum vix annos sexaginta Civitas & Ecclesia Diocletana retinuerat, cum eum, urbe a Bulgaris funditus eversa, perpetuo amisit.

Serbliani regni sub Paullimiro,

Dum tres illi Archiepiscopi anonymi provinciam Diocletanam regebant, Paullimirus Dynastas & Banos subegit, qui post interitum Ciaslavi, qui Radoslavum parentem suum, & avum Paullimiri expulerat, regnum Serbliæ inter se diviserant. Mœsiam tamen Superiorem, sive Serbliam mediterraneam, quam Boisesthlavus occupaverat unus de Banis Serbliæ, de quo Porphyrogenitus, recuperare non potuit: itaque Serblia Dalmatica contentus esse debuit. Exinde regnum Serbliæ bipartitum fuit; partem alteram filii & nepotes Paullimiri, quorum seriem contexuit Presbyter Diocleates, alteram filii & nepotes Boisesthlavi, de quibus Porphyrogenitus, obtinuerunt; sed post annos fere centum

Digitized by Google

tum utraque Serblia rursus in unum regnum sub uno Rege coaluit, qui jure supremo Serblis Mœsianis pariter, atque Dalmaticis imperavit. Paullimirus post devictum Jupanum Rasciæ in hac regione templum regia magnificentia dignum sub titulo S. Petri Principis Apostolorum ædificavit, ut est apud Diocleatem, & sede Episcopali decorandum curavit. Slavis Chrobatis, qui Pannoniam Saviam incolebant, itemque Hungaris, qui Slavis auxilio venerant, victis cæsisque pacem dedit sub ea conditione, ut Savus fluvius confinium esset inter Chrobatos, Serblosque. Obiit Tribiniæ sub initium sæculi decimi, & sepultus est in æde S. Michaelis. Hæc Diocleates.

Et Serbliana Ecclesia vices.

Uno alterove anno post Concilium Delmitanum cum Chrobati & Dalmatæ ab Joanne VIII. ad Photium, a Romano ad Constantinopolitanum Patriarcham defecissent, salva tamen fide orthodoxa, & conjunctione cum Capite supremo universalis Ecclesiæ Romano Pontifice, an horum exemplo impulsi etiam Serbli desciverint, non constat. Sed cum postea tum Chrobati, tum Dalmatæ ad pristinam erga Patriarcham Romanum fidem atque obedientiam se retulerint, dubitari non potest, quin Serbli etiam cum illis utrisque eodem, unde discesserant, redierint. De Dalmatarum & Chrobatorum defectione satis multa in Georgio III. Archiep. Spalat. Tomo III. cap. 2. Tribus illis, quos dixi, anonymis Archiepiscopis Diocletanis vita & Pontificatu perfunctis, successit

JOANNES ARCHIEP. DIOCLETANUS IV. IDEMQUE POSTREMUS.

Joannes IV. Archiep. Diocl. an. circ. 900.

Sub initium sæculi decimi ad hanc Metropolim & Provinciam administrandam electus fuit Joannes. Paullimiro in regnum Serbliæ Dalmaticæ successerat Tiescimirus filius posthumus, ejusque tutelam cum rerum publicarum administratione mater vidua suscepit; sed magna pars Serbliæ ab eo descivit, & Banus Rasciæ regionem Prævalitanam eidem eripuit. Dum Joannes huic Metropoli præsidebat, anno circ. 925. Joannes Anconitanus, & Leo Prænestinus Episcopi & Legati Sedis Apostolicæ Spalatum ad Concilium Nationale Dalmatas & Chrobatos & Serblos convocarunt; quippe horum caussa indictum fuerat. Joannes Archiepiscopus Spalatensis cum Formino Jadertino, Gregorio Nonensi, aliisque Provinciæ Spalatensis Episcopis interfuit; nec dubitari potest, quin etiam Joannes Metropolita Diocletanus quamvis non sit nominatus, vel per se, vel per procuratorem cum aliquot suæ Provinciæ Episcopis advenerit. Adfuit e Chrobatia Tamislavus Dux Chrobatorum, e Serblia Michael Dux Chulmiæ, sive Zachlumiæ, quæ una erat e quatuor illis Zupaniis, in quas Serbliam omnem Dalmaticam divisam fuisse Constantinus Porphyrogenitus scripsit; utrumque vero Ducem multi e suis proceribus & optimatibus secuti. Michael videtur vice functus esse, & locum tenuisse Tiescimiri regis, qui adhuc impubes sub tutela matris regnum Serbliæ obtinebat, sed exiguis admodum finibus circumscriptum; nam plerasque Zupanias, seu Toparchias præfecti, quos rebellasse diximus, ab ejus regno distraxerant. Sed fortasse Michael etiam cum aliis a Tiescimiro defecerat, neque hujus loco, sed suo, & aliarum Dynastarum rebellium nomine Synodo interfuit; nam Presbyter Diocleates nihil Tieseimiro præter Tribuniam relictum fuisse tradit. In hoc igitur Concilio cum alia multa decreta condita sunt, tum præcipue cautum est, ne Chrobati & Serbli ad divinam Liturgiam, & psalmodiam in posterum linguam Slavonicam adhiberent; & fines diœceseon sui cuique præfiniti fuerunt. Huc revocari possunt, quæ de hoc Concilio dicta sunt in Tomo III. Op. nostri.

Interest Concilio Nationali Spalatensi.

Duobus fere annis post Concilium Spalatense Simeon rex Bulgariæ, cum bellum Serblis intulisset tum mediterraneis, idest Mœsiacis, tum maritimis, idest Dalmaticis, an. 927. Diocleam a fundamentis disjecit. Inter clades & ruinas captæ urbis Joannes Archiepiscopus fuga elapsus Ragusium se recepit; & postquam in ea civitate aliquamdiu delituisset, agnitum deinde Ragusini perhonorifice tractarunt, atque post obitum Antistitis Ragusini Ecclesiæ suæ Episcopatum ei detulerunt. Cum vero titulum archiepiscopalem, quem ex urbe Diocles secum tulerat, retinuisset, hinc sane multi Scriptores Ragusini repetunt primordia Archiepiscopatus Ecclesiæ Ragusinæ, quæ quidem alii recentiores ad sæculum octavum referenda esse arbitrantur. Iidem Scriptores tum Joannis Archiepiscopi in urbem adventum, tum excidium Diocleæ in annos posteriores hujus decimi sæculi rejiciunt, cum Samuel regnum in Bulgaris retinebat, & Samueli cladem atque eversionem Diocletanam attribuunt. Sed longe falluntur. Nam plurimis ante Samuelem annis Dioclea civitas funditus eversa erat. Siquidem Constantinus Porphyrogenitus, qui anno circ. 900. suos de Administratione Imperii Commentarios ad Romanum filium scribebat, annis scilicet quadraginta, antequam Samuel regni Bulgarici potiretur, intra finem decimi, vel sub initium undecimi sæculi, *Dioclea*, inquit cap. 35., *nuncupata est regio illa ab urbe ibi condita a Diocletiano Imp., quæ nunc habitatoribus vacua in hodiernum usque diem Dioclea appellatur; nunc autem est castrum desertum*. Quem locum si recte interpretari velis, urbem ipsam antea excisam dirutamque fateberis, cum a Constantino *desertum castrum* suo ævo dicatur fuisse: hinc Diocleæ ruina uni Simeoni Bulgarorum regi omnino tribuenda, uti etiam in præfatione ad Historiam Ecclesiæ Ragusinæ disseruimus.

Diocleæ excidium. Joannes Archiepiscopus fit Antistes Ragusinus.

Cum urbis interitu Ecclesia quoque & Metropolis Diocletana interiit. Post Joannis Archiepiscopi fugam Episcopi provinciales partim ad veterem Metropolitam Spalatensem re-

Ecclesiasticæ Provinciæ Diocletanæ divisio,

Digitized by Google

redierunt, veluti Antibarensis, Suaciensis, Olciniensis & Catharensis; partim vetuti suum Archiepiscopum in ejus fide ac potestate manere, atque ad provinciam Ragusinam adscribi maluerunt. Ceterum inter eversam Diocletanam, & conditam Metropolim Antibarensem, de qua postea, cum anni amplius centum interfuerint, Episcopos fere omnes, qui suberant Diocletano Metropolitæ, sive ex veritate, sive per errorem Archiepiscopo Ragusino in vetustis monumentis attributos invenies: ut enim sæculo undecimo, sic etiam multæ antea & graves Ragusino cum Spalatensi Archiepiscopo de jure metropolitico, & de provincialibus Episcopis controversiæ fortasse fuerunt; unde mirum non sit, si eosdem Episcopos alias Ragusinæ, alias Spalatensi Provinciæ legas subjectos. Ad Spalatensem certe pertinebant anno circiter tricesimo sæculi undecimi Antibarensis, Suaciensis, Olciniensis, Catharensis Episcopi; quippe quos Dabralis Archiepiscopus Spalatensis pro sua potestate metropolitica ad Concilium provinciale convocaverat. Hi, Spalatum itinere maritimo profecti cum naufragium fecissent, Metropolis Antibarensis instituendæ, seu potius Diocletanæ in hac urbe restituendæ occasionem caussamque præbuerunt. Nam, ut scripsit Thomas Archid. in cap. 15. Hist. Salon., *tunc cives urbium prædictarum, missa relatione ad summum Pontificem, nuntiaverunt de naufragio Episcoporum suorum suppliciter postulantes eximi a subjectione Ecclesiæ Spalatensis, satis probabilem prætendentes occasionem, quia periculosum illis erat tam remotam Ecclesiam visitare. Quamobrem Romanus Pontifex annuit petitioni eorum, omnesque Episcopos a Ragusio superius absolvit a vinculo, quo tenebantur, antiquæ Metropolitanæ, statuitque novam Metropolim in civitate Antibarensi, & omnes Episcopatus prædictos ei subjecit.* Sed exinde, præsertim sæculo duodecimo, & decimo tertio, multo diuturniores & graviores de jure ac titulo Archiepiscopali, itemque de provincialibus Episcopis contentiones Ragusinis cum Antibarensibus Archiepiscopis fuerunt. Illi siquidem sedem, ac jurisdictionem Archiepiscopalem Diocletanam cum Joanne Archiepiscopo, & cum ejus Episcopis provincialibus ad Ecclesiam Ragusinam migrasse, sive cum ea conjunctam fuisse contendebant. Verum Archiepiscopi Ragusini nunquam Diocleenses appellati fuerunt, vel titulum utriusque Metropolis Ragusinæ & Diocleensis conjunctim usurparunt: contra autem Antibarenses, ut constat ex literis Pontificiis, Episcopi *Diocliensis & Antibarensis Ecclesiæ* appellari solebant; id quod argumento est, Ecclesiam Antibarensem in locum Diocletanæ successisse, hujusque jura & privilegia cum Episcopis fere omnibus ejusdem Provinciæ Antibarim translata fuisse. Eamdem ob caussam Ecclesia Spalatensis Salonitanæ substituta veterem retinuit, & novum titulum sumpsit, dictaque olim fuit *Salonitana* simul & *Spalatensis*; etenim *ipsi concessum est*, ait Archidiaconus cap. x., *a Sede Apostolica, ut totius dignitatis privilegium, quod Salona antiquitus habuit, obtineret Ecclesia Spalatensis*. Sed hæc plenius partim in Historia Ecclesiæ Ragusinæ tractata jam sunt, partim hic in Antibarensis Metropolis monumentis erunt comprobanda. Titulum tamen Episcopatus Diocleensis disjunctum ab Antibarensi collatum fuisse comperio duobus ex Episcopis iis, qui *Titulares* dicuntur, & Ecclesias habent barbarorum imperio obnoxias, quæque imperviæ omnino sunt, atque Christiano cultui inaccessæ. Nam sæculo proxime elapso erat Diocleensis Episcopus Dominicus Jannutius Romanus, cujus sepulchro hæc epigraphe insculpta est Romæ in templo S. Mariæ Vallicellanæ. *D. O. M. Dominico Jannutio Romano utriusque Signaturæ Referendario, ab Urbano VIII. ad sacramentum devoluti Ducatus Urbini suscipiendum Protbonotario, a Clemente IX. Collegii Cardinalium Fabricæ Vaticanæ a secretis & Diocleu. Episcopo, Viro solertiam integritati, constantiam officio, prudentiæ pietatem copulanti, validam nacto senectutem, quam sæpe S. Philippo Nerio referebat acceptam, ad annum ætatis suæ* LXXXIV. *& Sal.* MDCLXXX. *Marius Carolus Mancinus Nepos & Hæres M. P.* Anno autem 1758. Episcopum Diocleensem comperio Joannem Carolum Antonellium, qui Velitrensi Antistiti adjutor extitit in Episcopali regimine. Nunc de Antibarensibus agendum.

ex qua plures exortæ contentiones:

& inde in locum Diocletanæ institutæ Metropolis Antibarensis.

ECCLE-

Digitized by Google

ECCLESIA ANTIBARENSIS.

EPISCOPI ET ARCHIEPISCOPI ANTIBARENSES.

Antibaris positio & descriptio.

ANtibaris sive Antibarium, civitas veteribus Geographis & Scriptoribus ignota, ab ora maritima tertio fere milliario distat, sitaque est e regione Barii, quæ civitas est Apuliæ Peucetiæ, ex qua nomen accepit, quod idem valet ac *contra Barium*. Præcelsi montis & undique prærupti tergo in meridiem obverso incumbit, cujus verticem insidet castellum tum loci natura, tum mœnibus & turribus satis egregie munitum. Civitas arci subjecta non exiguo murorum ambitu circumscribitur, vallo & fossis, murisque validissimis septa, quam ab sole oriente ardui montes asperique hostibus & bellicis tormentis imperviam reddunt, quibus ab ea parte omnem aditum intercludunt, & urbis oppugnandæ facultatem eripiunt. Civitati adhærent suburbia neque a tectis, neque ab incolis infrequentia. Circa oppidum ab occasu & meridie planities explicatur non amœna magis quam fertilis, arboribus consita, fontibus irrigua, tritici & frugum cujusque generis, & præsertim olei ferax. Aquæ perennes ex altissimis montibus deductæ, & fistulis lapideis inclusæ unum in urbe, duos in suburbio superiori fontes aperiunt, e quibus emanant copiosissimæ. Ex iisdem montibus torrens, seu potius flumen delabitur, & urbem a meridie præterfluit, cujus utraque ripa ponte marmoreo sane eleganti jungitur. Sunt qui tradant, Antibarim antiquitus in ora maritima locatam fuisse, sed cum piraticis latrociniis ac prædonibus exposita esset, in loca mediterranea introrsus a mari translatam esse; ac dirutæ urbis vestigia & rudera ædificiorum adhuc extare ajunt in exiguo quodam promontorio, quod *Punctam Volinizzæ* vocant.

Ex antiquis Historicis & Geographis nullum invenio, qui ante Constantinum Porphyrogenitum Antibaris mentionem fecerit; sæculo tamen nono, & annis ante Constantinum fere centum Antibaris erat civitas Episcopalis Metropolitæ Diocletano subjecta, ut docent Acta Concilii Delmitani, quod anno circ. 877. habitum fuit. Marinus Barletius in vita Scanderbegi lib. 3. tradit, Antibarim civitatem fuisse antiquissimam, oppidum & coloniam civium Romanorum, & dignam, quæ veterum literis celebraretur, ac de illorum incuria justissimam esse ait Antibarensium querelam indigne ferentium, quod clarissimæ urbis nobilitatem & decora ingrata taciturnitate obruerint. Sub declinationem Imperii Romani a Gallogræcis eversam fuisse scribit, restitutam vero ab Helena e stirpe Regum Francorum oriunda, lectissima & religiosissima fœmina, uxore Simeonis Neemaniæ regis Mysorum & Illyricorum, idest Serbliæ & Dalmatiæ, quæ cum alia ejus regionis oppida refecit, tum plura templa & cœnobia ædificavit. *De Antibare, inquit, nobilissimo hac ætate in Albania* (1) *oppido, Romanorum coloniam* (2) *cives illud fuisse dictitant, & de Veterum circa hanc urbem ingrato silentio conqueruntur. Ceterum non indignus quidem videtur locus, si rationem sequamur, qui vel amœnitate vel commoditate Romanorum colonia fieret, & ad se habitandum colendumque homines alliceret. Est enim ager ipse omnium, quæ ad vitam pertinent, feracissimus; scaturientes undique fontes, & colles velut manu dispositi planitiem exornant. Aer quoquoversus saluberrimus beat omnia. Urbs in monte posita, qua parte meridiem spectat, in planum vergens a torrente Clyro* (3) *alluitur, quem verius fluvium dixeris, quantalibet æstatis intemperie indeficientibus aquis. Murorum ambitus duo millia passuum* (4) *amplius complectitur. Arx in montis vertice natura, humanoque opere munitissima tuetur urbem. Distat a Scodra* (5) *octo, a mari septem* (6) *& viginti millibus passuum. Ita eam in hanc formam post inclinationem Imperii eversam a Gallogræcis* (7) *Helena regina Francigena, femina Christiana, Simeonis* (8) *Nemagnæ Mysorum, & Illyricorum* (9) *regis uxor, postmodum erexit, atque instauravit, quæ & alia vicina oppida æque diruta renovavit, Cœnobia, & loca religiosa pleraque in Epiro & Illyrico construxit, ut ex literis in marmore incisis, aliisque monumentis intueri licet.* Sunt autem quædam in hac descriptione Barletiana, quæ vel explicatione, vel correctione indigent.

Marini Barletii de Antibari narratio.

NOTÆ.

1 Extrema pars illa Dalmatiæ ab sinu Rhizonico usque ad fluvium Drilonem, in qua sita

sita est Antibaris, vocabulo recentiori *Albania* solet appellari, nomen mutuata ab regione proxima ultra Drilonem, quæ antiquitus dicta est Epirus nova, deinde vero Albania ab Albanis populis Macedoniæ apud Ptolemæum.

2 Ibidem loci, ubi nunc est Antibaris, aut propius a mari urbem aliquam numero incolarum, descriptione ædificiorum, & pulchritudine in primis nobilem, eamdemque coloniam Romanorum fuisse facile concesserim, sed sub alio vocabulo nobis ignoto, antiquis Scriptoribus usitato, quam multis post sæculis posteritas Antibarim appellavit. In extrema Dalmatiæ Superioris regione inter sinum Rhizonicum, & Drilonem fluvium multas urbes sive maritimas, sive mediterraneas ab Antonino, Ptolemæo, Odographo Peutingeriano collocatas invenio, quarum plerasque nimia vetustas sic delevit, penitusque abrasit, ut ne vestigia quidem reliquerit, e quibus illarum positio dignosci possit. Harum una fortassis illa fuit, quam nos Antibarim, veteres alio vocabulo illis temporibus usitato appellabant.

3 Clyrus, quem alii torrentem, alii fluvium vocant, tertio ab urbe milliario in mare delabitur.

4 Vix duo milliaria Antibaris circuitu complectitur.

5 *Antibarum*, ut est apud Ferrarium in Lexico Geographico, *urbs Dalmatiæ apud oram maris Adriatici inter Butuam ad occasum, Olchinium ad ortum*, 10. *mill. passuum sita, a Scodra* 28. *in Austrum* &c.

6 Tribus haud amplius milliaribus abest a mari.

7 A Gallogræcis post declinationem Imperii urbem hanc, quam Antibarim dicimus, eversam fuisse tradit Barletius, itemque Maurus Orbinus de regno Slav. pag. 250. Gallogræci erant populi Asiæ minoris ab illis Celtis oriundi, qui, Prisco Tarquinio Romæ regnante, e Gallia Transalpina in Cisalpinam transgressi, Italiam, Græciam, Macedoniam cladibus & victoriis peragrarunt. Ex his permulti in Asiam transvecti regionem illam occuparunt, quæ a novis colonis cum Græcis, qui jamdudum loca illa tenebant, permixtis Gallogræciæ sive Galatiæ nomen accepit. Sed quo tempore, quamve ob causam Gallogræci inde usque ab Asia profecti, invectique in Adriaticum mare Antibarim expugnaverint, atque everterint, neque Barletius, neque Orbinus docent. Ceterum sæculo quinto, cum Imperium Romanum magnitudine sua laborare, &, Barbaris undique ingruentibus, magis magisque decrescere, ac præceps ire cœpisset, nomen Gallogræcorum jam vetustate exoleverat, vixque usurpatum apud Scriptores posteriorum ætatum invenies.

8 Antibarim post multa sæcula ab Helena genere Galla, & regina Serbliæ & Dalmatiæ, restitutam fuisse Barletius pariter & Orbinus affirmant; hoc tamen inter utrumque interest, quod Helenam alter Simeonis Nemagnæ, qui sæculo duodecimo rerum in Serblia potiebatur, alter verius Stephani II. regis Serbliæ, qui sæculo decimo tertio post obitum parentis Nemagnæ, sive Neemanis II. regnavit, uxorem fuisse scribunt. Sed longe ante regnum utriusque Antibaris stabat opibus copiisque præpollens, & sæculo nono sede ac titulo Episcopali decorabatur. Sæculo autem decimo tertio, cum aut vetustate temporum, aut hostium oppugnatione labefactata fuisset, eam Helena restauravit.

9 Idest Serblorum, qui Mœsiam antiquam incolebant, eique nomen suum indiderant, & Dalmatarum, quæ gens erat Illyrica.

Quæ vero de antiquitate hujus urbis Barletius tradit, ea neque refellere, neque approbare in animo est; sed cum ejus primordia ab antiquis Scriptoribus tacita prætermissaque sint, inter cetera vetustate incomperta hæc quoque in incerto posita relinquamus oportet. Siquis tamen conjecturæ locus esse potest, Antibarim octavo vel nono sæculo ædificatam, vel restitutam, & nominatam fuisse dixerim.

Antibaris sub Orientali primum imperio

Antibaris prope est ab ea Dalmatiæ regione, quæ una erat e quatuor illis Zupaniis, quas Heraclius Imperator septimo sæculo Serblis habitandas tradidit, quamque ejusdem Imperatoris permissu incolebant Diocletani ab urbe primaria denominati. Hæc erat Dioclea civitas perantiqua & nobilis ad paludem Labeatidem ab regione occidentali assidens, ab eaque Antibaris passuum millia circiter decem in meridiem abest inter Butuam ab occasu, & Olchinium ab oriente, hinc minori, quam illinc, spatio distans. Hanc tamen civitatem ab eo terrarum tractu, quem obtinebant Diocletani, Porphyrogenitus excludere videtur; illis quippe tres solum urbes attribuit, Gradetas, Nugradem, & Lontodoclam cap. 35. de Admin. Imp., & antea cap. 30., cum Diocleam regionem finitimam esse ait Dyrrhachio, Lisso, Olchinio, Antibari, has urbes extra fines Diocleatum constituit; *Dioclea propinqua est oppidis Dyrrhachio, Elisso, Ulcinio, & Antibari*. Nam Heraclius Imperator, mediterraneis Dalmatiæ regionibus, atque urbibus Chrobatorum, Serblorumque habitationi attributis, oram maritimam cum insulis, & civitates omnes, quæ ad mare vergebant, velut Antibarim, sub potestate Imperii Orientalis retinuit.

Hæc itaque civitas bis mille passus circuitu complectitur, pulchritudine tamen ædificiorum, nobilitate civium, commercio ac divitiis cum præcipuis Dalmatiæ urbibus haud immerito olim conferri poterat. florens, Quamvis pleræque civitates, quas Christianis ademptas Turcæ in suam potestatem redegerunt, nunc, tectis incensis & eversis, desolatæ jaceant, situ, sordibus & pædore squaleant incultæ, ac propemodum eversæ, vix ut exigui oppiduli speciem gerant, Antibaris tamen veteris magnificentiæ plurimum retinet, & ex an-

antiquis ædificiis privatis & publicis sane multa pulcherrimo & antiquo opere constructa, ac fere intacta etiamnum extare affirmat Vincentius Zmajevichius Archiepiscopus in suis ad Sacram Congregationem literis an. 1777. datis IV. Kal. Novembres. Sed eorum elegantiam & nitorem Turcica barbaries infestavit ac fœdavit. *Quæ nunc interna ejus facies*, ait Topographus magni Regni Hungariæ, *haud opus quærere; talem nimirum reperies, qualem in reliquis Turcicæ ditionis civitatibus conspicitur*. Ceterum non solum natura & loco munita est, sed operibus & propugnaculis longe nunc, quam antea sub imperio Regum Serbliæ, munitior, atque ad hostium obsidiones & oppugnationes vel acerrimas sustinendas, repellendasque validior, ut ægre admodum, nisi deditione, capi posse videatur.

deinde aliis subjecta dominis,

Principio Antibaris Imperatoribus Græcis paruit; deinde alias libertatem adepta suis usa est legibus & magistratibus, alias fuit sub potestate Regum vel Dynastarum Serbliæ. Sæculo decimo quarto post extinctum Serblorum imperium Antibarenses cum Pastrovichiis Venetos, a quibus regerentur, evocarunt. Sed haud diu populis illis pacato quietoque Venetorum dominatu frui licuit; nam per annos fere centum Antibaris ex aliis ad alios dominos migravit. Anno circ. 1350. accipere coacta est imperium Ludovici regis Hungariæ, qui Dalmatiam Venetis eripuit; anno 1384. ab Hungaris ad Comites e gente Balsa, qui Zentam utramque possidebant, transivit; anno 1419. post interitum Georgii Balsæ iterum in ditionem Venetorum conditionibus perquam honorificis concessit, qui universam Zentam ceperunt, & Antibarenses atque Pastrovichios amplissimis privilegiis cumularunt. Sed cum Georgius Zentam Stephano patruo, hic Georgio sororis filio possidendam reliquisset, tum regionis, tum urbis possessione Veneti decedere debuerunt. Post victum a Turcis Georgium atque interfectum Antonius Diedo iterum urbem, paucis per adversam factionem rem ad Venetos trahentibus, vi cepit an. 1440., captamque Veneto imperio subegit, cui ultro Antibarenses acquievere cum Scodrensibus, Drivastensibus, Olchinianis, & Buduensibus, veriti, ne Turcarum tyrannidem subire cogerentur. Per annos centum ac triginta Antibaris veterem rerum suarum statum numero & nobilitate civium, divitiis & copiis florentem recuperavit auxitque sub mitissimo Venetorum regimine: sed anno 1571., dum bello Cyprio Dalmatia quoque ardebat, in servitutem barbaricam, ditionemque Turcarum cecidit, a quibus hactenus ea urbs, & tota late regio miserandum in modum afflicta est, atque oppressa.

nunc Turcæ subest.

Erat civitas Episcopalis sæculo nono,

Ut civitatis conditæ, sic Episcopatus Antibarensis instituti epocha ignota est. Primum tamen, de quo dubitari nequit, Episcopum a sæculo nono repetamus licet. Anno 877. Concilium Delmitanum longe augustissimum, & frequentissimum habitum fuit in planitie Dalmæ, ut Presbyter Diocleates, sive in Campo Cliunæ, ut Marcus Marulus e suo Codice Pannonico, prope ab ruderibus Delminii urbis antiquissimæ, de quo plura in Georgio II. Archiep. Spalat. Tomo III. hujus Op. Illuc convenerant Paullimirus rex Serbliæ, Dominicus, qui & Domogoy dictus, Dux Chrobatiæ, cum suis uterque proceribus & magistratibus, Georgius Spalatinus Archiepiscopus cum Episcopis Dalmatiæ, Legati Sedis Apostolicæ & Imperatoris Constantinopolitani. Ad rem nostram quod pertinet, in hoc Concilio Diocleа civitas Episcopalis Dalmatiæ superioris, æque vetusta & nobilis, ad metropoliticam dignitatem evecta fuit, eique has Ecclesias attributas invenio, *Antibarium*, *Buduam*, *Ecaterum*, *Dulcignum*, *Svacium*, *Scodram*, *Drivastum*, *Polletum*, *Sorbium*, *Bosonium*, *Tribunium*, *Zachlumium*. Ex his Ecclesiis Episcopalibus aliquas, veluti Tribuniensem & Zachlumiensem, tunc primum institutas fuisse existimo. Videtur quidem ad Concilium Delmitanum referenda esse institutio Episcopatus Antibarensis, cum nulla ejus indicia in monumentis superiorum ætatum appareant; sed vero propius esse opinor, quemadmodum Scodrensis & Dulcinensis, sive Olchiniensis, sic etiam Antibarensis exordia antiquiora esse Synodo Delmitano, præsertim, cum priore loco nominetur *Antibarium*, propterea fortassis, quod plerisque illarum Ecclesiarum vetustate præcederet; nisi forte existimemus in Ecclesiis illis recensendis non chronologici, sed alphabetici ordinis rationem habitam fuisse. Ceterum is ordo in prioribus quidem nominandis servatur, in reliquis vero non item. Si vero civitas Antibarensis ante Synodum Delmitanam titulum Sedemque Episcopalem obtinebat, hæc ad Provinciam Spalatensem vel Prævalitanam pertinebat. Sed Antistitum Antibarensium tum veterum, siqui fuerunt ante illud Concilium, & sæculum nonum, tum eorum, qui postea hanc Ecclesiam gubernarunt, nomina & acta vetustate interierunt, & per annos fere centum & sexaginta post Delmitanum Concilium nulla Episcopatus Antibarensis memoria literis tradita reperitur. Anno circiter vigesimo sexto sæculi decimi, cum Simeon rex Bulgariæ Diocleam metropolim evertisset, Ecclesia Antibarensis cum tribus aliis Diocletanæ Provinciæ Episcopis sub potestatem Metropolitæ Spalatensis vel rediit, vel transivit; idque non e scriptis illorum temporum, sed ex monumentis sæculi undecimi satis perspicue intelligitur.

cujus primi Antistites ignoti,

Anno circ. 1030., ut est apud Archidiaconum, Dabralis ad Metropolim Spalatensem regendam accessit. Hic, suscepto Archiepiscopatu, nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut Episcopos sibi subjectos ad Concilium provinciale convocaret. Præter alios inferioris, quatuor superioris Dalmatiæ Antistites, videlicet *Antibarensis*, *Dulcinensis*, *Catharensis*, *Svaciensis*, ad eam Synodum convenerunt.

& diversis Metropolitis attributa fuit.

Digitized by Google

veniendi lege tenebantur, & Spalatum profecturi se maritimo itineri committerunt. Pertinebant itaque ad provinciam Spalatensem, ad quam post Diocleam sæculo superiori excisam atque desolatam transierant. Verum anno fere septimo ante Concilium provinciale Spalatense Benedictus VIII. in suis ad Vitalem Archiepiscopum Ragusinum literis datis anno 1023. Antibarensem cum Catharensi & Olchiniensi Ecclesiam Ragusinæ provinciæ attribuit: qua de re in Historia Ecclesiæ Ragusiensis satis actum, superque est. Si ergo tres illæ Dalmatiæ superioris Ecclesiæ anno 1023. erant in potestate Metropolitæ Ragusini, quid caussæ esse potuit, cur intra spatium annorum circiter septem in ditionem Archiepiscopi Spalatensis migraverint, & huic essent subjectæ anno 1030? Archiepiscopus Ragusinus, quemadmodum nomen jusque metropolitanum usurpabat, invito ac repugnante Metropolita Spalatensi, qui Ecclesiam Ragusinam ab sua jurisdictione divulsam ægre ferebat, sic etiam tres illas Ecclesias suas esse ajebat, propterea quod ad Sedem atque metropolim Diocletanam pertinebant, quæ cum omnibus suis Ecclesiis atque privilegiis Ragusium translatam esse contendebat; idque Benedicto Pontifici ecclesiasticæ topographiæ Dalmaticæ minus perito facile persuaserat. In rebus historicis sive geographicis, quæ neque ad dogmata, neque ad mores referuntur, neque cum alterutris cohærent, sæpe Romani Pontifices aliorum testimonio stare coguntur, quibus prudenter ac tute fidem haberi posse existimant. Neque desunt exempla epistolarum Pontificalium, in quas aliquod hujusmodi erratum irrepsit, quod cum rerum veritate non satis congruit. Falli itaque Benedictus potuit non suo, sed alieno errore, cum tres illas Ecclesias provinciæ Spalatensis Metropolitæ Ragusino attribuit. Sed utcumque seu Ragusino, seu Spalatensi Archiepiscopo illæ subditæ fuerint anno 1023., cum Benedictus VIII. eas literas ad Vitalem scripsit, certe Spalatensi Ecclesiæ suberant anno 1030., cum Dabralis Metropolita Spalatensis Episcopos earumdem Ecclesiarum pro suo jure & potestate metropolitica ad Concilium Provinciale convocavit. Si autem hoc anno Antibarensis Ecclesia cum Olchiniensi & Catharensi erant sub jurisdictione Archiepiscopi Spalatensis, dubitari vix potest, quin ad eam vel redierint vel accesserint anno 927., cum Dioclea illarum Metropolis ab Simeone rege Bulgarorum funditus diruta interiit. Ceterum, cum ab eversa Dioclea ad annum 1030. anni amplius centum intercesserint, hoc tam diuturno intervallo multiplex illarum Ecclesiarum ex uno ad alterum Metropolitam transitio fieri potuit, eædemque alias ad Spalatensem, alias ad Ragusinum Archiepiscopum fortasse demigraverunt; sed anno 1030. Dabrali Spalatensi Metropolitæ sine ulla dubitatione parebant. Nunc, quod hujus loci atque instituti est, persequamur.

Itaque Episcopi supradicti, Antibarensis, Olchiniensis, Catharensis & Suaciensis, ut Dabrali Archiepiscopo suo ad Synodum Provincialem vocanti obtemperarent, itinere maritimo Spalatum proficisci decreverunt. Sed conscenso navigio, cum solvissent, vix pauca milliaria recesserant a litore, & ventis inter se contrariis hac illac circa insulas jactari cœperunt; dein repente atrox adeo, & sæva tempestas coorta est, ut navis maximis turbinibus ac fluctibus quassata, ac demum in arenam illisa, & procellarum percussu, impetuque diffracta, nullo prorsus evadente, miserandum in modum perierit. Tristis naufragii nomen & memoriam etiamnum servat locus non longe ab insula Pharia, penes quam navis vi ventorum impacta, & hausta fluctibus interiit; vulgo enim appellatur *la Punta dei Vescovi*. Rem narrat Thomas Archidiaconus his verbis Cap. XV. Hist. Salon. *Factum est, ut illis diebus convocarentur omnes Suffraganei Dalmatiæ ad Provincialem Synodum, quæ celebranda erat in Ecclesia Spalatensi. Episcopis autem superioris Dalmatiæ visum est, quod commodius suum iter possent pergere, si omnes uno navigio ducerentur. Tunc, præparata navi, ex condicto accesserunt ad portum, & imponentes, quæ erant navigantibus necessaria, omnes fere Episcopi eamdem navem conscenderunt, videlicet Catarienſis, Antibariensis, Dulcinensis, & Svacensis. Cum autem circa insulas ventis impellerentur non multum adversis, ecce subito tempestatis turbo mediis fluctibus toto se fragore immersit, statimque nautæ confusis clamoribus ad armamenta velorum manus currunt apponere, annitentes vela deponere, anchoras projicere, ne navis in asperrima loca, quæ jam erant proxima, incurreret. Sed, antequam possent quidquam consulte agere, confestim navis arrepta in siccum tota illisa est, intumescentibusque procellis minutatim quassata est & confracta; sicque divino judicio miserabiles Episcopi, & omnes, qui cum eis erant, perierunt. Tunc cives urbium prædictarum, missa relatione ad Summum Pontificem, nuntiaverunt de naufragio suorum Episcoporum, suppliciter postulantes, eximi a subjectione Ecclesiæ Spalatensis, satis probabilem prætendentes occasionem, quia periculosum illis erat tam remotam Ecclesiam visitare. Quamobrem Romanus Pontifex annuit petitioni eorum, omnesque Episcopos a Ragusio superius absolvit a vinculo, quo tenebantur, antiquæ Metropolitanæ, statuitque novam Metropolim in civitate Antibarensi, & omnes Episcopos prædictos ei subjecit.* Hæc sunt initia Archiepiscopatus Antibarensis, quæ conjici possunt in annum circ. 1034., ejusque Pontificiam institutionem ad Benedictum IX. referri, nisi ad annum 1032. atque ad Joannem XX. revocare lubeat. Nunc primum de Diœcesi, postea de Provincia Archiepiscopi Antibarensis.

Statuuntur initia Archiepiscopatus Antibarensis;

Hæc diœcesis, qua spectat in septemtrionem, millia passuum circiter quadraginta in longitudinem protenditur ad radices usque Cernagoræ, seu Montis nigri, qui a populis

& ejus Diœcesis circumscribitur, in qua

lis generis & ritus Rasciani vicatim colitur, & frequentissime habitatur, eosque Episcopus Cetinensis ejusdem generis ac ritus sub suam potestatem redegit; qua vero vergitur ad mare, angustioribus terminis definitur, ab occasu Buduensis, ab ortu Olchiniensis diœceseon finibus inclusa; sed, cum Buduensis Episcopus jamdudum creari desierit, hæc Ecclesia Vicario Apostolico commendari solet, idque muneris ac potestatis committi Archiepiscopo Antibarensi, qui, postquam Antibaris anno 1571. in Turcarum servitutem cecidit, apud Buduenses, vel apud Pastrovichios commoratur. Remotius a mari Catharensem ab occidente, Scodrensem ab oriente diœceses attingit, ad meridiem a mari terminatur.

de Æde Cathedrali, Ædes Cathedralis titulo suberat & auspiciis S. Theodori Martyris; sed, cum fortuito incendio conflagrasset, alteram in eadem area, iisdemque vestigiis, in quibus vetusta illa steterat, Antibarenses excitarunt, sed molis magnitudine, ædificii descriptione, operis ornatusque magnificentia longe augustiorem, & vetere abolito, novum ei titulum ab S. Georgio Martyre imposuerunt. Capitulum constabat e Canonicis omnino duodecim, cujus principem locum tenebat Archidiaconus, secundum Archipresbyter, tertium Primicerius, ut in ceteris Episcopalibus Dalmatiæ civitatibus. Mensa Archiepiscopalis & Capitularis, ut temporibus illis ac locis, opulentissima erat; nam ex agris, vineis, olivetis, aliisque fundis fructiferis terna Archiepiscopus, terna itidem Capitulum, & Clerus inferioris ordinis millia nummum argenteorum quotannis percipiebant. Omnia inexplebilis Turcarum aviditas, & ingluvies devoravit. Eidem mensæ adjunctæ olim, *& unitæ fuerunt Capelaniæ S. Helenæ intra, ac S. Nicolai, a: S. Gabrielis, ac SS. Simonis & Lucæ Evangelistæ ac S. Mariæ Magdalenæ extra muros Antibaren.*, ut est in tab. Rom. Taxarum ab Attavanto descriptis, & in libro recentiorum Tax. ex quo discimus an. 1472. *octavo Idus Junii unitum fuisse reddi-tibus Archiepiscopatus Prioratum de Mirano Ord. S. Augustini Tarvisinæ diœc. per Sixtum IV.*, de quo in Simone Archiepisc. XXVII.

de Ecclesiis, Tria erant minora Collegia Canonicorum, quas vocant *Collegiatas*, duo in civitate S. Petri, & S. Eliæ, quibus urbana, tertium S. Mariæ in suburbio, cujus Præsidi suburbana procuratio animarum demandari solebat. Senis vel quinis singula Canonicis constabant, & qui singulis dignitate & auctoritate præsidebat, is Archipresbyter appellabatur. Ædem primariam Georgianam, eversis altaribus, Divorum imaginibus abrasis, Turcæ in fanum Mahometicum converterunt. Palatii Archiepiscopalis partem alteram inhabitat Turcicus Magistratus, quem *Cadì* vocant; hic controversiis dirimendis præest, rem publicam administrat Vicarius Bassæ Scodrensis toti Albaniæ Turcicæ præpositi; partem alteram occupat fœnile, & stabulum equorum. Tria itidem illa templa secundum Ædem Cathedralem vel magnitudine, vel dignitate præcipua Turcæ diruerunt, aut impura superstitione polluerunt; ex his nihil superest præter duo sacella, alterum S. Eliæ in civitate, alterum S. Mariæ suburbanum. De utriusque proventibus sane opimis nihil reliqui fecit rapacitas Turcarum, nisi exiguam portiunculam, quæ vix suppeditat duobus Presbyteris utrique sacello præpositis, quod in tenuem victum cultumque satis sit. Multa erant in civitate templa vel sacella, veluti S. Paulli, S. Marci, S. Venerandæ, & alia omnino ad vicena, & suis quæque redditibus non contemnendis instructa. Intra tertium ab urbe lapidem ager Antibarensis refertus erat ædiculis ac sacellis, videlicet S. Viti, S. Catharinæ, S. Jacobi, S. Laurentii, S. Bartholomæi, S. Nicolai, S. Venerandæ &c. quibus elucet religio veterum Antibarensium, qui loca illa sacra in eo territorio passim extruxerant, &, cum extra urbem vel rei rusticæ inspiciundæ, vel animi recreandi causa deambulatum ibant, pie ac religiose visebant. Passibus circiter quingentis & mille ab urbe distabat templum ac domicilium edito loco impositum, & montibus undique circumdatum, quod solitarii quidam, piique homines tuebantur, & incolebant, doctrinarum expertes, & idiotæ, verumtamen vitæ austeritate, & singulari apud illas gentes opinione virtutis & sanctitatis venerabiles. Ut agrestia illa, quæ supra dixi, sacra loca magna ex parte, sic etiam hoc delubrum & cœnobium, vetustæ eremiticæ vitæ monumentum, impietas atque immanitas Turcarum destruxit, atque abolevit; nihil ex eo remanet, nisi exiguum sacrarium id tantum religionis antiquæ retinens, quod Christiani festis diebus illuc conveniunt, ut Sacrificio Missæ intersint, & eorum corpora ibidem tumulantur.

Hæc diœcesis fere tota a Christianis partim Catholicis ritus Latini, partim Schismaticis ritus Græcanici frequentissime habitatur, quibuscum paucæ admodum familiæ Turcarum immixtæ sunt. In ea vero, ac prope urbem extabat olim exiguo colli impositum templum & cœnobium S. Nicolai a Franciscanis Patribus, quos *Conventuales* dicunt, religiosissime culta; sed Turcarum adventante exercitu anno 1571., Patres, sacra supellectile servata, & ære campano in profundam foveam abscondito penes Ecclesiam, ne in hostium manus caderet, locum desertum reliquere; & templi quidem a Turcis diruti hactenus visuntur rudera, cœnobium autem sibi suisque familiis de habitatione ii accommodarunt. Porro septem Franciscani Instituti domicilia fuere in universa Albania ante Turcarum in ea loca irruptionem, quæ unam Albanensem, ut appellant, *Custodiam* efficiebant. Plura etiam Monasteria instituti Benedictini, vel Basiliani, eaque fere ad triginta floruisse ajunt, ædificata & dotata partim ab Helena e stirpe regum Francorum oriunda, fœmina sanctissima, uxore Stephani

de Cœnobiis, ac Monasteriis,

Digitized by Google

ni II. regis Serblorum, partim ab Uroscio filio utriusque, rege itidem Serbliano. Anno certe 1288. Helena cœnobium ac templum S. Francisci extrui jussit Patribus Franciscanis severioris instituti, ut docent tabulæ Catharenses in eorum cœnobio servatæ. In urbe Ecclesia & collegium Virginum Ordinis Benedictini erat; quibus abeuntibus ob Turcarum metum, eæ ædes eversæ omnino fuerunt, ac proventus in potestatem hostium transierunt. At monasteriis his vel numero, vel doctrina & sanctitate cœnobitarum præstabat cœnobium illud, cui nomen ab *S. Maria de Rotazio* sex circiter ab urbe milliaribus distans in occidentem, ad mare in agro Sciuscianensi situm, cujus annuos redditus quatuor millibus argenteorum & quingentis æstimatos ferunt. Sæculo decimo quarto insignis floruit Christianorum cultus, & pietas in hanc Ædem Virgini Deiparæ sacram, cujus opem votis donisque sibi præsto fuisse testabantur; & in libris *Notariæ Ragusiensis* plura hujusmodi monumenta supersunt. Nam in Testamento Joannis de Zerena anno 1362. die Martii undecima confecto legitur; *item mittatur ad S. Mariam de Retez Presbyterum cum duplerio de yperperis* 3. & in altero *Givanis filii de Duncas* anno 1348. *S. Mariæ de Ertezo yperperos* 5. *Radoje* quidam *de Chranislavo* in tabulis anni 1363. jubet, hominem quempiam ad templum *S. Mariæ de Retezo* proficisci pro se, suaque impensa votum soluturum: eodemque anno die quinta Julii Radatchius Pastrovichius eidem templo *grossos 6.* legavit, & Marinus de Sovate calicem argenteum, aliique plura hujuscemodi, quæ vetustam loci celebritatem maxime commendant. Rotaciensis Monasterii cura, postquam illius Abbates ex monachis esse desierunt, a Romano Pontifice commendari solebat Antibarensi cuidam e primaria nobilitate sacerdoti; cum vero Lucas Alatavichius secundi ordinis civis eam Pontificis decreto suscepisset ante captam a Turcis urbem, ingentes inter utrumque ordinem rixæ, & intestini motus exorti sunt, quos plurimæ cædes subsecutæ, & civitatis longa tristisque perturbatio. Nunc Monasterium desertum a monachis, direptum a Turcis, bonis fere omnibus exutum, magna ex parte dirutum antiquæ magnificentiæ & opulentiæ nihil retinet, nisi exiguum D. Peregrini sacellum, & hospitium, tenuesque proventus in territorio Pastrovichiorum, quos percipiunt, atque inter se partiuntur duo Cœnobia Calogerorum, quæ apud Pastrovichios existunt. Monasterium quoque Christo Servatori sacrum celebre olim fuit & monachorum sanctimonia, & Christianorum pietate. Locus tamen, in quo extitit, est incompertus, illiusque memoria superest in duobus Ragusinis testamentis, altero *Thomæ filii q. Pauli de Thoma* anni 1328. 8. Decembris: *Item Monasterio S. Salvatoris sito in diœc. de Antibaro Misse* 500. altero *Marini Spatarii* anni 1330. 20. Junii: *Teneantur dare in Antibaro Ecclesiæ S. Salvatoris yperperos* 10. Ab Rotaciensi Monasterio non ita longe abest in septemtrionem pagus, quem *Susanum* vocant. Ibi Ecclesia S. Venerandæ, & Parochus ritus latini, quem Archiepiscopus Antibarensis constituit, eique titulum honorarium Abbatis S. Mariæ de Rotacio conferre solet. Huic alter a septemtrione Pagus finitimus est, cui nomen *Spizza*; oppidum habet arduo monti, præruptoque impositum, in quo Ecclesia S. Demetrii a Commune Spizzensium sibi in patronum ac tutorem delecti. In eodem Pago Ecclesiæ campestres undecim, fere omnes Catholicorum. In his ædes primaria S. Theclæ æque Catholicis atque Schismaticis communis. Inter has singulari commemoratione digna est Ecclesia S. Andreæ, in qua Uladislavum regem Serbliæ sepultum tradunt, & regis sepulti testem citant inscriptionem quamdam januæ superliminari literis Serblianis incisam, sed adeo vetustate exesis, vix ut vestigia illarum appareant. Supra Spizzam ad septemtrionem occurrunt duæ Villæ, *Tiomille* ac *Supei*, duorum milliarium intervallo distinctæ; altera quadraginta, altera sexaginta familiis constat; sua utrique Ecclesia & parœcia S. Nicolai. Ad diœcesim Antibarensem pertinet, si non omnis, pars certe non exigua Pastrovichiorum, pagus & frequens ac nobilis, qui inter Buduam & Antibarim secundum mare in longitudinem protenditur, & Venetorum imperio subest. Præter mapalia, alia pluribus, alia paucioribus tectis habitata, duo habet oppidula, unum *Lastuam* dicitur, alterum *ab S. Stephano* cognominatur; duo itidem Cœnobia monachorum ritus Græcanici, tum hospitium S. Viti a Thoma Ursino Archiepiscopo Antibarensi fundatum. Hactenus loca diœcesis Antibarensis, quæ vergunt ad occidentem; nihilo pauciora vel ignobiliora sunt, quæ spectant in orientem. Nobilissimus & frequentissimus est Pagus Marcovichiorum Scodram versus longe lateque porrectus; ab Rascianis Schismaticis & Turcis incolitur. Prope abest vicus, cui nomen *Crainæ*, ubi olim curia & sedes regum Serbliæ. In templo S. Mariæ conditum ferunt Uladimirum regem eximiæ fidei ac religionis, quem Uladislavus rex Bulgariæ simulatione honoris & benevolentiæ accersitum per summam perfidiam interfecit. Ejus corpus Cossara conjux filia Samuelis regis Bulgarorum in eadem æde Mariana perhonorifice tumulavit, fundavitque ibidem Collegium sacrarum virginum, ad quas ipsa quoque aggregari, & post obitum penes virum suum, quem summopere amabat, sepeliri voluit, ut Presbyter Diocleates in suo Comment. de regno Slavorum scriptum reliquit: *Tulitque denique corpus ejus* (Cossara), *& asportavit in loco, qui Craini dicitur, ubi Curia ejus fuit, & in Ecclesia S. Mariæ recondidit . . . . Uxor vero B. Uladimiri sanctimonialis effecta pie & sancte vivendo in eadem Ecclesia vitam finivit, ibique sepulta est ad pedes viri sui.*

tum de villis, ac parœciis.

Digitized by Google

Hunc vicum Rasciani cum paucis Turcis incolunt. His adde villas sane multas, Prelichios cum Æde S. Alexandri, Brichios cum Æde S. Demetrii, Livanum superius cum Æde S. Venerandæ, inferius cum Æde S. Petri, Pincichium cum Æde S. Nicolai. In his familiæ Catholicæ & Latinæ Turcicas & Rascianas numero longe multumque exsuperant. Intra fines autem diœcesis inclusum invenio Commune illud, quod *Scutarense* vocant, & quinque villulis constat Catholicis fere omnibus, quibus paucissimi permixti sunt alieni ritus & dogmatis. Hujusmodi circumscriptio est, & status Antibarensis diœcesis sub initium hujus sæculi, quem Marcus Jorga anno 1696. Metropoli Antibarensi præpositus suis ad Sacram Congregationem literis exposuit.

Ecclesiæ Episcopales Metropolis Antibarensis.

Provincia Antibarensis has Ecclesias Episcopales ex epistola Alexandri II. ad Petrum Archiepiscopum an. 1062. complectebatur, *Ejateren. Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Palachiensem Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Svatinensem Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Scodriensem Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Dinnastriensem Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Polatinensem Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Serbiensem Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Boloniensem Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Tribuniensem Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis.* De plerisque harum Ecclesiarum Antibarensi cum Ragusino Archiepiscopo multæ & magnæ contentiones fuerunt. Cum enim uterque jus dignitatemque metropoliticam Dioclææ civitatis per Bulgaros eversæ cum Ecclesiis eidem subjectis ad se translata esse contenderent, eas uterque suas esse ajebat, sibique vindicabat. Et sane has easdem Ecclesias in antiquis monumentis, & literis Pontificiis, alias Ragusino, alias Antibarensi Metropolitæ adscriptas invenio. Quas Alexander II. Metropoli Antibarensi subjecit, eædem fere omnes in veteribus & recentioribus catalogis *Ecclesiarum Urbis & Orbis* huic Metropoli solent attribui, nisi quod in aliis aliquæ adduntur, in aliis aliquæ, cum absint, detrahi videntur.

Ex Notitia Episcopatuum Orbis Christiani, lib. V. apud Aubertum Miræum.

Antibarum, cui Suffraganeæ Sedes fuerunt Ejateren. 1. Palecien. Svatinen. 2. Scodrien. Dinnastren. 3. Polaten. Sierbien. Bolonien. 4. & Tribunien. ut in Diplomate Alexandri II.

1. *idest* Ecateren.
2. Svacien.
3. Drivasten.
4. Bosonien.

Ex Codice Provinciali vetere, lib. II. apud eumdem Miræum.

Antibarensis Archiepisc.

Dulcinien. Drivastensis, Suacinensis, Polatrensis, Scodrensis, Arbanensis 1., *Sierbiensis, Ejacatensis.*

11. Albanen.

Ex Notitia Ecclesiarum tempore Cœlestini III. conscripta a Milone Ab., apud Emanuelem a Schelstrate Tomo II.

Archiepiscopus Antivariensis hos habet Suffraganeos, Dulcinensem, Drivastensem, Polastensem 1., *Scodrinensem, Albanensem, Sardensem* 2.

1. Pulaten.
2. Sardanen.

Ex Notitia Ecclesiarum Urbis & Orbis, quam descripsit Meliciacca, sive Meliciates Episcopus Catharensis sæculo decimo quarto.

Archiepiscopus Antivariensis hos habet Suffraganeos Dulcinensem, Drinastrensem, Svasionensem, Polacensem, Arbanensem, Sardensem, Scitarensem 1.

1. Scutaren.

Ex veteri Ms. Bibliothecæ Thuanæ, apud Carolum a S. Paullo.

Archiepiscopus Antivarensis hos habet Suff.

Dulcinensem. Suacinensem. Drivastensem. Polatensem. Scodriensem. 1. *Arbanensem. Sardenensem. Scutarensem.*

1. *al.* Polaten. minorem.

Ex Ms. Bibliothecæ Regiæ, apud eumdem, & Franciscum Orlendium in Tomo I. Orbis sacri & prophani.

Archiepiscopus Ananarensis 1. *hos habet Suffr.*

1. Antibarensis.

Dulchinensem. Polatensem. Sardensem. 1. *Suacinensem. Scodinensem.* 1. *Scutarensem. Drivastensem.* 1. *Arbanensem.*

2. Sardanensem.
1. *al.* Polaten. minorem.
1. Drivastensem.

Ex libro Taxarum Ecclesiarum, & Monasteriorum, apud Franciscum Blanchinum.

Antibarensis Archiepiscopus habet Suffraganeos Dulcinensem, Svatinensem, Drivastensem, Polastiensem, Scodrinensem 1., *Sardensem, Scitarensem* 2., *vel Ascitaren.*

1. Scodrien.
2. Scutaren.

Ex libro, cui titulus, *Numerus & Tituli Cardinal. Archiepisc.* &c., edito Parisiis an. 1545. pag. 13.

Archiepisc. Antibaren. vel Arturiatus habet VII. Suffraga.

Episco. Dulemen. 1. *Episco. Drinastensis. Episco. Polasten. Episco. Scodriensis. Episco. Arbanen. Episco. Sardenensis. Episco. Scutaren. alias Arutarensis.*

1. Dulcinensis.

Ex Codice Provinciali novo, apud Aubertum Miræum lib. IV.

Antibarensis, sive Antiparensis Archiep. Regni Serviæ Primas per Alex. II. an. 1062. nunc sub tyrannide Turcarum; Buduanensis, Dulcinensis sub Turcis, Drivastensis vel Trivastensis ibidem, Svatinensis ibidem, Polastrensis 1. *ibid., Scodrensis vulgo Scutarensis ibidem, Sierbien. ibidem, Ciatarensis* 2. *ibid. Sappatensis ibidem, Alexiensis ibidem.*

1. Pulaten.
2. Ecataren.

Ex Notitia nova Episcopatuum Orbis Catholici nunc existentium, auctore Michaele Baudrando.

In Albania Archiepiscopatus Antibarensis sub Turcis. Episcopatus Suffraganei; Scutarensis, Polatensis, Drivastensis, Dulcinensis, Sappatensis & Sardanensis invicem uniti, Prisvenensis in Servia, Semandriensis ibidem, Belgradensis ibidem, Buduensis sub Venetis.

Ex

Ex Tomo I. Atlantis Coronelliani.

In Albania Archiepiscopatus Antibarensis sub dominatu Turcarum. Episcopi Suffraganei, Scodrensis, Polatensis, Dulcinensis, Sappatensis, Prisrenensis in Serblia, Semandriensis in Serblia, Belgradensis in Serblia, Buduensis sub imperio Venetorum, Drivastensis.

Vides in antiquis Notitiis sive Catalogis Ecclesiarum Episcopalium quanta facta sit labes, & variatio literarum, ex quibus composita sunt, seu potius deformata nomina civitatum; quæ quidem vocabulorum depravatio adscribenda est librariis vel ignaris antiquæ Geographiæ & nomenclaturæ notis compendiariis expressæ, vel oscitantibus, & in ea, quæ describebant, parum intentis. Ex his Ecclesiis, quas Alexander II. Metropoli Antibarensi subjecit, quinque adhuc retinet, videlicet Palachiensem, Svaciensem, Scodrensem, Drivastensem, Pulatensem; sed de his & aliis sæpe contendere debuit cum Ragusino Archiepiscopo, eæque ab uno ad alterum Metropolitam alias transierunt, alias redierunt. Quatuor amisit, Catharensem, Serbiensem, Bosoniensem, sive Bosnensem, Tribuniensem; harum tamen jacturam Sardensis sive Sardanensis, Dagniensis, Albensis sive Albanensis, Sappatensis, Olciniensis, Buduensis, aliis aliæ temporibus compensarunt. Sed neque has omnes perpetuo retinuit. Principio hæc Provincia iisdem, quibus pars extrema Dalmatiæ Superioris, terminis definiebatur; postea tamen Drilonem transgressa aliquas tum in Epiro nova, veluti Albanensem, Olciniensem, Sardensem, Sappatensem, tum in Serblia, veluti Belgradensem, Semandriensem, & Prisrenensem Ecclesias sibi acquisivit; verum has tres Serblianas Ecclesias ad Primatum potius, quam ad Provinciam Archiepiscopi Antibarensis pertinere dixerim. Ex omnibus tamen, quas nunc obtinet, Ecclesiis pleræque Episcopo carent, earumque administratio finitimis Episcopis commendari solet. Præter Buduensem cæteræ fere omnes Ecclesiæ simul cum Metropoli sub imperio Turcarum constitutæ barbarico dominatu premuntur. Has regiones Catholici pariter & Schismatici tenent, alibi simul permixti, alibi inter se disjuncti; & hi quidem Episcopo Cetinensi Schismatico subsunt, illi vero habent Episcopos Catholicos; alteri aut omnes aut plerique ritu & sermone latino, alteri Slavonica lingua, & ritu Græcorum ad psallendum remque divinam faciendam utuntur.

Lazarus Vladagnus Archiepiscopus Antibarensis in suis ad nos literis quatuor tantum nominat Ecclesias sibi subjectas, videlicet Scodrensem, Pulatensem, Sappatensem, Alexiensem; cæteras silentio præteriit, videlicet Dulchiniensem, Svaciensem, Drivastensem, Buduensem, propterea quod horum Episcopi jampridem creari desierunt: reliquæ sive in Serblia, sive in Epiro nova aut carent Episcopis, aut ab Antibarensi ad aliam Metropolim migrarunt. In Catalogis supra descriptis nusquam, nisi in Codice Provinciali novo apud Aubertum Miræum, invenitur Ecclesia Alexiensis sub jurisdictione Archiepiscopi Antibarensis; eam siquidem omnes Catalogi veteres ac recentes Metropoli Dyrrhachinæ in Epiro nova attribuunt. Semel tantum in Tabulis Consistorialibus Ecclesia Alexiensis Provinciæ Antibarensi adscribitur.

De Primatu Ecclesiæ Antibarensis

Quam certa sunt Archiepiscopatus, tam incerta sunt initia Primatus Antibarensis. Hic Archiepiscopus jam inde ab antiquis temporibus *Primas Regni Serbliæ* appellari solet, sibique ipse in suis literis & decretis hunc titulum inscribit; & Metropoli Antibarensi annexus est Primatus Serblianus. Institutionem Archiepiscopatus Antibarensis plerique referunt ad annum 1062. atque ad Alexandrum II., sed, cum naufragium quatuor Episcoporum Dalmatiæ Superioris anno circ. 1030. acciderit, ob eamque caussam quatuor illorum Episcopales Civitates ab Sede Apostolica petierint, ut proprium sibi daret Metropolitam, non est verisimile, annos ipsos triginta interfuisse, antequam compotes fierent, & quod enixe postulabant, impetrarent. Quare hujus Archiepiscopatus condendi auctorem fuisse diximus vel Joannem XX. qui anno 1024., vel Benedictum IX. qui anno 1033. in Cathedram Romanam conscendit. Nec solum jus dignitatemque metropoliticam, sed etiam Primatum Serbliæ ab Alexandro II. Ecclesiæ Antibarensi collatum fuisse censuit Aubertus Miræus lib. IV. Notit. Episcop. Orbis Christ. cap. 8. *Antibarensis, sive Antiparensis Archiepiscopus Regni Serviæ Primas per Alexandrum II. an. 1062. nunc sub tyrannide Turcarum.* Vereor, ut id, quod vult Miræus, ex epistola Alexandri ad *Petrum Archiepiscopum Dioclensis atque Antibarensis Ecclesiæ* an. 1062. effici cogique possit. Potestatem quidem Pallii gestandi, & Crucis præferendæ Alexander Petro Archiepiscopo concessit, seu potius confirmavit; sed utraque hæc potestas communis est omnibus Archiepiscopis, & quædam sunt veluti insignia dignitatis metropoliticæ; & id satis argumenti esse non potest, Archiepiscopum Antibarensem ab Alexandro II. jus ac titulum Primatis Serbliani accepisse. Quamvis autem ante sæculum duodecimum jus Crucis anteferendæ nemo fere usurparet, quin esset vel Legatus Pontificius, vel Patriarcha, vel Exarchus, vel Primas, superiori tamen sæculo undecimo id privilegii paucis quidem Metropolitis concessum fuisse docet Ludovicus Thomassinus, idque uno aut altero exemplo confirmat, ac præsertim ipsius Petri Metropolitæ Antibarensis, cui Alexander II., ut ipse ait, potestatem fecit Crucis ante se gestandæ: *Ex hac illud elucescit epistola* (Callisti II. Primatum Archiepiscopo Viennensi conferentis), *nedum omnibus omnino Metropolitanis indultum promiscue fuisse jus anteferendæ Crucis; cum hic specialibus rescriptis eo jure donetur. Jamdiu erat, quod Alexander II. id privilegii confirmaverat Archiepi-*

Digitized by Google

scopo Slavoniæ Dalmatiæque (idest Dioclensis ac Antibarensis Ecclesiæ): *Crux, inquit, etiam ante te, sicut ante prædecessores tuos per Dalmatiam & Slavoniam ubique geratur.* Part. I. Vet. & Nov. Discipl. lib. 2. cap. 59. n. 7. Non igitur, si Alexander singulari privilegio jus Crucis pro se gerendæ Petro Metropolitæ impertiit, licet nondum vulgari, & communæ Metropolitis esse cœperat, idcirco eidem potestatem dignitatemque Primatus Ecclesiastici contulit; nam hoc privilegium aliquibus etiam, sed paucis Metropolitis, quamvis Primates non essent, sæculo undecimo *speciali rescripto*, ut docet Thomassinus, conferri solebat. Præterea utroque privilegio & Pallii & Crucis gaudebant, qui ante Petrum fuerunt Antibarenses Metropolitæ, ut est in epistola Alexandri II. ad Petrum; *Pallium autem Fraternitati tuæ ex more ad Missarum solemnia celebranda, sicut antecessoribus tuis est concessum, concessimus . . . . Crux etiam ante te, sicut ante prædecessores tuos, per Dalmatiam & Slavoniam ubique geratur.* Itaque, si ex concessione Pallii & Crucis argui liceret Primatus Ecclesiæ Antibarensis, non Alexander, sed superiores ante eum Romani Pontifices, qui Metropolitis Dioclensibus & Antibarensibus Crucem ac Pallium contulerant, auctores habendi essent, atque institutores Primatus Antibarensis: non est autem verisimile, Metropolim Antibarensem, seu Dioclensem simul institutam, & restitutam fuisse, & Primatum eidem concessum esse; nam Ecclesiæ Episcopales non omnes statim hujusmodi honores hierarchicos, sed gradatim adeptæ sunt. Equidem nullam satis certam epocham invenio, ex qua repeti oporteat initia Primatus Ecclesiastici regni Serbliæ, qui annexus est Metropoli Antibarensi. Quare inter cetera vetustate incomperta hoc quoque in incerto relinquamus licet. Sæculo duodecimo nondum Ecclesia Antibarensis Primatum Serblianum adepta erat, ut videtur intelligi posse ex epistola Gregorii Archiepiscopi Antibarensis ad Raynerium Metropolitam & Primatem Spalatensem, quam suo loco proferemus.

in Serbliam Mœsiacam.

Nunc explicandum est, quatenus Primatus Serbliæ Metropoli Antibarensi affixus extenditur, quasve regiones complectitur. Duplex est Serblia, altera Dalmatica, altera Mœsiaca. Utraque nomen accepit a Serblis, quibus inde usque ab septemtrione profectis Heraclius Imperator utramque habitandam dedit. Dalmaticam quadripartito divisam Arentani, Zachlumitæ, Tribuniatæ cum Canalitis, Diocletani possidebant, ut docet Constantinus Porphyrogenitus. Hæc a Tiluro, sive Zentina fluvio ad Drilonem protenditur. Pars postrema Serbliæ Dalmaticæ, quam Diocletani incolebant, ad Metropolim quidem, non ad Primatum Archiepiscopi Antibarensis pertinebat. Alteram Serbliæ partem Mœsiacam propterea dixi, quia iisdem fere, quibus ante adventum Serblorum Mœsia Superior, terminis erat circumscripta; & ex hac constabat Primatus ecclesiasticus Serbliæ Metropoli Antibarensi adnexus, unde potissimum Archiepiscopus Antibarensis Serblianum Primatum accepit. Lazarus Vladagnus supra laudatus sibi, ut *Primati Regni Serbliæ, Scupiensem sive Scuporum Archiepiscopatum* attribuit cum his civitatibus Episcopalibus regni Serbliani *Belgradensi, Prisrenensi, Nissensi*, &c. & reliquas fere omnes usque ad confinia Bulgariæ. Scupi, quam nunc Scopiam, sive Uscopiam vocant, civitas erat Mœsiæ Superioris sub ipsis radicibus montis Orbelli finitima Macedoniæ, quæ pars Mœsiæ Superioris ad meridiem dicta est Dardania, eratque civitas Scuporum, sive Scopia metropolis ecclesiastica Provinciæ Dardaniæ. Concilio Sardicensi *Paregorius a Dardania de Scupis*, Epistolæ Synodicæ Provinciæ Dardaniæ ad Leonem Imp. *Ursicinus Episcopus Scupensis*, Epistolæ Episcoporum Dardaniæ ad Gelasium Papam *Joannes sacrosanctæ Ecclesiæ Scopinæ Metropolitanæ civitatis* subscripsere. Dubitari ergo nequit, quin hæc civitas olim fuerit Archiepiscopalis, & Metropolis ecclesiastica Dardaniæ, quam Ptolemæus & alii intra fines Mœsiæ Superioris includunt. Post adventum Slavorum, cum Mœsia Superior, & ejus pars Dardania nomen a Serblis & imperium accepit; utrum Scopia jus semper titulumque metropoliticum in ea, quæ deinceps consecuta est, rerum conversione, motuque temporum retinuerit, mihi non est compertum. Sed jam inde a sæculo decimo tertio in Tabulis Consistorialibus Ecclesia Scopiensis inter illas adnumerari solet, quæ sunt *in partibus Infidelium*, & cui eadem confertur, is non Archiepiscopus, nec Metropolita, sed simplex Episcopus nominatur. In iisdem Tabulis ad annum 1316. Episcopatus Scopiensis dicitur *immediate subjectus Ecclesiæ Romanæ*. Ceterum in Catalogis recentioribus Ecclesiarum *Scopia, sive Uscopia* inter Metropoles ecclesiasticas adhuc locum tenet, sed nullos habet, in quos dominetur, Episcopos. Martinus Szentivanius *in Catalogo Episcopatuum Extravagantium sub Corona Hungariæ* ait, titulum Episcopalem Ecclesiæ Scopiensis cum Archiepiscopali commutatum fuisse, quem scilicet jamdudum amissum recuperaverit: *Ecclesia Scopiensis in Scopia urbe Serviæ olim erat Sedes Episcopalis*, (postquam videlicet ex ordine Archiepiscopalium descenderat); *sed postea evecta est in Metropolitanam sub invocatione S. Annæ, cujus tamen titulus nunc confertur a regibus Hungariæ, tamquam Serviæ regibus.* Ergo Archiepiscopus Antibarensis jure Primatus Serbliani obtinet tum Scopiam, quæ olim certe Metropolis ecclesiastica fuit, nunc vero, si non jurisdictione, titulo tamen Archiepiscopali gaudet, tum reliquas Ecclesias Serbliæ mediterraneæ, quæ præter Mœsiam Superiorem hujus particulam Dardaniam, nunc Rasciam, & partem occidentalem Daciæ Aureliani complectitur. Illi igitur, tamquam Primati, subsunt Scopiensis, Belgradensis, Semandriensis, Nissensis, Prisrenen-

Digitized by Google

nensis, & siquæ aliæ in hac regione sunt Ecclesiæ, quæ omnes ad Primatum ecclesiasticum regni Serbliæ pertinent, non vero ad Provinciam, sive ad potestatem metropoliticam Archiepiscopi Antibarensis, cui Baudrandus, Coronellus, & alii in suis Catalogis Belgradensem, Semandriensem, Prisrenensem Ecclesias falso attribuunt. Hic lubet adnectere, quæ de Mœsia Superiore, seu Serbliæ Mediterraneæ parte scripsit ad Sacr. Congreg. Andreas Bogdanus Archiepiscopus Scopiensis IV. Id. Augusti an. 1659. In ea novem urbes & loca, parœciarum nomine, enumerat, Scopiensem, Prisrenensem, Montisnigri, Hassiensem, Jacoviensem, Montisnovi, Cratoviensem, Jagneviensem, & Trepejensem, tum duo sacerdotia Precopiense, ac Neobassarense. Vastissimo vero Serbliæ regno a Turcis occupato, cum pauci admodum supersint Catholici iis in locis, quæ satis esse nequeunt Episcopali curæ detinendæ, eorumdem administrationem Archiepiscopo Antibarensi traditam semper fuisse narrat. Mox ab Episcopis Prisrenensibus, qui cum Antibarensi convenire haud ferebant, adeo acerbæ, obstinatæque lites in illum commotæ sunt cum ingenti incolarum detrimento, ut idem Bogdanus, Achridensi Ecclesia cum Scopiensi commutata, III. Non. Februarii an. 1656. jussus fuerit a Pontifice Ecclesiarum, quæ suo Antistite in Serblia carebant, gubernationem pro Antibarensi suscipere. Hæc ille.

Archiepiscopi Antibarenses recenseantur.

A sæculo nono, vel superiore, cum multi fuerint Episcopi Antibarenses, antequam hæc Ecclesia jus titulumque metropoliticum adipisceretur, nullius tamen nomen literis proditum invenitur; ac ne primus quidem ille notus est, qui post conditam, seu potius post restitutam Antibari Metropolim Diocletanam huic Ecclesiæ præfuit; nec vero idem esse potest ac Petrus, ad quem Alexander II. cum Pallio literas misit anno 1062. quid enim caussæ esse potest, cur post Archiepiscopatum anno circ. 1034. susceptum tamdiu transmissio Pallii dilata fuerit? Primus igitur Archiepiscopus, cujus nomen nobis innotuit, est Petrus, a quo series Antistitum & Archiepiscoporum Antibarensium ordienda est, cum altius repeti nequeat.

I. Petrus an. circ. 1060.
Interregnum Archiepisc. per annos fere 80.
II. Gregorius an. circ. 1172.
III. Joannes an. circ. 1190.
IV. Joannes II. an. 1248.
V. Guffridus an. 1253.
VI. Laurentius an. 1255.
VII. Gaspar an. circ. 1270.
VIII. T. an. 1280.
IX. Michael an. 1283.
X. Martinus, sive Marinus an. 1301.
XI. Andreas an. 1307.
XII. Guillelmus an. 1324.
XIII. Joannes III. an. 1341.
XIV. Dominicus an. 1349.
XV. Stephanus an. 1361.
XVI. Joannes IV. an. 1363.
XVII. Joannes V. an. 1373.
XVIII. Antonius ante an. 1383.
XIX. Raymundus an. 1391.
XX. Ludovicus an. 1395.
XXI. Marinus II. an. 1396.
XXII. Joannes VI. an. 1420.
XXIII. Petrus II. an. 1423.
XXIV. Andreas II. an. 1448.
XXV. Laurentius II. an. circ. 1458.
XXVI. Marcus an. 1460.
XXVII. Simon an. 1462.
XXVIII. Stephanus II. an. 1475.
XXIX. Philippus an. 1485.
XXX. Hieronymus an. 1509.
XXXI. Laurentius III. an. 1517.
XXXII. Joannes VII. an. circ. 1525.
XXXIII. Ludovicus II. an. 1528.
XXXIV. Joannes VIII. an. 1551.
XXXV. Ambrosius an. 1579.
XXXVI. Thomas an. 1599.
XXXVII. Marinus III. an. 1608.
XXXVIII. Petrus III. an. 1624.
XXXIX. Georgius an. 1635.
XL. Franciscus an. 1644.
XLI. Joseph Maria an. 1646.
XLII. Marcus II. an. 1654.
XLIII. Andreas III. an. 1671.
XLIV. Marcus III. an. 1696.
XLV. Vincentius an. 1701.
XLVI. Ægidius an. 1719.
XLVII. Matthæus an. incerto.
XLVIII. Marcus IV. an. 1746.
XLIX. Lazarus an. 1749.
L. Georgius II. an. 1786.
LI. Georgius III. an. 1787.
LII. Franciscus II. an. 1791.

PETRUS ARCHIEP. ANTIBARENSIS I.

Petrus Archiep. Antibar. an. 1060.

ANno circ. 1060. ad hanc Metropolim regendam accessit, & biennio post ab Alexandro II. epistolam cum Pallio accepit. Pontifex igitur in suis ad Petrum literis Ecclesias nominatim percenset ei subjectas, quarum curam suscipere debet, auctoritatem metropoliticam Ecclesiæ Antibarensi antea collatam confirmat, Pallium eidem, itemque potestatem Crucis præferendæ concedit, docet quas ab eo virtutes Pallium requirit, quibus a vitiis cavere jubeat, usumque Pallii certis quibusdam diebus, & functionibus solemnibus definit.

ad quem epistola Alexandri II.

Alexander Servus servorum Dei Petro Venerabili Archiepiscopo Dioclensi atque Antibarensis Ecclesiæ salutem perpetuam in Domino.

Si Pastores ovium sole gelaque pro gregis sui custodia die ac nocte intenti sunt, & ne quid ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus deficiat, oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore, quantaque cura debemus esse pervigiles nos, qui Pastores animarum esse dicimur? Attendentes igitur, ut susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne

in die divini examinis pro desidia nostra ante summum Pastorem negligentiæ nos reatus excruciet, unde modo honoris reverentia inter cæteros sublimiores judicamur. Igitur, dilectissime Frater, petitionibus tuis justis annuentes Apostolica auctoritate decernimus, ut per hujus privilegii nostri paginam sic sanctissimam Dio-
1 *cliensem (1) Ecclesiam cum omnibus suis per-*
2 *tinentiis, Antibarensem (2) Ecclesiam cum*
3 *omnibus suis (3) pertinentiis, Ejaterensem (4)*
4 *Ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis, Pa-*
5 *lachiensem (5) Ecclesiam cum omnibus suis per-*
6 *tinentiis, Svatinensem (6) Ecclesiam cum omni-*
7 *bus suis pertinentiis, Scodriensem (7) Eccle-*
siam cum omnibus suis pertinentiis, Dinna-
8 *stinensem (8) Ecclesiam cum omnibus suis per-*
9 *tinentiis, Polatinensem (9) Ecclesiam cum omni-*
10 *bus suis pertinentiis, Serbiensem (10) Eccle-*
siam cum omnibus suis pertinentiis, Bolonien-
11 *sem (11) Ecclesiam cum omnibus suis perti-*
12 *nentiis, Tibuniensem (12) Ecclesiam cum omni-*
bus suis pertinentiis, monasteria quoque tam Latinorum, quam Græcorum sive Slavorum cu-
13 *res, ut scias & hæc omnia unam (13) Ec-*
clesiam esse, teque omnibus prædictis locis Episcopali regimine præesse. Pallium autem Fraternitati tuæ ex more ad Missarum solemnia
14 *celebranda, sicut (14) Antecessoribus tuis concessum est, concessimus, videlicet in Natali Domini, Epiphania, Cœna Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, sic Natali S. Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, & quatuor Festivitatibus S. Mariæ, scilicet Nativitate, Annuntiatione, Purificatione, As-*
15 *sumptione, & duobus Festis S. (15) Angeli,*
16 *sic pro Natalitiis quoque duodecim (16) Apo-*
17 *stolorum, natali S. (17) Georgii, & Sancto-*
18 *rum Sergii (18) & Bacchi, & festivitate*
19 *omnium Sanctorum, atque natali (19) tuo, & quoties ordinationem, vel consecrationem Ecclesiarum celebramus. Hortamur itaque charitatem tuam, ut omnes vitæ tuæ tanto honori conveniant [illegible] auctore Deo, exemplis ver-[illegible]sis esse conspicuus. Vita igitur tua filiis tuis sit regula, ut, siquæ fortitudo in illis deprehenditur, in ea dirigatur. Cor ergo tuum neque prospera, quæ corporaliter hic blandiuntur, extollant, neque adversa deficiant, sed, quidquid illud fuerit, virtutis puritate devincat. Nullum apud te locum ira, odium, nullum furor indiscretus inveniat. Sacræ benedictionis, justique judicii opus nulla venalitatis interventio commaculet. Sit in te & boni pastoris dulcedo, sit & judicis severa districtio, unum scilicet, quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos a pravitate compescat. Misericordem te, prout ... patiatur, pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subveniat, opprimentibusque modesta ratio contradicat. Nullius faciem contra justitiam accipias. Nullum quærentem jura despicias; custodia in te æquitatis excellat, ut nec dives potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis audere, nec pauperum de se sua faciat humilitas desperare, quatenus, Deo miserante, talis possis existere, qualem sacra le-*
ctio præcipit dicens, Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. *Sed his omnibus uti salubriter poteris, si Ibaritanam magistram habueris, quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Hæc, Frater charissime, inter multa alia ista vestis Sacerdotii, ista sunt Pallii ornamenta, quæ si studiose observaveris, quod foris accepisse cognoveris, intus habebis. Crux etiam ante te, [illegible]me prædecessores tuos, per Dalmatiam (20), &* 20
Slavoniam ubique geratur. Archiepiscopatum quoque Ecclesiæ tuæ juxta formam sanctorum prædecessorum tuorum, a quorum auctoritate non debes aberrare, concedimus & confirmamus. Sancta Trinitas gratia suæ protectionis Fraternitatem tuam circumdet, atque in timoris sui vos viam dirigat, ut post hujus vitæ amaritudinem ad æternam possis dulcedinem pervenire. Bene valete.

Subjacet his, ut est apud Baronium, *sigillum, nempe circulus quadrifidus in formam Crucis cum nomine Alexandri II. circumcirca hujusmodi habens inscriptionem*, EXALTAVIT ME DEVS IN VIRTVTE BRACHII SVI. Post sigillum ista subjicitur subscriptio & nota temporis: *Pontificatus Domini Alexandri Papæ* (21) *II. Indictione XII. Datum* 21
Romæ XV. Kalen. Aprilis. Ac inferius subditur: *Manus Petri Cancellarii vicedomini Annonis Coloniensis Archiepiscopi, anno sexto. Porro*, adnotat idem Baronius, *corrigendus est error in notam Indictionis illapsus, ut non duodecima, sed decimaquinta sit ponenda. Sed & annus item primus Alexandri Papæ ponendus esset, dum data ponitur decimoquinto Kalendas Aprilis, siquidem annus secundus incipit ab ipsis Kalendis Octobris, nisi ex his magis affirmare libuerit, datum anno sequenti.* quæ cum Papebrochii & Pagii sententia conveniunt.

NOTÆ.

1 Vel hinc intelligi licet in locum Diocletanæ Antibarensem Ecclesiam substitutam fuisse, & jus metropoliticum Dioclææ non alio, nisi Antibarim translatum fuisse. Itaque Ecclesia Archiepiscopalis Diocletana anno centesimo, quam civitas ab Simeone Rege Bulgarorum eversa fuerat, longo sane intervallo Antibari restituta est, & extincta cum esset, revixit. Cum enim civitates illæ Superioris Dalmatiæ, quarum Episcopi Spalatum ad Concilium Provinciale profecti naufragio interierant, proprium sibi, & Spalatensis Archiepiscopi jurisdictione exemptum Metropolitam ab Sede Apostolica postulassent, Romani Pontifices censuere, nihil opus esse novam Metropolim condere, sed satius esse veterem Diocletanam restituere, quam numerum antiquarum Metropoleon augere. Illam itaque Sedem metropoliticam cum omnibus suis privilegiis & jurisdictionibus Antibarim in urbem illarum gentium facile principem transtulerunt. Sicut ergo Spalatum Salonitanæ, sic Antibaris Diocletanæ Metropoli

suc-

Digitized by Google

successit; & in antiquis monumentis, atque in literis pontificiis, quemadmodum Spalatensis Salonitanum, sic Antibarensis Dioclenatum titulum retinuit, & utraque Ecclesia utroque nomine veteri & recentiori appellari solebat; quin imo interdum Pontifices Romani, novo prætermisso, cum ad eos Archiepiscopos scriberent, veteri titulo utebantur.

2 In recensendis Ecclesiis Episcopalibus unius provinciæ non solum illæ, quæ *Suffraganeæ* dicuntur, sed etiam ipsa Metropolis, & quidem primo loco nominari solebat. Nam hæc etiam, ut illæ, suis ac certis finibus circumscripta erat, intra quos jus diœcesanum exercebat, & continebat Metropolita, qui & Episcopus suæ civitatis ac diœcesis, & Archiepiscopus idem totius provinciæ dicebatur. Clemens III. in suis ad Petrum VIII. Archiepiscopum Spalatensem litteris primum Metropolim, ejusque parœcias nominavit & descripsit, deinde Ecclesias provinciales ei subjectas enumeravit. Synodus provincialis Spalatensis, quæ habita fuit anno 1185. cæteris omnibus ipsam Metropolim præposuit cum suis parœciis, in quibus jure diœcesano dominabatur: *Archiep. Spalaten. habeat Parochias Clissam, Scale* &c. Cæterum Dioclenata, quæ priori loco nominatur, & Antibarensis una eademque erat Ecclesia Metropolitana.

3 Idest cum omnibus parœciis & monasteriis, quæ ad jus diœcesanum tum Dioclenani, tum Antibarensis Metropolitæ, antequam is Archiepiscopali dignitate augeretur, pertinebant.

4 Idest *Catharensis*. Catharum, olim Ascrivium, civitas est in recessu intimo sinus Rhizonici, arduo & prærupto, sed declivi ad meridiem loco imposita. Hæc Ecclesia sæculo proximo duodecimo ex decreto Alexandri III. in jus ditionemque Archiepiscopi Bariensis migravit, cui etiamnum subest.

5 *Palachiensis* sive civitas, sive Ecclesia neque in ullis Catalogis Ecclesiarum Episcopalium, neque in Dalmatia Superiori, & finitimis regionibus reperitur. Abest a ceteris omnibus Catalogis Ecclesiarum Provinciæ Antibarensis. Siqua fuit, nulla extant vestigia, e quibus ejus positio dignosci possit. Vereor, ne per errorem irrepserit; in ejus locum Dulchinensem Ecclesiam substituendam censeo. Hæc inter Ecclesias Episcopales, quas Alexander Provinciæ Antibarensi attribuit, nullum habet locum; cum tamen ex ipso Archidiacono constet, unam de illis fuisse, cujus Episcopus naufragio interiit, & quæ Spalatensi adempta, Antibarensi Metropolitæ subjecta fuit. Hanc urbem a Colchis conditam ferunt; & primum Colchinium, deinde Olchinium sive Olciniúm & Ulcinum, postea Dulchinium sive Dulcinium appellata est; nunc vocant *Dulcignum*. Millia passuum circiter duodecim Antibari in ortum distat, & mari adjacet prealtæ rupi, abscissæque incumbens. Ceterum Ecclesia Olchiniensis idcirco fortassis in literis Alexandrinis prætermissa fuit, quia tunc carebat Episcopo, ejusque administratio commissa erat alicui de finitimis Episcopis. Sub vocabulo autem *Palachiensis* intelligi potest Ecclesia Baleacensis, quam Tabulæ consistoriales, & Catalogi Ecclesiarum *in Sclavonia sub Archiepiscopo Antibarensi* constituunt. Sed vereor, ne Baleacensis recentior sit, quam ut referri possit ad tempora epistolæ Alexandrinæ; nondum autem potui reperire, ubi sita fuerit Palachiensis sive Baleacensis Ecclesia.

6 Svacia civitas erat Episcopalis; ab Antibari fere viginti in ortum, a mari circiter quindecim milliaribus in septemtrionem abest.

7 Scodra, nunc Scutari, civitas olim primaria Illyrici, eademque sedes regum Illyriorum, antea oppidum & colonia civium Romanorum. Sita est prope ab ostio Labeatidis Paludis, ex qua Barbana, nunc Bojana, fluvius emittitur, cujus ripam orientalem insidet.

8 Drivastum civitas antiquis Geographis sub hoc vocabulo ignota, quam Chiris, sive Drinassus amnis interfluit, quem Livius Clausulam, Plinius Drincem vocat, millibus passuum septem vel octo ab Scodra in septemtrionem recedit.

9 Pulatum exigui nominis & circuitus oppidum, altissimis montibus undique circumdatum, milliaribus fere triginta ab Drivasto sejunctum; ab eo populi Pulates, quibus finitimi sunt a septemtrione populi, quos *Clementes* appellant.

10 Serbia, sive Servia, quod Sorbium alii vocant, longe abest a Dalmatia, quam Cantacuzenus prope a finibus Bottiæ, & Thessaliæ collocavit. lib. 4. cap. 19. *Urbs non parva ad confinia Bottiæe & Thessaliæ jacet; ædificata est supra montis ardua & prominentia; statimque a principio semetipsa altior, sicut est, accedenti apparet. In ipso autem jugo montis desinit triplici muro distincta, & intersepta, ut putes tria esse oppida, aliud post aliud.* Hanc urbem a Serblis, cum primum in hæc loca venissent, conditam ferunt, & communi gentis vocabulo appellatam; de quorum primo adventu Carolus Dufresnius §. 2. de Regibus Serviæ ex Constantino Porphyrogenito cap. 32. de Admin. Imp. hæc tradit. *Cum duobus fratribus obtigisset Serviorum Principatus, alter sumpta populi parte dimidia ad Heraclium Imperatorem adiit, a quo benigne exceptus tractum eum, quem cum gente sua incoleret, in Thessalonicensi Themate, seu Provincia obtinuit, in qua Serviam urbem condidit. Aliquando vero post, mutato consilio, id ultra etiam concedente Imperatore, trajecto Danubio, in patriam rediere: rursumque pœnitentia ducti per Belgradi Præfectum ab Heraclio postularunt, aliam sibi assignari regionem; cumque ea, quæ nunc Servia dicitur, & Pagania, & quæ Zachlumorum vocatur, præterea Terbunia, & Canalitarum regio* (adde provinciam Dioclenanam), *quæ Romanæ ditionis erant, propter Avarum excursiones deterræ, expulsis inde veteribus incolis ...*

has

bus facile ab Imperatore impetrarunt. Quamvis autem civitas Servia a Dalmatia Superiori, in qua Diuclea & Antibaris, longo terrarum intervallo abesset, hanc tamen Serbli Metropolitæ suo Diocletano, postea Antibarensi subjectam esse voluerunt, propterea quod & prima esset civitas, quam ipsi patria profugi in alieno solo ædificarunt, & commune gentis nomen ab illis impositum retineret. Verisimile autem est, a Serblis post illorum in regiones Imperii orientalis ingressum, hujus civitatis, quam ipsi condiderant, dominatum retentum fuisse, licet a Dalmatia Superiori, quam Serbli concessu Heraclii possidebant, longissime distaret. Sane sæculo nono in Synodo Delmitana Sorbium, idest Servia, Metropolitæ Diocletano attributa fuit, & post excidium Dioclææ in jus potestatemque transivit Metropolitæ Antibarensis, ut docet epistola Alexandrina. Sæculo duodecimo exeunte, adhuc eidem Antibarensi Archiepiscopo suberat; nam Actis Synodi provincialis sub Joanne Diocliensi & Antibarensi Metropolitæ interfuit & subscripsit *Theodorus Servatiensis Episcopus*, idest *Serviensis*. Sed sub initium sæculi proximi jus titulumque metropoliticum adepta est. Cum enim Raicus filius Simeonis regis Serblorum, qui, postquam habitum monasticum cum nomine Sabæ sumpsit, vitam omnibus sanctimoniæ notis insignem exegerat, factus esset Episcopus Serviensis, ob excellentes virtutes cum nobilitate regia conjunctas tum sibi, tum Ecclesiæ suæ Archiepiscopalem dignitatem promeruit. Exinde in Catalogis episcopalibus Servia inter Ecclesias Provinciæ Antibarensis numerari desiit.

11 Quæ in literis Alexandri *Bolloniensis*, apud Presbyterum Diocleatem *Bosoniensis* nominatur, idest Bosnensis. Constantinus Porphyrogenitus Bosnam sive Bosinam appellavit Bosonam. Hæc Ecclesia ab suo exordio pertinebat ad Metropolitam Spalatensem; sed sæculo nono ex decreto Synodi Delmitanæ in ditionem ac potestatem Archiepiscopi Diocletani migravit, undecimo ex literis Alexandri II. ad Metropolim Antibarensem accessit, quæ in locum Diocletanæ substituta fuerat, duodecimo ad Ragusinam transivit, deinde ad Spalatensem rediit. Post initium sæculi decimi tertii Archiepiscopus Colocensis eam sibi vindicavit, quam tamen Spalatensis in catalogo suarum Ecclesiarum provincialium retinuit.

12 *Tibuniensis*, idest Tribuniensis. Tribunia civitas erat primaria Tribunitarum, quos Constantinus Porphyrogenitus cum Canalitis in eamdem regionem conjecit, eratque una de quatuor Zupaniis, quas Serbli in Dalmatia superiori obtinebant. Hæc in concilio Delmitano attributa fuerat Metropoli Diocletanæ; sed eamdem Benedictus VIII. anno 1023. Ragusino, Alexander II. an. 1062. Antibarensi Archiepiscopo subesse voluit; & Callistus anno 1121. Antibarensi ademptam Metropolitæ Ragusino restituit, cui etiamnum paret.

13 Unam scilicet provinciam ecclesiasticam ex Ecclesiis & Monasteriis Græcis Latinisque conflatam.

14 *Antecessoribus tuis* primum Diocletanis, deinde Antibarensibus Metropolitis.

15 Duplex dies festus ad cultum honoremque S. Michaelis Archangeli celebrari solet sub titulo alterum *Apparitionis*, alterum *Dedicationis*.

16 In antiquis Martyrologiis ad diem decimam quintam Julii adscripta erat *Divisio XII. Apostolorum*, cujus quidem commemoratio in plerisque Ecclesiis solemni ritu & officio colebatur, & eo die omnibus simul Apostolis anniversarius honor haberi solebat.

17 Fortasse S. Georgii Megalomartyris, cujus magnum erat ac celebre nomen, & par erga illum communis religio tum ubique, tum præsertim in Oriente apud Græcos & Latinos. Hujus deinde titulo & auspiciis consecrata fuit ædes cathedralis Antibarensis.

18 Jam inde ab antiquis temporibus horum Martyrum cultus apud eas gentes vel maxime florebat, quibus sæculo decimo tertio Helena regina Serbliæ cum filiis Uroscio & Stephano templum ac cœnobium in diœcesi Scodrensi ad ripam sinistram Barbanæ, seu Bojanæ fluminis sumptu magnifico exstruxit.

19 Idest die anniversario susceptæ a Petro consecrationis Episcopalis, qui dies *Natalis* Episcoporum vocari solitus fuit.

20 Cum Dalmatia Slavorum esset referta, in antiquis illorum temporum monumentis Slavoniæ vocabulo appellatam sæpissime invenies. Hanc Alexander etiam Dalmatiam appellat propter Dalmatas ritus Latini, quibuscum Slavi permixti hanc regionem incolebant.

21 De hac nota II. diximus, quæ sit Baronii opinio; verum aut mendum irrepsit, & ita scribendum I., ut primus Alexandrini Pontificatus annus intelligatur, aut potius Alexander hoc nomine II. inter Romanos Pontifices distinguitur.

Benedictus VIII. paucis annis ante Diocletanam metropoliticam sedem Antibari constitutam in suis ad Vitalem Archiepiscopum Ragusinum literis hujus Metropoli non solum Catharum, & Dulchinium, sed etiam Antibarim subjecit; quæ quidem Ecclesiæ haud multis post annis ex decreto vel Joannis XX. vel Benedicti IX. in jus potestatemque Antibarensis Metropolitæ transierunt, earumque possessionem Alexander II. Petro Metropolitæ non tam concessit, quam confirmavit. Hinc multæ & graves contentiones exortæ inter Ragusinum & Antibarensem Archiepiscopos. Ragusinus siquidem non has solum Ecclesias, quas sibi ademptas esse querebatur, sed etiam jus ac titulum metropoliticum Ecclesiæ Diocletanæ simul cum Ecclesiis eidem subjectis sibi vindicabat; propterea quod Joannes postremus Diocliensis

Controversia Antibarensis Archiepiscopi cum Ragusino,

Ar-

Archiepiscopus, cum post Diocleam a Bulgaris eversam Ragusium profugisset, defunctoque hujus urbis Antistiti suffectus fuisset, Archiepiscopalem dignitatem Diocletanam cum potestate in Ecclesias eidem subjectas Ragusium transtulisse, & cum Metropoli Ragusina conjunxisse videbatur. Itaque Ragusinus tum de titulo ac jurisdictione Metropolis Diocletanæ, quam Antibarensi eripere, atque ad se transferre conabatur, tum de illis Ecclesiis, quæ suberant Metropolitæ Diocletano, quas suas esse dicebat, sibique vindicabat, cum Antibarensi contendebat. Tunc præsidebat Metropoli Ragusinæ Petrus, non is quidem, qui antea, cum esset Archiepiscopus Antibari, postea ad Ecclesiam Ragusinam translatus fuerit, ut censet Sebastianus Dolci, sed alter ejusdem nominis, qui anno 1077. vel 1076. Vitali II. in Sedem Ragusiensem successerat: alterum ab altero distingui oportere ostendimus in Historia Eccl. Ragus. Et per idem tempus altera eidem Petro erat controversia cum Laurentio Spalatensi Metropolita. Hic enim, cum ægerrime ferret Ecclesiam Ragusinam a Provincia Spalatensi disjunctam, eam ut ad suam metropoliticam jurisdictionem revocaret, omni ope operaque enitebatur; id quod etiam conati fuerant Archiepiscopi Spalatenses superiorum ætatum. Quare vehementer obsistebat, ne Petrus Ragusinus Antistes Pallium a Romano Pontifice impetraret. Utraque controversia delata fuit ad Sedem Apostolicam. Ea tempestate regnum in Serblis obtinebat Michael filius Dobroslavi, quem Presbyter Diocleates *Michalam*, alii *Michegliam*, Scylitzes *Michaelam* vocant; Hic perpetuam cum Ragusinis amicitiam coluit, eisque gratificandi causa, cum per suos internuntios ab Gregorio VII. vexillum sibi & regalia ornamenta peteret, eumdem simul rogavit, ut Pallium ad Ragusinum Antistitem mitteret. Porro Ragusinus duo sibi a Pontifice concedi, vel confirmari volebat, dignitatem Archiepiscopalem a jurisdictione Metropolitæ Spalatensis exemptam cum traditione Pallii, deinde jus ac titulum Metropolis Diocletanæ ab Antibarensi Antistite usurpatum cum Ecclesiis ejusdem Diocletanæ provinciæ. Michael vero causam Ragusini Antistitis contra Spalatensem ita Pontifici commendaverat, ut de altera controversia, quæ illi erat cum Antibarensi, ne mentionem quidem fecerit; nolebat enim Ragusino patrocinari adversus Antibarensem, qui suus erat, & Serblorum Archiepiscopus, hujusque provincia fere tota e Serblianis Ecclesiis constabat. Ceterum Ragusinus postulata utriusque Archiepiscopi sibi adversantis præoccupaverat, seque ad conatus illorum eludendos pontificio diplomate armaverat. Extat epistola Gregorii VII. data XII. Kal. Junias an. IV. Pontificatus, idest 1076. ad Petrum Archiepiscopum Ragusinum. Huic Pontifex cum titulo Archiepiscopali Pallium concessit, & easdem Ecclesias fere omnes, quas antea Benedictus VIII. Vitali Ragusino, & postea Alexander II. Petro Antibarensi Archiepiscopo subjecerat. Verum hæc epistola in Historia Ragusina jam descripta fortassis occasionem præbuit tum antiquæ inter Spalatensem & Ragusinum, tum recentioris inter hunc & Antibarensem controversiæ instaurandæ. Non igitur Spalatensis & Antibarensis id postulare videbantur, ut, quæ Ragusinus petebat, Pontifex negaret, sed ut, quæ jam dederat, revocaret, & epistolam illam, se inscientibus, Gregorio rerum ignaro surreptam esse querebantur.

quæ ad Pontificem deferuntur;

Gregorius, his super rebus antequam quidquam decerneret, ut sua illum æquitas & prudentia monebat, Petro Presbytero Cardinali, quem Romanæ Ecclesiæ Legatum in Dalmatiam miserat, imperavit, ut de caussa trium illorum Antistitum accurate riteque cognosceret, videretque præterea, num expediret, regalia insignia Michaeli Serblorum regi concedi, & post diligentem inquisitionem adhibitam, quæ certo comperisset, ad se per suas literas referret. De legatione Dalmatica Petri Cardinalis vide quæ scripsimus in Laurentio Archiepiscopo Spalatensi in T. III. hujus Operis. Nondum Legatus Pontificius Romam redierat, cum Gregorius binas literas accepit, alteras a Michaele rege Serblorum, alteras ab ipso Petro Legato, utrasque de illis rebus, de quibus certior fieri volebat, ut duplicem illam controversiam, quæ Ragusino erat cum Spalatensi & Antibarensi Archiepiscopis, ex justitia & æquitate dirimeret, simulque deliberaret, an petitioni & voluntati Michaelis regios ornatus petentis obsequendum esset. Sed cum istæ literæ inter se discreparent, utraque, quod dubium erat, & controversum, reliquit incertum. Itaque Gregorius ad Michaelem rescribens jussit Romam venire tum Petrum Antibarensem, tum Petrum Ragusinum Antistites, a quibus primum certior fieri volebat de fide orthodoxa ipsius Regis; nam, si Græci schismatis contagione infectus esset, indignus fuisset, qui a Pontifice Romano insignibus regiis donaretur; deinde cognoscere volebat, quid auctoritatis Ragusinus & caussæ afferret, cur jus metropoliticum Ecclesiæ Ragusinæ, & Pallium ejus Episcopo attribui, vel jam traditum confirmari oporteret; ad caussam vero Ecclesiæ Spalatensis quod attinet, neque hujus dignitas metropolitica in dubium revocari poterat, & satis constabat, ei subjectam fuisse antiquitus Ecclesiam Ragusinam, de cujus possessione Spalatensem Metropolim sine contrariis & evidentibus rationibus depelli jura omnia vetabant; demum ab utroque Pontificem doceri necesse erat, quo jure titulum & Ecclesias Metropolis Diocletanæ Antibarensis quidem sibi adsciscceret, Ragusinus autem ab eo repeteret, ut hinc Gregorius æquo jure secundum alterutrum judicaret. Si vero neutri commodum erat Romam ire, suos uterque procuratores mitteret, per quos Pontifex de omnibus edoceretur, quæ cognitu necessaria erant, tum ut ea, quæ Rex postulabat, con-

& a Petro Cardinali discussa

ce-

tederet, tum ut, de quibus controversia erat inter tres illos Antistites, ferret pro veritate sententiam. *Quapropter*, inquit, *Petrum Antibarensem Episcopum atque Ragusanum*, ut est in epistola ad Michaelem, *sive alios idoneos nuncios ad nos mittere oportet, per quos de lite, quæ inter Spalatanum Archiepiscopum & Ragusanum, justitia possit inquiri, ac canonice definiri, tuique Regni honor a nobis recognosci*. De altera lite, quam Ragusinus de titulo & jurisdictione Metropolis Diocletanæ jamdudum agitari cœptam Antibarensi intenderat, nullam mentionem fecit, propterea quod de illa Michael in suis ad Gregorium literis nihil scripserat, quippe patrocinium Antistitis Ragusini contra Spalatensem eatenus susceperat, ut ejus caussæ adversus suum Archiepiscopum Antibarensem nollet patrocinari. Ceterum, si nulla fuisset Ragusino cum Antibarensi controversia, quid caussæ erat, cur juberet Gregorius, Antibarensem Romam venire, aut suos procuratores mittere? satis enim fuisset, si Ragusinus vel per se, vel per internuncios suam ageret caussam, suamque Metropolim ab oppugnatione Spalatensis Archiepiscopi defenderet; idemque unus Pontificem docere poterat, dignus ne, an indignus esset Michael vexillo, ceterisque regalibus insignibus. Illud vero, quod ait Sebastianus Dolci, unum fuisse eumdemque Petrum, quem Gregorius Antibarensem, atque *Ragusanum* Episcopum vocat, ab una ad alteram Metropolim translatum, nullo modo prorsus assentior; nam, si Petrus, relicta Antibarensi, ad Metropolim Ragusinam transiisset, huic transitioni consentaneum non erat, eidem illius, quem dimiserat, Episcopatus titulum attribui; nisi forte velis, ab eo Antibarensem cum Ragusina Ecclesiam retentam fuisse, & duabus Ecclesiis unum eumdemque, & eodem tempore Episcopum præfuisse; quod sacri Canones plenissime vetabant, quorum summa erat, vigebatque illis temporibus religiosissima observatio. Præterea idem Petrus aliquot annos post interitum Michaelis adhuc Metropolim Antibarensem regebat, si fides habenda est Presbytero Diocleati, qui Petrum, dum Bodinus rerum in Serblia potiebatur, nullo modo Ragusinum, tantummodo Antibarensem Archiepiscopum appellat.

incertum quem finem habuerint.

Ad literas Gregorii quid rescripserit Michael, an duo illi Episcopi, quemadmodum jussi fuerant, Romam adierint, vel suos procuratores miserint, an denique Gregorius Pallium Ragusino Antistiti traditum confirmaverit, vexillum Michaeli tradiderit, nulla sunt monumenta quæ doceant. Illud satis constat, Petrum Antibarensem jus ac titulum Ecclesiæ Diocliensis ab Alexandro II. eidem attributum, seu potius confirmatum retinuisse. De hac controversia, quæ Ragusino fuit cum Spalatensi & Antibarensi Metropolitis, satis multa scripsimus in Laurentio Spalatensi, & in Petro Ragusino Archiepiscopis, unde epistolam Gregorii ad Michaelem regem, quæ data fuit *Indictione prima*, idest anno 1078. hic tertio proferre libet.

Gregorii Pontificis epistola ad Michaelem Regem.

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei Michaeli Sclavorum Regi salutem & apostolicam benedictionem.

Cognoscat debita tuæ devotionis circa Sedem Apostolicam reverentia, Petrum apud vos dictum nostrum Legatum adhuc ad nostram non advenisse præsentiam, suas tamen misisse literas, quæ ita vestris dissonantes existunt, quod vestram causam, seu Ragusanæ Ecclesiæ penitus finire nequivimus. Quapropter Petrum Antibarensem Episcopum, atque Ragusanum, sive alios nuncios idoneos ad nos mittere oportet, per quos de lite, quæ inter Spalatanum Archiepiscopum, & Ragusanum, justitia possit inquiri ac canonice definiri, tuique regni honor a nobis cognosci. Tum vero, re cognita, tuæ petitioni juste satisfacere, secundum quod cupimus, valebimus; &, ut in dono vexilli, sic in concessione Pallii, quasi carissimum B. Petri filium, dictante rectitudine, audiemus. Datum Romæ v. Id. Januarii, Indict. prima. Idest sub initium anni 1708.

Post obitum Michaelis apud Serblos regnavit Radoslavus frater Michaelis; sed hujus filius vel nepos Bodinus, patruo per seditionem in eum conflatam expulso, regnum paternum vel avitum recepit anno circiter 1085. & filiis Radoslavi patruelibus suis, ut Zentam regionem adimeret, bellum intulit. Petrus Archiepiscopus Antibarensis suas partes esse duxit, auctoritatem suam operamque ad pacem inter consanguineos conciliandam interponere; itaque fecit; &, Clero populoque convocato, media se in castra intulit, & gravi lenique oratione ad eorum animos pacandos accommodata cum Bodino patrueles suos in concordiam & gratiam reduxit. *Post hæc*, ut scripsit Presbyter Diocleates, *Bodinus, accepto regno, intravit in Zentam, cæpit debellare consobrinos suos. Tunc Petrus Antibarensis Sedis Archiepiscopus bonæ memoriæ vir videns grande litigium atque discordiam esse inter fratres posuit se in medio una cum Clero & populo; locuti sunt eis, miseruntque pacem inter eos; juraveruntque sibi invicem Bodinus cum fratribus, ut pacifice & quiete viverent.*

Petrus Archiep. inter Bodinum regem Serblia & ejus patrueles pacem conciliat.

Post obitum Petri intra finem sæculi undecimi e vivis erepti series Episcopalis intercisa est; neque ullum habeo Archiepiscopum, quem nominatim proferre possim ante annum circiter septuagesimum sæculi proximi. Siquis fuit, ejus nomen ac memoriam delevit oblivio. Sed propius vero est, Interregnum Archiepiscopale annos fere octoginta tenuisse. Cujus quidem Interregni tam diuturni cum caussam quærerem, duas mihi reperisse videor; una referri potest ad illa turbulentissima tempora, cum Reges ac Dynastæ Serbliani, quorum imperio civitas & provincia Antibarensis suberat, tum inter se, tum vero cum Græcis acerrime pugnarent, ut Presbyter Diocleates, & Ragusini Græcique Scri-

Ejus obitus.

Interregnum Archiepiscopale,

Digitized by Google

Scriptores tradunt; & præterea plerique illorum, cum schismatica Græcorum contagione infecti essent, ut suspicari licet, infesti erant Episcopis Catholicis; ex quo factum est, ut eligi creariique desierint Archiepiscopi Antibarenses; quippe hæc civitas in iisdem, quorum omnia plena erant, bellorum ac seditionum tumultibus, periculis & temporibus etiam religioni Catholicæ iniquis versabatur; propterea que malefidam Archiepiscopis stationem, & rei Christianæ bene gerendæ inopportunam atque incommodam præbebat. Alteram ejusdem Interregni hanc fuisse caussam existimo, quod Ragusini Archiepiscopi assiduis querimoniis apud Sedem Apostolicam instare atque urgere non antea destiterint, quam impetrarent, ut sibi redderentur Ecclesiæ, quas ab Archiepiscopo Antibarensi suæ Metropoli ereptas fuisse querebantur; & ajebant præterea, Sedem Archiepiscopalem Antibari propter iniquitatem temporum nec tuto, nec pro dignitate consistere posse, & functiones pontificales in ea civitate peragendi libertatem prope nullam relinqui. His querelis & rationibus permotus primum Paschalis II. sæculo duodecimo, deinde Callistus itidem II. altero & vicesimo ejusdem sæculi anno Ecclesias fere omnes, quas Alexander II. Petro Antibarensi attribuerat, Gerardo Ragusino Archiepiscopo restituit; quo facto videtur Pontifex voluisse aut dissolvere, aut supprimere provinciam Antibarensem, vel certe hanc Sedem Archiepiscopalem Ragusium in urbem tutissimam, ab omnique extraneo dominatu liberam, tamquam in locum quietis & tranquillitatis plenissimum transferre, & conjungere cum Sede Archiepiscopali Ragusina. Ita ex duabus una est conflata provincia ecclesiastica, & Ragusino Metropolitæ tradita, qui eidem; & Ecclesiis utriusque provinciæ præsideret. Per eosdem annos Anastasius IV. an. 1153. Adrianus IV. an. 1154. & Alexander III. an. 1163. Metropoli Ragusinæ, nemine reclamante, confirmarunt possessionem Ecclesiarum Dalmatiæ Superioris, quæ ad Metropolim Antibarensem ex diplomate Alexandri II. supra descripto pertinebant; atque Paschalis, Callisti, horumque Pontificum literas in Gerardo, aliisque insequentibus Ragusinis Archiepiscopis jam protulimus. Nec vero, si per eos annos Ecclesia Antibarensis Archiepiscopo caruit, idcirco suum illi Præsulem defuisse putes, expertem illum quidem potestatis metropoliticæ, sed charactere Episcopali insignitum, qui, quamvis propter tempora illa difficillima, & publicæ quieti, Catholicæque religioni adversa atque infesta ab urbe plerumque abesse cogeretur, tamen absens Ecclesiæ suæ & Christiani gregis sibi commissi utilitati, salutique, quoquo modo poterat, prospicere & consulere non desinebat. Seraphinus Razzius tradit, Andream Archiepiscopum Ragusinum proximum Gerardi successorem consecratum fuisse ab Episcopis Antibarensi, Catharensi & Dulchiniensi. Hunc Episcopum Antibarensem, cujus nomen ignotum est, itemque Dulchinensem, quos postea idem Archiepiscopus Ragusinus anathemate perculerat, quod ejus imperium auctoritatemque abnuerent, Alexander III. vehementer increpuit, & dum in ea pertinacia persisterent, vetuit, Clericos utriusque diœcesis reverentiam illis & obedientiam præstare, ut constat ex ejus epistola inscripta *universis Clericis per Dulchinen. & Antibaren. Episcopatus constitutis* &c. *dat. Beneventi* an. 1167. IV. *Kal. Januarii*. Idem Pontifex per suas literas eodem loco, anno ac die jussit Episcopos *Pulaten. Svacien. Drivasten.* & *Tribunien.* se Archiepiscopo Ragusino subjectos & obedientes præbere, nisi velint a Legato Sedis Apostolicæ, quem ad illas regiones miserat, sacris omnibus interdici, & Episcopatu etiam privari. Utramque epistolam Alexandrinam habes in Tribunio Archiepiscopo Ragusino.

quo Ecclesiæ Provinciæ Antibarensis attributæ sunt Archiepiscopo Ragusino.

GREGORIUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS II.

E Chrisogona clara & nobili apud Jadertinos familia an. circ. 1172. quem alii *Gbegam* appellant, corrupto fortasse cognomine. Annus fere octogesimus intercesserat ab initio Interregni Archiepiscopalis, cum Gregorius electus Antistes Antibarensis cogitationem curamque suscepit Ecclesiæ suæ in pristinum dignitatis metropoliticæ gradum restituendæ. Ne suis consiliis & conatibus obstarent Ragusini, hujus rei perficiendæ opportunitatem cepit ex dissidiis & bellis, quæ tunc Ragusini gerebant cum Neemane Megajupano Serbliæ. Is filius erat Desæ, qui regnum Serbliæ Radoslavo III. ereptum moriens tribus filiis tripartitum reliquerat, Neemani natu maximo, a quo genus & nomen traxit gens & familia Neemania victoriis, rebusque gestis clarissima, ex qua deinceps orti sunt Reges Dynastæque Serbliæ atque Rasciæ, & duobus Neemanis fratribus Miroslavo & Constantino. Neemani veteres erant inimicitiæ cum Ragusinis, propterea quod Radoslavum & Joannem fratres, quos Desa expulerat, quique, regno amisso, Ragusium confugerant, sibi utrumque deposcenti tradere noluissent, & Ragusinis, quæcumque poterat damna, cum fratribus suis Miroslavo & Constantino inferebat. Cum regionem Canalium ferro & igni vastassent, prope jam erat, ut Ragusium obsiderent; sed Michael Bobolus, quem Orbinus Nicolaum vocat, ductor exercitus Ragusini Neemanem & fratres ex insidiis adortus in fugam avertit. Et aliquandiu quidem ab infestandis Ragusinis abstinuit; sed odium in eum conceptum numquam deposuit. Uladimirum alterum fratrem Radoslavi prælio victum & letali vulnere saucium fugavit, & Rasciam illi ereptam ad suum imperium adjunxit. Tunc Neemanes Megajupani, sive Archijupani titulum sumpsit, & Pristinæ, quæ civitas erat Serbliæ frequens, ac nobilis, sedem regni constituit. Nec vero interea

Gregorius Archiepisc. an. circ. 1172.

ex dissidiis Megajupani Serbliæ cum Ragusinis

Digitized by Google

rea Ragusinis occulte molestus esse desinebat, quos armis minisque deterritus Emanuelis Græcorum Imperatoris, cujus auxilium Ragusini imploraverant, palam lacessere non audebat. Nicephorus Episcopus Catharensis, qui Tribunii Metropolitæ Ragusini imperium detrectabat, ad Neemanem confugiens ab eo in suam fidem & clientelam receptus fuit; & hinc occasionem nactus Neemanes sui contra Ragusinos odii expromendi in eorum Archiepiscopum acerbitatis suæ virus evomuit; nam fere omnes Episcopos Provinciæ Ragusinæ, qui suberant imperio Serblorum, qua promissis illectos, qua minis perterritos ab jurisdictione Tribunii Antistitis abduxit. Ex his novam ecclesiasticam provinciam constituere volebat, cujus Metropolis esset oppidum & templum Rascianum S. Petri a Paullimito conditum prope Novibazarium, quæ civitas apud Ptolemæum dicta est *Arrhibantium*, interprete Philippo Ferrario. Ac pacem quidem facere cum Ragusinis simulavit vi & metu coactus Emanuelis Imperatoris; sed non multo post, anno videlicet 1177. ut est apud Orbinum de Regno Slav. pag. 246. Brenum oppidum & regionem fertilissimam cædendis arboribus & vineis, tectis comburendis, hominum ac pecudum prædis abigendis fœdum in modum vastavit; Miroslavus vero frater Neemanis sub idem fere tempus ingenti exercitu collecto Ragusium vehementissimo quidem, sed irrito conatu oppugnavit.

Dum vero Ragusinis res erat aleæ & periculi plena cum potentissimo & molestissimo Rege, qui cogitationes illorum animosque ab cura rerum ecclesiasticarum ad salutem ac defensionem patriæ avertebat, hinc sibi Gregorius occasionem oblatam esse censuit juris metropolitici sibi suæque Ecclesiæ recuperandi. Cum enim sollicitudine tuendæ libertatis urgerentur, metuque graviorum malorum, quæ Neemanes ejusque fratres in urbis perniciem ac Reipublicæ moliebantur, facile Gregorius sibi fore putabat, Ragusinis in tanto rerum suarum discrimine, tantaque perturbatione alio intentis distractisque, ab Sede Apostolica impetrare, quod summopere cupiebat. Dum in ejusmodi mente ac cogitatione versaretur, peropportune accidit, ut Raynerius Archiepiscopus Spalatensis duos e Collegio Canonicorum internuncios ad eum mitteret Magistrum Ferrum, & Magistrum Raynerium, qui cum eodem de negotiis agerent & commodis utrique Ecclesiæ communibus, ac simul a Gregorio professionem exigerent, ac reciperent, testem suæ fidei atque obedientiæ erga Spalatensem Ecclesiam, quam veluti matrem ac Primatem totius Dalmatiæ Superioris agnostere & colere debebat. Id Gregorius eo libentius præstitit, quod tunc maxime Raynerii opera, & gratiosa ejusdem apud Alexandrum III. commendatione indigebat ad Pallium metropolitanum impetrandum. Ergo internunciis redeuntibus suas ad Raynerium literas dedit plenas officii ac reverentiæ; caput autem literarum, Ecclesiam Salonitanam matrem antiquitus fuisse, ac dominam omnium Ecclesiarum Dalmatiæ, ejusque permissu in Antibarensem jus titulumque Diocletanæ Metropolis translatum esse, neque se recusare, quominus matrem suam iis, quæ filium decent, pietatis atque honoris officiis & revereatur & colat, sed matrem etiam illud decere, ut filii sui commodis ac dignitati consultum velit; ut Pallium sibi ab Alexandro Summo Pontifice obtineat, enixe & humiliter rogat; &, quemadmodum ipse pollicetur, se suosque successores fore semper in potestate Pontificis Spalatensis, ita æquum esse ab Raynerio impetrare, ut tam ipse, quam ejus successores Ecclesiæ Antibarensi præsidio sint & auxilio. Hanc epistolam ex Tomo III. Illyr. Sacr. actis Raynerianis insertam, & nonnihil ad ipsum autographum immutatam, cum notis eidem appositis huc revocare, atque iterum describere necesse esse arbitror: caret quidem nota chronologica, sed videtur referri posse ad annum 1178.

occasionem arripit sua jura metropolitica sibi recuperandi;

& per literas ad Raynerium Archiep. Spalat.

Venerabili patri & domino R. Dei gratia Sancte Salonitane ecclesie Archiepiscopo apostolice sedis legato G. Antibarens. minister licet immeritus salutem cum reverentia. Ex antiquis rescriptis & monumentis antecessorum meorum & diversis aliis conjeturis veritatem perpendens quod Salonitana (1) *ecclesia totius* 1
Dalmatie dominatum & primatum (2) *quondam obtinuit & quod deocletana* (3) *ecclesia* 2 3
cujus vices antibaren. ecclesia in se recte transtulit consilio. in Metropolim predicte Salonitane Ecclesie consensu. se ordinavit. reverentia suæ matricis servata. satis & satis mecum reputans tam gravissimum excessum (4) *potius* 4
cum honore fore sepetiendum quam quod ut ad consequentiam & exemplum traberetur. Ut illa nobilis ecclesia tam mundissimis monumentis decorata. diutius in tantum sua privaretur nobilitate. hinc inde quoque curiosus satis permansi. volens (5) *debitam decenter reverentiam domine* 5
mee firmiter exhibere. initium certum hoc agendi per me tamen non inveniens. (6) *tandem dominus trinus & verus qui pia gubernatione quemlibet amplectitur. fidelissimos nuncios vestros.* 6
mag. F. & R. qui super cuncta servitia vestra tractare procurant. mihi multa volventi dirigere destinavit. quorum avidis precibus sufretus, & quibus inclitam vestram voluptatem referentibus. (7) *jam ecclesiam vestram in* 7
Matrem & dominam recognoscere destinavi. ei debitum honorem & reverentiam cum domine speciali exhibere. Ita tamen (8) *quod mibi ad* 8
pallium ad vestrum servitium (9) *a curia romana inquirendum tanquam in negotio proprio* 9
*curiosius existatis. & quod consilium auxilium & * autorium huic ecclesie Antibarensi cum successoribus vestris. mibi & successoribus meis* * adjutorium.
perpetuo. vos & vestri successores (10) *impendatis. & quod dominus pp. hoc velit vobis* 10
(11) *incumbat. me ante eundem hoc dominum* 11
pp. atestaturum (12) *personaliter vel internuncios omnino fore sciatis.* 12

NO-

NOTÆ.

1 Salonitana Ecclesia simul condita est, & constituta Metropolis omnium Dalmatiæ Ecclesiarum, quæ deinceps aliæ post alias extiterunt.

2 Usque ad sæculum septimum Romano Patriarchæ & Primati subjecta jure ac titulo primatiali caruit; eoque demum potita est post Sedem metropoliticam ex urbe Salonitana per Barbaros excisa Spalatum translatam sub Joanne Ravennate primo Spalatensium Archiepiscopo, qui, cum Legatus esset ac Vicarius Sedis Apostolicæ, quod idem est ac Primas, id nominis ac dignitatis ad successores transmisit.

3 Hic Gregorius ex ignoratione Historiæ Ecclesiasticæ lapsus est, cum dixit *Diocletanam Ecclesiam* in Metropolim prædictæ Salonitanæ consensu se ordinasse; nam Ecclesia Diocletana, cum ad metropoliticam dignitatem erecta est sæculo nono, non Salonitanæ, neque Spalatensi, sed Scodrensi Metropoli suberat, & Primati Justinianæ primæ. Quod igitur de Metropoli Antibarensi dicere debuerat Gregorius, id per errorem transtulit ad Diocletanam. Antibarensis autem Ecclesia sub ditionem redierat Metropolitæ Spalatensis, ad quem antea pertinebat; cum ob naufragium Episcoporum Dalmatiæ superioris eam eidem Metropolitæ consentienti adimi oportuit, ut Antibari Sedes metropolitica urbis Dioclææ a Bulgaris eversæ constitueretur. In hanc tamen jus imperiumque Primatis adhuc retinebat Archiepiscopus Spalatensis.

4 Cum Ecclesiæ Episcopales fieri nequeant Metropoles, quin Metropolitarum, quorum potestati subducuntur, jurisdictio diminuatur, id Gregorius vocat *gravissimum excessum*, idest rem odiosam Metropolitis, qui ob hanc caussam fines suarum provinciarum contrahere coguntur, ac proinde rem esse hujusmodi, quæ, eum de jure metropolitico non parum detrahat, neque in exemplum trahi, neque frequenter usurpari debet.

5 Scilicet Gregorius antequam Raynerii nuncios acciperet, sua sponte & voluntate constituerat debitum obsequium & honorem Ecclesiæ Spalatensi, tamquam dominæ suæ, & Raynerio, tanquam suo Primati, profiteri ac deferre.

6 Quod etiam Raynerius nuncios ad se mittere præoccupaverit, id Gregorius videtur velle adscribere peculiari cuidam Dei providentiæ, cujus numine omnia gubernantur.

7 Fortasse jamdudum Antibarenses Archiepiscopi nullum Primati Spalatensi officium cultumque tribuerant, quo se illi subjectos esse declararent. Quare Raynerius juris ecclesiastici tenacissimus Gregorium ejus, quam Ecclesiæ Primatiali præstare debebat, fidei & obedientiæ per suos legatos admonendum censuit.

8 Æquum postulare videtur Gregorius; nam inter eos, qui præsunt, & qui subsunt, mutua quædam studiorum officiorumque vicissitudo intercedat necesse est, ut hi quidem, quæ illis debent, obsequia exhibeant, illi vero horum commodis & rationibus prospiciant.

9 Nimirum, quod sibi utile ac decorum est, id in utilitatem & decus sui Primatus redundat, qui, cum Antibarensis caussam agit, suam agere videtur.

10 Metropolitæ fidem ac reverentiam erga suos Primates, hi vero illis auxilium & patrocinium præstare debent.

11 Vestrum est efficere, ut Pontifex mihi Pallium præbere velit.

12 Cum vel ipse Romam proficiscar, vel mittam qui Pallium vestris precibus impetratum mihi deferat, quod vobis nunc de mea erga vos fide & obedientia polliceor, idem coram Sede Apostolica per me aut per meos nuncios profitebor.

Ex hac epistola intelligi potest, nondum Ecclesiam Antibarensem jus ac titulum Primatis adeptam fuisse; quippe Gregorius Raynerium & suum esse Primatem fatetur, & quæ Primati debentur, reverentiæ, atque observantiæ officia persolvit, ac pollicetur. Qui enim Primatis dignitate ac potestate præditus est, tertium in Hierarchia Ecclesiastica locum tenet, & neminem habet honoris gradu superiorem, nisi Patriarcham vel Romanum Pontificem.

Pallium impetrat a Pontifice,

Valuit apud Alexandrum III. commendatio & auctoritas Raynerii Archiepiscopi, cujus insignem sanctitatem, prudentiam, doctrinam plurimi faciebat; & de antiqua auctoritate ac dignitate metropolitica, quam post naufragium quatuor Episcoporum Antistiti Antibarensi collatam Alexander II. confirmaverat, edoctus cum fuisset, eamdem post interregnum Archiepiscopale annorum fere octoginta Ecclesiæ Antibarensi restituit; quos vero Episcopos paucis ante annis Archiepiscopo Ragusino subesse jusserat, eosdem fere omnes ad provinciam Antibarensem a Ragusina disjunctam revocavit. Ita duo iterum Archiepiscopi in Dalmatia Superiori extiterunt, Antibarensis & Ragusinus. Pallium autem cum titulo Archiepiscopali ad Gregorium Pontifex misit, vel eidem Romam profecto imposuit. Sed diploma pontificium non extat, ex quo cognosci posset, quas illi nominatim Ecclesias subjectas esse declaraverit. Ecclesiam Catharensem propter acerbissima dissidia, quæ Nicephoro Episcopo erant cum Tribunio Metropolita Ragusino, haud multo ante idem Alexander a provincia Ragusiensi divulsam in jus potestatemque Archiepiscopi Bariensis transtulerat. Cæteras vero Ecclesias, quas Neemanes Megajupanus Serbliæ e ditione Metropolis Ragusinæ subductas in unam Provinciam conjungere volebat sub novo Metropolita Ecclesiæ Rascianæ S. Petri apud Novibazarium, eas omnes post obitum Neemanis Antibarensis Archiepiscopus recuperavit, ut ex Actis Concilii Diocletani, quod intra

atque Ecclesias suæ Provinciæ subjectas recuperat,

præter Catharensem.

Digitized by Google

finem hujus sæculi duodecimi habitum fuit, clarius perspici potest. Commendationem Raynerii Archiepiscopi, hujusque preces apud Alexandrum interpositas Gregorio profuisse ad Pallium impetrandum constare videtur ex hujus literis ad M. Raynerium, & M. Ferrum Canonicos Spalatenses, quos Raynerius ad eum legatos miserat. In his siquidem se propediem Romam iturum significat, ut Pallium scilicet, quod Raynerius impetraverat, sibi a Pontifice tradendum susciperet; quod illis coram promiserat de sua erga Ecclesiam Spalatensem fide & obedientia, id se apud Sedem Apostolicam confirmaturum declarat, & quidquid præterea studii atque officii ad decus & utilitatem Archiepiscopi Spalatensis conferre poterit, cumulate ab se præstitum iri pollicetur. Hæc epistola data videtur esse anno 1179. postquam illi Spalatum redierunt.

Ejus epistolæ ad Raynerium & Ferrum Canonicos Spalatenses,

GG. Antivarensis humilis Archiepiscopus Magistro Raynerio, & Magistro Ferro suis in Christo dilectis Filiis salutem, & sinceræ dilectionis vinculum.

Vobis demum nobiscum commorantibus, quæcumque locutus fui, me firmiter observare sciatis; cum enim tempus & hora fuerit, quando ad Domini Papæ præsentiam me præsentare, Deo volente, potero, ad quod in proximo sum facturus credo, omnia, quæ ad honorem & laudem Spalatensis Archiepiscopi pertinent, agere curabo, utpote nobilitati vestræ sum prius locutus. Hunc vero nostrarum literarum portitorem vobis commendatum esse cupio, & per vos Domino Archiepiscopo, ne a quoquam injuriam patiatur, vel aliquam calumniam.

De profectione Romana Gregorii nihil literis proditum invenio; dubitari tamen non potest, quin vel per se ipse, vel per suos internuncios Pallium a Pontifice acceperit. Sub idem tempus Gualterius Canonicus Spalatensis ex mandato Alexandri III. & Lucii III. legatione Apostolica in Dalmatia fungebatur, qui post suum e provincia Antibarensi discessum literas ad Gregorium dedit, & sibi maxime cordi esse curæque rationes & commoda Ecclesiæ Antibarensis benignissimis verbis declaravit. Ei Gregorius rescribens pro singulari illius erga se suamque Ecclesiam charitate & providentia plurimas gratias agit. Primatum Ecclesiæ Salonitanæ sive Spalatensis agnoscit, ac fatetur, in ejus fide ac potestate perpetuo se futurum, ab ea sibi potissimum in periculis, rebus adversis, atque asperis temporibus consilium & auxilium sperandum esse. De molestiis, quas sibi, civitati, & Ecclesiæ exhibet Neemanes Megajupanus Serbliæ, de illius iniquis exactionibus, minisque tetrificis Legatum docet; nihilo levius ab suis avunculis haud dubie Schismaticis vexari Knesium, idest Comitem Michaelem, qui Ecclesiæ Antibarensis clientelam susceperat, ejusque commoda impensa sollicitudine curabat; in tantis angustiis ac periculis versanti integrum sibi non fuisse quædam Ecclesiæ suæ perutilia persequi, quæ jam agere cœperat, & cum ipso Legato communicaverat; cæterum spem sibi esse ait, fore ut prudentissimis ejus monitis instructus, & potissimum ope divina confisus, quæ decreverat, brevi expediat & conficiat.

atque ad Gualterium Legatum Apostolicum.

Magistro Gualterio inclito Spalati Canonico. & Sancte Romane Ecclesie legato GG. Dioclitane. atque Antivarine ecclesie humilis minister. Salutem & sincere dilectionis affectum.

Dignitatis vestræ literas quas nobis direxistis. summa cum reverentia suscepimus. & earum continentiam intelligentes. innumeras bonitati vestre grates rependere curamus. quoniam ecclesie nostre clementer sollicitudinem gerens que valde nobis congruunt. cum Comite. & ceteris nobilibus Spalati locuti estis. quorum prudentie & caritatis compago nobis semper consulere consuevit. Nam Salonitane Ecclesie primatum in tota dalmatie provincia & nostre ecclesie matricem fuisse non ignoramus. Unde in nullo nobis convenit ab ea discrepare. set auxilii. & consilii commodum sperare. Itaque magna controversia superveniente Civitati nostre a magno Jupano. factum quod vobiscum locuti fuimus prosequi nequimus. Octingentos namque perperos quos in preterito anno coacti sibi dare promisimus. nuno cum violentia exigit. & quia persolvendi facultas non adest agrorum nostrorum reditibus ammissis. item in nos sevit. item minatur. juxta quod presbyter Maraldus lator presentium ocularia fide poteris. refferre. Unde in tantis perturbationibus. & presuris positi. omnes gemunt. & dolent. Knesius quoque Michael. cui Dioclitane ecclesie cura. & sollicitudo non modica est ab avunculis molestatus ad ea que nos cupimus nunc intendere minime valet. Tamen in proximo superna gratia concedente nostre ecclesie commodum prosequi. & usque ad effectum perducere vestro consilio & auxilio indubitanter speramus. Data videtur an. 1180. & ex Tabulario Capituli Spalatensis descripta est.

Interea Gregorius possessionem Ecclesiarum provincialium, quas sibi suæque Metropoli ex decreto Alexandri III. recuperasse videtur, pacatam retinere non potuit. Siquidem Tribunius Archiepiscopus Ragusinus ab Urbano III. & Clemente III. diploma impetravit, quo easdem Ecclesias una cum Antibarensi subjectas esse Metropoli Ragusinæ declaraverant, ut in Actis ejusdem Tribunii dictum est in Tomo VI. hujus Operis. Anno 1194. adhuc Gregorius Ecclesiam Antibarensem regebat, qui anno illo, *mense Julio, die nono*, cum Petrus VIII. Archiepiscopus Spalatensis ex delegatione Belæ III. regis Hungariæ controversias quasdam diremit, quæ Templariis Equitibus erant cum Monachis SS. Cosmæ & Damiani, testis fuit approbatorque sententiæ, quam idem Petrus tulerat; *Fuerunt etiam testes ibidem. hi Venerabiles Viri Gregorius Antivarensis Archiepiscopus, & Vincentius S. Grisogoni Abbas, cum suis Monachis, & multi de plebe;* & cum esset Jaderæ, Archiepiscopatum voluntaria cessione paullo post dimi-

An. 1194. erat Jaderæ,

ubi, dimisso Archiepiscopatu, testamentum fecit.

Digitized by Google

misit, ac testamentum fecit, omnemque Pontificalem supellectilem Cœnobio S. Chrysogoni reliquit. Extant in Archivo ejusdem Cœnobii Tabulæ supremæ in hæc verba: *In Christi nomine Amen. Ego GG. olim D. G. licet indignus Antibarensis Archiepiscopus, ex præcepto divino agnoscens quæ Dominus ait, estote parati, quia nescitis extremam vitæ horam, decidens in ægritudinem corporis, validâ Dei dispensatione, apud Monasterium Beatissimi Grisogoni, facio testamentum, tum stabilitatis rerum ad salvationem animæ meæ, sive obiero in ipsa infirmitate, vel etiam convaluero, ante Abbatem prædicti Cœnobii D. Vincentium, & D. Decanum Simeonem, atque Fratres Jordanem & Jupanum . . . . P. . . . . Vitate, & in primis Capellam meam, & duas Mitras, & virgam pastoralem, Planetam, & Pluvialem, Dalmaticam, & Camisum, Stolam, Manipulum, & cingulum cum Cotta, de libris etiam, Decretum, Missale, Ordinem Episcopalem, atque matutinalem librum, firma donatione volo haberi a prædicto Cœnobio ad honorem Dei, & Matris ejus, sæcula in Domino perpetua.*

JOANNES ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS III.

Joannes Archiep. Antibar. an. circ. 1199.

Hic Gregorio in Sedem Antibarensem successit sæculo duodecimo ad exitum vergente, eamque dum tenebat, Stephanus nepos Neemanis rerum in Serblia potiebatur. Neemanes siquidem duos filios reliquit, Thiomilum, qui vix annuum gessit imperium, & Simeonem, quem Græci Stephanum vocant. Hic Serbliam, Dalmatiam, Diocliam, Tribuniam, Zachlumiam adeptus, ut docent Maurus Orbinus, & Carolus Dufresnius, primus se appellari voluit Regem Rasciæ, quæ pars est, & regio Serbliæ meridiana, olim Dardania vocata, & nomen vel ab amne Rasca interfluente, vel ab Rasco tertio Simeonis filio accepit. Simeon a paternis exemplis, & a schismate Græcorum abhorrens Romanum Pontificem, & religionem Catholicam cum filiis coluit, ut Stephanus ejus filius in suis ad Innocentium III. literis, quas dabimus inferius, testatur. Haud diuturnum Simeonis regnum fuit; sed rerum humanarum pertæsus ornamenta regalia cum vestitu monachali commutavit. Tres habuit filios, Stephanum, Vulcum sive Vulcanum, & Rascum; hic natu minimus patris exemplum secutus Monachus fieri voluit, & Sabbæ nomine assumpto, vitam sanctissime instituit; deinde Serviæ civitatis Archiepiscopus factus eximiis virtutibus floruit, & vita functus apud Serblos in numero Divorum habetur, atque insigni religione colitur. Hujus vitam omnibus sanctimoniæ notis illustrem descripsit Joannes Tomcus Marnavitius Episcopus Bosinensis, & typis impressam in eo libro edidit, cujus titulus, *Regiæ Sanctitatis Illyricanæ Fœcunditas*. Stephanus natu maximus in regnum parenti successit. Verum Hemericus, sive Emericus rex Hungariæ Stephano, quocum bella gerebat, victo fugatoque regnum eripuit, & Vulcano ejus fratri tradidit. Sed paullo post hi duo fratres inter se conciliati paternam hæreditatem inter se partiti sunt; Vulcanus *rex Dalmatiæ & Diocliæ*, Stephanus *Megajupanus Rasciæ* appellatus est; huic siquidem in illa partitione Serblia mediterranea, olim Mœsia superior, illi autem obtigit Serblia maritima, quæ *Dalmatiæ & Diocliæ* nomine continebatur. Utrique vocabulo subest quidquid terrarum inter Naronem Drilonemque, excepta Ragusina ditione intermedia, Serbli possidebant. Dioclia autem regio pars erat extrema Dalmatiæ ad orientem & meridiem cum utraque Zenta superiore & inferiore, quæ antiquitus Prævalis vocabatur; hæc tamen ipsa generali Dalmatiæ vocabulo comprehensa erat.

Regum Serbliæ successio.

Vulcanus rex Serblia legatos postulat ab Innocentio III.

Vulcanus Catholici dogmatis non solum retinendi, sed addiscendi cupidus, & Pontificiæ gratiæ sibi conciliandæ ab Innocentio III. per suos oratores suppliciter postulavit, ut Legatos, & sanæ sinceræque doctrinæ magistros ad se mitteret, qui se, Clerum & populum de recta in Deum fide, divinisque præceptis erudirent, & pravis opinionibus evulsis, ad verum Dei cultum, atque ad omne Christiani officii munus instruerent. Quod rex petebat, Pontifex non modo libenter, sed etiam cumulate præstitit. Neque enim ad ipsum Regem solum, ejusque conjugem, sed etiam ad Stephanum ejus fratrem, hujusque uxorem, ad Joannem Archiepiscopum Diocleensem, sive Antibarensem, ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Præsides Ecclesiarum duos Legatos Apostolicos misit, Joannem de Casemario Præpositum Sacello Pontificio, & Simonem Subdiaconum anno 1199. ineunte; & suas ad omnes, quos modo nominavi, literas ferendas utrique tradidit. Ergo legationem Serblianam Joanni & Simoni demandavit, sua illos auctoritate communivit, suis monitis ac præceptis instruxit. Scriptores quidam Hispani in vita S. Joannis de Matha eum fuisse autumant, qui cum Simone Legatus in Serbliam venerit; sed nulli innititur ecclesiasticæ historiæ monumento eorum opinio; quod certe Raynaldus protulisset in Tomo I. Annal. cum & institutum a S. Joanne Ordinem narrat, & Serblianam legationem alteri Joanni commissam fuisse; neque verisimile videtur, Innocentium Pontificem pios & perquam utiles Joannis de Matha conatus in redimendis e Saracenorum jugo Christianis hominibus alio avertere voluisse, cum vix illius Ordo exortus esset, omnemque sanctissimi Fundatoris curam, operam, vigilantiam atque auctoritatem per Hispanias præsertim & Africam exquireret.

Qui Serblianam legationem demandat Joanni Capellano, & Simoni Subdiacono, cum literis

I. Cappellano, & S. Subdiacon. nostris apostolicæ Sedis Legatis.

Apostolicæ Sedis auctoritas, quæ per diversas mundi partes plenitudinem obtinet potestatis, illius sequens vestigia, qui beato Petro,

tro, Pasce oves meas, tertio replicavit, in partem solicitudinis viros convocat providos & discretos: qui gregem domini, & pabulo salutis reficiant, & viam eis æternæ felicitatis ostendant. Ad quorum siquidem auxilium, & juvamen, ut ecclesiasticæ potestatis auctoritas in sua semper maneat firmitate, cum requirit necessitas, aliquos a suo latere dirigit, & transmittit, quibus legationis injungit officium exercendum. Hac itaque consideratione diligenter inducti, & charissimi in Christo filii. Vu. illustris regis Dalmatiæ, & Diocliæ precibus inclinati: qui ut ad eos legatos mittere deberemus instantissime postulavit, vos, de quorum probitate nos, & fratres nostri plenam fiduciam obtinemus, ad Dalmatiam, & Diocliam provinciam duximus transmittendos in provinciis ipsis: vobis auctoritate præsentium legationis officium injungentes, ut quæ inveneritis corrigenda corrigatis, destruatis, & evellatis superflua, & nociva, ædificetis & plantetis utilia, & honesta, quatenus cum domino dicente, reddetis talenta, vobis reddatis credita duplicata: & a nobis, & fratribus nostris valeatis in domino multipliciter commendari. Datum Lateran. VI. idus Januarii.

Is ergo senas dedit epistolas ad eos, quos supra dixi. Prima inscripta est *Vulcano illustri regi Dalmatiæ, & Doclie*, cujus literas regiæ erga Romanam Ecclesiam voluntatis & observantiæ testes se accepisse ait, quos petierat Legatos ab se ad eum mitti, eos ut perhumaniter, & honorifice excipiat, eorum monitis & præceptis obtemperet, iisdemque ad exsequendum munus Apostolicum sibi injunctum consilium & auxilium præbeat, magnopere hortatur; in extrema epistola Pallium iisdem Legatis ab se traditum esse scribit, quod deferrent ad Archiepiscopum Dioclensem, eique solemni ritu imponerent.

ad Vulcanum regem,

Vulcano illustri regi Dalmatiæ, & Doclie.

Ut evidentius evangelica doctrina pateret, & in omnem terram juxta verbum propheticum sonus apostolorum exiret, & in fines orbis terræ verba diffunderentur ipsorum, noster dominus, & magister, qui præbuit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, discipulos suos per universas mundi partes ad prædicandum direxit, dicens eis juxta evangelicam veritatem: euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ. Quam siquidem observantes constitutionem providam, & salubrem Rom. Pontifices Vicarii Jesu Christi, qui in beato Petro apostolorum principe ab ipso domino receperunt plenitudinem potestatis, & constituti sunt super gentes, & regna: ut juxta verbum propheticum evellant, & destruant, ædificent, & plantent: quia suam non possunt ubique præsentiam exhibere, per varia mundi climata a suo latere aliquos dirigant, & transmittant qui fideles in fide consolident, corrigenda corrigant, de agro domini nociva destruant, & utilia plantare procurent. Intelligentes igitur per lit. tuas nostro apostolatui præsentatas tuæ devotionis ardorem, quod videlicet Rom. ecclesiam matrem tuam super omnia post deum diligere, & honorare proponis, & mandatis nostris omnimodis inhærere, juxta quod a nobis tua nobilitas postulavit; dilectos filios Jo. cappellanum, & Simonem Subdiaconum nostros, de quorum scientia, & probitate nos, & fratres nostri plenam fiduciam obtinemus, de fratrum nostrorum consilio ad partes tuas duximus dirigendos: per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eos tamquam apostolicæ Sedis legatos benigne recipias, & honeste pertractes: & quæ secundum Deum in partibus ipsis duxerint statuenda, suscipias humiliter, & sine refragatione conserves: ut cum ad nos domino dante redierint, nobis referre valeant tuæ devotionis effectum, & Rom. ecclesia tuis efficacius possit intendere incrementis. Nos enim eis dedimus in mandatis, ut apostolicam in te confirmantes doctrinam, reforment quidquid invenerint reformandum, & tamquam membra capiti apostolico conforment in ipsius devotione pariter, & obedientia solidantes: per quos etiam pallium, plenitudinem scilicet pontificalis officii venerab. fratri nostro Dioclien. Archiepiscopo transmittimus, ut in partem nostræ solicitudinis evocatus, sine defectu valeat officii sui debitum adimplere. Datum Lateran. VI. idus Januarii.

Post hæc in Romana editione Epistolarum & Decretalium Innocentii III. anni 1543. Tomo I. lib. 1. pag. 252. sequuntur formæ aliarum literarum, quas Pontifex in Serbliam misit per Legatos, nimirum

& ad alios Serbliæ principes viros, Antistites, ac universum clerum.

Scriptum est super hoc in eumdem fere modum uxori ejusdem regis.

In eumdem fere modum nobili viro S. magno Jupan.

In eumdem fere modum uxori ejusdem S. magni Jupan.

In eumdem fere modum Dioclien. Archiepiscopo usque ad verbum Adimplere. Quibus etiam nobis, & successoribus nostris fidelitatis juramentum, quod tibi sub bulla nostra mittimus inclusum, devote studeas, & humiliter exhibere.

In eumdem fere modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ecclesiarum prælatis, & aliis clericis per Dalmatiam, & Dioclliam in regno charissimi in Christo filii nostri Vulcani illustris regis Diocliæ, & Dalmatiæ constitutis usque ad verbum Solidantes.

Vix duo illi Legati ab urbe discesserant, cum eos Innocentius per literas admonuit, ut caverent, *ne alterius Archiepiscopi Suffraganeis Archiepiscopalem auctoritatem, vel Pallium concederent*. Sibi autem post eorum discessum significatum esse, & in libris Censualibus Curiæ Romanæ se reperisse, in quibus fortasse id notatum fuerat ex literis Benedicti VIII. & Paschalis, *quod Ecclesia Antibarensis inter Suffraganeas Ragusan. Metropolis numeraretur*. Vetat igitur *Antibarensi electo* pallium, & nomen Archiepiscopale impertiri, nisi ex vetustis & certissimis monumentis constet, ejus decessores hujusmodi titulo

Digitized by Google

tulo atque ornatu insignitos fuisse. Alterum igitur exemplar literarum, quas ad Vulcanum & cæteros deferendas dederat, illis transmisit, in quo deleri jusserat, quod in superiori scriptum erat de titulo & pallio Archiepiscopali tradendis Antistiti Antibarensi.

Pontifex revocat mandatum de Pallio tradendo Archiepisc. Antibar.

I. Capellano, & S. Subdiacono familiaribus nostris apostolicæ Sedis Legatis.

Post dies aliquot, ex quo a nostra præsentia recessistis, ex relatione quorumdam, & inspectione libri censualis cameræ nostræ nobis innotuit, quod Antibaren. ecclesia inter suffraganeas Ragusan. metropol. numeretur. Unde cum tu fili I. librum illum inspexeris, miramur, quod facta tibi copia libri præmissi, nobis non aperuisti expressius veritatem. Quia vero non est nostræ intentionis statum ecclesiarum evertere, devotioni vestræ auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne Antibaren. electo palleum aliquatenus concedatis, nisi vobis constitexit, ejus prædecessores fuisse palleis decoratos, & dignitatem metropoliticam habuisse. Ne autem iter vestrum, & legationis processus valeat aliquatenus impediri, eisdem personis, quibus per vos apostolica scripta dirigimus, sub eodem tenore litteras nostras transmittimus, dempto capitulo quod facichat de palleo mentionem: ut utrasque penes vos habemes vel primas, vel secundas, prout opus fuerit, præsentetis. Datum Lateran. VII. Kal. Februarii.

Adventus Legatorum in Serbiam.

Literas & Legatos Pontificios summo, ut par erat, honore & veneratione tum rex Vulcanus, tum Stephanus ejus frater acceperunt, illorumque adventum lætissimis animis & regio apparatu celebrarunt. Unus vel alter dies, officiis hospitalitatis redditis & acceptis, ac variis de re publica & christiana sermonibus ultro citroque habitis, consumptus est. Deinde cogitationes curæque conversæ ad disciplinam ecclesiasticam restituendam & stabiliendam, atque ad evellendas pravas consuetudines, quæ in Clerum & populum irrepserant, quarum rerum caussa Legati venerant. Ante vero de Pallio Joanni tradendo actum est, ut pontificia admonitio postulabat; & cum post diligentem inquisitionem ex antiquis tabulis & idoneis testibus comperissent Legati, Antistites Antibarenses superiorum ætatum ac temporum & titulo Archiepiscopali & Pallio præditos fuisse, utroque honore Joannem donarunt. Tum Episcopis Provincialibus edicta est dies ad conveniendum in eum locum, *ubi antiquitus Concilium celebrari solitum fuit*, ut ait Vulcanus in suis ad Innocentium literis. Is autem locus vel civitas Archiepiscopalis Antibaris fuit, vel oppidum aliquod non longe a ruderibus veteris Diocleæ; & ab hac Metropoli Dioclensi, atque Antibarensi hanc Synodum *Diocletanam* denominandam censemus. Nulla nota chronologica Synodicis actis vel impressa, vel subjecta est, ex qua Concilii tempus cognosci possit, sed ad eumdem annum 1199., qui literis Innocentianis ad Vulcanum, & ad Legatos adscriptus est, re-

Pallium Joanni traditur, & indicitur provinciale Concilium.

ferri oportet. Præsides fuerunt Joannes Præfectus Sacelli Pontificii, & Simon Subdiaconus, Legati Sedis Apostolicæ. Cum Joanne Metropolita sex Episcopi interfuerunt, & nominibus suis quisque subscriptis decreta comprobarunt. Abfuit Episcopus Arbanensis, sive Albanensis; sed ejus locum tenuit Dominicus Archipresbyter Ecclesiæ Arbanensis. Canones omnino duodecim constituti sunt; nec videtur dubitari posse, quin Concilio celebritatem, frequentiam, splendorem sua præsentia conciliaverit rex Vulcanus, & ejus frater Stephanus Megajupanus Serbliæ cum optimatibus, & proceribus Aulæ, & Regni utriusque. Nunc Acta ipsius Concilii describenda.

Acta Concilii Dioclet.

In nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Nos Joannes Capellanus, & Simon Subdiaconus domini Innocentii Papæ tertii apostolicæ Sedis legati, ad evellenda nociva de agro dominico, & virtutum plantaria utiliter inserenda, videntes multa in clero, & populo Dalmatiæ, & Diocliæ corrigenda, de sanctorum patrum conciliis decreta præsentia duximus innovanda. In primis itaque decernimus, ut nullus episcopus aliquem ad sacros ordines per pecuniam promovere, seu ecclesiastica beneficia alicui precio interveniente concedere præsumat. Cum enim dominus præceperit apostolis, gratis accepistis, gratis date, & spiritus sancti gratia venalis esse non possit, quæ in sacris confertur ordinibus, gravi puniendus est pœna, qui spiritus sancti dona venalia exponere non veretur. Quocirca præsenti Decreto statuimus, ut quicumque episcopus hoc agere convictus fuerit, omni ecclesiastica careat dignitate: & sine spe restitutionis tam ille, qui dederit, quam ille, qui scienter sacros ordines pecunia interveniente receperit, perpetuo deponatur.

de simonia,

Cum domini sacerdotes, & hi, qui sacro altario deservivnt, continenter vivere debeant, juxta illud: Mundamini qui fertis vasa domini; in partibus Dalmatiæ, atque Diocletiæ (1) *sacerdotes & uxores habere, & ecclesias tenere dicuntur. Quocirca præsenti Decreto statuimus, ut sacerdotes, & diacones* (2) *ante susceptum officium, nisi eorum conjuges in manu episcopi votum fecerint continentiæ, uxores habentes cum ipsis maneant, & ecclesias dimittant: non enim possunt secundum ordinem Romanæ ecclesiæ manentes in conjugio, nisi defunctis uxoribus, aut continentiam voventibus, si digni inventi fuerint, ad sacerdotium promoveri. Illi vero, qui post susceptum sacerdotii, vel diaconatus honorem, adulteras potius, quam uxores ascepisse probantur: nisi eas dimiserint, & dignam egerint pœnitentiam, ab officio, & beneficio ecclesiastico fiant penitus alieni. Prohibemus etiam ne aliquis episcopus, nisi in quatuor temporibus juxta sanctorum patrum constitutionem, aliquem ad sacros ordines promovere præsumat: solus enim Romanus Pontifex dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. Cum autem episcopus ordinationem fecerit, non nisi unum ordinem a subdiacono & supra conferre præsumat. Ordinatus autem in*

de cœlibatu clericorum; & sacris ordinibus,

1

2

subdiaconum ad minus per annum in eodem officio deserviat, & diaconus similiter faciat. Quicumque autem episcopus contra hoc venire præsumpserit, tandiu a conferendis ordinibus abstineat, donec a Romano Pontifice misericordiam consequatur.

de decimis, *Quoniam secundum gradus, & ordines personarum beneficia ecclesiastica in domo domini, secundum sanctorum patrum constitutionem distributa noscuntur: decernimus ut decimæ, seu oblationes fidelium tam pro vivis, quam pro defunctis in quatuor partibus dividantur: quarum una sit episcopi, alia ecclesiarum, tertia pauperum, quarta clericorum. Portionem quidem pauperum episcopus administret: portionem vero ecclesiarum archipresbyter conservet: & ex mandato episcopi in usibus ecclesiæ fideliter expendat. Quicumque autem clericorum contra hoc venire præsumpserit, sua portione privetur.*

de sigillo confessionis, *Districtius inhibemus, ne aliquis sacerdos filii sui, vel filiæ spiritalis privatam confessionem alicui revelare præsumat. Quod si facere convictus fuerit, officio, & beneficio ecclesiastico perpetuo spolietur.*

de malis clericis, *Idem dicimus de quolibet clerico, qui de homicidio, adulterio, perjurio, falso testimonio publice accusatus fuerit, & convictus.*

de honore sacerdotum, *Cum terrenarum potestatum nunciis, sive ministris honor exhibeatur ab omnibus, multo magis ministris Dei honor a laicis exhibendus est, a quibus eis non solum divina celebrantur officia, verum etiam sacrum baptisma, & Corpus Domini, & pœnitentia, & cætera ecclesiastica sacramenta jugiter ministrantur. Quapropter juxta Decretum domini Innocentii Papæ II. districtius inhibemus, ne aliquis in personam episcopi, sive sacerdotis, vel cujuslibet clerici, vel religiosi viri, violentas manus injicere præsumat. Quicumque autem hoc attentaverit, tandiu excommunicatus maneat, donec de tanta præsumptione satisfacturus apostolico se conspectui repræsentet: vel ab ejus legato præstita congrua satisfactione absolutionis beneficium consequatur. Similiter sub excommunicatione prohibemus, ne aliquis laicus clericum ad peregrina judicia trahere præsumat, veluti candentis ferri, vel aquæ, vel cujuslibet alterius judicii. Non enim pertinet ad laicum clericum judicare. Si autem clericus peccaverit, ab archiepiscopo, vel episcopo, vel etiam prælato suo, aut Rom. Pontifice, si necesse fuerit, judicetur.*

de matrimonio, *Cum sacrosancta Romana ecclesia, quæ mater est omnium ecclesiarum, & magistra, decreverit, ut nullus Christianus usque ad septimum consanguinitatis gradum conjugium contrahere præsumat, grave nimis est, & divini dignum animadversione judicii, quod in partibus Dalmatiæ, ac Diocliæ a multis factum in veritate comperimus, ut homines Dei timorem non habentes cum consanguineis in quarto, & quinto gradu, vel infra contra sanctorum patrum constitutionem conjugia contrahere non formident. Quapropter præsenti decreto statuimus, ut quicumque in quarto (3) gradu præ-*

3

sertim, vel infra, conjugium habere convincitur, nisi ad mandatum ecclesiæ satisfecerit, & a suæ consanguinitatis incesta conjunctione recesserit, tandiu maneat excommunicatus, & ab omnibus ecclesiæ sacramentis separatus, donec a nefaria copula separetur, & ad mandatum ecclesiæ satisfaciat.

Item præcipimus, ut clerici rasuram, & tonsuram teneant clericalem. Qui autem hoc non fecerit, ab Episcopo districtione canonica compellatur. de tonsura,

de collatione beneficiorum, *Cum duæ sint in terris potestates a Domino constitutæ, spiritualis videlicet, & sæcularis, & una de spiritualibus, & ecclesiasticis, altera de sæcularibus habeat judicare, grave committit peccatum quicumque laicus vel ecclesias donare, (4) vel ecclesiasticas personas judicare præsumit. Quocirca præsenti Decreto statuimus auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum Petri, & Pauli, & domini Papæ Innocentii, ut quicumque clericus de manu laica ecclesiam, vel ecclesiastica beneficia receperit, tam qui dederit, quam qui receperit, tandiu excommunicationis vinculo teneatur astrictus, donec ad mandatum ecclesiæ satisfaciat: & quod contra sacros canones factum fuerit, irritum habeatur, & vacuum. Illos autem laicos, qui ante constitutionem istam ecclesias donaverunt, vel in ecclesiasticas personas manus injecerunt violentas, volumus per episcopos tertio commoneri: & nisi pœnitentiam egerint competentem, eadem sententia teneantur astricti.* 4

de bonis ecclesiasticis, & latinorum servitio, *Excommunicamus omnes illos, qui thesauros ecclesiarum injuste detinent, donec restituant: & eos qui latinos (5) detinent in servitute, nisi recepta pecunia, quam dederunt, eos pristinæ restituant libertati.* 5

de divortio, *Item excommunicamus omnes illos, qui proprias dimiserunt uxores, vel de cætero dimiserint (6) sine judicio ecclesiæ, donec ad ipsas revertantur.* 6

de nothis, *Prohibemus etiam ut filii (7) presbyterorum, & qui de legitimo non sunt nati matrimonio, ad sacros ordines non accedant.* 7

de ætate Ordinum. *Similiter prohibemus, ut nullus ordinetur in sacerdotem, nisi trigesimum (8) expleverit annum.* 8

Ego frater Joannes domini Papæ Capellanus apostolicæ sedis legatus scripsi, & subscripsi.

Ego frater Simon domini Papæ Subdiaconus, apostolicæ sedis legatus subscripsi.

Ego Joannes Dioclen. & Antibaren. Archiepiscopus subscripsi.

Ego Dominicus Archipresbiter Arbanen. (9) subscripsi. 9

Ego Petrus Scuarinen. (10) Episcopus subscripsi. 10

Ego Joannes Polatinen. (11) Episcopus subscripsi. 11

Ego Petrus Arvastinen. (12) Episcopus subscripsi. 12

Ego Dominicus Soacinen. (13) Episcopus subscripsi. 13

Ego Natalis Dulcinen. Episcopus subscripsi.

Ego Theodorus (14) Sarleanen. Episcopus subscripsi. 14

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

1 Idest *Diocliæ*.

2 De Subdiaconis nihil decretum est; nondum enim ubique receptum fuerat, quod varia Concilia, & aliqui Romani Pontifices, & ipsemet Innocentius III. decreverant, ut Subdiaconatus in numero sacrorum Ordinum haberetur, eique votum continentiæ annexum esset. Idcirco in hoc Canone Subdiaconis, qui uxores habeant vel duxerint, nulla pœna infligitur.

3 Impedimenta, quæ dirimunt matrimonium, ultra quartum gradum extendere noluisse videntur Patres Diocletani per quamdam indulgentiam; & ab illis, qui vel quinto, vel sexto, & septimo consanguinitatis gradu conjuncti matrimonium inter se ineunt, anathemate feriendis abstinent.

4 *Ecclesias donare*, id est sacerdotia per baculum & annulum, insignia ecclesiasticæ potestatis, tradere; quod plurimis tum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum decretis laicis hominibus, ac vel ipsis Regibus atque Imperatoribus interdictum fuerat.

5 Apud Serblos, & alios Slavonici generis populos consuetudo vigebat emendi mancipia, quibus ad opera laboriosa & servilia utebantur. Siqui ergo ex Latinis, idest cultoribus ritus latini apud Serblos servitute servirent, sacra Synodus a dominis, recepto emptionis pretio, manumitti jubet.

6 Vetat Synodus divortia fieri, nisi ex judicio & sententia judicis ecclesiastici.

7 Qui e sacrilego & nefario concubitu Presbyterorum, vel ex thoro non legitimo nati sunt, accessu ad sacros Ordines prohibentur.

8 Ex antiqua disciplina, qua cavebatur, nequis ante completum annum tricesimum susciperet presbyteratum.

9 Id est, Albanensis. Albanum, sive Albanopolis, civitas Episcopalis Epiri novæ, quæ nunc dicitur *Albania*, & ab hac urbe nomen accepisse, aut ei dedisse videtur. Archipresbyter Ecclesiæ Albanensis in hac Synodo locum tenebat, & vice fungebatur Episcopi Albanensis. Hæc Ecclesia, quæ abest a catalogo Ecclesiarum, quas Alexander II. Metropoli Antibarensi attribuit, in omnibus antiquis catalogis inter Ecclesias provinciæ Antibarensis adnumeratur, ad quam sæculo duodecimo accessit. A Lequienio Tomo II. Orient. Christ. pag. 321. perperam dicitur Archipresbyter *Antibarensis*.

10 Scodrensis.

11 Pulatensis.

12 Drivastensis.

13 Svaciensis.

14 Sardensis, sive Sardanensis. Hæc quoque sæculo duodecimo Antibarensi Archiepiscopo addita fuit, atque in omnibus fere Catalogis Ecclesiarum provinciæ Antibarensis tam antiquis, quam recentioribus nominatur, & cum Ecclesia Sappatensi nunc conjuncta est.

Provinciæ Antibarensis ecclesiasticæ vices variæ.

Hos ipsos Episcopos præter duos Albanensem & Sardensem Alexander II. in sua epistola Petro Archiepiscopo Diocliensi atque Antibarensi subjectos esse declaravit. Ex his plerosque Callistus II. ante hanc Synodum Diocletanam Antibarensi ademptos Ragusino Metropolitæ subesse jusserat an. 1121; sed intra finem hujus sæculi duodecimi sub jus ditionemque Antibarensis redierint oportet. Ex Episcopis, quos Alexander II. Diocletanæ sive Antibarensi provinciæ adscripsit, ab Synodo Diocletana abfuerunt Catharensis, qui ex mandato Alexandri III. in potestatem Metropolitæ Bariensis concesserat, Bosnensis, qui ex diplomate Cælestini III. sub imperium Metropolitæ Spalatensis remigraverat, Tribuniensis, quem in sua provincia retinebat Archiepiscopus Ragusinus, hodieque retinet cum Episcopis Stagnensi, Mercanensi, Corcyrensi. Sub jurisdictione Antibarensis remanserunt Episcopi omnes, qui Concilio Diocletano interfuerunt, ad quos deinde cum Sappatensi Buduensis accessit. Nec tamen de his Ecclesiis Antibarensi cum Ragusino contentiones esse desierunt.

Dimisso Concilio, de quo meminere Joannes Tomcus Marnavitius in vita S. Sabbæ inserta ejus operi *Regiæ Sanctitatis Illyricæ Fœcunditas* inscripto, tum Joannes Bollandus in Tomo I. Januarii, ubi de eodem Sabba disserit, cujusque exemplar editum est Tomo XIII. Collect. Concil. Labbeanæ Venetæ, suas ad Innocentium literas officiosissimas miserunt Joannes Archiepiscopus, Vulcanus rex Dalmatiæ & Diocliæ, & Stephanus Megajupanus Serbliæ. Priorum literarum sententia hæc est: Joannes Innocentio amplissimis verbis gratias agit pro Pallio transmisso; sibi nihil in omni vita antiquius futurum, quam ut Sedi Apostolicæ subjectum se, paratum ad omnia, & obsequentem præbeat; Joannem & Simonem pontificia legatione tum e sententia regis & populi, tum e dignitate Ecclesiæ Romanæ ita perfunctos esse, ut omnium animos arctissimis fidei & benevolentiæ vinculis Sedi Apostolicæ obstrinxerint; se propediem Romam missurum, qui suam erga Innocentium perpetuam submissionem atque obedientiam singularibus verbis declaret atque confirmet.

Litteræ Joannis Archiep. ad Innocentium,

Sanctissimo Patri, & domino Innocentio Dei gratia summo Pont. Joannes Dioclien. & Antibaren. ecclesiæ humilis minister, tam debitam quam devotam obedientiam.

Gratias uberes refero sanctissimæ paternitati vestræ de honore pallei, & pontificalis officii plenitudine, quam mihi per dominum Joannem, & dominum Simonem familiares, & legatos vestros concedere dignati estis. Ego autem omni tempore vitæ meæ ad devotionem vestram, & fidelitatem, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ promptum habeo animum modis omnibus, & paratum. Notum si quidem facio sanctitati vestræ, quod præfati legati vestri ea, quæ corrigenda, & ordinanda fuerunt, ita cum prudentia, & honestate per Dei gratiam ad bo-

no-

Digitized by Google

norem vestrum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ tractaverunt, quod dominus Rex, & totus populus eorum opera commendantes, ad pedes vestræ sanctitatis effecti sunt modis omnibus promptiores. Ego vero in proximo nuncios meos ad pedes vestræ sanctitatis transmittam: qui devotionem meam paternitati vestræ plenius declarabunt.

Ad literas Archiepiscopi suas quoque adjunxit Rex Vulcanus. Ex adventu Joannis & Simonis Legatorum Sedis Apostolicæ incredibilem lætitiam se cum suis omnibus cœpisse ait, & maximas Innocentio gratias agit. Horum doctrinam, prudentiam, religionem commendat; ab his coactum esse Concilium provinciale, in quo multa præclare & sapienter constituta sunt ad disciplinam ecclesiasticam restituendam, & cleri ac populi mores corrigendos; se non tam regali sua stirpe, quam affinitate, idest amicitia, cum Pontifice nobilitate gloriosi sanguinis & generis clarissimo juncta gloriari. Legatos suæ erga Romanam Ecclesiam observantiæ, & obedientiæ testes, cum primum tuto & salvo illorum honore licebit, ab se missum iri pollicetur. Regnum universum, se suaque omnia Pontifici Maximo ejusque apud Deum precibus commendat. In extrema epistola admonet Innocentium de nefaria quadam hæresi in Bosina grassante, quam ut ab rege Hungariæ Emerico, sive Henrico profligandam & eliminandam curet, Pontificem rogat. Culinum Banum Bosinæ, quem Bucilinum vocat, fautorem ac ducem impurissimæ illius sectæ Patarenæ ab rege ipso Romam ire, & coram Sede Apostolica malesanos errores exsecrari jussum, simulasse quidem se ab illis nefariis opinionibus alienum esse, sed Bosnam reversum acrius, quam antea ad hæresim tuendam & propagandam incumbere. De Culino Bano, quæ scripsimus in historia Ecclesiæ Bosnensis sub Rhadagasto Episcopo, illinc, si libeat, repeti possunt.

tum Vulcani regis,

Beatissimo, atque sanctissimo Patri, & domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, & universali Papæ Vu. eadem gratia Diocliæ atque Dalmatiæ Rex salutem, & devotionis affectum.

Venientibus ad nostram præsentiam domino Joanne capellano, & domino S. religiosis, & discretis sanctæ Catholicæ, & apostolicæ sedis legatis, amodo jocundati sumus, quia sicut solis splendor in virtute sua radians totum orbem videtur illustrare, ita illorum sancta, & salubri prædicatione totum regnum nostrum creditur fore illustratum. Unde merito dicimus: visitavit nos oriens ex alto. Illorum itaque probitate, & scientia nos informati, Deo, & paternitati vestræ innumeras grates rependere curamus: quia tales ad nos misistis, quales in voto semper habuimus suscipiendos, divino munere præditos, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum decursum est. Præsentatis igitur literis nostris intellexímus, quia postulationibus nostris apostolatus vestri beatitudo misericorditer acquievit. Unde nos cum magna animi devotione præcepimus, ut per totum regnum nostrum omnia, quæ secundum Deum sunt, ordinent, & confirment. Quæ autem contraria sunt, juxta illud propheticum evellant, & destruant. Accedentes itaque ad locum, ubi antiquitus concilium celebrari solitum fuit, sanctam Synodum celebrare studuerunt, de vitiis in virtutibus subtiliter disserentes. In communi Deo, & beatissimæ Mariæ perpetuæ virgini, & beato Petro Apostolorum principi, necnon, & apostolatui vestro laudum præconia persolventes. Interea noverit paternitas vestra, quia augustali stemmate undique insignimur, & quod gloriosius, & beatius est, vestri generosi sanguinis affinitatem habere cognovimus. Igitur innotescimus, quia in voto habuimus nunc legatos nostros ad pedes beatitudinis vestræ transmittere.

Sed quia (1) *terram illam turbatam esse audivimus, facere non potuimus: quia vestris legatis ubique debita reverentia exhibetur: sed nostri dum illuc ire voluerint, cum magna honoris magnificentia, damna forsitan, aut exitium patientur. Sed dum opportunum, aut congruum tempus affuerit, honorificentius faciemus: qui sanctæ exhortationis vestræ verba perferant, quæ dulciora sunt super mel, & favum. Siquidem sperantes, & certum tenentes, quia ex quo vicarius domini nostri Jesu Christi existis, ipse per te nobis aditum regni cœlestis aperire dignetur. Et quia nullo in hoc sæculo indigemus, multum rogamus, ut pro nobis peccatoribus preces ad dominum fundatis. Demum vero paternitatem vestram nolumus latere, quia hæresis non modica in terra Regis Ungariæ, videlicet* (2) *Bessina, pullulare videtur, in tantum quod peccatis exigentibus ipse Bacilinus cum uxore sua, & cum sorore sua,* (3) *qui fuit defuncti Mirosclavichemensi, & cum pluribus consanguineis suis seductus, plusquam decem millia christianorum in eamdem hæresim introduxit. Unde Rex Ungariæ exacerbatus illos ad vestram præsentiam compulit venire a vobis examinandos. Illi autem simulatis literis redierunt, dicentes a vobis concessam sibi legem. Unde rogamus ut regi Ungariæ suggeratis, ut eos a regno suo evellat tamquam zizania a tritico.* 1 2 3

NOTÆ.

1 Forte Bosnam intelligit Patarenorum hæresi agitatam, qua regii oratores in Italiam adventuri erant, aut Italiam ipsam, & Romam, bellorum motibus, & civilibus discordiis graviter actas.

2 Idest Bosna.

3 Vidua nempe Minoslavi Comitis Chelmensis; unde librarii error, *Mirosclavichemensi*.

Tertias literas breviores illas quidem, sed in eamdem sententiam ad Innocentium dedit Stephanus Megajupanus Serbliæ.

Innocentio Dei gratia summo Pontifici, & universali Papæ Rom. Ecclesiæ beatorum apo-

stro-

Digitized by Google

& Stephani Megajupani Serbliæ ad eumdem.

stolorum Petri, & Pauli S. eadem gratia, & sancta oratione vestra Magnus Jupanus totius Serviæ salutem, tamquam patri suo spirituali.

Literas sanctitatis vestræ recepimus, & bene intelleximus: & quæ venerabiles legati vestri scilicet J. capellanus, & Simon subdiaconus, tam in literis, quam in ore eorum narraverunt nobis. Gratulamur itaque magnæ sanctitati vestræ, quia non tradidisti nos in oblivionem filios tuos, sed recordatus es de nobis. Nos autem semper consideramus in vestigia sanctæ Rom. ecclesiæ sicut bonæ memoriæ Pater meus, & præceptum sanctæ Rom. ecclesiæ semper custodire, & in proximo legatos nostros vellemus transmittere ad sanctitatem vestram. Nos autem locuti sumus dictis venerabilibus tuis legatis, quoniam ipsi cum ore eorum narrabunt sanctitati vestræ eloquia mea.

Ex illa hujus epistolæ particula, *nos autem semper consideramus in vestigia Romanæ Ecclesiæ, sicut bonæ memoriæ Pater meus, & præceptum Romanæ Ecclesiæ semper custodire*, satis perspicue intelligitur, non solum Vulcanum, & Stephanum, sed etiam horum parentem Simeonem a Græcorum schismate abhorruisse, Sedi Apostolicæ addictos, uti paullo superius dictum.

Innocentii ad Joannem Archiepiscopum epistola pro Ep. Svaciensi.

Nunc ad Joannem Archiepiscopum regrediamur. Extat epistola Innocentii III. Archiepiscopo Antibarensi inscripta, & data Laterani eodem anno 1199. qua jubet ac præcipit, ut ex vectigalibus Ecclesiæ Svaciensis, quantum in victum cultumque sit satis, suppeditandum curet Episcopo Svaciensi, qui diluerat quidem crimen homicidii, de quo accusatus fuerat, sed ultro confessus fuit, T. quemdam reum homicidii ab se sacris Ordinibus initiatum fuisse; quam ob culpam loco, quem tenebat, se indignum esse duxit, & Pontificatu sponte se abdicavit, nequa labes ex illicita consecratione nomini ac dignitati Episcopali adhæresceret. Hanc epistolam & cætera, quæ pertinent ad Episcopum Svaciensem, historiæ hujus Ecclesiæ reservamus. Leonardus Ragusiensem Archiepiscopatum adeptus cum esset an. 1205. vel sequenti, nihil sibi prius faciendum censuit, quam ut Metropolim suam restitueret in possessionem illarum Ecclesiarum, quas illi Benedictus VIII. Callistus II. & alii Pontifices attribuerant. Itaque jus ac potestatem Ecclesias illas Archiepiscopali more lustrandi usurpare voluit. Sed cum Antibarim accederet, advenientem Antibarenses non solum urbis aditu intercluso, sed etiam jactu lapidum, ut tradunt Ragusini Scriptores, manuque repulerunt.

Ragusiensis Archiepiscopus Antibari expulsus.

Sollicitus interea Innocentius, ut Vulcanum Regem Serbliæ in fide ac reverentia erga Romanum Pontificem contineret, scripsit Archiepiscopo Colocensi literas sane amantissimas, quo Vulcanum inviseret, suaque præsentia, atque commonitionibus, consiliisque juvaret, ne Patriarchæ Constantinopolitani fraudibus, dolisque deceptus Schismaticorum erroribus inficeretur; suspicio enim erat, Græcum Antistitem, cum ægre tulisset Vulcani in Ecclesiam Romanam obsequium, & religionis cum illa consensum, niti quam maxime, & conari, ut Regem ad se, suosque pertraheret: eodemque tempore ad Joannem Antibarensem Archiepiscopum, tum ad omnes Serbliæ Antistites, & Dynastas ac principes viros alias dedit literas, quibus gravissimum adeo negotium, atque servandæ tuendæque in Serblia Catholicæ religioni pernecessarium summopere commendavit. Hæ literæ tum ad Colocensem, tum ad Antibarensem Archiepiscopum, & ad cæteros scriptæ feruntur apud Raynaldum xi. Kal. Aprilis anni 1203. ex lib. 5. Reg. epist. 24. & post. Anno vero insequenti, cum Leo Presbyter Cardinalis Legati Pontificii nomine atque auctoritate in Bulgariam proficisceretur, eique per medium fere Serbliæ regnum necessario itinere esset transeundum, Innocentius Pontifex aliam ad Joannem, & subjectos illi Episcopos epistolam misit, qua singulos monuit, hortatusque est, ut, quo par erat, honore Legatum exciperent, & quid viatici opus esset ad itineris & decus & commodum, providerent. Hæc Raynaldus idem ad an. 1204. num. 45. ex lib. 7. Reg. epist. 12.

Alia Innocentii,

& Honorii III. ad Joannem literæ.

Tres etiam Honorii III. epistolas Antibarensi Archiepiscopo inscriptas ad hunc Joannem, de quo agimus, pertinere arbitror. Honorius III. Innocentio III. sublectus anno 1216. xv. Kal. Julias ad Metropolitam & Episcopos provinciæ Antibarensis de summo Pontificatu sibi collato nuntias literas dedit viii. Kal. Augusti anno i. idest 1216. & est Honorii epistola tertia. Eodem anno prid. Kal. Decembris iisdem Metropolitæ & Episcopis impense commendavit, ut vicesimam partem fructuum ecclesiasticorum ex decreto Concilii Generalis ad subsidium *Terræ Sanctæ* imperatam exigerent: hæc epistola est 104. Demum anno 1217. vel proximo tum Antibarensi, tum aliis Metropolitis imperavit, ut viros doctos & sollertes e Cœnobiis suarum provinciarum delectos ad Sedem Apostolicam mitterent, qui ad propagandum Evangelium, ac gentibus annuntiandum essent idonei. Liceat nunc parumper regredi ad reges Serbliæ.

Stephanus rex Serbliæ

Post obitum Vulcani Stephanus frater totius regni Serbliani potitus titulos regios ab omnibus regionibus, in quibus dominabatur, desumptos sibi accumulavit, & appellari voluit *Serviæ, Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, atque Ochlumiæ Rex*, & patris, ac fratrum vestigia secutus a fide ac reverentia erga Sedem Apostolicam ne transversum quidem, ut ajunt, unguem deflexit. Methodium Episcopum, fortasse Pristinæ civitatis, in qua ejus avus Neemanes sedem regni collocaverat, Romam ad Honorium III. cum suis literis oratorem misit, qui Regis adversus Ecclesiam Romanam stabilem ac perpetuam obedientiam profiteretur, simulque ab eo regium nomen ac diadema postularet. Ejus epistolam Raynaldus ad annum 1220. affixit in hæc verba conscri-

Digitized by Google

nuntios & literas Honorio mittit,

scriptam: *Sanctissimo Patri ac Domino Honorio Romanæ Sedis & Ecclesiæ universali Pontifici Stephanus Dei gratia totius Serviæ, Dioclie, Tribuniæ, Dalmatiæ, atque Ocblumiæ Rex coronatus inclinationem cum summæ fidelitatis constantia. Quemadmodum omnes Christiani diligunt vos & honorant, & pro Patre & Domino retinent, ita & nos desideramus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vestræ Paternitatis filium nominari, affectans quod benedictio & confirmatio Dei & vestra sit, si vobis placet, super coronam & terram nostram semper manifeste; & ob hoc vobis nostrum Episcopum Methodium nomine destinamus, ut quidquid ex vestra Sanctitate & voluntate processerit, nobis per latorem præsentium litterarum, si placet, rescribatis.*

Honorius obsequens voluntati ac postulatis optimi Regis ad eum rescripsit, & legatum a suo latere misit, qui Stephano insignia re-

a quo regia insignia accipit;

galia solemni ritu impertiret, ut docet Thomas Archidiaconus cap. xxvi. Hist. Salon. *Eodem tempore Stephanus Dominus Serviæ, sive Rasciæ, qui Megajupanus appellabatur, missis Apocrisariis ad Romanam Sedem, impetravit ab Honorio summo Pontifice coronam Regni; direxit namque legatum a latere suo, qui veniens coronavit eum, primumque constituit regem terræ suæ.* Hic videlicet primus fuit e gente Neemania, quem Pontifex Romanus regio titulo ac diademate decoravit. Nam Simeon parens, & Vulcanus frater Stephani, Stephanus quoque non a Romano Pontifice acceperant, sed ipsimet sibi regale nomen adscripserant. Ac Stephanus quidem ante annos fere viginti idem, quod ab Honorio, ab Innocentio III. petierat, ut sibi videlicet titulum conferret *Regis Serbliæ*, quocum commutare cupiebat titulum minus honorificum *Megajupani Serbliæ*. Ne illum impetraret, vehementer obstiterat Andreas frater Emerici regis Hungariæ, *Dux Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Culmæ*, quos titulos Andreas in quodam suo Diplomate anni 1198. sibi inscripsit; nolebat siquidem alterum declarari *Regem Serbliæ*, cujus regni aliquas provincias, veluti *Ramam, Chulmiam*, & alias ipse obtinebat. Honorius III. voluntati & postulatis Stephani obsequendi cupidus, nequam offensionis causam præberet Andreæ tunc regi Hungariæ, hoc temperamentum invenit, ut tacito ac prætermisso *Serbliæ* vocabulo Stephanum *Regem Rasciæ* appellaret, quæ, ut diximus, pars erat Serbliæ sive Mœsiæ Superioris vergens ad meridiem, antiquitus Dardania dicta. Cæterum hi reges nihilo secius, quam antea, consentientibus, vel non repugnantibus Hungariæ regibus, deinde appellati sunt alias *Serbliæ*, alias *Rasciæ*, alias *Sclaverum* reges, ut docent monumenta illorum temporum. Andreas Dandulus in Chronico lib. x. cap. 4. part. 29. auctor est, Stephanum in matrimonium duxisse neptem quamdam Henrici Danduli Ducis Venetiarum, quæ maritum a schismate Græcorum abduxerit, & cum Ecclesia Catholica reconciliaverit; sed verius dixerim a pia uxore confirmatum fuisse in ea fide atque obedientia erga Deum & Vicarium Christi, quam cum fratribus suis Vulcano & Rasco a Simeone parente acceperat. *Stephanus quoque*, ait Dandulus, *qui Rasciæ & Serviæ Megajupanus appellabatur, cum neptem quamdam Henrici Danduli Ducis accepisset in conjugem, ex suasione uxoris abjecto schismate, per nuncios a Papa obtinuit, ut regio titulo decoratus esset, & per Legatum Cardinalem ad hoc missum una cum conjuge sua coronati sunt.* A suscepto diademate ac titulo regali an. 1220. vix annus intercesserat, & obit an. 1221.

cum e vita migravit, si fides habenda est tabulis Catharensibus, in quibus an. 1221. XVII. Kal. Octobris *Radoslavus Rex Serviæ* nominatur. Qui Vulcano & Stephano in regnum Serbliæ deinceps successerunt per annos centum ac fere viginti, cum Ecclesia Romana vel fidei & obedientiæ vinculo conjuncti fuerunt, vel ab ea certe non alieni, neque Catholicis infesti, vel denique communionem cum Sede Apostolica ad breve tempus interruptam redintegrarunt.

Post Stephanum duos reges, quos Maurus Orbinus, & Carolus Dufresnius silentio prætereunt, nobis suppeditant tabulæ Catharenses, Radoslavum an. 1221. vel 1227. itemque Uladislavum sive Ladislavum Radoslavi, ut mihi videtur, filium an. 1229. Huc revoca quæ scripsimus in historia Ecclesiæ Catharensis, & in Blasio Episcopo Catharensi. His successit Neemanes II. cognomento Crapulas, frater fortasse Radoslavi, certe filius Stephani, de quo supra; nisi forte Neemanes polynominis fuerit, alias Radoslavus, alias Uladislavus in tabulis illis appellatus, & nominum quidem sit, non vero personæ diversitas. Neemanes itaque hic Stephani filius Pristinæ in urbe regia die solemni Paschali cum cæteris regalibus insignibus diadema suscepit, impositum sibi a *Patriarcha Serviæ*, ut docet Orbinus, quem quidem censeo fuisse Sabbam patruum Neemanis. Hic post multos annos inter Cœnobitas montis Athos sanctissime exactos cum Episcopus factus esset, ob insignes virtutes, & regii nominis claritatem primum Archiepiscopus, deinde Patriarcha totius regni Serbliæ appellatus fuit; cujus tituli Patriarchalis amplissimam potestatem traditam ei fuisse a Patriarcha Latino Constantinopolitano perhibet Tomcus Marnavitius, qui S. Sabbæ vitam descripsit: *Ita*, inquit, *suo pastorali muneri fecit satis, ut Constantinopolitanus Patriarcha in omnibus suæ curæ partibus, quacumque Illyricæ linguæ usus habebatur, ei suas vices cum amplissima auctoritate demandaret; unde vulgo tamquam alter Patriarcha est habitus;* & ab hoc fortasse caussa & origo Patriarchatus Pechiniensis repetenda est. Porro e Latinis tum Patriarchatum Constantinopolitanum gessisse constat Nicolaum Spoletanum antea Episcopum, qui ab anno 1235. ad annum usque 1251. dignitate & munere Patriarchali perfunctus est. Ad Neemanem II. vel potius ad Stephanum

Ejus filius Neemanes regni hæres

ejus

Digitized by Google

ejus parentem pertinere arbitror annulum regium, sive sigillum, quod apud Joannem Lucium extat his literis Græcis inscriptum; ΣΦΑΤΙ ΣΤΕΦΑΝΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΙΟΥΠΑΝΟΥ ΤΟΥ ΝΕΜΑΝΙΑ.

Sigillum Nemanis II.

Nunc ad Joannem revertamur, qui ad extremam senectutem pervenerit necesse est; nisi quis alius inter hunc & Joannem hujus nominis II. interjectus fuerit, cujus memoriam & res gestas vel Scriptorum incuria, vel Tabularum jactura posteritati præripuit. Anno 1235. admodum senem fuisse apparet ex epistola Gregorii IX. an. x. Pontificatus x. Kal. Maii, idest an. 1237. inscripta *Priori Fratrum Prædic. in Romana Provincia*.

Ob depravatam Cleri disciplinam missi in Serbiam PP. Dominicani,

Annis fere postremis ejus regiminis gravia quædam vitia non solum in Clericos & Sacerdotes, sed etiam in Episcopos provinciæ Antibarensis irrepserant; nec vero ipse Archiepiscopus omni culpa vacabat, sive quod iisdem, quibus cæteri, vitiis laboraret, sive quod propter incuriam, & senectutem ignavam ad ea coarguenda & extirpanda nihil studii curæque adhiberet. Gregorius IX. Præsidi Fratrum Prædicatorum per literas imperavit, ut aliquot ex Ordine suo selectos viros in provinciam Antibarensem mitteret, qui Clericos & Presbyteros, quorum soluta admodum erat disciplina, corruptique mores, ad veterem sobrietatem & sanctimoniam revocarent, Episcopos vitæ licentioris otio & voluptatibus deditæ Romam ad Pontificem adire juberent iis, quibus digni erant, castigationibus, reprehensionibus, pœnisque plectendos; *Archiepiscopum vero*, inquit, *propter senectutem nolumus ad Sedem Apostolicam personaliter laborare*. Hæc est sententia epistolæ Gregorianæ, quam ab se visam & lectam in libris sacri Collegii sive *Datariæ* Romanæ testatur Præsul amplissimus Josephus Garampus. Eamdem nos ex Tomo II. Bullarii Dominicani hic describimus.

Gregorius Episcopus Servus servorum Dei Dilecto Filio fratri Priori Ordinis Prædicatorum in Romana Provincia salutem & Apostolicam Benedictionem.

jussu Gregorii PP.

Lecta coram Nobis Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Antibarensis petitio continebat, quod Episcopi, Abbates, & alii Ecclesiarum Prælati, necnon Presbyteri, & alii Clerici suæ Provinciæ Dignitates, & Ecclesiastica beneficia de manu receperint laicali; & iidem Episcopi absque Missarum celebratione conferant Ordines extra tempora constituta; & quod idem Archiepiscopus, licet propter hoc Episcopum ab executione Pontificalis officii tamdiu suspendisset, donec nostro se conspectui præsentaret, ipse tamen hujusmodi suspensione contempta nec ab ejusdem officii executione cessavit, nec se præsentare voluit coram Nobis, sed persistens damnabiliter in eadem suspensus diem clausit extremum. Præfatus quoque Archiepiscopus timorem humanum divino præferens, nec attendens, prout convenit, diligenter, quod illum timere oportet, qui potest corpus & animam perdere in gehennam, gravissimo metu Domini temporalis, quinta feria quemdam cum celebratione Divinorum Episcopum consecravit, & vivente Abbate cujusdam Monasterii, nec amoto, substituit & benedixit alium loco ejus contra sanctiones canonicas. Quidam præterea filii Balial bonæ memoriæ Dravastren. Episcopum ausu diabolico occiderunt; & a quibusdam Viris religiosis, qui nuper ad eamdem Provinciam accesserunt, pro sua voluntate dicentibus, quod in quarto gradu licite matrimonia contrahantur, nonnulli Principes sic decepti in gradu hujusmodi contraxerunt; super quibus omnibus petiit idem Archiepiscopus per Sedem Apostolicam misericorditer provideri. Quia vero talibus abusionibus tanto est celerius obviandum, quanto majora pericula continent animarum, mandamus, quatenus ad dictam Provinciam sine moræ dispendio aliquot de Fratribus tui Ordinis ad hoc idoneos studeas destinare. Quod si de hujusmodi manuum injectione constiterit, dictos sacrilegos tamdiu ab aliorum consortio evitari faciant, donec Deo, & Ecclesiæ satisfecerint competenter, & cum eorumdem testimonio literarum ad Sedem venerint Apostolicam absolvendi. Præfatum Archiepiscopum, quem propter senectutem nolumus ad Sedem Apostolicam personaliter laborare, ad tempus, & jam dictos Episcopos, quousque personaliter compareant coram Nobis, si eos invenerint taliter excessisse, ab executione Pontificalis officii suspendendo, & habentes præ oculis solum Deum corrigant; reforment interea Provinciam tam in capitibus, quam in membris, & consimilia fieri de cætero in eadem Provincia distinctius inhibendo. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, compellant. Datum Viterbii x. Maji Pontificatus Nostri Anno decimo, idest anno 1237.

qui Antibarensem Ecclesiam & Provinciam subjicit Metropolitæ Ragusino.

Dum ergo Archiepiscopus & Episcopi Provinciæ Antibarensis otio ac delitiis diffluentes res ecclesiarum suarum negligerent, & cum nemo esset, qui dignitatem & jura illius Metropolis tueretur, Arrengerius Archiepiscopus Ragusinus sibi suæque Metropoli possessionem illarum Ecclesiarum, quas ei Pontifices Romani attribuerant, confirmandam curavit. Itaque Gregorius IX. ejus rogatu Ecclesias omnes Dalmatiæ Superioris simul cum ipsa Ecclesia Antibarensi an. 1227. Metropolitæ Ragusino subjecit. Idem Pontifex an. 1238. in suis literis ad Joannem Archiepiscopum Ragusinum eadem privilegia, & Archiepiscopalem in easdem Ecclesias jurisdictionem confirmavit. Habes utramque epistolam Gregorianam Tomo VI. in Arrengerio & Joanne Archiepiscopis.

Sed neutra epistola Gregorii ad Arrengerium & Joannem cohæret cum epistola ejusdem Pontificis supra descripta ad Præsidem Patrum Prædicatorum; in hac siquidem Antistitem hujus Ecclesiæ Archiepiscopum vocat, & Episcopos illos, quibus ex mandato pontificio Romam adeundum erat, Provinciæ Antibarensi adscribere videtur; contra vero in

Digitized by Google

in utraque epistola ad duos Archiepiscopos Ragusinos non solum Episcopos omnes superioris Dalmatiæ, sed ipsum Antibarensem Præsulem Ragusinæ Metropoli subjectum esse declarat. Ad hæc nihil habeo quod respondeam, nisi moris fuisse Romanorum Pontificum, ut privilegia Ecclesiarum, quæ a suis decessoribus concessa reperiebant, totidem fere, atque illi, verbis confirmarent, sic prorsus, ut vetera superiorum Pontificum diplomata exscriberent, suisque literis insererent: cum vero de metropolitico titulo ac jure in Ecclesias superioris Dalmatiæ controversiæ vigerent adhuc inter Ragusinum & Antibarensem Antistites, ille vero semper intercessisset, siquid in Antibarensem honoris, atque jurisdictionis collatum a Romano Pontifice cognoverant, ut plane constabit paullo inferius, noluit Gregorius, re nondum definita, denegare Ragusinis Archiepiscopis, quod a decessoribus suis fuerat iisdem concessum, nec tamen Antibarensem Ecclesiam suo jure, suaque dignitate privari, quibus jamdudum potiebatur, donec caussa cognita foret utrinque, & contentio certo ac supremo judicio dirimeretur.

Joannis Archiepiscopi obitus.

Archiepiscopus Joannes ad annum fere octogesimum vitam perduxit, & anno circiter 1247. e vivis excessit.

JOANNES II. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS IV.

Novi Archiepiscopi Capitularem electionem

Post obitum Joannis Canonici Antibarenses F. Joannem ex Dominicana familia sibi in Archiepiscopum elegerunt. Joannes III. Archiepiscopus Ragusinus, cum sibi jus metropoliticum in Ecclesiam Antibarensem vindicaret, jus quoque Capitularis electionis confirmandæ ad se pertinere contendebat. Verum Canonici, cum neque se, neque suam Ecclesiam Metropoli Ragusinæ subjectam esse vellent, ab Innocentio IV. confirmationem petendam esse censuerunt; qua de re Ragusinus questus est apud Pontificem, qui, nequid præjudicii alterutri parti fieret ante caussam cognitam, pro sua potestate Capitularem

rescindit Innocentius IV.

electionem irritam fecit, & F. Joannem de Carpino ex Ordine Franciscano de re Christiana & Sede Apostolica optime meritum Antibarensibus dedit, & Episcopali consecratione initiavit anno 1248. Id docet epistola ipsius Innocentii ad Salvium Episcopum Tribuniensem, quam habes integram in Joanne III. Archiepiscopo Ragusino, & cujus partem hic exscribimus. *Vener. F. N. Archiepiscopus Ragusinus in nostra proposuit præsentia constitutus, quod, vacante olim Antibaren. Ecclesia sibi metropolitico jure subjecta, ipsius Capitulum F. Joannem de Ordine Prædicatorum sibi in Pontificem eligentes, ac contemnentes ipsum sibi confirmandum ab ipso, prout ad eum pertinebat, præsentare, ad nostram præsentiam accessere; cujus per Nos electione cassata, justitia exigente, suggesto Nobis ex parte ipsius Capituli, quod Metropolitana Sedes dicta Antibarensis existebat, obtinuere eidem Ecclesiæ de F. Joanne de Ordine Minorum, cui consecrationis munus impendimus per Sedem Apostolicam provideri.* Data est *Lugduni* x. *Kal. Junii an.* VII. *Pontificatus*, idest an. 1250.

& F. Joannem de Carpino Archiepiscopum eligit an. circ. 1248.

Joannis ante Episcopatum gesta.

Joannes itaque de Plano Carpini, unde in Italia oriundus erat, cognomen adeptus, nisi primus, certe inter primos fuit, qui ex Ordine S. Francisci ad Ecclesias Dalmatiæ regendas accesserunt. De illo hæc Arturus in Martyrologio Franciscano ad diem primam Augusti. *Erat concionator insignis, quem una cum aliis sanctis viris B. Cæsarius primus Germaniæ Minister Provincialis in socium delegit an.* 1221., *præmisitque Tridentum, postea Herbipolim, Spiram, Wormatiam & Coloniam, ubi sermonibus ad populum habitis multos ad pœnitentiam convertit. Anno vero* 1223. *in Capitulo Provinciali, B. Alberto Pisano Ministro Germaniæ existente, electus est Custos Saxoniæ, successitque B. Simoni Anglico in Provincialatum Germaniæ an.* 1228. *Ordinemque maxime propagavit in Bohemia, Hungaria, Dacia, Norvegia, Saxonia, Alsatia, Austrasia, Lotharingia &c. Capitulo Generali Romano & Translationi Corporis B. Francisci Assisii an.* 1230. *interfuit. At, dum B. Joannes Parens Minister Hispaniæ assumptus est ad Generalatum, hic ejus loco ad Hispaniam destinatur, ubi mira vitæ sanctitate cunctis illuxit. Hinc Innocentius IV. B. Joannem tractandæ pacis inter Christianos & Barbaros Legatum cum sociis ad Regem Tartarorum misit an.* 1245. *qui post duos annos una cum sociis regressus est ad Pontificem an.* 1247. Hactenus Arturus, cui cohæret Joannes Hyacinthus Sbaralea Tomo I. Bull. Francisc. pag. 296. cum & Provinciale Joannis ministerium in Germania inferiori an. 1228. commemorat, & ad Tartaros legationem; hujus vero legationis testis extat apud ipsum Sbaraleam epistola Innocentii IV. *Magno regi & populo Tartarorum* an. 1245. die 5. Martii inscripta, in qua hæc de Joanne: *Ecce dilectum Filium Joannem & socios ejus latores præsentium viros religione conspicuos, honestate decoros & sacræ Scripturæ scientia præditos ad vos propter hæc duximus destinandos.* Verum Joannis ex hac legatione reditus consignandus est an. 1248. aliter ac sentit Arturus; nam Innocentius Pontifex in alia epistola hujus anni, x. Kal. Februar. *Nobili viro Alexandro Duci Susdaliensi*, in Moschovia, illum & *Pœnitentiarium suum* nominat, & *ad Gentem Tartaricam destinatum*, ex eodem Sbaralea. D. Antoninus part. 3. hist. tit. 19. cap. 8. §. 2. perhonorificam Joannis ejusque legationis mentionem injicit hæc scribens; *Dominus Innocentius IV. misit ad Tartaros non solum Fratres Prædicatores, sed etiam Fratres Minores, quorum principalis fuit F. Joannes quidam, qui primo accessit ad regem Bohemiæ ad habendum informationem de itinere, qui honorifice tractavit eos, deinde ad regem Russiæ, & regem Poloniæ,*

Digitized by Google

niæ, & postea ad ducem Cracoviæ, & eos omnes humanissime tractaverunt; & eis abundanter providerunt. Et post haud brevem Tartariæ descriptionem subdit ab Imperatore Pontificis literas fuisse acceptas; tum legati, *receptis literis responsalibus, iter arripuerunt cum multo labore de nocte jacentes in nive super terram, & applicantes ad terras Christianorum recepti sunt cum gaudio magno tamquam a morte suscitati, & per Russiam, Poloniam & Bohemiam transeuntes magno honore habiti sunt.* Tartarorum vero ad Christianam religionem conversio consecuta est anno primum 1248. cum ad S. Ludovicum Galliarum regem in Cypro degentem oratores venere cum literis Principis cujusdam in Tartaria viri, qui se & Tartaros plures religionem Christianam amplexos esse nuntiabat; anno demum 1254. natio fere tota, & ipse in primis Imperator Christianis mysteriis imbuti nomen Christo dedere, & missis ad Romanum Pontificem legatis, ejus potestati, ac supremo in Ecclesia imperio semet subdiderunt. Hæc ex Jonvillæo & Nangio in hist. S. Ludovici, atque ex Raynaldo Tomo I. Annal. Eccl. Ut mirum sit, anonymum nescio quem Scriptorem in Tomo I. operis nuperrime editi in Gallia, & inscripti, *Recherches philosophiques sur les Americains* &c., hanc Joannis legationem, immixtis verborum jocis, irrisisse tamquam inutilem. Quæ tamen horum hominum summa impudentia est, atque impietas, graviora illustrioraque religionis & Ecclesiæ negotia atque facinora in dubium ac risum vertere, ut utramque lacessant, tenebrisque offusas e Catholicorum animis per jocum contemptumque abjiciant. Abrahamus Bzovius Tomo I. Annal. hæc memoriæ prodidit: *Ad Tartaros convertendos missus Joannes de Carpino, qui postea fuit insignis Antibarensis Archiepiscopus. Quamquam magna cum difficultate terram barbarorum penetrasset, & nonnullos obices Evangelicæ prædicationi statim in limine offendisset, cunctis tamen superatis, immensis laboribus exantlatis, innumerabiles gentilium ad Christum adjunxit.* Et Bernardus Guido in vita Innocentii IV. *Ad Tartaros quoque, gentem amaram, nullius religionis & ritus, quæ præ sui multitudine repleverat quasi universam faciem partium Orientis, missus est vir multæ religionis frater Johannes de Planocarpino ordinis minorum, Pœnitentiarius ipsius*, idest Innocentii, *postmodum Archiepisc. Antinacensis*, hoc est Antibarensis. *Qui transiens per terram desertam, inviam, & inaquosam, & per diversarum viarum anfractus in fame, & siti, frigore, & nuditate, ad illos post multos fere per annum labores graves, & varios, duce Domino, est deductus, alloquens eos postmodum per interpretem, cum ignotæ linguæ ab habitabili nostra zona haberentur penitus, multo laboravit studio, siquo modo reciperent verbum Dei, & ad ovile fidei Catholicæ vocarentur. Hic solus ad ipsorum regem pervenit, cum plurimi hoc tentassent, nec unquam ipsum attingere potuis-*

sent, & propter ipsius distantiam, qui erat in ultima parte sui exercitus constitutus, qui quidem exercitus in longum nimium tendebatur. Eamdem legationem narrat & Lucas Waddingus tum in libro de Script. Eccl. Ord. Min., quam a Joanne susceptam tradit cum Benedicto Polono & Stephano Bohemo an. 1244. jussu Innocentii IV. & approbantibus Patribus Concilii Lugdunensis, eamque per annum integrum & menses quatuor obiisse, & scriptos ab illo Commentarios fuisse de moribus, ritibus, & bellis Tartarorum; tum in Supplem. ad Tom. I. Annalium in hæc verba: *Joannes a Plano Carpini fit Archiepiscopus Antibarensis. Is reversus ad Pontificem cum Bernardino Polono, & reliquis sociis an. 1247. retulit Imperatorem*, scilicet Tartarorum, *ab ipsis instructum erga Fidem catholicam valde propendisse, magnamque ei spem ingessisse ejusdem infra breve tempus amplectendæ, ut revera postea amplexus est. Ab eodem fuerunt donaria, & vestes pretiosæ ad Innocentium transmissæ. Pontifex propter ejus legationem adeo prudenter & feliciter peractam eum secum per tres menses retinuit, & Antistitem Antibarensem instituit; eaque verba illi dixit: Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis, ei qui misit eum, animam illius requiescere faciet. Euge serve bone & fidelis; quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Prov.* xxv. 13. *Matth.* xxv. 23. Alteram Joanni legationem ad Ludovicum Regem Galliarum demandatam ab Innocentio, postquam renuntiatus esset Archiepiscopus Antibarensis, narrat eo in loco idem Waddingus: *Deinde a Pontifice missus est ad S. Ludovicum Regem jam paratum ad expeditionem Terræ sanctæ, ut parumper transfretare differat, donec constaret, quomodo se Pontifex defendere posset a minis & feritate Friderici Imperatoris propter recentes victorias contra Pontificem insolescentis*; atque inde reversus, & Antibarim profectus Ecclesiæ sibi commissæ gubernacula suscepit.

Mittitur legatus ad Ludovicum regem Galliarum.

Antibari, atque in aliis civitatibus provinciæ Antibarensis mos invaluerat, ut statim, atque Episcopus extremum spiritum efflasset, cives undique in Episcopalem domum invaderent, omnia expilarent, atque inter se dividerent. Multi e laicis & Clericis graviorum anathematum vinculis illigati erant, propterea quod alii cum aliis rixantes non solum jurgiis, sed etiam armis, nec citra sanguinis effusionem depugnaverant, & quos Interdictum ecclesiasticum ab altaribus arcebat, iis religio non fuerat, quominus sacros Ordines susciperent, divinisque ministeriis operam darent. Non pauci erant, qui bona Ecclesiarum contra jus fasque divendita emerant, ac retinebant. Plerique vero decimas fructuum ex agris, pratis, armentis perceptorum Deo & Ecclesiæ solvere abnuebant. Joannes, his & aliis nihilo levioribus malis ut remedium adhiberet, Synodum Provincialem convocavit. Multa partim vetando, partim jubendo sapientissime decrevit, ac sancivit; ad quorum robur & firmitatem ut auctorita-

Antibarim venit, & Synodum Provincialem convocat.

Digitized by Google

ritatem Apostolicam adjungeret, Innocentium IV. supplicibus literis rogavit. Duæ extant epistolæ Innocentii IV. ad Joannem Archiepiscopum Antibarensem, datæ Lugduni anno VII. Pontificatus, Christi 1250. Priori confirmat sententiam excommunicationis, quam Archiepiscopus una cum Concilio in eos tulerat, qui bona cujuslibet Episcopi demortui occuparent, ac diriperent; altera potestatem fecit Archiepiscopo illos culpa pœnaque liberandi, qui manus violentas in Clericos intulerant, & illos etiam impedimento canonico eximendi, quos violatio Censuræ ecclesiasticæ ad aras accedere, & sacras functiones exercere prohibebat.

Epistola Innocentii ad Joannem de direptoribus bonorum Episcopalium;

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei Ven. F. Archiepiscopo Antibaren. Sal. & Apost. benedictionem. Tua Nobis Fraternitas intimavit, quod de indita quadam prava consuetudine cives Antibarenses, cum Antibaren. Archiepiscopus decedebat, bona ejus mobilia occupantes inter se temere dividebant, quod aliarum Civitatum provinciæ tuæ cives ad suas Cathedrales Ecclesias in exemplum audendi similiter pertraxerunt. Unde ad abolendam hujusmodi consuetudinem, immo potius corruptelam, in provinciali Concilio sub excommunicationis pœna voluisti districtius prohibere, ne in Antibarensi Ecclesia & provincia similia de cætero præsumantur; & ut a Capitulo cujuslibet Ecclesiæ ipsius provinciæ Ecclesiastica persona in ea idonea canonice ordinetur, quæ Vicarii nomen gerens omnium rerum vacantis Ecclesiæ post Prælati discessum curam habeat, easque assignet fideliter successori, a te, eodem approbante Concilio, statutum est. Nos igitur, quod super his provide factum est, ratum & gratum habentes illud auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Siquis autem &c. Dat. Lugduni X. Kal. Maii Pontificatus Nostri anno VII. idest 1250.

altera de Clericis excommunicatis;

Innocentius Episcopus Servus &c. Ven. F. Nostro Archiep. Antibaren. Salutem &c. Sicut te accepimus intimante, nonnulli Clerici & laici tuæ Provinciæ propter injectionem manuum, quandoque usque ad levem effusionem sanguinis, in sæculares Clericos, & etiam Regulares personas . . . ., excommunicationis laqueum incurrerunt, quorum Clerici quidam divina celebraverunt officia, & sic ligati susceperunt Ordines; de quorum salute sollicitus provideri super his a Nobis misericorditer postulasti, præsertim cum tum propter viarum discrimina, tum propter locorum distantias, tum etiam propter expensarum defectum nequeunt Apostolicam Sedem adire pro absolutionis beneficio & dispensationis gratia obtinendis. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes Fraternitati tuæ præsentium auctoritate committimus, ut hac vice prædictis excommunicatis juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendas, & pasis injuriam satisfieri facias; dummodo gravis non fuerit, & enormis illorum excessus, propter quem merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi: cum irregularibus vero hujusmodi auctoritate nostra, prout secundum Deum, & animarum saluti expedire videris . . . . proviso quod tales labores itineris redimant operibus pietatis. Dat. Lugduni X. Kal. Maji anno Pontif. Nostri VII. idest 1250.

tertia de bonis Ecclesiæ Antibaren. ad Ep. Dulchinien. & Svacien.

Aliam epistolam Innocentius scripsit eodem loco ac die ad Episcopos Dulchiniensem & Suaciensem, ut jubeant Ecclesiis bona restitui, quæ per illicitam venditionem & emptionem distracta fuerant ab Antibarensi Ecclesia non exiguo ipsius Ecclesiæ, & Archiepiscopalium redituum detrimento, nolentes vero restituere anathemate feriant.

Innocentius &c. Venerabilibus Fratribus nostris Dulcinen. & Svacinen. Episcopis. Interest nostra, ut succurramus damnificatis Ecclesiis providendo. Cum igitur, sicut ex parte Ven. F. nostri Archiep. Antibaren. fuit propositum coram Nobis, multa de bonis Antibarensis Ecclesiæ, ac Mensæ dicti Archiepiscopi prædecessores sui vendiderint, & alias distraxerint in earum non modicum detrimentum, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, venditionibus hujusmodi nequaquam obstantibus, ea, quæ de bonis prædictis alienata inveneritis illicite, & distracta, studeatis ad jus & proprietatem prædictarum Ecclesiæ & Mensæ legitime revocare. Contradictores &c. Dat. Lugd. X. Kal. Maji Pontif. Nostri an. VII. idest 1250.

quarta de decimis ad Joannem Archiepisc.

Et quarta demum Innocentii epistola superest, quam biennio post, cum esset Perusii, scripsit ad Joannem Archiepiscopum, eaque ad solvendas decimas jubet omnes anathematis pœna proposita compelli, ad eosque compellendos suam Archiepiscopo auctoritatem impertit.

Innocentius Episc. &c. Ven. Fr. Archiep. Antibar. Sal. & Ap. Ben. Cum, sicut Nobis significare curasti, nonnulli in Diœc. & Provincia Antibar. decimas de animalium nutrimentis, de frugibus, aliisque fructibus terræ ac lucris licite acquisitis Ecclesiis debitas in ipsarum Ecclesiarum præjudicium subtrahant non absque illius injuria, qui bonorum omnium est largitor, tuæ Fraternitatis precibus inclinati, ostendentes, quod decimæ tributa sunt egentium animarum, ad exhibendum & solvendum easdem Ecclesiis & personis, quibus debentur, compellendi per te, ac alios, monitione præmissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, quoslibet illicitos detentores earum in prædictis Diœcesi & Provincia, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Dat. Perusii XII. Kal. Maji Pontif. Nostri anno IX. idest 1252.

Ragusiensium in Joannem Archiep. & Antibarenses vis.

De provincialibus Episcopis, ac de titulo & jure metropolitico cum Joanne III. Archiepiscopo Ragusino multæ & magnæ contentiones Joanni II. Antibarensi jam inde a suscepto Episcopatu fuerunt, quæ usque eo processerant, ut cives ipsos Ragusii & Antibaris in mutuam perniciem armarent; jamque ad bellum apertum spectabant, & Ragusini

Digitized by Google

sini injurias atque arma Antibarensibus inferre jam cœperant; cum Innocentius IV. de periculo & exitio, quod imminebat utrique clarissimæ Civitati, admonitus suis ad Comitem, Patritios & populum Ragusinum litteris Lugduni datis an. 1248. v. Kal. Septembris eos ad pristinam cum Antibarensibus concordiam redintegrandam hortatus est. Hanc epistolam Innocentii Tomo VI. inseruimus in Actis Joannis III. Archiepiscopi Ragusini. Inter hæc dissidia, & non incruenta certamina accidisse arbitror, ut Joannes Metropolita Antibarensis caperetur; id quod intelligi potest ex epistola Joannis III. Antistitis Ragusini, quam in eodem Joanne descripsimus; *ita quod*, inquit, *Prælatus Antibarensis .... diffamationis ad Clerum & populum Ragusinum super captione sua proponendo quædam turpia & inhonesta, petendo a nobis duo millia hyperperorum pro absolutione excommunicationis super ipsius captione* &c. Per imprudentiam factum esse existimo, ut Ragusini personæ Archiepiscopali, quæ in eo tumultu & rixa internosci non poterat, vim atque manus inferrent; nam, statim atque agnitus est, liber & cum honore dimissus fuit.

Dum igitur, quam diximus, controversia inter utrumque Metropolitam fervebat, Ragusinus omni ope operaque nitebatur, ut Episcopos provinciæ Antibarensis ad suam ditionem & potestatem revocaret, eosque quam officiosissimis verbis & promissis sollicitabat ad defectionem. Verum illi a suo legitimo Metropolita nullo prorsus modo se abduci voluerunt; & freti potentia ac patrocinio Regum Serbliæ imperium Ragusini constantissime abnuebant. Tunc vero in Serblia potiebatur Stephanus filius Neemanis II. cognomento Crapuli, quem Pachymeres lib. 5. cap. 6. alias *Uresim*, alias *Uroscum*, alias *Urosium* vocat; atque in tabulis Catharensibus, quas in Deodato Episcopo Catharensi XIII. protulimus, *Urosius* nominatur. Nomen quoque Rodoslavi, sui fortasse patrui, sibi adoptavit; & in Privilegio, quod Catharensibus concessit an. 1250., estque a nobis descriptum in eodem Deodato Catharensium Episcopo, subscriptus legitur *Stephanus Rodoslavus Dei gratia Rex Serviæ, & Maritimæ*, idest Serbliæ Mœsiacæ & Dalmaticæ; itemque subscripti sunt *Domini Uladislavus, & Urosius*, quos ipse fratres suos vocat; *Stephanum* vero *primum coronatum Regem*, scilicet Neemanem II., qui *Stephani* nomine assumpto *a Patriarcha Serviæ coronatus fuit*, genitorem suum appellat, & *Avum*, idest abavum, sive progenitorem nominat *Sanctum Simeonem Nemagniam, primum in Gloria, & Christianorum columnam*; ab hoc siquidem, Stephano Simeonis filio *avo*, & Neemane II. *parente* intermediis, quarta generatione distabat Stephanus Rodoslavus. Reges Serbliæ cum plura sibi nomina, & ferme eadem singuli adscriberent, ex eo fit, ut sæpe Scriptores vel alios cum aliis confundant, vel ex uno duos, e duobus unum efficiant, vel denique in unum conferant, quæ ad alium pertinent. Stephanus Rodoslavus insigni erga Deum religione fuit, justitiam & pietatem eximie coluit, bellicis laudibus & victoriis claruit. Joannem Angelum Ducem Patrarum & Dyrrhachii, filium Michaelis Epiri Despotæ, Zentam cum valido exercitu ingressum, prœlio apud Scodram inito, profligavit, victumque cepit; sed victo & capto, quæ ejus erat bonitas & clementia, libertatem ac pacem dedit, eaque conditione illum & se obstrinxit, ut neuter alterius provincias deinde invaderet, ut docet Maurus Orbinus de regno Slavorum pag. 253. Sed jam ad id, unde digressi sumus, revertamur.

Stephanus Serbliæ rex

Hujus ergo regis Stephani Rodoslavi clientelam & potentiam ad repellendos Ragusini Archiepiscopi conatus Joannes II. Metropolita, & Episcopi provinciæ Antibarensis opposuerunt: omnes quippe suberant imperio Stephani Rodoslavi, qui suarum partium esse duxit, sui Metropolitæ, suorumque Episcoporum defensionem suscipere, ac vetuit omnes Serblianos Antistites ullum alium Metropolitam, nisi Antibarensem colere ac revereri. Contra vero Ragusinus, qui suis adversariis potentissimi Regis patrocinio munitis se non posse resistere animadvertebat, auxilium ab Innocentio IV. adsciscendum censuit; & literis plenis querelarum de Ecclesiis sibi contra jus fasque ademptis apud summum Pontificem expostulavit, impetravitque ab eo Mandatum ad Salvium Episcopum Tribuniensem anno 1250., quo hic jubebatur Episcopos, quorum nomina per Joannem Ragusinum delata fuerant, in Curiam Lugdunensem per præconem ad Pontificem citare, quo sese intra menses octo ad causam suæ Metropolis Antibarensis dicendam tuendamque conferrent. Epistola Innocentiana ad Salvium inserta est Actis Joannis III. Archiepiscopi Ragusini una cum denuntiatione Mandati Pontificii Episcopis provinciæ Antibarensis per Designam Presbyterum Ragusiensem declarata. An vero hi Episcopi Lugdunum intra tempus præfinitum adierint, literis proditum non invenio.

Antibarensem tuetur.

Innocentius IV. controversiæ Ragusinæ & Antibarensi ut finem aliquando imponeret, utrique Archiepiscopo auditorem, sive disceptatorem dedit an. 1252. x. Kal. Maji Episcopum Sabinensem, coram quo litem contestarentur, ac testes pro sua quisque causa producerent, ac nominarent, ipse vero nomina testium, & ea singillatim, de quibus testes utrimque producti interrogandi essent, scriptis tradita, suo chirographo subscripta, signoque obsignata ad Episcopum Anconitanum transmitteret. Huic autem per literas imperavit, ut scripta illa reciperet, testes in his nominatos ad suum tribunal citari juberet, de quibus percontandi essent, rite interrogaret, ad singulas interrogationes quæ respondissent, juratique affirmassent, in tabulas referret, quas sua manu, suoque annulo impresso signatas ad Pontificem deferendas

Controversia Ragusina & Antibarensis Episcopo Sabinensi,

Digitized by Google

curaret; hac quæstione, quam intra sex menses absolvi jusserat, peracta, tum Antibarensi & aliis, qui ab eo starent, Episcopis, tum Ragusino Metropolitæ denuntiaret, ut vel per se, vel per suos procuratores intra secundum ab ea denuntiatione mensem Perusium se conferrent, ut, quam ipse Pontifex pro veritate & justitia sententiam pronuntiasset, humili obsequentique animo exciperent.

& Anconitano demandatur ab Innocentio.

Innocentius Episcopus Serv. servorum Dei Ven. Fratri Episcopo Anconitano Sal. & Apost. Benedictionem. Cum in causa, quæ inter Ven. Fratres nostros Ragusinum Archiep. ex una, & Antibar. Episcopum, ac. . . . Buduanum, Dulcinen. Drivasten. Scodren. Svanen. & . . . , Polaten. Episcopos ex altera super eo, quod dictus Archiep. Ragusinus asserit eumdem non esse Archiepiscopum, sed Episcopum, & eum ac prædictos Episcopos fore sibi, & Ecclesiæ Ragus. metropolitico jure subjectos, vertitur, Ven. Fratrem nostrum Sabinen. Episcopum dederimus partibus Auditorem, quia, lite coram eo legitime contestata, utraque pars ad probandum intentionem suam intendit producere quosdam testes; Fraternitati tuæ per scripta mandamus, quatenus per se, vel per alium, aut alios testes, quos partes ipsæ super capitulis, quos idem Sabinen. Episcopus cum interrogatoriis earumdem partium sub sigillo suo tibi transmittit inclusos, producere voluerint, usque ad sex menses post receptionem præsentium, prudenter recipere, ac secundum interrogatoria diligenter examinare procures, depositiones eorum fideliter in scriptis redactas sub sigillo tuo ad nostram præsentiam transmissurus, præfixo partibus prædictis termino peremptorio duorum mensium post prædictos sex menses, quo per se, vel per Procuratores idoneos nostro se conspectui præsentent justam, dante Domino, sententiam recepturæ. Non obstante, si est aliquibus ab Apostolica Sede indultum, ne de causis, quæ per literas Sedis ipsius committuntur eisdem, cognoscere teneantur, quæ de hujusmodi indulto mentionem non faciant, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Perusii x. Kal. Maji, Pontificatus nostri anno nono, idest 1252.

In hac epistola Innocentius Antibarensem vocat simplicem Episcopum, non quidem e sua, sed ex assertione Archiepiscopi Ragusini. Cæterum ipsemet Innocentius, dum hæc controversia adhuc erat sub judice, in omnibus suis ad Antibarensem litteris illum appellavit Archiepiscopum; nec sane æquum esse videbatur, ei titulum Archiepiscopalem, in cujus erat possessione, ante caussam rite cognitam denegare. Tantum vero abest, ut de jure & potestate metropolitica Archiepiscopi Antibarensis, re injudicata, detrahere quidquam vellet, ut biduo ante cognitionem hujus caussæ Episcopis Sabinensi & Anconitano delegatam per suas litteras jusserit Episcopum Catharensem graviter severeque admonere Episcopum Arbanensem, qui ab Joanne Archiepiscopo Antibarensi desciverat, ut ad officium, & in fidem sui legitimi Metropolitæ rediret. Habes hanc epistolam in Actis Centiberii Episcopi Catharensis XIV., iterum exscribendam in Arbanensibus, seu Albanensibus Episcopis. Extat epistola 62. ejusdem Innocentii in lib. *Romanæ Datariæ*, sive *Sacr. Coll. an.* VIII. VI. *Id. Augusti*, idest 1251. *Antibaren. Archiepiscopo: Ut ad communionem & unitatem S. R. E. recipiat Episcopum Arbanensem ad eamdem reduci cupientem; eumque Sedi Apostolicæ immediate subjiciat . . . . si nulli Prælato Latino fuit unquam, aut esse debet de jure subjectus.* Incipit: *In Græciæ partibus quædam habetur Provincia, quæ Arbania nuncupatur, cujus Episcopus cordi habere dicitur, ut* &c. *Romanæ Ecclesiæ conjungatur* &c. Verum hic Episcopus alius esse videtur ab eo, de quo Innocentiana epistola ad Antistitem Catharensem, & alterius Civitatis & Ecclesiæ Arbanensis; quæ in Arbanensi Ecclesia alibi examinabimus.

Duæ Innocentii epistolæ.

Nunc vero ut ad controversiam Ragusinam & Antibarensem redeamus, litteris illis Innocentii Pontificis tum ante Lugduni, tum postea Perusii scriptis, in quibus Antibarensis vocatur *Archiepiscopus*, eique jus metropoliticum attribuitur, *Leonardus de Tarvisio Procurator Ven. Patris Archiepiscopi Ragus.* intercessit, nequod ex illis præjudicium caussæ Ragusinæ fieri posset, easque nec valere voluit, neque admittendas esse declaravit, nisi eatenus, qua jus auctoritatemque Metropolis Ragusinæ non attingerent, neque imminuerent.

Archiepiscopi Ragus. intercessio.

Joannes Bonus Episcopus Anconitanus post acceptas Innocentii literas, quas supra descripsimus, Ragusium misit Cosmam suum Scribam, suoque domestico sacello præpositum, quem ad cognoscendam caussam sibi a Pontifice legatam actorem sibi substituerat. Hic, cum Ragusium venisset, testibus adhibitis, Archiepiscopum Ragusinum Antibarim citavit ad audiendos testes, eisque respondendum, quos Archiepiscopus Antibarensis pro se, & pro Episcopis, qui eum caussæ communis procuratorem constituerant, in judicium productus esset. Aderat ibi Stanecha procurator Archiepiscopi Antibarensis, cui Cosmas præcepit, ut fidem publicam ab Archiepiscopo, & Communi Antibarensium, a Stephano Rodoslavo rege Rasciæ sive Serbliæ, & ab hujus fratre Uladislavo itidem rege literis consignatam Archiepiscopo Ragusino tradendam curaret, qua ille tutus ab omni detrimento & periculo Antibarim ire, morari, redire posset. Nec Ragusinus abnuit, & se iturum professus est, fide accepta vim & molestiam omnem ab se, suisque rebus abfuturam, dum accederet, maneret, ac discederet. Hæc acta sunt Ragusii, & tabulis publicis inscripta his verbis.

Joannis Boni Ep. Anconitani acta per Cosmam Scribam

Anno Incarnationis Domini MCCLII. mensis Julii tertio die exeunte Indic. x. in Archiepisco-

in Ragus. Archiepisc.

piscopali palatio Ragusinæ civitatis coram suprascriptis testibus, Cosmas Capellanus & Notarius Dni Episc. Anconitani, ac ipsius Dni Subdelegatus statuit terminum peremptorium Ven. Patri. . . . Archiepisc. Ragusino, ut nomine suo, & Ecclesiæ Ragus. recipiente, ut per se, & per idoneum procuratorem compareat coram ipso Cosma in civitate Antibaren. die octavo exeunte mensis Augusti ad videndum, & audiendum jurare testes, quos voluerit introducere Dnus Antibaren. Archiepiscopus pro se, & procuratorio nomine aliorum Episcoporum, quorum, ut dicitur, est procurator; alioquin procedet ad receptionem testium, secundum quod de jure fuerit procedendum. Jam præcepit Dno Stanechæ procuratori dicti Archiep. Antibaren. præsenti, quod faceret & procuraret, ita quod dictus Antibaren. Archiepiscopus pro se, Comite, & Communi Antibaren., & Dno Rege Rasciæ, & fratre ejus Dno Rege Uladislavo inveniat securitatem dicto Dno. Archiep. Ragusino, & ejus procuratori, ut libere, & sine periculo aliquo tam in persona, quam in rebus possint venire Antibarim ad audiendum jurare testes, stare etiam, moram trahere, & redire pro suæ arbitrio voluntatis. Item dictus Dnus Archiep. Ragusinus pro se, & Ecclesia Ragus. dixit & protestatus est coram dicto Cosma, quod paratus est per se, & procuratorem suum comparere coram eo in Antibari, ut dictum est, dummodo securitatem habeat, secundum quod dictum est supra; & si per se, & procuratorem suum dictam securitatem non poterit habere, ut dictum est, nullum præjudicium fiat dicto Dno Archiepiscopo, & Ecclesiæ Ragus., & salvæ sint dicto Dno Archiepiscopo, & Ecclesiæ Ragusinæ omnes exceptiones suæ, quæ sibi de jure competunt tam in personas testium, quam etiam ipsorum dicta, quos dictus Antibaren. pro se, & procuratorio nomine aliorum Episcoperum, quorum, ut dicitur, est procurator, voluerit introducere in caussa, quæ vertitur inter memoratum Dnum Archiepiscopum & Ecclesiam Ragus., & Archiep. Antibarensem, & procuratorio nomine Episcoporum, quorum est procurator, coram Ven. Patre Episcopo Sabinensi a Dno Papa Innocentio IV. ipsis partibus Auditore concesso. Hi sunt testes, Presbyter Antonius Blancus, Ursacius Damiani Cleric., Patrana de Bonda & alii. Et ego Presbyter Pascalis, & Communis Ragus. Notarius juratus, scriptor sum, & testis juratus, complevi & roboravi.

Hactenus de hac controversia inter Archiepiscopos Ragusinum & Antibarensem, de qua nihil præterea posthac literis traditum invenio; quem vero exitum habuerit, uter caussam obtinuerit, nulla sunt monumenta, quæ doceant, & siqua erant, vetustate interierunt, vel siqua alicubi extant, me latent. Si vel Innocentius IV., vel aliquis de hujus successoribus huic controversiæ per suam sententiam finem imposuit, admodum verisimile est, judicatam fuisse secundum Metropolitam Antibarensem, præsertim cum illa tum Alexandri II., tum Innocentii III., tum aliorum, siqua extabant, Pontificum Romanorum Diplomata protulisset, ex quibus manifesto apparebat, dignitatem metropoliticam Ecclesiæ Antibarensi, & Pallium ejus Antistiti collatum fuisse, in iisque Ecclesiæ & Episcopi eidem subjecti nominatim percensebantur. Adde, quod nullam postea de titulo & jure Archiepiscopali litem Antibarensi illatam esse reperies; nisi quod Jacobus Ragusinus Archiepiscopus, non quidem de tota jurisdictione, sed fortasse de aliqua ejus parte nescio quid controversiæ habuit cum Antibarensi, ut docet Sebastianus Dolci ex schedis Aletianis.

Caussa videtur Antibaren. Archiepiscopo adjudicata.

Ceterum, quamvis Pontificia sententia non extet, judicatum tamen fuisse secundum Ecclesiam Antibarensem satis declarant binæ ejusdem Pontificis epistolæ, altera ad successorem Joannis II., altera ad Episcopos provinciales Metropolis Antibarensis. Anno 1252. Joannes II. Sedem Archiepiscopalem vacuam successori reliquit. Tanta vero post illius obitum crevit sui nominis suarumque virtutum existimatio, ut *Beati* titulo ornatus fuerit, & inter celebres pietate ac sanctimonia viros ab Arturo adnumeratus in Martyrologio Franciscano ad diem primam Augusti, qua obiisse creditur: *In Italia B. Joannis de Plano Carpini, Confessoris, qui magna fide & religione plenus in Germania & Hispania Provincialatum egit, & a Sede Apostolica ad regem Tartarorum missus præclara legatione functus est.* Præter Scriptores jam laudatos Joannis mentionem fecere Vincentius Bellovacensis lib. 31. Spec. hist. cap. 2. & Marcus Ulyssiponensis 2. p. Chron. Min. l. 2. cap. 32.

Joannis II. Archiepisc. obitus.

GUFFRIDUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS V.

Guffridus Archiep. Antib. an. 1253.

Hunc nobis antea ignotum historiæ ecclesiasticæ Antibarensi suppeditavit eruditissimus Josephus Garampus ex duabus epistolis Innocentii IV., qui Guffridum e sanctissima Fratrum Minorum sodalitate assumptum consecratione Episcopali inauguravit, Ecclesiæque Antibarensi Archiepiscopum præfecit. Altera ad ipsum Guffridum, altera epistola ad Episcopos Provinciales data est an. x. Pontificatus, 11. id. Aprilis, idest an. 1253. Utramque invenimus in Bullario Franciscano studio P. Sbaraleæ collecto, atque hic cum notis ejusdem subjicimus.

Epistola Innoc. IV. ad ipsum,

Venerabili Fratri Nostro Guffrido Archiepiscopo Antibarensi Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Qui ad custodiam vineæ Domini &c. Te propter prærogativam morum & scientiæ nobis, & nostris Fratribus approbatam eidem Ecclesiæ de Fratrum nostrorum consilio præfecimus in Archiepiscopum & Pastorem, sperantes enim firmiter, quod eadem Ecclesia sub tuo regimine grata suscipiat, auctore Domino, in spiritualibus & temporalibus incrementa. Te igitur, cui per nos ipsos munus consecrationis impendimus, ad eamdem Ecclesiam Antibar.

Digitized by Google

sponsam tuam cum gratiæ nostræ plenitudine transmittentes Fraternitatem tuam monemus & hortamur attente mandantes, quatenus injunctam tibi Dominici gregis custodiam studeas sic sollicite observare, quod in districti examinis die dignam Deo possis de illa reddere (1) *rationem. Dat. Perusii* 11. *Id. Aprilis Pontificatus nostri anno decimo.*

1

NOTA.

1 Porro hunc cito obiisse, aut dignitate abiisse colligimus ex epistola Alexandri IV. *Cum felicis recordationis* &c., an. 1255. die 24. Sept. data, infraque referenda, in qua F. Laurentius dicitur, *nunc Electus Antibarensis.*

& alia ad Suffraganeos Ecclesiæ Antibarensis.

Venerabilibus Fratribus Suffraganeis Ecclesiæ Antibarensis Salutem & Apostolicam Benedictionem. (1)

1 *Qui ad custodiam vineæ Domini, & ad ponendum in ipsa operosos agricolas, ut suo tempore manipulos exultationis reportent, sumus licet immerito a Domino deputati, sollicite attendentes, quod Antibarensis Ecclesia, si diu remansisset Pastoris solatio destituta,* (2) *tanto graviora posset incurrisse pericula, quanto super his propter multam locorum distantiam, aliaque discrimina posset difficilius ad Sedem Apostolicam recursus haberi, venerabilem fratrem nostrum Guffridum* (3) *de Ordine Fratrum Minorum, virum profecto secundum cor nostrum propter prærogativam morum & scientiæ, super quibus ei tamquam diu laudabiliter conversato nobiscum laudabile testimonium perhibemus, eidem Ecclesiæ de Fratrum nostrorum consilio præfecimus in Archiepiscopum & Pastorem, sperantes firmiter, quod eadem Ecclesia sub ejus regimine grata suscipiet auctore Domino in spiritualibus & temporalibus incrementa. Ipsum igitur, cui per nos ipsos munus Consecrationis impendimus,* (4) *ad Ecclesiam suam cum gratiæ nostræ plenitudine remittentes mandamus, quatenus cum honorificentia debita recipientes bilariter & libenter eidem exhibeatis tamquam Archiepiscopo vestro reverentiam, & obedientiam tam debitam, quam devotam, ejus salutaria monita suscipiendo devote, ac inviolabiliter observando; alioquin sententiam, quam ille tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Dat. Perusii* 11. *Id. Aprilis, Pontificatus nostri anno decimo.* Idest 1253.

2

3

4

NOTÆ.

1 *Suffraganeis Ecclesiæ Antibarensis*, qui sunt 9. Scutarensis, Polatensis, Drivastensis, Dulcinensis, Sappatensis & Sardanensis uniti, Prisrenensis, Samandriensis, Belgradensis, & Buduensis, tres in Servia, & quinque in Dalmatia, ubi & Metropolis Antibaris, vulgo *Antivari*, ad mare Adriaticum inter Butuam & Olchinium, vulgo *Budua* & *Dulcinium*, sita conspicitur,

Quæ hic notat Sbaralea, conferenda sunt cum iis, quæ in prolegomenis de Ecclesia Antibarensi, ejusque metropolitico jure, & Episcopis eidem subjectis diximus.

2 *Destituta* per obitum forsan Fr. Joannis de Plano Carpini O. etiam M. an. 1247. vel 1248. constituti, ut alias de illo diximus.

3 *Guffridum* Waddingo & nostris adhuc ignotum.

4 *Impendimus*. Morabatur igitur in aula pontificia, cum eum dicat Pontifex laudabiliter secum conversatum; eritque unus ex illis sex Minoritis, quos semper in aula secum voluisse scripsit Paulus Pansa in vita Innocentii IV. apud Waddingum ad an. 1259.

Cum Prodana mulier Jadertina & Preste civis itidem Jadertinus quarto consanguinitatis vinculo inter se conjuncti matrimonium iniissent, contra quam vetabat lex ecclesiastica, Innocentius Guffrido petenti potestatem fecit, ut matrimonium illud ex irrito auctoritate Apostolica ratum faceret, ut in eo illi manere, & jus debitum ultro citroque petere ac reddere possent; quod constat ex epist. 162. Innoc. IV. an. XI. Pontif. IV. id. Sept. idest anno 1253. Guffridus vix unum annum præfuit; & nulla dehinc illius mentio anno 1254.

LAURENTIUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS VI.

Laurentius Archiep. Antib. an. 1255.

Quem ex Ordine itidem Franciscano assumptum perhibent ejusdem Ordinis Scriptores. Equidem inde usque ab initio Franciscani nominis atque instituti viri æque scientia & sanctitate præstantissimi ex illa doctrinarum ac virtutum omnium officina ad Ecclesias regendas eligi cœperunt, vivente adhuc S. P. Francisco, & acriter repugnante, ut scriptum reliquit Waddingus in Addit. ad Tom. I. *Videtur*, inquit, *admiratione dignum, quod vivente ipso humillimo Institutore, valde hujusmodi Fratrum promotioni adversante, tres primi & paullo post quartus ad Episcopalem eveherentur dignitatem; nisi fortassis gravia eorumdem in Ecclesiam obsequia, aut eminentia merita difficultatem hanc superaverint, & præmium hoc sibi vindicaverint.* Cum vero post S. Patris decessum novi Ordinis Franciscani bonus odor manaret quotidie latius, ex eoque uberrimos animarum fructus, & fidei catholicæ magis magisque propagatæ incrementum Ecclesia caperet, Patres illi religiosissimi & doctissimi certatim & passim a Civitatibus & populis ad Ecclesias regendas expetebantur, quorum piæ voluntati Romani Pontifices facile obsecundabant; ex quo tamen illud incommodi sequebatur, ut sodalitas Fratrum Minorum summos viros, & summa sapientia ac virtute præditos amitteret. Quocirca visum est, a Pontifice suppliciter petere, ut vetaret quempiam ex Ordine S. Francisci, si forte in

Epi-

Digitized by Google

Episcopum eligeretur, electioni suæ assensum præbere, nisi Ministro Generali, aut Præside Provinciali approbante, & potestatem suscipiendi permittente; id quod Ayroldus annotavit in Epitome Annalium Waddingi num. 6. sed cum ob Apostolicam vitam Fratrum, & ob utilitatem, quam Ecclesiis afferebant, eorum multi ad hujusmodi dignitates eligerentur, prohibuit Pontifex, ne eas admitterent sine prælatorum suorum licentia. Ex hac igitur sapientiæ & sanctitatis palæstra Laurentius evectus est ad Sedem Antibarensem an. 1255. Is Hortæ in Hetruria natus perhibetur in tabulis cujusdam permutationis a Fratribus Franciscanis, qui Tuderti degebant, cum Monachis Vallumbrosanis factæ anno 1254., & ex diplomate Alexandri IV. anno 1259. dato Andreæ de Orto, seu de Horta, ubi Laurentius Andreæ avunculus dicitur; quæ a Sbaralea sunt animadversa in notis Tomo II. Bull. Francisc. adjectis pag. 6. & 335. Ordinem igitur Franciscanum, hujusque instituta secutus tantum virtute ac doctrina profecit, ut primos dignitatis gradus facile obtinuerit apud Innocentium IV., qui gravissimum Pœnitentiarii officium illi commisit, eumdemque anno 1246. suum Legatum ad Patriarchas Antiochenum, & Maronitam, tum ad Armenorum Primatem elegit; extant enim illius Pontificis literæ, altera Armenorum, altera Maronitarum Antistiti, tertia Antiocheno scripta VIII. id. Augusti ejusdem anni, in qua *dilectum Filium Fr. Laurentium de Ordine Minorum Pœnitentiarium nostrum, virum scientia præditum honestate decorum ac in consiliis circumspectum ad partes vestras commisso sibi plene legationis officio transmittendum*, se duxisse Innocentius adfirmat. Habes singulas in Tomo I. laudati Bull. pag. 422. Erat autem insequenti anno in Oriente toto Legatus, ut plures ad ipsum Laurentium Innocentii epistolæ testantur: in primis quæ data est VIII. Kal. Majas, ne Patriarchæ Hierosolymitano detrimenti quidquam inferatur; & quæ paullo post scripta die quinta Junii, ut Græcos homines a Latinorum molestiis tueretur; tum duæ illæ, quibus Pontifex Laurentium monet, & instruit, quo modo Græcorum gentem a schismate avertere, & ad Romanæ Ecclesiæ conjunctionem congregationemque pertrahere debeat, & Latinorum injurias ab iis propulsare. Scripsit etiam hoc anno Innocentius die tertia Augusti ad omnes Orientis Episcopos tum Græcos, tum Latinos, quo censoria acta Laurentii servari firmiter juberent. Is vero ea legatione adhuc fungebatur anno 1250., cum Græcæ Cypri Ecclesiæ Archiepiscopum a Latinis hominibus per vim depulsum in suam Sedem revocavit; quod idem Pontifex ad Episcopum Tusculanum hoc anno XII. Kal. Augusti scribens testatur: extant hæ literæ in Tomo I. ejusdem Bull. pag. 452. & insequentibus. Romam reversus post tot legationis labores a Pontifice Innocentio an. certe 1253. inter familiares suos, & *Capellanos*, ut ajunt, Pontificii Palatii cooptatus fuit; & anno 1254. Tuderti versabatur, ut perhibent tabulæ laudatæ paullo superius permutationis, id probante cum cæteris *F. Laurentio de Orta D. Papæ familiari*; quas innuit Sbaralea in Tomo II. Bullarii pag. 6. Et pag. 336. conlatæ Laurentio dignitatis testes habemus literas Rodulphi Episcopi Morinensis anni 1253., qui ei gratificandi caussa, Perusii cum esset, pensionem annuam *sol.* 100. *Turon. Magistro Andreæ de Orto* filio sororis F. Laurentii *Scriptori D. Papæ* assignavit; ait enim, *Attendentes gratæ devotionis obsequia, quæ carissimus amicus noster vir religiosus Fr. Laurentius O. M. Capellanus Cameræ Domini Papæ avunculus tuus nobis impendit*. Quam pensionem cum insertis Episcopi Morinensis litteris confirmat Alexander IV. an. 1259. quippe datam *obtentu Venerabilis Fratris nostri Laurentii Archiepiscopi Antibaren. avunculi tui, tunc Capellani & familiaris fel. record. Innocentii Papæ prædecessoris nostri*: vide ejusdem Bull. pag. 335. Extat autem & alia ibidem pag. 75. Alexandri epistola die 24. Sept. an. 1255., qua a Fratribus Cœnobii Franciscani Assisiensis requirit *libros & quædam alia* jussu Innocentii *per dilectum filium Fratrem Laurentium nunc electum Antibaren. in Sacristia Ecclesiæ S. Francisci reposita*, ut tutiori servarentur custodia. Igitur an. 1255. & mense quidem Septembri Laurentius jam Archiepiscopus fuerat designatus ab Alexandro, qui præclara ejusdem in Ecclesiam merita hac dignitate compensavit. Antea vero, quam desponsam sibi Ecclesiam adiret, & consecrationis munere jam donatus Romæ fortasse constiterat, aut non multo post ab ingressu in Antibarensem Metropolim eo rediit negotiorum caussa; siquidem an. 1256. interfuit solemni dedicationi Ecclesiæ S. Agnetis extra Urbis mœnia, quam Alexander Pontifex peregit IV. Kal. Majas; ubi in lapideo hujus cerimoniæ monumento adhuc ejus nomen extat inscriptum, LAVRĒTIVS ARCHIĒPVS SCLAVINĒSIS. Jam vero Archiepiscopatus Laurentii incidit in optima illa tempora, & Catholicis propitia, cum Stephanus Rodoslavus filius Neemanis II. regnum in Serblis obtinebat, Princeps æquitatis & justitiæ observantissimus, Dei Divorumque cultor eximius. Ad Stephani religionem excitandam acriores stimulos addebat Helena sanctissima femina, eademque Sedis Apostolicæ reverentissima, & catholicæ religionis propagandæ studiosissima; quam e Francia oriundam, & consangulneam, ut ajunt, vel affinem S. Ludovici Regis, Stephanus in matrimonium duxerat. Hæc plurima templa & monasteria fundavit, inter quæ illud nobile in primis, ac celebre S. Mariæ de Rotacio quatuor fere millia distans ab urbe Antibari, edito loco impositum in ipsa ora maritima, quod amplissimis proventibus dotavit, & Monachis Benedictinis incolendum tradidit. Stephanus Uroscius, cognomento Milutinus, Helenæ filius, matris donationem plurimis

Hortæ natus.

& Francisc. instituti asecla, Legatus in Orientem mittitur ab Innocentio IV.

Postea ejus Capellanus.

Archiepiscopus renuntiatur.

Helenæ Reginæ pietas & munificentia.

Digitized by Google

rimis villis, ac prædiis auxit, & regio diplomate communivit; Clemens vero V. tum Monachos & Monasterium, tum proventus illis assignatos in clientelam Sedis Apostolicæ recepit. Nec solum Helena in ædificationem sacrorum locorum, divinique cultus amplificationem regios thesauros effudit, sed ex his partem non exiguam ad pauperum inopiam sublevandam, & restaurandas civitates Serbliæ temporum aut bellorum injuria vastatas derivavit; atque Antibarim etiam, si fides habenda sit Mauro Orbino, refecit, ac novis propugnaculis, & mœnibus validioribus firmavit, atque in suburbio Cœnobium ab se conditum, & rebus omnibus necessariis instructum Fratribus Franciscanis donavit.

Itaque Laurentius Archiepiscopus piorum Regum favore, ac patrocinio nixus rem Christianam bene ac feliciter gessit, Ecclesiamque sibi commissam annos fere viginti cum magna illarum gentium utilitate, & divini cultus incremento tranquille gubernavit. Cum Patres Franciscani per Dalmatiæ & Serbliæ provincias improborum hominum seu invidia, seu malevolentia pluribus identidem molestiis, & incommodis afficerentur, Alexander tum Laurentio Antibarensi, tum alteri Laurentio Jadrensi Archiepiscopo mandatum dedit in literis Viterbii scriptis an. 1258., ut Franciscanam per ea loca familiam totis viribus tuerentur, & Apostolicæ Sedis nomine atque auctoritate constanter protegerent.

Duæ literæ Alexandri P. ad Laurentium.

Has literas, quas Sbaralea in Tomo II. Bull. Franc. indicat solum, ex tabulario Jadrensi Patrum Ord. Min., quos de Observantia appellant, hic describimus.

Alexander Ep. Servus servorum Dei Vener. Fr. Jadert. & Antibaren. Archiep. Salutem & Ap. Bened.

Volentes dilectos filios & fratres Ord. Fratrum Minorum in Provincia Slavoniæ a malignorum incursibus esse tutos, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eis favorabiliter defensionis præsidio assistentes non permittatis eos contra indulta Privilegiorum Apostolicæ Sedis ab aliquibus indebite molestari, hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; præsentibus post decennium minime valituris. Quod si non ambo iis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Dat. Viterbii Idib. Februarii, Pontificatus Nostri anno IV.

Anno 1260., cum Ecclesia Sardensis Laurentio Metropolitæ subjecta suo careret Episcopo, Alexander negotium eidem commisit, ut Petrum de Tibure Ord. Min. ab se electum Antistitem in Episcopatus illius possessione poneret; literæ datæ sunt v. Kal. Julii anno VI. Pontificatus, quas habes in Episcopis Sardensibus. Postea Laurentius in Italia versabatur, quippe anno 1265. Assisium venit, ibique adfuit solemni consecrationi, qua Clemens IV. altare majus in templo S. Claræ, ubi ejus sacræ exuviæ quinquennio ante conditæ fuerant, ingenti Ecclesiasticorum Procerum, populique frequentia dedicavit VIII. Id. Septembris, eodemque die Rodulphus Cardinalis & Episcopus Albanensis totum templum, & cætera altaria sacrare jussus fuit, uti Joannes Paullus Contius in libello *Asium Seraphicum* inscripto, & Joseph Ciofius in opusculo de sanctioribus Assisii locis perhibent ex monumentis ejusdem templi & cœnobii S. Claræ; queis adde Petrum Antonium Venetum in suo *Viridario Seraphico*, qui Laurentium unum quodpiam ex iis altaribus consecrasse innuit, eumdemque in ipso templo tumulatum esse. Verum de anno, & loco, in quo Laurentius obierit, nihil ne suspicari quidem possumus; ante annum tamen 1270. vita certe defunctus est.

In Italia versatur Laurentius.

Ejus obitus.

GASPAR ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS VII.

E sanctissima D. Dominici familia; de quo Ambrosius Altamura in Biblioth. Dominic. *Gaspar Adamus Psiesc, aliis Georgius, sive Gerardus Adæ Gallus, Archiepiscopus Antibarensis, poeta, philosophus & Theologus eximius, bonarumque artium disciplina eruditissimus.* Antonius Senensis Lusitanus in Chronico hæc de eodem scribit: *Claruit per hæc tempora G. Adæ Archiepiscopus Antibarensis. Vixit in suo Archiepiscopatu circa annum* 1270. *teste Jacobo de Suzatho:* & in Biblioth. FF. Ord. Prædicat. *F. G. Adæ Archiepiscopus Antibarensis vir fuit in humanis literis mirum in modum excultus, poeta & philosophus insignis, & Theologus clarus & eximius. Composuit autem Officium Sanctificationis B. V. M., Officium undecim millium Virginum, Officium D. Thomæ, Officium D. Georgii. Claruit circa annum* 1280. *Cum composuerit Officium D. Thomæ Aquinatis, ut præclare animadvertit Ambrosius Altamura, dicendum est pervenisse ad annum* 1323., *cum eo anno inter Sanctos fuerit relatus D. Thomas a Joanne Pp. XXII.* Sed eruditissimus Jacobus Echardus in Tomo I. Operis sane eximii & luculenti de Scriptoribus Ord. Prædic. pag. 724. facile convincit, Gasparem horum Officiorum auctorem non fuisse; nam *S. Thomas de Aquino Officium proprium non habuit ante annum* 1328., *Festum* vero *Sanctificationis B. V. in Kalendariis & Breviariis* Dominicanis *ignotum* erat *ante annum* 1388., *Festum S. Georgii præter tres lectiones nihil habuit proprium*, & *Festum* XI. *millium Virginum inchoatum* fuit *in Capitulo Generali Cistarici an.* 1330. Hinc conjicit, Gasparem non floruisse ea ætate, quam indicat Lusitanus, aut confundi perperam cum Guillelmo Adæ Sultaneensi Archiepiscopo, qui Avenione erat an. 1323. Ac certe quidem ante annum fere octogesimum hujus sæculi, vel hoc anno ipso Archiepiscopus esse desierat; quippe anno circiter 1280. T. Archiepiscopus hanc sedem obtinuit. Non est tamen, cur illum cum Guillelmo Adæ Sultaneensi Archiepiscopo

F. Gaspar ex Ordine Dominicano

Digitized by Google

po confundamus; & hic quidem suis gestis clarus jam erat an. 1318. ut ipse narrat Echardus pag. 537. ejusdem Tomi, noster vero Gaspar Adæ ante sæculum XIV. fortasse obierat; nec rationes suppetunt, ob quas e catalogo Antibarensium Antistitum illum expungamus.

Archiep. Antib. an. circ. 1270.

Gaspar igitur anno circiter 1270. ad gubernacula Metropolis Antibarensis accessit, dum adhuc regnabat Rodoslavus Stephanus filius Neemanis II., qui cum Helena conjuge Dei Divorumque cultum, & monasticum institutum amplificare summopere studebat; religioni vero Catholicæ adeo non erat infensus, ut piis monitis & consiliis charissimæ & sanctissimæ uxoris Helenæ obsequens, eidem potius faveret. Itaque res Catholica magis in dies augebatur, & secundo sine ulla offensione cursu prosperos successus habebat. Gaspar vero pacatis temporibus, ac religioni propitiis bene usus Ecclesiam suam non felicius, quam utilius annos circiter decem gubernavit. Quo tempore, cum Gregorius X. Concilium generale indixisset per literas anno 1272. datas prid. Kal. Aprilis, insequenti anno Idibus Aprilis Episcopos omnes Catholicæ Ecclesiæ de loco a se delecto, civitate nempe Lugduni, certiores fecit, quo, ut properarent, vehementer est adhortatus. Harum vero literarum exemplum habes in Tomo III. Bullarii Francisc. pag. 198., inscriptumque est Rothomagensi Archiepiscopo Ordinis Minorum alumno; & similem in modum literas Antibarensi Antistiti dedisse Gregorium affirmat Sbaralea in notis pag. 199, quas tamen ad Laurentium missas falso existimat, cum is jam vita decessisset triennio ante; nec eidem Laurentio scripta est Innocentii V. epistola, qua Januario mense anni 1276. cunctis Episcopis suam ad summum Pontificatum electionem enuntiat; ad Gasparem quippe spectat, contra ac notavit Sbaralea pag. 242.: sed utramque huc referre, omnino est supervacaneum. Interea Gaspar Ecclesiæ Antibarensis administrationem anno circiter octogesimo hujus sæculi decimi tertii vel morte sublatus reliquit, vel abdicatione voluntaria deposuit.

T. ARCHIEP. ANTIBARENSIS VIII.

T. Archiep. an. 1280.

Hujus Archiepiscopi nomen littera T expressit Martinus IV. in sua epistola 63. *per obitum*, inquit, *b. m. T. Archiepiscopi*. Interjectus fuit inter Gasparem Adamum, de quo modo, & Michaelem proximum post Gasparem. Cum neutrius nomen a littera T initium ducat, ab utroque distingui debet. Sed vix annuum Pontificatum gessit; nam interregnum pontificale annos fere duos tenuit inter 81. & 83. hujus sæculi annum; siquidem post ejus obitum Canonici iterum ac sæpius ad Comitia Archiepiscopalia convenerant, & alii atque alii *diversis temporibus*, ut est in epistola Martini IV., legitimis suffragiis electi fuerant; sed omnes vel ante mortem obierunt, quam Sedes Apostolica collatum illis Sacerdotium confirmaret, vel jus per canonicam electionem acquisitum abdicaverunt. Demum per compromissum electionem fieri placuit; & ab illis, quorum arbitrio data est facultas eligendi, quem Archiepiscopatu digniorem esse, aptioremque ad eum bene gerendum judicarent, nominatus fuit Michael Canonicus Catharensis. Sed hic etiam, cum se tanto oneri ferendo non esse censeret, fugam arripuit, & delatum sibi nomen munusque Archiepiscopale per manus Episcopi Arbanensis Capitulo reddidit. Martinus Pontifex, ne rectore diutius careret, neve ex longiori interregno detrimentum caperet Ecclesia Antibarensis, ipsum Michaelem pro potestate coegit suscipere gubernacula illius Ecclesiæ, ac per Tusculanum Episcopum consecrandum curavit. Ex epistola 63. ejusdem Martini data x. Kal. Octobris anno III. idest 1283. *Dudum*, inquit, *cum Antibarensi Ecclesia per obitum b. m. T. Archiepiscopi, vacante Pastore, diversis temporibus electiones fuissent successive de personis variis multiplices celebratæ, tandem, nonnullis ex electis hujusmodi ante confirmationis super hoc obtentum beneficium viam universæ carnis ingressis, reliquis vero renunciantibus juri, Capitulum Ecclesiæ prædictæ ad electionem hujusmodi per compromissum procedere cupientes &c.* fuit *a compromissariis iisdem Michael tunc Canonicus Catharensis in Archiepiscopum postulatus, qui fugere cupiens præsidentiæ onus, juri suo in manibus Arbanensis Episcopi resignavit*. Pontifex vero, *ne diuturniori viduitatis incommodo dicta Ecclesia subjaceret, eumdem Michaelem dictæ Ecclesiæ* præesse, *& per Tusculanum Episcopum* consecrari voluit. Illum pallio donatum x. Kal. Decemb. eodem anno dimisit, & per suas litteras Archidiacono & Capitulo, Episcopis provincialibus, & Regi Serbliæ commendavit.

Interregnum Archiepisc.

MICHAEL ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS IX.

Michael Archiepiscopus an. 1283.

Erat Canonicus Ecclesiæ Catharensis, quem per compromissum electum, sed onus Archiepiscopale detrectantem Martinus IV. pro imperio jussit, Sacerdotium Antibarense, quod ipsemet illi conferebat, sine tergiversatione recipere anno 1283. Anno tertio post susceptum Archiepiscopatum in Italia versabatur, ut constat ex diplomate Indulgentiarum, quibus Dioclensis una cum Ragusino, & aliis Episcopis donavit *Monasterium & Ecclesiam S. Mariæ de Burgo*, diœcesis, ut videtur, Patavinæ; cujus diplomatis fidem suis litteris promulgavit *Guillelmus Visiani Vicarius Ven. Dni Bernardi Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Paduani &c. Noverint omnes & singuli Christifideles præsentes literas inspecturi, quod Venerabiles Dni. . . . Archiepiscopus Antrebatensis, & Dioclensis, & Ragusinensis, & Episcopi . . . . Ameliensis &c. Dat. Romæ anno Dni MCCLXXXVI. Pontificatus*

Digitized by Google

tus Dni Papæ Honorii IV. anno secundo. Cum igitur nobis fuerit ex parte. . . . Abbatisse, Monialium, conventus, supradicte humiliter supplicatum, ut predictis remissionibus & indulgentiis nostrum præbere consensum &c. *di-*

qui triennio post Romæ erat,

gnaremur &c. Ex Anecdotis Jo. Brunatii. Quin & anno 1287. Romanam Michaelis commorationem testatur aliud diploma, quo Basilicam Cathedralem Narniensem S. Juvenalis Archiepiscopi & Episcopi variarum Ecclesiarum, Orlando Narniensi Episcopo postulante, pluribus indulgentiis locupletarunt. Huic diplomati inter Raynaldum Messanensem & Bonaventuram Ragusinum Archiepiscopos subscriptus est *Michael Archiepiscopus Antibarensis*; inter Episcopos vero *Romanus Crojensis*, & *Petrus Stamnensis*, alter e Dyrrhachina, alter e Ragusina Provincia: *Datum fuit Romæ anno millesimo ducentesimo octogesimo septimo, pridie Calendas Junii, Sede Apostolica vacante*; extat apud Hagiologos Antuerpienses Tomo I. die tertia Maji. Eodemque anno Romæ itidem degens cum Romano Crojensi, aliisque novem Episcopis simili munere illos impertiit, qui pro construenda Utinensi Ecclesia S. Petri Martyris aliquid opis subsidiique conferrent, ut ex tabulis ejusdem Ecclesiæ compertum est.

Quæ causa Michaelem cum tribus illis Episcopis in Narniensi diplomate memoratis in Italiam & Romam compulerit, eam in Petro Stagnensi Episcopo breviter attigi, & referendam esse censui ad Schismaticos vel Hæreticos, a quibus cum regiones & Ecclesiæ illæ infestæ essent, aliquot illarum Episcopi ad Sedem Apostolicam præsidium & consilium imploraturi se contulerant. Ste-

ut, vita functo Rodoslavo rege,

phanus Rodoslavus anno circiter octogesimo secundo vel tertio sæculi XIII. moriens duos reliquit filios ex Helena, quæ viro superstes usque ad annum fere 1306. vitam perduxit. Alter erat Stephanus cognomento *Dragutinus*, alter Urosius, cui cognomen fuit *Milutino*: his tertium addit Maurus Orbinus nomine Pridislavum, quem Serviæ Archiepiscopum fuisse ait pag. 252. de regno Slavorum. Dragutinum natu maximum parens, dum viveret, regio titulo & regalibus insignibus donavit, eique uxorem dedit Elisabetham filiam Stephani IV. regis Hungariæ, ut est apud Luccarum in Annal. lib. 2. pag. 38. Hic regnandi cupiditate illectus, ut idem Luccarus & Orbinus tradunt, parenti vitam eripuit; sed statim exsecrandi parricidii pœnitens regnum Urosio fratri reliquit, ac nefarii sceleris expiandi caussa in solitudinem cœnobiticam secessit, & regni opes, honores, voluptates cum paupertate, abstinentia & humilitate monachali commutavit. Sed, cum post obitum parentis Urosius Milutinus cum Stephano fratre regnaverit, ut docent epistolæ Nicolai IV. Pontificis utrique inscriptæ, necesse est, vel Stephanus Dragutinus, relicto monasterio, regium diadema resumpserit, vel his duobus fratribus tertium adjungi natu minimum, & Stephanum itidem vocatum, quocum Urosius Milutinus regnum partitus fuerit; eique, ut tradit Orbinus, partem Serbliæ conterminam Hungariæ attribuit, *quæ postea*, inquit, *appellata fuit Terra regis Stephani*. Uterque a Stephani parentis, & Helenæ matris pietate ac virtute degeneravit, atque ad schisma Græcorum vel descivit, vel propendere visus fuit, ut declarant literæ Pontificiæ utrumque ad rectam in Deum fidem, ac Sedis Apostolicæ cultum, & debitam eidem obedientiam revocantes. An vero Catholicis bellum intulerint, mihi non est compertum; verum, si non illis fuerunt infesti, cum tamen ab ritu cultuque catholico & latino alieni viderentur esse, populis illis schismaticis Catholicos insectandi & divexandi occasionem præbuerunt, neque prohibuerunt, quin suum in eos odium, quibuscumque possent maleficiis & injuriis inferendis expromerent. Atque hanc caussam fuisse arbitror, cur Michael Antibarensis cum Ragusino Metropolita, & duobus illis Episcopis Stagnensi & Crojensi ad Sedem Apostolicam auxilii & consilii petendi caussa confugeret. Incredibile dictu est, quam dolenter ac moleste ferret Helena regina, filios suos a Catholica fide alienos esse, quam ut amplecterentur, non modo ipsa assiduis hortationibus, & omni ope operaque enitebatur, sed duas etiam literas suasorias ab Nicolao IV. cum suis Internunciis mittendas curavit; quibus Pontifex tertiam adjunxit Helenæ reginæ inscriptam. Utrique præcipua Fidei catholicæ capita, quæ animo & ore profiteri debent, singillatim exponit, utrumque hortatur, ut depulsa errorum caligine ad lumen veritatis Catholicæ recipiendum mentis oculos aperiant; duos Fratres ex Ordine Franciscano Marinum & Cyprianum eximiæ doctrinæ & sanctimoniæ viros ab se missos admonet, qui eos erudiant, & Ecclesiæ Romanæ reconciliatos in viam salutis reducant; ipsamque formulam Fidei Catholicæ profitendæ literis inclusam ad eos mittit. In suis vero ad Helenam literis Deo gratias agit, quod in ejus mentem animumque salutarem sui Numinis timorem atque amorem infuderit, & Fidei catholicæ colendæ ac propagandæ studio inflammaverit, oratque, ut ad filios suos ab schismatica & hæretica pravitate revocandos suam cum Pontificiis Legatis operam conjungat.

auxilium a Pontifice adversus Schismaticos poscere.

Nicolai IV. ad Urosium regem literæ

Nicolaus Episcopus Servus servorum Dei Viro Magnifico Urosio illustri Regi Slavorum gratiam, per quam gloriam obtineat in futuro.

Æterni Patris immensa benignitas humani generis casum, quod primi hominis culpa corruerat, ineffabili respiciens pietate, ac illum, quem diabolica prostraverat invidia suggestione dolosa, volens ex charitate nimia misericorditer reparare, Filium suum unigenitum consubstantialem sibi de cœli excelso solio ad infima mundi misit, qui præelectæ Virginis utero sancti Spiritus cooperatione conceptus, & ex anima rationali & carne humana verus homo

mo factus, ac per hoc perfectus Deus, perfectus homo, unus Dominus Jesus Christus, una Persona in utraque perfecta natura cunctis visibilem se ostendit, & salubribus homines institutis informans, vitamque ipsius indice perfectæ doctrinæ demonstrans dignatus est per sanctæ conversationis exempla, & evangelicæ institutionis eloquia sub diræ mortis supplicio mortem pati, ut de amaro mortis suæ calice temporalis hauriret homo vitæ dulcedinem sempiternæ. Pro ipsius ergo generis humani redemptione Christus se hostiam exhibens salutis, dicti generis humani hoste prostrato, illud de opprobrio servitutis eripuit ad gloriam libertatis supernæ illi patriæ ostium reserando; & deinde resurgens a mortuis, ac in cælum ascendens Spiritum S. sibi Patrique consubstantialem, & ab utroque pariter procedentem misit in Apostolos, per quos congregavit, univit & roboravit Ecclesiam, cui B. Petrum Apostolorum Principem, ac Vicarium sibi reliquit in terris animarum curam committens eidem, ut earum saluti, pro qua suam humiliavit altitudinem, intenderet vigilanter tradendo sibi claves regni Cœlorum, per quas ipse suique Successores potestatem aperiendi ejusdem regni januam obtineret. Unde nos prædicti Vicarii, disponente Domino, licet immeriti, Successores effecti super omnia, quæ nobis ex injuncto incumbunt officio, ad tuam aliorumque salutem nostræ intentionis dirigimus aciem, ad hanc præcipue mentis nostræ destinamus affectum, circa eam diligenti studio & studiosa diligentia sedulo vigilamus, ut deviantes in viam veritatis adducere, omnesque lucrifacere Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum, quia nemo pervenire valet ad viam veritatis ejusdem, nisi per Fidem Catholicam a Deo & Sanctis Apostolis traditam, quam Sancta Romana Ecclesia profitetur & servat, magnitudinem tuam monemus, deposcimus & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus pie considerans, quod una est Fides, extra quam nullus omnino salvatur, & sine qua Deo impossibile est placere, ad ipsius venias Fidei unitatem, eamque fideliter teneas & observes; nihilominus populum tuæ ditionis Regis æterni potestati subjectum ad eamdem unitatem reducas, & in illius observatione tuo exemplo laudabili, & piis exhortationibus studeas conservare ita, quod ex hoc a Patre luminum æterni consequaris luminis claritatem. Cæterum, quia, humana renitente natura, uno eodemque tempore diversis locis personaliter adesse nequimus, ne ullatenus negligentiæ relinquamus absentes, ad eos viros providos & discretos transmittimus vice nostra ipsorum ministerio circa illos Apostolicæ servitutis debitum exsolventes. Propter quod viros electos de Fratrum Minorum Ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide devotos, in lege Domini plenius eruditos, dilectos scilicet filios Fratres Marinum & Cyprianum latores præsentium ad te duximus destinandos, ut tu, tuusque populus ipsum Dei Filium Jesum Christum, suam gloriosam Matrem, ac Fidei Christianæ observationem ipsorum Fratrum salutaribus traditionibus plenius agnoscatis. Fides autem Catholica hæc est. Credimus S. Trinitatem &c. Dat. Reate x. Kal. Augusti Pontificatus nostri anno primo. Id est 1288.

Hæc est formula Fidei, quam ut profiterentur, illis præscribi solebat, qui ab hæresi & schismate Græcorum ad sinum Ecclesiæ revertebantur.

cum Formula Fidei ab ipso recipiendæ,

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ego &c. profiteor & credo S. Trinitatem Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem Coessentialem & Consubstantialem, coæternam & coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis & majestatis, Creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, visibilia & invisibilia, corporalia & spiritualia. Item credo singulam quamque in Trinitate Personam unum verum Deum plenum & perfectum. Credo, ipsum Filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum ex Patre, Consubstantialem, unius & ejusdem omnipotentiæ, & coæqualem per omnia Patri in Divinitate, in tempore conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem naturas, unam ex Patre æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum & Hominem verum, proprium in utraque natura, atque perfectum, non adoptivum, neque secundum phantasiam, sed verum & unicum Filium Dei in duabus & ex duabus, divina scilicet & humana, naturis, sed in unius singularitate Personæ impassibilem, & immortalem Divinitate, sed in Humanitate pro nobis & salute nostra passum vera carnis passione, mortuum & sepultum, & descendisse ad inferos, & tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, & anima ascendisse ad Cœlum, & sedere ad dexteram Dei Patris; inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala. Credo etiam Spiritum Sanctum plenum & perfectum, verumque Deum ex Patre & Filio procedentem, coæqualem & coessentialem, & coomnipotentem & coæternum per omnia Patri & Filio. Credo hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem & incommutabilem.

Credo, Sanctam Catholicam, & Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur Baptisma, & vera omnium remissio peccatorum. Credo veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gestamus, & vitam æternam. Credo etiam novi & veteris Testamenti, idest Legis & veteris & novæ, Prophetarum & Apostolorum unum esse auctorem Deum & Dominum omnipotentem.

Credo, hanc esse veram Fidem Catholicam, & quod hanc super dictis Articulis tenet & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia, & propter diversas hæreses a quibusdam ex ignorantia,

Digitized by Google

tia, & ab aliis ex malitia introductas dicit & prædicat, eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum, quod si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis Purgatorii post mortem purgari, & ad pœnarum hujusmodi alleviationem & liberationem prodesse eis Fidelium vivorum suffragia, scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta. Credo etiam, illorum animas, qui post sacrum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout dictum est superius, sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi; illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendas, sicut eadem sancta Romana Ecclesia credit & firmiter asseverat, & quod nihilominus in die Judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt reddituri de factis propriis rationem.

Item credo, sicut tenet etiam & docet eadem Ecclesia Romana, septem esse Ecclesiastica Sacramenta, unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra, aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem Episcopi confertur chrismando renatos, aliud est Pœnitentia, aliud est Eucharistia, aliud est Sacramentum Ordinis, aliud Matrimonii, aliud extrema Unctio, quæ secundum doctrinam B. Jacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Eucharistiæ ex azymo sacrificat Ecclesia Romana prædicta tenens & docens, quod in ipso Sacramento panis vere transmutatur in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. De Matrimonio vero tenet, quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros, soluta vero lege Matrimonii per mortem alterutrius conjugum, secundas & tertias, & deinceps nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum, & caussa alia non obsistat.

Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & principatum super universam Catholicam Ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe seu vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Et, sicut præ cæteris tenetur Fidei veritatem defendere, sic &, siquæ de Fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri, ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed & in omnibus caussis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius recurri potest judicium, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarum Episcopi obedientiam & reverentiam sibi debent; apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, Patriarchales præcipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen præcellenti dignitate, & superioritate tam in generalibus Conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva.

Alteras literas in eamdem sententiam eodem loco ac die scripsit Nicolaus ad Stephanum *Regem Serviæ illustrem*, tertias vero hujusmodi ad Helenam.

& ad Helenam reginam.

Nicolaus Episcopus Servus servorum Dei Charissimæ in Christo Filiæ Elenæ Reginæ Sclavorum illustri Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Gratias agimus gratiarum omnium Largitori, quod, sicut accepimus, & utique accepimus, ipso menti tuæ timorem sui nominis & amorem misericorditer inspirante, ab eo, qui solus habet in regno hominum potestatem, dignitatis regalis gloriam recognoscens in Deum sinceram habes Fidem, ac ejus Ecclesiam zelo pietatis Catholicæ veneraris. Hanc itaque Fidem vigere in tua progenie cupientes Magnificos viros Stephanum & Urosium illustres Reges Sclavorum natos tuos per nostras literas hortandos duximus, & monendos, ut pie considerantes, quod una est Fides, extra quam nullus omnino salvatur, & sine qua Deo impossibile est placere, ad ipsius veniant Fidei unitatem. Tum missos a se Minoritas Internuncios commemorans subdit: *Ideoque Celsitudinem tuam rogamus & hortamur attente in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus prædictos Reges natos tuos, ut devote redeant ad prædictæ Fidei unitatem, & humiliter suscipiant nostra & prædictorum Fratrum salutaria monita, sedulis exhortationibus inducere non omittas, ipsosque in observantia & perseverantia Fidei prælibatæ foveas & confortes ita, quod in tui ventris fructu lætari, & benedicta inter mulieres vocari a Domino merearis. Datum Reate* IV. *Id Augusti Pontificatus nostri anno primo.* Id est 1288.

Literas & Legatos Pontificios summa veneratione & lætitia uterque Princeps cum Helena matre acceperunt. Ac Stephanus quidem de veritate Fidei Catholicæ per Marinum & Cyprianum Sedis Apostolicæ Internuncios edoctus, horumque argumentis convictus, Helena matre potissimum enitente, Photianum schisma ejuravit, & supremam Ecclesiæ, ac Pontificis Romani auctoritatem agnovit & coluit. Non æque facilem Urosius frater se præbuit ad salutaria Pontificis monita recipienda atque admittenda; quosdam tamen quasi aculeos ex literis Pontificiis animo infixos, & quamdam propensionem ad fidem Catholicam amplectendam retinuit, quoad Stephanus frater, itemque Helena parens optima vixit, quorum gratia non solum ab omni molestia Latinis inferenda Sedis Apostolicæ cultoribus abstinuit, verum etiam eos non exiguis beneficiis affecit. Nihil sollicitudinis curæque prætermisit tum

Stephanus Urosii frater schisma ejurat,

Bene-

Digitized by Google

Benedictus XI. tum Joannes XXII., ut suis literis Urosium a schismatica disjunctione ad communionem Ecclesiæ deducerent; nec vero antea deduci potuit, quam malis fractus, rebusque adversis compulsus oculos tandem aperuit ad recipiendam animo veritatem, quam iterum ac sæpius oblatam respuerat. Stephanum vero Fidei Catholicæ, Ecclesiæque Romanæ adhæsisse vel illud argumento est, quod Nicolaus in suis literis, quemadmodum Helenam *charissimam in Christo filiam*, sic Stephanum *charissimum in Christo filium* deinde appellavit; quem præterea, ut ille petierat, ejusque regnum cum omnibus ejus civitatibus ac regionibus in fidem & clientelam Sedis Apostolicæ recepit, literis ad eum datis in hanc sententiam.

ad quem Nicolai literæ,

Nicolaus Episcopus Servus servorum Dei Charissimo in Christo Filio Stephano Regi Serviæ illustri.

Quanto devotiori studio Sacrosanctam Romanam Ecclesiam revereris, quanto propensiori affectu conjungeris ad nostra & ipsius Ecclesiæ beneplacita prosequenda, tanto circa tuum & regni tui statum prosperum in posterum conservandum liberius Apostolici favoris præsidia apponimus tuis providendo utilitatibus, & indemnitatibus præcavendo. Ut igitur nostri manum auxilii tua Serenitas sibi sentiat in suis opportunitatibus favorabiliter adjutricem, personam tuam & regnum tuum cum civitatibus, castris, terris, villis, & bonis aliis, quæ impræsentiarum juste & rationabiliter possides, sub Beati Petri, nostraque protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut ea omnia integra permaneant, & quieta, nec quisquam in iis te perturbare præsumat, aut quomodolibet molestare. Nulli ergo &c. Datum apud Urbemveterem Idibus Martii Pontificatus nostri anno quarto. Id est 1291.

Stephanus hujusmodi Pontificis erga se benevolentia & beneficentia captus multa deinceps sinceræ suæ ad Deum & Ecclesiam Catholicam conversionis documenta dedit, qui eodem, quo Helena mater flagrabat, hæreticæ & schismaticæ perfidiæ ubique exstirpandæ studio incensus, & cupidus suæ erga Sedem Apostolicam observantiæ declarandæ Romam Marinum Archidiaconum Ecclesiæ Antibarensis legavit, qui ad convertendos hæreticos Bosnenses a Nicolao Pontifice præcones evangelicos postularet; quippe partem Bosnæ Reges Serbliæ possidebant vel jure hæreditario a majoribus acceptam, vel Regibus Hungariæ ademptam, quam Stephanus, cui pars Serbliæ ad fines Hungariæ & Savo contermina obtigerat, ad suam ditionem adjunxerat. Piis Stephani postulatis annuit Pontifex, & literas ad eum dedit plenas officii ac benevolentiæ, ejusque eximiam fidem, & incensum hæreseos exterminandæ studium collaudavit.

& missi in provinciam Bosnæ viri Apostolici ejus rogatu.

Nicolaus Episcopus Servus servorum Dei Charissimo in Christo Filio Stephano Regi Serviæ illustri salutem & Apostolicam Benedictionem.

Quoniam inter cætera mentis nostræ desideria illud insidet potissimum cordi nostro, ut Fides Catholica, quam tenet, profitetur & docet Sacrosancta Romana Ecclesia mater universorum Fidelium & magistra, votivum & Deo acceptum suscipiat, eo propitio, nostris temporibus incrementum, grandi nimirum exultatione perfundimur, cum ad nostrum pervenire contingit auditum, quod mundi reges & principes Regis æterni, cujus negotium geritur principaliter in hac parte, se beneplacitis coaptantes ad ampliandum cultum Fidei orthodoxæ magnitudinis suæ colla subjiciunt, & ascendentibus ex adverso virtute induti ex alto promptæ sollicitudinis studio se opponunt. Sane, cum tu, Fili charissime, zelo fidei ac devotionis accensus per dilectum filium Marinum Archidiaconum Antibarensem tuæ Celsitudinis nuncium Apostolatui nostro duxeris humiliter supplicandum, quod, cum in partibus Bosnæ tuæ ditioni subjectis sint quamplurimi hæretica pravitate infecti, qui a semita veritatis aversi per falsitatis devium damnabiliter oberrantes in æterni Regis contemptum, animarum suarum evidens periculum, & scandalum fidelium Fidem catholicam depravare perniciosis seu pestiferis suis assertionibus multipliciter moliuntur, aliquas personas ideneas regionis illius idiomatis non ignaras, quarum conversatio cum salutari eorum doctrina concordans intuentibus normam honeste vivendi tribuat, & exemplum præbeat puritatis, mittere dignaremur ad partes easdem, ut, hujusmodi erroris eliminata caligine, ministerio eorumdem habitatores illarum partium ad agnitionem veræ Fidei, superni luminis irradiante gratia, salubriter reducantur, tuum offerens consilium, & auxilium ad errorem eumdem de dictis partibus radicitus exstirpandum; Nos, qui licet immeriti Jesu Christi Regis æterni, humani generis Redemptoris vicem gerentes in terris grandi desiderio singulorum salutem appetimus, & ad ampliandum cultum Fidei Christianæ, submotis quibusvis obstaculis, totis desideriis aspiramus, de hujusmodi tuo laudabili, & salubri proposito intra mentis nostræ præcordia exultantes multiformiter, & Regi regum proinde ad gratiarum actiones supplices assurgentes, supplicationi hujusmodi ex fervore magnæ devotionis & integritate Fidei procedenti favorabiliter duximus annuendum. Subjicit hic Pontifex, se mandatum dedisse Provinciæ Franciscanæ Slavonicæ de mittendis in Bosinam duobus ex Ordine suo idoneis viris, qui hæreticis illis ad rectam in Deum fidem convertendis operam darent: & literæ datæ sunt *apud Urbem veterem* x. *Kal. Aprilis an.* IV. Id est 1291.

Ad has respexisse videtur Lucas Waddingus, cum ad an. 1291, scribit in Annalibus sui Ordinis: *Ad preces Stephani regis Serviæ instituit in principatu Bosinæ Fidei læsæ Inquisitores, datis ad Provincialem Minorum literis, ut duos e suis subditis viros prudentes, huic operi ideneos, & idiomatis illius gentis gnaros auctoritate Apostolica deputaret*

Digitized by Google

Fidei judices, ad quos etiam dedit diploma, quo amplissimam tribuit facultatem &c. Verum enimvero ex luculentissimo Bullarii Franciscani opere contigit, ut duplex Nicolai Pontificis diploma de Bosnensi negotio reperirem in Tomo IV. pag. 238. alterum Ministro Ordinis Minorum Provinciæ Sclavoniæ, alterum Minorum Inquisitoribus a Stephano Rege in Bosnam mittendis, & utrumque eodem anno, eodemque die datum, quo litteræ superiores ad Regem; unde magis Nicolai cura & sollicitudo fervens elucet, ut Catholicæ illarum regionum incolumitati quam citissime provideret, & Regis animum incenderet acrius, arctiusque & rectæ Fidei, & Romanæ Sedi obstringeret. Utrumque exscribimus, tum quia cum Antibarensibus rebus ecclesiasticis quidpiam habet conjunctum, tum quia Bosnensis religionis statui lux additur præter ea, quæ in Tomo IV. Operis nostri in Episcopis Bosnensibus jam sunt enarrata.

Quos a Ministro Ord. Minorum deligi jubet,

Nicolaus &c. Dilecto filio . . . . Ministro Ordinis Minorum Provinciæ Sclavoniæ Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Præ cunctis nostræ mentis desiderabilibus catholicæ incrementum Fidei affectantes nimio utique dolore replemur, cum audimus aliquos, vel sentimus ad illius depressionem qualicumque malignitate satagere, vel damnabilibus ipsam depravando reprehensionibus, aut detractionibus ei abrogabilibus derogando, seu commentis eamdem mordacibus pervertendo; ad quorum iniqua consternenda molimina eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem perniciosius eos agnoscimus conspirare. Sane, sicut accepimus, in Principatu Bosnæ carissimo in Christo filio nostro S. . . . Regi Serviæ illustri subjecto adeo infidelitatis error invaluit, quod ibi quamplurimi a via veritatis prorsus aversi euntes per devia falsitatis pestiferas ad concutiendum orthodoxæ murum Fidei machinas construant molientes ipsum fallacium argumentationum impulsibus demoliri. Verum, licet ubique Sedis Apostolicæ diligentia contra talium dolosam astutiam, ne diffusius hujusmodi serpat morbus, remedium libenter adhibeat opportunum, tamen in Principatu prædicto cupientes anxie, ut negotium Fidei jugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus, fortius invalescat, studemus ad hoc per Nos & alios attentius vigilare. Providimus igitur in prædicto Principatu ad præsens personas aliquas circumspectas pro tanto negotio deputari, quarum honesta conversatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia salutarem, ut sacro ipsarum ministerio Principatus prædictus ab hujusmodi contagiis expurgetur. Verum, quia de prudentiæ tuæ industria firmam in Domino fiduciam obtinemus, discretioni tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de consilio aliquorum Fratrum discretorum tui Ordinis eligas duos de Fratribus ejusdem Ordinis tuæ administrationis idoneos ad hujusmodi opus Dominicum exercendum, qui videlicet sint vita & conversatione probati, litterarum scientia præditi, & regionis sive provinciæ præfatæ idiomatis non ignari, eisque in virtute obedientiæ districte Apostolica præcipere auctoritate procures, ut Inquisitionis officium in dicto Principatu contra hæreticos, credentes, fautores, defensores & receptatores eorum juxta formam in aliis nostris litteris expressam, quas Fratribus prædicti Ordinis Inquisitoribus hujusmodi pravitatis in Principatu eodem auctoritate Apostolica deputandis, non expressis aliquorum nominibus, super exequendo dicto Inquisitionis officio destinamus, exequi studeant diligenter. Nos enim prædictos duos Fratres, quos ad hoc elegeris, & utrumque ipsorum præfatum officium exequi juxta formam in literis ipsis expressam, ac ipsos illam potestatem, & auctoritatem plenarie habere volumus, quæ in eisdem literis continetur. Si vero tu, vel Vicarius tuus te absente aliquem Inquisitorem hujusmodi ex aliqua forte causa nonnunquam fore videbitis amovendum, ipsum amoveatis, & substituatis loco ejus alium, quem similem potestatem & auctoritatem habere volumus, quoties vobis, deliberatione cum aliquibus discretis Fratribus dicti Ordinis præhabita, hoc fore videbitur faciendum. Et si aliquem, vel aliquos Inquisitorum ipsorum decedere forte contigerit, Nos substituendi de consilio aliquorum discretorum Fratrum ejusdem Ordinis alium, vel alios loco illius, vel illorum, qui decesserint, ita quod hujusmodi substituti eisdem omnino auctoritate ac potestate fungantur, tibi dictoque Vicario, si tu absens fueris, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Datum apud Urbem veterem decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

& summa ornat auctoritate.

Sequitur alterum Diploma sane amplissimum ipsis Inquisitoribus concessum.

Nicolaus &c. Dilectis filiis Fratribus Ordinum Minorum Inquisitoribus hæreticæ pravitatis auctoritate Apostolica deputandis in Principatu Bosnæ carissimo in Christo filio nostro S. Regi Serviæ illustri immediate subjecto, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Præ cunctis &c. ut in superiori usque ad ea verba *agnoscimus conspirare. Ut autem Inquisitionis officium contra Hæreticos in Principatu eodem possit efficacius adimpleri, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore postposito, virtutem Spiritus induentes ex alto prædictum officium, quod Apostolica vobis auctoritate committimus, ubique infra Principatum eumdem simul, vel separatim, aut singulariter, prout negotii utilitas suadebit, ad exstirpandam exinde hæret. pravitatem sub spe mercedis æternæ sic efficaciter prosequi & exequi studeatis, ut per sollicitudinis vestræ prudentiam de prædicto Principatu, ac ejus districtu radix iniquitatis hæreticæ succidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quæ perversis morsibus demoliuntur eamdem, fructus afferat Catholicæ puritatis. Siques autem de pra-*

pravitate prædicta culpabiles inveneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos, nisi examinati absolute velint mandatis Ecclesiæ obedire, necne, & contra receptores, defensores, & fautores eorum juxta sanctiones canonicas auctoritate Apostolica, hominum metu divino timori postposito, procedatis. Non obstantibus aliquibus litteris ad quoscumque alios de ipso Principatu, ac ejus districtu, exceptis locorum Diœcesanis, super hujusmodi negotio ab ipsa Sede directis, quarum deinceps ad inquisitiones hujusmodi faciendas nolumus auctoritate procedi, quin immo, ne procedatur per illas, districtius inhibemus, ne prætextu commissionis specialiter eisdem Diœcesanis super hoc factæ vestros processus in eorumdem Diœcesanorum Principatu, & Diœcesibus volumus impediri, nec per hoc, quod Fidei negotium generaliter in ipso Principatu, & ejus districtu vobis committimus, commissiones a præfata Sede subditis ejusdem Principatus factas, si forsan illarum, seu etiam ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus revocare. Verumtamen sive auctoritate ordinaria, sive ex delegatione prædictæ Sedis iidem Diœcesani in hujusmodi negotio processerint, nequaquam volumus per concursum processum, vel alias quomodolibet vestros impediri processus, quin, Diœcesanorum ipsorum processibus non obstantibus, in eodem negotio procedere libere valeatis. Si vero aliqui ex prædictis, hæretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eisdem, quod injungi talibus consuevit. Proviso solerter, ne simulata conversione redeant fraudulenter, & vos, immo potius seipsos fallentes sub agni specie gerant lupum. Quod si aliqui fuerint judicandi hæretici, vel incarcerationis pœna perpetuæ alicui pro hujusmodi crimine fuerit infligenda, ad id per vos de Diœcesanorum, vel Vicariorum suorum, si ipsis Diœcesanis absentibus præsentes fuerint, consilio procedatur, ut in tantæ animadversionis judicio non postponenda Pontificum auctoritas intercedat. Verum, quia in tam gravi crimine cum multa oportet cautela procedi, ut in reos sine ullo preferatur errore duræ, ac dignæ severitas ultionis, volumus & mandamus, ut vos, vel illi, quos ad hoc duxeritis deputandos in examine testium, quos recipi super crimine prædicto, ipsumque contingentibus oportuerit, adhibeatis duas religiosas & discretas personas, in quarum præsentia per publicam, si commode potest haberi, personam, aut per duos viros idoneos fideliter eorumdem depositiones testium conscribantur. Ad conscribendas quoque hujusmodi depositiones testium, & ad faciendum omnia, quæ in commisso vobis officio ad Scriniarii, seu Tabellionis officium pertinent, teneri districte præcipimus, cum per vos, seu per deputatos ad hoc a vobis requisiti fuerint, omnes & singulos vestri Ordinis Fratres, qui, dum essent in sæculo, hujusmodi tabellionatus officium habuisse, & exercuisse noscuntur, & illos etiam, quibus idem tabellionatus officium ratione præfati negotii Fidei fuit a dicta Sede commissum, & in posterum committetur. Concedentes hujusmodi Fratribus, necnon & aliis Religiosis quibuslibet, qui similiter, dum essent in sæculo, dictum tabellionatus officium habuerunt & exercuerunt, quibuscumque etiam Clericis sæcularibus officium ipsum habentibus, etiam si iidem Fratres Religiosi & Clerici sint in sacris Ordinibus constituti, exercendi libere officium ipsum quoad præmissa, non obstante aliquo contrario statuto canonico, vel Ordinis quocumque vallato munimine, plenariam facultatem. Quod si testibus, quos a vobis recipi, vel ab alio vice vestra super eodem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorumdem videritis periculum imminere, ipsorum nomina non publice, sed secrete coram aliquibus personis providis, & honestis religiosis, & aliis ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus, exprimantur. Et sic non obstante, quod illis, contra quos hujusmodi testes deposuerint, eorum nomina non fuerint publicata, ad cognitionem judicis instruendam adhibeatur plena fides testium depositionibus eorumdem. Ut ergo commissi vobis officii debitum utilius, & liberius exequamini, committendi citationes, testium examinationes, cum de hujusmodi crimine, ac ipsius circumstantiis duxeritis inquirendum, ita tamen, quod eidem examinationi duæ personæ religiosæ, ut dictum est, intersint, & denuntiationes sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis; accersendi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, ut vobis in ferendis hujusmodi sententiis præbeant consilium opportunum, ac vobis assistant; convocandi etiam Clerum, & populum Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum, prout dicto negotio Fidei videritis expedire; insuper in dicto negotio de plano, & absque judiciorum, & advocatorum strepitu, ac contra illos, quos in prædictis partibus in hæreseos crimine commisisse constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi, necnon faciendi vobis libros, seu quaternos, & alia scripta, in quibus inquisitiones factæ, & processus per quoscumque auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus habiti contra hæreticos continentur, a quibuslibet assignari, & observari omnia statuta tam per Sedem Apostolicam, quam in Conciliis Legatorum ejusdem Sedis provide edita, quæ negotium Fidei tangere dinoscuntur, sicut promotioni negotii, & augmentationi Fidei fuerit opportunum; privandi præterea de Diœcesanorum, vel, eis absentibus, Vicariorum suorum consilio hæreticos eosdem, credentes, receptatores & defensores, eorum filios & nepotes personatibus, dignitatibus & beneficiis ecclesiasticis, & officiis publicis, & honoribus quibuscumque, necnon largiendi viginti, vel quadraginta dierum Indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad vestram convocationem propter hoc faciendam accesserint, plena sit vobis & singulis vestrum præsentium tenore facultas. Vo-

Vobis autem pro hujusmodi negotio laborantibus illam peccatorum veniam indulgemus, quæ succurrentibus Terræ Sanctæ in generali Concilio est concessa. Sociis vero Fratribus vestri Ordinis, & Notariis vestris, qui una vobiscum in prosecutione hujusmodi negotii laborabunt, & omnibus, qui personaliter vobis astiterint in eodem negotio, & qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores & defensores eorum quoquomodo ex animo vobis præstiterint consilium, auxilium vel favorem, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi tres annos de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Et, siqui ex ils in prosecutione hujusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus. Compescendi præterea, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, Prædicatores quæstuarios, ubi contigerit pro inquisitionis seu Fidei negotio congregationem fieri, vel alias eidem negotio quomodolibet ex hoc impedimentum afferri a prædicationis officio, quoad ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantum caritativa subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, siquam forte habent, exponere, liberam vobis & singulis vestrum concedimus auctoritate præsentium facultatem. Cæterum, si forte, quod non credimus, aliqui cujuscumque conditionis huic negotio vobis commisso se opponere, seu illud præsumpserint aliquatenus impedire, ut non possit procedi libere in eodem, contra eos tamquam contra hæreticorum fautores, & defensores, contra illos vero, qui idem negotium requisiti juxta officium, & posse suum non juverint, seu foverint studiose, freti eadem auctoritate intrepide procedatis secundum canonicas sanctiones. Denique, ut circa præmissa plene vobis, & singulis vestrum coercitionis expedita & inviolabilis adsit auctoritas, volumus, ut ea omnia viriliter exequamini, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Contradictores &c. Non obstantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis quibuscumque personis cujuscumque conditionis, dignitatis vel gradus, Religionis vel Ordinis, & præsertim Cistercien. Prædicatorum, Minorum, seu Heremitarum, sive Communitatibus, vel Universitatibus Civitatum, & locorum specialiter, & generaliter sub quacumque verborum expressione, vel forma a memorata Sede concessis, vel in posterum concedendis, etiam si dicatur in illis, quod eis per aliquas literas totum de verbo ad verbum tenorem non continentes privilegiorum, vel indulgentiarum ipsarum, nequeat derogari, & illis maxime privilegiis, & indulgentiis, quibus ab ipsa Sede concessum est aliquibus, seu concedetur deinceps, quod excommunicari, vel ipsorum terræ supponi non possint ecclesiastico interdicto, aut quod prædictorum, aut aliorum quorumlibet Ordinum Fratres ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorumlibet, sive denuntiationes sententiarum excommunicationis, suspensionis, vel interdicti auctoritate litterarum Apostolicarum cogi minime possint, nisi de ipsorum Ordinibus, & privilegiis, vel indulgentiis eis super hoc a Sede concessis eadem habeatur in eisdem litteris mentio specialis, cum ex hujusmodi, vel aliis privilegiis, & indulgentiis nullum vobis in tantæ pietatis negotio velimus obstaculum interponi, & Constitutione de duabus dictis edita in Concilio generali. Datum apud Urbem veterem x. *Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno quarto*, qui est 1291.

Eidem Marino jussu missuque Stephani Romam proficiscenti id negotii dederat, tum ut ab eodem Pontifice sibi licere impetraret, quem ipsa vellet ex Ordine Minorum, præsertim F. Nicolaum de Vosica suæ conscientiæ moderatorem seligere, tum ut ipse Pontifex literas hortatorias daret ad Georgium Imperatorem Bulgariæ, quem Helena ad Catholicam communionem, Sedisque Apostolicæ cultum traducere cupiebat, & proxima æstate illum adeundi consilium ceperat; & priori quidem postulato annuit benigne Nicolaus in hunc modum.

Aliæ duæ ad Helenam reginam Pontificis literæ.

Nicolaus &c. Carissimæ in Christo filiæ Helenæ Reginæ Serviæ illustri Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quanto personam tuam majori prosequimur plenitudine caritatis, tanto libentius votis tuis libenter annuimus, in iis potissime, quæ debent tuis justis desideriis esse grata, tuæque animæ salutem respicere dinoscuntur. Tuis igitur devotis supplicationibus inclinati auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut dilecto filio Fratri Nicolao de Vosica Ordinis Fratrum Minorum, vel cuivis alii discreto Fratri ejusdem Ordinis Presbytero, quem, quoties opportunum fuerit, in Confessorem duxeris eligendum, tua possis confiteri peccata, & ab eo recipere salutarem pœnitentiam, ac debitæ absolutionis beneficium de commissis, etiam si, quod absit, talia extiterint, propter quæ Sedes Apostolica esset merito consulenda. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. Datum apud Urbem veterem Idibus Martii, Pontificatus nostri An. IV.

De Bulgariæ vero Imperatore in hæc verba responsum reddidit.

Nicolaus Episcopus Servus servorum Dei Carissimæ in Christo filiæ Helenæ Reginæ Serviæ illustri Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Gaudemus, Filia carissima, ac Patri luminum proinde ad gratiarum assurgimus supplices actiones, quod, sicut per dilectum filium Marinum Archidiaconum Antibarensem tuæ Celsitudinis nuncium læta mente suscepimus, tu lumine Fidei catholicæ divinitus illustrata ipsam non solum observare devotis affectibus comprobaris, sed etiam alios ad illius agnitionem, & ejus terminos propensius dilatandos opem & operam multæ sollicitudinis studio non desinis exhibere: propter quod in conspectu Dei Omnipotentis, cujus causam prosequeris, te nimirum reddis acceptam, & attollis in gentibus multipliciter nomen tuum. Sane,

cum

cum dictus Archidiaconus nobis ex parte tuæ Celsitudinis duxerit supplicandum, ut magnifico Principi Georgio Imperatori Bulgararum Illustri, cum quo super reductione ipsius ad devotionem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac ad Fidei catholicæ unionem proponis habere colloquium hac æstate, nostras hortatorias litteras scribere dignaremur, nos hujusmodi tuæ Serenitatis salubre propositum condignis laudum præconiis attollentes eidem Imperatori juxta præfatæ supplicationis oraculum, necnon & Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Bulgarorum, qui, ut nostris ac tuis in hac parte desideriis satisfiat, potest existere plurimum fructuosus, nostras exhortatorias literas, prout expedire vidimus, duximus dirigendas. Celsitudinem itaque tuam, Filia charissima, rogamus, & in Jesu Christi visceribus paternis affectibus sincerisque mentibus exhortamur, quatenus ad eum, qui potest facere mundum de immundo, quique montes, viros videlicet eminentes, de suæ dignitatis fastigio præsumentes tangit eorum cordibus sanctæ inspirationis gratiam misericorditer infundendo, & fumigans Deo devotionis sacrificium offerendo, erigens oculos tuæ mentis, & in ipso ponens anchoram tuæ spei negotium hujusmodi tam laudabile, tam salubre ad Dei laudem, Catholicæ Fidei exaltationem, & tui nominis honorem viriliter prosequaris, ut, quanto in hortum Dominicum uberiores bonorum operum manipulos in te & aliis reportaveris, tanto a distributore bonorum omnium remunerari donis potioribus merearis. Dat. apud Urbem Veterem x. *Kal. Aprilis anno* iv. Id est 1291.

Antequam Marinus ex urbe discederet, eidem privilegium concessit, fecitque potestatem obtinendi ac retinendi simul cum Archidiaconatu, cui nulla procuratio animarum adnexa erat, Sacerdotii suburbani S. Marci, quocum onus curandarum animarum conjunctum erat; id patet ex ep. 119. ejusdem Pontificis *Marino Petro Zave Nuncio Elenæ Reginæ Serviæ* inscripta, dataque 11. *Kal. Apr. an.* iv. nempe 1291.

Michaelis Archiepiscopi ad suam Ecclesiam reditus,

Postquam Stephanus Ecclesiæ reconciliatus Fidei Catholicæ & Romanæ patrocinium suscepit, & frater ejus Urosius literis Pontificiis delinitus ejusdem fautorem se præbuit, uterque vero Catholicos Latinos ab injuriis & molestiis Schismaticorum tueri cœpit, Michael Archiepiscopus Antibarensis ad suam Ecclesiam rediisse arbitror. Nam sub initium anni 1291. Antibari erat, sedebatque ad gubernacula Ecclesiæ suæ, cum ei Nicolaus auctoritatem Apostolicam delegavit, qua præditus munitusque idoneum pastorem præficeret Ecclesiæ Sardanensi, quæ jamdiu Episcopo carebat. Extant binæ hac de re Pontificis litteræ, prima Kal. Martiis, altera v. Kal. Julias data eodem anno. Cum enim Sardanense Canonicorum collegium Tanusium quemdam Dioclensem Archipresbyterum sibi Episcopum elegisset, neque varia ob incommoda possent Canonici Romam proficisci, ut electi Antistitis legitimam approbationem a Romana Sede obtinerent, jubet Pontifex prioribus literis, ut Michael, adhibito consilio duorum Præsidum Dominicani & Franciscani Cœnobii Ragusini, causam cognoscat, & absque ulla tum Tanusii, tum Canonicorum in suismet juribus offensione Episcopum creet huic muneri parem; sed, electione longius protracta, quam illius Ecclesiæ utilitas requirebat, secunda epistola Michaelem monuit Nicolaus, ut ne electionem differret, nec Canonicorum jura læderentur, de Tanusio autem ne ullam quidem mentionem injecit. Quid vero Michael præstiterit, incompertum est, uti in Episcopis Sardanensibus dicendum a nobis erit, ubi etiam utrasque Pontificis literas exscribemus. Hunc itidem Michaelem fuisse censeo, qui ab Nicolao IV. Helenæ commendatione cum ejus litteris, & precibus, & auctoritate interposita postulavit, ut Sedem Episcopalem restitui juberet in urbe Sava, quæ cum ante aliquot annos diruta fuisset, & ab incolis deserta, non ita pridem a Catholicis reædificata fuerat, & rursum habitari cœperat. Qui autem illuc convenerant laici & Clerici Petrum quemdam virum idoneæ virtutis & doctrinæ in Episcopum sibi elegerant, atque a Metropolita Antibarensi suppliciter petierant, ut hujusmodi electionem ratam haberet; ipse vero Archiepiscopus Pontificem rogavit, ut tum Sedis Episcopalis restitutionem, tum Episcopatum cunctis Cleri populique suffragiis Petro delatum confirmaret. Nicolaus ita huic petitioni annuit, si Petri electionem Præsides tum Dominicani, tum Franciscani Cœnobii Ragusini approbarent. Datæ sunt Pontificis litteræ III. Id. Junii an. IV. Nec multo post in epistola altera ad Michaelem scripta, ut superius innuimus, v. Kal. Julii pro Sardanensi Episcopatu, affirmat Nicolaus, se uno eodemque tempore alias litteras mittere de Episcopo urbis Savæ eligendo, ac utriusque negotii vult certiorem fieri ab ipso Michaele: *Quod autem super hoc, & etiam super concessione Episcopi Civitati Savæ facienda, pro qua nostras tibi litteras mittimus, feceris, nobis per tuas litteras intimare procures.* Hæc civitas sita erat in extrema Dalmatia superiori, quæ Albania dicitur, atque ad provinciam Antibarensem pertinebat, ut ex rescripto Pontificis intelligi potest; verum nulla extant ejus rudera & vestigia, ex quibus ejusdem positio dignoscatur. Sunt, qui putant, Savam eamdem esse urbem ac Sappam æque Episcopali dignitate præditam, & Archiepiscopo Antibarensi subjectam; nec desunt argumenta, quibus verisimilis opinio probetur. Quod cum in Sappatensis Ecclesiæ historia aptius sit inquirendum, eo in loco id agemus, propositis etiam Nicolai litteris ad Michaelem.

a I quem tres Pontificis litteræ.

Hæretica labes, quæ Bosnæ partem infecerat,

Digitized by Google

rat, cuique promptam afferre medicinam conatus fuerat Pontifex Nicolaus, illuc missis ex Ordine Minorum Apostolicis viris, paullatim in Serbliam ipsam, & Epirum, totamque fere maritimam Dalmatiam serpere cœperat, viresque in dies sumere, & latius diffundi videbatur. Igitur Bonifacius VIII. qui Cælestino V. in Romana Sede suffectus fuerat, sive a Stephano rege, sive a Metropolitis provinciarum, & ipso in primis Archiepiscopo Antibarensi admonitus, & rogatus, pestifero morbo quamprimum mederi statuit, ipsumque penitus removere, & evellere. Cumque Nicolai decessoris, aliorumque Pontificum exemplo, & experientia didicisset, quantum Ecclesia & Fides Catholica adjumenti præsidiique haberet in Franciscanis hominibus, scripsit Ministro Provinciali Sclavoniæ, ut duos e suo Ordine viros in eas provincias mitteret Inquisitorum munere, atque auctoritate, eosque iisdem instrui privilegiis, ac muniri jubet, quibus Fratres in Bosna Inquisitores Nicolaus donaverat; totumque Fidei ac doctrinæ Catholicæ negotium iis impositum, atque commendatum esse. Litteræ datæ sunt *Romæ apud S. Petrum* III. *Kal. Maji Pontificatus nostri anno* IV. nimirum 1298. quarum hæc sententia.

Litteræ Bonifacii IX. adversus Serbliæ hæreticos, aliarumque in Dalmatia provinciarum.

Bonifacius Episcopus Servus servorum Dei dilecto Filio Ministro provinciali Ord. Fratrum Minorum in administratione provinciæ Sclavoniæ Sal. & Apost. Bened.

Licet ex omnibus mundi partibus, quæ Christiana religione censentur, teneamur ex officii debito exstirpare letiferam pestem hæreticæ pravitatis, in partibus tamen Serviæ, Rassiæ, Dalm. Cr. Bos. atque Istriæ provinciæ Sclavoniæ imminet nobis hæc sollicitudo propensius, ubi eamdem pestem propter malitiam temporis, quæ in detrimentum Fidei Catholicæ perversa germina germinavit, ex evidentia operis, & famæ notitia persensimus abundantius succrevisse. Cupientes igitur in dictis partibus, & in Archiepiscopatibus Duracien. Antibaren. Ragusino, Spalaten. & Jadren. & in diœcesibus suis per aliquos de FF. tui Ordinis partem super hoc nostræ sollicitudinis adimpleri, discretioni tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de consilio aliquorum FF. ipsius Ordinis eligas duos de FF. ipsius Ordinis tuæ administrationis idoneos ad hoc opus Dominicum exequendum, eisque in virtute obedientiæ districte Apostolica præcipere auctoritate procures, ut Inquisitionis officium in locis prædictis contra hæreticos, arridentes, fautores, defensores & receptatores eorum juxta formam in aliis Apostolicis litteris expressam, quæ FF. prædicti Ord. Inquisitoribus hujusmodi pravitatis in eisdem locis deputatis auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis, non expressis aliquorum nominibus, super exequendo dicto Inquisitionis officio destinantur, exequi studeant diligenter. Nos enim &c.

Sequuntur cætera, ut in litteris Nicolai superius descriptis.

Michael vero usque ad initium sæculi decimi quarti vitam & Pontificatum perduxit; eique in Sedem Antibarensem successit

Michaelis Archiepiscopi obitus.

MARTINUS, sive MARINUS ARCHIEP. ANTIBARENSIS X.

Quem alias *Martinum*, alias *Marinum* appellatum invenio; sed cum in litteris Apostolicis superius allatis, & e Romanæ Ecclesiæ tabulariis in Tomo IV. Bull. Francisc. diligentissime editis *Marinus* perspicue nominetur, hoc illi nomen potius retinendum censeo. Erat is Archidiaconus Antibarensis, idemque ex privilegio Pontificio supra laudato Parochus templi suburbani S. Mariæ, ille ipse, quem Stephanus frater Uroscii de convertendis Hæreticis Bosnensibus, & Helena de Georgio Bulgarorum Imperatore ad Fidem Catholicam revocando oratorem ad Nicolaum IV. miserunt. Post obitum Michaelis habita sunt comitia Archiepiscopalia, & cunctis Canonicorum suffragiis Marinus creatus est Archiepiscopus an. 1301. Romam profectum Bonifacius VIII., cum ejus electionem approbasset, a Nicolao Episcopo Ostiensi tum consecrari, tum Pallio ornari jussit; ab se vero dimissum, abeuntemque prosecutus est suis literis commendatitiis datis 2. *Kal. Julii anno* VII. ad Capitulum, ad Episcopos provinciales, & ad Helenam reginam. Vix alterum a suscepto Episcopatu annum inierat, cum tres epistolas a Benedicto XI. accepit eodem anno 1303. dieque XIV. ante Kal. Decembris, unde primus Pontificatus annus signatur. Prima, quam integram exscribimus, est hortatoria, ut nempe Marinus ad morum vitæque honestatem revocaret ecclesiasticos & religiosos homines, qui, omni disciplina contempta, vitiis diffluebant in locis & civitatibus suæ jurisdictioni subjectis, & partim Andronici II. Palæologi, partim Orosii Regis Serbliæ, ejusque fratris Stephani, & Helenæ horum matris imperio suberant. Est vero hujusmodi.

Marinus Archiep. an. 1301.

Epistola I. Benedicti XI. ad Marinum adversus corruptam ecclesiasticorum disciplinam.

Benedictus Episcopus Servus servorum Dei Venerabili Fratri Martino Archiepiscopo Antibarensi &c.

Ad audientiam nostram pervenit, quod in Arbunia, Polato, Canovia, Duratio, Cataro, Dulcinio, Suacio, Scodro, Drivasco, Antibaro, & quibusdam aliis locis sub dominio Andronici (1) *Imperatoris Græcorum, ac Orosii regis Serviæ, & fratris ejus S., necnon charissimæ in Christo filiæ Helenæ matris eorum Reginæ Serviæ illustris positis, temporis nequam favente malitia, adeo in Prælatis & Clericis, Religiosis quoque personis & aliis propter diversa & enormia . . . . criminum, quæ committuntur ab ipsis, Ecclesiæ religionis est deformata honestas; quod decora mater Ecclesia, quam sibi speciosus forma præ filiis hominum in sponsam dignanter elegit non habentem maculam neque rugam, facta est ibi per prævaricationem Decalogi, & transgressionem Evangelicæ legis & Fidei Catholicæ nimium inde-*

1

indatora. Prætermissis etenim sanctorum Patrum institutionibus sacris, & Canonum veneranda censura, in collationibus sacrorum Ordinum & Beneficiorum nulla servatur distinctio temporum vel ætatum; nam, si simoniaca labes apud promoventes pro promovendis, vel laicalis potentia interveniat, dantur hæc petentibus indistincte. Nonnulli vero ad Prælationes pariter, ac alia Beneficia ecclesiastica, eorumdem adhuc personis viventibus, se illicite promovere procurant, hujusmodi Prælationibus, Personatibus seu Beneficiis tam enormiter acquisitis damnabiliter incubantes, detestandis inserviendo potius ritibus super iis, in quibus norma servanda est Apostolicæ dignitatis, quam approbatis æquitate Canonica moribus adhærendo.

Laici insuper uxorati, uxoribus suis viventibus, de facto superinducentes alias eis temere præsumunt se nefario contubernio commiscere, alia in probibitis consanguinitatum & affinitatum gradibus illicite matrimonia contrahendo. Alii etiam ex ipsis, dum excessus in Ecclesias & loca religiosa, eorumque personas ab eis multiformiter irreverenter commissos impunes pertranseunt, facilius ad graviores reatus vel similes prolabuntur, nunc incendiorum & effractionum dispendia, nunc direptionum & invasionum diversos & sacrilegos ausus in personas & loca prædicta committere, & alia quamplura in Ecclesiasticæ libertatis depressionem, & Ordinis Clericalis defectum inferre gravamina præsumendo: & cum per hujusmodi & aliorum quamplurium excessuum præsumptionem pestiferam Ecclesiasticæ, Religiosæ, Sæcularesve personæ tamquam lepræ respersæ contagio factæ sint, per excommunicationis diversas sententias, quas pro iis excessibus in millibus frequenter incurrere dignoscuntur, a gremio Ecclesiæ alienæ, tamquam parvuli & imbecilles in fide, non habentes, qui panem frangat eis doctrinæ cælestis, vel gravia vulnera curet ipsorum, in via deficiunt, suisque incuratis vulneribus pereunt sauciati, in prædictis sententiis & irregularitatibus, absolutionis & dispensationis beneficio non obtento, decadendo; præsertim cum propter interstitia magna locorum, viarum discrimina, alias etiam incommodis paupertatis ac senii probibentibus, pro suæ reconciliationis, & Apostolicæ dispensationis gratia, suorumque medela vulnerum ad gremium nequeant maternæ recurrere pietatis. Quia igitur ex imposito nobis Apostolatus officio sollicitudine quadam urgemur, ut inter cætera, quæ circa Dominici gregis curam nostræ vigilantiæ imminent, in divini nominis cultu, religionis Christianæ augmenta, & lucra quæramus potissime animarum, attendentes, quod secundum veritatis Evangelicæ dogma sanis minime opus sit medicari, sed male habentibus, de tua circumspectione confisi Fraternitati tuæ præsentium auctoritate committimus, ut hac vice corrigas, emendes & reformes hæc omnia in regno & locis prædictis &c. Eum deinde auctoritate Apostolica impertit & instruit, ut censuris implicitos possit dissolvere riteque expiare. *Dat. XIV. Kal. Decembris anno* 1. Id est 1303.

NOTA.

1 Is est Andronicus II. Palæologus, ad cujus imperium Dyrrhachium, Canovia, & etiam Arbania in Epiro nova pertinebant; & de Arbania vide, quæ in Episcopis Albanensibus dicta; cæteræ vero urbes Dalmatiæ superioris erant sub imperio Orosii sive Urosii.

Argumentum 2. & 3. Pontificis epistolæ ad eumdem.

Altera epistola Benedictus potestatem facit Marino instituendi amovendique Parochos in quibusdam locis & Ecclesiis regni Serbliæ, videlicet Bristoniæ, Rudinici, Rogosvæ, Trepzi & Grazanizæ, quæ quidem Catholicæ erant, sed suberant Episcopis Schismaticis. Tertiæ demum argumentum est: cum Stephanus Scodrensis, & F. Gregorius Suaciensis Episcopi abdicatione voluntaria Ecclesias suas dimittere decrevissent, illarum traditionem a Marino Archiepiscopo rite & ex formula juris recipi Pontifex jubet. Verum hæ duæ epistolæ nobis desunt. Addimus hisce & quartam Benedicti epistolam ad Præsidem Dominicanæ Provinciæ in Hungaria e Tomo III. Bullarii Domin. exscriptam, & insertam diplomati Eugenii IV. pag. 92. Postquam enim Marinum de corruptis popularium suorum moribus, & eversa in Antibarensi provincia ecclesiasticorum hominum disciplina monuisset, ut tot malis, tantisque, quæ per finitima etiam loca, vicinasque Ecclesias late vagabantur, remedium aliquod afferret, jussit ex Hungaria viros Dominicani instituti plures sanctioresque in Albaniam proficisci, qui Apostolicis excursionibus regionem totam obirent, eosque, quanta opus erat, auctoritate instruxit, quo facilius promptiusque collabenti jam religioni providerent.

PP. Dominicani in Albaniam missi a Benedicto XI.

Benedictus Episcopus Servus servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum in Hungaria, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cum hora undecima diei sit hominibus, ut exeant ad opus usque ad mundi vesperam deputati, & illud Apocalypsis eulogium cito credatur, cum Matris Ecclesiæ consolatione complendum, videlicet, oportere viros spirituales, vitæ munditiam, & intelligentiæ gratiam cum Jobanne sortitos, populis, & gentibus, linguis, Regibusque multis denuo propbetare, quia non sequitur reliquiarum Israel per Isajam propbetata salvatio, nisi juxta Paulum Apostolum prius introeat gentium multitudo; Nos licet immeriti super Apostolicæ Sedis specula constituti, fideliter, & prudenter dispensandis Dei ministeriis, & operibus coadjuvandis intendimus, si, vergente plenitudine temporis, post pia priorum studia in vineam Domini Sabaotb noves, & pene novissimos, qui sapientiam longum didicere per otium, operarios mittere curamus. Quia igitur quasdam amplas, & populosas provincias, Albaniam, Cunaniam, & Polatium, ac Duratium prope Hungariam sitas

Digitized by Google

sitas esse percepimus, in quibus aliqui Episcopi, & plurimi Sacerdotes, & Clerici sub Græcorum dominio constituti, habitant, qui ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sincera mente diligunt, & pro viribus libenter observant, quas etiam tempore felicis recordationis Innocentii Papæ Quarti prædecessoris nostri auctoritate ejusdem vestri Fratres adierunt, & in Verbo Dei efficaciter instruxerunt, Nos piæ memoriæ Alexandri Quarti prædecessoris nostri vestigiis inhærendo, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus aliquos ex Fratribus, tibi commissis, qui sunt probatæ conversationis, & vitæ, ac potentes in opere, & sermone, mittas ad terras memoratas, in quibus verbum Dei proponant, quos tibi amovere liceat, aliosque substituere, cum videris expedire; quibus vice nostra in peccatorum omnium remissionem injungas, ut seminaturi super aquas multas, in illo tantum, qui dixit mundum se vicisse, confisi, ad illuminationem cæcæ multitudinis, & exterminium hæreticæ falsitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos in luce sermonis, & certitudine operis, propositum sibi iter sine offen-

quos summa ornat auctoritate.

sione percurrant. Ut autem ministerium ipsorum honoretur plenius, & laudabilius impleatur, eisdem Fratribus, quos ad hoc miseris, præsentium auctoritate concedimus, ut ipsi Clericis, ac laicis de ipsis terris oriundis, vel ibidem constituris, qui, unitatem, & obedientiam Sedis Apostolicæ fideliter amplectentes, sunt parati satisfacere de commissis, reconciliationis, & si aliqua excommunicatione tenentur, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesiæ largiantur, proviso, ut si hujusmodi excommunicatio ab Ordinariis locorum Episcopis fuerit rationabiliter promulgata, juxta formam eamdem cum eorum consilio relaxetur, & cum Clericis ex prædictis super eo quod excommunicati celebraverunt divina, necnon cum illis, qui ab Episcopis Græcis, aut juxta ritum Græcorum Ordines infra ætatem legitimam, vel temporibus indebitis, aut qui omnes eadem die, vel superiores prætermissis inferioribus, aut etiam soluto aliquo pretio, secundum ritum eumdem recipere præsumpserunt, valeant dispensare. Sit etiam eisdem Fratribus licitum omnium fidelium in terris prædictis confessiones audire, ac ipsis injungere pœnitentias salutares, & excommunicatos a canone juxta formam Ecclesiæ absolvere, dummodo injuriam, & damna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earumdem in casibus, in quibus solent Legati Sedis Apostolicæ dispensare, ac etiam cum Clericis ipsarum partium, patientibus defectum natalium, dummodo non sint de adulterio vel incestu, aut de Regularibus procreati, sit Fratribus præfatis dispensandi facultas, quam circa illos similiter habeant, qui ab unitate Catholicæ Ecclesiæ, seu Religione, vel Clericali ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint, & digne satisfacere de commissis, ita quod ipsi Religiosi ad sua loca, salva disciplina Ordinis, resumantur, & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt astricti, juxta præmissam formam, & prædictæ satisfactionis modum absolvere valeant, & cum irregularibus eisdem, sicut est expressum superius, dispensare. De causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam ipsorum deferri contigerit, legitime cognoscendi, ac discordantes inter se ad invicem, quo ad pacem, & concordiam redeant, necnon quod inordinate viventes de suis excessibus, sicut justum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram ecclesiasticam, Episcoporum suorum scandalo evitato, ipsis Fratribus libera sit facultas. Insuper in locis, in quibus eos hospitari contigerit, vel in locis partium earumdem, in quibus residentiam facient, Missam, & cætera divina celebrare officia, & constitutis ibidem, non obstante si aliqua sunt excommunicatione ligati, in verbis, & cibo, ac aliis communicare, & ipsos, seu etiam alios conversi ad unitatem fidei Christianæ cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Ecclesiæ filiis valeant, ac dare indulgentias, commutare vota, ultramarinis, & continentiæ votis dumtaxat exceptis, liberam licentiam, & plenam habeant facultatem. Cæterum Fratribus præfatis concedimus, quod a Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis possint Ordines, & alia ecclesiastica Sacramenta suscipere, ac vestes sacerdotales, Altaris pallas, Corporalia per eos, qui ex Fratribus ipsis sunt Presbyteri, cum necesse fuerit, benedicere, ubi Catholicorum Episcoporum copia non habetur, & earumdem terrarum Clericos per literas suas licentiare, ut a Latinis Episcopis ordinentur. Ad hæc sit memoratis Fratribus absolvendi facultas occisores Clericorum, & ecclesiasticarum personarum in prædictis partibus constitutos. Nulli ergo &c. Datum Lateran. x. Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno primo.

Urosius tum litteris Nicolai Papæ, & Helenæ matris hortationibus, tum Stephani fratris exemplo impulsus jamdudum propendere videbatur ad Fidem Catholicam amplectendam, & communionem cum Sede Apostolica jungendam, atque hujusmodi bonæ voluntatis ac propensionis non obscura dabat indicia. Regem bene animatum propensumque suis litteris incitare atque urgere non omisit Benedictus XI. hortans obtestansque, ut Catholicæ veritatis suscipiendæ cupiditatem ejus animo divinitus injectam ne rejiceret, seque in sinum Ecclesiæ cum proceribus regni sui populisque conferre properaret.

Benedicti aliæ litteræ ad Urosium, ut in gratiam redeat cum Romana Ecclesia.

Benedictus Episcopus Servus servorum Dei Magnifico Principi & Regi Serviæ ad unitatem Matris Ecclesiæ feliciter properare.

Romana Mater Ecclesia salutem quærens jugiter filiorum dolet ab intimis, cum eorum quempiam conspicit a suo gremio deviare, ipsosque studet ad viam reducere veritatis. Gaudemus quidem in Domino, quod sicut fide dignorum relatione didicimus, ac alias evidentibus dicitur apparere argumentis, licet tu hactenus, ac barones & populus regni tui ab ipsius Ecclesiæ obedientia recedentes, via lucis di-

Digitized by Google

dimissa, diu per semitas ambulaveritis tenebrarum, nunc tamen tu inspiratione divina ad iter aspiras redire salutis, ejusdem videlicet Ecclesiæ unitatem. Ex quo nos hujusmodi pium tuum propositum tibi divinitus inspiratum in Domino commendamus; ac referentes exinde laudes & gratias Creatori, sperantes quoque, quod iidem barones & populus tuo exemplo laudabili, relictis tenebris viam veritatis agnoscent, Magnificentiam tuam rogamus & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus inspirationem hujusmodi recognoscens ab illo, qui omnes salvare cupit, & neminem vult perire, ad unitatem properare studeas absque damnosæ moræ dispendio Fidei orthodoxæ, per quam mortis æternæ vitatur interitus, & ad felicitatis perpetuæ gloriam pervenitur, spem plenam & fiduciam habiturus, quod, te in Fidei constantia, & Ecclesiæ ejusdem obedientia persistente, Apostolica Sedes te tamquam filium prædilectum sinceræ dilectionis brachiis amplectetur, eamque studiis efficacibus & promptis operibus prosequetur, quando tui honoris & commodi conspicere viderit incrementum. Dat. Laterani x. Kal. Januarii anno primo. Id est 1303.

Urosii in Catholicos propensa voluntas,

Urosius, his litteris acceptis, quamvis ne his quidem adduci potuerit, ut Fidem catholicam aperta declaratione profiteretur, neque matris exemplo, novisque adhortationibus, ad quam idem Pontifex scripserat, & est epistola 117. inter Benedictinas nobis adhuc incomperta, paterna tamen, quæ in illis elucebat, auctoritas, & benignitas Pontificis id valuit, ut pristinum ejus animum erga Romanam Ecclesiam propensum, & piam ejus voluntatem magis incitaret atque accenderet. Exinde religionis opera impensius colere, Dei Divorumque cultum augere, cœtus monasticos amplificare summopere studuit. Cœnobia plurima omnino ad quadraginta ædificasse traditur, quæ vectigalibus sane opimis instruxit atque dotavit; adeo vero a Latinis Sedisque Apostolicæ cultoribus alienus non erat, ut eos charos haberet, & multis beneficiis afficeret.

& privilegia duo,

Extant duo Urosii privilegia, in quibus Marinus Archiepiscopus præsens ac testis nominatur; sed nota chronologica anni 1310. utrique subjecta est mendosa, neque cohæret cum Archiepiscopatu Marini, qui ante triennium diem supremum obierat, ut docet epistola 105. Clementis V. de qua infra. Itaque si nomen Marini Archiepiscopi retinendum est, ut certe retineri debet, utrumque privilegium retrahi oportet ad annum 1307. vel fortasse ad annum superiorem. Alterum privilegium Monachis Prasquizæ & Gradistæ, alterum Monachis latinis S. Mariæ Rotaciensis concessit. Utrumque monasterium multis prædiis & vectigalibus auxit; præterea quidquid villarum ac prædiorum tam ipse, quam Helena mater illis donavit, id omne regali auctoritate communivit; diligenter cavet & sancit, dirarum denunciatione interposita, ut nequis de utriusque possessionibus quidquam imminuat, neve monachis ullam molestiam exhibeat. Unum æque ac alterum privilegium e Slavonico in Italicum sermonem convertit interpres nescio quis vel Slavonicæ, vel Italicæ, vel utriusque linguæ ignarus. Nos nacti sumus exemplum Italicum sive ob interpretis inscitiam, sive ob amanuensis oscitantis incuriam adeo depravatum, atque vitiis Italicæ locutionis refertum, vix ut e locis plerisque aliqua idonea sententia elici possit. Illud, quoquo modo potuimus, latinis verbis expressimus; & alterum quidem ex iis privilegiis extat apud Monachos Prasquizenses, alterius exemplum e suis mss. tradidit nobis Marcus Antonius Bellafusa patritius olim Scodrensis, nunc Buduensis.

alterum Monachis Prasquizensibus,

Prædilectæ, Sacrosanctæ, Puræ & Sanctissimæ Virgini nostræ Mariæ, semper Virgini Mariæ, in laudem & gloriam ejus nunc & semper. Ego peccator humilis servus tuus, Immaculata Virgo, quibus laudibus nomen tuum efferam, Virgo Immaculata, Genetrix Maria ab Angelo salutata, quam ipsi quoque nostris labiis colimus & imploramus? Servus tuus peccator invocat Nomen tuum, & hoc tibi præconium latissimum tribuit, quia Dominus tecum, atque Orbis universus tibi se subjicere, teque venerari cupit. Per te siquidem Terra cum Cœlo reconciliata fuit, & genus humanum antiquis exsecrationibus exemptum, quibus Adam confixus fuerat. Ortus tuus consolationem attulit Adamo, Evæ, & omnibus sanctis Patriarchis. Tu laus Angelorum, complementum Prophetarum, gloria Apostolorum, corona Martyrum, lætitia Regum. Ego servus tuus Stephanus Uroscius Rex Serviæ & Maritimæ gratia ejus, qui absque semine conceptus fuit, suoque immaculato conceptu nos ab ardoribus sempiternis liberavit Jesus Christus Dominus noster, ad pedes tuos me abjicio, & veniam peccatorum meorum suppliciter oro atque expostulo, ut me peccatorem servum tuum cum omnibus servis Regis Stephani Uroscii tui defendas ab omnibus hostibus regni mei, quod mihi cum Filio tuo donare voluisti. Ego igitur do atque concedo Monasterio Pasquizzæ, itemque Monasterio Gradistæ sive Dubovizzæ has villas, Burinam, Brates, Toplis, Septinam, Berglianem, Seglianem, Thesem cum earum confinibus. Dubovizza contermina est Lasticæ, & ejus fines sunt a fonte, qui a Sava usque ad Ponticulum, a Septina usque ad alveum Torrentis, quem Siccum vocant, influitque in lacum, ab lacu usque ad Presicam, a Presica usque ad Gradistam; ab vertice montis Dievin usque ad Spizzam, a Spizza usque ad Calez, a Calez usque ad Plies, a Plies usque ad montem Svinistam situm e regione Ostervizzæ, ab Ostervizza usque ad Zelenikam, quæ ad mare prospicit, quibus in locis dominabatur mater & domina mea Regina Helena; & quidquid illa donavit tum Ecclesiis tum Monasteriis ad cultum divinum, atque ad victum & vestitum Monachorum, id omne firmum & perpetuum esse volo, ac liberum ab omni molestia, ab omnique onere ac ser-

Digitized by Google

servitute prorsus immune : nemo autem seu Princeps seu privatus in has possessiones Deo, ac Dei famulis traditas, invadere, aut ex illis quidpiam detrabere audeat. Quisquis vero a summo rerum omnium Arbitro administrationem hujus regni acceperit, caveat, ne hoc mandatum nostrum violet ; quin immo pro tradita sibi a Deo potestate illud magis magisque confirmet, illudque ab omnibus servari jubeat. Siquis secus fecerit, eum Deus iratus exterminet, atque ad nihilum redigat, & particeps sit suppliciorum Judæ venditoris Christi, & cum illis condemnetur, qui contra Dei Filium clamabant : Sanguis ejus super nos & super filios nostros ; exsecretur eum summus Deus, & brachio suo valido immortalique conterat Jesus Christus cum immaculata Virgine Matre sua, & cum omnibus Sanctis, illique sit adversaria in extremo ac terribili judicio Mater Dei, cum Dominus venerit judicaturus vivos & mortuos. Et per me Stephanum Urosium diris omnibus devovetur quicumque molestiam his sanctis Monasteriis exhibuerit, eorumque agris, vineis, cæterisque fundis frugiferis, quos eisdem donavi, damnum intulerit ; & qui Abbati & Monachis litem intenderit, mille yperperis mulctetur. Hoc ego Privilegium feci, cum Catharum cum omni mea Curia venissem, illudque approbavit & laudavit Marinus Archiepiscopus Antibarensis primum Aulæ regiæ locum tenens, idemque regius Cancellarius ; itemque confirmarunt (1) *Miroslavus Episcopus Zentæ, Damianus & Miroslavus Jupani, Uladislavus Episcopus Cathari cum duobus aliis testibus Drago & Paullo : atque ut omnibus notum sit atque manifestum, Paullus Diaconus, me jubente, publicis literis mandavit mense Martio, die decimo quinto, anno* 1310. (2)

NOTÆ.

1 Fortasse Scodrensis Episcopus, cujus diœcesis Zentam fere utramque complectebatur.

2 Corrige, *anno* 1307., uti animadvertimus paullo superius.

alterum Rotaciensibus concessum,

Idem Stephanus Urosius Milutinus alterum singulare privilegium concessit Monasterio S. Mariæ Rotaciensis, cui, cum ipse multa large effuseque donavit, tum quidquid ab Helena matre, atque ab se Abbati ac Monachis Rotaciensibus donatum fuit, confirmat, atque in perpetuum valere jussit, ratum esse, atque ab omni tributo immune. Sed in hoc privilegio pleraque ex illis loeis, quæ in superiori duobus Monasteriis Prasquizzæ & Gradistæ donata fuisse dicuntur, Cœnobio etiam Rotaciensi attribuuntur ; hinc conjici videtur posse, bona illa fere omnia tribus hisce Monasteriis fuisse communia, vel Rotaciensi tamquam primario alia duo cum omnibus suis prædiis ac possessionibus fuisse subjecta. Est vero hujusmodi.

Electæ, ab Angelo salutatæ, Immaculatæ, Benedictæ, Nobili, Reginæ nostræ, Dominæ Genetrici Dei, Clementissimæ Virgini Mariæ &c. (ut in superiori diplomate). *Monasterio Rotacii, Deique Genetrici hæc loca in perpetuum possidenda tradimus. Dubovizzam, Zubrianam, Bratam, Toplim, Septinam, Seglanem, Spiglianem cum his confiniis &c.* (vide superius diploma.) *Quibus in locis dominabatur mea mater domina Helena, quæ itidem easdem possessiones eidem Monasterio donavit, nosque hanc donationem confirmamus, ut habeant Monachi, unde percipiant quæ ad victum & vestitum necessaria sunt, & quæ illis supersunt, senibus, invalidis, claudis, ægrotis, pauperibus largiantur &c.* (sequuntur exsecrationes quæ superius). *Hoc Privilegium Monasterio S. Mariæ Rotaciensi concessi, cum Catharum veni, & mecum venerunt hi viri nobiles Archiepiscopus Antibarensis Marinus, Comes Miroslavus, Episcopus Segremani Joannes, Episcopus Zentæ Michael, Miroslavus & Uladislavus Jupani, Episcopus Cathari Dumona, & duo testes Paullus & Drago ; quæ omnia, ut omnibus nota essent, in publicas tabulas ut referret, Paullo Diacono mandavi, mense Martio, die decimo quinto,* (1) *an.* 1310.

NOTA.

1 Corrige, *anno* 1307., uti monuimus. Sed non leve nominum discrimen in utroque Privilegio dubitationem injicit de utriusque, vel alterius falsitate, cum fieri nequeat, ut iidem eodem die variato nomine signentur in publicis regiisque tabulis, in quibus summa requiritur scribendi diligentia & veritas. Cum tamen mendosissimum utriusque exemplum traditum nobis fuerit, nominum discrimen & menda, quæ in fine primi & alterius deprehendimus, amanuensium vel interpretum culpæ jure possunt attribui, quin utrumque vel alterutrum rejiciatur. Itaque primum ex altero ita corrigendum censeo ; *itemque confirmarunt Michael Episcopus Zentæ, Miroslavus & Uladislavus Jupani, Damianus* seu *Dumona* vel *Domnius Episcopus* Cathari, qui tum revera huic Ecclesiæ præerat. *Miroslavi* vero & *Episcopi* & *Jupani* nomen confusum esse facile constat. In altero vero sic legas ; *Archiepiscopus Antibarensis Marinus primum Aulæ regiæ locum tenens, idemque regius Cancellarius, Episcopus Zentæ Michael* &c. rejectis iis, *Comes Miroslavus, Episcopus Segremani Joannes*, quæ videntur intrusa ; neque divinare quis velit, qui locus, quæ urbs *Segremania* fuerit, quam Joannes regebat ; nisi & urbem & Episcopum Rasciani ritus intelligere malimus, urbemque ipsam penitus eversam dicamus.

Cœnobium ac templum S. Mariæ in pago, cui nomen *Rotacium*, ingenti mole sumptuque exstructum, & opimis vectigalibus dotatum, ut diximus, situm est in edito colle secus oram maritimam, distatque Antibari in occasum, atque meridiem millia passuum circiter quinque. Abbas vero & Monachi hujus

Digitized by Google

jus Cœnobii, ut, quod sibi ab Helena & Urosio, aliisque Regibus donatum fuerat, magis firmum, stabile ac perpetuum esset, post annos fere quinque ab accepto Urosii diplomate, Clementem V. Pontificem Maximum supplicibus literis rogarunt, ut se suaque omnia in clientelam Sedis Apostolicæ reciperet: quibus perbenigne annuit Pontifex, ut ejusdem literæ Abbati & Monachis inscriptæ declarant.

quos Clemens V. in clientelam Sedis Apostolicæ recipit.

Clemens Episcopus Servus servorum Dei dilecto Filio Abbati & Conventui Monasterii S. Mariæ in Ripa mari Ordinis S. Benedicti diœcesis Antibarensis Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Cum a nobis petitur, quod justum & honestum est, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut pro sollicitudine officii nostri ad debitum deducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii nostri, justis postulationibus grato concurrente assensu, personas vestras, & locum, in quo Divina poteritis adimplere, sub B. Petri & nostra protectione recipimus; specialiter decimas, terras, vineas, domus, possessiones, & alia bona, quæ juste possidetis, vobis & per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio munimus, salva in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Nulli ergo &c. Datum Viennæ x. *Kal. Decembr. Pontificatus nostri anno* VII. id est 1311.

Obitus Stephani fratris Urosii,

Anno 1307. Urosius Stephanum fratrem optimum morte præreptum amisit; huic siquidem anno ejus ex hac vita decessum affixit Micha Madius æqualis temporum illorum cap. XII. *A. D. MCCCVII. D. R. Stephanus Rasciæ carnis debitum solvens diem ultimum suæ mortis signavit.* Duos habuit filios Uladislavum & Constantinum. Urosius Uladislavum natu maximum, ut solus & securus imperaret, in carcerem conjecit, & diligenti septum custodia servandum curavit. Ita imperium totius Serbliæ Dalmaticæ & Mœsiacæ ad unum Urosium pervenit. Per eadem tempora sanctissime moriens Helena regina, quæ Maria etiam in antiquis tabulis nominari solet, ad superos migravit, & honorifice sepulta fuit Dulchinii in Basilica S. Mariæ. Præter cetera quatuor per illam cœnobia exstructa invenio in quodam Codice Domus de Pasqualibus patritiæ Catharensis: *Factum fuit anno MCCLXXXVIII. Monasterium S. Mariæ in Scutaro, & Monasterium S. Francisci de Catbaro, & Monasterium S. Francisci de Antibaro, & Monasterium S. Mariæ de Dulcigno per dominam Mariam de Domo Chiutiz de Francia Reginam de Zenta, hoc est Mysiæ inferioris in partibus Albaniæ. Quæ regina jacet sepulta in templo S. Mariæ*, al. *S. Marci, de Dulcigno coram altare majore sub pavimento cum Anselmo ejus filio.* Ex viro suo Stephano tres filios habuit Urosium, Stephanum, & Predislavum, qui postremus fuit Archiepiscopus Serbliæ, ut tradit Orbinus. Fuerit ne Anselmus quartus filius, an idem fuerit ac Predislavus, duplici nomine, altero latino, altero Slavonico appellatus, dubitari potest; monumenta desunt, e quibus alterutrum affirmari queat. Præterea cum filiis Urosio & Stephano templum SS. Sergii & Bacchi apud Barbanam fluvium in diœcesi Scodrensi ædificavit, ut docet inscriptio postibus ejusdem templi a latere dextero incisæ: *Memento, Domine, famulæ tuæ Elenæ Reginæ Serviæ, Diocliæ, Chilmiæ, Dalmatiæ, & maritimæ regionis, quæ una cum filiis suis Urosio & Stephano Regibus ædificavit de novo istam Ecclesiam ad honorem Beatorum Martyrum Sergii & Bacchi, & ad finem usque complevit anno MCCLXXXX.* Eodem anno, quo Stephanus, vel superiori, Marinus Archiepiscopus e vita migravit.

Helenæ matris,

& Marini Archiepiscopi.

Post Marinum Antibarensis Archiepiscopus fuisse dicitur Andreas cognomento *Hungarus*, & Dominicanæ disciplinæ alumnus apud Bollandum Tomo II. die 18. Januarii, qui testem citat Ferdinandum de Castillo Scriptorem Dominicanum in Hist. sui Ord. lib. 3. cap. 6. *Ad Clementem V. anno* 1306. *missus est a Rege Hungariæ &c. Andreas Hungarus, qui eum rogaret, ut tandem de Margaritæ testata sanctitate pronunciaret; Andream Pontifex Antibarensem Archiepiscopum renunciavit; sed negotium illud expetitæ apotheosis, publicis Ecclesiæ rebus varie perturbatis, expediri non potuit.* Hæc Bollandus agens de Margarita filia regis Hungariæ Belæ IV., quæ Dominicanum institutum secuta sanctitate & miraculis erat illustris, cujusque apotheosim Hungari maxime expetebant. Verum Ferdinandus de Castillo, & alii Scriptores Dominicani Andream non Antibarensem, sed alii *Antiliarensem*, alii *Anciliarensem* vocant; de quo Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominic. *In Antiliarensi Archiepiscopali Ecclesia præfuit Andreas Hungarus insignibus præfulgens virtutibus, ait Leander Albertus, magna religione, doctrina, prudentia, subdit Ferrarius, qui a rege Caroloberto ad Curiam Apostolicam Burdegalis tunc temporis commorantem, Clemente V. Pontifice Maximo, missus, ut Canonizationem sanctissimæ virginis Margaritæ filiæ Belæ IV. regis Hungariæ promoveret, ab eodem Summo Pontifice Antiliarensis Archiepiscopus creatus fuit anno* 1306. *circa festum omnium Sanctorum; de quo S. Antoninus part.* 3. Antonius Senensis Lusitanus hanc legationem cum anno Christi 1310. conjunxit; & dum adhuc Andreas in Romana Curia commorabatur, Ecclesiam *Anciliarensem* illi a Clemente V. decretam fuisse affirmat in Chron. FF. Ord. Præd. pag. 170. Tanta quidem est *Antiliarensis* sive *Anciliarensis* vocabuli eum *Antibarensi* affinitas, ut ex uno in aliud commutatio fieri facile posset. Nec mirum, si Echardus ipse in Tomo I. Biblioth. Scriptorum sui Ordinis Andream Archiepiscopum *Antibarensem* nominat in Catalogo Antistitum Ordinis Dominic. eidem Tomo præposito, vel vocabulorum similitudine,

Andreas Hungarus,

Digitized by Google

dine, vel aliorum testimonio deceptus; qui tamen pag. 517. Franciscum Gravanum e Sede Antibarensi recte rejiciens, uti inferius dicendum, F. Andream Hungarum *Archiepiscopum Antibarensem a Clemente V. Burdigalæ tunc agente promotum fuisse* affirmat testimonio Bernardi Guidonis, hanc vero sedem tenuisse *toto Clementis V. Pontificatu*, quem *inter manus Joannis XXII. deposuit*; tum mendum notat in Scriptoribus quibusdam Dominicanis *Antiliarensis* Ecclesiæ pro *Antibarensis*. P. Ripollius in Bull. Dominic. Tomo II. pag. 127. cum nullibi Antiliarensis Sedes legatur in Geogr. Eccles. Andream in Antibarensi Archiepiscopatu retinendum censet Guidonis auctoritate ipsi Andreæ coævi, qui hæc scribit: *Frater Andreas Hungarus Archiepiscopus Antibarensis factus per Dominum Clementem Papam V. Anno Domini* 1306. *circa Festum omnium Sanctorum Burdegalis in Curia, ubi erat pro Canonizatione Sanctæ Margaritæ* &c. Nec idcirco aut Guidonis, aut Ripollii, aut Echardi testimoniis acquiesce: fuerit enim Andreas Antibarensis Antistes renuntiatus, vel dignitatem recusavit, vel acceptam statim dimisit, vel etiam morte ante præreptus est, quam illam adiret; nam post quatuor menses, & insequenti anno 1307. alium e Franciscana familia huic Ecclesiæ præfecit idem Pontifex, uti mox constabit. Gravior fortasse difficultas esse potest in Antibarensi Archiepiscopatu Andreæ de Antonio Ghezzio Burghesio Senensi, & Dominicani itidem instituti cultoris, qui, ut scribit Fontana, *divini verbi præco famosus a Benedicto XI. P. M. Antibarensis Pastor creatus anno* 1303., *per Italiam Apostolicus Nuncius ad Principes dirigitur anno* 1318. *a Joanne XXII.*, *ut testatur Lombardellus in vita B. Bonaventuræ Tolomei, & Lopez in historia Ordinis p.* 4. Sed in Appendice Theatro suo subjecta sibi recte non constat, &, Taegio auctore, subdit: *P. F. Andreas Venetus Antibaren. Pastor creatus ad Viennense Concilium a Clemente Papa V. vocatus est anno* 1311. *celebratum, vir in Græcis SS. Patribus, ac literis versatissimus, ut refert Taeg. in Monum. Ord.* Hic enim ab Andrea Senensi omnino est diversus; & si notas chronologicas utriusque conferas, uterque simul Antibarensi Ecclesiæ præfuisse censendus esset. Tres tamen habeo Scriptores Senenses, qui Andream Burghesium hac dignitate donarunt. Franciscus Masettus in monum. hist. Senens. pag. 25. *E domo Burghesia F. Antonius Dominicanus Archiepiscopus Antibarensis & Diocliensis, Joannis XXII. Legatus ad Dynastas Italiæ;* Isidorus Ugurgierius in Pompis Senens. part. 1. tit. 5. idem affirmat a Fontana scriptum; & Hieronymus Giglius in Diar. Senensi part. 1. pag. 164. *Primus inter Antistites Familiæ Burghesiæ fuit F. Antonius ex Ordine Dominicano Archiepiscopus Antibarensis & Diocliensis, qui, dum Curia Romana Avenione moraba-tur, a Joanne XXII. missus fuit Legatus ad omnes Italiæ Principes.* Andreas itaque Antonii filius, ut innuit Fontana, vel Andreas Antonius, si hoc nomen illi adjungas ex Giglio, civis erat Senensis e nobilissima familia Tiezzia, non *Ghezzia*, quod scribit Fontana, Burghesia; Tiezzia enim gens in duas cognationes divisa fuit, cujus alteri Beninicasæ, alteri Burghesium cognomen datum: atque is a Benedicto XI. ad Antibarensem Ecclesiam evectus dicitur a Fontana an. 1303. Verum biennio ante hanc Sedem tenebat Marinus, qui anno circ. 1307. & vita & Archiepiscopatu decessit, eique Andream e Franciscana familia virum suffectum fuisse omnino certum est. At enim, cum Andreas, de quo agimus, *Antibarensis & Diocliensis Archiepiscopus* nominetur, non ita facile *Antibarensis* & *Antiliarensis* vocabula confundi possunt, ut de Andrea Hungaro diximus; hinc vehemens mihi suboritur suspicio, Andream Burghesium Antibarensi quidem Archiepiscopatu ornatum fuisse post Marinum, sed mox, hoc munere abdicato, tituloque Archiepiscopali retento, Pontificia legatione in Italia perfunctum. Nam Andreas alter *Venetus* profecto a Taegio & Fontana permiscetur cum Andrea Franciscani Ordinis alumno, ut paullo inferius advertam; & qui ad Concilium Viennense vocatus fuit Archiepiscopus Antibarensis, nullo nomine, quisnam esset, indicatur in actis ejusdem Concilii. P. Thomas Ripollius in Tomo I. Bull. Domin. pag. 102. & 125. Andream Ghezzium, Senensem scilicet & Archiepiscopum Antibarensem nominat an. 1303., & Viennensi Concilio adfuisse affirmat; tum pag. 217. ejusdem Italicam legationem an. 1318. commemorat, sui Ordinis Scriptores secutus. Sed Andream utrumque in Catalogo horum Antistitum non esse recensendum jure putamus; & post Marinum Antibarensis Ecclesiæ Archiepiscopus renuntiatus fuit

& Andreas Burghesius e Catalogo Archiepisc. Antibar. expuncti.

ANDREAS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XI.

Marino vita functo, Canonici Antibarenses potestatem & arbitrium novi Archiepiscopi eligendi ad Sedem Apostolicam per compromissum detulerunt. Sed postea quosdam e Capitulo compromissi pœnituit, & Archiepiscopum sibi postularunt Gregorium Episcopum Svaciensem, qui statim jus omne, siquod per eam postulationem acquisivisset, simulque Ecclesiam ipsam, cui præsidebat, ultro dimisit. Hic idem fuit Gregorius, cujus voluntariam Svaciensis Episcopatus abdicationem Benedictus XI. a Marino Archiepiscopo admitti & recipi jusserat, ut supra dictum est; sed, quod animo decreverat, reipsa non perfecit. Itaque Clemens V. F. Andream Franciscanum Antibarensibus Archiepiscopum dedit. Hæc est summa & sententia epistolæ Clementis, quam nobis e Vaticano Tabulario communicatam, & breviter his verbis expositam hic proferimus. *Vacante Ecclesia Antibarensi per obitum Marini, Ar-*

F. Andreas Archiep. Antibarensis anno 1307.

Digitized by Google

Archidiac. & Capit. pro electione futuri Archiepiscopi in Sedem Apostolicam compromiserunt. Deinde Gregorius Svacinen. Episc., qui a nonnullis Canonicis fuerat postulatus, omni iuri suo, nec non Ecclesiæ Svacinensi renunciavit. Clemens V. F. Andream Ord. Minor. Lectorem Conventus Jadrensis in Archiepiscopum designavit, & fecit per Episcopum Albanensem consecrari. Ipsum dimittit, & commendat Capitulo, Suffraganeis & Urosio Regi Serviæ. Data est in Præmiacensi pago apud Burdigalas v. Kal. Martias anno 11. id est 1307. ex Reg. Clementis V. anno 2. epist. 106.

Itaque Andreas, cum in cœnobio Jadertino scholas Fratrum juniorum regeret, Archiepiscopus renuntiatus fuit anno 1307. qui *Venetus* dicitur a Fontana ideo fortasse, quia e quapiam Venetæ ditionis familia ortus in ea tum erat civitate, quæ suberat Venetorum Reipublicæ; & *Anno* 1308. *die* 13. *Augusti obligavit se soluturum Cam. Apost. pro communi servitio florenos* 80. Ex Tomo I. Oblig. pag. 39. t.

Pacatis optimisque orsus est Pontificatum initiis, dum adhuc Urosius propensum erga religionem Catholicam animum & tenebat & ostentabat. Mors Helenæ ac Stephani igniculos veræ pietatis ac religionis conceptos & Urosii animo inclusos adeo non exstinxit, ut potius ex jucunda simul ac tristi matris & fratris, & piarum utriusque adhortationum recordatione vehementius accenderit; & exinde magis magisque erga Fidem Catholicam affici, ejusque suscipiendæ desiderio flagrare cœpit. Itaque anno 1308. ineunte, vel intra finem anni superioris ad Clementem V. litteris & legatis missis egregiam suam voluntatem declaravit, simulque a Pontifice suppliciter petiit, primum ut idoneos & doctos viros ad se mitteret, per quos de recta in Deum fide, divinisque mysteriis & mandatis tum ipse, tum Clerus populusque erudiretur, deinde ut se ac suum regnum in clientelam Sedis Apostolicæ reciperet, sibique vexillum pontificia precatione consecratum perferri juberet, quod ad debellandos Christiani nominis hostes in acie explicaret. Regii oratores fuerunt Marcus Luccarus & Tryphon filius Michaelis. Pia Regis voluntate Clemens mirifice lætus tres ad illum Legatos decrevit Ægidium Patriarcham Gradensem, F. Lapum, & F. Artænisium, alterum Dominicani, alterum Franciscani Ordinis Procuratores in Curia Romana, his monitis & præceptis instructos.

Urosius Legatos postulat a Pontifice, & Catholicæ doctrinæ magistros.

Legati Pontificis ad Urosium cum mandatis,

Discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad præsentiam dicti Regis vos personaliter conferentes, & habentes præ oculis solum Deum, ipsum Regem, & personas alias supradictas ad unitatem veræ Fidei, & communionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ salubribus inducatis monitis, & inductos, ut præmittitur, recipiatis eosdem. Quodsi, annuente Deo, tam circa Catholicam Fidem, quam circa præmissa alia, quæ fieri vo-

lumus, per ipsum Regem, & alios, de quibus supra fit mentio, veraciter compleantur, auctoritate nostra Regem eumdem, & Regnum sub protectione dictæ Sedis Apostolicæ recipiatis & nostra, & vexillum ab eo ex devotione petitum contra Infideles illarum partium sine alterius præjudicio usque ad beneplacitum Apostolicæ Sedis tradatis eidem, ipso Rege & aliis de dicto Regno, qui propter schisma & non recognoscendo Primatu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ excommunicationis vinculo sunt ligati, absolutis. Et nonnullis interjectis: *Quod autem in fermentato pane per Sacerdotes non Latinos regni prædicti rite ordinatos in Missarum solemniis Corpus conficiatur Dominicum, quousque aliud per Apostolicam Sedem ordinatum fuerit, cum præmissa perfecta extiterint, & quod idem Rex interesse possit Missis hujusmodi, toleramus &c.*

Legatis suas literas ad Regem perferendas tradidit, quarum caput erat, incredibilem se animo lætitiam ex ejus literis & oratoribus cepisse; præpotenti Deo gratias agere, quod divini Spiritus afflatu hanc illi mentem injecerit, cupiditatemque ejurandi schismatis, & Catholicæ veritatis atque communionis amplectendæ. Præscribit quid illi credendum, quidve præstandum sit, ut in sinum sanctæ Ecclesiæ recipi possit; ac præsertim jubet in Symbolo Nicæno, cum inter solemne sacrificium recitatur, ab omnibus Sacerdotibus non omitti, sed diserte addi particulam *Filioque*; monet, ut tam ipse, quam Præsules, Clerus & populus Primatum Ecclesiæ Romanæ agnoscant & colant, suos Latinis Ecclesiis Presbyteros restitui imperet, neve illi horum sacrificiis interesse abnuant; formulam autem Fidei Catholicæ profitendæ, quam supra descripsimus, his etiam literis inseruit.

& litteris ad ipsum Regem.

Clemens Episcopus Servus servorum Dei Magnifico viro Urosio regi Rasciæ illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, qui ubi vult spiramus sic novissime his diebus oculos tuæ mentis aperuit radio novæ lucis, ut, excussa inde tenebrarum caligine, in votis habeas sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri Fidelium & magistræ in Fidei veritate ac unitate conjungi. Multum quippe teneris Deo, Princeps clarissime, qui sic te oculo suæ pietatis respiciens ad cognitionem & claritatem veræ Fidei clementer adducit, ex quo Magnitudo tua promovebitur ad salutem, & solium tuum stabili vallabitur firmitate. Multum etiam lætari debet mater Ecclesia; & nos profecto multiplici alacritate perfundimur, quod diebus nostris tam nobilis ovis, tantusque populus ad ovile reducatur Dominicum, schismate aliisque pulsis erroribus, Christi corporis, quod Ecclesia est, membrum efficiantur, in eo luceant, perficiantur, & vivant. Sane, Serenissime Princeps, tu pridem Spiritus Sancti gratia illustratus

Digitized by Google

viros providos & discretos Marcum Luccari & Tryphonem Michaelis Magnificentiæ tuæ nuncios cum literis regiis ad nostram præsentiam destinasti, qui hujusmodi tui propositi laudabile desiderium coram nobis & Fratribus nostris prudenter & fideliter exponentes a nobis inter alia suppliciter postularunt, ut te tamquam devotum Filium ad gremium dictæ Ecclesiæ, & sub protectione ipsius benigne recipere dignaremur, tibique aliquos viros ideneos Apostolicæ Sedis nuncios mitteremus, per quos tu & illi de regno tuo in Fide Catholica, & in via mandatorum Domini possitis salubriter informari. Unde nos, qui Christi Vicarius, & Petri Apostolorum Principis effecti, disponente Domino, licet immeriti, successores ad ea præcipue nostræ curæ prorogamus affectum, ac diligenti studio & studiosa diligentia seduli vigilamus, ut errantes ad viam veritatis adducere, omnesque lucrifacere Deo, sua nobis suffragante gratia, possimus, habita super iis, quæ iidem tui postularunt nuntii, cum prædictis Fratribus nostris discussione solemni, de consilio ipsorum pie decrevimus hujusmodi votis tuis libenter annuere, ipsasque petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudire, si, quod ore profers, corde credis, &, quod corde credis, opere compleas evidenter, nihilominus tibi tenore præsentium declarantes, quod tibi ac cæteris sub tua ditione degentibus faciendum incumbit, ut ad sinum ejusdem Ecclesiæ sano fretus consilio venias reverenter; quæ, si, inspirante Domino, feceris, ipsa Ecclesia mater piissima filio redeunti sinum largissimæ pietatis aperiens in tuos læta properabit amplexus. Fides autem Catholica, quam te, Clerum, & populum regni tui profiteri, & a vobis recipi ac acceptari volumus, hæc est." Credimus in sanctam Trinitatem Patrem & Filium & Spiritum Sanctum &c. „ *Quæ vero circa reditum tuum ad unionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac schisma eminus profugandum exigimus, inferius annotantur. In primis quod Symbolum Nicæni Concilii*, Credo in unum Deum, *in Ecclesiis regni tui, & terrarum tibi subjectarum in ea parte, ubi de Spiritus Sancti processione in eo agitur, cantetur publice, dum Missarum solemnia celebrantur, & sic etiam doceatur populus*, Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; *& quod tu, Prælati, Clerus, Calogeri, & populus dicti regni tui profiteamini, Romanum Pontificem esse Christi Vicarium, & Beati Apostoli Petri successorem, eumque potestatem habere ligandi atque solvendi, quam idem Apostolus noscitur habuisse, ac ipsam etiam Romanam Ecclesiam super omnes obtinere Primatum, & etiam Principatum; quodque tu pro te, & pro populo tuo obedientiam & reverentiam eidem promittas Ecclesiæ, ac Prælati ejusdem ipsam jurent, omni schismate primitus abjurato; & quod Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Archimandritæ regni tui per electionem canonicam eligantur, sive etiam postulentur, ita quod inferiores Prælati suarum electionum confirmationes a Superioribus suis recipiant, Episcopi vero a Metropolitanis suis confirmationem & consecrationem, Metropolitani autem hæc & Pallium, in quo Pontificalis plenitudo designatur officii, sine præjudicio Constantinopolitanæ Sedis, & Patriarcharum, qui erunt ibidem, gratiam & communicationem Apostolicæ Sedis habentium, si forsan regnum tuum vel aliqua ejus pars de Patriarchatu dictæ Constantinopolitanæ Sedis existat, suscipiant ab Apostolica Sede prædicta, regali potestate, & qualibet alia laicali nihil sibi in his quomodolibet vindicante. Latinorum Ecclesias in regno tuo positas per te vel alium occupatas dimittas libere, & ab aliis facias omnino dimitti. Latinos in honore habeas, & præcipue Sacerdotes. Eorum a te & hominibus regni tui non declinentur Missæ neque Sacrificia, sed pro loco & tempore cum omni reverentia audiantur.*

Verum ut tantæ salutis opus, ac tanti boni felix auspicium optatum, favente Deo, sortiatur effectum, ecce venerabilem Fratrem nostrum Ægidium Patriarcham Gradensem, & dilectos Filios FF. Lapum Prædicatorum, & Artanisium Minorum Fratrum Ordinum Procuratores in Romana Curia Generales, latores præsentium, viros utique vitæ & religione conspicuos, honestate decoros, sacræ Scripturæ scientia præditos, ac nobis & dictis Fratribus nostris acceptos pro bis exsequendis ad tuam Magnificentiam, tamquam salutis & pacis angelos, juxta tuæ petitionis instantiam destinamus, quorum salutaribus eruditionibus, favente illo, in cujus manu corda Regum consistunt, ipsum Dominum Jesum Christum perfecte cognosces, & suum gloriosum nomen Catholicæ Fidei observatione colere non postpones; ac Status tuus supra firmam petram Ecclesiæ Apostolicæ solidatus spiritualibus & temporalibus proficiet incrementis, tuque demum coronam perennis gloriæ consequeris. Rogamus itaque Serenitatem Regiam, monemus & hortamur attente per aspersionem pretiosissimi Sanguinis Jesu Christi obsecrantes, quatenus de tua tuique populi salute cogitans præfatos nostros Nuntios propter hoc ad tuam excellentiam accedentes ob reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram benigne recipias, & bonorificentia debita ac condigna pertractes; ac sic attente præbeas ipsorum monitis salutaribus aures tuas, ut verba, quæ ex parte tua prædicti tui retulerint nuntii, per exhibitionem operis compleantur, & spes, quam de tua laudabili intentione concepimus, fructus nobis & ipsi Ecclesiæ afferat concupitos, tuque præter divinæ retributionis præmium nostram & dictæ Sedis gratiam uberius consequi merearis. Dat. Pictavi Kal. Apr. anno tertio. Id est 1308.

Quorum irrita legatio.

Et Urosius quidem literas & Legatos Pontificios perhonorifice accepit, sed omnes illorum hortationes & suasiones sive propter inconstantiam ac levitatem, sive propter contumaciam ac perfidiam elusit, & spem atque expectationem Clementis fefellit. Itaque Legati

Digitized by Google

gati re infecta redierunt. Bernardus in Chron. Romanorum Pontif. apud Raynaldum ad hunc annum 1308. caussam irritæ legationis in Helenam matrem Urosii ejusque fratrem rejicit, quorum metu sese a proposito consilio dimoveri passus fuerit: *Finis tamen intentus nullus fuit, aut modicus subsecutus, quia ipse matris suæ & fratris metu retractus penitus nihil egit.* Verum fallitur Bernardus, & Urosium hunc ejusque matrem Helenam cum Urosio postremo Serbliæ rege, & altera Helena ejusdem matre confundit manifesto errore, uti inferius constabit. Nimirum in Urosio, de quo agimus, egregius ille ardor animi deferbuerat, quo incensus veræ & sinceræ Fidei magistros a Pontifice summis precibus expetierat, & qui eum excitarent, domestici suasores & impulsores deerant, videlicet Helena mater, & Stephanus frater, Fidei Catholicæ cultores, defensores & propagatores eximii, quos haud multo ante obiisse diximus; non deerant autem pravi aulici tum schismatis, tum hæreticarum opinionum tenaces, qui Regem a præclaris consiliis & cœptis revocarent. Sed Ptolemæus Lucensis in sua Historia Eccles. lib. 24. cap. 39 penes laudatum Raynaldum aliam immutati in Urosio consilii rationem affert; cum enim eo tempore Veneti, fœdere inito cum Gallis, bellum adversus Andronicum Græcorum Imperatorem molirentur, Urosius veritus fortasse, ne Constantinopoli capta, in se quoque, veluti Græci schismatis sectatorem, arma converterent, pollicitus fuerat Clementi Pontifici, se Romanæ Ecclesiæ nomen daturum; at belli rumore ac metu disjecto, fidem facile fregit, & de spe tota Pontificem frustratus est: *Misit nuntios*, Clemens, *ad regem Rasciæ, qui ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ promiserat se venturum, quia Veneti cum Carolo sine terra concordaverant imperium accipere Constantinopolitanum. Videns autem tractatus non procedere, papales nuntios vacuos remisit.* Vera autem, necne sit, Ptolemæi narratio, aut conjectura, nihil refert in illam inquirere.

Andreas Archiep. ad Concilium Viennense vocatur.

Anno 1308. Clemens V. Concilium Viennense in Gallia indixerat, datis litteris *secundo Idus Augusti Pictavis* ad singulos Christianæ Reipublicæ Reges æque ac omnium Ecclesiarum Antistites, quo præsto essent gravissimis, de quibus agendum erat, religionis negotiis; eadem ad omnes litterarum sententia, & forma, quarum hoc est initium, *Regnans in cœlis triumphans Ecclesia* &c., ut ferunt Concilii acta; & *in eodem modo Archiepiscopo Antibarensi & Episcopis* &c. *mandamus, quatenus vos fratres, Archiepiscope, Polacensis & Suacinensis, Episcopi* &c. qua communi clausula præcipit Pontifex, ut præstituto tempore & ipse Archiepiscopus, & Antibarensis provinciæ Episcopi Viennam conveniant, aut vicariam suffragii potestatem in eos conferant, qui Concilio adfuerint. Cum vero biennii ferme mora ante intercessisset, quam haberetur conventus, aliis litteris anni 1310. datis *Avenione secundo Nonas Aprilis anno quinto* omnes, ad quos superius scripserat, de protracto eorum adventui termino admonuit, ac *in eodem modo Archiepiscopo Antibarensi & ejus suffraganeis* idem significavit. Anno 1312. Concilium absolutum jam erat, cui tamen Andreas Archiepiscopus an interfuerit, dubitari maxime potest ob turbas, quas Urosius paullo post dimissos Pontificis legatos in Catholicam religionem commovit. Licet enim semina illa veræ pietatis, quæ tum piæ adhortationes Helenæ matris, tum Stephani fratris præclara exempla illius animo injecerant, dudum retinuisset, & Catholicis favere ac benefacere non deesset etiam post irritam Clementis legationem, hi tamen sensus optime affecti erga Sedem Apostolicam, atque ad veritatem propensi paullatim tepescere cœperunt, quos demum sive ob pessima aulicorum consilia, sive propter voluntatis & morum depravationem sic prorsus exstinxit, ut, bona animi affectione in alienationem conversa, Fidei Romanæ & Catholicæ cultoribus crudele bellum intulerit; ritus latini exercendi omnem illis facultatem interdixit; nullumque illos divexandi genus prætermittebat. Multi erant e proceribus ac Dynastis Serbliæ, ac præsertim Albaniæ, qui divino spiritu instincti vel jam susceperant religionem Catholicam, vel ejus suscipiendæ cupiditate flagrabant, sed eam aperte amplecti ac profiteri non audebant, & nihil vehementius optabant, quam sibi opportunitatem dari declinandæ atque ab se avertendæ Regis perfidiæ, quocum propter munera publica, quibus fungebantur, vivere & assidue versari necesse habebant, ut, jugo acerbissimo depulso, quod animo inclusum tenebant, libere ac palam declarare possent. Primarii quidam proceres Albaniæ ad Joannem XXII. consilii & auxilii petendi caussa per literas & nuntios confugerunt; quam dura & tyrannica servitute ab Rege schismatico premerentur illi populi Romanæ communionis vel jam participes vel cupidi, Pontificem docent; quid suæ sit voluntatis ac sententiæ exponunt, simulque ad sua præclara cogitata perficienda auctoritatem opemque Sedis Apostolicæ implorant. Rescripsit Pontifex; & collaudatis piis illorum studiis, hortatur, ut, quamprimum opportunitas aderit, quod animo decreverunt, statim reipsa exsequi ne omittant; caveant, ne perfidi Regis familiaritate illorum mores depraventur; ab Sede Apostolica præsidium illis non defuturum pollicetur.

Catholici Albaniæ ab Urosio vexari,

ad quos scribit Pontifex Joannes XXII.

Joannes Episcopus Servus servorum Dei dilectis filiis nobilibus viris Guillelmo Blenistæ Protosebastori, Guillelmo Comiti, Paulo Materango, cæterisque Baronibus regni Albaniæ. Ex fide dignæ insinuationis assertione non absque paternæ compassionis affectu percepimus, quod vos sub gravi tyrannide illius Regis perfidi Rasciæ nedum schismatici, & religionis Christianæ totaliter inimici, quin etiam omni humanitatis destituti fœdere, & ultra

ultra feralem sævitiam efferato animo sævientis quasi ex cujusdam necessitatis indicto propter temporis corrupti malitiam inviti convivitis, firmo concepto proposito illius declinandi perfidiam, quamprimum opportunitas arridebit, ne ab ipsius convictu mores perditos contrahatis, tamquam viri catholici, & in orthodoxæ fidei veritate fundati, ac spiritu inspirati Dominico, dum favebit aura felicior, eructuri libenter in publicum, quod ad tempus dissimulare cogimini, quodque latet de sinceritate vestræ fidei ac devotionis introrsum. Porro, filii, de tam laudando vestro proposito gratulamur, quod nimirum acceptum habemus in germine, & profecto fiet acceptius, dum suo tempore ad fructum pervenerit consummatum.

Perstate igitur, & spiritum nolitis extinguere, & tam laudandum vestrum in hac parte conceptum, quam celerius, tute, ac opportune poteritis, in apertum producere viriliter studeatis. Nec vos ipsius schismatici malignitas terreat, non quævis turbatio in partem alteram claudicare compellat; sed, spe sub Omnipotentis fiducia de nostra & Romanæ Matris Ecclesiæ, quæ caput est omnium Fidelium & magistra, & quæ de filiorum salute lætatur, favorabili prosecutione concepta, ipsius spei fortitudine roborati, ac confortati in virtutis divinæ potentia robur spiritus assumatis; & quod nunc sub dissimulatione transire vos expedit, suis loco & tempore nullatenus omittatis implere, beatam spem magni Dei, & Apostolicæ Sedis auxilium, quod vobis, ut speramus, aderit de propinquo, fiducialiter expectantes &c. Subdit eos tam egregio facinore summam apud Deum hominesque gloriam collecturos, &. . . . Episcopum, quid factu opus sit, ipsis dicturum.

Dat. Avenione xv. *Kalendas Julii anno tertio.* Id est *1319.*

Cum Urosius nullum finem faceret insectandi & exagitandi probos viros, & Ecclesiæ Romanæ addictos, quin imo ejus odium & feritas quotidie magis in perniciem illorum exardesceret, atque intolerabilior fieret, plerique procerum Albaniæ Pontificiis literis incensi cogitationem susceperunt dignissimam eorum nobilitatis ac virtutis; nam, Regis seu gratia seu metu posthabito, schisma & dogma Rascianum palam ejurarunt, apertaque professione se Catholicos esse declararunt, & suam erga Romanum Pontificem obedientiam polliciti sunt. Ut vero se ab iniqui Regis seu blanditiis & promissis, seu minis & injuriis defenderent, præclaram inter se societatem coierunt, in quam præter tres illos, quibus epistola Joannis XXII. inscripta est, nomina dedisse reperio Mensulum Musatium Comitem Clissaniæ, Andream Musatium regni Albaniæ Marescallum, Theodorum Musatium Protosebastorem, Bladislavum Diocleæ & maritimæ Albaniæ Comitem, & alios plures. Hi omnes fidem sibi mutuo dederunt, &. jurejurando firmarunt, nullo terrore periculove a Catholica religione, debitaque Romano Pontifici reverentia atque observantia se abduci passuros. Tum patrociniis externis ac præsidiis quo se communirent, ad suum fœdus adjunxerunt Philippum Principem Tarentinum, Mladinum Banum Bosinensem, & Carolum Regem Hungariæ, qui & supremum dominatum in Serbliam & Rasciam sibi esse contendebat, & particulam regni Hungariæ prope Savum ab Regibus Serbliæ occupatam recuperare cupiebat. Atque hosce omnes ad rem bene gerendam tuendamque Catholicam fidem Joannes Pontifex suis litteris inflammavit. *Induti*, ait, *fortitudine curastis, opportunitate capta, consurgere, &, jugo suæ tyrannidis & iniquæ conversationis abjecto, in libertatem & confessionem fidei prosilire laudabiliter educentes in publicum, quod quandoque latuerat de sinceritate fidei vestræ ac devotionis introrsum; & ad judicium plenius devotionis vestræ laudabiliter de Romana Ecclesia matre vestra, quæ caput est omnium Fidelium & magistra, quæ de Fidelium salute lætatur, filiali securitate confisi eam fidenter in vestrum auxilium advocastis.*

Procerum Albanorum fœdus adversus Urosium,

Carolus Rex Hungariæ anno 1320. cum Urosio prospere pugnavit, ejusque exercitu ad internecionem cæso, Regem pluribus civitatibus ac provinciis exutum diminutione regni mulctavit. Pacem petenti sub ea conditione dedit, ut Regibus Hungariæ tributum penderet, & ejurato schismate, Pontificis & Ecclesiæ Romanæ Primatum agnosceret coleretque. Odoricus Raynaldus duplicem victoriam commemorat, quam Carolus de Urosio reportavit, alteram anno 1320. alteram anno 1322., & cum hac posteriore conversionem ejusdem Regis ad fidem Catholicam conjunxit. Sed Urosius intra finem anni superioris obierat, si fides habenda est Michæ, seu Michaeli Madio, qui nec longe aberat a regno Serbliæ, & ipsi Urosio æqualis fuit: *Anno Domini MCCCXXI.* (inquit cap. XVI. de gestis Romanorum Pontif. & Imp.) *mense Novembri luce quinta currente R. Uroscius Rasciæ migravit ex hac vita.* Jacobus Luccarus lib. 2. Ann. Ragus. tradit sepultum fuisse in æde S. Stephani apud Castrum *Sveciani*, inde vero Sophiam translatum, quæ civitas est in confinio Serbliæ & Bulgariæ eadem, quæ olim Sardica appellata fuit, aut altera civitas non longe ab ruderibus illius clarissimæ urbis & antiquissimæ ab Justiniano Imperatore, ut ajunt, ædificata. Ibi autem reconditum fuit corpus in templo S. Marinæ, illudque integrum, & pilos adhuc pectori extantes suismet oculis ab se visos idem Luccarus testatur. Ab Rascianis in numero Divorum habetur & colitur. Egregiis sane virtutibus præditus fuit, ac præsertim singulari erga omnes benignitate & beneficentia, ex qua *Milutini*, idest *gratiosi*, cognomen invenit. Stephano fratri regium nomen expetenti adeo non restitit, ut studio pacis partem regni Serbliani finitimam Hungari ultro concesserit. Sed in Urosio potissimum eluxit insignis adversus Deum Di-

qui ab Ungariæ rege victus

obit an. 1321.

Ejus ingenium & mores.

Digitized by Google

Divosque pietas ac religio. Ab eo templa & monasteria alii quadraginta, alii quinquaginta constructa fuisse tradunt. Præcipuo cultu cum Helena matre, & Stephano fratre venerabatur S. Nicolaum Episcopum Myræ, cujus Basilicam Bariensem amplissimis muneribus cumulavit. Extant ibidem suimet, & uxoris effigies regiæ liberalitatis & magnificentiæ testes in tabula lignea miro opere elaborata, argenteisque laminis obducta, quæ pulcherrimam exhibet Nicolai imaginem depictam, & in dextro latere Urosium ipsum, in sinistro Helenam uxorem, utriusque vero regalia insignia: & hoc quidem monumentum in sacro Basilicæ thesauro Barienses servant arctissime, atque summopere venerantur. Antonius Beatillus in historia S. Nicolai lib. 7. cap. 27. putat, muliebrem effigiem præferre Helenam Urosii uxorem, de qua haud multo inferius dicemus; sed veri videtur similius esse ejus matrem piissimam reginam, quam cum filiis suis Urosio & Stephano alia tabula habet depictam. Visitur hæc dimidio minor, quam altera, in ipso D. Nicolai sacello argentea materia & opere perfecto; medium tabulæ tenet Nicolaus, sinistram partem Stephanus Urosii frater cum hac epigraphe, *Rex Stephanus filius Urosii Regis Serviæ*, dexteram Stephani frater Urosius alterius Helenæ maritus, sub qua hæc inscriptio, *Rex Urosius filius Urosii Regis Serviæ*, atque ibidem Helena mater & Urosii Magni uxor, quæ sibi hunc titulum adscribi voluit: *Memento, Domine, famulæ tuæ Helenæ Dei gratia Reginæ Serviæ, uxoris magni regis Urosii, matris Urosii & Stephani suprascriptorum Regum. Hanc Yconam ad honorem Sancti Nicolai donavit.* Ac ne tum quidem post bonam in Latinos voluntatem immutatam, cum illos plurimis modis divexabat, ejus erga B. Nicolaum religio deferbuit, ut declarat grandis lamina argentea a tergo altaris D. Nicolai affixa an. 1319. & his verbis inscripta. *Anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, mense Junii, secunda indictione Urosius Rex Rasiæ, Edioclie, Albaniæ, Bulgariæ, & totius Maritimæ de Gulfo Andriano a mari usque ad flumen Danubii magni, præsens opus Altaris, Yconam magnam argenteam, cooperturam Tribunalem supra hoc Altare de argento, lampades, & candelabra magna de argento fieri fecit, ad honorem Dei, ac Beatissimi Nicolai ejus. Obrado adstante de Catara filio de Siflava fideli, & experto, a prædicto Rege super dicto opere deputato. Et Nos Rogerius de Invidia Prothomagister, & Robertus de Barolo magister in omnibus præfatis opus de prædicto mense Junii incœpimus, & per totum mensem Martii anni sequentis, tertia indictione, fideliter complevimus.*

Sunt, qui hanc tabulam & inscriptionem referendam censeant ad Stephanum Urosii filium, qui patris nomine appellari voluit. Sed anno 1319. adhuc regnabat Urosius frater Stephani & Helenæ filius, cujus mors dimoveri non potest ab anno 1321. quocum illam conjunxit Micha Madius auctor synchronus, cujus auctoritas eos falsitatis arguit, qui obitum Urosii ad annum 1311. revocarunt. Quamvis autem tam multa & præclara eximiæ in Deum ac Superos pietatis documenta dederit, & a Latinis Catholicis eorumque institutis adeo non abhorreret, ut sæpe non obscuram Catholicæ religionis suscipiendæ voluntatem ostenderet, nunquam tamen neque adhortationibus Helenæ matris, neque fratris Stephani exemplis, neque blandissimis Romanorum Pontificum incitamentis ad cultum Sedi Apostolicæ obedientiamque deferendam, & rectam in Deum fidem aperte profitendam adduci potuit. Postremis regni annis a seipso degeneravit, & cum natura mitissimus esset, idemque Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ studiosus, ac fautor, bonitatem in sævitiam convertit, neque antea professores dogmatis ritusque Romani exagitare & vexare destitit, quam cæsus victusque a Carolo Hungarorum rege pacem ac veniam petere coactus fuit. Hanc autem aliter non impetravit, nisi Schismaticorum pravitatem exsecratus in sinum se, communionemque Ecclesiæ Romanæ conferret. Id vero utrum sincere & ex animo, an simulate ac temporis caussa fecerit, merito dubitari potest. Anno proximo post cladem ab Hungaris acceptam æræ vulgaris 1321. mense Novembri, ut tradit Madius, e vivis excessit. Nec vero satis constat, utrum idonea pœnitentia tum pro suis in Catholicos injuriis Deo satisfecerit, tum superioris vitæ maculas eluerit ex illo triplici matrimonio illicito susceptas, quod, Elisabetha conjuge legitima superstite, contraxit. Non desunt tamen, qui tres illas nuptias adulterinas ab Urosio parente ad Stephanum Urosium filium transferunt; verum hæ nuptiæ cum temporibus & regno Stephani filii cohærere nequeunt. Hæc flagitia, & diuturna illa pertinacia ad lucem Catholicæ veritatis sæpius oblatam respuendam de sanctitate vitæ & mortis Urosii nos addubitare merito cogunt; neque illum fastis Divorum adscribere ausim, quo tamen titulo rituque a Rascianis colitur.

Archiepiscopatum Andreæ vix attigeram, cum ab eo digredi oportuit, ut paucis exponerem, quo in statu per eos annos res catholica esset in provincia & Ecclesia Antibarensi. Dum Urosius cultores fidei & communionis Romanæ indignum in modum vexaret, periculoso illo & aspero tempore quemadmodum se gesserit Andreas, quam & quantam sollicitudinem, vigilantiam & curam impenderit, ut gregem suum ab omni schismatica contagione intactum servaret, & populos sibi commissos ad injurias & vexationes religionis caussa patienter perferendas excitaret confirmaretque, literis proditum non invenio, nec dubitare possum, quin ea calamitate afflictis & oppressis quidquid potuit auxilii & solatii præstiterit. Sed dum in tanta rerum perturbatione ac temporum iniquitate

Andreæ Archiep. erratæ,

Digitized by Google

tate Pontificatum sane laboriosum, multisque curis & molestiis exercitum gereret, quædam temere commisit, & pro laude ac remuneratione, si quam in eo bene gerendo meruerat, labem sibi & pœnam conscivit. Tria siquidem canonica animadversione digna sive ignoratione sive malitia peccavit, de quibus nomen ejus ad Sedem Apostolicam delatum fuisse reperio. Primum Pallium Pontificale sibi ab Ecclesia Romana traditum pignori dedit, & adulterino pallio utebatur, quod sibi contexendum curaverat; deinde injussu Pontificis Romani Michaelem Episcopum Albanensem provinciæ Antibarensis sacerdotio privatum in ordinem coegit, eique in sedem illam Lazarum Abbatem S. Alexandri substituit. Utriusque facti ut rationem redderet, Avenionem ad Sedem Apostolicam per literas Consistoriales citari jussus est. *Citatio personalis contra Andream Archiep. Antibaren., qui Pallium ab Ecclesia Romana acceptum pignoris nomine obligavit, & alio adulterino, quod sibi fabricari fecit, utitur; quique, non attento quod Antistitum depositio soli est Romano Pontifici reservata, Michaelem Episcopum Albanensem ipsius Suffraganeum deposuit, & Lazarum Abbatem Monachum S. Alexandri dict. Albanensis in illius locum subrogavit. Dat. Avenione 13. Calend. Octob. an. Joannis XXII.* IV. id est 1319. An quo citatus fuerat, ad causam dicendam adierit, mihi non est compertum; illud satis constat, Andreæ vel absenti vel præsenti propter duo illa sive malitiæ sive imprudentiæ peccata omni pontificali munere & jurisdictione interdictum esse. Tertium nihilo levius peccatum adjecit. Jus eligendi Episcopi, præficiendique Ecclesiæ Drivastensi usurpavit, quod ad se pertinere censebat, contra quam Joannes XXII. decreverat, qui electionem Episcoporum intra certum & præfinitum tempus sibi reservarat. Pontifex ergo creationem Episcopi Drivastensis, quam Andreas fecerat, irritam esse voluit; quem tamen Andreas eidem Ecclesiæ rectorem præposuerat Nicolaum ex Ordine Fratrum Heremitarum S. Augustini, hunc pro sua potestate Episcopum Drivastensibus dedit, ut docent tabulæ Consistoriales: *Promotio Nicolai Ord. FF. Eremitarum ad Episcopatum Drivasten. per obitum Dominici vacantem, cassata prius provisione ejusdem Nicolai favore facta per Andream Archiepisc. Antibaren. loci Metropolitanum eamdem provisionem ad se devolutam esse asserentem. Dat. Aven. 2. Kal. Martii an. 7.* id est 1323. Sed qui sane graviter in illis tribus, quæ supra diximus, peccavit, illud quoque longe gravissimum commisit, quod Joannem Abbatem Cisterciensem, quamvis Andreas, *exigentibus culpis suis, esset Apostolica auctoritate suspensus*, ut est in tabulis Consistorialibus, *in Episcopum Canoviensem elegit, & a suis Episcopis provincialibus consecrari jussit*. In hoc uno tria magna peccata; primum, quod contra quam Pontifex vetuerat, jus eligendi Episcopi usurpavit; alterum, quod canonico impedimento alligatus cum esset, jurisdictionem & functionem ecclesiasticam sibi ademptam exercere ausus fuerat; tertium denique, quod se ingessit, & potestatem metropoliticam in alienam provinciam intrusit; nam Canoviensis Ecclesia ad Metropolitam Dyrrhachiensem pertinebat. Hæc e tabulis Consistorialibus, in quibus Joanni Abbati Cisterciensi potestas obeundi functiones Episcopales interdicitur: *Inhibitio facta Joanni dicto de Hoye, olim Abbati Monasterii trium fontium, Cisterciensis Ordinis, Cathalaunensis diœcesis, ne de cætero ea, quæ sunt pontificalis officii, exercere præsumat sub prætextu, quod per Andream olim Archiepiscopum Antibarensem, priusquam Ecclesiæ Antibarensis regimini sponte cessisset, quamquam exigentibus culpis suis esset Apostolica auctoritate suspensus, fuerit in Episcopum Canoviensem præfectus, & per quosdam ejusdem Archiepiscopi Suffraganeos temere consecratus, licet Ecclesia Canoviensis de Antibarensi provincia non esset; cum habilitatione, ut prædictis nequaquam obstantibus in præfato trium fontium Monasterio, in quo tamquam monachus est moraturus, & in aliis Monasteriis Cistercien. Ordinis in Abbatem eligi possit. Dat. Avenione 6. Id. Julii an. Joan. nono.* Id est 1325.

qui sponte e Pontificatu decedit.

Andreas igitur, ut ex tabulis modo laudatis intelligi potest, Archiepiscopatum Antibarensem voluntaria cessione deposuit, postquam Joanni Abbati Cisterciensi Ecclesiam Canoviensem alienæ provinciæ contulisset. Cum enim metueret, ne propter ea, quæ contra Canones & interdicta Pontificia temere commiserat, sacerdotio privaretur, pœnam sibi debitam antevertendam existimavit, & Sede Archiepiscopali sponte decessit.

Uladislavus rex Serbiæ

Urosio Milutino e vivis exempto, proceres & populus Uladislavum filium Stephani fratris Urosii eductum e carcere, in quem a patruo conjectus fuerat, regem Serbliæ ac Rasciæ unanimi consensu renuntiarunt. *Uladislavus*, ait Micha Madius cap. *16.*, *tunc a vinculis liberatus est*, scilicet anno 1321., *post Uroscium patruum morte sublatum*. Erat igitur Uladislavus filius Stephani fratris Urosii, qui post obitum parentis, ut cap. 12. idem Madius scripserat, *per patruum suum scilicet R. Uroscium carceratus fuerat*. Sed vix regnare cœperat, cum Constantinus ejus frater, seditione conflata, illi, ut regnum eriperet, bellum intulit. Victum captumque fratrem Uladislavus in cruce suffigi, ac per summam impietatem & sævitiam duas in partes dividi jussit. Fraterna immanissima cædes omnium in eum odia, & exsecrationes concitavit; inhumanum, impium, inexpiabile fratris in fratrem scelus æque plebeji ac nobiles detestati, Stephanum utriusque patruelem, Urosii Milutini e thoro non legitimo filium, qui tunc Constantinopoli exsulabat, ad regnum capessendum evocarunt. *Hic Stephanus*, ut docet Micha Madius cap. 12., *filius R. Uroscii naturalis, qui ab eodem rege mul-*

Digitized by Google

multum diligebatur ut legitimus filius, per suggestionem reginæ uxoris regis a dicto Rege patre suo capitur, & in carceribus est detentus in partibus Romaniæ; & consentiente ipso rege excæcatur lumine oculorum; ex quo *Cæci* cognomen traxit. Verum qui mandatum regium exsequi debuerat, ingenui adolescentis vicem commiseratus, brevi admodum, levissimoque igniti speculi afflatu pupillam oculi paullum læsit, & videndi facultatem imminuit quidem, non tamen ademit. Stephanus regni potitus Uladislavum patruelem in carcerem detrusit, in quo reliquam vitam exegit.

regno dejicitur.

Sunt e Scriptoribus Dominicanis, qui vel in locum Andreæ Archiepiscopi, vel post ejus abdicationem a Sede Antibarensi, sufficiant Franciscum quemdam Gravanum cognomine, Venetum patria, græcis literis peritissimum, eumque Archiepiscopum Antibarensem a Clemente V. creatum dicant, atque Viennensi Concilio interfuisse. Sed nullis id constat monumentis; & cum annus electionis Francisco assignetur 1312. aut 1317., falsum convincitur diutino Andreæ regimine, qui ultra vicesimum hujus sæculi annum Archiepiscopatum tenuit. Porro Echardus in Tomo I. Script. sui Ordinis pag. 517. Franciscum quidem commemorat, ipsumque natione Ligurem, virum doctrina clarum, sed nulla ornatum Episcopali dignitate, atque illos refellit, qui Antibarensem Ecclesiam eidem attribuunt.

GUILLELMUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XII.

Guillelmus Archiepiscopus Antibar. anno 1324.

Erat Episcopus Ecclesiæ Soltaniensis in Perside, ex qua illum Joannes XXII. anno 1324. ad Metropolim Antibarensem transtulit, ut docent Acta Consistorialia: *Translatio Guillelmi ab Episcopatu Soltaniensi ad Archiepiscopatum Antibarensem per cessionem Andreæ vacantem. Dat. Avenione* VII. *Kalendas Novembris an. Joannis Papæ XXII. 9.* id est 1324. Idem confirmat epistola 350. Joannis XXII. VII. Kal. Novembris an. 9. quæ illum Clero, Populo, & Episcopis provincialibus commendat. Anno proximo XV. Kal. Febr. Pallium eidem imposuit, ex ep. 654., cum anno superiori 17. Decembris se obligasset *Cameræ Apostolicæ* soluturum *florenos* 80., ex lib. Oblig. pag. 45. t. Erat is natione Gallus, cui Adæ cognomen, & Dominicani instituti assecla; eumque Joannes XXII. adjutorem Episcopum dedit cum aliis quinque ejusdem Ordinis præstantissimis viris & Episcopis F. Franco Perusino, qui primus Soltaniensis in Perside Archiepiscopus fuerat ab eodem Pontifice renuntiatus literis datis Kal. Majis anni 1318. ut est in Tomo II. Bull. Dominic. pag. 137. Sed cum Francus Archiepiscopatu se abdicasset, huic suffectus est Guillelmus, ut perhibent literæ Pontificiæ ad Constantinum Armeniæ Patriarcham scriptæ Kalendis Juniis an. 1323. quibus illi commendat *venerabilem Fratrem Guillelmum Soltaniensem Archiepiscopum*, dum per ea loca ad suam Ecclesiam proficisceretur; idque certius constat, quod die & anno eodem Pontifex Franco concessit, ut post dimissum Archiepiscopatum pontificalia insignia, pallio excepto, retineret; ex laudato Bull. Tomo II. pag. 156. Et fortasse Guillelmus nondum iter in Persidem arripuerat, aut vix ad suam Ecclesiam pervenerat, cum a Pontifice revocatus VII. Kal. Novembr. anni insequentis Soltaniensem cum Antibarensi Sede commutare jussus est. Echardus in Tomo I. Script. sui Ordinis pag. 537. Soltaniensem Guillelmi Archiepiscopatum confirmat litteris ejusdem de D. Thoma Aquinate in Sanctorum fastis adscripto, quarum hoc initium: *Nos Fratres Guillelmus Dei gratia Soldaniensis Archiepiscopus & Thaddæus Caphensis Episcopus* &c. & datæ sunt *Anno nativ. Dni MCCCXXIII. ind.* VI. *die* II. *mensis Octob. Pontif. Joannis XXII. anno* VIII., non XIII. ut mendum recte corrigit ipse Echardus; *& hunc*, subdit, *quot annis postea vixerit, non invenio;* nulla Antibarensis Archiepiscopatus Guillelmo traditi facta mentione, de quo alii sui Ordinis Scriptores dubitare non sinunt, & acta Consistorialia. Cæterum, cum S. Thomas ad Divorum cultum evectus fuerit XV. Kal. Augusti an. 1323., & literæ Guillelmi, quæ in Cœnobio Tiburtino servantur, notam præferant diei secundi Octobris, & anni ejusdem, hinc arguimus, ipsum Avenione etiam tum constitisse ante collatam illi Antibarensem Ecclesiam. Extat opus inscriptum; *Notitia regiminis magni Caan Cathai Tartarorum imperatoris cum descriptione vastissimi ejus regni jussu Joannis XXII. ab Archiepiscopo Soltaniensi Latine scripta;* quod Franco ne, an Guillelmo, vel utriusque successori Antonio tribuendum sit, hæret Echardus. Guillelmus, cum Antibarim venisset, civitatem & provinciam, rem publicam, & ecclesiasticam tum a civilibus bellis pacatam, tum ab hostibus latini & catholici nominis quietam invenit. Stephanus Urosii Milutini e pellice filius, qui, natali posthabito, parentis nomine Urosius appellari voluit, post patrueles Constantinum interfectum, & Uladislavum fratris interfectorem perpetuo carceri addictum, tum regno, tum ecclesiæ pacem reddidit. Hic statim atque regni insignia sumpsit, ut se contra hostes occultos, sed domesticos communiret, societatis simul & affinitatis cum Philippo Principe Tarentino jungendæ consilium cepit; & missis ad eum Legatis Blancam Philippi filiam sibi uxorem expetiit, quam ut obtineret, suas illi copias auxiliares detulit ad recuperandum Imperium Constantinopolitanum, cujus potiundi jus hæreditarium sibi a majoribus traditum habebat. Ne vero his nuptiis obstaret schisma, cui adhærebat, & dogma Græcorum, quo imbutus fuerat, se utrumque repudiare, & fidem atque communionem Romanam amplecti velle ostendit,

Phi-

Digitized by Google

Philippum igitur rogavit, ut suas partes & preces apud Summum Pontificem interponeret, ab eoque Apostolicos ad se Legatos impetraret, qui & suam, & cleri populique Serbliani solemnem Catholicæ fidei professionem exciperent. Quæ Philippus nomine Stephani postulabat, Pontifex haud libentius, quam promptius fecit; Bertrandum Archiepiscopum Brundusinum, Bernardum Parmensem Canonicum Aversæ, & Magistrum Joannem ex Ordine Dominicano, viros doctissimos & præstantissimos, Legatos in Serbliam misit cum literis ad ipsum Urosium peramanter scriptis, monuitque, ut Tarentinum Dynastam primum adirent, cujus consilio & ope de re tota bene gerenda instruerentur; tum recto itinere ad regem pergerent, quo citius fieret optatissima perampli illius regni cum Romana Ecclesia conjunctio. Litteræ Joannis Pontificis hæ sunt.

Legati ad Stephanum Urosium regem Serbliæ,

& literæ Joannis XXII.

Joannes Episcopus Servus servorum Dei Magnifico viro Orosio regi Serviæ illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Nuper dilectus Filius nobilis vir Philippus Princeps Tarentinus, claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ filius, per gratos suarum litterarum affatus, & specialem Nuntium nostro Apostolatui reseravit, quod Deo Patre luminum ad vestræ religionis zelum prius præparante tuæ menti affectum, eidem Principi per litteras, & nuntios expressisti, quod dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri . . . natæ ipsius conjungi desideras fœdere conjugali; & quod abjurata, & dimissa erroris schismatici vetustate, cum Clero, & Nobilibus, totoque populo Regni Serviæ, sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ corpori redintegrari, & ad unitatem veræ Fidei orthodoxæ reduci, ac religionem ejusdem Fidei, veramque doctrinam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quam tenet, docet, ac prædicat Sancta Romana universalis Ecclesia, devotis, & piis mentibus profiteri, ac inconcusse, & inviolabiliter desideras custodire, ut sub Pastore Apostolico, cui Pastor ille cælestis in persona B. Petri Apostolorum Principis pascendas oves post suam resurrectionem commisit, non extra, sed intra ovile Dominicum doctrinis salutaribus imbuaris; ab eodem Principe per litteras, & Nuntios deposcendo, ut per suæ intercessionis instantiam obtineret ad tuam præsentiam a nobis apocrisiarios destinari, in veritate Catholicæ Fidei eruditos, qui velut pacis angeli, te dictosque Clerum, Nobiles, & populum salutari doctrina ejusdem fidei informarent. O quam gratum nostris id occurrit affectibus! quam acceptum cum gaudio exultationis ingentis, quod tam nobilis ovis, a caula Dominicæ pascuæ segregata, cum Clero, & populo dicti Regni Apostolici Pastoris directa vehiculo, ad ovile Dominicum & unitatem ejusdem Ecclesiæ revertatur. Hoc est enim quod totis visceribus, quod etiam in ipsis Missarum solemniis a Domino petimus incessanter, ut videlicet sacrosanctam Ecclesiam unicam Sponsam suam toto orbe terrarum adunare dignetur, ut eadem Ecclesia, servans in membris suis omnibus unitatem, per fœcunditatis augmentum in multitudine latius extendatur, & Dominica luce perfusa per orbem totum radios suos protendat: ut iidem radii serventur in corpore, rami ejus ab arbore non cædantur, nec ipsius rivi præcidantur a fonte: & sic ejusdem Ecclesiæ unitate integraliter conservata, unum sit corpus ejus, nullum membrorum suorum patiens sectionem, una origo, & una mater fœcunditatis successibus copiosa, quæ fideles Deo servet, & filios regno, quos generavit, assignet. Ecce igitur, devotione tua hujusmodi patefacta, commota sunt viscera paternæ pietatis in filios, & velut perfusi ingentibus gaudiis super drachma perdita reinventa, & pro errantibus ovibus ad gregem Dominicum reducendis, veri piique Pastoris officium exequi cupientes, libenter annuimus postulatis; ac juxta vota tua nobis exposita, Venerabilem Fratrem nostrum Bertrandum Archiepiscopum Brundusinum, & Magistrum Bernardum de Parma Canonicum Adversanum, & Joannem Dominici Ordinis Fratrum Prædicatorum, Lectorem Fratrum Conventus Narbonensis dicti Ordinis, tamquam pacis Angelos, & pacificos Christi Discipulos, non gaudentes in vanitate verborum, neque sapientiæ Dei mundanam sapientiam præferentes, viros utique in lege Domini plenius eruditos, ad tuam præsentiam destinamus, ut ipsi in solido litore Fidei consistentes, te, Clerum, Nobiles, & populum dicti Regni, velut de naufragio erutos, tuto sinu recipiant, & tamquam tabula de tranquilli sali fluctibus in portum veræ salutis adducant. Et quia Fides primum est, & solidum fundamentum, sine qua impossibile est placere Deo, professionem Fidei, quam tenemus, quam a te, Clero, Nobilibus, & populo dicti Regni exigimus, ut eamdem tu, & ipsi profiteamini, & Servitæ, si ad nostram, & ejusdem Ecclesiæ, ut desideramus, unitatem redire velitis, vobis verbis explicitis, & apertis tenore præsentium explicamus. Et quidem credimus S. Trinitatem &c. Ideoque excellentiam tuam monemus, & rogamus attente, ac in Domino nostro Jesu Christo, per aspersionem sui pretiosi Sanguinis, obsecramus, quatenus diligenter attendens, quantum tibi crescet ad meritum, quantum succedet ad gloriam, si una cum omnibus dicti Regni, ad unitatem ejusdem Ecclesiæ, & caulam Dominicam reducaris, sic studeas habilitare materiam, sic tuam tuorumque mentem disponere, ad requisitionem nuntiorum, quos præsentialiter mittimus, ut te, ac prædictis Clero, Nobilibus, & populo præscriptam humiliter suscipientibus, & profitentibus Fidei veritatem, regnum prædictum in ejusdem fidei solido fundamento fundetur; tuque merito charissimus, & acceptione intimus efficiaris Ecclesiæ filius, & inter alios Catholicos Ecclesiæ Principes lateris, & gaudeas nomine Christiano, Regnumque prædictum, in firma petra Apostolicæ Ecclesiæ solidatum,

con-

contra omnes temporum turbines, & incursus infidelium nationum, inconvulsam recipiat indeficientis roboris firmitatem. Cæterum gratum geremus plurimum, & acceptum, & ex nunc ad id nostrum exhibemus assensum, quod postquam ejusdem professionem Fidei, & recognitionem Primatus Romanæ Ecclesiæ, juxta formam contentam præsentibus, duxeris faciendas, inter te, & prædictam natam ejusdem Principis legitimum matrimonium contrahatur; ex quo profecto tibi, & filiis tuis, quos actore Deo ex copula sic honorabilis thori suscipies, fortitudo, securitas, atque robur contra quoscumque impugnantes inimicos, pro præsentibus temporibus, & futuris provenient; multorumque Regum, & Principum, propter hujusmodi parentelam, in te tuisque posteris famosa, & potenti, vallaberis firmitate. Dat. Avin. II. Id. Junii Anno VII. id est 1323.

Legatis vero alias literas dedit, quibus legationis munus illis committit, jubetque, ut strenuam operam navent, & eamdem, quam superius, Fidei formam describit; tum nova ad eosdem Legatos literarum inscriptione mox subjicienda iterum monet, ne ulla mora in Serbliam iter retardent, & re mature cauteque perfecta ita regem, totumque Serbliæ regnum in fidem & communionem Catholicæ Ecclesiæ recipiant, ut interposita jurisjurandi religione, cujus subjicit formulam, eorum fides firmetur, & juratæ professionis exemplaria penes se quidem alia retineant, alia curent diligentissime Romam perferri.

Aliæ ejusdem ad ipsos Legatos.

Joannes Episcopus, Servus servorum Dei, venerabili Fratri Bertrando, Archiepiscopo Brundusino, & dilectis filiis Magistro Bernardo de Parma, Canonico Adversano, & Fratri Johanni Dominici, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Lectori Fratrum Conventus Narbonen. dicti Ordinis, A. S. Nunciis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Discretioni vestræ præsentium tenore committimus, quatenus ad partes illas vos absque tarditate moræ personaliter conferentes, ac secundum datam vobis a Deo prudentiam procedentes, Regem, clerum, nobiles, & populum memoratos, ad ejusdem fidei orthodoxæ professionem, & ad acceptandum, vel recipiendum ipsius Ecclesiæ Romanæ Primatum juxta præscriptam formam, idoneis securitatibus, & cautelis adhibitis, admittatis: ita quod, si divina gratia Regis, Cleri, nobilium, & populi prædictorum mentis aciem illustrabit, idem Rex ac Prælati, Clerus, nobiles, & populus dicti regni, in parlamento publico congregati, eamdem Fidei veritatem & Primatum Romanæ Ecclesiæ, juxta præscriptam seriem, plene ac seriose lectam, & expositam, fideliter, explicite, ac aperte hoc modo recognoscant, & profiteantur præstito juramento. Ego Orosius &c. De hujusmodi autem professionibus fiant publica instrumenta, multiplicanda in varia omnino similia, ut aliqua penes vos retinere, nonnulla possitis deponere, & alia per diversos nuncios propter inopinatos casuum fortuitorum eventus ad Sedem ipsam, ut in ejus conservetur archivio, cum cautela & diligentia omnimoda remittatis &c. Datum Avinione II. *Idus Junii, Pontificatus nostri Anno septimo.*

Echardus in Tomo I. Scriptorum Ord. Prædicat. pag. 558. agens de Joanne Dominici legationem quidem ejus commemorat, quam anno 1323. susceptam, anno insequenti cum collegis perfecerit, quippe anno 1324. adhuc erat Avenione mense Martio, ubi commentaria in certam partem Theologicæ Summæ D. Thomæ absolvit *sabbato post festum venerabilis Doctoris S. Thomæ prædicti immediate subsequente*, uti legitur in Codicibus ejusdem operis; at Divus Thomas xv. Kal. Augusti anni 1323. Sanctorum fastis fuerat adscriptus; & hinc anno tantum insequente, & post diem Thomæ sacrum mense Martio Joannes suum iter aggressus sit, oportet. Quæ caussæ legationem distulerint ad Echardi calculos, non comperio; urgebant autem Pontificis jussa, quibus, nisi legitimum intercesserit impedimentum, ipsum sociosque suos quam citissime paruisse existimandum. De adventu Legatorum, exituque hujus Apostolicæ legationis, quem Echardus felicem fuisse affirmat, nihil literis traditum invenio, & nescio quid obstiterit, quominus illæ nuptiæ fierent, & Stephanus Urosius promissis staret, atque a societate schismatica ad communionem sinumque Romanæ Ecclesiæ transiret. Cæterum nullam ab eo Catholicis injuriam aut molestiam illatam scimus. Urosius, bellis civilibus exstinctis, & regni sui tranquillitate constituta, in hostes extraneos arma vertit, & cum Bulgaris prospere pugnavit; Michaelem Strascimirum Bulgariæ regem pluribus cladibus attrivit, ac tandem cæsum victumque cepit, qui quarto post die ex vulneribus in prælio acceptis interiit.

Hujus legationis exitus ignotus.

Cum igitur ab Rege, licet schismatico, non alieno tamen a suscipienda fide Catholica, & omni cogitatione curaque in bellum Bulgaricum intento nihil periculi metusve immineret, Guillelmus quietis pacatisque temporibus sapienter usus Antibarensem provinciam ac diœcesim per aliquot annos satis bene ac feliciter administravit. Ante annum circiter trigesimum hujus sæculi per speciem Sedis Apostolicæ adeundæ, impetrandique ab Joanne XXII. ut privilegia Ecclesiæ Antibarensis, quæ secum afferebat, confirmaret, in Galliam discessit, nec vero Avenionem recta contendit, sed ab itinere digressus Narbonem se contulit, qua in urbe septem ipsos annos sui gregis oblitus, immemor pastoralis officii, otiosus & nihil agens transegit. Aliquando tamen adiisse Avenionem perhibent duo diplomata, quæ a Matthejo edita sunt in opere *Sardinia Sacra* inscripto, a quibusdam Archiepiscopis & Episcopis data, alterum Ecclesiæ Rhecinetensi S. Francisci *Avenione tertio decimo die mensis Martii anno Domini* MCCCXXX., alterum certis Hyspelli ecclesiis *Avenione anno Domini* MCCCXXXIV. *sexto Idus Maii*, in quibus

Guillelmus Archiep. diu absens

Digitized by Google

bus *Guillelmus Antibarensis* Archiepiscopus nominatur: & in Tomo XIV. Monument. Ecclesiæ Ven. extat aliud diploma ipsius Guillelmi, aliorumque Episcoporum nomine concessum Ecclesiæ S. Salvatoris, datumque *Avineoni* XVIII. *Kal. Februarii* anni itidem 1330., cujus hoc initium: *Universis & singulis Christifidelibus præsentes literas inspecturis. Nos Frater Guilielmus Dei gratia Archiepiscopus Antibarensis* &c. Et anno 1331., cum Canonici Antibarenses intra tempus per sacros canones præfinitum electionem Episcopi Olciniensis, quæ sua erat, neglexissent, Guillelmus, ad quem jus devenerat eligendi, egit cum Pontifice, ut Olciniatis pro sua potestate Episcopum daret, quem ipse vellet, uti in Olciniensi Ecclesia dicemus. Interea dici vix potest, quam multa & gravia detrimenta ex ejus absentia res Christiana & ecclesiastica passa sit. Cum vulgo desperarent tum de reditu Archiepiscopi, tum de recuperatione privilegiorum, quæ secum abstulerat, prope jam erat, ut periculosæ contentiones & inimicitiæ inter Capitulum Clerumque, & cives cujusque ordinis orirentur; cum hi culpam omnem amissorum privilegiorum in illos conferrent, ad quos pertinere ajebant custodiam curamque ecclesiastici tabularii, nec sinere debuerant privilegia Ecclesiæ sine cautione interposita suo loco moveri, & alio non absque jacturæ periculo asportari. His dissensionibus, & aliis gravioribus, quæ imminebant, malis ut obviam iret Joannes Zaulinus Canonicus, de statu & discrimine, in quo versabatur Ecclesia Antibarensis, Benedictum XII. vel profectus Avenionem per se ipse, vel per suas literas admonuit; ut rebus afflictis & calamitosis remedium afferret, rogavit; annos esse amplius triginta, cum Ecclesia illa vel pastore destituta, vel propter absentiam aut socordiam pastorum neglecta multis & magnis incommodis conflictabatur, nunc vero iisdem gravius urgeri & periclitari ajebat. Hi porro anni numerari debent ab Archiepiscopatu Marini, eorumque numerus perduci usque ad annum 1336., cum Joannes Zaulinus de hujusmodi malis & periculis, quibus laborabat Ecclesia Antibarensis, Benedictum XII. certiorem fecit. Hoc enim annorum intervallo alias pastore caruit, alias propter malam administrationem Andreæ proximi ante Guillelmum Archiepiscopi plurimum damni acceperat. Hæc de statu periculoso rei Christianæ & ecclesiasticæ Antibarensis ubi cognovit Benedictus, statim mandatum dedit Marquesio de Metuonibus Canonico Ecclesiæ Narbonensis, ut nomine & imperio Pontificis juberet Guillelmum intra mensem ad suam Ecclesiam redire, & eidem, quæ abstulerat, privilegia restituere; ita enim scriptum est in Actis Consistorialibus: *Mandatum Marquesio de Metuonibus Canonico Narbonensi, quatenus Guillelmo Archiepiscopo Antibarensi, qui ad Civitatem Narbonensem se contulit, sub pœna privationis honoris districte præcipiat & injungat, ut infra mensem post mandatum hujusmodi iter arripere, & ad Antibarensem Ecclesiam, quæ a triginta annis, & amplius quodammodo fuit utilis Pastoris solatio destituta, continuatis dietis redire, & inibi residere procuret; privilegia ejusdem Ecclesiæ, quæ secum, jam sunt octo anni, sub prætextu faciendi ea p. Sedem Apostolicam confirmari, asportavit, restituturus Ecclesiæ prælibatæ; attento quod propterea grave timetur inter Capitulum, Clerum & populum Civitatis Antibarensis posse scandalum exoriri, instante Joanne quondam Dominici Zaulini Canonico Ecclesiæ prædictæ, quæ tam propter præmissa, quam propter malam administrationem Andreæ olim Archiepiscopi Antibaren., qui propter sua demerita a regimine ejusdem Ecclesiæ per Sedem Apostolicam fuit amotus*, (sive confirmata fuit ejus voluntaria decessio,) *gravia passa est detrimenta. Dat. Aven.* VIII. *Kal. Feb. anno tertio Pontif.* id est 1337.

jubetur ad suam Ecclesiam redire,

Credibile est Guillelmum mandatis pontificiis pro eo ac debuerat paruisse. Anno igitur 1337. Antibarim reversus, ac privilegiis hujus Ecclesiæ ibi, unde abstulerat, repositis, præteritæ absentiæ damna intentiore cura compensavit. Ab ejus reditu nondum anni quinque intercesserant, cum Ecclesiam Antibarensem ultro dimisit anno 1341. Post alterum quinquennium e vita migravit, ut docet epistola Clementis VI. 2. *Kal. Augusti, an.* v. *Pontif.* id est 1346., quæ ejus mortem enuntiat; ex lib. 3. ep. pag. 52. t.

quam ultro dimittit an. 1341.

JOANNES III. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XIII.

Joannes Archiepiscopus an. 1341.

Cognomento Zaulinus, Diaconus & Canonicus Antibarensis, quem a Canonicis Ædis Metropolitanæ, & a Capitulis trium Ecclesiarum, quas *Collegiatas* vocant, de communi sententia *electum & personaliter apud Sedem constitutum confirmavit, & Capitulo, Clero, Populo, & Suffraganeis commendavit* Benedictus XII. 5. *Id. Januarii an.* VIII. id est 1342. Eum a Petro Episcopo Sabinensi consecrari jussit, eique pallium imposuit, ex epistola Benedicti 40. data eodem anno ac die: octavo autem *die Febr. oblig. se soluturum florenos* 80. Tom. VI. Oblig. pag. 177. t. Idem confirmant tabulæ Consistoriales: *Joannes Antibarensis præficitur in Archiep. Antibaren. Dat. Aven. an.* VIII. *Pontif. Benedicti XII. Testimoniales consecrationis, & assegnationis Pallei, factæ favore Archiep. Antibar. cum licentia recedendi de Curia. Dat. Aven.* 5. *Id. Januarii.*

Stephani Dusciani regis Serbliæ facinora,

Cum Joannes hujus Ecclesiæ administrationem suscepit, regnabat in Serblia sive Rascia Stephanus cognomento Duscianus, idest liberalis & munificus, Stephani Urosii e sorore Svetislavi regis Bulgariæ filius. Hanc siquidem Stephanus, spe frustratus nuptias ineundi cum Blanca filia Philippi Tarentini, in matrimonium duxerat. Hic parenti, cui vitam non tam sua voluntate, quam aulico-

cum

rum instigatione eripuisse dicitur, in regnum successit, atque, ut erat magno animo excelsoque, opes, dignitatem, imperium amplificandi cupiditate flagrabat. Cum Græcis, Turcis, Hungaris, Bulgaris prospere pugnavit; Acarnaniam, Macedoniam, Thessaliam, & alias regiones in potestatem redegit. Regni finibus longe lateque propagatis, Imperatoris nomen, & insignia sumpsit, seque *Romaniæ, Sclavoniæ, & Albaniæ* Imperatorem appellari voluit; & eosdem in aula sua, quos Imperatores Constantinopolitani, magistratus iisdem muneribus præpositos, iisdemque titulis ornatos & distinctos creavit. Bellis extraneis distentus, cum eo cogitationes curasque omnes defigeret, ut suum, quam latissime poterat, dominatum extenderet, Latinos Catholicos quietos esse sinebat, & Joanni Archiepiscopo Ecclesiam suam libere tranquilleque gubernandi potestatem permittebat. Quin immo ipse quoque, quamvis schismatica pravitate imbutus esset, ad fidem tamen Catholicam amplectendam propendere videbatur; idque Clementi VI. sive ex animo, sive ad captandam Pontificis gratiam significavit; & legatum misit Marcum Scodrensem Episcopum, qui eidem suæ mentis sensa & consilia explicaret. Ex hac præclara regis voluntate incredibilem lætitiam Pontifex cepit, suisque ad eum literis hortatus est, ut ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ properaret, neve spiritum salutis Deo afflante conceptum extingueret, se paratissimum esse & regem, & ejus populum paternæ charitatis brachiis excipere & amplecti.

Legatio ad Clementem VI.

Hujus ad Stephanum literæ.

Clemens Episcopus Servus servorum Dei Magnifico Principi Stephano Regi Rasciæ illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Cum sicut lætanter, referente venerabili fratre nostro Marco Episcopo Scutarensi, audivimus, tu divinitus inspiratus, & Sancti Spiritus gratia illustratus, tuæ ac populi tui saluti animarum intendens, gregem veri pastoris, rejecto cujusvis pestiferi fermento schismatis, ingredi desideras, & affectas, & in sinu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris omnium fidelium & magistræ, communitati fidelium ipsorum salubriter congregari, ut cum eis portionem integram bonorum illorum, quæ suis fidelibus præparavit Dominus, ipso donante, abundantius valeas promereri; nos, qui locum illius, quamvis immeriti, tamen tenemus, qui omnes quærit salvos fieri, & neminem vult perire, exinde gaudii, & exultationis rore perfusi, & eidem, qui rectum tibi dedit, ut perfertur, spiritum, immensas gratias in humilitate spiritus referentes, tuæ salutaris devotionis in hac parte propositum multipliciter in Domino commendamus, tuam rogantes excellentiam, & attentius in Domino exhortantes, quatenus conceptum, tibique divinitus inspiratum propositum hujusmodi non extinguas, sed potius magis ac magis ferveas in eodem. Nos equidem more illius hominis evangelici, ovem perditam requirentis, & super humeros reportantis ad gregem, te suscipiemus in brachia paternæ dilectionis gaudentes, stringendo charitativis amplexibus te, tamquam filium prædilectum, tuisque honoribus & commodis, quantum cum Deo fieri poterit, intendendo; super quibus eidem Episcopo, quem tuæ benevolentiæ commendamus, propensius fidem credulam poteris adhibere. Ut autem de tua intentione, super his operoso effectui mancipanda, plenius consolemur, nos velis de illa, quæsumus, efficere per tuas litteras certiores. Dat. Avin. VI. Non. Martii anno V. Id est 1347.

Eodemque tempore alias litteras scripsit Pontifex ad Nicolaum Beccham Protovestiarium, ut docet Raynaldus in Annal. ad hunc annum 1347., ad Gregorium Galubriam regni Rasciæ Cæsarem, atque alios aulicos, qui Stephanum ad rem perficiendam propius hortarentur & stimulos adderent. Quod vero subjicit Raynaldus ex ms. quodam Vaticanæ Bibliothecæ de legatione Bartholomæi Traguriensis, & Petri Pactensis Episcopi ad eumdem Stephanum, id in annum 1354. est rejiciendum, cum præterea Bartholomæus anno 1347. nondum Ecclesiæ Traguriensi præsset.

Anno proximo ineunte, vel superiore Joannes Archiepiscopus e vita decessit; de cujus Episcopali administratione nihil litteris proditum præterea est.

DOMINICUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XIV.

Dominicus Archiep. Antibaren. an. 1349.

Archipresbyter erat Ecclesiæ *Collegiatæ* S. Petri Antibarensis, quem sibi in Archiepiscopum elegit Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ; collatum illi Sacerdotium confirmavit Clemens VI. an. 1349. Hunc nostri Scriptores, & Catalogi Archiepiscopales tacitum prætereunt; & acceptum referimus clarissimo Cardinali Josepho Garampi, qui eum nobis suppeditavit ex epistola seu Bulla Clementis VI. cujus sententiam summatim exposuit his verbis: *Vacante Ecclesia Antibarensi per obitum Jobannis, Clemens VI. confirmat Dominicum Archipresbyterum S. Petri Antibarensis, a Capitulo Ecclesiæ Antibaren. electum 2. Kal. Febr. anno* VII. id est 1349. *lib. 4. P. 1. pag. 96. t. & 3. Kal. Maji jam consecratus a Petro Episcopo Prænestino Pallium accepit an.* VII, *lib. 5. p. 2. pag.* 140. *Idem adhuc electus Antibar. & Dioclen. Obl. floren.* 80. *T. 22. Oblig. pag.* 38. *t.* Anno 1351. VII, Kal. Januarii decimam triennem a Clemente VI. impositam Quæstori Apostolico solvit, id est *pro se, & Clero suo Sol. grossos de Rascia* 290., ex Cod. Rat. Cam. Ap. ad hunc annum.

Idem Clemens *an. 7.* Pontificatus in tutelam ac patrocinium Sedis Apostolicæ suscepit Monasterium S. Mariæ in ripa maris Ordinis S. Benedicti Antibarensis & Diocleensis diœcesis, ut constat ex literis datis *dilecto Abbati & Conventui* ejusdem loci.

Ste-

Digitized by Google

Stephanus Duscianus in Catholicos propensus

Stephanus Duscianus, literis, quas paullo superius descripsimus, a Clemente acceptis, non ille quidem aut societati schismaticæ nuntium remisit, aut pravas schismaticorum opiniones ex animo ejecit; nihil tamen de sua erga cultores Sedis Apostolicæ voluntate imminuisse videbatur. Post aliquot annos iterum Romani Pontificis gratiam affectare cœpit, quum sibi opus esse animadvertit, ut tria, quæ ad suum commodum, securitatem atque honorem permagni intererat, assequi posset. Primum hoc erat; cum Joanne Francorum rege affinitatem jungere cupiebat, missis in Galliam legatis, qui filiam ejusdem regis uxorem Urosio filio suo deposcerent, quem regio titulo decoraverat; sed cum repulsam tulisset, propterea quod alienam a fide Romana religionem coleret, hanc se velle amplecti simulabat, ut, hujus commendatione interposita, ab rege Galliarum ejus filiam uxorem filio suo impetraret. Deinde metuebat sibi a Ludovico potentissimo Hungariæ rege, cujus supremum dominium a Carolo patre Ludovici impositum Urosio Milutino avo suo depulerat, eumque Hungaris bello lacessendis irritaverat. Quum igitur Ludovicum sibi amicum, quam hostem habere mallet, hujus arma ut a se suoque regno averteret, Pontificis auctoritatem & deprecationem sibi necessariam esse intelligebat. Tertium denique hoc erat, quod a Summo Pontifice sibi concedi, darique desiderabat. Jamdudum Romani Pontifices omni studio & opera enitebantur, ut reges Christianos sociali fœdere conjungerent adversus Turcas, qui post Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, alias regiones usque ad Hellespontum & Euxinum in suam potestatem redactas toti Europæ imminebant. Stephanus non solum ad illud fœdus adjungi, sed totius Christiani exercitus se imperatorem declarari cupiebat. Hæc igitur, quæ summopere optabat, cum sine interpositu, & consensu Romani Pontificis se consequi posse diffideret, ut hujus gratiam & benevolentiam sibi conciliaret, Catholicæ fidei & communionis non solum se cupidum, sed etiam tutorem contra Schismaticos, & patronum esse ostendit, vel potius simulavit. Homines quidam potentes & factiosi ex innato in Catholicos odio inflammati scelere ac furore monasteria illorum & templa invaserunt, ejectisque cœnobiarchis & monachis occuparunt, Stephano rege vel absente, vel dissimulante, atque in omne Latinorum genus infesti alios plurimis injuriis & contumeliis affecerunt, alios qua blanditiis, qua minis ad ritum cultumque Græcanicum traductos baptismum & chrisma a Presbyteris Latinis collatum exsecrari, atque iterum utrumque Sacramentum a Presbyteris Schismaticis more Græcorum suscipere coegerunt. Hic vero Stephanus Pontificem Romanum sibi demereri cupiens, hortatu etiam fortasse, impulsuque Dominici Archiepiscopi, sua Monachis, Abbatibus, & Præsidibus Ecclesiarum templa, cœnobia, & omnia illis erepta, denunciatione indignationis regiæ interposita, restitui jussit; nec tamen violentos illos expulsores, & publicæ quietis perturbatores, quibus digni erant, pœnis affecit; sed mulctæ pecuniariæ, exsilii, carceris minis propositis edixit, atque interdixit, ut ab omni injuria, molestiave Latinis inferenda in posterum abstinerent, neve quisquam Sacerdotes Latinos factis verbove læderet, quibus licere voluit ubicumque sacrificium facere; Sacramenta, quibus vellent, suo more rituque impertiri, & quæ docet Ecclesia Romana, libere profiteri, ac palam prædicare; simulque illud curavit, ut, qui ad Græcos desciverant, a quibus iterum & baptismo & chrismate initiati fuerant, iis admissi flagitii pœnitentibus Archiepiscopus & Episcopi veniam sacrilegi sceleris impertirent, eosdemque ad Catholicam & Romanam Ecclesiam aggregarent. Forte per eos annos Bartholomæus Episcopus Tragurii in illis partibus Serbliæ & Rasciæ Apostolica legatione fungebatur. Hunc Stephanus cum suis legatis Romam misit, qui ea, quæ modo diximus, Innocentio VI. singillatim exponerent, suam erga illum veluti *universalem Christianorum Patrem, ac verum ipsius Christi Vicarium*, observantiam & venerationem declararent, Apostolicæ *benedictionis munus* sibi obtinerent, impetrarentque, ut literas paternæ charitatis ac benevolentiæ indices, & internuncios Sedis Apostolicæ ad se mitteret; ad extremum quod ad suum decus & laudem magnopere expetebat, id Pontifici declarari & significari voluit, ut videlicet copiis universis, quas ipse & Christiani Principes ad bellum sacrum contra Turcas contulissent, summus ipse imperator præficeretur. Hæc Episcopus Tragurien-sis & legati cum summa testificatione meritorum Stephani in rem Christianam & Catholicam ad Innocentium retulerunt, qui pia regis voluntate gavisus, vehementerque lætatus Petrum Thomasium Episcopum Pactensem, & ipsum Bartholomæum legatos ad regem misit, quibus has literas perferendas dedit.

tria a Pontifice postulat,

& legatos Romam mittit ad Innocentium VI.

Innocentius Servus servorum Dei Stephano Regi Rasciæ illustri, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Hujus ad Stephanum literæ,

Per dilectos filios nobiles viros Bossidarium judicem generalem, & Nestegium Cephaliam Geren., ac Damianum de Catara civem Catarен. Apocrisarios & Procuratores Magnitudinis tuæ ad nos & Sedem Apostolicam diebus non longe præteritis destinatos, & præsentatas nobis per Apocrisarios ipsos litteras regias aurea tua bulla munitas, nostro Apostolatui intimasti, quod audito, quod quidam ecclesiarum & monasteriorum Prælati regni tui, fideles ejusdem ecclesiæ, erant ecclesiis & monasteriis, in quibus canonice instituti fuerant, per quosdam abominationis filios contra justitiam destituti, & quod alii quidam eisdem, ac aliis fidelibus S. R. E. catholicæ & apostolicæ in eodem regno morantibus injurias & contumelias irrogarunt, & quosdam ex fidelibus

vim Schismaticorum in Latinos reprimit,

Digitized by Google

bus ipsis ad reiterandum Baptismatis & Confirmationis per eos rite suscepta irreiterabilia sacramenta invitos coegerant non sine gravi offensa Dei, & læsione fidei Christianæ, tu velut sincerus ipsius fidei zelator & cultor id moleste ferens, ac gerens, prout debueras, admodum displicenter, & cupiens pro reverentia Redemptoris tui, qui ejusdem auctor est fidei, & pro salutis tuæ merito, tantis malis provisionis tuæ studio salubriter obviare, sub indignationis tuæ pœna distincte præceperas, Prælatos destitutos easdem ad ecclesias & monasteria ipsa, quibus fuerunt, sicut præmittitur, destituti, restitui cum effectu, sex monasteriis expressis dumtaxat exceptis, quibus de propriis Abbatibus ad evitanda scandala & pericula imminentia tunc restitutio fieri non posset, & ad quæ postmodum temporis opportunitate captata illos restitui procurasti; quodque publice ac patenter, & sub formidabilibus pœnis edixeras, quod nulla ecclesiastica sæcularisque persona Latinos vel alios fideles ejusdem Ecclesiæ secundum verum & catholicum ritum ejus baptizatos & confirmatos rebaptizare seu reconfirmare, aut eisdem fidelibus injuriam seu violentiam irrogare, sive ipsos persequi vel molestare præsumeret quoquo modo; & quod omnes Episcopi, Abbates, & alii ecclesiarum & monasteriorum Prælati, presbyteri, & clerici sæculares & regulares fideles ipsius Ecclesiæ, ubicumque & quomodocumque in regno detenti prædicto, restituerentur debitæ libertati, & ad ecclesias, monasteria, & ecclesiastica beneficia sua quælibet libere, ac sine impedimento redirent, divina in eis celebrarentur officia, & prout alias ad eos pertineret, ministrarent eisdem, ac aliis Christi fidelibus juxta Ecclesiæ præfatæ consuetudinem rectam, & observantiam salutarem ecclesiastica Sacramenta; & quod licitum esset omnibus in dicto regno morantibus fidem, quam ipsa Ecclesia tenet, docet, ac prædicat, tenere libere, ac prout eis competeret, illam docere voce libera, & publice prædicare; & quod, ut sinceriorem te probares verioribus argumentis ipsius catholicæ fidei amatorem, eos, qui secundum hujusmodi ritum & formam Ecclesiæ prædictæ Baptismatis, & Confirmationis susceperant sacramenta, & vel vi metuve coacti, sicut prædicitur, vel forsan errore devii hujusmodi sacramenta juxta usum, immo abusum verius, & abominationem aliam damnabiliter iterarant, arbitrio eorum libertatique relinquens ipsis ab hujusmodi reatu beneficium absolutionis impendi, eosque reaggregari unitati ejusdem Ecclesiæ devota mente petieras, ac pio studio procuraras; ac tandem Ecclesiam ipsam dominam & magistram Christianorum omnium, ac Romanum Pontificem universalem Christianorum ipsorum patrem, & verum ipsius Christi Vicarium, ac B. Petri Apostolorum Principis successorem firmiter asserens, simpliciter confitens, & humiliter recognoscens devota instantia supplicasti, ut tibi Apostolicæ benedictionis munus per Apostolicas litteras mittere, & nihilominus destinare ad regnum ipsum aliquos viros probos, timentes Deum, & in lege ipsius plenius eruditos, qui venerabilis Fratris nostri Bartholomæi Episcopi Tragutiens. dudum in partibus illis Apostolicæ Sedis Nuntii feliciter, favente Deo, inchoatis operibus prosecutionis adjicerent studium, per quod ad optatum perducerentur exitum, dignaremur. Idemque Tragurien. Episcopus, cujus relatibus adhiberi fidem per easdem litteras petiisti, nobis exposuit, quod tu populo Christiano partium Orientis super afflictionibus & persecutionibus duris, quibus eos Turcarum furor immanis indesinenter angariat, viscera pietatis regiæ ad compassionem aperiens, & ad opprobria exprobrantium nomini Christiano tollenda, & auferendam perfidam gentem credentium de finibus attendens, animi tui zelum & excitans potentiam regiæ majestatis desiderabas ab eadem Ecclesia matre tua contra Turcas ipsos Capitaneus ordinari, ut ipsius Ecclesiæ spirituali adjutus auxilio, & directus consilio in virtute Altissimi, qui piis favet libenter operibus, gregem Domini, ipsum videlicet populum, de luporum eorumdem scilicet Turcarum faucibus potenter erueres, & subactam jugo miserabilis servitutis Christianam absolveres libertatem. Quibus omnibus intellectis, exultavit cor nostrum in Domino, lætatus est spiritus, & mens ipsa in jubilum gaudii potioris erupit; ac eadem Ecclesia mater tua ei, qui ubi vult spirat, & corda regum in manu sua continet potestatis, quique hunc tibi formavit animum, & infudit affectum, supplici ter agens humiles gratias, & laudationum debita vota persolvens, ipsum oravit, & orat assidue, ut te in hac zeli rectitudine, in hoc fervore spiritus, in hac puritate fidei, in hac devotionis sinceritate conservet, diesque tuos & longævos faciat, & post bella Domini, ad quæ robur tuæ potentiæ animose ac strenue obtulisti, feliciter consummata in sua pace disponat, sicque tibi te, ac subditas tibi nationes regere, & gubernare concedat, quod post hujusmodi labilis peregrinationis excursum una cum eis ad sancta sanctorum puris intreire mentibus merearis. Porro, fili carissime, post dictorum Apocrisariorum tuorum reditum affectionis, quam ad tanti boni felicem exitum nimiam gerimus, nos continua sollicitavit instantia, & eo nobis studium diligentiæ potioris indixit attentius, quo in rebus avide concupitis, sicuti frequenter experientia didicisse te credimus, ipsa quoque celeritas sæpe tarditas reputatur. Tandem cogitantes & perquirentes cum omni solertia viros, quos tanti ministerii promotioni utili utiliter deputare possemus, inter cæteros, quos indagationi nostræ idoneos ad hujusmodi ministerium consideratio multiplex obtulit, idem Episcopus Traguriens. occurrit. Etenim ipse, cum sit tibi familiariter notus, & sicut eædem litteræ testabantur, pro meritis suis acceptus & carus, poterit efficacior esse promotor negotii, & pro eo, quod tanto bono bonum, Deo favente, dedit initium, ut illud ad finem, ipso dirigente ac promovente, perducat, instantius laborabit; cum ex more

opifex quilibet consummationem sui officiatur ad operis, & ad conservationem ejus sollicitus inducatur. Cui etiam venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Pacten. Magistrum in sacra Pagina, virum utique religiosum, vita & moribus, conversatione laudabilem, & plenum timore Domini dedimus socium, ac simul ambos ad te, ipsumque regnum tuum sub fiducia ejus, qui concordiam in sublimibus suis parat, quique parietem utrumque connexuit, præsentialiter destinamus, ut ex sparso in eodem regno per Episcopum Tragurien. eumdem semine verbi Dominici vitalem segetem pullulantem doctrinæ salutaris aqua irrigent, succidant renascentium spinas errorum, evellant schismatum succrescentium tribulos, & seminatorum eradicent zizaniam scandalorum; sicque ex ejus segete diligentibus purgata cultoribus, dante illi Domino incrementum, manipulorum multitudo, fidelium scilicet numerus copiosus, messis in tempore colligatur; & fides ipsa, quam mediator Dei & hominum Christus supra firmam Petri petram, id est ipsam Romanam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, cujus ipse Christus caput, fundator & rector est, sic firmiter stabilivit, sicque illam eidem Ecclesiæ inseparabiliter copulavit, quod licet multos ab ipsius Ecclesiæ corpore, fallente Diabolo, vel contagiosus hæresis morbus abjecerit, vel scissura damnati schismatis separarit, ipsius tamen fidei immaculata sinceritas apud eamdem Ecclesiam permanens, velut tritici granum in area, quod per paleæ purgatur abscessum, & lux fulgentis syderis, quæ irradiat per excussionem offuscantium nebularum splendidius, clarior elucescit, palmites suos ubique dilatans, figensque radices emicet purior, & fructus, quibus eadem mater Ecclesia quasi renascentis prolis numerositate fœcunda auctori suo jucunditatis & lætitiæ cantum replicet, in ubertate perducat. Quapropter Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino illam attente rogantes, tibique in remissionem tuorum peccaminum suadentes, quatenus eosdem Episcopos pro nostra & Apostolicæ Sedis reverentia benigne recipias, & favorabiliter prosequaris, ipsorumque salutaribus monitis & doctrinæ devotius acquiescas; ac intuens, quod Dei nostri perfecta sunt opera, & quod juxta Evangelicam veritatem non qui incœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit, ipsius Redemptoris tui actiones imiteris pro viribus, ac in bono constanter opere perseverans ad ipsius feliciter inchoati negotii votivam consummationem sic, velut diligens operator, solerter intendas, quod in eo, præstante Domino, & tuo cooperante ministerio studioso, nostris & communium fidelium Christi votis & expectationibus satisfiat; ipseque retributor omnium bonorum Deus, cujus est idem negotium proprium, & cui nunquam sine remuneratione servitur, ejusdem regni tui terminos ampliet, dilatet fines, thronum corroboret, & sceptra confirmet, ac tandem te subjectosque tibi populos cælestis regni faciat cohæredes, nosque non solum in hujusmodi Capitaneatus officio, sed in quibuscumque aliis honestis & licitis vota tua, quantum cum Deo poterimus, Apostolicis favoribus prosequemur. Dat. Aven. IX. Kal. Januar. anno II. id est 1354.

In eamdem sententiam, paucis immutatis, scripsit Pontifex *Helenæ reginæ illustri, Orosio regi Rasciæ*, ac *primariis aulæ Proceribus*, quos Waddingus ad hunc annum nominatim recenset, *nobili viro Decano Savæ Scotratore Serviæ, nobili viro Gayco magno Logothetæ, nobili viro Oliverio Despoto Serviæ, magnifico viro Prælubo Cæsari Serviæ, nobili viro Guilbe de Catara, Comiti Camerario Serviæ, nobili viro Palmanio Theutonico, Capitaneo gentis Armigeræ, & universis Principibus, Comitibus, & Baronibus Serviæ &c.* Quarum tamen literarum exemplaria nec in Waddingi, nec in Raynaldi Annalibus extant; sed ex Waddingo laudato duas habeo epistolas Innocentii, alteram ad Joannichium Patriarcham Serbliæ Græci schismatis cultorem, alteram ad Archiepiscopos & Episcopos Rasciæ, Serbliæ, & Albaniæ, eadem infectos labe. Hisce Pontifex Catholicæ fidei veritatem luculenta oratione primum commendat, tum pium Stephani regis consilium de ejurandis Græcanicis erroribus, ac tota e Serblia expellendis laudat; tum missos ab se Internuntios, qui grande hoc opus perficiant, ut humaniter tractent, hortatur, eorumque commonitionibus, præceptisque obtemperare ne recusent: utramque vero hic juvat exscribere.

ad Patriarcham Serbliæ,

Joannichi Patriarchæ Serviæ, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Mediator Dei & hominum Christus Jesus in Petri petra, Romana videlicet, & Catholica, & Apostolica Ecclesia omnium fidelium Christi matre, quam solus ipse fundavit, & rexit, ac regit, & quæ super cunctas alias orbis Ecclesias obtinet, divina dispositione, primatum fidei, cujus ipse Christus auctor est, sic solide fundatam creavit, sicque illam insolubili vinculo, & inseparabili unione copulavit eidem, quod licet multos &c. ut finem versus superioris epistolæ usque *elucescit*. *Hæc sane carissimus in Christo filius noster Stephanus Rex Rasciæ illustris prudenter considerans, & dolens multos ex nationibus sibi subditis ab eadem Ecclesia per scissuram inveterati schismatis, procurante seminatore scandali, patre doli, fuisse divisos, ac saluti multitudinis, quæ ignara itineris veritatis, per abrupta gradiens in præcipitium ruit, & quasi navis in mediis fluctibus sine remigio mergitur, desiderans providere, apud nos per litteras, & Nuntios suos suppliciter institit, ut ad partes ipsas viros aliquos timentes Deum, & in lege ejus plenius eruditos transmittere dignaremur, qui errorum inde tribulis extirpatis, & evulsis spinis quorumlibet scandalorum in eis sererent semen vitæ. Nos autem præfati regis hujusmodi pium desiderium, & laudabile propositum opportunius in Domino*

Digitized by Google

no favoribus prosequentes, & sperantes in illo, qui est verum lumen de lumine, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, quique lapis est angularis missus, ipsius Ecclesiæ fundamentum, parietem utrumque connectens, quod de cordibus errantium quorumcumque ignorantiæ tenebras, virtutis suæ potentia, effugabit, & illuminabit claritatis suæ luce oculos mentium eorumdem, ut gressus eorum ab invio retrahant, & dirigant in salutem, ac ad eamdem Ecclesiam universalem, omnium fidelium Christi matrem conversi incipiant Christo vivere, qui viventes mundo, ipsi Christo mortui comprobantur, venerabiles fratres nostros Bartholomæum Tragurien. & Petrum Pacten. Episcopos, Apostolicæ Sedis Nuntios, viros utique probitatis expertæ, profundæ scientiæ, probatæ virtutis, ac zelum divinæ legis habentes, ad Serviæ, Rasciæ, & Albaniæ regna, & terras præfati Regis subjectas dominio providimus destinandos. Ideoque discretionem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illum attentius deprecantes, tibique in remissionem tuorum peccaminum injungentes, quatenus prudenter considerans, quod, sicut fides, quæ nonnisi una est, & in nullo potest esse sui dissimilis, apud eamdem Ecclesiam inseparabiliter (sicut præmittitur) permanet, sic qui extra ipsius Ecclesiæ communicationem fuerit, est procul dubio extra fidem, & qui extra fidem manserit, divinæ gratiæ particeps esse non poterit, nec adoptionem recipiet filiorum; ac inquens, quod specialiter tibi, qui in grege Domini, ipsa videlicet multitudine, pastoris gerris officium, quamquam illicite, cum non per ostium, idest per ipsam Ecclesiam, in ovile ovium, sed aliunde intraveris, incumbit ex debito, ut prius viam veritatis intelligas, & custodias intellectam, & sic per illam incedens puris ac rectis gressibus, eidem gregi, vita, moribus, & doctrina ducatum præbeas ad salutem, sicque illum ad æternæ vitæ pascua introducas, dictos Episcopos tamquam Dei Ministros, pro divinæ Majestatis, ac nostra & Apostolicæ Sedis reverentia benigne recipias, honorifice tractes, ac favorabiliter prosequaris, & eorum salutaribus monitis, & doctrinæ devotius acquiescas, ipsisque in prosecutione tam salutaris, & Deo accepti negotii assistas consiliis, & auxiliis opportunis. Itaque negotium ipsum, præstante Deo, cujus est proprie proprium, & tuo cooperante ministerio studioso, votivum perducatur ad exitum, & eamdem Ecclesiam renascentis prolis multitudo lætificet, teque a retributore bonorum omnium, cui nunquam sine remuneratione servitur, mercedis præmium, æternæ vitæ gloriam percipere merearis. Datum Avenione IX. *Idus Januar. anno* II.

Ad Archiepiscopos vero, & Episcopos Serbliæ epistola hujusmodi est.

ad Præsules ejusdem regni, *Universis Archiepiscopis, & Episcopis, per Rasciæ, Serviæ, & Albaniæ regna constitutis, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

Mediator Dei & hominum Christus Jesus in Petri petra, Romana videlicet & Catholica ac Apostolica Ecclesia &c. ut in superiori epistola ad Patriarcham Joannichium usque *ideoque discretionem vestram monemus &c. Universitatem vestram monemus, requirimus, & hortamur in Domino, vobisque in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatenus prudenter considerantes, quod ad vos & alios Prælatos, ac viros ecclesiasticos, qui in grege Domini, populo scilicet Christiano, pastoris vice fungimini, ex debito specialiter incumbit officii eidem gregi linguæ ministerio ducatum salutis ostendere, sibique pascua æternæ vitæ, directionis virga monstrare, eosdem Nuntios pro reverentia divinæ majestatis & nostræ, vestræque salutis obtentu benigne recipiatis, & favorabiliter tractetis, ac ipsorum salutaribus monitis, & doctrinæ devotius acquiescatis, sibique in prosecutione tam salutaris negotii, consiliis & opportunis auxiliis assistatis, ita quod hujusmodi negotium, vestro cooperante ministerio studioso, votivum perducatur ad effectum, vosque in præsenti famæ gloriam, & in futuro æternæ beatitudinis præmia consequi valeatis. Datum Avenione* IX. *Kalend. Januar. anno* II.

Præterea Pontifex aliis literis suos Legatos admonuit de turbis, quæ gravissimæ fuerant in Catholicos excitatæ a Serblianis Schismaticis, quæ nefaria dogmata disseminarent, quam impie de Romana Ecclesia, & Catholicæ religionis Sacramentis sentirent, quotque in eadem sacrilegia fuissent impune perpetrata: compescerent etiam plurimorum e Mendicantibus Cœnobitis audaciam, qui nullo fulti diplomate, nulla præditi auctoritate se se Apostolicæ Sedis legatos jactabant, jura ipsa legationis contra fas exercentes in gravissimum rei Christianæ & animarum detrimentum; postremo illos hortatur, ut strenue fortiterque se gerant, deque iis, quæ gesserint, aut quæ utilius facienda prænoscant, Apostolicæ Sedi nuntiare satagant.

& ad ipsos Legatos. *Venerabilibus Fratribus Bartholomæo Tragurien. & Petro Pacten. Episcopis, & Apostolicæ Sedis Nuntiis.*

Inter cætera, quæ Apostolatus officio, cui quamquam immeriti, disponente Domino, præsidemus, imminent peragenda, illud potissime humeris nostris incumbit, ut schismaticorum & hæreticorum venena pestifera, quibus Catholicæ fidei puritatem conantur inficere, per nos & alios, prout locorum & temporum qualitas exigit, partes Apostolicæ sollicitudinis apponamus. Nuper siquidem rumor infestus ad nostrum, non sine gravi mentis turbatione, perduxit auditum, quod nonnulli iniquitatis filii, solo nomine se Christianos profitentes, fidei tamen Christianæ prorsus adversi, in Regno Rasciæ, & Albaniæ, & Sclavoniæ, ac aliis circum adjacentibus partibus inconsutilem tunicam Domini nostri dividere, & lacerare conantes, ac perniciosa schismata suscitantes, novas inducunt sectas, variosque seminare moliuntur errores, ex quibus, ut aliquos recite-

mus, falso, & pertinaciter asserunt, Spiritum Sanctum non a Filio, sed a solo Patre procedere; non attendentes, quod sicut sacrosancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia mater fidelium omnium & magistra tenet & docet, ac Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum habet incommutabilis & vera sententia, sacrique Concilii declarat auctoritas, idem Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio tamquam ex uno principio, unica inspiratione procedit. Item mendaciter asserunt contra ea, quæ præfata Romana tenet, & docet Ecclesia, Corpus Christi non in azymo, sed in fermentato pane confici debere, & quod in azymo confectum est, esse denegant Corpus Christi, illudque in suæ damnationis cumulum blasphemiis inclamare, deturpare manibus, & quod sceleratius est, conculcare pedibus non verentur. Dicunt etiam, formam Baptismatis & Confirmationis juxta ritum, quem prædicta servat Ecclesia, falsum esse, ac juxta formam hujusmodi baptizatos & confirmatos Baptismati & Confirmationi sic susceptis damnabiliter renunciare, & rebaptizari & confirmari compellunt. Præterea damnabili detestatione dicuntur asserere, eamdem Ecclesiam, cui universi Christianæ fidei professores subesse noscuntur, ejusque tenentur instituta servare, in plerisque aliis, quæ præsentibus exprimere non curamus, a veræ fidei tramite deviare. Intelleximus etiam, quod nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi partium earumdem sacros Ordines indecenter & contra sacrorum Canonum instituta conferunt, & super matrimoniis contrahendis in gradibus prohibitis dispensare, contra instituta prædicta, propria temeritate præsumunt. Quodque religiosi quamplures mendicantium Ordinum commissum sibi fore ab Apostolica Sede in eisdem partibus legationis officium, minus veraciter asserunt, eoque prætextu nonnulla temere attentare præsumunt, in suarum & aliarum animarum periculum, & scandalum plurimorum. Cupientes igitur hujusmodi ejusdem orthodoxæ fidei, & animarum periculis, prout ex debito præmissi tenemur officii, opportunis & efficacibus studiis obviare, ac de vestræ circumspectionis industria gerentes in iis, & aliis fiduciam in Domino specialem, fraternitati vestræ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ad loca dictarum partium, de quibus vobis magis expedire videbitur, vos personaliter conferentes, & contra errantes, præsumptores, & attentatores hujusmodi pro Ecclesia sancta Dei vos defensionis murum viriliter opponentes; præmissa schismata dissipare, sectas dissolvere, errores evellere, excessus corrigere, deformata reformare, & errantes ipsos ad veram ipsius Catholicæ fidei unitatem, & Ecclesiæ prædictæ ritus & mores reducere, quantum vobis inspirabit Altissimus, auctoritate nostra, fideliter studeatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Contradictores quoslibet & rebelles, cujuscumque præeminentiæ, status, ordinis, vel conditionis existant, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quæcumque vero ex præmissis duxeritis facienda, & quæ vobis alias circa hæc videantur agenda, nobis fideliter & solerter intimare curetis, ut super ipsis providere salubriter, auctore Domino, valeamus. Dat. Avenione VI. *Kal. Januarii anno* II.

Ut vero legationem & honoratiorem, & tutiorem redderet, utrumque Episcopum Ludovico Hungariæ regi, & Duci Venetorum impense Pontifex commendavit, quippe sciret, istorum Principum vires ac potentiam plurimum apud Stephanum, & Serbliæ populos valituram, ut in officio & reverentia erga Pontificios Legatos continerentur.

Irritus Legationis exitus.

Itaque cum hi ad regem venissent sub initium anni 1355., Stephani voluntatem prorsus immutatam repererunt, sive quod diffideret se posse consequi quæ a Pontifice sperabat, sive quod ejus animum a fide Catholica non omnino alienum pessima aulicorum consilia prorsus depravassent, sive denique quod quæcumque pro Latinis Catholicis fecerat, & dixerat, ficte ac simulate dixit & fecit. Tantum vero abest, ut Legatis Apostolicis aures benignas, animumque obsequentem præberet, ac debitum illis honorem redderet, ut Sacrificiis illorum interesse omnes nobiles & plebejos, pœna cæcitatis proposita, vetuerit. Sed præstat rem ipsam verbis Philippi Mazzerii exponere, ejusque testimonio confirmare, qui Petri Episcopi Pactensis, cui coævus fuit, & familiaritate conjunctissimus, vitam descripsit, & hujus legationis narrationem fuse persecutus est cap. 3., apud Bollandum Tom. II. Januarii ad diem vicesimum nonum; unde etiam liquet, Petrum ipsum per se regem adiisse, dum Bartholomæus Traguriensis Episcopus, & alter e Pontificiis Legatis, alias sui muneris partes obibat, vel totum negotium Petro peragendum reliquit, cum Innocentius sin minus utrumque, alterutrum jusserit in Serbliam proficisci. *Multis*, inquit igitur Mazzerius, *laboribus & periculis transactis, Deo adjuvante, famulus Dei*, Petrus scilicet, *in Raciam applicuit, & diebus aliquibus elapsis, ad præsentiam Regis Raciæ pervenit. Qui quidem Rex inter omnes homines mundi suo tempore major erat corpore, & terribilis facie. Consuetudo autem illius regni & magnificentiæ regalis est, quod quicumque ad præsentiam Regis venit, ante salutationem pedem ipsius osculatur, & alias reverentias non modicum superfluas facit. De quibus Dominus Frater Petrus Nuntius Apostolicus multoties ante præmonitus fuerat a pluribus, sibi dicendo, quod si in hoc deficeret, periculo mortis subiturus esset. Stante vero Apostolico Nuntio in præsentia Regis sine inclinatione aut aliqua reverentia, ne videlicet honores Ecclesiæ derogaret, quia Nuntius Papalis, omni tempore, postposito timore, a Deo confisus, authentice & gratiose Regem, prout decebat, salutabat. Rex autem militia & Baronibus circumdatus super-*

pe

de Nuntium Papalem recepit, & multa verba magnifica & jactabunda secum habuit. Die autem constituto exponendi legationem, adveniente Fratre Petro, clare, & strenue in quodam sermone, legationem suam Apostolicam Regi exposuit. Sed in responsionibus superbiam, cautelas, & mendacia ipsius Regis Nuntius Papalis clare cognovit. Illo tunc omnes de familia Domini Fratris Petri reputabant ipsum Nuntium Apostolicum & ipsos mortuos, videntes crudelitatem & malitiam ipsius Regis.

Transactis aliquibus diebus, & multis tractatibus in honorem Ecclesiæ Romanæ concordatis, & iterum malitiose ruptis; ipse Frater Dominus Petrus semper & quotidie officium divinum coram se authentice celebrari faciebat, sive in campis, sive in civitatibus & castris. Tandem Rege tyranno indurato, malitiam non modicam contra Ecclesiam Romanam ostendit, fecit præconizari, quod nullus Christianus Ecclesiæ Romanæ sub privatione oculorum Missæ ipsius Domini Fratris Petri Nuntii Papalis interesset. Erant multi ibi Nobiles Teutonici & stipendiarii ipsius Regis. Quo audito timor & tremor omnes fideles Ecclesiæ Romanæ apprehendit. Ipse vero fidelis Nuntius intrepidus pie & strenue cor confortans, & periculum, in quo ipse & fideles Ecclesiæ erant, bene cognoscens, omni timore mortis postposito, imo pro augmentatione fidei Catholicæ mortem desiderans, eis cum vultu sereno dixit, quod in crastina die, hora consueta, Missam solemnem personaliter gratia Dei celebraret, edicto Regis non obstante; & qui nostrorum fidelium interesse vellet, bene sibi placeret, & qui non, etiam contentus esset. Mane autem facto Dominus Frater Petrus hora consueta mortem pie expectans, loca authentico se præparavit ad Missam solemnem celebrandum. Et ecce fideles Ecclesiæ quasi ad martyrium cum gaudio currentes, alio alium non expectante, edictum Regis parvipendendo, omnes ad Missam ipsius Legati venerunt, & ipsam devotissime audierunt. Fuerunt autem ad Missam trecenti Teutonici, aliis Christianorum nationibus exceptis.

Missa vero cum magna devotione completa, & Rege audiente, furore repletus, edicto Regali facto pro omnibus Teutonicis mandavit. Advenientibus autem eis, Rex facie turbata, zelo repletus eis dixit: Cur non timuistis edictum meum frangere? Nesciebatis quod ego præconizari feceram omnes oculos vestros eruere, si Missam inimici nostri audiretis? Teutonicorum vero quidam miles & strenuus omnium aliorum Capitaneus, cujus nomen oblivioni dedi, a Spiritu sancto inspiratus, & a Patre meo animatus, pro omnibus aliis Regi respondit: Domine bene verum est, quod edictum vestrum audivimus, sed magis timemus Deum quam vos. Et quomodo talem Patrem solum celebrantem sine nobis dimisissemus? Bene scitis, quod nos omnes Catholici & fideles Ecclesiæ Romanæ sumus, & ex quo oculos nostros velletis eruere, non solum oculos, sed nos omnes mori pro fide Catholica defendenda parati sumus. Audiens autem Rex talia verba adeo mitigatus, incepit ridere & admirari de tanta constantia ipsius Nuntii Apostolici & Teutonicorum. Ex illa hora tantum honorem & reverentiam Dominus Frater Petrus recepit ab ipso Rege aliquibus temporibus, quod scribere non valerem. Tempore intervallo Rege obstinato, & in perfidia remanente, Dominus Frater Petrus multas Ecclesias Metropolitanas & alias illius regni ad unitatem Ecclesiæ Romanæ reformavit, quæ prius schismaticæ erant. Et multis & infinitis periculis & insidiis a Rege cautelose ordinatis, cum difficultate, Deo adjuvante, a Regno Raciæ ipse Nuntius Papalis Dominus Frater Petrus recessit sanus, & in Curiam reversus est. Hactenus Mazzerius.

Stephanus vi belli ad promissa adigitur a rege Hungariæ.

At dolosis Stephani promissis delusus Pontifex Ludovicum impulit Hungariæ regem, ut illi bellum inferret; *qui*, ut est apud Waddingum ad an. 1356., *selectum conscripsit militem contra Rasciæ regem, arces & munitissima quæque loca occupavit, ipsum regem cepit; sed cum postea in manus Ludovici ex formula ab Innocentio præscripta jurasset, inque fide & obsequentia tum Romanæ Ecclesiæ, tum Hungariæ Regum se futurum promisisset, magnifice donatus, regno reddito, dimissus est.* An vero promissis steterit, & jurisjurandi fidem servaverit, mihi non est compertum. Certe non multo post, si non postremi hujus perjurii, prioris contumaciæ & perfidiæ pœnas dedit. Cum enim ingentem exercitum collegisset, pergeretque in Thraciam cum Turcis pugnaturus, apud Deabolim oppidum lethali morbo correptus diem obiit supremum xv. Kal. Jan. an. 1356. Delatus fuit Pristrinam in urbem regiam, & conditus in templo S. Michaelis, quod ab ipso Stephano ædificatum fuerat.

& Deaboli moritur an. 1356.

Schismatici in Latinos infesti.

Ex repulsa & discessu Legatorum, quorum hortationes, simulque literas Pontificias Stephanus contempsit, ac rejecit, quosque bona spe, quam de se Innocentio ipsisque injecerat, frustratos & vacuos dimisit, audacia Schismaticorum, animique ad Latinos Catholicos divexandos creverunt, quibus nihil deinde ab illorum insidiis ac molestiis tutum fuit, quamdiu stetit regnum Rascianum, ac reges e stirpe Neemaniça imperarunt. Itaque multum vigilandum, & laborandum fuit Dominico Archiepiscopo, ut gregem suum ab labe schismatica intactum servaret, eique ad omnes vexationes atque injurias religionis caussa patienter ferendas præsidio esset ac solatio. Stephano parenti successit in regnum Urosius; & ipse quoque regio non contentus, Imperatoris nomen sibi arrogavit. A Latinis eorumque sacris non solum ipse alienus erat, sed longe acerbiore animo abhorrebat Helena mater ejus fœmina ferox & imperiosa. Hinc factum est, ut Dominicus Archiepiscopus, & omnes cultores Ecclesiæ Romanæ expositi essent quibuscumque injuriis Schismaticorum, qui nihil ardentius quam

Digitized by Google

quam Latinum & Romanum nomen prorsus exstinguere exoptabant. His calamitosissimis temporibus rei Catholicæ maxime infestis Dominicus ejusque successores usque ad interitum Urosii an. 1368. interfecti Pontificatum gessere plurimis curis & anxiis sollicitudinibus implicitum atque exercitum. *Anno 1360. 2. Martii Dominicus Archiepiscopus Antibarensis pro uno triennio proxime nunc transacto per Presbyterum Johannem Andreæ electum Drivastensem procuratorem suum Romanam Curiam visitavit.* Tom. 31. Obl. pag. 34. Et hoc eodem anno e vita discessit.

Dominici Archiep. obitus.

STEPHANUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XV.

De quo nihil præter nomen ex tabulis Romanis, in quibus dicitur Joannes Archiepiscopus Antibarensis ejus successor suscepisse onus solvendi pro se, & *pro Stephano præcessore suo, cujus obligatio facta fuit 11. Januarii* 1361. Biennium, & paucos menses præfuit morte sublatus anno 1363.

JOANNES IV. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XVI.

Ioannes civis Ragusinus ex Ord. Prædic. Archiep. Antibar. an. 1363.

Erat patria Ragusinus, & Dominicani instituti alumnus, qui *moribus & doctrina insignis* dicitur in monumentis mss. Cœnobii Dominic. Ragusiensis. Dum vero eidem præerat, ad Antibarensem Arehiepiscopatum evectus fuit anno 1363., & quidem pridie Idus Junias, subdit Fontana in Theat. Dominic. pag. 52. hisce verbis: *Pater Fr. Jo. Prior Ragusini Conventus Antibarensis Episcopus ab Urbano Papa V. creatur 2. Id. Junii Pontificatus sui anno primo, qui fuit humanæ salutis millesimus trecentesimus sexagesimus tertius, de quo altum tenuere silentium Scriptores nostri. Ex libr. provis. Prælatorum ejusdem Urbani V.* De eodem hæc in tabulis Romanis: *Anno* 1363. 5. *Julii Joannes Archiep. Antibar. obligavit pro suo communi servitio Flor.* 80., *& pro Stephano præces. suo, cujus obligatio facta fuit* 11. *Januarii* 1361. T. 36. Obl. pag. 52. Urbanus V., ut est in iisdem tabulis, 16. *Cal. Aug. an.* 1. *Indulgentias ad* 10. *annos concedit Ecclesiæ Antibaren. in honorem B. Georgii M. fundatæ; & 5. Id. Septembris Joanni Archiep. impertitur facultatem dispensandi super irregularitate.* Vol. v. Indult. an. 1. pag. 147. & 148. His muneribus indulgentiarum, & privilegiis locupletatus eodem anno, vel proximo ad suam metropolim regendam accessit. Huic onus incubuit solvendi Ægidio Episcopo Sabinensi & Legato Apostolico non solum pro se, & suis Provincialibus Episcopis, sed etiam pro Stephano proximo ante se Archiepiscopo debitas quatuor annorum pensiones, quarum solutionem illi neglexerant.

Solutæ ab eo pensiones Legato Apostolico in Dalmatia.

Jam inde ab anno 1359. Ægidius Episcopus Sabinensis Legatus Apostolicus in Dalmatiam venerat, & quinque jam annos peragrandis lustrandisque Dalmaticis & finitimis Ecclesiis insumpserat, neque debitas quatuor posteriorum annorum pro vectura & viatico solutiones, quas *Procurationes* vocabant, ab Episcopis Dalmatiæ receperat. Anno 1364. ut cæteri Dalmatiæ Præsules, sic etiam Joannes Archiepiscopus pro se & suis provincialibus Episcopis, quod hi atque ille ex communi taxatione debebant, plenissime solvit. Ita enim scriptum invenio in lib. 405. Introit. & Exit. Cameræ Apostolicæ sub hoc titulo; *Taxa Procurationum debitarum, & solutarum Ægidio Episcopo Sabinensi pro 2. 3. 4. 5. anno primæ suæ Legationis, usque ad an.* 1364. *Archiepiscopus Antibarensis debet pro se & Suffraganeis suis pro quolibet anno Floren. 25. Solvit pro dictis quatuor annis Flor.* 100. Ex his intelligi potest, quantum detrimenti proventibus Ecclesiarum provinciæ Antibarensis bella & seditiones illorum temporum attulerint, cum taxatio admodum exigua illis imposita fuerit. In eodem lib. Introit. & Exit. Cameræ hi nominantur Episcopi provinciæ Antibarensis; *Episcopus Dulcinen. Episcopus Drivasten. Episcopus Polacen.* id est Pulaten. *Episcopus Scodanen.* id est Pulatensis minor, *Episcopus Arbanen.* Albanensis, *Episcopus Sarden.* Sardanensis, *Episcopus Scutaren. Episcopus Suacinen.* Suacien. Anno circ. 1369. oborta contentione de Olciniensi Episcopatu inter Nicolaum, qui triennio ante legitimis Canonicorum suffragiis huic Ecclesiæ regendæ præpositus Antistes fuerat, & Marinum Tryphonis presbyterum Catharensem, qui prætendens electionem Episcopi Olciniensis reservatam esse Summo Pontifici, ab Urbano V. hanc Sedem obtinuerat, idem Pontifex jussit, causam a Joanne Metropolita cognosci, eumque ex alterutro confirmari Episcopum, cui sacra Ecclesiæ jura faverent. Litem itaque ad Joannem quidem fuisse delatam non ambigo; utri vero Episcopalis dignitas adjudicata fuerit, nullis monumentis proditum reperitur.

Regis Hungariæ in Catholicos Serbianos patrocinium; & missi in adjumentum Episcopi a Pontifice.

Dum sub rege Urosio, Helena matre potissimum instigante, omnia Catholicis inimica erant, atque infesta, non defuit illis patrocinium Ludovici regis Hungariæ, cujus potentia metum Schismaticis injiciebat, & qui victo captoque Strasimero Bulgariæ rege, dum victorem exercitum per Bulgariam & Serbliam reportabat, non solum Schismaticos ab inferendis injuriis cohibuit, sed multos ex utraque regione ab errore & schismate ad Catholicam veritatem, & sinum Romanæ Ecclesiæ reduxit, ut est apud Raynaldum ad an. 1368. Anno proximo plures e Bosina hæretici atque schismatici in Dalmatiam ad fidem illarum gentium depravandam irrepserunt. Urbanus V. literas dedit ad Archiepiscopos & Episcopos Dalmatiæ, quos admonuit, ut suo quisque gregi ab ea parte caveret, suosque populos, anathematis comminatione interposita, ab omni cum illis commercio congressuque absterreret. Præterea e Franciscana familia missi sunt ab Urbano,

ut

Digitized by Google

ut scribit Raynaldus ad an. 1370., *quatuor Episcopi religionis latius proferendæ cupidissimi, paratique ad fundendum pro Christo sanguinem in Albaniam aliasque vicinas provincias, ut Schismaticos ad gregem Dominicum adducerent, quos Archiepiscopo Dyrrbachiensi, ac Strazimiro, Georgio & Balsæ Zupanis Genciæ*, quæ Albaniæ regio *Gretia* etiam dicta, *quos fidem orthodoxam amplecti ante decrevisse vidimus, tum universis Albaniæ Episcopis commendavit.*

Regni Serbliani interitus & divisio.

Urosius anno duodecimo, quo regnare cœperat, ab Ucascino, qui principem inter aulicos & ejus familiares locum tenebat, conspiratione procerum conflata, prælio cæsus, captus, interfectus, vitam & imperium amisit, cujus interitu stirps & gens Neemanica exstincta est anno 1368. Regnum & imperium Rascianum sive Serblianum prorsus interiit, Ucascino a Turcis victo, ejusque exercitu ad internecionem deleto, quem ex acie fuga elapsum quidam ex ejus ephebis honorariis, torque aurea ingentis pretii, quam inhiabat, e collo detracta, interfecit; ita regni scelere parti pœnam justam & meritam dedit. Exinde Proceres ac Dynastæ cum filiis Ucascini atque inter se dimicarunt; imperioque Serbliano dilacerato, alii alias regiones occuparunt, quos demum fere omnes vel tributarios Turcæ fecere, vel provinciis, quas ceperant, exutos sub eorum tyrannidem redegerunt. Dum vero Principes illi dominandi regnandique cupiditate incensi acerrime inter se pugnant, exstinctis potentioribus Romanæ Ecclesiæ hostibus, Religio Catholica in illis partibus erigere animum, & paullum respirare a metu visa est.

Joannes Archiepisc. ad metropolim Cæsariensem transfertur,

Gregorius XI. xv. Kal. Julii an. 3. sui Pontificatus, id est 1373. Joannem absentem ignarumque ab Antibarensi ad Cæsariensem metropolim transtulit, & Joannem Episcopum Drivastensem in ejus locum subrogavit. Id nobis ex tabulis Romanis Cardinalis Garampus his verbis exposuit: *Gregorius XI. xv. Calend. Julii an. 3., Joanne Archiepiscopo licet absente ad Archiepiscopatum Cæsariensem translato, Joannem Episcopum Drivastensem ad Antibar. transfert.* Sed Joannes valde graviter tulit, se inscio, Antibarensem cum Cæsariensi Ecclesia sibi commutatam fuisse; & quorumdam laicorum prepotentium patrocinio fretus, obfirmato adversus Pontificis auctoritatem imperiumque animo, Sedem illam dimittere nolebat. Sive ob hanc pertinaciam, sive ob aliam causam Ægidius Episcopus Tusculanus judex delegatus omnem illi administrationem Archiepiscopalem interdixerat. Pontifex autem Joannem creatum Archiepiscopum Antibarensem suis literis commendavit Communi Catharensium, ut illi ad possessionem Ecclesiæ Antibarensis adeundam ac retinendam auxilio essent; itemque literas commendatitias in eamdem sententiam dedit ad Ragusinos, atque ad quosdam Toparchas, seu Dynastas illarum regionum. Hæc nobis e tabulis Romanis Cardinalis Garampus: *Gregorius XI. Cal. Junii an. IV. Joannem Archiepiscopum commendat Communi Catbar., ut posset possessionem suæ Ecclesiæ adipisci, renuente scilicet Joanne ejus prædecessore.* Epist. 209. *Item 3. Id. Junii commendat Georgio & Balsæ fratribus Zupanis, & Carolo Topiæ Magno Comiti Albaniæ, ut eidem Joanni moderno Archiepiscopo assistant & faveant. Joannes enim prædecessor, qui ab Ægidio Episcopo Tusculano judice delegato fuerat suspensus ab administratione spiritualium & temporalium, per laicalem potentiam adhuc dictam Ecclesiam occupabat. Item Ragusinis commendat.* Epist. 1405.

Demum Joannes sive urgente Pontificis imperio compulsus, sive illorum, qui favebant Joanni adversario suo, potentia deterritus Archiepiscopatum Antibarensem deposuit sic tamen, ut titulum ejusdem cum Cæsariensi Pontificis permissu retineret, quem anno 1388. adhuc retinebat, ut constat ex tabulis Basilicæ Regiensis S. Prosperi, in quibus Antibarensis simul & Cæsariensis Archiepiscopus nominatur. In his quippe *unum altare, in quo conditum fuit corpus S. Prosperi Episcopi & Confessoris, itemque alterum S. Venerii, ac tertium S. Jucundæ* consecrasse dicitur *anno* 1388. *Reverendus in Christo Pater, & D.D. Joannes D. G. Archiepiscopus Antibarensis & Cæsariensis.* In arca vero, in qua sacra lipsana condita sunt D. Venerii, hæc lamina detecta est, quæ indicat, secundam fuisse hujus altaris iterum exstructi consecrationem, & Joanni solum Antibarensis Archiepiscopatus titulum tribuit: *MCCCLXXXVIII. Die XII. Mens. Aprilis, Consecratum est secundo hoc Altare S. Venerii & reconditum est Corpus ejusdem per D. Joh. Archiepiscopum Antibarensem & alios Episcopos & Prælatos tempore D. P. Petri de Gazata Abbatis ejusdem Monasterii.* Anno igitur 1388. Regii versabatur, quæ civitas est Galliæ togatæ inter Parmam & Mutinam millia passuum fere quindecim ab utraque disjuncta. Multi Episcopi in hanc urbem convenerant ad solemnem dedicationem altarium S. Prosperi Confessoris, S. Venerii, & S. Jucundæ. Tunc Episcopus Regii erat Hugolinus de Sesso, quem vix annos quindecim natum Galeatius de Vicecomitibus regulus Mediolani & Longobardiæ in sedem illam intruserat. Hic fortasse aberat; certe tamen neque ad Episcopalem consecrationem suscipiendam, neque ad munus Episcopale fungendum per ætatem idoneus erat. Joanni Metropolitæ, qui cæteris, qui aderant, Episcopis dignitate antecedebat, honoris caussa delatæ sunt partes primariæ consecrandi tum altare S. Prosperi, tum alia duo S. Venerii & S. Jucundæ; ille Divorum corpora subter altaria singulorum recondidit, ut declarat Inscriptio. *MCCCLXXXVIII: Indictione XI. die XIII. men. April., vacante Imperio, tempore Sanctissimi in Christo Patris ac Domini Urbani div. providentia Pp. VI., tempore Reveren. in Christo Patris D. D. Hugolini de Sesso, Dei gratia Episcopi Regini; & tempore*

rerento Ecclesiæ Antibar. titulo.

pore Reverendi Petri de Gazata D. G. Abbatis Monasterii S. Prosperi inferioris de Regio, & dominante Ill. Principe D. Galeazzo de Vicecomitibus de Mediolano, in Regio ac tota Lombardia, consecr atum est Altare S. Prosperi per Reverendissimum in Chisto Patrem & Dominum D. Joannem D. G. Archiepiscopum Antibarensem, atque Cæsariensem, & alios plures Episcopos, præsentibus Clero, & Populo Regino, & reconditum est Corpus S. Prosperi Episcopi, & Confessoris, & Doctoris eximii; & in Altari S. Venerii eo die, anno & mense reconditum est Corpus ejusdem S. Venerii; & in Altari S. Jucundæ, Corpus ejusdem; & Altaria consecrata sunt per suprascriptum D. Joannem Antibarensem &c.

Ex his, quæ supra diximus, apparet causa, cur Joanni titulus Metropolis utriusque attribuatur, quam ignotam sibi esse fatetur Hagiographus Antuerpiensis Tom. 5. die 20. Junii: *Cur*, inquit, *dicatur Antibarensis atque Cæsariensis, non ausim per conjecturam definire; legitimam esse inscriptionem non dubito.*

Ejus obitus Ragusii.

Monumenta Cœnobii Dominicani Ragusiensis Joannem hic obiisse ferunt post annum 1393. & in Ecclesia ejusdem Cœnobii esse tumulatum.

JOANNES V. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XVII.

Erat Episcopus Ecclesiæ Drivastensis, quem ad Archiepiscopatum Antibarensem evexit Gregorius XI. anno 1373. ut supra dictum est; & anno proximo more decessorum promisit soluturum se pro communi servitio florenos 80. Tom. 35. Obl. pag. 163. Quot annos Metropoli Antibarensi præfuerit, non constat. Anno 1383. hanc Ecclesiam regebat non Joannes V., sed qui sequitur

ANTONIUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XVIII.

Antonius Archiep. an. 1383. Collector Apostolicus designatur,

Hunc vel Gregorius XI. vel Urbanus VI. huic Ecclesiæ rectorem præfecit. Urbanus certe anno 1383. munus Antonio Archiepiscopo pensiones exigendi, quæ in provincia Ragusina, Dyrrhachiensi, atque in Albania ærario Apostolico contribui solebant, & postea syngrapham dedit testem recepti tributi, solutique usque ad annum 1388. Hæc nos e tabulis Romanis docuit Cardin. Garampus. *Urbanus VI. Antonium Archiep. Antibaren. 3. Cal. Aug. an.* v. *designat Collect. jurium Cameræ Apost. in Archiepiscopatus Ragusin. & Dyrrhac. provinciis, & in principatu Albaniæ. Urbanus VI. Bull. Tom.* 1. *pag.* 268. *&* 275. *Quietatio eidem facta a Cam. Apostolica pro receptis & solutis in dicta Collectione usque ad* 22. *Octobris* 1388. *Div. Cameral. T.* 1. *pag.* 68. Anno 1386. Nicolaus Presbyter Cardinalis tit. S. Cyriaci, quem Urbanus VI. in partes Hungariæ, Dalmatiæ, Chrobatiæ, Bohemiæ, Poloniæ de rebus ecclesiasticis reformandis ordinandisque Legatum miserat, Spalatum venit. In hac urbe cum esset, præter multa, quæ sapienter decrevit, litem composuit, quæ de decimis territorii sive Principatus Cetinensis Hugolino Archiepiscopo Spalatensi erat cum Margarita Joannis Comitis Cetinæ vidua. Hujus compositionis testis & approbator fuit Antonius Archiepiscopus Antibarensis, qui tum forte Spalati erat cum aliis Episcopis & nobilibus viris. Tabulas hujus compositionis ex archivo Archiepiscopali Spalatensi depromptas hic subjiciendas censeo; non enim erant ad manus, cum historia illius Ecclesiæ describeretur. Sed annus ibi adscriptus 1389. non cohæret neque cum nono anno Urbani VI., neque cum Indictione nona; hæc & ille congruunt cum anno Christi 1386., hoc siquidem anno & mense Octobri ibidem apposito Urbanus nonum annum agebat a suscepto Pontificatu. Expuncto igitur anno 1389. restituendus est annus 1386. Librario oscitanti nihil facilius accidere potuit, quam postremam notam arithmeticam 6. invertere, & in aliam 9. commutare,

& Spalati cum esset an. 1380., approbat

tabulas compositionis inter Archiep. Spalaten. & Margaritam viduam Comitis Cetinæ.

In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejusdem Millesimo trecentesimo octuagesimo sexto Indict. 9. die 6. mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi Patris & Domini Nostri Domini Urbani Divina Providentia Papæ 6. anno 9. In Civitate Spalatensi in Archiepiscopali Palatio coram Rev. in Christo Patre & Domino Domino Nicolao tituli S. Cyriaci Presbytero Cardinale ac in Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Rasciæ, Croatiæ, & nonnullis aliis partibus Apostolicæ Sedis Legato, & in mei Notarii publici .... & testium infrascriptorum ad hoc vocatorum, & rogatorum personaliter constituti Rev. in Christo P. & Dominus Dominus Hugolinus Archiepiscopus Spalatensis, & discretus Vir Mag. Lucas Rozi civis Sibenicensis Notarius & Procurator Mag. Dominæ Margaritæ Comitissæ Cetinæ relictæ q. Domini Joannis Comitis Cetinæ viduæ, Spalatensis diœcesis procuratorio nomine ipsius, prout de ejus m. in quodam publico instrumento indo recepto, & ut asserebatur, confecto per manus Mag. Petri Hagben Clerici Leodiensis diœcesis publica Apostolica, & Imperiali auctoritate Notarii sub anno, Indictione, & Pontificatu prædictis die 4. dicti Mensis Octobris asserebatur plenius contineri: & demum habito, & præcedente tractatu sub facto Decimarum, quas idem Dominus Archiepiscopus habet in Comitatu Cetinæ, & quas ab eadem Domina Comitissa suisque Baronibus repetebat, idem Dominus Archiepiscopus cum dicto Procuratore procuratorio nomine quo supra super eisdem Decimis & restitutione, ac locatione, & arrendatione, & concessione earum fiendis ad infrascripta condescendit, devenerunt amicabiliter ut sequitur. Primo idem Dominus Archiepiscopus ratione Decimarum trium annorum proximorum quasi præteritorum, quorum ultimus finiet in festo celebritatis omnium Sanctorum pro-

Digitized by Google

proxime futuro, de quibus non fuerat hactenus persolutum, confessus fuit, & recognovit se habuisse & recepisse a dicta Domina Comitissa, seu ejus parte per manus dicti Procuratoris solventis dicto nomine pro Decimis trium annorum prædictorum centum, & quinquaginta Florenos auri, de quibus vocavit, & tenuit se quitum, contentum, & pagatum, exceptioni non solutorum, non traditorum, & non receptorum dictorum Florenorum auri expresse renuncians, ut de eis, & dictis Decimis dictorum trium annorum eamdem Dominam Comitissam suosque hæredes & successores quitavit, absolvit, & liberavit, & pactum fecit de ulterius non petendo, ac ipsam Dominam Comitissam in personam dicti Procuratoris, & ipsum Procuratorem in personam dictæ Dominæ Comitissæ ab excommunicationis sententia, si qua ratione Decimarum dictarum ligata, & innodata esset, absolvit, & restituit Ecclesiasticis Sacramentis, & his sic præhabitis idem Dominus Archiepiscopus hujusmodi Decimas, quas habet in dicto Comitatu, de quibus agitur, eidem Dominæ Comitissæ, licet absenti, & dicto Procuratori procuratorio nomine prædicto pro dicta Domina Comitissa ejusque hæredibus, & successoribus recipienti, & stipulanti locavit, & arrendavit, & ad firmam pro annua pensione dedit, & concessit inde usque ad tempus, & per tantum tempus donec Nobilis Domicellus Joannes filius ejusdem Dominæ Comitissæ, qui novem annorum suæ ætatis esse dicitur, pervenerit ad ætatem XX. *annorum exclusive, seu dictum* XX. *annum attinserit pro pretio, & nomine pretii, seu annuæ pensionis singulis annis hujusmodi tempore durante annis singulis quinguaginta Ducatorum auri boni, & puri, & justi ponderis: & voluerunt, & concesserunt quod primus annus hujusmodi temporis incipiat, & incheetur in dicto festo celebritatis omnium Sanctorum proxime futuro, & quod prima solutio hujusmodi Ducatorum fiat, & fieri debeat anno revoluto in dicto festo in Civitate Spalatensi eidem Domino Archiepiscopo, vel ejus Vicario, & sic successive singulis annis de anno in annum revolutum in festo prædicto integre persolvantur omni exceptione remota; præfatus vero Lucas Procurator procuratorio nomine quo supra ex pacto promisit, & convenit dicto Domino Archiepiscopo præsenti, & pro se, suisque hæredibus, & successoribus stipulanti, & recipienti dictos quinquaginta Ducatos auri, ut dictum est, singulis annis dicto Domino Archiepiscopo, vel ejus Vicario, vel ejus jus habenti integraliter solvere, & assignare, & de eis plenarie satisfacere, & quod dicta Domina de illis, ut dictum est, plenarie satisfieri faciet omni exceptione remota in Civitate Spalatensi, ut dictum est, sub pœna, & ad pœnam Ducatorum ducentorum auri applicandorum Cameræ, & Mensæ dicti Domini Archiepiscopi, & successorum suorum, ac promisit, & convenit eidem Domino Archiepiscopo ut supra præsenti, & stipulanti reficere, & resarcire, & restituere omnia damna, expensas, & interesse, quæ & quas idem Dominus Archiepiscopus ob defectum dictorum Ducatorum non solutorum in terminis, ut dictum est, incurrerit in judicio, sive extra, & dictam pœnam solvere, & assignare absque contradictione quacumque, & expresse consensit idem Procurator quod dictam pœnam dicta Domina incurrat totiens quotiens in solutionibus hujusmodi remissa fuerit, aut ea non observaverit, ut dictum est. Idem vero Dominus Archiepiscopus promisit & convenit dicto Procuratori dicto durante tempore rationem hujusmodi denariorum non repetere ultra quam superius est expressum, protestans quod si dicta Domina præmissa non observaret, ut dictum est, ipse Dominus Archiepiscopus ad observationem promissorum per eum minime teneatur, & ad id compelli non possit: & insuper dictus Dominus Archiepiscopus, & Procurator alter alteri vicissim, & successive promiserunt, & convenerunt ex pacto prædicta omnia & singula, ut dictum est, attendere, & inviolabiliter observare, & contra ea non facere, vel venire de jure vel . . . . . nec contravenienti consentire, & hoc sub eorum juramentis per ipsum Dominum Archiepiscopum more Prælatorum, & dictum Lucam Procuratorem in animam dictæ Dominæ Comitissæ ad S. Dei Evangelia . . . . . tacta præstitit, pro quibus omnibus & singulis, ut dictum est, attendendis, & inviolabiliter observandis idem Dominus Archiepiscopus se ipsum, & sua, & dictus Lucas Procurator procuratorio nomine . . . . . dictæ Dominæ Comitissæ ejusque hæredum, & successorum bona mobilia, & immobilia . . . . . & futura, præsentia, & mundana alter alteri ex pacto, & solemni stipulatione . . . . . quæ quidem bona jure precario, & hypothecario nomine constituerunt se possidere usque ad plenariam observationem omnium prædictorum, ac submiserunt se, & dicta bona . . . . . & mero examini Curiæ Domini Nostri Papæ, ejusque Camerarii, & dicti Camerarii, & ejus Curiæ Cameræ Auditoris, Viceauditoris, & locumtenentium eorumdem, & Cur . . . . . Regni Hungariæ, ad quod, vel ad quas pars observare volens recurrere voluerit pro observatione plenaria omnium prædictorum protestantes, etiam expresse alter alteri quod elapso dicto tempore . . . . . præjudicium eis, vel eorum alteri propter præmissa quomodolibet generetur, & quolibet in suo robore permanente. Renunciantes insuper præmissis, & quolibet præmissorum exceptioni non sic facti contractus . . . . . dictum quam scriptum & eo q. ac doli mali in forma veriori cond. indebiti, & sine causa, & ob injustam causam l. Julii de fundo dotali, omnique Privilegio, statuto, & consuetudini, & literis Apostolicis, & Imperialibus, & quorumcumque Principum impetratis, & impetrandis, omnique juris Canonici, & Civilis auxilio, omnique contradictioni, oppositioni præsentis instrumenti copiæ omnique appellationis remedio, quibuscumque exceptionibus, & defensionibus juris & facti per quos prædictus contractus infringi possit, seu quomodolibet irritari, &*

Digitized by Google

specialiter . . . . . dicenti generalem renunciationem non valere insi . . . . . De quibus omnibus, & singulis petierunt fieri publica instrumenta per me infrascriptum Notarium ad consilium sapientis veritatis substantia non irritata.

Datum & Actum Anno, Indictione, Die, Mense, Pontificatu, & loco prædictis. Præsentibus, & audientibus Rev. Patr. Dominis Dominis Antonio Archiepiscopo Antibarensi, Simone Forliviensi, Damiano Niciensi, Simone Melphitensi, Anastasio Dinastrensi, & Joanne Mucarensi Episcopis, ac Nobilibus Viris D. Geraldo Cornuti Milite Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Joanne Spatario de Gajetta, Minio de Senis, Paulo di Frisulens, Hugone de Zelandia, Gotifrido de Trevirisimonte, & pluribus aliis familiaribus dicti Domini Legati testibus ad præmissa rogatis, & vocatis.

Et ego Antonius Gattula Canonicus Cajetanus dictus Sarracenus publica Apostolica, & Imperiali auctoritate Notarius & literarum Apostolicarum Scriptor, ac dicti Rev. Patr. Domini Legati Scriba præmissis omnibus & singulis dum sic agerentur, & fierent, una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque omnia vidi, & audivi, scripsi, & in hanc publicam formam redegi, signoque meo solito signavi rogatus, & requisitus in testimonium omnium præmissorum.

Antonius Spalato discedens ad suam Ecclesiam regendam se retulit, cujus administrationem retinuit usque ad annum 1390., atque intra finem hujus anni, vel sub initium proximi aut morte præreptus, aut alio translatus successori reliquit. Sub ejus Archiepiscopatu res catholica in illis regionibus haud satis tranquilla fuit ab hostibus Latini & Romani nominis, cum Tuartkus rex Bosinæ ad oram usque maritimam fines imperii protulisset. Post obitum Ludovici Regis Hungariæ anno 1382. extincti regnum Hungaricum hæreditario jure obtinuit Maria ejus filia nupta Sigismundo Marchioni Brandeburgi, ad quem dotis nomine regnum utrumque Dalmatiæ & Hungariæ attulerat. Stephanus Tuartkus rex Bosinæ atque Rasciæ cum quibusdam Hungariæ & Dalmatiæ Dynastis de Maria & Sigismundo e possessione utriusque regni paterni & dotalis expellendis conjuravit. Hic igitur, qui permissu Ludovici regis titulum Bani Bosnensis commutaverat cum titulo Regis Bosinæ, non solum plerasque urbes Dalmatiæ Sigismundo & Mariæ ademit, sed etiam Antibarim & partem Serbliæ, itemque Rasciæ Dynastis Serblianis ereptas in suam potestatem redegit, ut intelligi potest ex titulis, quos sibi adscripsit in suis ad Tragurienses literis anno 1389. *Stephanus Tuartko D. G. Rex Rasciæ, Bosinæ, maritimæque;* idest Serbliæ maritimæ, sive Dalmatiæ Superioris. Is autem imbutus cum esset erroribus, & schismate Græcorum implicitus, cultores latini dogmatis & ritus pessime oderat, & partim occulte, partim aperte, quibuscumque potuit modis, vexavit; de quo vide Tom. IV. Hist. nostræ pag. 63.

Catholici in Albania vexati.

RAYMUNDUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XIX.

Raymundus Archiep. Antibarensis an. 1391.

Qui a Bonifacio IX. huic Metropoli præpositus *an.* 1391. 16. *Martii*, ut est in tabulis Romanis, *obligavit se pro solut. Flor.* 50., *item pro Stephano anteprædecessore suo Flor.* 40. T. 48. Obl. pag. 100. vel 118. t. neque enim Joannes IV., qui pro eodem Stephano soluturum se promiserat, ærario Apostoliço satisfecit, & fidem suam liberavit. Idem vero post biennium anno 1393., quod pro se & pro illo debebat, plenissime persolvit. T. 51. Obl. pag. 54.

Ducaginorum factio tyrannica.

Ducagini, sive Ducaini, gens Albana opibus & copiis præpollens, plures in familias divisa, multis affinitatibus cum imperatoriis familiis Constantinopolitanis, cum primariis Dynastis Serbliæ & Albaniæ conjunctis clarissima in Dalmatia Superiori citra Catharum ultraque Drilonem principatum amplissimum obtinebat; ab his regio Ducainorum appellata fuit. Post interitum regni Serbliani sive Rasciani cum Despotæ illi & Dynastæ armis inter se contenderent, & alii alias provincias sibi vindicarent, Ducaini Proceres, ut avitum principatum non modo tuerentur, sed etiam amplificarent, in suam & Christianorum perniciem auxilia Turcarum evocarant, & conterminis populis ad suam factionem adjunctis fines Dalmatiæ & Macedoniæ fœdum in modum vexabant. Id nuntiatum cum esset Bonifacio IX., is pro sua erga illas provincias charitate ac providentia per literas datas idibus Aprilis anno 2. Pontificatus, idest 1391. Archiepiscopo Antibarensi mandavit, ut factiosos homines, Apostolicis comminationibus & exsecrationibus interpositis, severe moneret, juberetque ab nefaria illa & scelerata coitione abscedere, & a maleficiis desistere; nisi paruissent, diris deprecationibus confixos sacris omnibus omnique Christianorum commercio arceret. *Consulturus*, scripsit Raynaldus ad hunc annum de Bonifacio, *rei Christianæ in Dalmatiæ & Macedoniæ finibus periclitanti, quam Ducaginorum factio laniabat, proruperatque in eum furorem, ut ad perdendos Fideles conduceret Turcas, quorum deinde armis ipsi perirent, Antibarensi Archiepiscopo munus injunxit, ut hujus factionis participes solemni ritu moneret cœpto temperare sceleri, Apostolicaque spernentes imperia defixos anathemate pronunciaret.* Dubitari non potest, quin Raymundus mandatis Pontificiis paruerit. Hoc anno idem Pontifex Monasterio Rotaciensi præfecit Butium quemdam Cisterciensis disciplinæ asseclam, & Tremitensis Cœnobii Præsidem. Erat tum magna hujus loci celebritas monachorum sanctimonia, piorumque hominum ad invisendum Deiparæ templum frequentia; atque in id potissimum sacrorum

An-

Antistitum cura incumbebat, ut monasticæ leges sancte vigerent, & religionis cultus majori divinæ gloriæ incremento floresceret. Quare Bonifacius eum Abbatem præficiendum esse duxit, qui pietate, ac vigilantia utrumque præstaret; & literas dedit hujusmodi ex tabulis Monasterii Lacromensis descriptas.

Litera Bonifacii IX. ad Monachos Rotacienses.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Conventus Monasterii S. Mariæ de Rotaz Ordinis S. Benedicti Antibaren. Diœc. Sal. & Apl. bene.

Inter solicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissimum, pulsat & excitat mentem nostram, ut Status Eccles. & Monasteriorum curæ nostræ Divina Provid. commissorum spiritualiter & temporaliter augeatur, quodque illis præsertim quæ suis destituta pastoribus vacationis incommoda deplorare noscuntur, tales in pastores præficere studeamus, per quorum regimen Eccles. & Monasteria ipsa utiliter & salubriter valeant adaugeri. Dudum siquidem felic. record. Urbanus Pp. VI. prædecessor noster provisiones omnium Ecclesiarum & Monasteriorum tunc apud Sedem Apostolicam vacantium, & in antea vacaturorum ordinationi & dispositioni suæ, & dictæ Sedis reservans, decrevit ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero Monasterio vestro ex eo apud Sedem Apostolicam vacante, quod ipse prædecessor de persona dilecti filii Johannis Sanctæ Mariæ de Rambona dicti Ordinis Camerinen. Diœc. tunc ejusdem vestri Monasterii Abbatis apud dictam Sedem constituti eidem Monasterio Sanctæ Mariæ de Rambona tunc vacanti Auctoritate Apostolica providit, ipsumque illi præfecit in Abbatem; dictoque prædecessore, per eum de d. Monasterio vestro aliter non disposito, sicut Domino placuit, viam universæ carnis ingresso, Nos divina favente Clementia ad apicem summi Apostolatus assumpti ad provisionem ipsius vestri Monasterii celerem, & felicem, de qua nullus præter Romanum Pontificem ea in re se intromittere potuerat, neque . . . . . reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne Monasterium ipsum longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis & solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem vestro Monasterio personam utilem, & etiam fructuosam cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum Filium Butium Abbatem dicti vestri Monasterii, tunc Priorem Prioratus Insulæ Tremitanæ Ordinis Cistercienſis Termisin. Diœcesis Ordinem ipsum expresse professum, & in Sacerdotio constitutum, cum de religionis zelo, litterarum scientia, vitæ munditia, honestate morum, & aliis multiplicium virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis de persona ipsius Butii Nobis, & eisdem Fratribus ob dictorum suorum exigentiam meritorum accepta, non obstantibus, quod dicti Ordinis Cisterc. professor extitit, & quod in d. vestro Monasterio alterius coloris & formæ regularis habitus, quam in præfato Prioratu geritur & habetur, eidem vestro Monasterio de dictor. fratrum consilio authoritate Apostolica providimus, ipsumque illi præfecimus in Abbatem, curam & administrationem ipsius vestri Monasterii in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus suos, præfatum vestrum Monasterium per ipsius Butii Abbatis circumspectionis industriam & studium fructuosum regetur utiliter & prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod d. Butius Abbas ex tunc illum gestaret habitum, qui in d. vestro Monasterio geritur & habetur, & illius institutis regularibus se conformaret, & quod solitus Monachorum & ministrorum numerus in eodem vestro Monasterio nullatenus minuatur. Quocirca dilectioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem Butium Abbatem tamquam patrem, & pastorem animarum vestrarum grate admittentes honore, ac exhibentes sibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ejus salubria monita & mandata suscipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam, quam idem Abbas rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. Romæ apud S. Petrum XV. Kal. Martii Pontificatus nostri anno secundo.

Thomas de Zobannis.

Raymundus anno 1395. jam e vivis excesserat, cum illi suffectus est

Raymundi obitus.

LUDOVICUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XX.

Ludovicus Bonitus

E nobilissima familia Bonita, aliis Boneta, quæ Neapoli dignitatibus, amplissimisque muneribus floruit. Ejus parentes Scalarum incolæ & cives in Picentinis; ipse tamen Agrigenti in Sicilia natus humaniores literas, bonasque artes celerrime edidicit, & utriusque juris, civilis atque canonici, doctor declaratus fuit admodum adolescens. Neque obfuit ætas, quin paullo post ob excellens ingenium, & ingentem doctrinæ copiam ad Panormitanum Archiepiscopatum eveheretur an. 1383. pallio donatus ab Urbano VI. Octo fere annos eam Ecclesiam gubernavit; cum inde pulsus an. 1391. a Martino Siciliæ rege, qui Panormum occupaverat armorum vi, Romam aufugit ad Bonifacium IX. Pontificem, a quo & humaniter exceptus, & perhonorificis officiis decoratus se suamque virtutem, ac in rebus gerendis sagacitatem, prudentiamque omnibus probavit. Rocchus Pirrus in Sicilia Sacra scribit, Ludovicum post quartum sui exilii annum rediisse Panormum; sed vero propius est, anno 1395. & regimen, & titulum Panormitani Archiepiscopatus ab eo fuisse dimissum, quo etiam anno Eccle-

primum Archiep. Panormitanus,

deinde Antibarensis an. 1395.

siam Antibarensem sibi a Pontifice traditam accepit, ut refert Ciacconius in Tomo 2. de vitis Pontif. & Card. pag. 767. Nam & Antibarensem fuisse Archiepiscopum pluribus Scriptorum monumentis constat, & in unum annum, alterumve differre non licet Panormitani cum Antibarensi Archiepiscopatu commutationem; quippe insequenti anno 1396. Marinus hoc nomine II. jam Sedem illam Archiepiscopalem conscenderat, & quidem ipso Januario mense. Igitur Ludovicus post paucos fere menses se ab hac Ecclesia abdicavit, & Pontificis jussu Thessalonicensem adivit XI. Kal. Junii ejusdem anni, qua etiam dimissa, Bergomensis deinde, mox Pisanus, denique Tarentinus Antistes renunciatus est. Pro Innocentio VII. legationem obivit apud Ladislaum Apuliæ regem; unde regrediens ad Gregorium XII., qui Innocentio in Pontificatum successerat, ab ipso Cardinalis dignitatem & insignia Senis obtinuit XIV. Kal. Octobris an. 1408., ejusque partis fautor & defensor extitit adversus Schismaticorum factiones, quibus Ecclesia diu multumque jactabatur. Cum vero Constantiam pergeret ad generale Concilium, quod illic fuerat indictum pro rei Christianæ incolumitate ac pace, substitit Arimini, ut Gregorium Pontificem officii caussa inviseret. At ibi febri correptus paucis post diebus vitam

Ecclesiam hanc paullo post dimisit.

Obiit an. 1413.

finiit Idibus Septembris anni 1413., magnifico funere elatus, ornatusque publico elogio a B. Joanne Dominici Cardinali & Archiepiscopo Ragusino, qui Arimini degens Gregorii partes cum Ludovico sequebatur, ac nobili sepultura in Ecclesia S. Francisci. De Antibarensi Ludovici Archiepiscopatu dubitare non sinunt Ciacconius superius laudatus, tum Ughellius in Tomo 3. Italiæ Sacræ inter Pisanos Archiepiscopos, Antoninus Mongitorius in Tom. 2. Bibl. Siculæ, qui Panormum patriam Ludovico attribuit, & Lequienius Tom. 3. Orient. Christ., ubi Antistites Thessalonicenses Latini dogmatis & ritus enumerat; sed inscriptio in primis illa, quæ in principe templo Amalphitano extat marmori incisa, quæque omnino hic a nobis subjicienda est.

Ejus Cenotaphii inscriptio.

Ludovico Boneto S. R. E. Cardinali
Inclita Progenie Conspicuo
Panormitanæ Antibarensis Thessalonicensis
Bergomensis Pisanæ ac Tarent. Eccles.
Antistiti
Ab Innocentio VII. Neapolim Legato
Ad Ladislavum Regem Misso
A Gregorio XII. Legatione Obita
In Purpuratorum Patrum Collegio
Cooptato
Arimini Vita Functo A. MCCCCXIII.
Idibus Septembris
A Cardinali Ragusino funebri Oratione Laudato
Marmoreo Tumulo ibidem in Ecclesia
Sancti Francisci
Quiescenti Gentiles ejus
P. P.

MARINUS II. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXI.

Marini Archiep. electio an. 1396.

Anno 1396. a Bonifacio IX. huic Ecclesiæ præpositus, & eodem anno *die 24. Januarii obligavit se pro communi servitio soluturum Floren.* 80. T. 48. Obl. pag. 16. t. Sub Innocentio VII. adhuc suam Ecclesiam regebat, cum ille ad Pontificatum Ecclesiæ universalis evectus est, & ad annum 1420. Episcopatum perduxit; quo demum e vita decessit Ragusii, ubi quatuor ante annos Sodalitati Sacerdotum in Æde Metropolitana institutæ nomen dederat. Extat testamentum ab eo confectum, cum prope jam moreretur; cujus exemplar hic subjicio *ex lib. Testamen. publicæ Notariæ Rhacusinæ* descriptum.

obitus an. 1420. & testamentum.

In Christi nomine. Amen. 1420. *die* 12. *Januarii. Nos Marinus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Antibarensis, & Diocleensis existentes infirmi corpore in decrepita etate Ragusii fecimus ultimam meam voluntatem ac ultimum testamentum. In primis volumus & consequenter ordinamus, quod dentur pro decimis & primitiis unus ducatus. Item volumus quod Venerab. Presbyteri, qui portabunt corpus meum ad sepeliendum, habeant singuli grossos 6. sepultus cum honore. Volumus quod D.D. Canonici habeant Pontificale meum, & Fraternitas Presbyterorum, qui fecerint me sepelire in loco honesto, habeant yperperos 12. & Crucem meam. Item volumus quod Iconia nostra ponatur supra ubi sunt Reliquie in Ecclesia S. Marie. Item volumus quod detur Presbytero Parvo Vasculum, quo tenetur Crisma & oleo sancto. Item volumus quod detur V. Abbati S. Jacobi de Viscniza una mea clamis de baratino. & similiter Caputeus, ut ipse Abbas teneatur dicere Missas ordinatas S. Gregorii pro anima mea. Item volumus quod dentur Presbytero Jobanni de Dulcigno una nostra tunica sebura, & una gonella, & unus Caputeus, ut debeat dicere Missas S. Gregorii, & ut roget Deum pro anima nostra. Item volumus quod dentur Clerico Andree famulo nostro una Capscia, & unus pulcrus superpeliceus, & aliqui libri, qui sunt in ipsa d. Capscia, & lectum, & ducati 3. que omnia sibi assignavi in vita nostra, pro quibus rebus teneatur Deum orare pro anima nostra. Item volumus detur Psalterium meum Monasterio Sancte Marie de Castello, Item volo quod detur Matheo de Bizia meum Messale, si ipse voluerit solvere yperperos 10. pro tracta pro anima mea. De aliis rebus, que invenientur, vendantur, & dentur pro anima nostra. Sunt tres annulos, volo quod habeat Decussa unum, & Nicholetta alterum, & Catherina suarum filiarum quod habeat tertium; & quartum est argenteum detur Cristoforo. Item volumus & ordinamus nostros Procuratores & Epitropes generales in hujusmodi, & in omnibus aliis rebus utcumque nobis spectantibus. Vener. Viros & Dominos Mattheum de Georgio, & Mattheum de Ragnina Canonicos Ecclesie Ragusi-*

ne,

Digitized by Google

ne, & Presbyterum Joannem de Dulcigneo, & Presbyterum Matthæum Parvulum. Totum fiat ad voluntatem. De hac autem . . . . .

Desunt cætera; & hæc præterea subduntur; *Testator obiit & traditus fuit sepulture 17. Januarii* 1420. *Tracta est sodalitiorum, sive Confraternitatum ad exequias convocatio.*

interregnum Archiepiscopale.

Post ejus obitum Interregnum Archiepiscopale tres circiter annos tenuit, & administratio Ecclesiæ Antibarensis commendata fuit Petro Episcopo Suaciensi, quam deposuit anno 1423. cum Petrus Spanus post rescissam electionem Joannis de Balzam creatus fuit Archiepiscopus Antibarensis. Extat diploma Martini V. in Archiv. Bullar. Tom. 2. pag. 252. *Dat. anno* v. *Pontificatus* ejusdem, idest 1422. quo Pontifex confirmat Alexandri II. decretum, & quas hic tribuerat Ecclesias Metropoli Antibarensi, illæ quoque subjectas esse jubet. In libro quodam manu exarato, qui penes Stephanum Madinum Buduensem erat, legitur, a Consilio Antibarensium, cui Dynasta Zentæ præsidebat, statutum fuisse cunctis suffragiis, ut civitas Antibarensis suis omnino legibus utatur, quibus tota urbis administratio ante regebatur, quam Stephanus Tuartkus Bosinæ Rasciæque rex Zentam occuparet, & Antibarim in suam potestatem redegisset. Cum enim anno 1417. Idibus Juliis Masarachius quidam Zentæ Præfectus de civili immutando regimine sententiam tulisset, inspecto legum Antibarensium volumine, & civium voluntate perspecta, rem illorum permisit arbitrio, utque more institutoque majorum viverent, libere concessit. Decretum in hæc verba factum,

MCCCCXVII. die 15. Julii. In Christi gratia, omnibus notum esto; cum Stephanus Rasciæ Dominus in hæc loca adveniens Zenta potitus esset, Masarachium virum sibi subjectum præfecit urbibus suæ ditionis, totique Zentæ, quas juxta novi Domini leges, & locorum instituta recte gubernaret. Masarachius vero die superius inscripto conventum egit cum nobilibus viris Antibarensibus in Ecclesia S. Georgii, ut civitas Antibarensis novam legum formam acciperet, & sub Stephani imperio æquo ac pacifico jure regeretur. Cumque is, cæteriqua omnes jus integrum Antibarense spectassent, uno consensu decreverunt, ut eodem jure judicia fiant, & æquitas regnet ec.

JOANNES VI. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXII.

Joannes VI. Archiep. Antibar. an. 1420.

Canonicus Antibarensis, electus a collegio Canonicorum, & approbatus a Martino V. anno 1420. ut est in tabulis Consistorialibus: XII. *Kal. Aprilis. Provisum est Ecclesiæ Antibaren. & Diocleat. in Albania vacanti per mortem de persona Joannis Balzam Canonici, & electi.* Eodem anno, 7. *junii obligavit florenos* 80. Tom. 58. Oblig. pag. 116., & eidem Joanni petenti confirmavit privilegium ab Alexandro II. concessum Petro Antibarensi Archiepiscopo. Verum postea nescio quid vitii canonici vel in ejus electione, vel in ejus persona compertum fuit; quam ob caussam & electionem rescindi, & Pontificatum illi traditum abrogari oportuit. Ita enim scriptum reperio in Actis Consistorialibus: *Die Dominica, sexta Decembris anno Domini* 1422. *D. Cardinalis S. Marci rediens de balneis intravit Romam; & sic sunt undecim Cardinales præsentes. In nomine Domini Amen. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, per hanc definitivam sententiam, quam ferimus his scriptis, irritamus & annullamus electionem, & provisionem factas de persona Joannis Balzam ad Eccl. Antibarensem; & eas irritas & nullas auctoritate Apostolica pronunciamus, decernimus, declaramus; insuper Joannem Balzam ab exercitio Pontificalis officii, & administratione dictæ Ecclesiæ Antibarensis penitus amovemus.* Hic animadvertere lubet, Joannem hunc & *Basant* & *Balzam* in nostris schedis cognominari; sed *Balzam* potius retinendum censeo; & verisimile putamus fuisse illum e gente Balsa progenitum, quæ tum in Zenta dominabatur opibus & viribus potentissima; quæque, ejurato schismate an. 1368. catholicæ religionis dogmata publice professa jam fuerat; ut dicemus in Petro II. Episcopo Svaciensi. Interea administratio bonorum Antibarensis Ecclesiæ tradita fuit a Martino V. Petro Svaciensi itidem Antistiti hoc nomine IV., de quo in Episcopis Svaciensibus.

biennio post e dignitate deponitur.

Scriptores quidam Vicetini, Barbaranus scilicet lib. 4. suæ Hist., & auctor operis *de viris illustribus Vicetinis*, hic & ad annum 1421. nominant Antibarensem Antistitem Franciscum quemdam cognomine Tempestam e pago Marosticensi agri Vicetini, poeseos laude præclarum; idemque Archiepiscopus Antibarensis, & Serbliæ Primas dicitur in monumentis Marosticensibus manu descriptis. At neque hoc anno 1421. potuit Franciscus Archiepiscopatum Antibarensem adipisci, quem adhuc Joannes tenebat, nec post annum 1422., cum Joanni illico suffectus fuerit Petrus in Sedem Antibarensem. Quare vel nominatus tantummodo Archiepiscopus, vel etiam electus titulum vulgo retinuit, nunquam vero hanc Ecclesiam adeptus est; & e Catalogo nostrorum Antistitum merito videtur expungendus.

PETRUS II. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXIII.

Petrus II. Archiep. electus an. 1423.

Erat Canonicus Ecclesiæ Drivastensis cognomento Spanus ex illustri genere Spanorum, qui opibus copiisque in Albania florebant. Hunc Martinus V. ad Sedem Archiepiscopalem evexit, ut est in tabulis Consistorialibus: 19. *Januarii* 1423. *providit de persona D. Petri Span, Canonici Ecclesiæ Drivastensis, Ecclesiæ Antibarensi vacanti per declarationem factam per Dominum nostrum ec.*, de qua supra ex Actis Consistoria-

rialibus; ac die Martii vicesima nona ejusdem anni munus Archiepiscopale jam iniisse videtur ex *Matricula Sodalitii S. Antonii Abb. olim S. Salvatoris* in urbe Ragusiensi; ibi enim sodales testantur, se domum quamdam emisse *a Domino Petrosano Spano Archiepiscopo Antibarensi, ut in Cancellaria*, Ragusina, 1423. *die 29. Martii*. His & superioribus temporibus tum ea pars Dalmatiæ & Epiri novæ, quæ Albania vocatur, tum Serblia & Rascia bellis civilibus & barbaricis ardebant. Nam post regnum Rascianum exstinctum Proceres & Dynastæ illarum regionum, ut diximus, arma sumpserant; &, quamvis inter se discordes, alii seorsum ab aliis suam quisque rem gererent, omnes tamen, veluti quadam conjuratione facta, ad vastissimum illud regnum dilacerandum conspirasse videbantur; dum alii alias provincias invadebant, vastabant, rapiebant; nec vero per hosce annos a præliis cessatum est; quippe semper in armis erant, ut, vel quas ceperant, regiones tuerentur, vel alienas occuparent. Turcæ autem ex illorum dissidiis occasionem nacti barbaricæ dominationis ac tyrannidis amplificandæ ingentibus copiis collectis in Serbliam & Albaniam irruebant, & nunc hos, nunc illos adorti vel civitatibus, oppidis, agrisque spoliabant, vel tributarios sibi faciebant; quinimo ipsi Principes Serbliani, ut se ab hostibus defenderent, auxilia sibi a Turcis accersebant. Balsichii inter Proceres Serbliæ admodum illustres a tenui & exigua fortuna magnas in opes creverant. Balsa auctor & princeps hujus familiæ mediocriter ab re domestica instructus, sed excellenti ingenio excelsoque animo præditus in aula Urosii postremi e stirpe Neemanica regis honoribus auctus & cumulatus fuit. Mortuo Urosio, itemque Ucascino, qui regnum invaserat, cum cæteri Serbliani Dynastæ provincias imperii Rasciani alias alii occuparent, Balsa cum tribus filiis Strascimiro, Georgio & Balsa Zentam in suam potestatem redegit. Zenta regio est Dalmatiæ superioris extrema, bifariam divisa; quæ pars in septemtrionem spectat, *Superior*, quæ ad meridiem vergit, *Zenta inferior* nominatur, cujus civitas primaria est Scodra assidens ad fauces lacus Labeatum. Ad Zentam pertinet, aut certe prope ab ejus finibus in meridiem & occasum obversis sita est Antibaris; quæ loca paullo ante Stephanus Tuartkus rex Bosinæ occupaverat. Utramque itaque urbem Balsichii obtinebant, qui cum Dynastis finitimis alias secundo, alias adverso marte assidua bella gesserunt, & imperium in Epirum usque novam amplificarunt. Balsa II. natu minimus Dyrrhachium cepit; sed paullo post a Turcis victus cæsusque vitam & principatum amisit anno 1384., eique successit Georgius II. filius Strascimiri; quo imperante territorium Antibaris, Scodræ, & Dulchinii Turcæ fœdum in modum vastarunt anno 1386. Cum Turcarum potentia in dies auctior fieret, ac formidolosior, Antibarenses, qui jampridem ad Venetorum auxilia spectabant, auctores fuerunt Georgio II. Balsæ, ut se, urbem, suaque omnia in fidem & clientelam Venetorum conferrent, qui plura jam loca Balsis erepta possidebant. Hujus mater Venetias profecta filium, ejusque urbes ac populos Duci & Senatui commendavit, ut est in Chronico Joannis Bembi: *MCCCCIX. XXI. julii accessit Venetias Domina . . . . mater Balsæ* (Georgii II.), *qui fuerat Dominus multorum locorum in Albania, quæ venerat commendatum filium suum Dominio; quod Dominium multa loca filii sui tenebat; cui Dominæ multi honores exhibiti*, Georgio II. successit Balsa ejus filius, tertius hoc nomine, qui a fide ac tutela Venetorum descivit; iisque Scodram, & cætera loca eripuit, quæ parens Venetis clientelæ caussa tradiderat. Hanc injuriam armis ulti sunt Veneti; & Balsa multiplici clade fractus & debilitatus necesse habuit inducias ab illis suppliciter postulare; quas cum impetrasset, in Rasciam ad Stephanum avunculum suum regulum Serbliæ auxilii petendi caussa se contulit; sed paucis post diebus mortuus est, quo exstincto nomen & genus Balsichium prorsus interiit. De hujus morte statim atque nuncius pervenit, Antibarenses & Pastrovichii, qui pagus est mari adjacens, oppidis vicisque sane frequentibus habitatus, voluntaria deditione ad imperium Venetorum transierunt, quos Franciscus Foscarus Dux, & Senatus æquissimis conditionibus recepit, & amplissimis privilegiis donavit. Sed Balsa moriens hæredem utriusque Zentæ, ac totius avitæ ditionis testamento reliquit Stephanum avunculum suum Despotam Serbliæ. Hic filius erat Lazari Brancovitzii, qui post dissectum regnum Rascianum primus Serbliæ Despotes appellatus fuit. Despinam Lazari filiam, & sororem Stephani Georgius II. Balsa in matrimonium duxit, ex qua Balsam III. genuit. Hujus igitur hæres Stephanus Antibarim, Zentam utramque, cæteraque Albaniæ loca Venetis ademit. Sed paullo post, cum sine liberis obiisset, quam a Balsa III. acceperat, hæreditatem transtulit in Georgium alterius sororis suæ Mariæ filium, quæ Ulco Brancovitzio nupserat; pro qua retinenda Georgius Brancovitzius cum Venetis plura prælia vario marte conseruit. Hic ditionis amplificandæ cupidus alias cum Hungaris, alias cum Turcis pugnavit; & nunc ad horum, nunc ad illorum partes transibat, prout sua magis interesse putabat ab alterutris contra alteros stans. Dum ergo longinquis bellis implicitus, curaque distentus imperii in alias ex aliis provinciis proferendi plerumque longe aberat, Veneti occasionem nacti ex ejus absentia & sollicitudine rerum majorum gerendarum, & acquirendarum, Antibarenses cum Pastrovichiis volentes libentesque ad suum imperium adjiciunt. Ita post varios casus, & multas contentiones Antibarim certa, stabili, ac diuturna possessione adepti sunt anno circiter 1450.

Serbliæ & Albaniæ vices tristissimæ.

& post varios eventus

Antibaris a Balsichiis occupatur,

potestati Venetorum subjicitur.

Digitized by Google

1450. Hæc ex Mauro Orbino, & Scriptoribus Hungaris Græcisque breviter & summatim exponi oportuit, ut cognosci posset, quinam esset illis temporibus hoc & superiori sæculo status rei publicæ & Christianæ, quamque difficilis fuerit Archiepiscopis, & laboriosa & plena curarum administratio Ecclesiæ Antibarensis, ut mirum esse non debeat, si rerum ab illis gestarum memoria inter bellicos tumultus, clades, direptiones, incendia perierit.

In hac igitur tanta conversione rerum, ac perturbatione, & communium temporum motu Petrus huic Metropoli præfuit; ex quo conjici velim, quantum vigilantiæ, sollicitudinis sollertiæque ad gregem sibi creditum tuendum solandumque impendere necesse habuerit. Cum primum urbs a Venetis recepta fuit voluntaria Georgii II. Balsæ in eorum fidem deditione, Antibarenses gravissimo Ecclesiarum damno permoti, quarum bona, fundosque pessime distrahi, vendi, atque oppignerari videbant, pio sapientique decreto cavendum publice censuerunt, ne quidquam in posterum e rebus, agrisque, & possessionibus quarumcunque aut in urbe, aut in diœcesi ecclesiarum abalienare liceret, nisi tantummodo in iis reficiendis, vel exstruendis sumptus deessent necessarii: atque eorum consilium in primis favit, suoque suffragio probavit Petrus Archiepiscopus; uti ex ipsis decreti verbis perspicue patet.

Duo Antibarensium decreta de rebus ecclesiasticis.

MCCCCXXVIII. Ind. VI. die XX. mensis Aprilis. Nos Laurentius Petri Samuelis, Laurentius Blasii Rugii, & Joannes Joannis Samuelis tres simul Judices jurati civitatis Antibarensis cum minori & majori consilio ad signum æris campani in unum collecti in ecclesia S. Petri, in honorem D. Marci unanimi omnes contensione, & lubentissima voluntate Rev. in Christo Patris D. Petri Spano Dei gratia Archiepiscopi Antibarensis volumus, ac decernimus, ne quis Rector Ecclesiarum, quæ subsunt Antibarensi diœcesi, neque Canonicorum, aliorumve Presbyterorum, seu Ecclesiarum collegia deinceps, & ullo unquam tempore, & quamvis ob caussam possint suarum Ecclesiarum bona abalienare, vendere, donare, oppignerare, permutare. Quod si eædem Ecclesiæ aut refici, aut exstrui necessario debeant, tum Ecclesia quæque e suis bonis tantum vendat, aut det pignori, quantum hisce operibus satis omnino fuerit, judicum tamen, atque Archiepiscopi licentia ac voluntate; alioqui invita sunto omnia, & habentor.

Hæc ex Italico in latinum sermonem convertimus, uti & aliud decretum, quod anno post Consilium Antibarense promulgavit; saluberrimum illud quidem ad compescendum civium ambitum, siqui inordinate Antibarensem Archiepiscopatum appeterent; & est hujusmodi,

MCCCCXXVIIII. ind. VII. die . . . m. ap. Nos Theodorus Britius, Joannes Petri, & Marinus Blasii Rugii tres simul Judices jurati civitatis Antibarensis cum consilio toto minori & majori ad signum æris campani collecti in Ecclesia S. Petri, in honorem S. Marci una omnes unanimi, lubenti plenoque consensu, certaque rei cognitione firmiter decrevimus pro civitatis nostræ bono, pro offensionibus tollendis, & civili pace, dilectione, & animorum consensione seruanda, volumusque, atque jubemus, nequis civium nostrorum ullo in posterum tempore, neque intra urbem, neque extra, non principum favore, non Pontificis gratia, non Præfecti urbis electione, prensando, aut circumeundo Archiepiscopatum nostræ civitatis ambiat, nulloque modo, ut sibi hæc dignitas ut conferatur, curet. Et siquis decreto huic nostro non obtemperasse deprehenditur, quingentis aureis pœnam luet Principi nostro. Sin hic aut rejiciat mulctam, aut depellat, eadem Communi nostro solvatur. Quisquis vero compertus fuerit legitimis testibus, opem, operamque suam in hujusmodi facta consulisse, illi eadem quingentorum aureorum pœna eodem modo irrogetur, quam, si Princeps remittat aut recuset, Communi nostro persolvet.

Non defuere tamen Petro Archiepiscopo inter sui muneris labores, incommoda & pericula, qui egregiam operam illi navarent pro sui gregis defensione, atque salute; & plurimum opis præsidiique præbuit Antibarensi provinciæ flagrans studium, assiduique labores Dominicanæ familiæ, cujus alumni per ea loca religione ac doctrina præcipue florebant. Quare Eugenius IV. Pontifex anno 1438. suis literis impense illos commendavit Archiepiscopis & Episcopis totique Clero utriusque Provinciæ Antibarensis, ac Dyrrhachiensis, utque sedulo charitatis officio eosdem sustentent, tueantur, atque foveant, hortatur.

Litteræ Eugenii IV. pro Patribus Dominicanis in Albania, & Serblia degentibus.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Prælatis, necnon Clero, & populo in Duracen. Albanen. Cunanien. Polaten. Rascia, & Serina (Serblia) *Provinciis constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Licet supra vires arduis mens nostra jugiter occupata negotiis, & curis existat præpedita diversis, inter ceteras tamen sollicitudines nostras ad illud suspiramus ardentius, illudque in solidæ caritatis ardore lacrymis jugiter devotionis exposcimus, ut Salvator noster suam sanctam universalem Ecclesiam, toto terrarum orbe diffusam, in unitate perfecta dignetur sua miseratione servare, populosque sui pretiosi sanguinis aspersione redemptos, præcipue ab ipsius Ecclesiæ unitate divisos, per lubrica vagantes, & devia, ad semitam pacis, & ecclesiasticæ unitatis adducere; & cum Nobis licet immeritis, universorum Christi fidelium sit cura commissa, prout tenemur, & cogimur, totis nisibus, totisque desideriis, & affectibus insistentes solertissime procuramus, viros persæpe vita, & sanctitate probatos, ac sacrarum religionum sanctimonia dedica-

Digitized by Google

dicatos ad spargendum semina Verbi Dei pro lucrifaciendo nostro animas Redemptori per orbem circumcirca transmittere, ac errantes oves ad Domini caulam reducere, & sub uno Pastore Jesu Christo Domino nostro fidelibus obsequiis in sancta conversatione fundare. Ac propterea nonnulli viri hujusmodi conversationis, & vitæ videlicet, ex dilectis filiis Fratribus Ordinis Prædicatorum, tam in Dalmatia, quam Duracen., & aliis Provinciis, pro reductione, & doctrina populorum hujusmodi, per Priores, & alios Superiores Prælatos Ordinis ejusdem, quibus a Sede Apostolica est hujusmodi prædicationis cura commissa, mittuntur, qui licet sunt in voluntaria paupertate, & vitæ austeritate devotissime constituti, indigent tamen locis, & mansionibus, ubi possint quandoque post labores perpessos in Domino recreari, quas cum ex se non habeant, Fraternitates, & caritates vestras in Domino requirimus, & hortamur, per Apostolica vobis nihilominus scripta mandantes, quatenus eosdem Fratres ad officium prædicationis hujusmodi transmittendos, cum ad provincias, civitates, terras, castra, villas, & alia loca vestra pervenerint, pio recipientes, admittentes, & pertractantes affectu, verba vitæ & salutaris prædicationis hujusmodi, quæ coram vestra devotione duxerint proponenda, ita devota attentione, & sinceris cordibus admittatis, ut errantibus, ac deviis populis hujusmodi, ad salutares, & uberes fructus reductionis accrescant, ac cooperante Altissimo populi hujusmodi ad viam veritatis aspirent, & salus ipsorum; prout in Domino cupimus, ex ministerio legationis, & prædicationis Fratrum eorumdem perveniat animarum, vosque perinde nostram, & Sedis Apostolicæ benedictionem & gratiam uberem consequi valeatis. Dat. Ferrariæ Anno Incarnat. Dom. 1438. 18. Kal. Januar. Pontificatus nostri Anno VIII.

Iisdem chronologicis notis datæ sunt ejusdem Pontificis literæ, queis privilegia a Benedicto XI. concessa Patribus Dominicanis in Albania commorantibus confirmat & auget. Harum initium est; *Ex providentia Sedis Apostolicæ &c.* tum Benedicti diploma subjicitur a nobis jam prolatum in Marino Archiepiscopo Antibarensi; ac persequitur Pontifex: *Nos itaque hujusmodi Prioris Provinciæ Dalmatiæ supplicationibus inclinati, literas præfatas tenore præsentium innovamus ec. Volumus etiam, & præsentium tenore concedimus, quod privilegia, facultates, & indulta hujusmodi ad Serviæ,* (Serbliæ) *& Rasciæ Provincias etiam se extendant &c. Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Octavo, decimo octavo Kal. Jan., Pontificatus nostri Anno octavo.* Insequenti anno alias Eugenius literas scripsit in eamdem sententiam. Cum vero post biennium Nicolaus de Sancto Severino Dominicani instituti assecla in Serbliam, & Albaniam ad Apostolica peragenda munera mitteretur, rursum Pontifex suas literas dedit pro Nicolao, ejusque sociis, ac adjutoribus commendatitias ad eosdem, ac in superioribus, Antistites, & nominatim ad Archiepiscopum Antibarensem, & amplissimis tum veterum Pontificum, tum suis favoribus & gratiis sanctissimos viros iterum cumulavit.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Duracen., & Antibaren. Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis aliarum Ecclesiarum Prælatis, necnon Clero, & populo in Duracen. Antibaren. Albanen. Cunavien. Polaten. Rascia, & Serina (Serblia) *Provinciis, & Diœcesibus constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

Licet supra vires &c. Antibaren. ac aliis Provinciis pro reductione, & doctrina populorum hujusmodi per Priorem Provincialem provinciæ Dalmatiæ, vel Priorem Conventus Domus Duracen. vel alios Superiores Prælatos Ordinis ejusdem, quibus &c. hortamur, per Apostolica vobis nihilominus scripta mandantes, quatenus tam dilectum filium Nicolaum de Sancto Severino, dicti Ordinis Professorem, & in Sacra Theologia Magistrum, asserentem se ad hujusmodi prædicationis officium per præfactum Priorem provinciæ Dalmatiæ jampridem deputatum, quam & deinde alios dicti Ordinis Fratres idoneos ab eodem Magistro Nicolao successivis temporibus ad hoc deputandos, & transmittendos, cum &c. verba vitæ, & salutaris prædicationis hujusmodi, quæ & juxta continentiam literarum felicis recordationis Innocentii IV., & Alexandri IV., & Benedicti XI. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum per nostras literas, cum quadam extensione innovatarum, coram vestra devotione duxerint proponenda &c. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1441. 7. *Id. Septemb., Pontificatus nostri Anno* XI.

Alias literas ad Petrum misit Eugenius anno 1444. v. Kal. Junias, quibus Stephanum Ducaginum electum Daynensem & Sardensem Episcopum ei commendat, utque in regendis iis Ecclesiis juvet, atque tueatur, quo Metropolitam decet, omni officii ac caritatis studio.

Petrus annos amplius viginti Pontificatum gessit his, quas diximus, difficultatibus curisque agitatum atque exercitum; quinque annos posteriores sub tranquillo felicique dominatu Venetorum summa cum quiete, nec minori plebis Christianæ utilitate, & magno religionis ac pietatis incremento transegit. Quo tempore & anno 1445. comperio Paganinum Olciniensem Episcopum destinatum fuisse ab Eugenio IV. Nuntium Apostolicum uti ad alias Dalmatiæ, ita ad provinciam Antibarensem, qui ecclesiasticas solutiones pro Ecclesia Romana exciperet; de quo in Episcopis Olciniensibus. Anno 1448. plurimis maximisque laboribus confectus, ut procul curis omnibus & negotiis Deo ac sibi vacaret, Ecclesiæ Antibarensi nuntium remisit.

Petrus Archiepiscopatu se abdicat.

In

Digitized by Google

Scanderbegi egregia pro religione facinora.

In Epiro, sive Albania Christianam rem ea tempestate sustentabat Georgius Castriotus, cui, apud Turcas captivus cum esset admodum puer, rituque Machometico circumcisus, impositum fuit nomen *Scanderbegi* ex duobus vocabulis conflatum, id est *Scander*, quod idem atque *Alexander*, & *Begus*, quod idem ac *Dominus* apud Turcas valet. Hic ab Amurathe, cui obses ab Joanne parente traditus egregiam in bellis operam navaverat, cum descivisset, paterna ditione cum urbe Croja recepta, ingruentes cum immensis copiis reges Turcarum parva manu superavit, & quamdiu vixit, Turcarum terror, & Epiri propugnator fuit. Anno 1445. mœrorem cladis Varnensis a Turcis acceptæ sua virtute abstersit; plura siquidem Turcarum millia VII. Id. Octobris ex insidiis adortus exiguis copiis partim cecidit, partim cepit, partim in fugam avertit. Hæc & longe illustrior superioris anni victoria totam Europam fama illius nominis & virtutis adeo implevit, ut suos ad eum Eugenius IV., suos itidem Alphonsus rex Neapolis legatos mitterent, qui utramque victoriam eidem gratularentur. Hanc honorificam legationem Scanderbegus Crojæ, quæ civitas erat ejus principatus primaria, magnifico & regio apparatu accepit. Ad celebrationem hujus pompæ & magnificentiæ augendam ornandamque Petrum Archiepiscopum cum Metropolita Dyrrhachiensi interesse voluit, ut Joannes Maria Biemmus in historia Italica Georgii Castrioti tradit ex Anonymo Antibarensi auctore pervetusto & synchrono, qui res gestas Scanderbegi literis mandavit.

ANDREAS II. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXIV.

Andreas Archiep. an. 1448. ex Bulla Nicolai V.

Cognomento *de Mule*, quem ex Ordine Franciscano assumptum Nicolaus V. anno 1448. Archiepiscopum Metropoli Antibarensi præfecit, ut docet diploma Pontificium.

Dilecto filio Andreæ &c. Divina disponente clementia &c. Dudum siquidem provisiones omnium Cathedralium, etiam Metropolitanarum Ecclesiarum &c. Cum itaque postmodum Ecclesia Antibarensis, ex eo quod Ven. Frater noster, in Ecclesia Episcopus, nuper Antibarensis Archiepiscopus, hodie regimini, & administrationi ipsius Ecclesiæ, per Vener. Fratrem nostrum Gabrielem Episcopum Methonen. procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte, & libere cessit, nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, vacaverit, & vacet ad præsens; nos ad provisionem &c. Demum te &c. Dat. Romæ ap. S. Petrum XIII. *Calen. Maji, anno 2. Incarn.* 1448.

De Andrea in tabulis Romanis videlicet *Tom. 72. Provis. pag. 32. Anno* 1448. *die Veneris* 14. *Kalen. Maji SS. D. N. admisit resignationem de Ecclesia Antibaren., & providit eidem de persona F. Andreæ Ord. Min. reservando pensionem* 60. *floren.* Iterum *Diversorum Cameræ Tom. 26. pag. 73. t. Anno* 1448. 5. *Maji Andreas consecratus fuit in Ecclesia B. M. de Aracæli a Nicolao Episc. Balneoregien.*, assistentibus *Antonio Eugubino, & Cornelio . . . Epis.* Auctor Viridarii Seraphici vix ad annum Andreæ Pontificatum perduxit, cui anno 1449. suffectum fuisse scribit Laurentium ex eadem Franciscana familia; & in Tomo 76. Obl. pag. 17. his verbis: *Anno* 1448. *Andreas electus Antibaren. personaliter obtulit flor.* 80., in margine adponitur alia manu, *solvit & mortuus est*. Cæterum ex eodem Tomo pag. 171. ad annum usque 1459. vitam protraxisse intelligitur; *idem anno* 1459. *Romæ degebat*. Habeo ex tabulario Veneti Monasterii S. Hieronymi literas Ludovici Cardinalis Camerarii datas an. 1450. quibus concedit Andreæ, ut solutionem ab illo Cameræ Apostolicæ debitam in qninquennium differat, easque hic exscribo.

Litteræ Ludovici Card. Camer. ad eumdem.

Universis presentes literas inspecturis. Ludovicus miseratione divina tt. S. Laurentii in Damaso Sacresancte Romane Ecclesie Presb. Cardinalis D. Pp. Camerarius Salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus per presentes quod nos Rev. in Christo Patrem D. Andream Dei gratia Archiepiscopum Antibaren & Dioclen. ab excommunicationis sententia ac aliis penis & sententiis, quas incurrit propter non solutionem sui communis, necnon minutorum servitiorum, in quibus ratione provisionis de sua persona Antibaren. & Dioclen. insimul unitis Ecclesiis facte, Camere Apostolice sub certis penis & sententiis tenetur efficaciter obligatus, factam penitus duximus absolvendum & absolvimus; secum super irregularitate, si quam forte contraxit celebrando divinum, vel immiscendo se illi non tamen in contemptum clavium, misericerditer absolventes. Verum intellecta mole gravaminum, que ipsum D. Archiepiscopum ad solvendum commune, & minuta servitia hujusmodi, pro quibus ratione dicte provisionis sub prefatis penis & sententiis remanet ipsi Camere efficaciter obligatus, reddunt verisimiliter impotentem; igitur auctoritate nostri Cameratus officii terminum faciende solutionis hujusmodi hinc ad quinque annos proxime futuros eidem D. Archiepiscopo prorogamus, & de novo assignamus, ita tamen, quod si prefatus D. Archiepiscopus solutionem hujusmodi in dicto termino sibi de novo assignato non fecerit, penis & sententiis, quibus antea ligabatur, sit penitus obstrictus, & in eas reincidere volumus ipso facto. In quorum testimonium presentes literas fieri, sigillique nostri Cameratus officii, quo utimur, fecimus appensione muniri. Datum Rome apud S. Petrum sub anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Indictione tertiadecima, die vigesima tertia Mensis Martii, Pontificatus vero Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Nicolai divina Providentia Pape Quinti Anno quarto.

Sed & ex actis Episcopalibus Ecclesiæ Catharensis constat, Andream anno 1452. & 1454. mense Septembri Cathari Clericos plu-

res sacris Ordinibus impertitum fuisse, ac rursum anno 1455. rogatu Michaelis Urachien Vicarii Capitularis.

Cœnobium Franciscanum S. Nicolai,

Prope mœnia civitatis templum erat S. Nicolai cum exiduo domicilio, cujus curatio & præfectura uni de Clero Antibarensi presbytero commendari solebat. Hic permissu Archiepiscopi utrumque Fratribus Franciscanis tradiderat, qui Cœnobium ibidem ædificarunt sub titulo & auspiciis S. Nicolai, in eoque rite ac legitime ex præscripto sacrorum Canonum constituto ad normam disciplinæ Franciscanæ vivendi rationem exigere, nocturnæ ac diurnæ psalmodiæ, rebusque divinis operam dare cœperunt. Nicolaus V. redditus ejusdem templi & sacerdotii a Fratribus retineri, atque ad sarta tecta tuenda impendi voluit; pia itidem legata, siqua eidem Templo relicta fuerint, quorum partem dimidiam sibi Clerus Antibarensis vindicabat, omnia sine ulla diminutione adjudicavit, modo tamen eorumdem postulata, quæ ad Sedem Apostolicam detulerant, justitia & æquitate niterentur, de quo Andream Archiepiscopum inquiri jussit, hisce ad eum literis datis.

de quo literæ Nicolai V. ad Andream Archiep.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Antibarensi Salutem.

Sedis Apostolicæ &c. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum Domus S. Nicolai extra muros Civit. Antibaren. Ordinis Fratrum Minorum petitio continebat, quod licet dudum tunc Rector Capellæ & Ecclesiæ, sive Curæ S. Nicolai extra prædictos muros prædictam Ecclesiam seu Capellam nonnullis Fratribus prædicti Ordinis pro fundanda seu construenda inibi una domo ejusdem Ordinis dederat & concesserat; & postmodum Capella sive Ecclesia hujusmodi in domum ipsius Ordinis canonice erecta, seu instituta fuerit; & ex tunc Fratres in dicta domo commorantes in dicta Ecclesia seu Capella, quæ pro Ecclesia ejusdem domus deputata extitit, Missas & alia divina officia continuo celebraverint, credaturque, quod omnia & singula, præsertim de immobilibus bonis eidem Ecclesiæ pro tempore facta legata ad dictam Ecclesiam pertineant, & pertinere debeant; tamen nonnulli Presbyteri sæculares, qui non institutionis, vel collationis, vel alterius provisionis sibi de dicta Ecclesia seu Capella factæ, & cujusdam substitutionis, vel successionis vigore, hoc modo videlicet, quia unus alteri ex Presbyteris prædictis eam in morte dimisit, redditus, & proventus, jura, obventiones, emolumentaque, ac omnia legata dictæ Ecclesiæ seu Capellæ facta, de immobilibus in totum, de mobilibus vero bonis pro medietate sibi usurpaverunt, prout adhuc quidam Sacerdos usurpat. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, prædicta domus, quæ ab uno anno vel circa ad regularem ipsius Ordinis observantiam reducta extitit, in suis structuris & ædificiis reparatione non parva indigere noscatur, pro parte eorumdem Guardiani & Fratrum assentium, quod medietas legatorum de immobilibus bonis eidem Ecclesiæ factorum, quæ dictis Fratribus cedere consuevit, ad reparationem hujusmodi nullatenus sufficit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si & postquam vocatis, qui fuerint evocandi, tibi de præmissis legitime constiterit, omnia & singula legata Ecclesiæ sive Capellæ fieri contigerit, ad reparationem hujusmodi & illius, necnon prædictæ domus fabricæ commodum & utilitatem auctoritate nostra perpetuo deputare, concedere & assignare procures, contradictoribus per censuram ecclesiasticam &c. non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si prædicto Presbytero, vel quibusve aliis a prædicta Sede sit indultum, quod interdici & excommunicari &c. non possint per literas Apostolicas &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLII. XIII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno VII.

Andreas orator Romam missus a Scanderbego.

Anno 1450. post amissum Sfetigradum oppidum Albaniæ munitissimum, & Albam Græcam captam a Turcis, cum res publica in illis partibus & Christiana summo in periculo versaretur, Scanderbegus Andream Archiepiscopum ad Nicolaum V. de petendis auxiliis oratorem misit; sed cum exhaustum esset ærarium Pontificium, nihil impetrare potuit nisi litteras amantissimas, quibus illum Pontifex maximopere hortabatur, ut divino fretus auxilio, quod nunquam ei defuerat, strenue & alacriter contra hostes Christiani nominis pugnare pergeret. Ut aliquo tamen solatio pius Principis animus, & Albanorum fides ac religio refici possent, illuc insequenti anno Eugenium de Somma natione Albanum, & Ordinis Franciscani asseclam legavit, qui Pontificii Internuncii nomine, & auctoritate non Albaniæ solum, sed & Bulgariæ, & Serbliæ seu Rasciæ populos in fide, ac subjectione contineret, ac quibuscumque posset subsidiis pietatis juvaret, & adversus communem hostem efficeret fortiores. Extant literæ Nicolai apud Waddingum ad hunc annum 1451., quarum hoc initium est.

Literæ Nicolai V. ad F. Eugenium in Albania Legatum,

Dilecto filio Eugenio de Somma Ordinis Fratrum Minorum Professori, necnon ad Albaniæ, Bulgariæ, & Rassiæ partes Nuncio &c.

Dum salubria tuorum laborum studia, quæ mundanis abjectis illecebris cum additione voluntariæ paupertatis pro augmento fidei orthodoxæ impendis incessanter, etiam in ipsius fidei hostis partibus verbum Domini non absque personæ tuæ discrimine prædicando, debita consideratione pensamus, ea tibi libenter concedimus &c. in Albaniæ, Bulgariæ ac Rassiæ partibus, in quibus, proh! dolor, quamplures hæretici & penitus infideles fore noscuntur,

Digitized by Google

tur, &c. te Nuncium, ac Commissarium nostrum facimus &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno &c. MCCCCLI. XI. Kal. Octobris Pontificatus nostri anno V.

Andreas Archiepiscopus Roma reversus ad Scanderbegum, cum eo Dyrrhachium profectus est anno 1452., ibique VII. Kal. Octobris, auctore præcipue Paullo Angelo Episcopo Drivastensi, proceres Ducaginos de nefaria quadam proditione suspectos in pristinam concordiam & gratiam cum ipso Scanderbego reduxit, e quorum dissidio bellum civile imminebat, uti narrat Biemmius in Hist. Georgii Castrioti lib. 4.

et Callisti II. ad F. Marianum Senensem pro belli sacri subsidiis,

Callistus II. an. 1456. F. Marianum Senensem ex Ordine Franciscano severioris disciplinæ legatum misit per Dalmatiæ regiones, ut ex illis civitatibus ac populis pecuniam & subsidia ad bellum sacrum adversus Turcas suscipiendum gerendumque corrogaret; injunctæ legationis litteras hic summatim refero ex Waddingo.

Dilecto filio Mariano de Senis, Ordinis Minorum de Observantia Professori. Ad ea, quæ Fidei nostræ augmentum, & perfidorum Turcarum profligationem concernunt, totis deside. riis intendentes &c. tibi auctoritate Apostolica committimus &c. quod quamprimum poteris, in Provinciam Dalmatiæ, ac præcipue ad Civitatem Ragusii debeas personaliter te conferre &c. Communitates, populos & homines tujusvumque status &c. ad contribuendum huic operi sanctissimo vel pecuniarium, vel personale subsidium &c. inducas &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno &c. MCCCCLVI. XXVI. Januarii Pontificatus nostri anno II.

Sed, cum dubitatum esset, quatenus potestas Apostolica Mariano delegata protenderetur, eam ab urbe Antibarensi ad Tergestinam usque, & Chrobatiam & Istriam extendi voluit, declaravitque in alteris ad eumdem literis, iisdemque admonuit, ut, qui imbecilles ac minus apti sese sacræ militiæ obligaverant cœlestium bonorum spe, eosdem bona venia, & aliqua compensatione dimitteret.

Cum destinatus fueris in Provincia Dalmatiæ &c. quia hæsitatum est ab aliquibus, qui sint termini tuæ commissionis, declaramus, quod Provincia Dalmatiæ tibi commissa est, scilicet ab Antibari inclusive usque ad Triestem cum pertinentiis suis includendo Croatiam cum tota Istria. Quia etiam, ut intelleximus, ex nimio fervore hominum provinciæ illius plures Crucem susceperunt inhabiles & inepti, committimus discretioni tuæ, ut talibus & quibuscumque Crucem auferre possis sub aliqua commutatione temporali vel spirituali, prout tibi melius visum fuerit. Datum &c. III. Februarii MCCCCLVII. anno II.

Nullus dubito, quin Antibarenses, quidquid subsidii poterant, pro suis quisque viribus contulerint; præsertim cum ipsi primi irruptionibus atque injuriis Turcarum fuerint expositi. Equidem Callistus mense Aprili ejusdem anni iterum scripsit ad Marianum, ut, quas collegerat, pecunias Ragusii depositas, quam citissime per Martinum Clarinium Romæ numerari curaret, quibus opus habebat Pontifex ad apparandas triremes, & milites conscribendos pro navali, quam moliebatur, adversus Turcas expeditione. Litteræ in hæc verba datæ.

Dilecto filio Mariano Ordinis Minorum Nuncio & Collectori nostro.

Perspectum est &c. mandamus, ut omnes collectas, seu depositas pecunias prædictas absque mora, visis præsentibus, seu per te, seu per ipsos Ragusinos, quibus super hoc aliud breve nostrum dirigimus, & similiter per te in posterum colligendas vel deponendas tradi & consignari facias dilecto filio Martino Clarini mercatori Florentino Ragusii commoranti, ac recipienti pro societate dilecti filii Petri & Jacobi de Paziis de Curia nobis in prædictis opportune succurrentium &c. Datum &c. XXVII. Aprilis MCCCCLVII. &c. anno III.

Duos vero post menses eumdem Marianum in Hungariam, & Bosnam, Serbliamque proficisci jussit, ut, communicatis cum Joanne Cardinali & Pontificis Legato consiliis, adjectisque sibi sociis F. Paullo de Ragusio, & F. Nicolao de Sebenico, eodem, ac per Dalmatiam, munere fungeretur, & amplissimam illi tribuit auctoritatem in iis rebus, quæ animorum solamen, & utilitatem, & salutem maxime spectabant.

Dilecto filio Mariano de Senis &c.

Devotionis tuæ fervor in actis fidei & religionis hactenus multipliciter ostensus &c. Cum in nostra felici expeditione &c. contra immanes barbaros &c. per regna, regiones & loca Hungariæ, Bosnæ, Serviæ &c. multa fieri, ad quæ idoneus judicaris, devotioni tuæ infrascriptas facultates duximus concedendas &c. consensu a Joanne S. Angeli Diacono Cardinali Legato nostro &c. socios, ac maxime fratrem Paulum a Ragusio sacerdotem, & fratrem Nicolaum de Sebenico &c. Datum &c. XVIII. Julii MCCCCLVII. anno III.

Aliis literis eodem anno & IV. Kal. Aug. datis monuit Pontifex Thomam regem Bosnæ, se ad Ducem Venetorum scripsisse, quo collectæ per Marianum in eorum ditione pecuniæ summam ipsi contribuerent, unde satis haberet præsidii pro sui regni defensione, cui imminere videbantur aliæ Turcarum copiæ. Neque his contentus ad ipsum Scanderbegum legavit *Joannem de Albania* ex Ordine Franciscano sub initium hujus anni 1457., qui de gravissimis religionis negotiis agèret, & eas gentes plurimis ad fidem, ac pietatem tuendam fovendamque animarum beneficiis solaretur, adjectis sibi duobus ex eadem familia comitibus.

Dilecto filio fratri Joanni de Albania Ordinis Minorum de Observantia. et ad F. Joannem, ac F. Eugenium de Albania.

Cum te pro nonnullis negotiis statum S. R. Ecclesiæ, & augmentum fidei concernentibus ad partes Albaniæ impræsentiarum transmittamus &c. concedimus tibi &c. facultatem eli-

gendi tibi duos Fratres tui Ordinis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno &c. MCCCCLVII. pridie Kal. Januarii &c. anno III.

Quin & F. Eugenium ejusdem Franciscanæ familiæ eo redire voluit, qui Apostolica excursione regionem peragraret, mores corrigeret, animos a vitiis pœnitentes abstraheret, præsertim a superstitionibus, & impiis mercimoniis, quæ cum Turcis nefarie agebant, a quibus criminibus ut reos semel absolvat, potestatem elargitur; *absolvere semel, Christianos seu res alias quascumque Turcis & Christiani nominis inimicis vendentes, comburentesque & effodientes superstitione quadam mortuorum cadavera* &c. Litteræ inscriptæ sunt, *Dilecto fratri Eugenio de Albania Ordinis Minorum*, datæ *die XXVII. Aprilis MCCCCLVII.* &c. *anno III.*

Anno 1458. quæstio exorta est de possessionibus quibusdam, quarum jus ad Rotaciense S. Mariæ monasterium pertinebat, quasque Pastrovichii sibi injuria arripuerant. Jacus quidam procuratorio nomine Abbatis, qui commendatum ei cœnobium regebat, caussam egit coram Antonio Duodo Præfecto Catharensi adversus Jacobum de Triepo, qui Pastrovichiorum partes tuebatur; & sententia secundum Abbatem lata fuit, quam habes descriptam in Angelo Episcopo Catharensi XXXVII.

Andreæ Archiep. obitus.

Per hoc tempus Andream Archiepiscopum ad Urbem iterum confugisse reor, ut ab impendentibus jam suæ Ecclesiæ, totique Albanorum genti ruinis se subduceret. Certe Romæ erat Julio mense anni 1459. uti superius dictum est; & anno 1462. supremum diem obiisse dicitur, *Reg. Bull. Pii II. T. 20. pag.* 181. Hinc illum se Archiepiscopatu ante abdicasse constat, quam moreretur; nam anno 1460. electus jam erat Antibarensis Archiepiscopus Marcus Gonella. Ita locus est in hac Antistitum Antibarensium serie etiam Laurentio, de quo statim agendum.

LAURENTIUS II. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXV.

Laurentius II. Archiep. Antibaren. an. circ. 1458.

E familia itidem Franciscana, uti auctor est Petrus Antonius Venetus in suo Viridario Seraphico, qui Laurentii patriam sibi ignotam esse scribit; fallitur vero in consignandis ejus Archiepiscopatus initiis anno 1449. Cum vero Andreas Romæ jam versaretur anno 1459. neque Antibarim rediisse amplius comperiam, vel hoc anno, vel si mavis etiam superiore 1458., & hic dimisit, & Laurentius suum Archiepiscopatum suscepit.

Interea dum Callistus, quibusvis poterat auxiliis, laboranti in Albania rei Christianæ succurrere nitebatur, & Scanderbegus secundo victoriarum sine ulla fere offensione cursu ingentem sui nominis terrorem Turcis injiciebat, prope fuit, ut bello civili cum suis ac domesticis confligere cogeretur. Anno 1459. Lecha Princeps Ducaginus filius Paulli, cujus opera in bellis Turcicis magni fuerat, a fide & virtute parentis degenerans cum duobus fratribus suis Pulatum dominis capitales inimicitias cum Scanderbego suscepit, propterea quod ab eo impetrare non potuerat copias auxiliares ad bellum Venetis inferendum, quibus Dagnium oppidum clandestina coitione eripuerat. Homo impatiens iræ & injuriæ, quam sibi ob negatum subsidium illatam putabat, ulciscendæ ardore incensus eo furoris atque impietatis prorupit, ut fœdus exsecrandum cum Turcis iniret, quos ad ditionem Scanderbegi devastandam evocavit, eisque non solum villas & agros in direptionem, sed etiam homines in prædam & servitutem objecit. De sacrilego hoc fœdere cum Pio II. esset allatum, Pontifex suis ad duos Metropolitas illarum regionum Antibarensem & Dyrrhachiensem, atque ad provinciales utriusque Episcopos litteris jussit Lechæ & fratribus Pulatensibus, itemque illorum sociis ac fautoribus anathema, & sacrorum omnium interdictionem denunciari, nisi intra quindecim dies ab omnibus damnis & maleficiis inferendis desisterent, omnemque cum Turcis societatem abrumperent.

Lechæ Ducagini impium facinus,

& minacem eum Pontificis litteræ.

Pius &c. Venerabilibus Fratribus Duracensi & Antibarensi Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis universis. Nuper non sine gravi admiratione accepimus, quod iniquitatis filius Lechas Ducagninus, & alii iniquitatis fratres Polacenses majores in Albania Domini temporales propriæ salutis immemores, quondam Pauli ipsorum genitoris monitis, & voluntati in ea parte penitus repugnantes, eisdem Turchis Christiani nominis æmulis se confœderare, & adversus Catholicos, & præsertim dilectum filium nobilem virum Georgium Castriotum, alias Scanderbegh, Albaniæ Dominum, Christique propugnatorem acerrimum, ipsius quoque subditos & sequaces conspirare, eisque damna plurima a paucis citra diebus inferre, necnon eisdem hostibus fidei transitum per ipsorum terras & loca, ac etiam commeatum & auxilium præbere, ac multos ex Fidelibus in diram & miserabilem servitutem redigere, multa quoque alia detestanda facinora perpetrare minime formidarunt, ea, ut accepimus, occasione captata, quod idem Georgius Lechæ, & fratribus antedictis contra dilectos filios, nobiles Viros, Dominium Venetorum, quibus ipse Lechas castrum Dagnium furto subtraxerat, præsidia & favores impendere recusaverat, ut Christianis bellum inferret, & expeditioni contra Turchos prædictos impedimento fieret; propter quæ tam eidem Georgio, & suis subditis, quam aliis Christifidelibus alia damna innumera evenire posse verisimiliter formidatur. Nos immanissimum Lechæ, horrendumque facinus detestantes, ac volentes, prout officii pastoralis jure astringimur, perversorum ausibus & malitiis disciplina publica obviare, ne modestiæ deposito freno, & malo in Christicolas sæviente, disciplinantis justitiæ nervus penitus disrumpatur,

tur, tam Lecham & fratres prædictos, eorumque subditos, vassallos, adhærentes & sequaces, quam alios quoscumque fideles eis præbentes auxilium, consilium, vel favorem, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, & quacumque ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, excommunicationis & anathematis sententiis, & aliis infrascriptis pœnis tenore præsentium requirimus & monemus, eisque districte præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dierum spatium a die publicationis præsentium computandum, a præmissis, quæ in perniciem & detrimentum fidei ac fidelium prædictorum tendere dignoscuntur, resipiscentes, ab eisdemque Turchis, & infidelibus penitus recedentes, & confœderationes, seu ligas cum eis factas, tamquam inefficaces, nullas, & invalidas, parvipendentes, & prostergantes, cum eis nullum de cætero commercium habere, neque ipsis auxilium, consilium vel favorem præstare, aut transitum per eorum civitates, terras & loca concedere præsumant; quodque si Lechas, fratres, & alii prædicti monitis & mandatis nostris hujusmodi parere contempserint, ex nunc, prout ex tunc, eos & eorum quemlibet, ultra alias sententias, censuras, & pœnas in tales generaliter promulgatas, dictis elapsis diebus, easdem sententias, volumus eo ipso incurrant &c. Decernit præterea Pontifex, censurarum religione, nisi in ancipiti mortis discrimine non liberandos, eorum ditionem sacrorum usu mulctat, in Ecclesiis vero tanti facinoris signiferos & sectatores solemni ritu anathemate percelli jubet.

Datum Senis an. 1460. IV. Id. Februarii Pontificatus nostri anno II.

Sed antequam Lechas cum Dynastis Pulatensibus, & sceleratæ coitionis sociis anathematis fulmine percellerentur, interposuit se Paullus Angelus Archiepiscopus Dyrrhachiensis, cui morum integritas, doctrina & prudentia singularis magnam auctoritatem conciliabat; & gravi denique oratione iratos animos placavit, ab immanibus & impiis cœptis persequendis absterruit, ab instituta cum Turcis societate avocavit, in amicitiam & gratiam cum Scanderbego reduxit. Hæc ex Anonymo Antibarensi, Barletio & Biemmio, qui de rebus gestis ipsius Scanderbegi scripserunt. Hic autem non antea cum Turcis pugnare quam vivere desiit anno 1467. extinctus; & tam illustrem sui nominis memoriam, quam triste virtutis suæ desiderium reliquit.

Quid turbulentis hisce temporibus Laurentius Archiepiscopus egerit, mihi non est compertum; neque utrum Pontificiæ literæ ipsi fuerint delatæ ante, quam & vita & Archiepiscopatu functus fuerit, vel ab hoc se abdicaverit. Nam anno ipso 1460. vacuam successori Sedem Antibarensem certe dimiserat.

MARCUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXVI.

Marcus Archiep. Antibarensis an. 1460.

E familia Gonella; & anno 1459. præerat Venetiis Ecclesiæ & parœciæ S. Benedicti Abbatis, ac insequente 1460. a Pio II. designatus Archiepiscopus Antibarensis XVII. Cal. Augusti, die autem 4. Septembris jam electus nominatur *Tom. 76. Oblig. Cam. pag.* 161. & *pro communi servitio flor.* 80. solvisse dicitur. Vix annuum Pontificatum gessit, quem ab eo dimissum fuisse constat ex monumentis Cleri & Collegii novem Congregationum Venetæ Ecclesiæ editis a Flaminio Cornelio Patritio Veneto; in iis enim pag. 78. *Marcus Pleb. S. Benedicti, & Archiepiscopus Antibarensis*, dicitur *Vicarius Generalis* Patriarchæ Venetiarum Andreæ Bondumerii an. 1465., cum triennio ante fuisset in ejus locum suffectus Simon, de quo mox agendum.

SIMON ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXVII.

Simon Archiep. Antibar. an. 1462.

Oriundus ex Istria & oppido Montona, unde illi *Montonio* & *de Montona* cognomen, e familia vero Vosichia natus, uti Naldinus perhibet in descriptione urbis Justinopolitanæ. Erat tamen civis Tarvisinus, idemque Jureconsultus, & anno 1454. Lectoris & Canonici dignitate ac munere fungebatur in Ecclesia Strigoniensi, cum Thadæus Adelmarius Nicolai V. Pontificis medicus nobilissimus eidem & Dominico Cardinali Firmano sui testamenti tabulas commendatas esse voluit. Postea Apostolicæ Sedis Subdiaconus, & in Collegium Canonicorum Tarvisiensium cooptatus fuit; quæ ex libro ms. Nicolai Mauri de Familiis Tarvisanis didicimus, cujus fragmentum profert Cajetanus Marinius in erudito opere de Archiatris Pontificiis T. 1. p. 157. Cumque esset Vicarius generalis Andreæ Bondumerii Patriarchæ Venetiarum, Pius II. ipso initio anni 1462. Metropolim Antibarensem illi decrevit, ex *Tom. 2. Instrum. Cam. pag.* 124. 2. *Jan. an.* 1462. *Simon Montona electus Antib.*, & *in libr. Provis. Sacr. Coll. pag.* 18. *Anno* 1462. 4. *Januarii Simon Archiep. Antibar. provisus* dicitur. Sed cum Bondumerio carus esset in primis, cujus opera utebatur, & is ægre Venetiis discedere videretur, Pius Pontifex per litteras monuit, ne moras necteret, utque *ad suum Archiepiscopatum ire deberet*. At id fortasse moliebatur Simon, ut cum Antibarensis Archiepiscopi dignitate Vicarii munus retineret, & Venetiis degens, & ab omni periculorum armorumque metu securus, quibus tum sua Ecclesia agitabatur, illam per Vicarios gubernaret, cujus consilium Bondumerii auctoritas, & summa in illum benevolentia fovebat. Et sane Simon non paruit Pontificis jussui; hinc conjicere licet, Pium graviter in eum offensum de alterius Archiepiscopi electione, aut Simonem ipsum de hujus Ecclesiæ

graviter offendit Pontificis animum,

clesiæ abdicatione cogitasse; nam *in Reg. Pii II. Tomo 39. pag.* 174. legitur *Anno* 1462. 18. *Cal. Maji Simon de Montona olim Archiep. Antibar. & Vic. gen. Patriarchæ Veneti*. Nimirum quatuor fere menses effluxerant, postquam Simon renuntiatus fuerat Antibarensis Antistes; cumque inter illum contentio & Pontificem acerbior esset, quam & Simonis debita erga eum reverentia, & hujus dignitas ac summa potestas pateretur, Senatus Venetus intercessit, atque per Nicolaum Sagundinum, qui tum Oratoris vices pro Republica Romæ gerebat, enixe egit, ut Pius sineret, Archiepiscopum in urbe consistere, donec Bondumerius Patriarcha alium sibi Vicarium Simonis loco seligeret, qui tanto muneri par esset implendo. Ex Tomo 13. Monum. Eccl. Ven. habeo literas hujusmodi a Senatu ad Sagundinum missas XII. Kal. Augusti anni ejusdem.

Nicolao Sagundino Secretario nostro ad Summum Pontificem

Nicolae. Vidimus Breve unum Summi Pontificis R. D. Archiepiscopo Antibari, qui erat, & est Vicarius Curiæ Patriarchalis hujus nostræ urbis, per quod sibi imponitur, quod ad suum Archiepiscopatum ire debeat. At quia si idem Dom. Archiepiscopus permitteretur recedere, Curia prædicta Patriarchalis remaneret destituta, & maxime a tali ac tanto virtuoso, ac perito viro. Ex quo cum nostro Consilio X. mandamus tibi, ut habitis præsentibus ad præsentiam Suæ Beatitudinis comparere debeas, & cum illis accommodatis verbis, qui tuæ prudentiæ videbuntur, nostro nomine Sanctitati suæ supplicare debeas, quod dignetur nobis concedere, quod idem Dom. Archiepiscopus, remanere, stare, & continuare debeat officium suum, donec Reverendiss. Dom. Patriarcha noster de alio sufficienti Vicario sibi providebit. 1462. 21. *Augusti*.

Neque vero Pontifex hujusmodi precibus assentiendum censuit; quin acerbiori & in Patriarcham & in Archiepiscopum concitatus est offensione; quippe utriusque jam consilia & ambages patebant, quorum alter novi Vicarii electionem in dies ac menses differebat, alter impediri sibi Patriarchæ cunctatione discessum simulabat. Cujus rei indicium est Senatusconsultum anni insequentis 1463. quo Senatus VII. Kal. Junias decrevit, ut iterum per suum Oratorem Pontificis veniam & gratiam tum Patriarchæ, tum Archiepiscopo impetraretur.

MCCCCLXIII. die XXVI. Maji. Quod auctoritate hujus Consilii scribi possit Oratori nostro in Curia existenti & Cardinalibus in illa convenienti forma, quæ videbitur Collegio in commendationem Reverendissimi Patris D. Patriarchæ Venetiarum, ac Rev. Domini Archiepiscopi Antibarensis ejus Vicarii, & Nobilis Civis nostri D. Victoris Marcello, & Prioris & Fratrum S. Spiritus hujus Civitatis nostræ Venetiarum.

& cum eo in gratiam redit;

Cessisse demum Pontificem Pium supplicibus Venetorum votis, & Simonem in gratiam ab eo receptum, testantur literæ Pii ejusdem hoc ipso anno datæ VI. Id. Octobris, queis Simoni facultatem tribuit deligendi, quem vellet, administratorem Ecclesiæ Segniensis, cujus Episcopus Marcus ad Sedem Tinniniensem fuerat translatus; *Reg. Tomo 26. pag.* 164. Utrum autem vicarium munus Veneti Patriarchatus dimiserit, incertum omnino est, quo tandem sese abdicavit,

& legatus in Hungariam mittitur.

cum a Pio ipso Legatus missus est ad regem Hungariæ de gravissimis Reipublicæ Christianæ negotiis, acceptis fidei publicæ literis, ut iter Hungaricum ab omni periculo tutum perficeret. In *Reg. Tomo 43. pag. 333. t.* extat *Bulla Pii II. Kal. Decembris, seu litera passus pro Simone Archiep. Antibar. ad Regem Hung. profecturo*, eo anno 1463. Biennio post adhuc in Hungaria rei Christianæ caussa versabatur; nam XII. Kal. Julii anni 1465. dicitur *residens in Urbe Strigoniensi*, in *Reg. Paulli II. Tomo 2. pag.* 305. *t.* Hungarica legatione perfunctus ad suam Ecclesiam regendam forte accessit; nam anno 1467. ei a Paullo II. tradita fuit administratio Svaciensis Ecclesiæ, cujus cum Metropoli Antibarensi conjunctionem Pontifex decreverat, uti in Episcopis Svaciensibus dicemus; anno tamen 1469. XIII. Kal. Septembris *in Romana Curia* degebat; Reg. eodem Tomo 13. pag. 126., ac de illius gestis pro Ecclesiæ Antibarensis, suique gregis utilitate nihil prorsus memoriæ proditum est.

Angelus Episc. Mothonensis legatus in Epirum missus ab eodem.

Hoc tempore Pius Pontifex legatum in Epirum & Mysiam, idest Serbliam & Rasciam, misit Angelum Foscolum Episcopum Mothonensem, quam ipse sapienter ac feliciter gessit. At quam ob caussam suscepta legatio fuerit, quæ negotia expedita, nullis monumentis compertum habeo. Hujus legationis testis est inscriptio Angeli tumulo insculpta, quam descripsimus in Episcopis Catharensibus; dicitur enim *Pii II. Pont. Max. in Epiro & Mysia pro Fide Cathol. Legatus*. Hic libenter addo, quæ Gaspar Veronensis in Angeli laudem scripsit lib. 1. vitæ Paulli II., cui conjunctissimus fuit, editæ a Marinio tom. 2. de Archiatris Pontif. pag. 178. *Hujus est tanta morum mansuetudo, & acumen ingenii, ut omni dignitate magistratuque dignissimus esse videatur: quem sum demiratus in sermonibus suis, rebusque gestis. Aliquot diebus cum apud me conquereretur, quod ejus stomachus male proficeret, & ventrem stipticum retineret, ei de improviso, quod ipse expertus fueram paratissimum, adhibui remedium, ut assas ficos, molles, & albas crebro usurparet, & vesceretur, & id quidem faceret jejuno stomacho pro jentaculo, nec quicquam aliud esset usque ad horam prandii, quam rem efficacissimam esse cognovi, etsi ipse Medicorum officio non fungerer publico.* Subdit Marinius in notis, Angelum e Catharensi ad Mothonensem Ecclesiam translatum esse anno 1459. jam exeunte, ex Reg. Pii in Arch. Dat. an. 11. Tom. 11. p. 67. lib. 76. Oblig. pag. 178. inde vero Mothonensem

cum

Digitized by Google

cum Feltrensi commutasse xv. Kal. Octob. an. 1464. ex Reg. Paulli ibid. an. 11. T. 11. p. 209. & lib. Oblig. C. A. p. 9. t. Supple ex his jam dicta de Angelo in Ecclesia Catharensi.

Biennio post, & fortasse cum Romæ adhuc esset, Simon donatus fuit a Sixto IV. *Prioratu S. Michaelis de Mirano* Ordinis S. Augustini in Tarvisina diœcesi, quem *Commendæ* titulo ac jure possedit, quoad vixit. Is vero a Pontifice impetravit, ut Petrus Boris presbyter Antibarensis, homo nobilis, sibique domesticus ac familiaris unum alterumve Sacerdotium in eadem diœcesi Tarvisina consequi posset, etiamsi alterutri animarum cura esset adjuncta; de quo extant Sixti litteræ ad Petrum ipsum datæ hoc anno 1471.

Sixti IV. litteræ ad Petrum Boris.

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Petro Boris Presbytero Antibarensi Salutem & Apostolicam benedictionem. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est, quod nos tibi, qui ut asseris de nobili genere procreatus, ac Venerabilis fratris nostri Simonis Archiepiscopi Antibarensis familiaris continuus commensalis existis, premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis seu promulgatis, si quibus quomodolibet innodatus vel irretitus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines, ac in quibus, & ad que jus tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcumque, & qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum & proventuum veros valores annuos ac hujusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes unum vel duo beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica consuetum seu consueta clericis secularibus assignari, etiam si alterum cum cura, aut Decanatus vel Archipresbyteratus ruralis fuerit, cujus quidem benefitii, seu quorum benefitiorum fructus, redditus & proventus si alterum cum cura sexaginta, si vero sine cura fuerit, seu ipsa duo fuerint, quadraginta florenorum auri, de camera secundum taxationem decime valorem annuum non excedant ad dilectorum filiorum Sancti Eustachii de Nervesia, & Sancte Marie de Lovadina Tarvisine Diocesis Sancti Benedicti & Cisterciensis Ordinum Monasteriorum, Abbatum, Conventuum eorumdem collationem provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinens seu pertinentia, si quod vel si qua vacat seu vacant ad presens, aut cum vacaverit, seu simul vel successive vacaverint, quod vel que per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum, infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius vel illorum innotuerit, duxeris acceptandum vel acceptanda, conferendum vel conferenda tibi post acceptationem hujusmodi cum omnibus juribus & pertinentiis suis dominationi Apostolice reservamus, districtius inhibentes eisdem Abbatibus & Conventibus, ne de beneficio vel benefitiis hujusmodi interim etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illud vel illa volueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac statutis & consuetudinibus ecclesiæ vel ecclesiarum, in qua seu quibus benefitium seu benefitia hujusmodi forsan fuerit vel fuerint juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preter quam auctoritate nostra hujusmodi benefitia expectantibus te in benefitii seu beneficiorum hujusmodi assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum prejuditium generari. Seu si Abbatibus & Conventibus prædictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli non possint, quodque de hujusmodi vel aliis benefitiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis & consuetudinibus ecclesie vel ecclesiarum, in qua seu quibus benefitium seu benefitia hujusmodi forsan fuerit vel fuerint, ut prefertur, solitum aut solita juramentum seu juramenta, dummodo in absentia tua per procuratorem idoneum, & cum ad ecclesiam vel ecclesias hujusmodi accesseris corporaliter, illud vel illa prestes. Seu si bodie pro alio vel aliis super equali vel equalibus, gratia seu gratiis, de simili vel similibus, benefitio seu benefitiis ad colla-

Digitized by Google

lationem, provisionem, presentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem Abbatum & Conventuum predictorum communiter vel divisim pertinente seu pertinentibus litteras nostras duxerimus concedendas; nos enim tam illas, quam presentes effectum sortiri volumus quacumque constitutione Apostolica contraria non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, reservationis, inhibitionis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo septuagesimoprimo Kalendis Januarii Pontificatus nostri Anno primo.

Simon transfertur ad Eccl. Justinop.

Sixtus IV. Simonem a Metropoli Antibarensi ad Ecclesiam Justinopolitanam transtulit, eique titulum Archiepiscopi Patracensis attribuit, ut est in Tomo 83. Obl. pag. 30. *Anno* 1473. 23. *Novembris Simon transfertur ad Eccl. Justinop. & providetur de Archiepiscopatu Patracensi.* De quo Ferdinandus Ughellus Tomo V. Ital. Sacr. in Episcopis Justinop. *Simon de Montona hanc Ecclesiam suscepit regendam anno* 1475. lege 1473. *Hic ille idem est, qui fuit etiam Archiepiscopus Patracensis. Romæ decessit* 1482. *mense Augusto.*

obit Romæ an. 1482.

Dominicus Maria Mannius, cui, uti Naldino, & Ughellio ignotus fuit Antibarensis Simonis Archiepiscopatus, in suo opere de Sigillis antiquis &c. T. 1. pag. 29., exhibet ejus sigillum Archiepiscopale, quod penes Nicolaum Panciaticum civem Florentinum ait asservari. Forma est ovalis; bifariam sex præfert Divorum effigies; in superiori parte Deipara ad crucem assidet exanime Christi corpus super genua tenens, cui ad utrumque latus hinc Petri, & hinc Pauli adstat imago; & hoc insigne sacrum Ecclesiæ Patracensis esse autumat Mannius; inferius Nazarii, Alexandri & Elii, quos suos Episcopos & urbis Patronos colunt cives Justinopolitani, imagines insculptæ videntur; in parte demum extrema sigilli agnus aut hœdus jacet circulo inclusus, qui fortassis Vosichiorum stemma, cui eminet crux Archiepiscopalis; sigilli vero hæc inscriptio; *Simon. Archiepiscop. Patracen. Et. Justinopo.*

STEPHANUS II. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXVIII.

Stephanus II. Archiep. anno 1475.

Cui cognomen Teglatius, patria Venetiarum urbs. Hunc Sixtus IV. anno sui Pontificatus tertio VI. Kal. Decembris id est 1475. Archiepiscopum Antibarensibus dedit; *anno* 1475. 3. *Julii*, ut in Tomo 81. Obl. pag. 220., obligationem suscepit solvendi *pro com. servitio Florenos* 80. Cum eum in Urbe iterum ac sæpius degentem inveniam, siquando Antibari fuit, identidem commorationem Antibarensem interruperit, & ad gubernaculum Ecclesiæ suæ per intervalla sederit, necesse est. Anno 1477. 1479. 1480. erat Romæ, ut colligitur ex Rat. Cam. Tomo 719. pag. 17. 18. 168. Sixtus Pontifex illum Romam iterum evocavit an. 1483., ut de pace cum Venetis, qui Ferrariam obsidebant, consilium ab eo exquireret, caperetque. Romæ itidem erat anno proximo 1484. 30. Decembris, ut docet Tom. 6. Brev. pag. 9. t.

Libri ab eo scripti.

Dum Archiepiscopatum Antibarensem gerebat, quidquid temporis ab ecclesiasticis negotiis & functionibus Archiepiscopalibus vacuum nancisci poterat, id omne, ut erat vir apprime doctus & eloquens, in studia sacrarum rerum & literarum conferebat. Commentarios in Cantica Canticorum æque pios ac eruditos confecit latino sermone, duodecim hymnis intermixtis; & octo capitulis constant; operis vero ea mens atque in interpretando sententia, ut Christum Servatorem cum Ecclesia ejus sponsa colloquentem inducat. Extant hi commentarii in Bibliotheca Vatic. Codice 1049. & in Bellunensi Cœnobii PP. Servorum Mariæ, inscriptique sunt Georgio Costæ Archiepiscopo Ulyssiponensi, inter Cardinales a Sixto IV. cooptato; quorum initium huc lubet afferre. *Georgio miseratione divina Archiep. Ulixbonensi SS. Rom. Ecclesiæ tit. SS. Marcellini & Petri Pres. Card. Rev. & benemerito Stephanus S. Antibarensis Eccl. inutilis Archiep. totiusque Serviæ primas, Præfationem, expositionemque Libri Canticorum dedicare curavit. Incipit. Solco semper equidem, Præsul dignissime, addo, & doctissime, magno cum metu dicendi aut scribendi officium suscipere; nam quotiescumque dico aut scribo, totiens videor mihi in judicium venire non ingenii solum, sed etiam virtutis & officii, ne id profiteri videar, quod non possim implere, (quod impudentiæ est) aut id non efficere, quod possim, (quod est perfidiæ aut negligentiæ). Verum si hoc ullo unquam tempore mihi timendum fuit, hodie maxime cavendum censerem, quia obtrectatorum infinitus sit numerus, in quibus nil est tam volupe, quam maledictum, quo nibil facilius emittitur, nibil citius excipitur, nibil latius dissipatur, addoque, quod nibil difficilius ex animis hominum extirpatur. &c.* Scripsit etiam orationem *in materia fidei*, de qua meminit Fabricius in Biblioth. med. & infim. latinit. libro 18., & typis edita fuit anno 1481., ut in calce voluminis legitur; *habita fuit hæc oratio Romæ in Ecclesia Lateranensi per Rev. Pat. Stephanum Teglatium Archiepiscopum Antibarensem anno dom.* 1481. Triennio post Romæ rursum versabatur, quod intelligi potest ex Actis Mss. D. Brochardi Argentinensis Mag. Cœrem. *Stephanus Archiep. Antibarensis interfuit Consistorio Secreto pro Canonizatione S. Leopoldi habito ab Innocentio Papa VIII. an.* 1484.

Ad Ecclesiam Torcellanam transfertur.

Eodem tempore cum Antibarensi Patracensem Archiepiscopatum conjunxit; & anno 1485. ad Ecclesiam Torcellanam migravit, titulo Patracensis Archiepiscopatus retento, ut constat

stat ex ejus literis datis an. 1490. apud Cornelium Tomo I. Monum. Eccl. Torcell. pag. 40. De illo Ferdinandus Ughellus Tom. 5. Ital. Saer. in Epise. Torcellanis. *Stephanus de Teleazis Archiepiscopus Antibarensis & Patracensis ad Torcellanam Ecclesiam fuit translatus anno* 1485., *die* 5. *Septembris; Pontificii Sacelli Assistens fuit; interfuit Concilio Lateranensi sub Julio II. Obtinuit Coadjutorem cum futuræ spe successionis Hieronymum Portiam, eique cessit Sedem Episcopalem anno* 1514. *paulloque post fato cessit*. In Concilio Lateranensi inter Patriarchas *Assistentes Papæ* an. 1512. in sess. 1. 2. & 3. sub Julio II., inter Archiepiscopos sess. 9. anno 1514. & sess. 10. an. 1515. subsellium obtinuit; & nominatur *Rever. Pater & Dom. Stephanus Patracensis & Torcellensis*. Non igitur ante annum 1515. Episcopatum Torcellanum dimisit, & successori designato tradidit, ut Ughellius & Cornelius existimant. In sess. 10. orationem æque doctam & copiosam ad Patres Lateranenses habuit, themate sumpto ex illis verbis Psalmi 47., *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus*.

In Schedis nostris scriptum reperi, *instrumentum* abdicationis ab Antibarensi Archiepiscopatu per hosce annos *actum* fuisse *Venetiis in Domo Residentiæ ejusdem Archiepisc. pos. in confinio*, parœcia, *S. Marcalis*, idest S. Martialis. Quæ licet de Simone Archiepiscopo intelligi queant, mihi tamen est verisimilius, de Stephano esse adnotata, cum, dimissa Antibarensi, Torcellanam Ecclesiam adivit. Stephanum post abdicatam Antibarensem Ecclesiam excepit

PHILIPPUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXIX.

Philippus Archiep. an. 1485.

Cognomento Gajus, & anno 1485. XVI. Kal. Octobris ab Innocentio VIII. huic Metropoli præpositus; anno vero insequenti, & die 24. Januarii se communi obligatione obstrinxit *solvendi pro communi servitio &c.* ex lib. 27. Sac. Coll. pag. 39. In quodam diplomate Innocentii dato an. 1488. 30. Maji Philippi nomen legitur inscriptum, idemque testis adfuit in supremis testamenti tabulis a Cardin. Zeno Episcopo Vicetino confectis Patavii an. 1501., quo etiam anno ibidem obiit; neque dubium est, quin is fuerit Philippus, qui adjutor adstitit ipsi Zeno in Episcopatus regimine, cum hic sæpissime e sua Ecclesia abesse cogeretur propter gravissima rei Christianæ negotia, & anno proximo 1502. excepit solemni pompa Vicetiæ Annam Borboniam, quæ in Hungariam proficiscebatur Ladislao regi nuptura; ut in Cod. pervetusto Cœnobii Dominicani Vicetini enarratum comperio his verbis. *Illi*, Annæ scilicet, *obviam ivit Archiepiscopus Antibarensis Adjutor Episcopi Vicentini mitra ornatus, & cruce, Clero ordinatim comitante*. Et

an. 1503. memoriam dedicationis Coloniensis Ecclesiæ in diœcesi Vicetina VI. Id. Febr. celebrandæ jussit in sacrario lapidi inscribi hisce verbis: *D. O. M. Dedicationis hujus Ven. Pleb.* VI. *Id. Febr. cum Octava colendæ Reverendissimus Philippus Gajus Archiepisc. Antivarensis Modensis, Totius Serviæ Primas, in Episcopatu Vicentino M. D. III. Locum tenens M. F. J.*; quid autem sibi velit *Modensis* vocabulum, divinare nequeo omnino. Utrum vero Philippus suam Ecclesiam postea dimiserit, an usque ad vitæ exitum tenuerit, nulla superest notitia. Facile tamen adducor, ut credam, Archiepiscopum Antibarensem, qui, ut est in libro ms. Paridis de Grassis *Magistri Cæremoniarum Sacri Palatii, an.* 1509. 25. *Octobris celebravit in exequiis solemnibus pro anima* Card. de Lucemburgo Galli & Episcopi Cenomanensis, eumdem esse atque Philippum; tum quia Hieronymus illi suffectus in Sede Antibarensi eodem anno, & die 27. Septembris, non videtur, ne uno quidem mensis spatio potuisse res suas ad Episcopalem dignitatem componere, & consecrationis munus suscipere adeo præpropera festinatione, ut VIII. Kal. Novembris Romæ funebre illud sacrificium solemniter perageret; tum quia e literis Leonis X. de quibus paullo inferius, constat, ipsum ab inito Ordine sacerdotali nunquam divinam ad aras hostiam obtulisse ante annum 1514., quo Antibari sanctissimum sacrificii ritum primo est exsecutus. Quare Philippus usque ad hunc annum 1509. in Archiepiscopatu constiterit necesse est, si is, ut certum videtur, retento adhuc Antibarensis Ecclesiæ titulo, mense Octobri funebres exsequias persolvit Episcopo Cenomanensi.

HIERONYMUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXX.

Hieronymus Archiep. Antibaren. an. 1509.

Clericus Venetus, Montaneus sive de Montagna cognominatus, Ecclesiæ Collegiatæ S. Bartholomæi nomen dedit, in qua Presbyteri, ut ajunt, Titulati munus, eique adjectos reditus obtinuit; neque hoc sacerdotio se abdicaverat anno 1510., ut produnt illius Ecclesiæ tabulæ. Anno 1509. 27. Septembris renunciatus fuit Archiepiscopus Antibarensis a Julio II. Pontifice; idque docent tabulæ Romanæ Divers. Cam. Tom. 59. pag. 346.

Civiles Antibarensium discordiæ.

Per hæc tempora civium secundi ordinis & popularium ambitio rem perniciosissimam in civitatem induxit, seditionem atque discordiam. Unum erat idemque supremum civitatis consilium e solis patriciis constans, penes quos summa rerum potestas & administratio erat. Reliqui inferiorum ordinum cives, nescio quibus auctoribus & impulsoribus, amplissimam illam potestatem ac dominatum viris nobilibus primum invidere, deinde indignari cœperunt, & Nobilitatem criminari, quod omnia ad se revocaret, cæteros ad nullam

Digitized by Google

rei publicæ partem admitteret, a primariis magistratibus & honorificis publicorum munerum functionibus repelleret, denique loco servorum sive mancipiorum haberet, quos tributis, exactionibus servilibus & laboriosis operibus opprimebant; atque hæc passim ad summam invidiam ordini patricio conflandam acerbissimis querimoniis spargebantur per urbem. Hisce quotidianis querelis ac contentionibus, quæ in apertum civile bellum erumpere minabantur, additus fomes est an. 1510. ob Rotaciense sacerdotium. Nam, cum Vincentius Zane urbis Prætor & Commune nobilium Presbyterum elegisset, qui in locum & munus Rotaciensis Abbatis succederet, Joannes de Ubertis popularium, ut videtur, factione alium a se nominatum eidem sacerdotio præfici contendebat. Sed, dum alteri alteris minime cedere vellent, pars utraque pro sua electione tuenda acriter obstitit, & sumptis armis, multos utrinque lethaliter saucios cecidisse ferunt. Res ad Senatum delata est, ejusque tantum valuit auctoritas apud exacerbatos civium animos, ut, quo tamen nescio modo, pax urbi saltem in speciem fuerit restituta, teste Marino Sanuto in Annal. mss. Illæ tamen veteres inter nobiles & populares discordiæ, veluti sopitus cineribus ignis, clam per ambitiosa hominum pectora serpebant, & in dies, quavis oblata contentionum occasione, nutriebantur adeo, ut anno demum 1512. in perniciosissimam flammam & latum incendium exarserint; & nisi Andreæ Capelli Prætoris Antibarensis, atque Angeli Maripetri Catharensis Provisoris fortitudo, prudentia, dexteritas obstitissent, urbs pœne tota fuisset absumpta. Tanti facinoris narrationem suis ad Senatum literis datis Antibari nonis Decembris fuse exposuit ipse Capellus, quas ex Italo in latinum sermonem conversas hic subjicimus e laudatis Sanuti annalibus.

De his literæ Prætoris ad Senatum.

Cum multo antea meis ad vos literis die decima octava, & vicesima septima Julii, atque trigesima Augusti scriptis, tum aliis ad Decemvirum Præsides die undecima Octobris, ac postremis ad Provisorem Catbari datis vigesima secunda die mensis ejusdem distincte exposuerim incommoda, tumultus, offensiones turbidosque motus, qui hic quotidie e civilibus discordiis exorti sunt, dum promptis remediis impendentia pericula, ut arcerentur, assidue curabam, vos sapientissime jussistis, ut Angelus Maripetrus Rector ac Provisor Catbari huc cum potestate properaret. Qui postquam ad hanc urbem advenit XV. Cal. Decembris cupidissimus publicæ quietis, me quoque pro viribus, exiguis licet, adjutore, collatis simul studiis consiliisque, magnum laborem diebus pluribus, & quam diligentissime insumpsimus, ut partim publicis, partim privatis hortationibus monitisque, nobiles æque ac plebejos benigne in Palatium ad colloquia excipientes, cogeremus utrosque, quamquam nec tumultus deessent, neque periculorum metus, in pristinam concordiam redire. Sed nobiles restitere, qui reos ante puniri petebant, quam de pace ageretur, eosque in primis e Marcovichiis & Turcovichiis mulctari exsilio, qui cum Andrea Marcovichio lembum aggressi, in quo filius erat Nicolai de Comis viri patritii, ipsum interfecerunt, uti significavi per literas ad vos striptas VI. Kal. Augusti. Dum vero componebamus dissidium, & exsilii decretum prope erat ferendum, Marcovichii rem præsensere; & cum armis ex urbe egressi IV. Kal. Decembris, stipatique popularibus plerisque, licet a nobis pacifice revocarentur, molendina incenderunt, quæ urbi maximo sunt præsidio, seque, ut sibi consulerent, Scodræ pergere audacter protestati sunt. Perspecto itaque motæ seditionis periculo, Provisor Maripetrus per Nicolaum Sirocum, aliosque populares fide in vos ac prudentia probatos ad reditum illos est adhortatus. Qui cum redissent Antibarim, minas interea jactabant, nobiles, nisi pacem facerent, postridie omnes cæsum iri; quievit tamen tumultus, cum ego pollicitus sum de nobilibus, Deo adjuvante, placandis, pertrahendisque in sententiam pacis. Verum populares postero die, arreptis armis, bene mane ante ædes prætorianas convenere ea consilio, ut aut pax illico firmaretur, aut, si nobiles abnuant, in eorum statim exitium & excidium irruerent. Tum ego, convocatis in Commune palatium nobilibus, qui & ipsi arma ceperant, de discrimine admonui, quod iis in præsentia impendebat, si concordiam cum popularibus inire recusassent. Et velle se pacem omnes testati sunt præter Nicolaum de Comis, qui, ut ante abeuntem filium alloqueretur, petivit, & consanguineos quosdam Pastrovichios, consensurus postea, quod sancte juravit, cum cæterorum voluntate. Id, ubi populares rescierunt tum a duobus neutrius partis prudentissimis viris, quos ad populum miseram, tum a me ipso, fraudem hic latere rati, & moras necti in sui perniciem, magno impetu nobiles aggrediuntur, cohibere quamvis jussis, & hortamentis & precibus eos lenire conarer. Utrinque prælium commissum est acerrimum. Arx illico munita lectis militibus, ne forte vi occuparetur a factiosis. Ego in urbe & in Prætorio constiti, ut, siquo fieri posset modo, pugnam sedarem, a qua neutri divelli se ferebant. Interea armorum strepitu excitii nonnulli e suburbano Spizzensi ad mœnia & urbis portas accurrunt, quæ, ne aperirentur, imperavi; & si jurarent ii nulli se parti addictos esse, cupere solum ut pugna dirimeretur. Sed populares nosmet adorti minabantur imperiosis vocibus portas diruere, & extrema quæque in urbe perpetrare; quare misi ad mœnia, qui Spizzensibus persuaderet, ne ingredi vellent. Sed frustra factum; alii per muros irrepere intus, alii portas effringere tentabant; quæ si patuissent, timendum erat, ne Marcovichii Turcicæ ditionis, qui vicinos montes incolunt, & nobilibus infensissimi sunt, quique ad urbem jam accesserant, & D. Marci nomen vociferabant, dolose ingressi popularium factioni se adjungerent. Cum vero

Spiz-

Spizzenses juramento spopondissent, se iras discordiasque pugnantium placaturos, jussi, ut, aperta minori porta, viginti quinque ex iis urbem intrarent; qui ante Prætorium transeuntes jusjurandum confirmarunt, & recto cursu ad locum pugnæ perrexerunt pacem alta voce inclamantes. Eos ipse subsecutus sum cum armatis quibusdam, & factiosos ad componendos sincero fœdere animos hortari non destiti, sed inaniter. Nam populares nobilium turmam superaverant, cum armamentario potiti jam essent, & vario ac copioso armorum genere sese instruxissent; mihique in ædes nostras redeundum, nequid offensæ vita subiret; iterum vero ac tertio cum Spizzensium nonnullis ad pugnam reversus sum spe permotus fore ut nostris hortationibus tandem acquiescerent; præsertim cum sacerdos quidam, sumpto præ manibus Christi Corpore, clamoribus licet, & ululatibus undique obstrepentibus, divinam ejus præsentiam pugnantibus objecit, ut tanto perculsi adspectu religionis saltem reverentia in præliando cessarent. Demum nobiles in fugam versi ad campum S. Georgii se recepesunt, quo in impetu Antonius Pasquo patricius vir bonus & prudens, ac concordiæ studiosissimus interfectus est, dum supplex populum pacem orabat; nobiles cæteri alii in Georgianam Ecclesiam, alii in domos proximiores profugerunt; populares autem in campo ipso aliquantum conquievere. Hoc audito, ad me arcessivi Franciscum Allatovichium, & Marcum Medinum plebis Præfectos, ipsumque Nicolaum Siroccum obtestans ut populum meo nomine ad pacem inducerent propositis etiam præmiis, quibus certo sciret se a Senatu donandum, si, data nobilibus venia, id perfecisset, Ut optabam, evenit; & nobiles in ædes nostras veluti ad asylum perfugiumque tuto perducti sunt. At perversi quidam ac facinorosi, & aliquot etiam e Spizzensibus nobilium domos diripere cœperunt; quod facinus ab universo populo palam fuit improbatum, idemque mihi opem & præsidium præstitit, ut a latrocinio desisterent: & præda fere tota restituta. Ita divino potius auxilio, quam humana opera ac industria nostra tranquillitas maxime consecuta est. Postero die, cum apto sermone aque nobiles ac populares fuissem allocutus, omnes in templum ad sacra mysteria, quæ pro imploranda Spiritus Sancti gratia celebrata sunt, convenimus; & pars utraque sancta tenens Evangelia juravit, se effectuam quidquid viri viginti quatuor, utrinque duodecim selectis, decernerent juberentque. Hi, toto triduo rebus mature perpensis, tum nova, tum vetera & multis abhinc annis exorta dissidia omnino composuere, nostra etiam interposita ad preces civitatis auctoritate. Urbs quiescit; exsulibus quibusdam, qui cum inimicis in gratiam rediere, fides publica data; iis, qui occubuere, suffecti alii, donec jussus vestri ad nos deferantur; aliter enim agere non licuit hisce temporum vicissitudinibus. Quæcumque autem a vobis sapienter erunt imperata, ea exsequemur. Certum habetote, nisi hæc tam tristia accidissent, urbem nunquam fuisse conquieturam; neo Magistratus vestri avertere poterant, quin in Turcarum manus ad extremum incidisset; existimate autem, hoc casu Antibarensem provinciam a vobis recuperatam esse. Deo uni laus & gloria; quantumvis enim & Provisor strenue se gesserit, & ego sæpe meipsum in tot pericula objecerim, nihil profuisset, nisi is præsens aderat & propitius; ejusque auxilio civium concordiam diutius duraturam confido. Siquid novi contigerit, vos certiores faciam; vobisque me demisse commendo. Dat. Antibari die V. Decembris an. 1512.

Pax urbi reddita.

Quæ pacis conditiones fuerint, & quod inventum temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari se putarent, non comperio; hoc, ajunt, statutum esse, ut duo in posterum essent in civitate Consilia, alterum nobilium virorum, alterum civium secundi ordinis & popularium; sua utrique definita rerum gerendarum potestas, sua utriquo magistratuum, & munerum publicorum administratio descripta. Ita quies & tranquillitas reddita civitati.

Hieronymus Archiep. interest Concilio Lateranensi.

Hieronymum Archiepiscopum interea Antibari abfuisse, id mihi argumento est, quod in hisce turbis dissidiisque nulla illius mentio extet, in quibus componeudis potior ei cura & pars incumbebat. Ab inito Archiepiscopatu an. 1509. Venetiis diu, ac postea Romæ constitisse videtur ad annum 1512., quo duabus sessionibus Concilii Lateranensis interfuit mense Majo; legitur enim his adscriptus, *Reverendus Pater Dominus Hieronymus Archiepiscopus Sanctimariensis*, in margine *Antibarensis*. Verum a sessionibus tertia & quarta mensis Decembris ejusdem anni abfuit; aderat vero sessioni quintæ, quæ habita fuit XIV. Kal. Martias anni 1513., non item sessionibus VI. VII. & VIII., rursumque præsens erat sessioni nonæ III. nonas Majas anno 1514. Qua absoluta, tandem ad suam Ecclesiam primo venit, quam hactenus per Vicarios gubernaverat. Ibi in ædc metropolitana, Clero & populo frequentissimo adstante, primitias tum sacerdotii, tum Episcopatus solemni sacrificio Deo libavit. Etenim, quamvis sacris Ordinibus, & Episcopali etiam consecratione jamdudum initiatus esset, nondum tamen incruentam divinæ majestati hostiam obtulerat. Hoc apparet ex diplomate Leonis X. Tom. 2. Brev. num. 565., quo ad hunc annum 1514. plenissimam delictorum veniam omnibus & singulis concessit, qui primo Hieronymi sacrificio pie interessent, & aliquid pecuniæ vel cujusquam subsidii ad restaurandum palatium Archiepiscopale conferrent. Idem Pontifex hoc anno Sacerdotium Rotaciense contulit Lucæ Tovichio Clerico Antibarensi, eique ejusdem possessio a Senatu decreta fuit, Sanuto auctore, XI. Kal. Decembris. Hieronymus Romam denuo reversus post sessionem decimam, cui subscriptus non legitur, intra finem anni 1515. XVIII.

Antibarim venit an. 1514.

rursum adest Concilio Lateranensi,

Digitized by Google

Calendas Januarii admissus est cum aliquot Cardinalibus & Præsulibus ad Congregationem generalem, in qua de illis consuli oportebat, quæ in sessione XI. ad Patres Lateranenses deferenda erant, eorumque disceptationi ac judicio subjicienda; & cum *Andreas Piperarius Secretarius Concilii post lectam schedulam continentem concordata per Sanctissimum Dominum cum Christianissimo Francorum rege*, ac de hujusmodi *Concordatis* Patres, qui ad eam Congregationem convenerant, sententiam rogasset, & plerique respondèrent *simpliciter*, *placere*, *Reverendus Dominus Hieronymus Episcopus Antibarensis dixit*, *quod placebant*, *quia credebat*, *quod proveniebant a Spiritu Sancto*. Anno 1517. XVII. Kalendas Aprilis habita fuit sessio duodecima & postrema, cui subscriptus inter Archiepiscopos *Reverendus Pater Dominus Hieronymus Antibarensis*; eodemque anno, incertum quo in loco, e vita decessit.

& obit an. 1517.

LAURENTIUS III. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXXI.

Laurentius Archiep. an. 1517.

Cognomento Boschettus, erat Episcopus Dulchiniensis, & postremis sessionibus Concilii Lateranensis interfuit. Hunc Leo X. ad Sedem Antibarensem evexit, jussitque administrationem Ecclesiæ Dulchiniensis retinere, quam cum sua Metropoli ad tempus conjunxit, ut ferunt Tabulæ Consistoriales; 1517. 4. *Septembris transtulit D. Laurentium Boschetum Ep. Dulciniensem ad Ecclesiam Metropol. Antibarensem in Albania vacantem per obitum D. Hieronymi de Montagna extra Curiam defuncti; & insuper dictam Ecclesiam Dulcinensem univit prædictæ Ecclesiæ Antibarensi ad vitam ipsius cum retentione beneficiorum suorum* redditus floren. 40. taxa floren. 80. Laurentio duarum Ecclesiarum regendarum onus ægre sustinenti accessit tertia Buduensis, quam idem Pontifex an. 1518., cum ejus Episcopum ad Ecclesiam Vestanensem in Apulia transtulisset, cum Metropoli Antibarensi conjunxit. Sed paullo post hujusmodi conjunctionem dissolvit, & Laurentio curam illius administrandæ detraxit, ut est in tabulis iisdem. Verum eadem Ecclesia Buduensis iterum, dum Laurentius Metropoli Antibarensi præsidebat, alias ab hac distracta, alias eidem annexa fuit; qua de re fusius in Episcopis Buduensibus. Clemens VII. VI. Cal. Septembris an. 1523. administrationem Ecclesiæ Dulchiniensis Laurentio traditam confirmavit diplomate pontificio, eumque ait *Primatem esse totius Serbiæ*, *Ecclesias autem Suffragáneas*, *& vassallos degere sub dominio Infidelium*; regest. Bull. T. 4. pag. 11. Idem Pontifex an. 1424. 7. Maji Laurentio potestatem fecit, seu potius confirmavit crucis præ se ferendæ *per Sclavon. & Dalmatiam*, Tom. 6. Brev. pag. 59. Is vero Antibarensem cum Dulchiniensi Ecclesia annos circiter septem gubernavit sub felici tranquilloque Venetorum dominatu, quibus per eos annos inducia fuerunt cum Solimano Turcarum rege, dum hic copias ac vires omnes in Ludovicum Pannoniæ regem converterat. Catholicis autem dioecesis Antibarensis nullam injuriam molestiamve illis temporibus per schismaticos illatam reperio; & Laurentius an. circiter 1525. suam Ecclesiam dimisit.

& Dulchin. ac Buduen. Ecclesiæ administrator.

Privilegia ei concessa;

qui suam Ecclesiam dimittit.

JOANNES VII. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXXII.

Notus ex tabulis Romanis, in quibus legitur *Joannes de Tagliacotiis Archiep. Antibar. per cessionem*, scilicet Laurentii; & ex Waddingo, qui Sedem Antibarensem anno 1528. *per obitum Joannis vacantem* scripsit; ex quo fit, ut Joannes post Laurentium ad hanc Metropolim regendam accesserit an. circiter 25. hujus sæculi, quam ad annum fere 28. retinuit. Probabile est, Joannem patria Piranensem in Istria fuisse, & consanguineum, aut affinem Joannis Tagliacotii civis Piranensis, qui anno 1535. renuntiatus est Episcopus Clodiensis, neque idem ac noster esse potest ex Antibarensi translatus ad Ecclesiam Clodiensem; quod patet ex iis, quæ narrat Vinellus in suis Episcopis Clodiensibus p. 2. pag. 108.

Joannes Archiep. an. circ. 1525.

LUDOVICUS II. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXXIII.

Vicetiæ nobili genere natus, Belperto seu melius Belpetro patre, viro eloquentissimo, & civilibus in patria muneribus ac perhonorifica cum Andrea fratre legatione ad Maximilianum Imp. illustri, ex illustri & perantiqua familia Clericata, ex qua Joannes Clericatus Catharensis, & Leonellus Clericatus primum Arbensis, deinde Tragurienſis, demum Concordiensis Episcopi, tum Franciscus Clericatus Ludovici frater Episcopus Aprutinus. Ab ineunte adolescentia in Sodalitatem Franciscanam rigidioris disciplinæ nomen dedit, & anno 1528. v. Idus Maji renuntiatus est Archiepiscopus Antibarensis, ut docet Petrus Rudolphius in hist. Seraph. Relig., idemque tradit Waddingus ad hunc annum; *Creatus Archiepiscopus Antibarensis F. Ludovicus Clericatus per obitum Joannis die* 11. *Maji an.* 1528., & confirmant acta Consist. Annos fere duos ac viginti Sedem Antibarensem tenuit, sed in Pontificatu tam diuturno quid fecerit, quidve decreverit, si pauca quædam excipias, nullis proditum literis invenio, perinde ac si ad gubernaculo hujus Ecclesiæ nunquam sedisset. Ipso quidem anno 1528., quo Archiepiscopus est renunciatus, nomine ac vice Francisci fratris ac Episcopi Aprutini præfecturam Viterbiensem gessit titulo Vicelegati Pontificii, ut ex libro quodam ms. familiæ Clericatæ affirmat Barbaranus lib. 4. pag. 99. utriusque tamen abest nomen a Chronologia Viterbiensium

Ludovicus Archiep. Antibaren. an. 1528.

Ejus gesta.

Digitized by Google

sium Præfectorum apud Bussium in hist. Viterb. pag. 391. ubi duo anni vicesimus octavus & nonus hujus sæculi nullius Præfecturæ signatur. Anno 1530. 13. Aprilis Clemens VII. eum Gubernatorem Narniæ præfecit; ex Reg. Brev. Clem. VII tom. 51. num. 286. quo tempore assensus est disjunctioni Svaciensis Ecclesiæ a sua Metropoli decreto Clementis peracta eodem anno Kal. Julii, ut in Episcopis Svaciensibus dicendum; ac biennio post in agro Vicetino Ecclesiam Montisgaldæ titulo S. Marci consecravit, ubi hæc visitur inscriptio a Barbarano producta lib. 6. pag. 163.

Ecclesia S. Marci Montis Galdæ Fratrum tertii Ordinis D. Francisci consecrata fuit a Reverendissimo D. Ludovico Clericato Archiepiscopo Antibarensi, existente Reverendo D. Francisco Clericato Episcopo Aprutino die XXVI. Mensis Septembi Anno MDXXXII.

Ne vero diutinæ absentiæ incommoda pateretur Ecclesia ac diœcesis Antibarensis, sua vice eis præposuit Dalmatium Episcopum Buduensem, qui an. 1538. hujusmodi administrationem adhuc tenebat; de quo in Episcopis Buduensibus. Sed anno 1541. diploma ab eo datum est *die 17. Maji in loco S. Andreæ prope Rubinum* Antibarensis diœcesis seu agri pagum, uti videtur, quo se Archiepiscopum Antibarensem, & Buduensem nominat itemque Serbliæ Primatem, hisque titulis appellatur etiam in T. 30. Instrum. Cam. p. 34. in Vaticano tabulario; cum adjunctam jam haberet Ecclesiæ Buduensis procurationem; quare inter Buduenses Antistites illum suo loco ponendum censuimus; ubi quæ de hac diœcesi ad illum spectant, ipsumque diploma referemus. Cumque in nostris schedis mentio insit sententiæ nescio cujus secundum Episcopum Alexiensem ab eo prolatæ anno eodem, quod innuit Thomas Ursinus Archiepiscopus Antibarensis in suis litteris an. 1601. nonis Junii, inde certum satis esse potest, Ludovicum venisse antea Antibarim, ibique aliquanto tempore Metropolitæ muneribus coram esse perfunctum.

Interea Paulus III. Concilium generale indixerat, quod anno 1545. jam fuerat inchoatum; & Ludovicus pro suo munere metropolitico litteris ex formula conceptis an. 1546., uti legitur in laudato superius ms., omnes Antibarensis provinciæ Episcopos ad Synodum invitavit. Quo quidem anno ipsum Vicetiæ Ecclesiam S. Luciæ Virginum Camaldulensium solemni consecratione dedicasse, & jurium monasterii Conservatorem probatum fuisse, testes habeo annales Ord. Camald. tom. 8., & anno eodem, ut refert Bonellius T. 3. monum. Eccl. Trident. pag. 422. VIII. Kal. Januarii literas misit ad Christophorum Madruccium Card. & Episcopum Tridentinum. In his *magnum* eum *Cardinalem* appellat, tantumque eidem diuturnæ & incolumis vitæ se a Deo deprecaturum scribit, ut sibi liceat ejus pedes exosculari; tum munuscula offert, gypseas tabellas, in quibus sua manu efficta erant egregie opificia quædam Valerii Belli Vicetini optimi artificis; his enim operibus sese per otium oblectari quandoque solebat; ipsiusque Valerii effigies ab eo ad vivum gypso expressa diu servata fuit in ædibus Hieronymi Guali di Canonici Vicetini, de qua & de Valerio plura habes tom. 4. Biblioth. Vicet. pag. 111. Haud multo post interfuit Ludovicus Concilio; & quamvis in Labbeana Conciliorum collectione inter Archiepiscopos, qui Tridentum convenerant, ejus nomen non legatur, ex actis tamen Concilii perspicuum est, ipsum sessionibus adfuisse Bononiæ primum habitis an. 1547. die 13. Januarii, & die tertia ac decima Martii, tum die 21. Aprilis ac secunda Junii; erat autem Tridenti an. 1551., omnesque Patrum conventus adiit ab ipsis Kal. Majis illius anni ad diem Aprilis vicesimam octavam anni insequentis.

Antibaris obsidio.

His temporibus Antibari a Turcis periculum fuit. Anno 1537. Solimanus Venetis bellum intulerat. Anno proximo, dum in Dalmatia vario rerum successu pugnabatur, Præfectus Scodræ, quem Sangiacum vocant, cum quindecim Turcarum millibus Antibarim aggressus in litore urbi propinquo castra posuit, jamque acerrime urbem oppugnare cœperat, cum Nicolaus Bondumerius sinus Adriatici Præfectus Antibarensibus subsidio venit copiis adjutus imperatoriis Venetæ classis; & milites præsidiarii cum commeatu copioso intromissi in urbem hujus capiundæ spem hostibus ademerunt, qui obsidione soluta, cives gravi periculo metuque liberarunt. Anno 1540. pax inter Venetos & Solimanum, ut cæteris Dalmatis, sic etiam Antibarensibus tranquillitatem attulit.

Ludovicus Archiepiscopatu se abdicat.

Dum Ludovicus versabatur Tridenti, de abdicando Archiepiscopatu cogitavit, illumque demum an. 1551. voluntaria cessione deposuit; titulum tamen utrumque Archiepiscopi Antibarensis & Primatis Serbliæ retinuit itemque pensionem annuam sexaginta quinque aureorum e mensa Archiepiscopali solvendam sibi reservavit. In patriam secedens, cum ibi vitam privatam per decennium degisset, postea tamen Julio Cardinali Roboreo Episcopo Vicetino sex annos vicariam operam navavit; ille siquidem Episcopatum Vicetinum anno 1560. susceperat, quem cum Archiepiscopatu Ravennati commutavit anno 1565., ut adversus Ughellium recte probat Riccardus in hist. Episc. Vicet. pag. 202. Jacobus Marzarius, qui Ludovicum adhuc vivum noverat, in hist. Vicet. ab se edita anno 1591., lib. 2. pag. 197. eum summis laudibus extollit, ac præsertim vitæ integerrimæ sanctitatem, flagrans ad omnia pietatis opera studium, singularem erga omnes charitatem & beneficentiam, effusam in egentes & miseros liberalitatem commendat, ejusque mortem, nescio an memoriæ defectu, an vero librarii culpa error

Ejus obitus & elogium.

irre-

Digitized by Google

irrepserit in alteram, qua ego utor, hujus historiæ editionem an. 1604., conjecit in annum 1575., cum annum ætatis nonagesimum prætergressus fuisset; nam Ludovici obitus an. 1573. consignatur in epigraphe illius tumulo imposita Vicetiæ sub suggestu Ecclesiæ S. Blasii, quam hic subjicio.

F. Ludovicus Cheregatus Archiepisc. Antibarensis, & Serviæ Primas, moribus & vitæ integritate probatissimus hic situs est. Vixit Annos XCI. Menses II. Dies V. Obiit autem An. Dom. MDLXXIII. IV. Nonas Julii.

Ludovicus, quoad vixit, Franciscanum Ordinem, cujus fuerat alumnus, impense coluit, & præcipuo affectu dilexit; nam & Cœnobium Vicetinum S. Blasii, magnam partem, suo ære exstruxit, & in Ecclesia aram Christo Salvatori dicatam erigi jussit. Eidem suam Bibliothecam, & sacram supellectilem sane pretiosam testamento legavit. Par ejus pietas ac munificentia fuit in templum Cathedrale, in cujus sacrario pontificalia indumenta & vestes sacerdotales servantur gentilitiis illius insignibus distinctæ. Visitur in Ecclesia S. Marci Montisgaldæ in Vicetina diœcesi ad altare majus depicta hinc Ludovici simillima effigies, & hinc Francisci Episcopi Aprutini, quorum alterum D. Franciscus Assisiensis, alterum D. Ludovicus Galliarum rex pie amplectitur; de cujus loci, adjunctique Franciscani Cœnobii amplitudine atque conservatione scribit Barbaranus lib. 6. pag. 162. benemeritam esse familiam Clericatam, in primis Belpetrum Ludovici patrem, qui anno 1497. Ædem illam Marcianam Franciscanis donavit.

Error Ughellii notatur.

Ferdinandus Ughellius in Tomo v. Ital. Sacræ de Ludovico mentionem tane honorificam fecit in Episcopis Vicetinis, ubi de Francisco de Ruvere, *qui ad hanc Sedem*, inquit, *pervenit* 1509. *die* 11. *mensis Julii, deinde sub Leone X. hanc Vicetinam cum Volaterrana commutavit* 1514. Hæc autem ibi de nostro Ludovico subjecit: *Sub Præsulatu Francisci Vicetiæ obiit anno* 1509. *Ludovicus Cheregatus genere, ingenio & eloquentia clarus, Archiepiscopus Antibarensis, Serviæ Primas &c.* Verum Ludovicus Clericatus male ab Ughellio conjungitur cum Episcopo Vicetino Francisco de Ruvere; hic enim ad Ecclesiam Volaterranam jam migraverat anno 1514., cum Ludovicus nondum Archiepiscopus esset; Franciscus vero vita excessit anno 1544. multo ante, quam idem Ludovicus & Antibarensem Archiepiscopatum dimiserit an. 1551., & supremum diem obiret an. 1573. Itaque ea, quæ de Ludovico scribit Ughellius, omnino hic resecanda sunt; præsertim cum duos ejusdem nominis & cognominis Archiepiscopos Antibarenses comminiscendi locus non suppetit, alterum seniorem, juniorem alterum; eademque Ughellii periocha ad Julium Robureum Episcopum Vicetinum referenda, de quo hæc ille subdit: *Julius Cardinalis Robureus Vicetinam Sedem suscepit perpetuo administrandam* 1560. 13. *Septembris; quo munere post aliquot annos se abdicavit, renunciatusque est Ravennas Archiepiscopus, cui accesserunt alia opima sacerdotia. Habuit Suffraganeum Ludovicum Cheregatum nobilem Vicentinum Belperti filium, Francisci Episcopi Aprutini*, anno 1522. ex eodem Ughellio, *fratrem, Archiepiscopum Antibarensem ex Ordine S. Francisci districtioris Observantiæ; ex qua prænobili familia Leonellus Concordiensis*, antea Traguriensis, *& Joannes Cataneus*, rectius Catharensis, *Episcopi*. Hunc Ughellii errorem animadvertit laudatus Riccardus allato paullo superius in loco; præsertim cum ab anno 1485. ad annum 1509. Ecclesiæ Antibarensi præfuerit Philippus Gajus, cui tres ante Ludovicum Archiepiscopi successere ad an. usque 1528. Sed & Riccardus ab ipso Ughellio forte deceptus fuit, cum pag. 201. Joannem Clericatum Catanensem Episcopum dicit, qui uni Catharensi Ecclesiæ præfuit.

JOANNES VIII. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXXIV.

Familia de Brunis Olchinii, dum hæc civitas sub imperio Venetorum stetit, in primis inter Olchinienses claritate generis, copia divitiarum floruit. Hæc cum alios multos illustres viros Reipublicæ vel Ecclesiæ, tum etiam Joannem dedit. Fratres habuit Gasparem Brunum equitem Hierosolymitanum, & Antonium, ni forte consanguineus fuerit, qui, bello Cyprio fervente, egregiam Venetis operam in Epiro navavit; &, cum pro defensione patriæ acriter pugnasset, ne civitas hostibus dederetur, quantum in ipso fuit, summa contentione obstitit. Pacta urbis deditione, veritus suorum invidiam, quorum de patria tradenda consilium vehementissime oppugnaverat, navicula conscensa, cum in Apuliam transiturus se in altum ejecisset, a Turcica trireme interceptus in hostium potestatem pervenit. Joannes noster ecclesiasticam prophanæ militiæ prætulit, & aggregatus fuit ad Clerum inter Canonicos Ecclesiæ Olchiniensis; ex quo illum Julius III. ob eximias virtutes, & excellentem doctrinam ad Sedem Antibarensem evexit, & pallio Archiepiscopali donavit, ut est in tabulis Consistorialibus: 22. *Maji an.* 1551. *providit Ecclesiæ Antibarensi tunc vacanti per cessionem Reverendi Patris Ludovici Archiepiscopi in manibus suæ Sanctitatis sponte factam, & per eamdem admissam, Pastoris solatio destitutæ de persona Joannis Bruni Presbyteri Dulcinensis, ipsumque illi in Archiepiscopum præfecit & Pastorem, reservatu eidem Ludovico Archiepiscopi Antibarensis denominatione, necnon pensione annua 65. scutorum auri super mensæ Archiepiscopalis dictæ Ecclesiæ fructibus, quæ transeat ad successores de consensu ipsius Joannis, & cum derogationibus & clausulis &c. 26. Junii* 1551. *Instante D. Joanne Bruno Archiepiscopo Antibarensi præsente concessit pallium eidem Joanni*

Joannes Archiep. Antib. an. 1551.

Digitized by Google

interest Concilio Tridentino;

ni Archiepiscopo. Eodem anno, antequam Antibarim se conferret, & sequenti sub Julio III. interfuit Concilio Tridentino, Carolo Borromæo maxime acceptus. Sed cum propter bella, seditiones, tumultus Germaniæ Concilium iterum intermitti oportuerit, Joannes ad suam Ecclesiam regendam profectus est; vixque Antibarim pervenerat, cum a Julio III. literas accepit sibi & Episcopo Olchiniensi inscriptas die 23. Aprilis an. 1553. queis uterque jubetur, de quadam locatione judicium facere instituta ab Augustino Nigro Abbate S. Nicolai ad fluvium Bollianam in diœcesi Olchiniensi, eamque, si utilis foret illius Abbatis Ecclesiæ, firmam & ratam haberent. Hasce litteras in Jacobo Olchiniensi Antistite describemus. Anno autem 1562., cum Pius IV. Concilium longo intervallo interruptum revocasset, Tridentum reversus reliquis sub Pio sessionibus adfuit; & Servantius in suo Diario cap. 35. hæc de Joanne addit: 1562. *die* 8. *Februarii pervenit Tridentum, & die* 11. *Februarii an.* 1563. *deputatus fuit ad colligendos abusus de Sacramento Ordinis*. Idem inter Episcopos a Julio III. creatos, qui Concilium sua præsentia cohonestarunt, & subscriptione approbarunt, numeratur, *Joannes Brunus de Olchinio regni Serviæ Primas, Archiepiscopus Antibarensis*. Cum vero Antibarim reversus jam esset, nescio quid dissidii illi intercessit cum Laurentio Pisano pro Rotaciensi Monasterio, quod ejus suberat jurisdictioni; jamque actionem in Laurentium intenderat, a quo interea caussa ad Pontificem delata fuit, ejusque judicium postulatum. Pontifex rem totam ad Cardinales referri jussit, qui interpretando de hujusmodi controversiis Concilio Tridentino præerant; & eorum nomine scripsit ad Joannem Julius Pogianus, qui ab epistolis erat sacræ Concilii Congregationi, monens, nequid ulterius in Laurentium ageret, antequam ab iisdem Cardinalibus de illorum sententia litteras acciperet. Pogiani epistola hæc est. *Reverendissime domine. In congregatione illustrissimorum Cardinalium, quos sanctissimus dominus noster in consilium adhibuit ad explicandas quæcumque oriri possint in decretis sacri Tridentini Concilii, dubitationes, relatum est de controversia, quam habes cum nobili viro Laurentio Pisano de residentia S. Mariæ de Rotezzo Antibarensis diœcesis. qua de re dictæ sunt sententiæ prudenter & amanter; quarum ea summa fuit, ut, istius causæ melius cognoscendæ & explicandæ gratia, rem sustineas, & supersedeas omni actione, quam contra ipsum Laurentium instituveras, neque ulterius progrediare, nisi de ea re illustrissimorum Cardinalium sacræ congregationis litteras acceperis: ad quos, siquid præterea opus esse videbitur, scribas. quare amplitudinem tuam hortor, ut, tota re dilata, illustrissimorum patrum consilio & sententiæ obsequi velis: cui incolumitatem & salutem precor. prid. Kal. Apr. MDLXV.* Quid vero consecutum postea fuerit, nullis proditum monumentis comperio.

et Antibarim redit.

Eodem anno, cum Andreas postremus Olchiniensis Episcopus decessisset, *Pius IV. Brunæ Archiepiscopo Antibarensi commisit Ecclesiam Olchinen., alias Dulcinan, quæ ab Civit. Antibaren.* 15. *millia non distat, & de qua oriundus erat. Deinde eam illi ad vitam assignavit.* 30. *Octob.* 1565.; ut est Tomo 2. Brev. pag. 329. Joannes ex mandato Pontificis suscepit etiam administrationem Ecclesiæ Buduensis, nequid detrimenti caperet ex absentia diuturna Antonii Civrèliæ Episcopi, qui e Synodo Tridentina non ad suam Ecclesiam redierat, sed Barium in suam patriam secesserat, ibique apud suos otiosus sedebat.

Annos fere viginti Metropolim & provinciam Antibarensem sapienter tranquilleque gubernaverat, cum Selymus rex Turcarum insulæ Cypri potiundæ cupidus anno 1570. Venetis bellum intulit; cujus quidem belli pars magna in Dalmatiam incubuit. Jamque annus alter belli Cyprii agebatur, cum Antibaris in potestatem Turcarum devenit. Erat Prætor civitatis Alexander Donatus, qui sub initium belli præclara magni animi ac bellicæ virtutis documenta dederat. Num, exstinctis quæ omnino deferbuerant inter patricios ac cives secundi ordinis plebejosque odiis, atque in hostem conversis, militum & incolarum contracta manu, in proximos Turcicæ ditionis populos impetum fecit, & Dobrovadam oppidum Marcovichiorum, qui jamdudum Antibarensibus infensi copias ad invadendos illorum fines cogebant, de improviso adortus, ducentis cæsis, compluribus captis, quinque ex suis tantum desideratis, diripuit atque incendit; mox Volvizam regionem olim Venetis subjectam, armaque parantem aggressus omnia ferro ignique vastavit. His præclare cœptis magis magisque ad res majores aggrediendas incensus de Scodra urbe situ & arte munitissima oppugnanda cogitabat; præsertim cum animos quorumdam Scodrensium ad defectionem proclinatos clandestinis nunciis ac litteris sibi conciliasset, qui urbis capiendæ magnam spem injecerant. Itaque a Prætore Ascrivii milites, arma, cæterosque bellicos apparatus postulavit. Verum Præfectus Turcicus Aulonæ, qui delectas copias Scodram intulerat, tum cives omnes ingenti metu perculsos a rebus novandis avertit, tum Donatum a suscepto consilio deterruit; in quo militaris ille & egregius ardor tum, cum maxime opus erat, refriguit, & pristinam virtutem socordia atque ignava timiditas labefactavit.

Antibaris obsidio & casus in Turcarum potestatem.

Post Olchinium captum & direptum vix hostis ad obsidendam oppugnandamque Antibarim admoverat, cum statim de urbe dedenda Turcicum internuncium libenter accepit, & cum in colloquium venisset, se facile adduci passus est, ut deditionem pacisceretur. Joannes Antistes multis verbis hominem ab eo consilio revocare conatus est; ubi se nihil hortando proficere animadvertit, oratione ad cives conversa ad omnia perpetienda po-

Digitized by Google

potius, quam ad patriam deserendam cunctos inflammavit. Sed, Prætore cum militibus præsidiariis abeunte, Antibarenses destituti viribus, debilitati animis deditionem facere coacti sunt. Ita nobilissima civitas non hostium virtute, sed Præfecti ac ducis ignavia in potestatem Turcarum venit. Ac cæteris quidem vel abeundi, vel remanendi potestas permissa; sed spes opulentæ redemptionis Turcas impulit, ut Joannem Archiepiscopum captum vinctumque in servitute retinerent. Deditionem Antibarensem Andreas Maurocenus lib. x. hist. Ven. his verbis descripsit. *Olchinio capto, ac direpto, in Antibaris conspectum se Pertaus, præfectus classis Turcicæ, dedit; militibus ac tormentis in litus eductis, per Orembejum Alexandro Donato Prætori literas misit, quibus ad urbem tradendam eum hortabatur. Is libenter se cum Orembejo collocuturum respondit; qui, Pertao jubente, prætorianis quibusdam stipatus ad urbis portas accessit; a Joanne Guidiccionio Lucensi præcipuo militum ejus loci præfecto Prætoris verbis in urbem invitatur. Epirota quodam centurione a nostris obside relicto, ingressus, secretoque de facienda traditione cum Donato colloquitur; in id conveniunt, ut postridie suam illi mentem Prætor significet. Guidiccionius missus, qui, vita ac bonis conservatis, unicuique discedendi facultate permissa, deditionem pacisceretur. Ex condicto, Orembejo denuo in urbem introducto, dum concordiæ leges describuntur, Acmetis in propinquos se agros inferentis tentoria conspiciuntur; inde majori metu Donatus perculsus, e vestigio pacta concordia, urbe egreditur non sine ingenti periculo, ne una cum Orembejo a furente milite, atque oppidanis interficeretur, plerisque e civibus ac militibus repentinam ac surpem deditionem detestantibus, quos Joannes Brunus Antonii Bruni affinis summa in religionem pietate, magna in Venetos fide, ad hostium impetum fortiter sustinendum, neque per metum atque ignaviam deditionem facerent, vehementi dicendi ardore incitaverat. Verum Orembejus sollerti astu infimæ plebis ingluviem, frumenti ac commeatus horreis reseratis, permulcere adnixus una cum Donato ac militibus paucisque aliquot civibus evasit; captivum Antistitem hostes fecere. Donatus ob rem perperam atque ignave gestam bonorum publicatione, perpetuo exsilio, nobilitatis amissione a Decemviris est mulctatus. Turcæ, Antibari munita, Spizzæ castri edito loco prope litus siti mœnibus complanatis, Butuam ab Augustino Paschalico Prætore, militibus atque incolis relictam, oppidanis se dedentibus, occupavere, leges eorum ac privilegia sarta tectaque servare polliciti. Verum, abscedente classe, infirmum atque exile oppidum ægre defendi posse earum regionum Sangiacus ratus ad diruenda mœnia, domos solo æquandas, oppidum diripiendum se contulit. Neque aliquod libidinis, avaritiæ, necis, captivitatis genus fuit, cujus vestigia in oppidis, urbibus, agris, tectis innoxiisque populis impressa truculenti ac barbari hostes reliquerint.*

Joannis Archiep. captivitas.

Neque aliter fere cum Antibarensibus actum. Urbem in has conditiones sane honorificas deditam ferunt. Ut civitas iisdem, quibus antea, legibus uteretur, iisdemque regeretur magistratibus; ut Christiani cultum religionis liberum & publicum retinerent; atque initio quidem a sacris templis violandis, vexandisque Christianis Turcæ abstinuerunt; ut bona civium sive immobilia, sive quæ moventur, & fructus ex illis percepti penes antiquos & legitimos dominos remanerent; ut proventus tum communes Ecclesiarum, tum privati familiarum intacti essent, & nullis, quibus ad eam diem non suberant, tributis onerarentur; ut templa & sacella omnia Christianorum tam in civitate, quam in suburbiis, & universo territorio Antibarensi sarta tecta servarentur, & si forte labarent, nemine obsistente, refici possent; ut denique potestas esset cuique vel in urbe commorandi, vel, quocumque vellet, abcundi resque suas asportandi. Verum his deinde pactis & conditionibus haud stare voluit perfidia Turcarum; & præter eos, qui religionis Christianæ servandæ & profitendæ studio voluntarium exsilium sibi consciverunt, plerique Antibarensium æque nobiles ac plebeji, quibus patria & bonorum suorum possessio, quam religio & salus æterna fuit antiquior, ut se acerbissimis exactionibus atque injuriis eximerent, paullatim a recta in Deum fide alii ex aliis desciscere cœperunt, ac demum Christi cultum cum Mahumetica superstitione palam aperteque commutarunt. Verum tot inter clades Pastrovichii gens ferox atque bellicosa, Budua & Antibari interjecta, repulsis hostibus, se suaque omnia in fide & ditione Venetorum retinuerunt. Non defuere tamen ex Antibarensibus, qui egregia ederent virtutis, atque religionis exempla, & Christianam fidem invictis animis adversus Turcarum immanem feritatem nobilitarent. Julius Cæsar Capacius in elogiis lib. 7. num. 38. narrat de nobili quadam virgine, quæ pudicitiæ tuendæ caussa sese in pelagus præcipitem dedit, ne violaretur ab hostibus; rem suismet verbis expedio. *Cum classem in expeditionem contra Venetos Selimus Thraciæ Imperator an. 1570. eduxisset, & in Cyprum insulam cogitaret, dum maritimam oram legeret, militum manus ad Antibarim appulit vicina eppida & agros direptura. Obviam inscia processit nobilis virgo, cui nomen Franca Medimnovicea, quæ hostium aspectum pertimescens in certam & periculosam fugam inter saxorum asperitatem se conjecit. Barbari non improbe partam prædam arbitrati, si eam captivam ducerent, fugientem haud impigre sunt insecuti. Generosa tamen virgo, cum animadverteret aditum sibi alio non patere, ex pendenti saxo maluit se in maris undas præcipitare, quam Scythorum immanem servitutem subire, & invitam violari. Saxa perpetuum nomen sortita sunt, quæ deinceps ab acco-*

Conditiones deditionis Antibarensis.

Egregia Antibarensium facinora.

Digitized by Google

accolis die vineze stine, vlteginis scilicet saxa, appellata fuere. In primis vero enituit ipsius Joannis Archiepiscopi virtus, & pro tuenda catholica religione usque ad mortem fortitudo. Quo enim modo, quove anno, ac die vitam finierit, narrat epistola cujusdam Anonymi in Romano archivo Domus Professæ Soc. Jesu servata, ex qua hæc de Joanne exscribere, & in rem nostram licuit referre. Cum enim a Turcis captus fuisset, uti superius diximus, in potestatem venit præfecti Turcicæ classis, quem Alì Bassam ipsi vocabant. Huic Achmetes Bassa & Belesbejus sive præfectus Romeliæ cum aliis primoribus viris vehementer auctores erant, ut Archiepiscopo, quem virtutis & religionis causa pessime oderant, vivo videntique pellem detrahi juberet. Abnuit ille quidem, decrevitque, cum habitu, cultuque ecclesiastico indutum ducere in triumpho; postea, mutata voluntate, pollicitus est ei libertatem, si eam vellet emere quinque ac viginti millibus aureorum Venetorum. Cognitum deinde est a captivis, qui eo memorabili die, quo Turcæ victi profligatique sunt navali apud Echinadas prælio, die nimirum septimo mensis Octobris anni 1571., libertatem recuperarunt, nunquam destitisse Archiepiscopum, quamdiu in vinculis fuit, hortari tum captivos ad ærumnas patienter ferendas, tum juvenes ad constantiam in retinenda religione, quos Turcæ ad defectionem sollicitabant; & præterea vitandi otii, piæque cujusdam exercitationis causa solitum fuisse corollas ad colendam implorandamque Deiparam Virginem e funiculis conficere, & minoribus majores nodos interponere, unum decimo cuique, quibus oratio dominica, & salutatio angelica designabatur. Exemplo & auctoritate miseros illos continuit, ne a Fide ad Turcicam impietatem desciscerent. Quo die pugnatum est, jussus navis tabulatum conscendere post cladem acceptam a Turcis interfectus est, ne in libertatem vindicaretur. Socium habuit & captivitatis, & mortis Nicolaum Brunum fratris filium annos novem natum supra viginti, jam equitum præfectum, miræ fortitudinis adolescentem. Hunc diu minis, illecebrisque tentatum, ut religionem proderet, ab Archiepiscopi convictu & latere Turcæ disjunxerant, ut facilius ad impiam eorum sectam pertrahere possent; verum illius constantia acrius, crudeliusque furentes eodem die piissimum juvenem obtruncarunt.

Joannis Archiep. mors.

Interregnum Archiepiscopale.

E Joannis interitu ingens damnum accepit universa Albania, ejusque mortem diutino plangore & longa lamentatione Catholici Albanenses prosecuti sunt; cumque ob illorum temporum difficultates diutius, quam par erat, novi Archiepiscopi electio differretur, missus est Romam an. 1575. Theodorus quidam presbyter, qui totius gentis Serblianæ nomine impetraret a Pontifice Antibarensem in locum Joannis Antistitem. Verum, re maturius perpensa, nec assensum præbere Theodori postulationi, nec omnino Episcopali honore & adjumento eam provinciam privare constituit Pontifex; creatusque Episcopus fuit ipse Theodorus, qui interea Antibarensem Ecclesiam administraret; at biennio post vitam finivit. Hoc autem temporis intervallo Turcæ palatium Archiepiscopale occuparunt, & licet intactis templis libertas esset Christianis omnia divini cultus officia exsequendi, e fundis tamen, ac bonis ecclesiasticis plurima diripuere. Anno 1578. rursum ad Gregorium XIII. Pontificem missi cum literis a Serblianis, qui novum Archiepiscopum postularent, & literarum hoc est exemplum descriptum e Romano tabulario Arcis S. Angeli arm. VII. caps. 11. num. 10., in quibus illius Ecclesiæ status exponitur, & quem vehementer expeterent, Antistes nominatur.

Status Ecclesiæ Antibarensis.

Antibaris urbs Epiri mille passus quatuor distat a mari, Archiepiscopali dignitate præstans, & Primatu in Serbliæ regno, cujus postremus Antistes fuit Joannes Brunus. Ad hunc, quoad Ecclesiam suam gubernavit, Christiani omnes, qui in Turcica regione degunt, iique Romanæ religionis ac ritus non e Serblia solum, sed etiam e Macedonia, & Episcopi ipsi, ubi opus erat, accurrebant; qui vero remotiores erant, per alios Episcopos invisere ipse solebat, ne divini verbi, neque sacramentorum administri illis deessent. Sed, eo vita functo, Serbliani humano quovis destituti præsidio Theodorum quemdam presbyterum, & animarum curatorem orantes adierunt, ut a Pontifice Episcopum aliquem impetraret. Is vero, cum Romam venisset anno 1575., Antistes consecratus fuit, & in Serbliam rediens plurimum adjumenti iis gentibus attulit. Alexii morabatur, qua ex urbe Episcopalium redituum pars illi obveniebat, pars ab urbe proxima Scodra; & anno 1577. mense Majo vita excessit. Igitur cum Macedoniæ pagos omnes incolant Christiani, eorumque in catholica religione cultui presbyteri, nedum Episcopi, desint, utile valde foret, siquem Pontifex Archiepiscopum illis præficeret, qui metropolitico jure Macedoniam regeret, ejusque incolis opem ferre posset. Sedes illi opportuna Alexium aut Scodra, vel in Ragusina ditione, haud tamen in urbibus Venetorum, qui liberius in Turcicam regionem queat excurrere. Illud omnino necesse est, vir sit optimæ indolis ac prudens, qui vario illarum gentium ingenio sese accommodet, præsertim cum & Turcis & Schismaticis vitæ suæ ratio, atque doctrina probanda sit, ut utrorumque bonam existimationem sibi conciliet. Hoc munere dignus, eique obeundo aptus foret Bonifacius Episcopus Stagnensis vir prudentissimus, qui regiones illas probe noscit, Turcarum linguam callet, & ab iis gentibus summo in honore habetur. At, si is fortasse nolit, aut nequeat hujusmodi onus ferre, huic subeundo videtur idoneus F. Ambrosius Franciscanæ Minorum familiæ alumnus, qui proximo Jubilæi anno Romæ ad D. Petrum Pœnitentiarii munus gessit, iisque populis ap-

Digitized by Google

prime notus est, atque apud illos honoratus, quos inter sacrum concionatoris ministerium diu exercuit &c.

Hæc literarum summa, in quibus Macedoniæ vocabulum minus proprie sumitur pro Serbliæ regione, a qua vetus Macedonia disjungitur; hæc autem extra fines Illyrici Justinianei sita est, ut in Tomo I. hujus Operis pag. 78. disseruimus. Pontifex itaque, ut opportune rei Christianæ in Serblia prospiceret, illius gentis postulationi assensus est, & Antibarensi Ecclesiæ idem datus

AMBROSIUS ARCHEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXXV.

Ambrosius Archiep. anno 1579.

Cui patria fuit Absorus civitas, & insula Sinus Flanatici, cognomen Capitius, institutum vitæ religiosæ Franciscanum. Hunc Gregorius XIII. Archiepiscopum renunciavit, ut docent acta Consistorialia. *Anno 1579. 9. Januarii providit Eccl. Antibaren. in Dalmatia, quæ nunc a Turcis occupatur, & vacat p. obitum b. m. Joannis Bruni, de persona F. Antonii*, in margine *Ambrosii, Capitii Dalmatæ Ord. Minor. Observ. concionatoris, & cum gratia expeditionis.* Idem confirmat liber 144. provis. *An. 1579. d. 9. Januarii vacanti Eccl. Antibaren. per obitum Joannis Bruni promovetur ad eam F. Ambrosius Capitius Dalmata oriundus Cherso*, insula Dalmatiæ eadem atque Absorus, *concionator, amorum* 50., *Ord. Min. de Observ. Civitas tunc occupabatur a Turcis. Ecclesia catholica erat sub titulo S. Georgii. Ejus fructus Ducat. . . . .*

Cum in provinciam venisset, reperissetque palatium Archiepiscopale occupatum, in quo præfectus Turcicus, quem *Cadi* vocant, sedem sibi constituerat, Buduæ domicilium sibi delegit, quam urbem post pacem cum Selimo redintegratam an. 1573. a Turcis desertam, Veneti receperant, & reædificaverant; & ut Joanni Bruno, sic Ambrosio administratio Ecclesiæ Buduensis commendata fuit. Nec vero illi ad civitatem & Basilicam metropolitanam aditus interclusus erat. Præter milites præsidiarios, & magistratus Turcicos paucissimæ tunc erant familiæ Turcarum; Antibarenses adhuc avitam religionem retinebant, a qua deinde, ut salutem, libertatem, possessiones & fortunas ab assiduis vexationibus & iniquissimis tributis vindicarent, paullatim deficere cœperunt. Stabat Ædes Cathedralis S. Georgii cum suo collegio Canonicorum, stabant templa S. Petri & S. Eliæ in civitate, ac S. Mariæ in suburbio cum suis unaquæque, ut vocant, *Collegiatis*, & singulæ quinis vel senis presbyteris constabant, suus vero cuique Archipresbyter præsidebat. In his quotidianæ psalmodiæ ac liturgiæ usus vigebat. Nemo prohibebat, quominus Christiani palam ac libere ad sacras functiones convenirent, rebus divinis operam darent, & publici æris sonitu evocarentur. Nec dubium esse potest, quin sæpe ipsemet Archiepiscopus, præsertim festis & solemnibus diebus ad urbem accederet, divinis officiis in Basilica cathedrali interesset, Missæ sacrificium Episcopali ritu decantaret; & identidem ad urbem itans gregem Antibarensem ad Christianam religionem constantissime servandam hortaretur.

Ecclesiæ Antibarensis status describitur.

Ac Turcæ quidem proximis post deditionem annis parcebant Christianis, eorum templis & sacris, neque illis ullam molestiam exhibebant, sed bonis Ecclesiarum inhiabant, & alias furtim, alias aperte in patrimonium ecclesiasticum avidas manus inferebant. Cum ergo illorum rapacitas quotidie aliquid decerperet, eo paullatim res venerat, ut brevi mensa Archiepiscopalis & Capitularis, ac cætera sacerdotia ad extremam inopiam redigenda esse viderentur. Antequam Turcarum ingluvies omnia devoraret, Ambrosius insatiabili sacrilegæ gentis avaritiæ obviam eundum censuit, & Venetias se contulit, ut ab Senatu litteras ad Venetum apud Turcas orartorem impetraret, quibus ille juberetur Christianos & Ecclesiam Antibarensem Regi Turcarum commendare, ab eoque exposcere regium mandatum ad præfectum & magistratus Antibaris, quo bonis Ecclesiarum caveret, ac vetaret quidquam ex illis decerpi, quæ vero ablata fuerant, ut restituerentur imperaret. Sed vel Senatus offensionem & repulsam regis Turcici veritus tanti esse non censuit, suam suique Legati auctoritatem interponere, vel ipse Legatus non est ausus petere quod consequi se posse diffidebat.

Ambrosii protuendis bonis Ecclesiasticis sollicitudo.

Anno itaque 1582. Venetiis erat, ut declarant literæ consecrationis Ecclesiæ, cui a *S. Sepulchro* titulus est, *die XIV. Novembris MDLXXXII.* confectæ, ex quibus cognoscimus, ipsum non solum Buduensis, sed & Coronensis Ecclesiæ administrationem gessisse. Extant in Tomo XI. Monum. Eccles. Ven. descriptæ e tabulario monasterii S. Sepulchri, quod Franciscanæ Virgines incolunt.

Erat Venetiis anno 1582. & 1583.

Frater Ambrosius Capitius sacræ Theologiæ Professor Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Antibarensis, Dioclensis ac totius Regni Servie Primas, necnon administrator Budue & Corone, Universis & singulis presentes literas inspecturis, lecturis, pariter audituris notum facimus, quod nos Anno Domini MDLXXXII. die vero XIV. Novembris, que fuit festum Dominice, Spiritus Sancti gratia nobis assistente secundum ritum & formam Sancte Romane Ecclesie hactenus in similibus observatam, & cum licentia illustriss. & Reverendiss. Dom. Patriarche Venetiarum consecravimus hanc Ecclesiam in honorem Sancti Sepulcri &c.

Datum Venetiis in Monasterio S. Sepulcri Anno Domini MDLXXXII., die vero XIV. Novembris Pontificatus Summi in Christo Patris, & Dom. Gregorii Divina Providentia Pape XIII. Anno vero sue assumptionis undecimo. Tunc Temporis Minister Generalis totius Ord. Min. Reverendissimus Pater Frater Franciscus Gonzaga, Minister vero Pro-

vin-

Digitized by Google

vincie S. Antonii Reverendus Pater Frater Franciscus de Arzignano, sed Abbatissa dicti loci Reverenda Mater Archangela Contarena, & Confessarius Ven. Pater Frater Marcus Brixiensis, ac Generalis Commissarius Pater Frater Seraphinus Montalbanus.

Idem qui supra Frater Ambrosius Capitius.

Insequenti anno 1583. in eadem urbe moras agebat; quod ex ejus literis constat testibus sacrorum Ordinum ab se Torcelli quibusdam Clericis permissu Episcopi Torcellani collatorum; his quippe ille annus subscriptus. Spe autem frustratus interdicti ab rege Turcarum obtinendi abiit Romam, ut sibi suæque Ecclesiæ aliquod subsidium ab Apostolica Sede impetraret; & anno 1585. in urbe commorabatur; atque ex liberalitate Sixti V. precario vivebat, ut scriptum est in Cod. Eleemos. Apost. Sedis in archivo Castri S. Angeli. *Anno* 1585. *Ambros. Archiep. Romæ degebat. ubi menstruam eleemosynam recipiebat a Sixto V.*

Suam Diœcesim lustrat.

Buduam reversus cum esset, diœcesim non sine ingenti labore ac periculo lustravit. Difficile dictu est, quanto in odio fuerit apud Turcas, tum quia non latebat, id illum conari, ut patrimonium ecclesiasticum iniquis raptorum manibus eriperet, tum præsertim quod nimio studio & ardore Christianam religionem tueretur, ac summis laudibus extolleret; nec vero abstinebat a secta Turcarum ferventius fortasse, quam cautius impugnanda. Quocirca ut suam in eum rabiem expromerent, non semel injuriis & contumeliis appetitum, pugnis & calcibus conscissum, flagellis ac verberibus cæsum in carcerem contruserunt; & nihil propius factum est, quam ut ei necem inferrent. *Ambrosius de Auxero*, ut est apud Octavium Spaderum, *dira passus est a Turcis;* de quo Franciscus Gonzaga in suis Commentariis de Origine Seraphicæ Religionis part. 2. *Cum F. Ambrosius Absorensis Franciscani Ordinis alumnus atque Antivarensis Archiepiscopus, qui frequentius Buduæ residet, Antibarim visitandarum ovium sibi creditarum gratia petiisset, inibique sacram pro suggestu concionem haberet, a truculentissimis Turcis captus, carceribus mancipatus, flagellis cæsus extitit; parumque abfuit, quod in Mahometem eorum legis auctorem invectus esset, ejusque sathanicam doctrinam damnaret, quin ignibus comburendus traderetur.* Anno 1598. laboribus atque ærumnis confectus ad Superos migravit.

Obiit an. 1598.

THOMAS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXXVI.

Thomas Ursinus Archiep. Antibar. an. 1599.

Hunc quoque familia religiosa Franciscana Archiepiscopum Antibarensi Ecclesiæ dedit. Huic patria Popovus fuit, qui pagus est in Dalmatia superiori frequens ac nobilis, genus & cognomen e gente Ursina, quæ olim opibus & honoribus florebat, atque etiamnum titulum Comitatus Popovensis retinet, & Ursini Comites Popovi appellantur. Thomas tam illustria egregiæ doctrinæ ac virtutis documenta dederat inter Fratres Minores, quos *Observantes* vocant, ut dignum se præbuerit, cui Clemens VIII. metropolim Antibarensem decerneret, ut docent tabulæ Consistoriales: 17. *Februarii* 1599. *providit Ecclesiæ Antibarensi in provincia Albaniæ in partibus Infidelium vacanti per obitum bonæ memoriæ F. Ambrosii, ultimi illius Archiepiscopi de persona F. Thomæ Ursini de Popovo, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci, & attenta summa Ecclesiæ paupertate, & dicti F. Thomæ professione religiosa, Sanctissimus condonavit jura Cameræ & Sac. Collegii &c.* Sexto post mense pallium Archiepiscopale suscepit: 18. *Augusti concessum pallium Thomæ Archiepiscopo Antibarensi cum facultatibus, cæremoniis & clausulis consuetis.* Cum Antibarensi Archiepiscopatu, & Primatu Serbliæ traditu illi fuit administratio Ecclesiæ Buduensis, & munus impositum Vicarii Apostolici in locis finitimis Turcicæ ditionis. Copioso viatico ex ærario pontificio instructus, & opima pensione a Pontifice donatus ad suam provinciam accessit, & Buduæ domum sibi sedemque delegit; nam in civitate Archiepiscopali vix, ubi pedem poneret, aliquid loci habebat. Primum Turcæ, uti diximus, pontificias ædes ademerant; deinde Basilicam Georgianam Cathedralem in fanum Mahumeticum conversam impura superstitione fœdarunt. Templum itidem S. Petri nefariis ritibus ac cærimoniis polluerunt. Duas tantum ædes sacras, alteram urbanam S. Eliæ, alteram suburbanam S. Mariæ Christianis reliquerant, quo se ad religionis officia obeunda conferrent, sed suis illas proventibus magna ex parte spoliaverant, e quibus vix supererat, quod satis esset ad tres Presbyteros alendos. Omnis vero ad civitatem aditus Thomæ interclusus fuit, ut ne semel quidem illi tuto accedere licuerit. Itaque siqui e Clero vel populo auctoritate, consilio operaque Antistitis indigerent, Buduam se conferebant, qua in civitate Clericos sacris Ordinibus initiabat, pueros & adultos sacrosancto chrismate inungebat, omnibus ad se adeuntibus salutaria monita, & recte pieque vivendi præcepta tradebat. Sed decrescebat quotidie numerus Christianorum; ut enim se assiduis vexationibus, conviciis, contumeliis gravissimisque tributis liberarent, alii solum vertebant. alii per summam impietatem cum secta Mahumetana Christianam religionem commutabant.

Buduæ sedem figit.

Thomæ igitur, cum adeundæ eruiendæque civitatis facultas adempta esset, non defuit tamen materies & occasio de re Christiana in illis partibus benemerendi. Inter Episcopos Tribuniensem, Maccarensem & tertium quemdam, qui se dici volebat Episcopum Stephanensem, de quibusdam locis cis ultraque Naronam fluvium controversia erat, quos ad suam quisque diœcesim pertinere contendebat. In hanc controversiam veniebat Comita-

Comitatum Popovi lustrat, aliasque regiones,

Digitized by Google

tus Popovi, qui pagus est inter montes, & planissimo in loco longius, quam latius explicatur. Dum ea lis erat sub judice, Ecclesiæ illarum regionum Fratribus Franciscanis commendatæ episcopali inspectione, cura & vigilantia carebant. Thomas ex mandato Clementis VIII. Comitatum Popovi lustravit, & omnia, quæ sunt Episcopi officia, incolis præstitit; iisdem F. Philippum ex Ordine Franciscano parochum dedit; quinimo Ecclesiis illorum locorum, de quibus erat controversia, alterum sacerdotem ejusdem Franciscanæ familiæ, nomine itidem Philippum, ex auctoritate Apostolica Vicarium generalem præfecit. Ex duabus epistolis Clementis VIII. altera data est Idibus Octobris an. 1600., altera VI. Id. Junii an. 1604. Neutra mihi est ad manus. In easdem regiones iterum ac sæpius Thomam Archiepiscopum a Patribus Franciscanis, quibus Christiana earum gentium institutio & procuratio commendata erat, accersitum fuisse invenio ad sacramentum Chrismatis impertiendum, cæterasque functiones Episcopales peragendas, & plures menses in illis locis commoratum esse cum ingenti animarum illarum utilitate, & divini cultus incremento.

et Evangelicos operarios mittit ad Pastrovichios

Apud Pastrovichios multa quidem messis erat, sed mira paucitas operarum, deerantque qui vel Schismaticos, quorum referta erat illa regio, ad fidem orthodoxam, & sinum Ecclesiæ reducerent, vel Catholicos heterodoxis intermixtos divinis præceptis imbuerent, & sacris mysteriis impertirent. Clemens VIII., ut pro sua paterna providentia saluti gentium illarum consuleret, Thomæ Archiepiscopo per literas mandavit, ut idoneos ex Ordine Franciscano operarios eligeret, qui vineam illam dominicam excolerent; iis vero omnia apostolica munera obeundi, domicilii ac templi in ea regione construendi, itemque fundos quosdam & proventus, antea S. Mariæ Rotaciensi annexos, ab illis, qui eos interverterant, repetendi, e quibus ipsi victitarent, amplissimam facultatem tribuit. Hæc est sententia epistolæ pontificiæ, quam plurimis mendis ob inscitiam vel incuriam amanuensis inquinatam expurgare, quoad ejus fieri potuit, & corrigere conati sumus. Hanc Thomas evulgavit, brevi procemio præfixo, in quo se ipse *Principem Crojæ* appellat, propterea fortassis quod gens Ursina non solum Popovi, sed etiam Crojæ dominatum post interitum familiæ Castriotæ olim obtinebat.

Frater Thomas Ursinus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Antibaren. Serviæ Primas, necnon Princeps Crojæ universis & singulis has præsentes visuris, lecturis, pariter & audituris salutem in Domino sempiternam. Cum ad aures Sanctiss. Dom. Nostri Clementis VIII. pervenerit, animas pretiosissimo sanguine Jesu Christi Dom. Nostri redemptas in Pastrovichiorum regione sub imminenti damnationis periculo esse propter personarum, quæ eos ad Fidei veræ cognitionem & viam salutis inducant, defectum, ex pastorali officio ad nos literas submissionales transmisit, ut illas animas de opportuno salutis remedio provideremus, quæ tales sunt.

jussus per literas Clementis VIII.

Clemens Papa VIII. Venerab. Fratri Salutem, & Apost. Benedictionem. Apostolica providentia, & paterna caritate saluti Fidelium Catholicorum, & aliarum gentium in provincia Pasterovich. in Albania existentium, quantum in Domino possumus, prospicere cupientes de tuæ Fraternitatis pietate, prudentia & Catholicæ religionis studio plurimum in Domino confisi jubemus nonnullos ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia vitæ ac morum probitate, & sacrarum literarum scientia præditos arbitrio tuo eligendos in dictam provinciam auctoritate Apostolica p. te destinari; eisque, ut Fidelibus Catholicis illarum partium ecclesiastica sacramenta administrare, verbum Dei prædicare, & alia, quæ ad illarum animarum salutem, necnon ad Schismaticorum conversionem prodesse poterunt, facere & exercere valeant, facultatem impertimur. Ut vero prædicta facilius adimplere valeant, eis unam Ecclesiam & domum erigendi licentiam pariter concedimus, ac præterea quascumque terras seu terrarum canones, seu livellos ad Ecclesiam nunc dictam S. Mariæ de Rotaciis Antivarensis diœcesis, & S. Visi, quæ a quacumque persona occupata detineantur, recuperandi, & cum dictis Ecclesia & domo uniendi, & alia quæcumque in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodocumque opera faciendi, & exequendi plenam, liberam & amplam facultatem & auctoritatem concedimus & impertimur, non obstanti, quatenus opus sit, decreto Concilii Lateranensis uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibente, ac nostro de unionibus committendis &c. aliisque non obstantibus ordinationibus Apostolicis, vel qualicumque firmitate roboratis consuetudinibus & statutis, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XXII. Octobris MDCIII. Pontificatus Nostri anno XI.

Ut vero pontificio mandato morem gereret Thomas, & Cœnobium exstrui Patribus Franciscanis, quod satis esset tot Cœnobitis, quot necessarii forent Christianæ Pastrovichiorum curæ, & proximam eidem Ecclesiam S. Vito M. ac illius gentis patrono dicatam refici curavit. Verum & Ecclesia & Cœnobio postea eversis, Buduam sese Patres ii receperunt, unde festo quoque die ad proximos e Pastrovichiis Catholicis pagos abire solent, ut eos sacra catechesi instruant, & Sacramentorum ope in recta fidei morumque progressione confirment. Interea non solum suam diœcesim, sed etiam Serbliam fere universam, itemque loca finitima Turcarum imperio subjecta, & vicariæ suæ inspectioni & correctioni commissa sedulo lustravit; quæ quidem peragratio, ut ei maxime laboriosa fuit, & ærumnis ac periculis plena, sic populis illis ad mo-

Serbliam quoque, & loca finitima invisit.

res

res emendandos, pieque vivendum adjumenti plurimum attulit. Hoc autem tempore & consilio & opera plurimum usus est Marci Giorgiæ, quem ejus Vicarium generalem fuisse ferunt anno 1605. tabulæ Collegii Illyrici Lauretani. Duos Parochos, qui pessimis exemplis, & pravis doctrinis plebem Christianam inficiebant, regimine curaque animarum amovit. Metropolitæ cujusdam Rasciani conatus fregit ac repulit, qui per summam audaciam in jurisdictionem Latini Præsulis invaserat, & populos illos labe schismatica, & hæretica contaminare studebat. Turcicos in illis regionibus magistratus qua muneribus, qua officiosis solutionibus & obsequiis sibi conciliavit, quorum opera interposita impetravit a rege Turcarum, ut sibi binos aspros, quæ Turcica moneta exigui valoris, e singulis Christianorum familiis suæ diœcesis, duodenos e primis nuptiis, e secundis duplo, e tertiis quadruplo plures, unum vero singulis annis aureum e qualibet parœcia exigere ac recipere liceret. Annos fere octo hanc Ecclesiam & provinciam haud operosius, quam utilius administravit. E vivis excessit anno 1607. Petrum Ursinum fratris filium tam sanguinis communione, quam virtutum imitatione sibi conjunctissimum habuit, sacerdotem singularis exempli, & vitæ probatissimæ, cujus sepulchro Benedictus Ursinus Episcopus Alexiensis in æde Romana S. Hieronymi hunc titulum honoris gratique animi caussa inscripsit.

Ejus obitus.

D. O. M. Petro Ursino e Comitibus Popovensibus, Thomæ Archiepisc. Antibarensis Serviæ Primatis fratris filio, pietate in Deum, amore in patriam, officio in amicos raro, dotibus sacerdotalibus, charitate in egentes, castimonia perpetua rarissimo, L. annum ineunti, ipso Christi nati sacro die mortalibus omnis abeunti MDCXXIX. *Benedictus Ursinus Alexien. Episcopus patrueli de se optime merito P.P.*

MARINUS III. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXXVII.

Marinus Bizzius Archipresbyter Arben. & Antibaren. Archiep. an. 1608.

Natus est Arbæ, quæ civitas est insulæ Arbensis in sinu Flanatico. Ortum & cognomen duxit e familia Bizzia in primis inter Arbenses nobili & divite, quam e Dynastis Albaniæ oriundam illuc migrasse aiunt. Cum insigni sapientia & doctrina vitæ innocentiam & eximiam in Deum pietatem conjunxit. Primus ei gradus ad dignitates ecclesiasticas Archipresbyteratus Ædis Cathedralis suæ patriæ fuit, ex quo ad supremum sacerdotium Metropolis Antibarensis conscendit. Anno 1608. Romæ cum esset, in urbe illa omnium principe tam multa & illustria virtutum suarum documenta dederat, ut Paulus V. eum Archiepiscopatu Antibarensi dignum censuerit. Itaque hoc *anno* 1608. *9. Februarii providit Ecclesiæ Antibarensi per obitum Thomæ vacanti de persona Marini Bizzii Archipresbyteri Arbensis*. Cum Archiepiscopatu & Primatu ecclesiastico regni Serbliæ tradita illi fuit administratio Ecclesiæ Buduensis. Tres itaque personas unus sustinebat Metropolitæ, Primatis, Administratoris, quas pro dignitate gessit, iisque omnibus cumulatissime satisfecit. Post consecrationem Episcopalem & Pallium susceptum Venetias se contulit, ut a Senatu diploma impetraret, quo sibi potestas fieret tum Buduæ, quæ civitas Venetorum imperio subest, sedem ac domicilium collocandi, tum illius Ecclesiæ administrationem suscipiendi gerendique. Venetiis literas pastorales ad Buduenses & Antibarenses misit sui adventus præmuncias, paternæ charitatis & benevolentiæ plenas, & saluberrimis monitis refertas. Jacturam pecuniæ, argenti facti infectique, & aliarum rerum, quas ad sacram & domesticam supellectilem comparandam, ac vestes pontificales conficiendas e patria Venetias sibi adferri jussit, cum naufragio periissent, æquissimo animo tulit. Dies ipsos quinquaginta rebus necessariis ad navigationem apparandis consumpsit. Ab Senatu itidem literas commendatitias ad Rectores Cathari & Buduæ accepit, quorum auctoritate ac præsidio nixus liberius ac tutius in Venetorum ditione, quæ sunt Episcopi, munera obiret. Venetiis IV. Kal. Junias anno 1608. discessit, & Istriæ Dalmatiæque oram prætervectus Ragusium appulit, qua in urbe animos Optimatum graviter offensos, vehementerque iratos contra Buduenses offendit propter necem vi nocturna illatam Michaeli Sorgo vino patricio immerenti; eosque cum placare studuisset, nihil profecit. Itaque eodem anno 1608. XI. Kal. Septemb. Buduam pervenit, a Clero, populoque obviam prodeunte ingenti gratulatione, lætitiaque acceptus. Postero die in Ædе Cathedrali, quæ titulo S. Joannis Baptistæ consecrata est, Indulgentiam omnium delictorum, ex facultate sibi a Pontifice tradita, promulgavit, gravissima oratione confertissimam multitudinem, quæ convenerat, ad mores emendandos, ad vitam pie instituendam, & Christiano homine dignam, hortatus est; solemne sacrificium fecit, & fere omnes sacrosancto Christi corpore impertiit. In suo comitatu, cum Venetiis discessit, secum deduxerat P. Hieronymum Nimirium patritium Arbensem ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, quos Conventuales appellant, & concionatorem eximium, itemque Angelum Bizzium fratris filium, Presbyterum singulari virtute, & doctrina præditum. Utrique id muneris dedit, ut diebus festis fere singulis, sed præsertim Adventus Dominici, & solemnis quadragesimalis jejunii, conciones ad populum haberent. Duobus e sua aula, & familia Presbyteris imperavit, ut singulis diebus Dominicis præcipua Christianæ doctrinæ capita populo explicarent, & latinis litteris pueros imbuerent: Ædem Cathedralem S. Joannis Baptistæ in pristinum nitorem restituit, parietes hiantes, ac rimosas obstruxit, incrustavit, dealbavit; pavimen-

Buduæ commissum sibi munus aggreditur,

mentum quadratis lapidibus constravit; sacrarium linea, ac serica supellectile auxit; & plures cujusque ætatis sacro chrismate inunxit.

et Pastrovichiorum conversioni incumbit.

Rebus in urbe compositis cogitationem, curamque ad Pastrovichios convertit, qui mare accolunt, vicatim dispersi, ad quinque millia hominum, & fere omnes Schismatici. Venetorum imperio subsunt, & partim ad Buduensem, partim ad Antibarensem diœcesim pertinent. Horum primores, & præsertim Calogeros, si quando Buduam veniebant, Marinus domi sæpe excipiebat, nullumque erga illos charitatis, ac beneficentiæ officium prætermittebat, ut eorum animos sibi conciliaret, deinde ad fidem Catholicam amplectendam alliceret. Ubi Pastrovichienses erga se bene affectos, & optime animatos esse intellexit, Vicarium Buduensem cum Georgio fratre suo & Archidiaconum Antibarensem misit, qui in frequentissimo totius gentis conventu, ad quem ipsi summo cum honore admissi fuerunt, eximiam erga illos Archiepiscopi benevolentiam declararunt, cui nihil magis cordi erat, quam salus æterna illarum gentium; ac proinde eos hortari, atque orare, ut ab schismatica Græcorum societate in gratiam, & communionem redirent cum Ecclesia Romana, extra quam omnis ad beatam æternitatem aditus interclusus esset. Archiepiscopales internuncii perbenigne auditi sunt; nec se illi ab saluberrimis monitis, & hortationibus alienos esse ostendebant; sed de re tam gravi ut deliberandi spatium sibi daretur, postularunt: optimo, suæque gentis amantissimo Præsuli maximas gratias agere, majores etiam habere; quamprimum curaturos, ut quid consilii cœpissent, quidve suæ voluntatis foret, eum certiorem facerent. Interea dum inter se consultant, & plerique ad schisma ejurandum, fidemque Catholicam amplectendam jam spectarent, ac propenderent, rem aliquanto distulit Pechiensis Patriarchæ adventus, ut consueta ab illis, tamquam suæ potestati obnoxiis, tributa exigeret: qua de re certior factus Marinus, veritusque, ne iniquus Romanæ Ecclesiæ Antistes bene cœpta interverteret, statim monet Rectorem, & Provisorem Cathari, e re publica non esse, externum hominem, & Turcarum Imperatori subjectum, ejusve nuntios, ac mandata recipi a Pastrovichiis: tum Rector Marino obsequens edicto cavit, ne Patriarcha ille apud Pastrovichios admitteretur.

Litteræ Catharensis Rectoris ad Pastrovichios,

Franciscus Maurocœnus Rector, & Provisor Cathari ad Præsides, & Magistratus Pastrovichiorum.

Cum nobis allatum fuerit, Patriarcham Pechiensem id moliri, & conari, ut jus suum, & auctoritatem in vestros fines, ditionemque protendat, censuras intentando, infligendoque illis, qui sibi dicto audientes non sint; idcirco vobis mandamus, ac præcipimus, ut denuntietis exilium, triremem, aliasque pœnas arbitrio nostro constituendas omnibus, & singulis, qui eumdem Patriarcham, aut ejus nuntios, vel mandata recipere audeant, itidemque illis qui literas ad eum attulerit, vel ab eo acceperit; ac ne ejus quidem verba excipere, & isthuc ad vos deferre cuiquam liceat. Id omnino exequendum curabitis.

Dat. Catbari prid. non. Febr. 1609.

Pastrovichii pertinent ad jurisdictionem Rectoris Catharensis; hujus interdicto ab omnibus obtemperatum fuit. Patriarcha ab illorum finibus repulsus, adituque prohibitus recessit ille quidem, sed plenus indignationis, atque iracundiæ, ut virus acerbitatis suæ evomeret, misit quemdam Calogerum, qui diras omnes, & exsecrationes Pastrovichiis denuntiaret, atque maledictis omnibus configeret: quæ omnia cum illi tamquam irrita, atque inania, pro nihilo haberent, magis, magisque studio, & cupiditate religionis Catholicæ suscipiendæ incensi sunt. Re igitur communicata cum Rectore Catharensi, & Archiepiscopo Antibarensi, Calogerum quemdam cum duobus aliis oratoribus Venetias miserunt an. 1609, ut a Senatu literas commendatitias ad Paulum V. peterent, quarum auctoritate aditum sibi faciliorem ad Pontificem munirent, & tam ipsi, quam gens universa Pastrovichiorum, post abdicatum schisma Græcorum, editamque fidei Catholicæ professionem, in gratiam, & communionem Ecclesiæ Catholicæ benigne reciperentur. Sed a quo potissimum adjuvari oportuerat, is præclara illorum consilia disjecit, ac prorsus evertit. Erat tum Venetiis Presbyter quidam Buduensis, Franciscus Scoroveus, maxime infensus, & inimicus Marino Archiepiscopo, qui cum duobus fratribus conjurasse videbatur, ut piis illius consiliis obsisterent, & quibuscumque possent, molestiis illum, & calumniis afficerent. Cum Archiepiscopus ei propter insignem, notamque temeritatem, & contumaciam sacrificandi potestatem interdixisset, ille ab Episcopali interdicto ad pontificium apud Venetos Internuncium appellaverat; jamque Venetiis versabatur, fictis interim criminationibus Marinum lacessens, & maledictis libellis Buduæ vulgatis; eoque gravius ira, & ulciscendi cupiditate inflammatus, quod Internuncius de ejus nequitia ab Archiepiscopo edoctus illum ne aditu quidem, nedum alloquio dignum putaverat; cum forte fortuna in oratores Pastrovichios incidit, a quibus cum cognovisset, cujus rei causa venerant, illos increpavit, quod vellent deserere avitam majorum suorum fidem, & huic Romanam præferre; sed cum Calogerus Pastrovichiæ legationis princeps ejus dicta, & obtestationes refelleret, auctoritatem interposuit viri cujusdam, in primis inter Græcos, qui Venetiis erant, præpollentis divitiis, & Græcanici schismatis tenacissimi. Is promissis, & minis illos dehortari non antea destitit, quam a suscepto consilio abduceret. Itaque re infecta ad suos redierunt, quos paulo post Scoroveus secutus est. Hunc impedimento fuis-

qui serio studeant cum Romana Ecclesia reconciliari;

sed Scoroveorum malitia negotium intervertitur.

Digitized by Google

fuisse, & per hunc stetisse, quominus Pastrovichii Ecclesiæ Romanæ reconciliarentur, testificatus est Hieronymus Eremita, vir bonus, & simplex; idque ex ipso Cœnobiarcha Monasterii Calogerorum apud Pastrovichios se intellexisse affirmat, sacramento in hanc formulam interposito.

Hæc de re testimonia,

Ego F. Hieronymus Tetricus Jadrensis Eremita, & custos Ædiculæ S. Nicolai supra scopulum prope Buduam juratus testificor, Præfectum, sive Hegumenon Calogerum apud Pastrovichios mihi plane confirmasse, se, & Pastrovichios omnes hortatu, & impulsu Illustriss., ac Reverendiss. Bizzii Archiepiscopi Antibarensis consilium cepisse redeundi in gratiam cum S. Romana Ecclesia; sed cum decrevissent petere a Serenissimo Principe, ut sibi potestas fieret mittendi Romam, qui hujus reconciliationis negotium cum Sede Apostolica transigeret, piis consiliis intervenisse Franciscum Scoroveum Presbyterum Buduensem, qui debortando, absterrendoque rem omnem disjecit; id quod mihi præterea confirmavit Franciscus Gentilizza Scriba Pastrovichiorum. Cujus rei testimonium hisce litteris consignavi, & mea manu subscripsi.

Dat. Buduæ prid. Id. Febr.

Ego F. Hieronymus, qui supra, mea manu.

Ejusque testimonii adstipulatorem sese scripto declarat Joannes quidam Feus civis Florentinus Buduæ per id temporis degens.

Ego Joannes Feus Florentinus juratus testor, illud testimonium manu ipsius Eremitæ esse descriptum, tum, quæ continet, itidem vera esse; cum de ejusdem Scorovei ore proprio & ipse eadem acceperim, ut in quæstionem jure vocatus affirmavi. Ipse mea manu subscripsi, meoque signo obsignavi.

Locus ✠ Sigilli.

Legationem Pastrovichiorum irritam, & operam suam ad conversionem illius gentis adhibitam unius hominis culpa frustratam fuisse, optimus Præsul vehementissime doluit; & Maurocenum Cathari Rectorem de infelici successu admonitum per literas rogavit, ut de legatis ipsis rei totius gestæ seriem cognosceret, & ne impunitum esse sineret, quem tanti mali auctorem fuisse comperisset. Rector rescripsit, se quoque de impedimento Pastrovichiorum conversioni per quemdam Presbyterum injecto maximum dolorem cepisse; sed sibi quæstionem in eum instituere per leges ecclesiasticas non licere; ipse Archiepiscopus suo in eum inquirendi, atque animadvertendi jure utatur.

et Rectoris Catharensis literæ ad Marinum.

Franciscus Maurocenus Rector, & Provisor Catharensis Marino Bizzio Archiepiscopo Antibarensi.

Dolet mihi, Reverendissime Domine, quod legati Pastrovichiorum, re infecta, redierint, & meam, tuamque spem de Pastrovichiorum ad Ecclesiæ gremium reversione tantopere expetita fefellerint. Si vera mihi nuntiata sunt, Deus ignoscat ei, qui tam utile rei Christianæ consilium disjecit. Quod vero a me petis, ut hac super re de legatis quæri jubeam, hujsmodi quæstio, cum, ut probe noveris, habenda sit in virum religiosum, ad meum jus, forumque non pertinet. Ceterum ipse pro potestate ecclesiastica in eum inquiras, tuoque jure utaris, licet. Et cum nihil præterea sit, quod huic epistolæ adjiciam, tibi reverenter manus exosculor.

Dat. Catbari Kal. Oct. an. 1609.

Schismaticorum quorumdam conversio,

Non defuere tamen tum e Pastrovichiis, tum e vicinis circa Buduam pagis plures schismaticorum, qui sincero, alacrique animo Catholicæ Ecclesiæ fidem sponte amplexati Marini mœrorem, tristitiamque nonnihil temperarent. Hosce inter Radus quidam e vico Braichio, cum solemni ritu Catholicorum dogmata Buduæ professus esset coram Archiepiscopo, cæteros exemplo illexit, permovitque, ut ad tutissimum Romanæ religionis portum e schismatis tempestate sese reciperent. Fidei formula a Rado prolata constat ex Actis Archiepiscopalibus Buduæ compositis, ut inde illa descripta accepimus.

Constitutus in præsentia Illustriss., & Reverendiss. D. D. Marini Bizzii Miseratione Divina Archiepiscopi Antibarensis &c. existentis cum pluribus Nobilibus viris hujus Civitatis in sala suæ solitæ audientiæ Radus Radonicin de Bracchio loco schismaticorum diœcesis Antibarensis humiliter exposuit, quod cum ipse usque adhuc schisma Græcorum secutus fuerit, eorumque nonnulla falsa dogmata, & superstitiones, humiliter supplicavit S. D. Illustrissimæ, ut vellet eum accipere in gremium fidelium, & reconciliare cum S. Matre Ecclesia Catholica Romana, atque a censuris absolvere, cognoscens, atque professionem faciens, non esse aliud caput in Ecclesia Christiana, nisi Romanum Pontificem, atque credendum esse id, quod credit, & docet ipsa Romana Ecclesia, prout ipse credit, & profitetur, detestans, & abjurans omnia alia dogmata, superstitiones, & abusus tam schismaticorum, quam aliorum quorumcumque hæreticorum contra Fidem Catholicam introductorum, cum protendat velle, quamdiu vixerit, esse sub obedientia, & potestate Romanæ Ecclesiæ, atque sanctissimorum Romanorum Pontificum.

Tunc idem Illustrissimus D. Archiepiscopus post probatam constantem voluntatem, & desiderium D. Radi se ad Catholicæ Romanæ Ecclesiæ sinum conferendi, ab omnibus ibi præsentibus pariter exoratus vigore facultatis sibi a Sacra Congregatione Illustriss. D.D. Cardinalium in universa republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum in Urbe pridie Cal. Maii 1608. concessæ, eumdem Radum Radonicinum humiliter genuflexum, & fidem Catholicam, aliaque ad hoc necessaria professum, adhibita debita forma, a censuris absolvit, atque recepit in gremium S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, eum restituendo sanctis sacramentis Ecclesiæ, & unitati fidelium, præsentibus inter multos alios strenuis Capitaneis, & nobilibus hujus civitatis

Digitized by Google

tatis Buduanæ, Illustrissimis Domino Bubich, & Simone Petcovich testibus rogatis.

In quorum fidem &c.

Dat. Buduæ die Sanctissimæ Epiphaniæ Domini, 6. mensis Januarii, 1609.

eorumque nomina ex Actis Archiepiscopalibus descripta.

In eadem verba & reliqui schisma ejurarunt, quorum nomina ex Actis nuper citatis huc transcribere libet, ut egregia, & constans eorum virtus, piusque sinceræ conversionis ardor etiam scriptis commendetur. Fuerunt autem

Dabus Andreæ de Raicich de villa Braicchi
Hirenes uxor Vuci fratris ejusdem
Michael de Montenigro
Margarita Stephani de Spizza
Comes Alexander Dominus de Maino
Vucinna ejus filius
Margarita filia Georgii Vucbsanni
Anna relicta q. Stephani de Pobori
Angelina uxor Illustrissimi Nicolai de Spizza
Joannes q. Vucich de Maino
Angelina Georgii de Spizza
Radus Nicolai de Zupza.

Queis & hosce adjungimus e vico, cui Castelli cognomen inditum, in regione Pastrovichiorum, orthodoxa religione coram Archiepiscopo solemniter obstrictos, cum is Castellum inviseret. Hi scilicet

Catharina filia Vincentii Medini
Angelina filia ejusdem
Helena filia ejusdem
Christina filia Nicolai Pastra
Stanizza uxor Stephani Ruzzacvich
Rosa filia Stephani, & Rulizzæ
Francisca filia Marci Medini
Flora filia Stephani Zanovich
Damianus filius Lucæ, & Helenæ
Nicolaus filius Vuci e Montenigro
Angelina Jacobi Pastrovicchi
Vincentia uxor Seculi Medini

Masini de invisenda Ecclesia Antibarensi sollicitudo,

Itaque de Pastrovichiis ad communionem Ecclesiæ reducendis cogitatione in aliud tempus opportunius dilata, nihil in præsentia magis curandum censebat, quam ut aditum sibi ad civitatem, & metropolim suam visendam aperiret. Statim atque Buduam appulerat, Antibarenses de suo adventu certiores fecerat, qui primores e Clero, & utroque civium ordine ad eum legatos misere, qui suam erga illum observantiam, atque obedientiam profiterentur; & quamvis nihil vehementius optarent, quam ejus præsentiæ, & conspectus sibi copiam fieri, illum tamen admonuerunt, ne ad civitatem accederet, nisi tectus, & munitus Imperatorio Regis Turcarum diplomate, nisi vellet non solum Archiepiscopalem dignitatem in contemptum, & ludibrium, sed libertatem etiam, & vitam in discrimen committere. Itaque cogitationem, curamque ad hujusmodi diploma impetrandum convertit. Peropportune accidit, ut magno in honore esset apud Regem Turcarum quidam Arbensis, quem admodum puerum bello Cyprio captum Turcæ Constantinopolim abduxerant; & sacris Turcis initiatus, natali nomine posthabito, Mahumud appellatus fuit. Cum esset egregia forma, & indole, excelsoque animo præditus, facile sibi gratiam & benevolentiam apud proceres aulæ, ipsumque Imperatorem conciliavit. Itaque jussus est inter regios ephebos educari, & militari scientia, ac bellicis artibus eruditi; in quibus sic excelluit, ut omnes æquales longe, multumque superaret: potissimum arcus tractandi dexteritate valebat, ex quo cognomen invenit, & vulgo appellari solebat *Chiemanchies*, idest Princeps *Sagittariorum*. In Hungarica expeditione, cum ordines duceret Spahoglanorum, quod genus est militiæ Turcicæ, tam multa, & præclara fortitudinis, & scientiæ bellicæ documenta dedit, ut Constantinopolim reversus militibus prætorianis præpositus fuerit, nec multo post Bassæ nomen, ac dignitatem cum præfectura regionis Natoliæ obtinuit. Quanti eum faceret, Imperator satis ostendit, qui haud sibi dedecori duxit, affinitatem cum illo jungere, una de suis consanguineis in matrimonium eidem tradita. Marinus ergo per litteras Mahumud Chiemanchies Arbensem patriam, quæ sibi cum illo communis erat, in memoriam revocavit; & pro illa charitate, quam inter cives natura ipsa ingenuit, eum rogavit, ut sibi diploma imperatorium, quo indigebat, ad suum in ditione Turcica præsidium impetraret: & fortasse addidit etiam consanguinitatem, quam alteri cum altero intercedere vulgata inter Turcas opinio erat, quæ illi vel plurimum profuit, ut in honore haberetur apud Rectores, & magistratus illarum urbium, eique suum favorem, ac patrocinium præberent. Epistola, & postulatio Marini valuit apud civem, & consanguineum, qui facile ab Solimano impetravit, atque ad eum transmisit expetitum Diploma, quod e Turcico in Italicum, ex Italico in Latinum sermonem conversum est hujusmodi.

et in hanc rem commendatitium pro illo Turcæ Imperatoris diploma.

Mandatum nobilis hujus, sublimis, dominatoris, Imperatorii signi, nuntii felicitatis, domitoris terrarum Orbis, ab omnibus ubique gentium, qua dignum est, veneratione Divino jam favore acceptum, & obtemperando perfectum, id significat, Marino Bizzio Archiepiscopo Francorum provinciæ Antibarensis, in locum summoti Episcopi suffecto, cum die 16. Lunæ (1) a Mensis Zemasil Achir anni 1018. asparos (2) octingentos, & octoginta regio ærario de more solvisset, hoc regale privilegium, nuntium prosperitatis, incrementum lætitiæ a nobis esse concessum; & jubemus eumdem Marinum esse Episcopum nationis Franchæ, & juxta consuetudinem sui Canonis, & ritus, quæ sunt Episcopi munia, peragere; omnes vero tam Presbyteros, quam Monachos ei subesse, seque ad omnia, quæ ad jurisdictionem Episcopalem pertinent, obedientes præbere. 1 2

Quidquid bonorum sive Presbyter, sive Cœnobita, sive Calogerus intestatus decedens reliquerit, nisi summam quinque mille asprorum exsuperet, ex antiquo more Episcopus acquirat; si vero summam illam excedet, in ærarium publicum inferatur. Eorumdem autem le-

Digitized by Google

legata in Ecclesias, vel pauperes, secundum id, quod in supremis tabulis præscriptum ab illis fuerit, sine ulla contradictione, aut diminutione erogentur.

Penes Episcopum potestas sit, Clericos, & Presbyteros, ac Monachos recipiendi, & approbandi, vel exaucterandi, prout eos dignos, vel indignos esse juxta ritum suum, atque consuetudines judicasset.

Neque Presbyteris, neque Monachis liceat injussu Archiepiscopi inter Francos matrimonia jungere.

Siquis uxori suæ nuntium remittere, vel si qua mulier a viro suo discedere velit, jure ne, an injuria id fieri possit, Archiepiscopus dijudicet.

Quos reditus ex hortis, vineis, prædiis, Monasteriis, molendinis, aliisque frugiferis rebus superiores Archiepiscopi percipere solebant, eosdem, quominus percipiat Marinus Bizzius, nemo prohibeat, vel obsistat.

Dat. Constantinopoli die 20. Lunæ Mensis Zemasil Acbir an. 1018.

NOTÆ.

1. Is est mensis Septembris an. 1609., quem Turcæ decimum octavum supra millesimum numerant ab Hegira, seu Mahometis fuga.

2. Asparus, sive asprus est argenteus nummus valde exiguus, & pretium Veneti oboli parum excedens.

Is Budua discedit.

Præterea idem Imperator literas dedit ad præfectum Antibaris, quem Cadì vocant, ut, quæ jusserat, exsequenda curaret, & qui contra fecerint, in eos severe animadverteret. Præfectus Augustali mandato, tum regiis literis acceptis, statim fidem publicam suo chirographo subscriptam, signoque obsignatam ad Marinum misit, qua ille munitus non solum in urbem ingrederetur, sed etiam loca omnia ditionis Turcicæ, quacumque vellet, peragraret. Marinus itaque post Buduenses, qui ad Sacrificium pontificale convenerant, sanctis precationibus, & saluberrimis monitis impertitos, 3. Id. Jan. ad littus processit, ut navigium conscenderet, prosequente Buduensium procerum comitatu, qui, cum de repetenda, qua dudum caruerant, Episcopali dignitate consilium cepissent, ne id factum malevoli homines suspicarentur, quod Buduenses ægre ferrent Antibarensis hujusce Præsulis potestatem, minusque grata fuissent Marini gesta, hoc de illo testimonium sane perhonorificum in publicas tabulas retulerunt.

Perhonorificum de eodem Buduensium testimonium.

Nos Judices, & Procuratores Magnifici Buduæ Communis, adjuncta minoris Consilii auctoritate.

Cum Magnifico Buduæ Communi visum sit, curandum omnino esse, ut vetustus Episcopatus honor in hac urbe nostra renovetur, cumque nonnulla fuerint in hanc sententiam provisa eo tempore, quo Marinus Bizzius Archiepiscopus Antibarensis hic residet Buduensis Ecclesiæ invisendæ causa, ne hæc ideo viderentur statuta, quia civitati non satisfecisset quasi suo muneri parum intentus, decrevimus hoc scripto cuique illud legenti attestari, eumdem Archiepiscopum, quamdiu hic manet, nulla unquam in re sibi defuisse, quæ bonum deceat Antistitem, & divino honori psospiciendi sollicitum, atque animorum incolumitati: nedum quippe piis moribus nostrates filios sedulo curat institui per honoratos suæ familiæ viros, & optimis Christianæ doctrinæ præceptis, cujus præcipua capita publice in Ecclesia explicanda sancivit festis diebus, verum etiam humanioribus literis erudiri, nullo proposito iisdem præmio: tum Divina mysteria solemni pompa, musicoque apparatu celebrari frequenter jubet; sæpe ipse, sæpe ejus ex fratre nepos, sacro præsertim Dominici Adventus, & quadragesimalis jejunii tempore conciones habuerunt, magno totius populi commodo, atque utilitate: nec sibi indulsit, quominus plures quandoque ægros inviseret, solaretur, & morti proximos criminibus expiaret, summa in omnes charitate fervens, cujus specimen sane eximium exhibuit in Pastrovichios vicinos nostros, dum gravi plurium mensium labore, nec absque fructu de illorum ad Ecclesiam Catholicam conversione sategit, hæc, aliaque gerens communi omnium approbatione dignissima. Nobis itaque visum, partes esse aliquas muneris nostri, officiique erga illustrissimum Præsulem, ut hoc a nobis testimonio commendetur propria eorum manu, qui consenserunt, subscripto, & Magnifici hujus Communis solemni apposito signo.

Dat. Buduæ die prima Julii an. 1609.
Marcus Antonius Bubichius Judex affirmo.
Baptista Belglava Judex.
Franciscus Angelovichius Procurator.
Marcus Petcovichius Judex.
Eques Joannes Solimanus Actor.
Ego Georgius Radelichius Actor.
Ego Hieronymus Ivanisius Actor.
Ego Stephanus Angelovichius cognomento Levarda.
Locus ✠ Sigilli Magnifici Communis.
Scriba Magnifici Communis Demetrius.

Antibarensem Ecclesiam

Interea Bizzius, unius diei itinere confecto, postridie, quam Budua discesserat, Antibarim venit. E sua familia septem in suo comitatu, suique itineris socios habebat, in quibus F. Hieronymus Nimirius Franciscanus Theologus idem, & concionator, & Georgius Abobus Sacello pontificio præpositus. Ad littus primarios e Christiana, & Turcica nobilitate viros suum adventum expectantes reperit, qui obviam illi processerant, ut Archiepiscopum, quo dignum erat, honore acciperent, atque in urbem deducerent. Postquam Prætorem civitatis, & cæteros magistratus, primoresque Turcarum consuetis salutationum officiis, & variis muneribus pro eo, ac postulabat cujusque dignitas, coluisset, Christianis diem proximum Dominicum indixit ad conveniendum in ædem S. Eliæ; nam Cathedralem Basilicam Georgianam in fanum Mahumeticum Turcæ converterant. Constituta igitur die in templum S. Eliæ ingens Christianorum multitudo confluxit. Marinus pontificali ritu sacrificium fecit, con-

Digitized by Google

concionem habuit, sacra confessione expiatos divina Eucharistia impertiit, iisdemque ex potestate sibi a summo Pontifice tradita plenariam Indulgentiam concessit, plures ex utroque sexu sacrosancto chrismate obsignavit. Mensem unum, & aliquot præterea dies, rebus ecclesiasticis ordinandis, Cleri disciplina restituenda, & stabilienda, populi moribus corrigendis, atque ad virtutem, ac pietatem colendam excitandis, festis diebus, & sacris functionibus ab omni labe, & superstitione purgandis insumpsit. Illud vero plane impium, & sacrilegum exemplo suo devitandum, & exsecrandum docuit. Opinio superstitiosa inter Turcas invaluerat, infantes suos, si Christianorum baptismo abluerentur, immunes fore a sortilegiis sagarum, ejusque efficacia lupos, ac cæteras feras arceri, & fœtorem quemdam evanescere, qui ingenitus ex illius gentis corporibus exhalat. Nec deerant e Presbyteris, & Monachis, qui seu metu coacti, sive muneribus illecti Turcarum infantes baptizarent. Fœmina quædam primaria, cui nomen Fatimiæ, uxor Molisagæ viri inter Turcas tum dignitate, tum opulentia præpollentis, ferox, & imperiosa, puerulum paucis ante diebus ex se genitum ut aqua lustrali perfunderet, Marinum Archiepiscopum qua promissis, qua minis interpositis rogavit. Ille nihil mulieris procacissimæ iracundiam, & ferociam veritus constantissime abnuit, suoque exemplo cæteros deterruit, ne hujusmodi sacrilegis Turcarum postulatis morem gererent. Nec vero Antibarensis commoratio periculo, metuque vacua fuit tum propter Fatimiæ, quam in se concitaverat, indignationem, tum propter Scoroveorum insidias, quorum impio facinore Christiana res denuo in discrimen cœpit adduci. Hi quidem ante Archiepiscopi adventum Antibarensium animos per summum malitiæ nefas commoverant, ut is ab urbis aditu, suique muneris exsequendi facultate prohiberetur; sed Marini consilio, patientia, dexteritate sedatis turbarum fluctibus, Scorovei illum Antibarim insecuti Turcarum Magistratus adeunt, iniquas de homine suspiciones injiciunt, pellendumque e civitate consulunt, simul Buduenses, Catharenses, Pastrovichios ab eadem arcendos, qui plurimi eo convenirent in speciem quidem visitandi Archiepiscopi, revera seditionis moliendæ causa. Hisce permoti principes edicto utrumque jubent; advenæ ab urbe pulsi; significata Marino suspicio, & discessus illico indictus. Ille, comperta fraude, nihilominus hæc per nuntios Magistratibus reddit; se eo tantummodo Antibarim venisse, ut Christianæ religioni prospiceret; id sibi Imperatorio diplomate, & literis, atque amicitia Isufbeghi totius provinciæ Præfecti ultro permissum, jussumque; si discessionem urgeant, omnino parendum; rogare tamen, ut propter viarum, pluviique cœli incommoda ad dies quinque, aut sex differatur. Lectis Isufbeghi litteris Turcæ acquievere, atque, excusatione interposita, commorandi, abeundive, quo vellet, arbitrium Marino permittunt; qui, cum Antibari sibi tuto esse minime liceret, Antibarensem diœcesim invisere apostolica excursione decrevit.

gravi cum metu, & discrimine

Itaque Foiemilium, ac Susanum agrum adit, ubi ingenti cum gaudio ab incolis Latina fide, ac ritu excultis exceptus est; Susani refecta Ecclesia, Foiemilii solemniter consecrata. At vix sui muneris officia quæque utrobique præstiterat, cum Antibarim sibi redeundum esse æquum duxit, ut Ebraimum conveniret Scodræ Præfectum, quem *Sanzaccum* vocant, sibique hominem pro re Christiana amplificanda donis, obsequiis, amicitia conjungeret. Hic oblata illi occasio est in Epirum penitius introeundi, qua, licet ancipiti, timidoque animo, arrepta, viæ sese commisit, ut, intermisso per diœcesim cursu, subjectam suæ metropoli provinciam præsens ipse inspiceret, quibusque fieri posset adjumentis ab infelici rerum statu relevare niteretur, divina fretus ope, Superumque auxilio, quo pericula averterent, quæ vel itinerum difficultate, vel Turcarum insolentia facile prospiciebat sibi obventura. Quare Antibari iterum digressus, & Selictam Turcicum pagum præteriens, Suaciam primum advenit nobilissimam olim, atque episcopalem Epiri urbem, nunc penitus eversam, exiguo tantum vico, & lacu cognomine superstitem, viginti fere passuum millia Antibari in ortum dissitam; ubi Christianos loci accolas piis sermonibus, & Sacramentorum munere consolatus ad pagum S. Georgii ulterius perrexit. Atque hic prima illi laborum, atque ærumnarum patuere initia, quibus in hac peregrinatione conflictatus & in extremum quandoque rerum suarum, libertatis, ac vitæ discrimen adductus, incredibile dictu est, quæ, & quanta perpessus fuerit, dum veluti Metropolita, ac Primas, non solum universam Epiri provinciam, sed Serbliam quoque perlustraret, adeo ut, quæ Apostolus de se commemorat in altera ad Corinthios epistola, eadem fere ad Marinum referri possint; *in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus, in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in frigore, & nuditate &c.* Quacumque enim iter faceret, alibi solitudines, alibi montes objiciebantur ardui, ac prærupti, quos vix reptando transcendere poterat; hic prælatæ nives, illic stagnantes aquæ viam quandoque gravi cum discrimine transversæ, & amnes ripis effusi, qui transitum obstruxerant, vel difficilem, & periculosum reddebant. Sæpe dies jejunos, & noctes insomnes traduxit; quippe fessus de via, & fame prope enectus, vix cibarii quod satis esset, quo vesceretur, inveniebat, & fœneum, in quo decumberet, humi stratum. Nec minus diversoria, quam itinera erant a latronibus infesta, quos ut de-

ac diœcesim lustrat;

inde in Epirum penetrat.

itinerum labores, ac pericula.

Digitized by Google

declinaret, atque effugeret, & ducibus locorum peritis, & armatis hominibus opus erat; quamquam fida, ac diligens custodum, atque vigiliarum munitio illum haud satis incolumem ab prædonum insidiis, ac ausibus nefariis reddidere: quin in ipso præsertim Georgiano pago prope omnino fuit, ut vita miserrime periclitaretur. Rem, prout evenit, publicis literis consignavit, ediditque Nicolaus Blancus Episcopus Sappatensis, & Sardanensis, tum ut sui Metropolitæ virtutem, quo par erat, laudis, atque honoris testimonio commendaret, tum ut Christianos provinciæ incolas ad opem illi, præsidiumque ferendum excitaret: literarum exemplar extat hujusmodi.

Episcopi Sappatensis testimonia pro Marino.

Nicolaus Blancus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Sappatensis, & Sardanensis, omnibus, & singulis, ad quos præsentes nostræ pervenerint, fidem facimus, & attestamur ob relationem fide dignorum testium ad casum infrascriptum præsentium, quatenus Illustrissimus, & Reverendissimus D.D. Marinus Bizzius Archiepiscopus Antibarensis Primas Regni Serviæ &c. una cum Rev. P. Fr. Hieremia Nimirio Ord. Min. de Observ. Theologo, & Concionatore suæ Dominationis Ill. & Reverend., Presbytero Georgio Melliceo Capellano, atque Clerico D. Angelo Bizzio, & D. Marino ejus fratre, familiaribusque aliis, perficiens munus visitationis diœcesis suæ Archiepiscopalis Antibarensis, cum pervenisset ad flumen Bojanæ in locum S. Georgii nuncupatum huic nostræ diœcesi confinantem, existens in domo Presbyteri Thomæ Armani Curati ejusdem loci, in die S. Gregorii in instanti de mane ad auroram fuit aggressus a quibusdam Turcis armatis de Olchinio, a quibus post varias impietates factas contra eamdem familiam suam, spoliatus fuit pecuniis, aliisque supellectilibus, cum magno suo detrimento, & incommodo; atque eadem die circa vesperas cum in naviculam ingressus fuisset, ut inde discederet, alii Turcæ armati ab eodem loco Olchinii eumdem Ill. Archiepiscopum una cum tota familia, atque cum eodem Rev. Thoma Armano, & Rev. D. Theodoro Pasquali Archidiacono Antibarensi aggressi sunt, & captos duxerunt cum omnibus supellectilibus in silvam ab eodem loco sancti Georgii circa duo millia passuum distantem; ibique, postquam sæpius obtruncationem capitum eorumdem consuluissent, tandem eos ad preces, & lacrymas eorumdem Presbyterorum in his partibus commorantium eumdem Ill. Archiepiscopum cum familia vivum, sed tamen a substantiis spoliatum reliquerunt. In quorum fidem &c.

Dat. Blinisti die 24 Martii 1610.

Ita est: Nic. Episcopus, qui supra.

Locus ✠ Sigilli

Coadj. de mandato.

Hujus pro sua Ecclesiæ redditibus

Sed tot inter hominum insidias, tot locorum, viarumque pericula, nullo incommodo, nullo labore, vi nulla retardabatur Marinus ab suscepto Apostolicæ peragrationis cursu, juxta omnia patiens, omnia putans contemnenda, ut qua industria, qua consilio, qua fortitudine concreditum sibi munus in gravissima, quæ illi uni incumbebat, tanti facinoris mole strenue, constanterque perficeret. Accidit interea, ut, cum adhuc in ipso Georgiano pago immoraretur, Calogerus quidam ea loca circum oberraret Pechiensis Patriarchæ nomine, atque auctoritate, quo a Latinis hominibus tributa exigeret, quæ Antibarensi Archiepiscopo debebantur. Hoc ubi Marinus intellexit, haud magis rerum suarum jactura, quam pro tutandis suæ Ecclesiæ juribus sollicitus, egit statim cum Turca principe Olchinii Præfecto, ut is Calogeri insolentiam compescere vellet, & audacissimum hominem extra Antibarensium fines abigere: quod Præfectus omnino effecisset Archiepiscopi officio, & gratia devinctus, nisi Turcæ, quorum custodiæ traditus fuerat Calogerus, pecunia corrupti illum, quo vellet, dimissum abire permisissent; qui rursum Isufbeghi jussu Scodram in judicium vocatus nunquam se stitit, prædaque onustus Pechium reduci itinere sese demum recepit incolumis. At Marinus, cui id cordi præcipue erat, ut sua jura, suosque fructus ab Pechiensium Antistitum rapinis vindicaret, id impune esse minime passus est; cumque in Zadrimensem provinciam perrexisset, Præfectum Turcam virum singulari humanitate præditum adiit deprecaturus, ut hac in re pro ejus auctoritate, & qua pollebat apud Imperatorem, gratia sibi consuleret. Is suam opem, suumque Marino præsidium pollicitus, ubi primum, quo properabat, Constantinopolim advenisset, ejusdem quoque Marini nepotem itineris sibi comitem adjunxit, cui in mandatis commissum erat ab Archiepiscopo, ut non solum de infringenda Pechiensis Antistitis licentia, effrænique audacia satageret cum Veneto præsertim apud Turcas Oratore, verum & agros, & redditus Archiepiscopales, quos Turcæ contra pacta in deditione urbis sancita vi occupaverant, ab injustis possessoribus redimendos curaret. Et Marini nepos egregia quidem usus industria est, ut utrumque per aulicos Turcas obtineret; diu tamen Constantinopoli versatus, alterum, ut ab tributis extorquendis Pechienses Antistites prohiberentur, facile consequutus est Veneti Oratoris opera; alterum de redemptione agrorum, cum frustra se illic immorari intellexisset, fidei, ac dignitati eorum commisit, a quibus plurimum sibi adjumenti, præsidiique allatum iri sperabat. Delatæ igitur Marino imperatoriæ literæ, atque mandata, quibus Antibarensis, & Scodrensis Præfecti jubebantur, ne quid novi moliri sinerent Patriarcham Pechiensem; eorum nomina, qui ejus jussu in eas provincias penetrare ausi essent ad exigenda tributa, in tabulis descripta Constantinopolim ad aulam deferrentur; sua jura Antibarensi Archiepiscopo integra, ac firma servarent: quarum literarum exemplar, quippe auctoritatis, imperiique pro Antibarensis Ecclesiæ

adversus Patriarcham Pechiensem contentio;

juribus oppido plenæ, hic Latino sermone describendum esse necessarium duximus, & Marino valde honorificum, & posterorum memoriæ sane perutile.

et Turcæ Imperatoris literæ in Marini sententiam.

Scodrensi Sanzacco ornatissimo, & Cadì Antibarensi sapientissimo.

Hoc excelsi Imperatorii signi mandato vobis significamus, per Venetum Oratorem ad felicem àulæ nostræ portam delatum fuisse, quod, cum Marinus Bizzius, Imperatorium mandatum hocce nostrum vobis exhibens, Archiepiscopus Francorum, earumque Ecclesiarum, quæ sunt Antibari, & in agro, Scodrensi Præfecturæ subjectis, vellet pro vetusta Christianorum iis in locis degentium consuetudine, & Imperatorii privilegii, ac nobilis mandati auctoritate, quod illi dominatu nostro concessimus, debita sibi pecuniæ munera semel quotannis colligere, quæ singulæ ecclesiæ ex annuo centum viginti asprorum, duorum vero asprorum censu singulæ familiæ, tum singulæ, si primo nubant, hominum capita simili duodecim asprorum, si secundo, vigintiquatuor, si tertio, octo supra quadraginta asprorum pia obligatione illi solent offerre, Serbliani, & Græci ritus Metropolitæ, adhibita nostrorum militum manu, & nobilis mandati, quod penes Archiepiscopum est, auctoritate contempta, ea munera contra antiquum morem a Francis exterquent, sibique violenter usurpant, & Archiepiscopo molestiam facessunt. Quare Venetus Orator id a nobis postulavit, ut Imperatorium hoc mandatum illi impartiremur, quo in posterum & privilegii nostri, quod eidem Archiepiscopo concessum est, vis, & dignitas, & antiquæ consuetudinis jura firmiter stent, inviolateque, tum ne cui e Græcis, & Serblianis Metropolitis obsistere liceat, & si quod forte mandatum sibi audeant comparare, ut hoc munerum jure in Francos, eorumque Ecclesias impune potiantur, illud omnino sit irritum.

Jubemus itaque, unumquemque vestrum in eam curam incumbere, nequa eorumdem munerum portio contra Imperatorium privilegium, & nobile mandatum Archiepiscopo traditum ab illis hominibus abripiatur: quos, si huc ob eam causam iterum adventaverint militum nostrorum stipati præsidio, ut prohibeatis, imperamus, eorumque, & uniuscujusque nomina, qui una erit, ad aulam nostram denuncietis. Hæc vobis nota sint: & lecta honorifici nostri mandati sententia, illud Archiepiscopo reddite, & Imperatorio signo fidem habete.

Dat. Constantin. dimidio Lunæ.... mense, anno 1018. scilicet an. Ch. 1610.

Pius Marini ardor pro religionis cultu, & morum emendatione.

Multo tamen alacrior extitit Marini opera, curaque impensior tuendi, augendique divini cultus, & morum contagionis sanandæ, quæ e quotidiano Turcarum commercio per eas gentes serpebat; carissima enim illi erat in primis salus popularium suorum, & sola religio ad quorumlibet malorum tolerantiam animum exstimulabat. Revera partim malitia gentis, partim cultorum sive inopia, sive socordia fiebat, ut depravati mores latius manarent in dies, & religionis causa, atque honos graviter negligeretur: illud autem erat vel maxime intolerandum, quod plures, ne gravissimis tributis forent obnoxii, quibus opprimuntur a Turcis, Christum facile ejurantes Mahumetis cultum extrinsecus profitebantur, rati ad æternam vitam adipiscendam satis esse, si baptismo lustrati Christianam fidem corde colerent, animoque incorruptam retinerent; hoc autem eorum mentibus adeo erat infixum, ut integri aliquando Christianorum pagi Mahumeti nomen dare non dubitaverint: præterea vulgaria erant mulierum cum Mahumetanis connubia, a quibus non inusta dedecoris nota, non inflictæ ab Episcopis pœnæ adeo, ut ab ipso Ecclesiarum aditu prohiberentur, non æternum animæ exitium eas poterant deterrere; quamvis Marinus pie, sapienterque sanciverit, non esse ab ecclesiis arcendas, ne fide omnino deficerent, quod conjugum persuasione, illecebrisque contingere facile posset, monens hanc spem esse, illas aliquando ab infami mancipio redemptum iri; patres tamen familias acriter redarguendos, ne illicito assensu paterentur, se, suamque sobolem tanto, tamque nefario crimine obstringi. Inter Christianos vero nulla ferme nec licita, nec valida erant matrimonia; factis enim sponsalibus, nuptiæ, nulla contractus formula adhibita, nullo teste, nullo Ecclesiæ ritu, non pro divina matrimonii dignitate, sed turpissima concubinatus societate conjugebantur. Sed prima malorum culpa in ministros religionis cadebat, quorum alii otio, ac vitiis diffluebant, alii in summa vel earum rerum ignoratione versabantur, quæ ad Sacerdotii munus rite obeundum potissimum attinent; cum plures ne ipsam quidem sacramentalis expiationis formulam recitare, nisi de scripto, scite, integreque valerent, plures exsecratis aris ad peragenda sacrificia uterentur. At Archiepiscopus multo acrius, vehementiusque horum hominum corruptelæ obsistendum ratus, Pauli Apostoli in altera ad Timotheum epistola documentis, atque præceptis firmissime inhærebat, *instans opportune, importune, arguens, obsecrans, increpans in omni patientia, & doctrina, & seipsum præbens exemplum bonorum operum*, ut idem Apostolus de Episcopali munere Titum admonuit; hinc haud levia nactus incommoda, gravibusque difficultatibus affectus ab iis, quorum officii, ac dignitatis erat, ut optimi Præsulis religioni, pietati, vigilantiæ, industriæque, quam qui maxime, opitularentur: hæc autem Marinus nihili ducens contumaces sacrificandi interdicto punivit, Lissensem Episcopum propter inita cum popularibus dissidia diu ab urbe absentem ad munus suum revocavit, edictis, & literis diœceseon Vicarios commonere non destitit, ut religionis cultui, & ecclesiasticarum legum conservationi sedulo invigilarent: cujusmodi hæ sunt de ecclesiasticis cærimoniis,

Digitized by Google

niis, & Christianorum conjugiis, quas hic referre opportunum, æquumque esse censuimus.

Ejus literæ de cærimoniis ecclesiasticis,

Marinus Bizzius Divina Miseratione, & Gratia Sedis Apostolicæ Archiepiscopus Antibarensis &c. Reverendissimo Domino Andreæ Lopez Parocho Covajæ, & Vicario Dyrrhachiensi salutem & benedictionem in Domino.

In hac nostra episcopali peragratione Albanensis Provinciæ multos Presbyteros sacrarum ceremoniarum, quibus divinum Sacrificium peragi solet, plane rudes, & ignaros esse comperimus. Cum autem te hujusmodi ceremoniarum satis peritum esse cognoverimus, tibi hisce literis mandamus, ac præcipimus, ut Sacerdotes, qui apud Crojam, Rendesiam, Dyrrhachium, & in diœcesi Stephanensi commorantur, eos ad te in unum locum convoces, eosque pro tua charitate, atque industria de Sacrificii ritu, ceremoniaque assidue, ac diligenter tandiu erudias, quoad tuo judicio satis edocti, instructique ad rem divinam rite conficiendam videbuntur. Si qui vero intra quindecim dies, posteaquam accersiti fuerint, ad sacras ceremonias addiscendas venire neglexerint, eos nomine nostro sacris altaribus prohibendi, arcendique sibi potestatem facimus. In quorum fidem &c.

Dat. Calesii IX. Cal. Aug. 1610.

et de conjugiis.

Cum per omnem Epiri tractum, quem peragravimus, compertum a nobis fuerit, graviter plerosque popularium peccare in matrimoniis celebrandis, tum publicæ enunciationis defectu a Concilio Tridentino sancitæ, tum quia, sponsione facta, illico absque ullo matrimonii ritu sic jungantur connubia, ut multi verius concubinis utentes, quam legitimis conjugibus, matrimonii rite conficiendi curam negligant; hujus mandati auctoritate jubemus, ab iis omnibus, quos illicita ejusmodi nuptiarum societas conjugavit, uno mense postquam parochi Ecclesiarum idem mandatum per totam provinciam evulgaverint, rite matrimonia omnino perfici parocho, testibusque præsentibus: si secus faxint, ecclesiastica censura notentur, & quinque supra viginti tolariorum (monetæ genus iis in locis olim usitatæ) *mulctam dominis locorum, in quibus degunt, toties persolvant, quot menses paruisse dissuleverint; eademque pœna parentibus irrogetur, qui filias maritis ante tradiderint, quam matrimonium juxta Concilii decreta palam in Ecclesiis enunciatum fuerit, riteque eo, quo monuimus modo, perfectum.*

Dat. Calesii IX. Cal. Aug. 1610.

Durius vero inter Redones, hoc nomine partem Dyrrhachiensis agri, ac diœcesis ad mare sitam appellant, Marino elaborandum fuit, cum propter continuos latronum tumultus, qui ad trecentos armati, palantesque, duce Idromano Dervisio homine Turca, ea loca tenebant latrociniis, ac cædibus infesta, tum propter objectas a Presbyteris vicorum difficultates, qui, eo ne pergeret Archiepiscopus, oblatis quoque pecuniis, validæ, multumque contenderant. Nec victa propterea est Marini constantia; Redonum agros ingressus morum humanitate, atque mansuetudine, prudentique animi ardore, quidquid sui muneris erat, felici prorsus eventu peregit, in primis ut perniciosissimam superstitionem tolleret, quæ per eas præcipue gentes, tum per omnem Epiri tractum, ipsamque Serbliam effusa animos, mentesque populorum tenacius occupaverat, quam ut præceptis, minisve, aut hortationibus, ac monitis posset per Episcopos, eorumque administros evelli: scilicet hi homines opinabantur, eos, qui letho proximi decumbentes extrema sacri olei unctione inuncti fuissent, si postmodum convalescerent, minime posse absque sacrilegii scelere iisdibus ad incessum uti, quippe nefas fortasse ducerent, eam corporis partem sacramentali unguento illitam ulla sorde polluere: hinc miserrima animæ jactura supremum plerique diem obibant, quin ullo modo possent ad saniorem mentem reduci. Sed quantum id erat facinoris sane gravissimi, totum Marino reservabatur, qui divina nixus ope egregiam sibi laudem accresceret, perniciosissimo errore longe, lateque penitus avulso adeo, ut locorum incolæ sibimet ab illa insania reversi lacrymis, & questubus abeuntem Archiepiscopum palam obtestarentur, nunquam passuros, se, suosque absque sacramentali unctura decedere. Jamque Marinus a Redonibus ad proximiora Serbliæ loca appropinquans, cum Epiri provinciam, quæ sui juris erat, ferme totam peragrasset, rebus, quoad ejus fieri poterat, optime constitutis, iter, animumque ad illas quoque regiones impense, alacriterque convertit, quo injunctæ sui muneris partes illum ad extremum evocabant: illac vero proficiscentem Sappatensis Episcopus, & Stephanensis diœceseos Vicarius hisce literis, bene ab illo factorum testibus, sunt prosecuti.

De extrema Unctione error avulsus.

Literæ Sappatensis Episcopi,

Nos Nicolaus Blancus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Sappatensis, & Sardanensis publico harum literarum testimonio fidem integram facimus, Marinum Bizzium Archiepiscopum Antibarensem omnia pene hujus provinciæ Epiri loca invisisse, gravissimis sane incommodis, detrimentis, periculis, atque laboribus assidue conflictatum, sed communi, & uberrimo cum fructu populorum, quos inter sanctissima decreta sancivit, innumeros prope abusus extinxit, & Extremæ Unctionis Sacramentum restituit pluribus in locis, Redonum præsertim, ut Ecclesiarum Vicarii solemni auctoritate testantur. Quarum literarum fidem & signo, & nomine nostro propria manu adscripto obsignamus.

Dat. Rieti in loco diœcesis nostræ Nonis Augusti 1610.

Ita est. Nic. Episcopus qui supra.

Locus ✠ Sigilli.

et Vicarii Stephanensis pro Marino.

Georgius Blancus generalis Stephanensis Episcopi Vicarius in Epirotica Redonum provincia.

Publica fide, atque auctoritate testamur,

Ma-

Digitized by Google

Marinum Bizzium Archiepiscopum Antibarensem, cum Epirum Apostolico munere inviseret, Crojam quoque, & in hanc Redonum provinciam advenisse, ubi singulari pietate, ferventique animi ardore iis omnibus egregie perfunctus est, quæ ad supremi Numinis gloriam, ad religionis incrementum, ad popularium utilitatem maxime pertinent, aris præsertim, quæ ubique ferme irrito ritu dedicatæ fuerant, solemni more iterum consecratis, & innumeris pene cujusque ætatis hominibus sacro chrismate inunctis, id potissimum assecutus, ut falsam, quæ de Sacramento Extremæ Unctionis vulgo ferebatur, opinionem, atque inveteratum errorem penitus evelleret, adeo ut, qui populares antebac ab ejus usu abhorrebant, prompto, lubentique animo illud, cum opus fuerit, sint excepturi: quod & in aliis hujus provinciæ locis strenue præstitit, suasitque. Quare ut aliqua saltem nostri erga illum officii appareat significatio, hasce literas ei tradidimus & rerum ab se gestarum testes, & communis consolationis, quæ pro iis etiam, quæ sancte sancivit, & religiose observari præcepit, æquo profecto jure sumus affecti. In quorum fidem &c.

Dat. Chiulesi in vico Redonum prid. Id. Jul. an. 1610.

Georgius Blancus Vicarius manu propria.

Ego Andreas Lopez Vicarius Dyrrhachiensis hæc omnia confirmo, & testis interfui literarum, quas idem Vicarius Stephanensis scripsit manu propria.

Serbliam festino itinere inviait Marinus.

Itaque Marino in Serbliam ingresso præter consueta viarum, atque latronum pericula gravissimam animi molestiam crearunt popularium mores, qui difficillima montium juga in ipso provinciæ aditu aut vicatim habitant, aut in casis dispersi; gens dominatus impatiens, superstitiosa cultu, moribus effera: brevis tamen illic ejus commoratio fuit, at minime otiosa, cum & inhonestum in feminis corporis habitum graviter reprehenderit, & Gregorianam anni emendationem, de qua rejicienda cogitabant, feliciter stabilierit. Sed impendens autumni tempus, & certa per hyemem ea loca peragrandi impotentia iter urgebant: quare Gizrenum urbem absque mora adit, Christianos in avita religione magnopere confirmat; inde Jagnevum, & qui circa sunt, pagos invisens, incolis sacro chrismate inunctis, & Divino pane refectis, Precopiam perrexit. Hic bis senæ tantum Christianorum familiæ, reliquæ schismati addictæ: gravi tamen morbo paulo ante correptus diutius, quam opus erat, in urbe constitit, ibique cum Sophiensi Episcopo, qui honoris causa illum adiverat, multa de re Christiana Sophiensi collocutus est, ut, quoniam præsens nequibat, absens verbis, consilioque illius ecclesiæ utilitati consuleret. Sane probata maxime fuit Episcopo virtus Marini, qua permotus hoc pro illo de peragratione Serbliana testimonium literis evulgavit.

Sophiensis Episcopi de illo testimonium.

Nos Fr. Petrus Salinates Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Sophiensis Episcopus. Harum literarum auctoritate testamur, Marinum Bizzium Archiepiscopum Antibarensem multas inter ærumnas, & magno cum religionis, & charitatis ardore omnia ferme Serbliani Regni loca, quæ illi adire per valetudinem licuit, & quotidiana latronum discrimina, communi incolarum approbatione invisisse, piis, sanctisque ubique promulgatis animorum incolumitati decretis. Utque veritati fides sit, hasce literas nostra manu adscriptas, nostroque impressas sigillo edi palam voluimus. Dat. Precopiæ 16. Cal. Nov. 1610.

Ita est. Fr. Petrus Episcopus, qui sup.

Locus ✠ Sigilli.

Ubi convaluit, Frepsum brevi tramite contendit, qua in urbe summa civium gratulatione exceptus est, & pari mœrore vix abire permissus; nec multo post Novumpazarium petens ad Serbliæ fines, inde per Herzegovinæ tractum cum Ragusiensibus Legatis, qui Constantinopoli in patriam revertebantur, Tribuniam recto, tutoque itinere, mox Buduam cum familiarium comitatu pervenit.

Buduam redit, & novis turbis agitatur.

Archiepiscopi reditus ingenti lætitia totam civitatem affecit, in ejus occursum per partes omnes effusam: at novæ a Scoroveis insidiæ, novæ illi a perditis hominibus turbæ imminebant. Buduæ libelli falsorum testium malitia consignati iterum edebantur in vulgus, & sparsi per urbem sermones jactabant, Marino vi, atque injuria Buduensis Ecclesiæ regimen delatum, hanc uni Ragusiensi Archiepiscopo subesse antiquo jure; quin eo audaciæ deducta res est, ut Ragusiensem Vicarium, Archiepiscopo absente, sollicitarent, quo ecclesiasticis minis, monitisque Buduenses ipsos ad vetus obedientiæ, ac subjectionis officium compelleret. Restitit acriter Marinus, tantumque consilio, prudentiaque profecit, ut brevi sedati animi fuerint, & oppressa seditio. Postea Antibarim profectus, ut hujus Ecclesiæ rebus summam manum imponeret, vix dictu credibile, quot in angustias perductus sit, duorum præsertim hominum flagitio, quos vel ipsa sacerdotalis dignitas ab iniquo facinore non potuit absterrere. Sane ne domi quidem tuto consistere poterat, cum Turcæ, qui ejus personam, & familiares omnes revereri antea solebant, alii turmatim fores quotidie obsidere, alii injurias, ac minas intendere auderent, pecunias, & quæquæ innata aviditas suggerebat, arroganter petentes: tum illata calumnia est, ejusdem suasione ædes Assani Chiausii incensas in suburbano fuisse, quo factum, ut in extremo vitæ periculo ad dies aliquot versaretur. Schismatici deinde adversus illum commoti, quia justo interdicto vetuerat, ne eorum funera ad Catholicorum cœmeteria efferrentur, totam ædem subversuri Turcarum ope, & Archiepiscopum ipsum in lecto decumbentem prope oppressuri fuissent, nisi Christianorum quorumdam pietas, & Antibarensis Præfecti auctoritas intercessisset. Nec

Antibari gesta, & ærumnæ illatæ.

vacua

vacua omnino discrimine Marini commoratio adhuc fuit Vefæ cujusdam insolentia, qui domesticam ejus supellectilem abripere semel, atque iterum molitus est; sed domum ingressus vel pœnæ metu, vel nescio quo, licet barbaris ignoto, reverentiæ sensu a rapina abstinuit. Tot igitur ærumnis pessime affectus, & diutius non esse sustinendum ratus, discessum sibi, suisque Marinus indixit, tum ut dignitati, vitæque consuleret, tum quia probe intelligebat, in hac flagitiosorum hominum conjuratione liberum non esse, misero, & laboranti gregi præsentem opem afferre: at detectis primum judiciaria certorum testium fide seditionis auctoribus, hi nempe principes erant Presbyteri duo, aliorum præterea criminum rei, alterum exilio, utrumque vero gravi mulcta, & sacrificandi interdicto damnavit; sententia tamen non ante prolata, quam ab urbe discessit, ne judicium rescindere præpotenti Turcarum vi cogeretur. Deinde, ut, quo uno licuit modo, aliquam inveteratis jamdudum illius Ecclesiæ malis medicinam adhiberet, certos, qui suo nomine Ecclesiæ bona administrarent, procuratores creavit, rectisque præceptis instruxit, tum hujusmodi literas saluberrimis monitis, atque hortationibus plenas palam legi in Eliana æde figique ad parietes jussit, paternæ charitatis, & præclari in Antibarensem Ecclesiam studii monimentum futuras.

Litera Marini Antibari promulgatæ;

Marinus Bizzius Divina Miseratione, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Antibarensis, & Serbliæ Primas &c. Dilectis Latinæ Ecclesiæ Filiis, qui Antibari in urbe, & in suburbiis degunt, salutem impertit, & Dei benedictionem.

Cum temporum calamitas, & discessus nostri accelerandi necessitas non sinant, pro summa, quæ in nobis inest, muneris, ac desiderii vi turbidum hujus Ecclesiæ statum aliqua saltem ratione ad animorum utilitatem componere, quo tranquillæ, bonæque conscientiæ testimonio freti possitis divini Judicis præsentiam alacriter, minusque pavide præstolari, visum est, paternis harum literarum admonitionibus vicem esse supplendam, rei ne appellemur neglecti muneris supremo judicii die, neve quorumdam præsertim vestrorum criminum ratio reposcatur a nobis, in quibus vos esse jam antea doluimus, queisque adhuc constrictos gravius afflicti, necessario tamen, relinquimus.

Itaque Dei pacem, & salutem vobis bene precantes, monemus vos, hortamurque, pro divino cultu, rebusque sacris, & religione in primis tuenda, & in vobis, ac filiis vestris integre, inviolateque servanda, ne Ecclesias vestras, ne quæ pauca supersunt, Ecclesiarum bona direptioni, rapinæque, ut jam commisisse videmini, dissipanda deseratis, vosque, Procuratores præsertim, quos hic nominamus, & qui quotannis postea creabuntur, gravi conscientiæ culpa convictos fore, nisi libentes promptique in hanc curam rei ecclesiasticæ tutandæ, recuperandæque sedulo, & enixe incumbatis: quanto enim hoc majus est promeritum erga Deum, & patriam, tanto calamitosius vobis reputandum est, direptis, consumtisque Ecclesiæ bonis, nullos Antibari futuros esse Catholicæ religionis, ac sacramentorum ministros, immo & religionem, & Fidem, quod Deus avertat, aliquando interituram.

Igitur hujusce anni Procuratores creamus

Pro Ecclesia S. Eliæ Hieronymum Bazzanum, Marinum Summam, Andream Marinum, Georgium Nublicchium,

Pro Ecclesia S. Mariæ Antonium Proculianum, Jacobum Alatovichium, Petrum Cogliezinium, & Nicolaum Vintovum,

qui intelligant, gravissimam sibi curam impositam esse.

Siqui vero hanc culpam rei ecclesiasticæ sive distractæ, sive usurpatæ contraxerint, iterum commoneri se, atque per Jesu Christi clementiam obsecrari patiantur, ut ne avaritiæ laqueis, ac fraude dæmonis implicati suimetipsorum curam negligant, dum opportuna remedii instat occasio; quippe qui divinæ iræ obnoxii, & gravissima anathematum pœna perculsi, quam sacri Canones, & Romanorum Pontificum, ac Concilii Tridentini decreta in hujusmodi criminationes infligunt, nullius auctoritate, præterquam in extrema obitus hora, & restitutione antea præscripta, criminis absolvendi, nisi illos vel Romanus Pontifex, vel ii, quibus sit delegata potestas, in gratiæ reconciliationem recipiant. Valde præterea dolendum est, plerosque vestrum matrimonia cum consanguineis ad gradus usque, quos leges ecclesiasticæ excludi jubent, junxisse, nulla vitæ, ac decoris, nulla anathematis habita ratione, quod & ipsi, & parochi, qui interfuerunt, justo sacrorum Canonum judicio subiere. Vos iccirco hac quoque de re admonentes hortamur, si qua movet animum curæ gratiæ divinæ recuperandæ, si Sacramentorum participes esse optatis, si sacræ sepulturæ consortes, quibus vos hæc culpa jure privavit, ut a Romano Pontifice indulgentiæ literas quamprimum impetretis. Qui secus egerint, aut a nobis, aut ab illo, quem vicarium supponimus muneri nostro, ecclesiastica lege punientur: iis autem, qui ad Pontificiam auctoritatem nequeunt ipsi ullo modo confugere, cum initi matrimonii causas nobis significaverint, omne ad hanc rem conficiendam præsidium, & opem pollicemur.

Nec leviori, aut nulla fortasse culpa teneri sese illi existiment, qui inter vos iniqua fœnora adeo confidenter exercent, perinde atque nullis divinis, humanisque legibus vetita. Gravissimum enim hujusmodi peccatum est, iisdemque, quas superius innuimus, mulctatum pœnis: cui propterea malo tempestivam medicinam afferant nostras monitiones secuti; & neque excusatio sit inscientiæ, discant in primis, iniquissimum esse fœnoris genus, si mutuam alii pecuniam tribuas, ut pacto tempore tibi persolvendo pro mutuata pecunia lucro reddatur; eamque fœnerationem damnandam omnino

no esse, qua pecunias cuiquam ante messem erogant, ut inde debitor frumentum, oleum, vinum, aut simile quidpiam restituat minori pretio æstimanda, quam valeant: binc, si in posterum denunciatum fuerit hujuscemodi negotia contrabi, certo sciant, in criminosos quoscumque ecclesiastica lege animadversum iri.

Quare Confessariis omnibus, proposita interdicti pœna ab hujusce muneris administratione, præcipimus, ut pœnitentes interrogent, si hac in re ulla deliquerint, reosque non ante delicto absolvant, quam necessarium culpæ remedium adhibuerint. Itaque Divinam supplices Majestatem oramus, obsecramusque, ut pro immensa misericordiæ suæ largitate cujusque mentes divino lumine accendat, quo in semetipsos conversi & tantis conscientiæ malis mederi, & vitam deinceps insontem vivere firmo proposito, consilioque constituant: tum benedictionem, & pacem, qua vos ad hunc finem impertimus, unicuique vestrum ipse cœlesti munere elargiatur.

Dat. Antibari VIII. Id. Januar. an. 1611., eodemque die in Æde Eliana publicatæ, ibique ad parietem affixæ.

Lectis hisce literis magna animorum commotio facta est, & omnes pene, qui aderant, coram Archiepiscopo sese stiterunt, vetiti conjugii crimen quisque confessus, a quo absolutionem, & indulgentiam sibi fieri deprecabantur; eosque blande consolatus promisit, singulis a Pontifice veniam se, quam citissime posset, impetraturum. Una tamen, qua gravissime premebatur, reliqua erat Marino sollicitudo, Clementium scilicet populorum salus, & adhibenda illorum incolumitati provisio; hi namque latino ritu exculti, & Turcarum dominium, atque Græcorum schisma capitali odio perosi Catholicæ religioni firmissime inhærent; at nullus inter illos sacerdos, nullus Sacramentorum minister; unde fit, ut quovis religionis præsidio miserrime careant. Nec Marino animus profecto deerat hanc quoque asperrimam sane situ ipso locorum, & difficillimam invisendi provinciam, si per tempus licuisset: quamobrem, ne infelix illa sui gregis portio penitus sibi videretur pastorali cura destitui, Fr. Antonium a Sebenico, qui e Minorum Observantium familia Antibari degebat, ad illos legavit, & conceptis in hæc verba mandatis vicarium sibi substituit.

qui Fr. Antonium a Sebenico ad Clementes legat;

Marinus Bizzius Miseratione Divina, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Antibarensis, Primas Regni Serviæ &c.

Dilecto nobis in Christo Rev. P. Fr. Antonio de Sebenico Ord. Minor. de Observantia salutem, & benedictionem in Domino sempiternam.

Cum personaliter non potuerimus accedere, prout erat muneris nostri, & desiderii, ad montana Clementium nostræ diœcesis, & jurisdictionis, ut charitativo officio visitationis illi consolarentur populi sacerdotibus destituti, ac sacris, & Sacramentis nimis indigentes: ideo in hoc discessu nostro, quo, favente Deo, ad Romanam Curiam properamus, aliquo pacto, quantum in nobis est, utilitati, & beneficio eorum consulamus, tibi Rever. P. Fr. Antonio, de cujus charitate, & pietate satis confidimus, damus in mandatis, ut statim ac in montibus dictorum Clementum nives cessaverint, te nomine nostro ad illos debeas tanquam Visitaterem transferre, assumendo tibi socios Sacerdotes, quos elegeris; ibique visites Ecclesias, & sacra eorum, illos in Christiana pietate confirmes, arguas, obsecres, increpes in omni patientia, & doctrina, eos maxime adhortando ad deputandam provisionem pro sustentatione Sacerdotum, ut Sacramentis, aliisque spiritualibus alimentis in posterum longius non destituantur: dantes tibi amplam facultatem baptizandi, confessiones audiendi, eosque a quibusvis casibus nobis a Jure, vel a consuetudine reservatis absolvendi, eamdem, seu limitatam auctoritatem sociis tuis Sacerdotibus concedendi, cœmeteria eorum pro more patriæ benedicendi, atque nostram, imo Sanctissimi Domini Nostri Papæ benedictionem impendendi. Quod si tantum muneris ea pietate, & zelo, quo de te confidimus, diligenter, ac sollicite adimpleveris, ab omnipotenti Deo retributionem merito sperabis. In quorum fidem has tibi patentes literas expediri jussimus, ac soliti sigilli nostri, & manus nostræ subscriptione corroboravimus.

Dat. Antibari die 30. mensis Januarii an. 1611.

et tandem Antibari Arbam versus discedit.

Tum cæteris rebus, quoad ejus facere poterat, tandem compositis, multo cum honoris comitatu Antibari discedens conductum navigium conscendit, quo Buduam reversus est, & dies aliquot ibi moratus, Arbam in patriam tum senescentis matris visendæ, tum rei domesticæ curandæ gratia profectus est.

Hæc fuit apostolica Marini expeditio, in qua sive invictam laborum, atque ærumnarum tolerantiam perpendas, sive firmum animi robur, & pro Catholicæ religionis incremento, ac præsidio summum ardorem, nihil dubites, hujusmodi hominem & suo munere egregie perfunctum, & de iis provinciis optime meritum esse cum summis æquiparandum. Singularis quoque viri prudentia in rebus agendis maxime enituit, & sapientia plane eximia, ut tabescentes populorum mores leni medicina, sed ægrotantium naturæ apprime congrua ad sanitatem revocaret, & ecclesiasticam in primis disciplinam pristinæ dignitati restitueret antistitum vitio, ac socordia, mirum quantum labefactatam: huc etenim primæ Marini curæ, huc cogitationes, & consilia spectarunt, & sanctissima decreta, quæ ad commonendos de officio Presbyteros, cæterosque religionis ministros ubique edidit, promulgavitque, hic postremo subjicienda, ut ex ipsis etiam probetur Marini virtus, & recte a se gestorum accrescat commendatio.

Ejus decreta.

Marinus Bizzius Divina Misericordia, & sanctæ Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Antibarensis, & Serbliæ Primas &c. Vicariis, &

Digitized by Google

& Parochis utriusque Epiri, ac Serbliæ Provinciæ salutem impertit, & Dei benedictionem.

Hoc tandem munere, quod nobis fuerat impositum, utriusque Epiri, ac Serbliæ invisendæ provinciæ, Deo juvante, perfuncti, cum temporum difficultate, ac perturbatione vos in concilium congregatos præsentem alloqui minime liceat, ut præsertim nobis erat in votis, hæc saltem decreta pro divina gloria, Deique cultu, & spirituali animorum profectu servando, augendoque vobis proponi statuimus, & exequenda commisti. Paterno primum affectu hortamur singulos per Jesu Christi clementiam, ne muneris, officiique vestri ulla vos unquam capiat oblivio, ne, quorum unicuique vestrum tamquam in Christo parentibus cura omnis incumbit, verbis, & dignis sacerdotali dignitate exemplis profectum in Christiana virtute fovere, & æternæ eorum felicitati consulere negligatis, rationem Deo pro concredita vobis familia severo judicio reddituri.

Nequis igitur vestrum, nisi biduo, & ideneo sibi Presbytero suffecto, si gravis urget casus, & Vicarii consentiant, a suis parœciis abscedat.

Caveat autem, ne ulla sui culpa Christianus quisquam vel a religione desciscat, vel Sacramentorum nudatus præsidio e vita decedat, æternæ pœnæ, siquis miser perierit, reus ipse futurus.

Atque iterum hortamur per Dei misericordiam, ut, quanta unusquisque valet industriæ vi, tum privatis alloquiis, tum in ipso pœnitentiæ Sacramento, Christianos sontes ab injusto fœnore deterreatis, quod peccati genus exitiosissimum, & divino, humanoque vectum jure magis parocborum culpa per omnia ferme harum regionum loca impune vagatur, quam incolarum malitia, qui injusta fœnora exercent simplici quadam gravissimæ, qua se obstringunt, noxæ ignoratione.

Quæ de extrema olei sacri unctione præsentes ipsi summo studio, curaque docuimus, ut populorum animos ab illo errore liberaremus, quo misere decepti putabant, si semel inuncti postea convaluissent, nec matrimonii usum, nec pede nudo, uti solent, incessum sibi licitum fore, eadem in illorum memoriam sæpe revocantes satagite, ut, siqui denuo obsisterent, se nulli subesse culpæ intelligant, cum in lethali morbo peructi, & sanitati restituti aut conjugibus utuntur, aut nudi pedes incedunt, utque de Sacramenti hujus effectibus sedulo erudiatur populus juxta ea, quæ in novo de ordine baptizandi *libello adnotata sunt.*

Qui vel incuria, vel casu alio quopiam patentes literas non habent de collatis sibi sacris Ordinibus, aut commissa eorum regimini parœcia, præfinito tempore postulent a Vicariis publico sigillo obsignatas.

Gravi reprehensione digni sunt, qui absolvendi formulam in Sacramento pœnitentiæ rite decretam de scripto recitant, & meritæ obnoxii pœnæ, si forte libellum obliti, cum jam jam, aut subito morituris adsunt, nequeant iisdem absolutionem impertiri; ii igitur, constituto a Vicariis tempore pro cujusque ingenii natura, formulam illam memoriæ tradant: si negligant, sacrificandi, illiusque Sacramenti ministrandi potestate interdicantur: formula vero erit hujusmodi.

„ Misereatur tui &c. Indulgentiam &c. Dominus noster Jesus Christus per suam piissimam misericordiam ipse te absolvat, & ego auctoritate ipsius, qua fungor, absolvo te in primis ab omni vinculo excommunicationis, si qua teneris, quantum ego possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, & merita Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen. "

Absque discessus literis ab Episcopo, aut Vicario acceptis nemo extra diœcesim sacris Ordinibus initietur: qui secus faxit, ministerii sui interdicto pro Episcopi voluntate, & Concilii Tridentini decreto obnoxius esto.

Christianos omnes ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta cum Paschali tempore, tum diebus festis præsertim solemnioribus solerter hortaminor.

Eosdem, ut dies festos servent, gravis culpæ proposita pœna, nisi juro impediantur; utque sacris mysteriis frequentes adsint, commonete.

Indignis absolutio, & Sacramenta quævis negantor: reus autem sacrilegii est, & seipsum crimine, ac æterna damnatione constringit, qui hujusmodi homines a peccati vinculis solvit.

Quo major fiat populi concursus ad Ecclesias, curandum omnino, ut earum pavimenta æquato solo componantur, lapidibus inde amotis, cæterisque impedimentis, quæ tumulis pro signo imposita sacrarum ædium formam debonestant, & populo grave incommodum facessunt: suos quisque tumulos aliis signis notato.

Præterea mandamus, ut diebus festis, sacrificii oblatione peracta, cum festa ventura indicuntur, Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, & præcepta Decalogi elata voce recitetis, plerique enim hæc turpiter ignorant, tum Incarnationis, ac mortis Domini nostri Jesu Christi mysterium pro captu cujusque edisseratis, quippe quæ Christianis omnibus necessaria scitu, iisque Evangelicam historiam, quæ festis singulis legitur, salutari adjuncta monitione, declarabitis.

Cum vero, neglectis Concilii Tridentini decretis, fœdissimi in conjugia, & inter conjuges ipsos abusus irrepserint, jubemus, deinceps sponsis interdici convictu, donec diebus festis tribus nuptiæ in Ecclesia publice fuerint indictæ, & matrimonium parochi, aliorumque testium præsentia peractum: ni pareant, ab Ec-

Digitized by Google

clesia arceantur, usque dum imperata perfecerint, iisdemque mulcta a Vicariis irrogetur, Dominis locorum, ut exigi certo queant, assignanda.

Parentes, qui filias maritis ante tradiderint, quam superius decreta exsequantur, iisdem pœnis subjiciantur.

Id etiam a Synodo Tridentina mandatum est, ut parochi in commentarios referant, quotquot in paræcia unaquaque baptismata, ac matrimonia celebrantur: cumque nulla sit apud vos hujus decreti observantia, sancimus, ut libros hujusmodi penes se unusquisque retineat, in quibus conjugum, parochi, ac testium nomina, & cognomina, tum indicti, celebratique matrimonii tempus describatur; eodemque modo ii, qui baptizantur, & eorum parentes, quique baptizant, & Patrini, & dies collati baptismatis notentur.

Similes de bonis quibuslibet Ecclesiarum commentarios conficite, quæ aut ullo titulo distrahere, aut ultra triennium locare, vel in emphyteusin tradere, indicta jam anathematis pœna, vetitum est: curet autem quisque, ut illa non servet solum, sed etiam augeat.

Quoniam sacri baptismatis fontes gravi incuriæ defectu per has Provincias sublati omnino fuere, & sola aqua, nulloque ritu solet baptisma conferri, decernimus, hujusmodi fontes extruendos quamprimum esse in unaquaque Ecclesia, & quotannis in Sabbato sancto, ac Pentecostes pervigilio aquam benedici iis formulis, ac cæremoniis, quæ in Missali Romano præscribuntur, ut hic stet Catholicæ Ecclesiæ ritus, & populus ampliori commodo, ac beneficio fruatur.

Et quamvis pro diversa eorum religione, qui in has provincias dominantur, non ubique liceat, eo, quo par est, honore sacrum Dominici Corporis viaticum ægrotis deferre, neque Sacerdotes superpelliceum, stolam, ac pluviale induere queant, aut umbella, accensis cereis, aliisque cæremoniis uti, quæ hoc munus deceant, & usitato tintinnabuli sonitu Christianos evocare, ut ad tantum religionis, ac pietatis officium conveniant, pluribus tamen in locis pleraque adhiberi possent, si Parochis conveniens muneri zelus inesset; quos per Dei clementiam hortamur, ne, quo modo licitum erit, divino cultui, neve ipsi sibi desint hac in re, curentque, ut aliqui saltem Christiani laternis aliquot, sin minus cereis divinum Eucharistiæ Sacramentum prosequantur.

In iis autem Ecclesiis, in quibus Eucharistia absque suspicionum periculo servari commode potest, omnino volumus asservari tum ad fovendam populi pietatem, tum ut præsto sit, quotiescumque deferri moribundis debeat, ne sacro viatico destituti decedant, in vos, si forte id acciderit, culpa rejecta, de qua rationem a vobis Deus gravi censura deposcat.

Inductæ ab Ecclesia divini sacrificii cæremonias tantum habent mysteriorum, ut absque gravi reverentiæ defectu omitti nequeant a Presbyteris, aut non confici ad ritus in regulis Missalis præscriptos; quas pro cujusque obligatione diligentissime edisci volumus, atque jubemus, eos, qui de illis juxta Vicariorum sententiam minus fuerint edocti, tertio quoque die se sistere coram iisdem Vicariis, a quibus usque adeo instruantur, dum satis illas calluerint: qui mandatum hoc nostrum neglexerit, penes Vicarios potestas sit illi suo munere interdicendi nomine nostro.

Nequis Sacerdos purgandæ conscientiæ curam a gravi præsertim crimine omittat, antequam sacrificet; neve adeundi confessarii incommodum, si longius absit, illum ab hoc expiandæ labis studio detineat: alioqui sacrilegio suo divinam iram gravius accendet, quam pro aliorum culpis deprecari potius debuerat.

In Ecclesiis sacrario locus deligatur, ut usui destinato inserviat, aquæ præsertim excipiendæ, qua Corporalia, & Purificatoria *lota fuerint; hæc etenim haud levi vestræ conscientiæ culpa pœne ubique immunda, & sordida esse deprehendimus, non secus ac calices materia plane indecores, qui erogatis saltem pro sacrificio pecuniis nobiliores confici facile possunt.*

Vitreas ampullas sibi quisque comparet ad ministerium sacrificii, vasculis penitus interdictis, quibus ante utebatur.

Cerei, qui sacrificii tempore accendi debent, non muris, aut cuivis loco minus apto affixi, sed in ipso altari, & ligneis saltem candelabris imponantur.

Dum quis sacrificat, quidquid sacrificio alienum est, omnino arcendum ab altari jubemus.

Presbyteris omnibus contubernium suspectarum mulierum interdicimus, quas ne domi quidem excipient, nisi Vicariorum testimonio de integritate vitæ antea fuerint commendatæ; hoc enim divinus honor postulat, hoc sacerdotale decus, & exempli honestas, & reverentiæ officium, quam sibi a laicis jure exigunt deferri.

Illud autem mementote, non armorum vi, queis vestes munire soletis, sed vitæ in primis sanctimonia retundendam esse improborum hominum insolentiam, vel eorum, qui a religione nostra alieni vias insidiis frequentes occupant, & Sacerdotes ipsos violentius lacessunt; cum hoc vobis esse debeat armorum præsidium, piæ lacrymæ, & crebro fusæ ad Deum preces.

Et quod populares maxime dedecet, dies, noctesque crapulis vacare, monemus, id multo esse Sacerdoti, ac clerico indignius, quos hortamur, ne diutius, quam par est, mensis accumbant, sed exemplo, & verbis hujuscemodi abusus e paræciis exterminent.

Vestium quoque forma indecens est, & a laico vestitu pene indistincta, iccirco sancimus, ut Ecclesiastici homines juxta sacrorum canonum jussa, & sui status decorum, prout cujusque facultas ferat, tunicam induat talem ad dimidium cruris productam.

Sacrum Chrisma in vase mundo, ac tuto, & decenti in loculo in Ecclesiis servetur; sin

ibi

Digitized by Google

ibi Turcarum rapinæ, & injuriæ foret obnoxium, vestræ, non alienæ domi, ut pravæ jam consuetudinis erat, clavibus occlusum condi jubemus, nequid reverentiæ desit, & ne indecenter, neve impia abusione præ cujusque manu feratur: qui jussui nostro non pareat, gravis culpæ reus judicator.

Cumque Sacerdotum, ac clericorum numerus adeo sit imminutus in Epiro, ac Serblia, ut vix tot præfici queant parœciarum curæ, quot in seniorum locum, qui plures sunt, ac munus, requiruntur successores, commonemus unumquemque vestrum, atque adhortamur, ut clericorum institutioni literis, ac moribus sedulo, patienterque incumbatis, qui minus hoc statu videantur indigni, quanta Sacerdotes decet, charitate eos tolerantes; cum enim, qui isthæc officia negligunt, graviter deliquisse convincuntur, tum certum est, larga remuneratione illos cumulatum iri, qui toto studio in id enixi fuerint: atque illud firmum habetote versantes animo, operam vestram, siquando bene, sive male impensam in Dei judicium vocandam quantocius esse, a quo digna vobis ministerio vestro sensa, divino digna obsequio deprecamur.

Tandem ut hæc omnia, quæ a nobis sancita, & decreta fuerunt, integre, inviolateque serventur, id oneris, curæque Vicariorum conscientiæ impositum esto, queis totum hoc munus incumbit, ne frustra sint Antistitum præcepta, & jussa.

Anno igitur 1611. jam adulto, Budua discedens, Arbam se contulit, atque in patria, quod reliquum erat hujus anni, fere totum transegit. Postquam tum viduæ matris orbitati, & senectuti consuluit, tum res domesticas composuit, Romam profectus est; & Sacræ Congregationi, & verbis, & scriptis rerum ab se gestarum in sua peragratione apostolica Albana, Epirotica, Serbliana, rationem reddidit, atque ita probavit, ut summam a gravissimis illis Patribus laudem referret. Plures annos in Urbe commoratus cum esset, liberali hospitio usus Cardinalis Sabelli, anno 1624. a Paullo V. Pontifice maximo facultatem Ecclesiæ Antibarensis dimittendæ impetravit. Anno proximo e vita decedens, ad beatam immortalitatem migravit, pro suis itineribus, & laboribus plurimis, & maximis, Dei & Ecclesiæ caussa susceptis, præmium recepturus. Ejus corpus in patriam delatum, apud Virgines Benedictinas in Æde S. Antonii Abbatis, ante aram, ære sumptuque familiæ Bizziæ exstructam, honorifice conditum fuit; & hic titulus sepulchralis tegumento marmoreo inscriptus. *Marino Bizza Patritio Arbensi, J. V. perito, & Antibarino Archiepiscopo, ingenio, gloria, & augusta prudentia undequaque præstanti; cujus ossa e Roma delata in hoc tumulo conduntur. Hospes abi, & bene precare. Obiit Romæ* II. *Kal. Jan.* 1625. *Mœstissimus frater Pacificus Bizza fraternam memoriam retinens hoc Apium funebre posuit.*

PETRUS III. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXXVIII.

Petrus Massarechius Vic. Apostolicus Serbliæ.

Cui Massarechio cognomen fuit, patria Prisrenum civitas Serbliæ, sive Mœsiæ Superioris prope a finibus Macedoniæ frequens olim ac nobilis, quam alii Ulpianum, alii Justinianam secundam dictam fuisse tradunt. Erat Vicarius Apostolicus totius regni Serbliæ, qui regionibus illis cum ingenti animarum fructu, & rei Catholicæ utilitate atque incremento peragrandis plures annos insumpsit. Quo tempore quasdam Constitutiones Synodales edidit an. 1617; earumque exemplum ex tabulario Sacræ Congregationis de propaganda Fide hic exscribo.

Ejus Constitutiones Synodales,

Constitutiones Synodales factæ a Petro Massarechio Vicario Apostolico generali Serviæ anno nostræ Salutis MDCXVII. *Dominica in Albis coram infrascriptis Parochis.*

I. *Quod Parochi sint vigilantes super gregem sibi commissum pascendo Christifideles verbo, exemplo & Sacramentis. Et ideo ne discedant a sua Parœcia præter duos aut tres dies, & nonnisi magnam ob caussam.*

II. *Caveant, nequis ex hac vita sine debitis Sacramentis discedat, aut a Fide, quod absit, nostra negligentia deficiat.*

III. *Contractus usurarii nullo modo permittantur, cum sint, & divina & humana lege prohibiti; & plura alia dicta fuerunt in hoc &c.*

IV. *Formam absolutionis memoriæ unusquisque debeat mandare, ne forte, deficiente libro, in articulo mortis, aut imminente vitæ periculo, aut necessitate moribundus maneat sine absolutione.*

V. *Ut evitatur sacrilegium, cavendum est, ne detur absolutio incapacibus, aut aliud Sacramentum &c. Exhortetur populus fidelis ad observanda festa, & post Offertorium unusquisque vestrum diebus Dominicis denunciet ea populo, quem & doceat Dominicam Orationem, Angelicam salutationem, & Symbolum Apostolorum, necnon Adventum, & Incarnationem, Passionem Domini nostri Jesu Christi pro sua capacitate.*

VI. *Ad conservanda bona Ecclesiæ, siquæ sint, sive mobilia, sive immobilia, sint Curati diligentes, habeantque inventaria tam sacræ supellectilis, quam aliarum rerum ecclesiasticarum.*

VII. *Quia matrimonia in quinto gradu exclusive contracta videntur huic populo scandalosa propter veterem consuetudinem, optimum erit abstinere a tali gradu, si minus persuaderi poterit dispositio Concilii Tridentini.*

VIII. *Cum cærimoniæ ab Ecclesia introductæ circa celebrationem Missæ habeant in se maxima mysteria, maximus error & defectus est Sacerdotum eas non adimplere, nec facere secundum ritum præscriptum in rubrica Missalis. Igitur præcipimus ignoranti, ut eas quamprimum sub pœna nobis arbitraria discat a doctiore.*

IX. *Cavendum præterea est, nequis vestrum in peccato mortali existens ad Sacrum faciendum*

dum accedat, non præmissa Confessione, aut saltem, cum commode illam facere non potest propter locorum distantiam, eliciat actum contritionis, & maximo cum tremore ac reverentia accedat ad tantum Sacrificium; deinde primo quoque tempore adeat Confessarium, ne forte, dum velit placare iram Dei pro peccatis populi, contra seipsum concitet propter sua.

X. *Mappæ altaris, Corporalia & Purificatoria diligenter videat unusquisque, ut sint munda & integra, & non sordida & conscissa, ut plurimis in locis cernuntur. Item candelabra sint super altare cum suis candelis in celebratione Missæ; neque enim satis esse videtur, ut sint affixa parietibus. Prohibetur etiam, nequid super altare ponatur, quod ad ejus ministerium non sit necessarium. Item ampullæ altaris sint vitreæ; concurbitea enim vasa aut similia nauseam potius, quam devotionem excitant.*

XI. *Cum capitale vitium sit gula & brietas, ex quo deinde facilius quis labitur non solum in damnum vitæ, sed etiam animæ, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut seriis ac quotidianis verbis fidelem populum doceatis, ut abstineant a tali crapula, in qua solent multi integros insumere dies. Et cum hoc sit magnum vitium in sæcularibus, longe maximum erit in Sacerdotibus divino cultui deditis. Ideo caveat unusquisque vestrum a tali ac tanto peccato pro certo habentes, se & a Deo iram expectaturum fore, & a nobis maximam pœnam.*

XII. *Et cum Ecclesia sit domus orationis, maxima indecentia est, dum nuptiæ benedicuntur in Ecclesia, mulieres & viros choreas ducere, & cantilenas parum honestas pronunciare. Ideo hic usus male introductus ab antiquis curet unusquisque ut extirpetur.*

Post has Constitutiones moniti fuerunt Sacerdotes, ut essent humiles, obedientes, reverentia & timore muniti accedant ad altare, in oratione assidui, charitate ardentes, & castitatis cingulo amicti &c.

Adfuerunt his Constitutionibus infrascripti Parochi.

Rever. Petrus Budi Capellanus Precopiæ, qui postea fuit Episcopus Sappatensis.

Rever. Marcus Relacius Parochus S. Mariæ Assumptæ de Presren.

Rever. Demetrius Palichi Parochus Ecclesiæ Nativitatis S. Mariæ Virginis in Cratocia.

R. Athanasius Colesei Parochus Ecclesiæ S. Mariæ de Ingneva.

R. Gregorius Colaici Parochus S. Nicolai de Monte novo.

R. Petrus Rinich Parochus Ecclesiæ S. Georgii in pago Vetniza.

R. Hieronymus Parochus S. Petri Nepciensis.

R. Michael Summa Parochus Ecclesiæ S. Mariæ Assumptæ in Sceglien.

R. Nicolaus Colessii Parochus Ecclesiæ S. Alexii de Covise.

Erat tum in Serblia, & per eos pagos apostolico fungens munere F. Nicolaus Longus e Franciscana familia, qui plurimum juvit Petri curas atque labores in iis Christianis excolendis, & hoc anno 1617. literas ad illum misit, queis Precopiensis pagi, Leskovaziensis & Krussevasiensis statum describit, aliorumque sane deterrimum; ibi enim pauci erant Catholici ritus cultores e mercatoribus tantum & argentariis. Petrus an. 1618. Pulatensis Ecclesiæ curam gessisse videtur ex suis literis Romam missis VI. Id. Junias anni ejusdem. Dum vero summo studio Vicarii officium Ternobium usque in ipsa Bulgaria periculosis itineribus prosequebatur, Urbanus VIII. ei Metropolim Antibarensem decrevit, simulque administrationem Ecclesiarum commendavit, quæ in regno Serbliæ tunc Episcopis carebant; idque docent tabulæ Consistoriales. 1624. 16. *Septemb. absolvit Marinum Bizzi a vinculo, quo tenebatur Metropoli Eccl. Antibaren. in provincia Albaniæ, tyrannidi Turcarum subjectæ, & ei provident de persona Petri Massavechii cum administratione quinque Episcopatuum regni Serbliæ juxta decretum Sac. Congreg. de propaganda Fide cum dispensatione super defectu gradus, & cum condonatione jurium, eo quod Ecclesia nullos habet redditus.* Omnes ad civitatem Archiepiscopalem aditus obseptos invenit, quos nec prece, nec pretio sibi aperire potuit. Itaque urbanam Ecclesiarum procurationem Petro Samueli Vicario suo generali commisit; cumque eodem anno Octavianus Garzadorus Archiepiscopus Jaderensis Legati Pontificii nomine ac potestate universam Dalmatiam invisere cœpisset, Antibarim adveniens & ipse ab urbis ingressu abstinere se debuit. Evocato autem ad se Archiepiscopi Vicario, illius Ecclesiæ statum ab eo didicit, & miserrimam Christianorum conditionem. Eos itaque amantissimis literis solatus est, & sacris munusculis large copioseque donavit, Vicarium ipsum amplissima impertiit auctoritate reos absolvendi per Sacramentum pœnitentiæ a quibusvis piaculis essent obstricti. Præter Elianam nullæ tunc in urbe erant Ecclesiæ; Catholicorum duo millia censa sunt in diœcesi universa; ædes sacræ tres in pagis Spizio, Lubazio & Sutano, singulæ quinquaginta annui redditus nummos argenteos numerabant; erogata stipe alebantur Sacerdotes; plures præterea ritus Rasciani cultores erant admixti, quorum curam gerebant Presbyteri quatuor adjecto in horum ministerium Clerico. Hæc ex actis Pontificiæ Legationis, quam Garzadorus obivit.

Fit Archiep. Antibaren. an. 1624.

Interea Petrus cogitationem curamque omnem ad parœcias suæ diœcesis, & Ecclesias Serblianas sibi commendatas lustrandas, & Christianis præceptis excolendas converterat. Anno 1625. Synodum habuit in pago Letniziensi Montisnigri, & paucis, qui erant in Serblia, convocatis Presbyteris, ea constituit VIII. ac VII. Kal. Julii, quæ videbantur catholicæ fidei ac pietati per eas regiones con-

diœcesim, & Ecclesias regni Serbliani lustrat.

Digitized by Google

conservandæ augendæque profutura. Tum Scopiam profectus inde datis litteris VIII. Kal. Augusti ad Sacram propagandæ Fidei Congregationem, quos fructus e suo munere referret sane copiosos, ingenue diligenterque exposuit. Ex aliis autem in alia loca commigrans in hujusmodi apostolicam peragrationem totum fere tempus sui Archiepiscopatus contulit. Quas omnes regiones ut obierat, quietis immemor, labore in orbem redeunte, unde primum discesserat, illuc revertebatur confirmaturus, siquid labaret; eodemque ordine urbes, oppida, pagos & populos, quos semel aut bis terve adierat, fere omnes revisebat. Incredibile dictu est, quam multas ærumnas, quam gravia incommoda pertulerit in hisce evangelicis excursionibus. Sed ubicumque divinus honor & salus animarum agebatur, nullas difficultates, nulla pericula effugiebat, atque, ut Christianis Turcarum tyrannide oppressis solatio esset ac præsidio, in discrimen capitis aut libertatis semet objicere non verebatur. Duos præter superius dictam Synodum aliis in locis Parochorum Conventus coegit, in quibus multa præclare decrevit, quæ ad disciplinam ecclesiasticam restituendam ac stabiliendam, ad pravas consuetudines extirpandas, quæ partim ex ignorantia, partim ex malitia in ea loca irrepserant, ad divinum cultum augendum, & Christianæ plebis, pietatem excitandam pertinebant. Gravis fuit illi controversia adversus Marinum Jercovichium civem Stagnensem, & Parochum Neobassarii, quem pagum suæ diœcesis Petrus vindicabat, contra obnitente Marino; propterea ecclesiastica pagi administratio illi interdicta fuit, si suo subjici ac parere Archiepiscopo repugnaret; qua de re scripsit Petrus an. 1628. IX. Kal. Septembr. ad Sacram Congregationem, ut facti redderet rationem. Lis vero fiebat adhuc anno 1629. sub sacræ Congregationis judicio, cum mercatores Ragusini, qui pro Marino stare videbantur, III. Id. Junii iterum de illo notionem dedere Congregationi eidem, quo certior atque stabilior ferretur sententia: inde quid fuerit decretum, & uter Petrus ne, an Marinus, caussa ceciderit, mihi est incompertum.

Quæ hactenus scripsimus, ex quinis literis ejusdem Petri Massarechii decerpsimus, quas ille de statu religionis Catholicæ in regno Serbliæ, & rebus ab se gestis misit ad Sacram Congregationem; sed harum integra exempla in Collegio de propaganda Fide asservantur, quarum nihil mihi, nisi pauca quædam fragmenta suppetunt. Nec minorem molestiam intulit Petro Episcopus Alexiensis, qui Ecclesiam S. Stephani in agro Barbarostio diœcesis Antibarensis occupaverat, ut docent literæ prid. Kal. Januarias an. 1628. datæ ad Sacram Congreg. ab Antistite Sappatensi, qui pro Petro stare videbatur. Rei inquisitio commissa est Episcopo Albanensi; at in quam partem sententia cesserit, adhuc comperire non licuit. Præterea nescio quid controversum eidem accidit de finibus Episcopatus Samandriensis in Bulgaria, cujus & aliorum Hungariæ Episcopatuum, qui Turcico imperio suberant, ei regimen fuerat impositum, adversus Episcopum Scardonensem; quippe hic Bosnensis Ecclesiæ administrator partem Sirmiensis regionis ad illam pertinere contendebat, quæ revera Samandriensi debebatur. Sed inter utrumque postea convenit; & compositionis tabulas Sacra Congregatio suo decreto confirmavit.

Controversia de finibus Episcopatus Samandriensis.

Decretum Sacræ Congregationis de propaganda Fide habitum die 11. *Maji* 1633.

Referente Em. Card. Antonio (Barberino); quæ de confinibus inter Epp. Samandrien. & Scardonen. fuerunt juxta decretum præcedentis Congreg. tractata inter Archiep. Antibaren. Ecclesiæ Samandrien. & Episcopatuum Ungariæ ab Infidelibus occupatorum Administratorem, & F. Joannem de Possega Bosnen. ab Ep. Scardonen. & Bosnen. Ecclesiæ Administratore ad hanc causam deputatum, & simul litteras prædicti Ep. Scardonen. de iisdem confinibus, Sacra Congregatio animadvertens partes inter se convenire, ut confinia inter prædictos Epp. sint & debeant esse flumen Dravi & oppidum Essiech, ita ut totum Sirmium sub Ep. Samandrien. remaneat, & non amplius sub Ep. Scardonen. confinia prædicta confirmavit & probavit, ac per Epp. prædictos, eorumque successores servari præcepit, durante tamen Infidelium prædicta occupatione & non ultra, non obstante decreto edito die 20. *Novemb.* 1626., *quod Sacra Congregatio revocavit & annullavit.*

Card. Antonius Barb.

Loco ✠ Sigilli.

Franciscus Ingolus Secret.

Quæ autem de utriusque diœcesis limitibus hic dicuntur, in Episcopis Sirmiensibus suo loco sunt declaranda. Annos propemodum undecim Petrus Pontificatum gessit admodum laboriosum ac difficilem, nulli stationi affixus, sed perpetuo motu Ecclesias omnes suæ fidei commissas peragrare solebat, ad easque potissimum sublevandas & curandas accurrere, quas maxime laborare, ac sua præsentia atque opera indigere cognoverat; cum anno demum 1635. assiduis laboribus, concursationibus curisque confectus ad beatam immortalitatem commigravit.

Petrus Arch. vita functus an. 1635.

In Ecclesia Utinensis nosocomii, quæ olim a Patribus Franciscanis tenebatur, super ostium sacelli nobilissimæ familiæ Gorgo visitur viri effigies Episcopalibus ornata insignibus, cui hæc inscriptio subjecta. *Hippolytus a Gurgo Arch. Antibarensis M.D.C.XXX.* Annus hic temporis nota esse videtur, quo Hippolytus Archiepiscopatum Antibarensem gessit; verum in nostra horum Antistitum serie nullibi locus extat, cui aut hoc sæculo XVII. aut superiore affigatur; præterea, cum diu multumque quæsissem, unde lux aliqua ad cognoscendam, & comprobandam Hippolyti dignitatem oriretur, nihil omnino deprehendere licuit neque e Romanis,

Hippolytus Arch. Antib. an retinendus?

Digitized by Google

nis, neque ex Utinensibus, & ipsius familiæ Gorgo tabulis ac monumentis. Monuit me quidem humanissime nobilis vir & Comes Alphonsus Belgrado, in quodam recenti Codice Comitum Gorgo hæc legi: *Anno 1630. extisit Hippolytus a Gurgo, qui fuit Archiepiscopus Antibarensis in Albania Turcica;* sed ambigere fas est, num in Codice ex laudata superius epigraphe relata fuerint, an vero Codicis fide & effigies sculpta, & epigraphe lapidi inscripta sit. Dum igitur de ambiguo Hippolyti Pontificatu tollatur quæstio, illum ex Antibarensium Antistitum numero sejungimus, quem suspicari possumus, Archiepiscopum quidem renuntiatum fuisse, at, servato titulo Antibarensis Ecclesiæ, Episcopale munus statim abdicasse; qua enim impudentia confictum mendax illud monumentum fuisset, & propositum in conspectu urbis, cui Hippolytus notissimus esse debuit, nisi veri quidquam extiterit, quod hactenus in occulto latet?

GEORGIUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XXXIX.

Sappa civitas olim non ignobilis Zadrimæ regionis, nunc vix oppiduli speciem retinens, sita est in provincia Antibarensi, non longe a ripa orientali Drilonis fluvii vergens ad septemtrionem. Hic honesto loco natus est Georgius Blancus ex fratre Nicolai Blanci Episcopi Sappatensis. Ab ineunte adolescentia ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, & humanis, divinisque literis egregie instructus, ac sacerdotio initiatus totum se in salutem utilitatemque animorum impendit. Marino Bizzio Archiepiscopo diœcesim ac provinciam Episcopali peragratione lustranti operam æque laboriosam atque assiduam navavit, a quo præclarum industriæ ac virtutis apostolicæ testimonium retulit, quod Romam missum ad excelsum Hierarchiæ gradum assequendum illi profuit. In Epiro nova sive in Albania ultra Drilonem Vicarii apud Redonas & Parochi munus in quodam pago diœcesis Alexiensis eodem tempore sustinuit, & plures annos nullis parcens laboribus aut incommodis gessit. His aliisque plurimis in rem Christianam meritis condecoratum Urbanus VIII. primum ad Episcopatum Sappatensem, deinde ad summum Antibarensis Metropolis sacerdotium evexit, ut docent acta Consistorialia: 1635. 1. *Octobris providit Ecclesiæ Antibarensi vacanti per obitum Petri de persona Georgii Blanchi Episcopi Sappatensis*. Multa sunt ejus præclare facta & cogitata, præsertim in lustranda Serbliæ regione, quæ sui juris archiepiscopalis erat, anno 1636; sed illud in primis magnum & illustre, quod dies noctesque meditabatur, & moliri jam cœperat, verum neque ipse, neque ejus successores perficere potuerunt. Angebatur intimis sensibus, & vehementissime dolebat calamitates illarum gentium, quæ Turcica servitute premebantur, & statum Christianæ religionis quotidie in illis regionibus deteriorem fieri, numerumque Christianorum imminui acerbissime ferebat. Miseræ, & jactatæ Albanensium fortunæ non aliunde perfugium ac præsidium, nisi a Venetis, petendum esse existimabat, ad quorum fidem ac clientelam ut redirent, populos illos clandestinis hortationibus sollicitare oportebat. Quod sui consilii esset, tribus illarum partium Episcopis Dyrrhachiensi, Scodrensi, Alexiensi declaravit, qui occultis sollicitationibus Dynastas & primarios viros illius regionis hortarentur, ut ad Venetos antiquos dominos confugerent, quorum auxiliis jugo Turcico eximerentur. His suasionibus primores illarum gentium facile aures atque animos præbuerunt. Ita clandestina quædam facta est conspiratio, & concordia Principum fere omnium ad recuperandam libertatem exarsit. De communi sententia Metropolita Dyrrhachiensis orator ad Ducem ac Senatum Venetum decretus fuit, qui duces balistarios, machinarum bellicarum artifices, arma & instrumenta militaria postularet; ad triginta millia militum ex Monte nigro conscriptum iri pollicebatur, quibus Veneti ad Turcas expellendos, atque Albaniam sub imperium redigendam uterentur, Sed nondum rei gerendæ opportunitas aderat; nam tunc Venetis cum Turcis pax erat, quam ut dirimerent, & armis ultro inferendis Turcas irritarent, nullo prorsus modo adduci posse videbantur. Itaque expectandum fuit, dum Turcæ ipsi, quos ad Cretam occupandam spectare, jamque magnam classem ornasse suspicio erat, Venetos aggrederentur. Res itaque in aliud tempus dilata est. Interea Georgius ex mandato Sacræ Congregationis de propaganda Fide jussus fuit an. 1636. dissidia componere, quæ de parœciis quibusdam exorta erant inter Albanensem & Alexiensem Episcopos; ac pro Albanensi sententiam tulit. Biennio post una cum Archiepiscopo Ragusino aliam controversiam inter Scodrensem & Alexiensem Episcopos diremit. Mox anno 1644. Innocentius X. ab Antibarensi Metropoli illum ad patriam Ecclesiam Sappatensem transtulit.

Georgius Blancus.

primum Episcopus Sappaten. dein Antibaren. Archiepiscopus anno 1635.

Ejus consilium de liberanda Epiro ab Turcarum captivitate.

Redit ad Ecclesiam Sappatensem.

FRANCISCUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XL.

Civis Traguriensis, cui parentes fuere Joannes Maria de Leonardis, & Magdalena de Andreis; utraque autem familia inter Tragurienses honestissima. Cum ecclesiasticæ militiæ se addixisset, Romæ aliquandiu constitit, qua in urbe anno 1625. præclarum e sacris exuviis D. Philippi Nerii munus accepit, illudque in patriæ suæ ornamentum contulit. Postquam vero in theologicis disciplinis doctoris insignia promeritus est, inter Canonicos Traguriensis Ecclesiæ & Archidiaconi dignitate primum locum obtinuit. Sed ut erat divinæ gloriæ augendæ, & animorum curandæ salutis flagrantissimus, apo-

Franciscus de Leonardis

sto-

Digitized by Google

Missionarius Apostolicus in Serblia.

stolicas per Serbliam excursiones suscepit, quo ministerio laboribus ærumnisque plurimis obnoxio ingentes attulit Catholicæ Ecclesiæ utilitates. Anno 1638. dissidia, quæ de finibus diœceseon Alexiensi Episcopo cum Dyrrhachiensi Archiepiscopo & Episcopo Albanensi intercedebant, sapientissime composuit, cumque Ecclesiæ Græcæ & Rascianæ in iis regionibus dogmata moresque probe cognosceret, de illarum statu commentarium scripsit breve illud quidem, sed utile, misitque ad sacram Congregationem, quod in Latinum ex Italico sermone conversum hic subjicio.

Scribit commentarium de statu Ecclesiæ Græcæ & Rascianæ.

Serbliani ab regno Serbliæ nomen adepti, generis ac sermonis Illyrici, iidemque Græco schismate impliciti longe lateque dispersi sunt ac disseminati non solum in regno Serbliæ, sed etiam in aliis provinciis Serbliæ conterminis, quæ olim regibus e stirpe Nemania oriundis suberant. Nam ad orientem incolunt Romaniam, quæ adjacet Bulgariæ & Græciæ, ad septemtrionem provinciam illam, quæ regio S. Stephani vulgo dicitur, atque ad ripas usque Danubii protenditur, a meridie Zentam utramque superiorem & inferiorem Albaniæ finitimam, ab occidente demum Hertzegovinam, sive Principatum S. Sabbæ, aliasque regiones proximas Bosinæ, quas itidem ingens multitudo hominum ritu & schismate græco depravavit.

Serblianorum hierarchia.

Uni omnino Patriarchæ Pechiensi subjectos se præbent, eique uni obtemperant, quippe quem Ecclesiæ suæ unicum & supremum caput esse profitentur. Is initio Prizreni sedem suam constituit, quam ab Justiniano Imperatore Justinianam secundam nominatam ferunt. Itaque neque jurat in verba legesque Patriarchæ Constantinopolitani, neque ullum, qui sibi præsit, Hierarcham agnoscit. Huic unus & quadraginta partim Metropolitæ, partim Episcopi parent, ex quibus nonnulli tum primum creari cœperunt, cum in eas regiones Turcarum imperium propagari cœpit. Nam ut cuique civitati novum magistratum, quem Sangiaccum vocant, præficiebat Imperator Turcarum, ita in eadem novum Episcopum Patriarchæ Pechiensis constituebat. In provinciis, quæ ad occasum vergunt, hos habet sibi obnoxios Episcopos Prizreni, Scopiæ, Rassiæ, Noropazani, Mollesesi, Smiderovi, Temisvari, Bescherechæ, Parzazii, Belgradi, Possegbæ, Zuornichii, Paglickæ, Zentæ, Montisnigri, Tribiniæ, Hertzegovinæ, Bossinæ, Bagnalvchæ, Lichæ. De Episcopis in partibus orientis constitutis nihil certi compertum habeo.

Cum apud Pastrovichios Apostolicæ expeditionis causa versabar, inde in Montemnigrum, & Zentam usque penetravi. Pro notitia harum regionum, quam explorandis indigenarum moribus, indole & sententiis mihi comparavi, magnam in spem venio fore, ut tum ex iis, tum ex aliis finitimis populis uberes animorum fructus percipiantur.

Episcopo Montisnigri subjacet non solum universa regio Montisnigri vocabulo appellata, quæ a finibus Rhizinii usque ad territorium Scodrense passuum millia ferme quinquaginta protenditur, sed præterea Pastrovichii, Garbaglienses, Lustizzenses, Cartolenses, quibus oppidis pagisque amplius quinquaginta millia incolarum numerantur.

Episcopo Zentæ subsunt Petgovizza, Bilupaulovichii, Brattonosichii, Piperi, Mikullchii, Kraina, Marcovichii, & Spizzensis agri pars haud exigua. Hæc diœcesis complectitur quidquid ultra paludem Labeatem, & fluvium Meraziam usque ad Serbliæ planitiem excurrit, coliturque a Christianis, & habitatur frequentissime, quorum numerus octoginta millia capitum facile excedit.

Presbyterorum inscitia & mores.

Presbyteri Serbliani, vix inito sacerdotio, curam animarum suscipiunt; & nemo est, cujus auctoritate approbentur, vel paræciis præficiantur. Plerique, nondum duodeviginti ætatis anno exacto, sacerdotio initiantur, quamvis Euchologium vetat quempiam sacerdotem fieri, quin trigesimum annum attigerit.

Paræciæ neque certæ ac definitæ sunt, neque perpetuæ. Earum Curatores sine Episcopi auctoritate constitui solent; & quilibet e privatis hominibus arbitratu suo Parochum eligit, amovetque.

Serblianis Presbyteris nihil imperitius, nihil indoctius. Euchologium, & Liturgiam expedite legere vix possunt, nam, qui scribere sciant, pauci admodum sunt.

Cum uxores habeant, & liberos, quibus res necessarias ad victum cultumque comparent necesse est, pecuniæ æque avidi sunt & tenaces; proinde habent venalia Sacramenta, & constitutis in articulo mortis neque absolutionem, neque Viaticum impertiunt, quin antea de pretio conventum fuerit.

Sacramentorum abusus.

Sacrificium raro faciunt, & nonnisi celeberrimis sanctissimisque cujusque anni diebus, & præterea die festo Patroni ejus paræciæ, cui præsunt, itemque cum mortuos exsequiis & sepultura afficiunt, & septimo, quadragesimo, atque anniversario ab cujusque obitu die. Adolescentulos, ubi decimum quintum annum attigerint, nulla exomologesi expiatos ad mensam Eucharisticam admittunt, ac sæpe morti proximos Eucharistia antea impertiunt, quam eorum confessiones excipiant.

Confitentibus semel singulis annis operam dare soleut, ac plerumque eo ipso die, quo sacra mysteria peragunt.

Sacerdotes quidam juniores interrogati cum essent, quibus verbis absolutionem sacramentalem impertiunt, responderunt, se uti hoc uno verbo Deposto, quod idem valet, ac Remittatur.

Quidam e Calogeris, qui mecum venerant, mihi plane affirmavit, se ex quamplurimis, quorum confessionem in ipso extremæ vitæ discrimine audierat, ne unum quidem reperisse, qui vel semel sua delicta integre confessus fuerit. Cujus rei has esse causas conjicio, quod Presbyteri in explorandis investigandisque conscientiarum latebris parum diligentiæ adhibeant, tum quod laici homines vereantur, ne sua delicta parum fideli commissa silentio

in

in lucem prodeant; id quod aliquando accidit.

Eo ritu, quem hisce verbis designant Pojati, Sveto Mesta, *quod idem est ac* canere sanctum Oleum, *nihil apud eos crebrius, nihil usitatius, nihil solemnius; neque enim solum id genus cærimoniæ adhibent infirmis, ut præscribit Euchologium, sed nulla ædificatur domus, nullæ celebrantur nuptiæ, nihil denique publicæ privataque lætitiæ, aut solemnitatis peragitur, quin hujusmodi cærimonia vel præcedat, vel sequatur, eisdem plane verbis ac ritibus adhibitis, quibus extremæ Unctionis formula continetur.*

Nullus apud illos neque concionis, neque Christianæ catecheseos usus; quapropter in pagis villisque integris vix unum reperies, qui Orationem Dominicam sciat, & numerum præceptorum divinæ legis teneat; id quod vel ipsi Presbyteri ignorant.

Superstitiosa severitas.

In jejuniis observandis summa apud illos severitas; & vel minimum deliquisse nimis grave piaculum ducitur. Cæterum extra dies jejunio præstitutos, cum possunt, cibo potuque se ultra modum ingurgitant. At statis jejunii diebus ne infirmis quidem, quamvis lnicis & letbali morbo laborantibus, carnium cibum permitti volunt.

Nullum inter sacros & apocryphos libros apud eos discrimen,

Presbyteri pariter, atque Calogeri Monachique ingenio sunt adeo hebeti atque obscuro, ut libros sacros a prophanis, Canonicos ab apocryphis, approbatos a damnatis internoscere nequeant. Hinc errores innumerabiles hauriunt, cum pro Fidei catholicæ decretis habeant fictas illas & commentitias narratiuncu las, quibus scripta sua referserunt auctores ab Ecclesia reprobati; ex quo fit, ut maxime abborreant a Fide Latinorum, ad quam improbandam confictas a Græcis fabulas assidue legunt.

neque inter dogmata & ritus,

Plane ignorant, quod & quantum inter Fidem & ritum intersit; diversitatem ritus satis esse putant, unde Fidei diversitatem eliciant; contra vero eidem ritui eamdem Fidem subesse posse existimant. Quare siquis vel turpissime e sanctissimis Fidei decretis aberraret, modo tamen de ritu ab illis nibil discrepet, eum inter orthodoxos annumerant; & siquid de ritu immutetur, statim Fidei immutationem jacturamque fieri arbitrantur. Quocirca Latinos Fidei simulatores, & Noveversc ios, idest novæ fidei homines appellant, falsa illa opinione imbuti, quod ii Fidem immutaverint, cum orientalis ritus, ut ipsi existimant, vigente primæva Ecclesia, tum Romæ, tum in universo Occidente sanctissime servaretur.

nec inter levem & gravem culpam.

Inter lethale & veniale peccatum, inter divina & humana præcepta, inter ea, quæ naturali, quæque ecclesiastico jure præscribuntur aut vetantur, nihil discriminis constituunt. Quo discrimine sublato, errores perniciosissimi sequantur necesse est. Siquid vel levissima ritus violatione peccetur, id gravissimi sceleris damnant; qua in re mire superstitiosos, & Pharisaicæ hypocrisis imitatores se præbent.

Dum Franciscus superiores Albaniæ partes, & finitimam Macedoniam more Apostolico peragrabat, Marderio Episcopo ritus Græci, quem ab errore & schismate ad veritatem & communionem Catholicam revocaverat, auctor fuit, ut Romam se conferret, & suam erga Sedem Apostolicam obedientiam ac venerationem profiteretur. Hic se *Macedoniæ, & Montisnigri Episcopum* appellabat, & in eo monasterio habitabat, quod Joannes Cernovichius Dux Zarnagoræ sive Montisnigri non longe ab urbe Catharo ædificaverat. Ipsum Franciscum Archidiaconum Tragurien sem, & Joannem Bolizam Equitem ad Urbanum VIII. adventus sui prænuntios misit. Anno proximo literas ad Pontificem dedit plenas officii, summæque erga illum reverentiæ testes, & caussam affert, quæ sibi profectionem Romanam retardat; sunt autem hujusmodi.

Marderii Græci Episcopi conversio ad Romanam Fidem opera Francisci, & legatio ad Pontificem.

Illius ad eumdem literæ.

Summo, Magno Domino, Patri, Doctori, auctoritate, voluntate, gratia Dei omnipotentis, qui omnia regit atque administrat, qui ante sæcula est & erit sine principio & fine, Patris, Filii & Spiritus Sancti, gloriosi Dei & adorandi, Papæ magnæ & inclytæ Romæ, Summo Capiti totius Orbis & omnium Fidelium, Amatori Jesu Christi, ab Deo coronato, ab Deo consecrato, ab Deo constituto super omnia regna, ab uno ad extremum terræ confinium coruscanti, a Sanctis Apostolis illustrato & glorificato, Marderius Dei gratia Episcopus Macedoniæ patriæ Magni Alexandri, Montisnigri in Monasterio D. Joannis Cernovichii in Campo Cetinæ ad confinium Cathari.

Dominus præpotens Deus, scrutator cordium, inspector cogitationum humanarum optime novit, quanto ferveam desiderio Romam adeundi, & per me ipsum testificandi meam cum ista sancta Sede conjunctionem, fidem erga illam, & observantiam. Jamque omnia paraveram, quæ ad profectionem Romanam mihi opus erant, ut Sacræ Congregationi per Franciscum de Leonardis Archidiaconum, & Franciscum Bolizam Equitem significandum curavi; sed rumor ac fama de adventu exercitus Turcici cum quotidie magis increbresceret, non sine acerbissimo animi sensu & dolore mibi moram injecit: quippe bi populi, quibuscum consilium, quod cæperam itineris Romani communicaveram, Turcarum metu perculsi supplices ac trepidi ad me coierunt orantes & obsecrantes, ne se in tali ac tanto discrimine constitutos desererem, neve præsentiæ & auctoritatis Episcopalis solatium ac præsidium illis eriperem. Quocirca illorum voluntati ac precibus obsequendum putavi. Si autem, Deo miserante, boc periculum depulsum fuerit, ut rebus pavidis ac perturbatis securitas ac tranquillitas affulgeat, mense proximo Sextili navigium conscendam, quo in Italiam transmittens in Urbem venire properabo. Quod si nondum res a metu imminentis calamitatis quietæ fuerint, duos e primoribus Calogeris hujus monasterii mittam, qui ad pedes Sanctitatis Vestræ advoluti

Digitized by Google

ti meam vobis atque isti sanctissimæ Sedi obedientiam, & perpetuam cum ea conjunctionem polliceantur, atque cælestem & faustam mihi precationem a vobis exorent, tamquam a communi omnium parente, & successore maximi illius ac gloriosissimi Supremi Apostolorum Principis Petri, cui dictum fuit a Domino; Quidquid solveris & bene precaveris super terram, erit solutum & confirmatum in cælis. *Spero autem fore & confido, ut, quemadmodum ego cum meis hisce populis supremæ Auctoritati Vestræ me in perpetuum addico, dedo atque obstringo, sic etiam vos, veluti universalis Pater, Doctor & Pastor, nos omnes in sinum charitatis vestræ recipiatis; cum scriptum sit,* Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras; *simul misereamini nostrarum calamitatum; quippe undique & assidue ab hostibus Christiani nominis vexamur & opprimimur. Nam ipsi quoque opera misericordiæ a Christo Domino præcepta exercere, & Christianis ritus Latini afflictis atque ærumnosis subvenire, & quam possumus opem ferre non omittimus, cum in suis miseriis & calamitatibus ad nostrum Monasterium confugiunt, quod est in hisce partibus fortunæ Christianorum miseræ atque jactatæ veluti portus & commune profugium; ita & nos a charitate vestra & munificentia omnia, quibus indigemus, auxilia & præsidia speramus. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram salvam & incolumem conservet, in cælo terraque magnificet.*

Alia Marderii ad Pontificem legatio,

Sed cum eædem, vel nihilo leviores causæ moram inferrent atque impedimentum itineri Romano, Marderius cum alteris suis literis suos ad Urbanum Internuncios misit Bessarionem Archidiaconum, & hujus fratris filium cum alio hieromonacho, qui ad ejus pedes prostrati suam fidem atque obedientiam supremo Ecclesiæ totius Hierarchæ solemni professione obstringerent. Hos Pontifex peramanter accepit, atque omnibus paternæ charitatis officiis prosecutus cum suis literis ad Marderium remisit, de cujus ad fidem, & Ecclesiam Catholicam conversione summopere gratulatur, eumque gravissimis & amantissimis verbis hortatur, ut, omni studio operaque adhibita, gentes illas ac præsertim Patriarcham suum Pechiensem ab errore ad veritatem, a schismate ad jungendam cum Ecclesia Romana societatem revocare conetur. Ad opus tam præclarum, ejusque virtute ac sapientia dignum perficiendum omnia illi, quæ a Sede Apostolica desiderari possunt, officia & auxilia pollicetur.

et Pontificis ad Marderium literæ.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei Vener. Fratri &c.

Venerabilis Frater. Salutem &c. Exultat in Domino spiritus noster, quoties ovem aliquam ex vigentis leonis faucibus ereptam summa Dei benignitate in loco pascuæ & super aquas refectionis collocatam esse audimus. Proinde majorem in modum gavisi sumus, cum ex Fraternitatis tuæ literis jampridem cognovimus, te ad Romanæ Ecclesiæ communionem, extra quam non est salus, animum convertisse. Nuper autem cumulata est nostra lætitia, cum tu variis impedimentis detentus, quin Romam proficiscereris, dilectos filios Bessarionem Archidiaconum una cum alio hieromonacho, tuumque nepotem huc allegasti, ut nobis tuo nomine obedientiam præstarent. Itaque datas eis ad nos literas libenter legimus, quibus eximiam animi pietatem ostendis, ac sanctam Romanam Ecclesiam Fidei magistram, & tuam omniumque fidelium monachorum pio affectu veneraris. Homines a te missos benevole atque humaniter excepimus, qui tuum erga nos & Apostolicam Sedem obsequium, & præclaram voluntatem fuse testati sunt. Proinde te, licet regionum intervallo disjunctum, peramanter complectimur in visceribus Jesu Christi. Charitas enim, quæ est vinculum perfectionis, omnia conjungit. Nos sane communis parentis munere fungentes, quæcumque ad æternam salutem comparandam præsidia istis populis subministrari possunt, a nostra sollicitudine desiderari nunquam passuri sumus. Tu autem, Venerabilis Frater, summo Dei beneficio illustratus in posterum dare operam debes, ut, qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad lucem catholicæ veritatis emergant. Latus tibi proponitur campus ad virtutem, & pastorale munus exercendum; ingens est vinea, quam tibi excolendam Altissimus dedit. Auge plantationem, irrigationem adhibe; & incrementum dabit ipse bonorum auctor Deus. Præsertim vero cupimus, ut Patriarcham tuum ad Apostolicam unitatem revocare contendas, ac sedulo cures, ut unitatem, quam sacrosancta Concilia docuerunt, amplectatur. Quod haud difficile tibi futurum esse arbitramur; cum apud illum gratia atque auctoritate plurimum valeas. Prosequere igitur opus Dei, & consilia, quæ, divino afflante Spiritu, aggressus es, constanter perfice. Laxa retia in capturam, ut animas Christo lucrifacias, qui eas pretioso sanguine redemit. Id a te postulat officii tui ratio; id de te nobis indubitanter pollicemur; &, quamquam te sponte currentem alieno admonitu excitari nihil necesse existimemus, tamen pro nostra pastorali sollicitudine, & quia te valde diligimus, & de te ac tua virtute egregie sentimus, te efficacius hortamur. Denique ab eo, qui est pax nostra, cælestis gratiæ præsidium, & diuturnam felicitatem postulamus Fraternitati tuæ, tum Apostolicam benedictionem ex animo impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 12. Maji Pontificatus Nostri anno XVII.

Franciscus creatur Archiep. Antibaren. an. 1644.

Interea Franciscus tot, tamque insignibus meritis auctus in Christianam rempublicam viam sibi, licet nolens & inscius, sternebat ad Archiepiscopatus Antibarensis dignitatem & munus. Namque Innocentius X., cognita probatissimi viri virtute, illum anno 1644. ad hanc Ecclesiam regendam evexit, ut est in tabulis Consistorialibus: 1644. 29. Novembris *providit Ecclesiæ Antibarensi per*

Digitized by Google

translationem Georgii Blanchi ad Ecclesiam Sappatensem de persona Francisci Leonardis &c. concessum eidem pallium 12. *Decembris* 1644. Sed ne integrum quidem biennium præfuit, morte sublatus anno *1646.*, & ingens sui desiderium illi Metropoli relinquens. In tumulo Francisci de Andreis Episcopi Nonensis, cui erat consobrinus, nomen legitur *Francisci Leonardi Archiepiscopi Antibarensis viri pietate ac scientia clarissimi;* quod elogium jure sibi ac merito integerrima, & Apostolica vitæ consuetudine comparaverat.

et biennio fere post moritur.

JOSEPH MARIA ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XLI.

Joseph Maria Bonaldus ex Ord. Præd.

Civis Jadertinus ex familia Bonalda Ordini Dominicano adscriptus cum esset, in Collegio Romano Minervino Patrum Prædicatorum scientiæ rerum divinarum operam dedit, & cum acutissimo esset ingenio, & summam diligentiam atque assiduitatem susceptis studiis adhiberet, Theologus idem & concionator egregius evasit. Cum excellenti doctrina eximiam vitæ integritatem, prudentiam & virtutes omnes conjunxit, quas religiosi hominis professio requirit. Innocentius X. *anno 1646. 2. Septembris providit Ecclesiæ Metropol. Antibaren. per obitum Francisci de Leonardis vacanti de persona F. Josephi Mariæ Bonaldi Ord. Prædic. cum assignatione annuorum scutorum* 200. *pro ejus sustentatione*. Ex actis Consist. de quo & Fontana p. 1. cap. 4. tit. 3.

Archiep. Antibar. an. 1646.

Plures Schismatici Ecclesiæ Catholicæ adjuncti.

His temporibus non exigua & valde illustris Schismaticorum in illis partibus ad Romanam Ecclesiam accessio facta est. Hujus auctorem in meis schedis nominatum non invenio. Aliquis fuisse videtur ex Ordine S. Francisci, sive ex illis evangelicis operatiis Collegii de propaganda Fide alumnis, quos Sacra Congregatio in longinquas regiones tum ad Catholicos divinis præceptis eruditendos, sacrisque mysteriis impertiendos, tum ad hæreticos & schismaticos ad rectam in Deum fidem, & communionem Catholicam convertendos quaquaversum dimittere solet. Erat quidam in superioribus Dalmatiæ partibus Epiphanius nomine, Stephanovichius cognomine, Bosnensis natione, admodum senex, qui se Archiepiscopum Dalmatiæ appellabat, suamque jurisdictionem Episcopalem longe lateque protendebat in omnes ritus & schismatis Græcanici cultores, qui per Dalmatiam dispersi varia loca Turcicæ aut etiam Venetæ ditionis incolebant. Duobus Episcopis ejusdem ritus & dogmatis jure metropolitico præerat; alter erat Basilius, qui Marciæ in oppido Rovistæ regionis sub dominatu Austriaco, alter Isaias, qui Bagnæ in regno Bosinæ sub imperio Turcarum Sedem Episcopalem habebat. Ergo vir ille Apostolicus, quem dixi, dum loca illa peragrabat, Epiphanium salutatum per speciem officii adierat, & cum se in ejus familiaritatem blando & apposito ad eam sibi conciliandam sermone insinuasset, variis percontationibus, aptisque argumentis hominem adortus, quam longe ab recto salutis tramite aberraret, luculentissime ostendit; neque ante illum adhortari, allicere, urgere destitit, quam omnes letalium dogmatum & pravitatis schismaticæ fibras ex ejus animo evelleret. Tum ille superna luce perfusus Græcorum errores & pertinaciam agnovit, nec solum ipse, sed etiam ejus opera atque adhortatione duo illi Episcopi, cæterique fere omnes populi eidem subjecti Catholicæ veritati manus dederunt. Itaque anno 1648. Kalendis Novembris in oppido Pontaduræ, quæ eadem est, ut mihi videtur, civitas atque insula Sinus Flanatici, in templo primario & maxima frequentia populi Epiphanium suo & suorum nomine schisma & errores Græcorum voluntaria exsecratione detestantem idem ille, qui ejus conversionis auctor fuerat, auctoritate, qua præditus erat, Apostolica culpa omni pœnaque liberavit, & cum Ecclesia sancta in gratiam reduxit. Hic itidem evangelicus operarius, cum in omnia inferioris & superioris Dalmatiæ loca suam Apostolicam expeditionem extenderet, plures e Calogeris & Parochis, omnino ad octogenos, ab schismate ad Catholicam communionem revocavit; de quorum conversione literas dedit ad sacram Congregationem, quas ex italico in latinum sermonem conversas hic exhibeo.

Litteræ testes ejurati ab iis schismatis.

Illustrissimus & Reverendissimus Epiphanius Stephanovichius natus Onzæ in oppido regni Bosnæ Archiepiscopus Dalmatiæ ritus Græci est Metropolita duarum Ecclesiarum, unius videlicet in civitate Marciæ in regione Rovista appellata sub jurisdictione Imperatoris, cujus Episcopus est Basilius, alterius vero in civitate Bagnæ Bosinensi sub imperio Turcarum, cui præsidet Isaias; utrique idem Epiphanius jure metropolitico præest, jure autem diœcesano duas in Dalmatia regiones complectitur, Clissensem videlicet, & Licbanum. In Clissensi hæc habet loca sibi subjecta, Clissam, Chiunum, Plamoz, Biogradum, Cetinam, Dernisium, Verliccam, Singum, Sarpium, Pontaz, Cluz, Bilay, Bonich, Mostaibech, Ostrovizza, ultra Chersam fluvium Barticevum, Serbam, Gacup, Prologon, S. Nicolaum, S. Mariam, S. Michaelem, Pescam & Dineredim. In Licbano autem Clin, Scardonam, Delin, Lachisiza, Casich, Uranam, Zomonicum, Nadinum, Polisnicon, Islan, utrumque Obrovazium, Corbat, Pogosich, Besilovich, Ostrovizzam, citra Chercam Steremizzam, Gratat, Ofdinam, Novibilay, Bibelich, Gribaz, Perasich, Boduc, Radich & Boinich.

Hic Præsul Epiphanius, qui annum ætatis octogesimum prætergressus est, Kalendis Novembris anni 1648. *in oppido Pontaduræ & sua, & omnium, qui loca supradicta incolunt, nomine, coram me solemni professione tum schisma & errores Græcorum ejuravit, tum suam & omnium suorum obedientiam Sedi Apostolicæ in*

per-

Digitized by Google

perpetuum addixit. Ne Romam ipse adiret, & sanctissimo Patri Innocentio X. debita venerationis officia præstaret, impedimentum fuit ipsa senectus propemodum extrema, & valetudo male affecta; qui suas partes ageret, suaque vice fungeretur, Rev. Abbatem Monasterii Cherchensis S. Michaelis cum aliis duobus Internunciis misit. Præter Archiepiscopum & duos illos Episcopos, quos dixi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reconciliandos curavi octoginta Presbyteros Calogeros Parochos, P. Victorem Presbyterum de Pecce, Matthæum Popovichium Diaconum apud Pastrovichios, & alterum Diaconum apud lacum Polgorizæ Calogerum Monasterii Cetinensis in Montenigro, & alterum ejusdem Monasterii alumnum filium Comitis Zuppæ, Præsulem Bessarionem Montisnigri natum annos triginta, qui Romæ, dum literis operam daret, Catholicæ Fidei professionem emisit, eamque ab illo, postquam Episcopus factus est, renovandam curavi, sex Parochos Zuppæ regionis, videlicet S. Theodori, S. Venerandæ, S. Joannis, S. Martini, S. Nicolai, S. Stephani, Parochos Pastrovichiorum, Parochos Mainotarum S. Venerandæ, & Christi in cælum ascendentis, Parochos Montisnigri S. Mariæ, Borgorodizæ, Gospojæ, S. Archangeli, villæ Crachianæ prope Buduam, B. Mariæ Negusiensis, S. Nicolai Catharensis, S. Demetrii apud Catharum, S. Joannis Spizzæ, S. Lecæ, S. Georgii, S. Archangeli Lupizæ, S. Spiritus, & S. Mariæ Lustizæ, S. Joannis Chrysostomi, itemque Georgium Protopapam totius Lustizæ. His adde Parochum multarum villarum in Lichano tractu sive Sangiacatu, itemque Parochum Clissensis Sangiacatus & alios plures.

Bonaldi consilia de Antibari a Turcis recuperanda.

Nunc ad Bonaldum Archiepiscopum, unde digressi sumus, revertamur. In Dalmatiam cum venisset, totam provinciam reperit metu suspensam, incertoque exitu belli Cretici, quod anno 1645. jam exortum in hanc regionem pervadere cœperat. Præerat cum summo imperio Leonardus Fosculus, ad quem Præsul se contulit, ut, quæ tres illi, quos supra nominavi, Episcopi consilia de Antibari aliisque oppidis ejus regionis e servitute Turcarum eximendis inter se, atque cum Dynastis Albaniæ habuerant, cum eo communicaret. Sed huic Albanensi expeditioni nec tunc idoneum & opportunum tempus visum est; quippe anno 1646., cum bellari cœptum esset in Dalmatia, vario eventu res ibi gerebantur. Banus Bosnensis ad triginta millia hominum invexerat, Novigradum oppugnaverat, inde agrum Jadertinum incursabat. Itaque Fosculus, collaudato Albanensium consilio, eximiæ illorum erga Venetos voluntati, cum primum opportunitas aderit, se libenter obsecuturum promisit. Interea doctissimi Præsulis oratione, pietate, prudentia captus noluit eum ab se dimittere, ut socium ad bellicas expeditiones, comitemque assiduum haberet, ejusque ad rem bene gerendam tum consiliis uteretur, tum precibus apud Deum juvaretur. Adfuit Fosculo in ardua & difficili Clissensi oppugnatione; & post arcem deditam ipse, fano Mahumetico perpurgato atque ad cultum divinum converso, solemni ritu litavit, eoque præcinente, hymnus actionis gratiarum Deo concordi omnium voce persolutus fuit. Annus erat quintus belli Cretici, æræ vulgaris 1649., cum Leonardus Fosculus Antistitum & Procerum Albaniæ studiis obsequendum putavit, a quibus ad eum identidem ventitabant legati spondentes, statim atque classis Veneta se ostendisset, consurrecturam ad arma multitudinem adversus Turcas; & tum Antibari, tum Scodræ, tum alibi conjuraverant primores oppidanorum inter se de portis civitatum aperiendis Veneto militi. Occasionem haud neglexit Fosculus. Contractis Jaderam octo triremibus, quindecim navibus majoribus, & armatis navigiis aliis ad quinquaginta peditum tria millia, & ducentos equites, tormenta, balistas, cæteraque oppugnandarum urbium instrumenta iisdem imposuit. Profectus Jadera jam ferme in conspectum Antibaris venerat; modico ab litore intervallo, jactis anchoris, expositoque milite, ac tormentis duobus, postero die ad oppidum accedere statuit satis sperans, visis signis Venetorum, motum aliquem intus fore. Sed spes fefellit, quippe non defuerant proditores, qui de conjuratione Albanensium, & adventu classis Venetæ Bassam Scodrensem præmonuerunt. Hic, militibus undique collectis, cum exercitu ad oppugnationem arcendam vel repellendam processit. Luce appetente, vixdum aliquot Venetorum copiæ propius ad urbem accesserant, cum duo millia Turcarum de improviso impetum in Venetos faciunt, & primo statim concursu in fugam avertunt. Cernens continuo Fosculus multitudinem aliam Turcarum ex circumjectis jugis affluentem, nequid fortunæ aut hosti temere committeret, abstinendum incæpto ratus milites revocavit, & conscendere naves jussit; quod ipsum sane sine tumultu fieri nequiit, carpentibus agmen postremum Turcis, qui, nonnullis cæsis in litore, tormentum etiam unum ademere.

Irrita in hanc rem Venetorum expeditio,

Infelix exitus Antibarensis & Albanensis expeditionis magnum rei Christianæ detrimentum attulit. Nam Turcæ propter clandestinam illam cum Venetis coitionem efferati odio rabieque cum in cæteros illius regionis populos, tum in Antibarenses potissimum effundere, eosque gravissima servitute opprimere cœperunt; & facultas Christiani cultus libere exercendi ad eam diem permissa exinde aliqua ex parte vix recuperari, & pretio redimi potuit. Plerique, ut se iniquis tributis & vexationibus eximerent, paullatim a Christiana religione deficere cœperunt; ac demum fere omnes, præsertim ex ordine nobilium, cultum Christi cum superstitione Mahumetica commutarunt. Non defuere tamen, qui e Clero præsertim cum nullis minis, terroribus, ærumnis adduci potue-

et ingens hinc rei Christianæ Antibarensium damnum.

Digitized by Google

tuerint, ut fidem Deo datam fallerent, cervicibus gladio suppositis gloriosam pro Christo mortem oppetierunt. Alii vero, nec sane pauci, & fere ad tria millia ne tyrannicæ servituti & periculo avitæ religionis deserendæ subessent, prona in Venetos veteres dominos voluntate impulsi ad hos transierunt, hisque egregiam in bello Cretensi operam navarunt.

Bonaldi Archiep. multa præclare gesta.

Dum apud Antibarim res infeliciter tentata est, aberat Joseph Maria Archiepiscopus, Romam post deditionem Clissensem profectus, ut ab Innocentio X. subsidia tum ad Cretam, tum ad Dalmatiam tuendam Venetis impetraret. Non inutilem ejus apud Pontificem operam fuisse oportet, cum ei Senatus menstruam centum argenteorum pensionem decreverit. Ab Innocentio internuncium extraordinarium ad Ferdinandum III. Imperatorem de rebus publicis & ecclesiasticis missum fuisse declarat inscriptio ad ejus effigiem apposita, quæ Jaderæ visitur in ejus ædibus paternis; atque a Ferdinando annua pensione mille florenorum donatum esse F. Simon Sappatensis Episcopus in suis ad Sacram Congregationem literis docet scriptis VI. Kal. Majas an. 1651. & legitur in libr. taxar. Cam. Apost. 97. 6. Anno 1652. erat Venetiis, ut constat ex ejus epistola de morte Episcopi Scodrensis Romam missa, dataque Venetiis eodem anno VII. id. Septembris. Intra finem hujus anni Venetiis discessit ad gregem suum visendum & solandum, qui sub imperio Turcarum plurimis & acerbissimis vexationibus afflictabatur. Cum in ditione Turcica nusquam inveniret, ubi a metu & periculo tutus esse posset, apud Pastrovichios Venetis subjectos se recepit, ibique sedem ac domicilium collocavit. Hic Christianos excipiebat e tota diœcesi ad eum ventitantes, divinis humanisque subsidiis indigentes, quos omni ope recreabat, & sacris impertitos, ac saluberrimis monitis præceptisque instructos dimittebat. Nec vero ipse in finitima & interiora loca suæ diœcesis excurrere, & oves sibi creditas divini verbi, & Sacramentorum pabulo reficere omittebat. Multos e Mahumetica superstitione ad Christi cultum traduxit, quos viatico & literis commendatitiis munitos in terras Christianorum amandabat, ne in gregalium suorum manus inciderent exitiali supplicio afficiendi.

Ejus morbus extremus & pia mors.

Sed optimo Præsuli haud diu de suo grege benemereri licuit. Nam anno proximo post ejus adventum morbo lento & tabifero urgeri cœpit, quo præcordia paullatim exedente, demum extinctus est v. Kal. Decembris anno 1653. Cum morbus magis magisque ingravesceret, magis etiam Josephi singularis virtus, religio, patientia exsplenduit, & morti jam proximus eosdem pietatis sensus, ac voces exprimebat, quibus, dum viveret, longo usu assueverat; nunc defixo in effigiem Christi morientis, quem manibus tenebat, oculorum obtutu, cum Jesu, quasi adesset, suavissime loquebatur; nunc psalmorum versiculos pie admodum usurpabat, identidem præterea illas iterans voces, *Plus potes, Domine, dimittere, quam nos peccando committere; miserere mei; cupio dissolvi & esse cum Christo*. Animam agenti assedit usque ad extremum spiritum Joannes Marcovichius Vicarius Apostolicus Buduæ, quæque illi tempori pietatis officia & charitatis tribui solent, sedulo præstitit. Idem de illius vita integerrima, omnibus cumulata virtutibus, & morte sanctissime obita epistolam scripsit, in qua illum vocat exemplar veteris perfectique sacerdotii, nec Christianis solum, sed etiam ipsis Turcis venerabilem fuisse ait. Elatus fuit funere quam amplissimo, multis cum lacrymis, incredibili cum mœrore, & sepultus in sacrario ædis cathedralis Buduensis penes Franciscum Crutam Episcopum Scodrensem. Pontificias supellectiles lineas, sericas, argenteas admodum copiosas, partim Jadertinæ, partim Antibarensi Ecclesiæ supremis tabulis legavit; quidquid vero pecuniæ, & cæterarum rerum mobilium reliquerat, pauperibus erogari jussit.

MARCUS II. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XLII.

Marcus II. Archiep. Antibaren. an. 1654.

Natione Albanus, cognomento Crisius, alumnus Collegii Illyrici Lauretani, Doctor sacræ Theologiæ, Presbyter Antibarensis insigni doctrina & probitate præditus, qui regiones illas apostolicis excursionibus ingenti cum labore & animarum utilitate peragrando dignum se præbuit, quem Innocentius X. ad Sedem Archiepiscopalem Antibarensem eveheret: *an. 1654. 14. Junii providit Ecclesiæ Antibarensi vacanti per obitum Josephi Bonaldi de persona Marci Crisii presbyteri Antibarensis*. Annos fere duos non laboriosius, quam utilius huic Metropoli præfuit. Cum iter Romanum ei necessarium esset, Spalatum adiit. Dum ibi opportunitatem navigii exspectat, quo devectus in Italiam trajiceret, lethalem in morbum incidit. Leonardus Bondulmerius Archiepiscopus Spalatensis nullum ab se charitatis officium illi deesse passus est, &, dum ægrotabat, omnia, quæ ad illius curationem pertinebant, prolixe cumulateque præstitit; eumdem vita functum funere quam magnifico efferendum, atque in Æde Cathedrali sepeliendum curavit. Mortuus est VII. Id. Martii an. 1656. quo Sappatensis Ecclesiæ cura, procurante in primis Pontificio apud Venetos Legato, ei tradita fuerat post Simonis Sappatensis Antistitis abdicationem. Interregnum Archiepiscopale annos circiter quindecim tenuit. Hujus metropolis administratio per eos annos commendata fuit Petro Bogdano Episcopo Scodrensi, quam & ante Crisium prudentissime gesserat.

post biennium vita functus.

AN-

Digitized by Google

ANDREAS III. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XLIII.

Andreas Zmajevichius nobilitate, doctrina, dignitate illustris,

Ortus Perasti, quod oppidum est satis frequens ac nobile inter Rhizinium & Ascrivium sive Catharum adjacens ad sinum Rhizonicum, ex illustri familia Zmajevichia. A prima ætate politioribus literis animum excoluit, & septemdecim annos natus ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, quem Vincentius Bucchia Episcopus Catharensis sacra tonsura & Ordinibus minoribus initiatum Clero Catharensi adscripsit. Romam profectus in Collegio Urbano de propaganda Fide ad graviores disciplinas animum appulit, & Philosophiæ ac Theologiæ curriculo cum laude vel ingenii vel industriæ confecto, non doctrinam modo sibi, sed doctrinæ etiam decus peperit, & in utraque facultate Doctoris nomen & insignia promeruit. Reversus in Dalmatiam omne suum tempus partim ministerio Ecclesiæ Catharensis, partim rerum divinarum studiis tradidit, & bibliothecam sibi codicibus lectissimis refertam paravit. Jam egregia tum sapientiæ, tum virtutum omnium, quæ in hominem Ecclesiæ Deoque mancipatum cadere possunt, documenta præbuerat, ut nemo esset, quin illum tamquam perfectum ordinis ecclesiastici exemplar suspiceret & coleret. Anno 1656. Senatus Venetus, ad quem jus nominandi Abbatis Perastini S. Georgii pertinebat, sacerdotium illud Georgianum æque honorificum atque opulentum Andreæ contulit, de cujus eximiis virtutibus fama consentiens Venetias usque pervaserat. Illum deinde Alexander VII. Vicarium Apostolicum Buduæ, & *Commissarium* S. Sedis constituit; quibus gravissimis muneribus adeo cumulate satisfecit, ut omnes suæ fidei curæque commissos amplissima charitate complexus nullum cuique ab se vigilantiæ, pietatis ac beneficentiæ officium deesse passus fuerit. Clemens X. ut illustria ejus merita, quo digna erant, honore ac præmio afficeret, Andreæ Metropolim Antibarensem decrevit, ut est in actis Consistorialibus: 23. *Februarii* 1671. *providit Ecclesiæ Antibarensi certo modo vacanti de persona Andreæ Zmajevich presbyteri, & Magistri Theologiæ &c.* Illum Perasti in templo Georgiano totius oppidi primario Gerardus Galata Archiepiscopus Dyrrhachiensis solemni consecratione inauguravit; cujus quidem consecrationis, & talis ac tanti Præsulis monumentum perpetuum Perastini exstare voluerunt in sacello maximo ejusdem templi ab latere Evangelii tabulæ marmoreæ incisum.

Archiep. Antibaren. an. 1671.

Ejus elogium.

D. O. M.

Andreas Zmajevich moribus & honoribus ornatus mirandum ubique specimen exhibuit. Primis annis Romæ in Collegio Urbano de Propaganda Fide, scientiarum sectator & alumnus, Philosophiæ & Sanctæ Theologiæ Doctor evasit, & insignis Professor. Perastum redux, Abbas S. Georgii acclamatus, mox Buduæ Vicarius Apostolicus, Sanctæque Sedis electus Commissarius expectationem communem copioso fœnore superavit. Unde Clementis Decimi motu proprio Antibarensis Diocleensis Archiepiscopus renuntiatus in hoc Templo per Gerardum Galatam Dyrrhachiensem Archiepiscopum V. Idus Augusti MDCLXXI. *sacra mitra coronatus fuit, & Regni Serviæ Primas declaratus. Viro tantarum laudum Vincentius Mazarovich Præfectus, & Judices Perastini ex communi consensu monumentum ad æternam famam erexerunt.*

Cum Archiepiscopatu Antibarensi curam vicariam apostolicam Ecclesiæ Buduensis retinuit, & Buduensi domicilio posthabito, sedem sibi apud Pastrovichios constituit, quæ, ut propius aberat Antibari, sic Parochis & Christianis urbis & diœcesis opportunior erat & commodior, siquando consilii vel auxilii petendi caussa ad eum accedere necesse haberent. Nec vero, quam inter Pastrovichios delegerat, commoratio aut schismaticis illis injucunda, aut sibi malefida fuit; quippe humanitate atque officio illorum animos sibi devinxit; quin immo omnes illarum partium gentes, quamvis a latinis sacris abhorrerent, & ab Ecclesia Romana essent segregatæ, illum tamen propter perspectam vitæ sanctimoniam, morum suavitatem, & singulare omnibus benefaciendi studium summopere omnes & amabant, & colebant. Dum diœcesim lustraret, undique Calogerorum e suis monasteriis ad eum honoris & venerationis caussa concursus fiebant, qui sacras vestes deosculabantur, & genibus pronis supplices postulabant, ut sibi a Deo salutem & felicitatem precaretur, neque obstabant, quominus in suis templis ritu latino litaret, & quæcumque vellet, publica religionis officia perageret. Accidit semel, ut, cum ad pagum Crainorum accederet, e regio illo monasterio, quod a Cossava vidua Uladislavi sanctissimi regis Serbliæ conditum ferunt, Igumenus sive Abbas pontificali habitu atque ornatu, & monachi omnes cum Crucibus prælatis, cum thuribulis, cum cereis accensis obviam prodirent, eumque hymnis & sacris canticis in templum ac cœnobium deducerent, & tribus ipsis diebus laute magnificeque tractatum apud se retinerent.

et apud omnes existimatio.

Post primam diœcesis Episcopalem peragrationem Synodum indixit anno 1674., diemque decimum Decembris Parochis constituit ad conveniendum in Ædem S. Theclæ apud Spizzam, quod oppidum est diœcesis Antibarensis. Acta & decreta nobis e Slavonica in latinam linguam convertit Bernardus Dominicus Leonius Doctor Philosophiæ & Sacræ Theologiæ, Vicarius Apostolicus Buduæ anno 1720. Sunt autem hæc, & huic titulo ac procemio subjecta.

Acta Synodi ab eo habitæ an. 1674.

INDICTIO SYNODI.

Andreas Zmajevich Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Dioclensis & Antibarensis, Regni Serviæ Primas.

Cum

Digitized by Google

Cum a sacro Tridentino Concilio salutari ratione præscriptum sit Episcopis quolibet anno Synodum celebrare, ut in ea decernatur, quidquid in majorem spiritualem populi utilitatem, & cultum Ecclesiæ Dei cederet, ne initio nostræ hujus gubernationis munus omittamus vigilantiæ ecclesiastico Pastore dignum, cum jam totam nostram Antibarensem visitaverimus diœcesim, Synodum die x. Decembris in ecclesia S. Theclæ Spiziorum decernimus celebrare. Idcirco omnes Presbyteri dictæ nostræ diœcesis, qui ejusdem in finibus commissi sunt Pastores populo Dei, ad hanc Synodum cum clericali patriæ habitu, & corona in capite pervenire debebunt. Secus facientibus pœna injungetur inobedientibus, quam eis ecclesiasticæ infligunt sanctiones. Quod si aliqui necesse esse, ut suis in paræciis remaneant, judicaverint, nos admonere curabunt, ut, quod opportunum fuerit, faciamus, quo res Ecclesiæ & sanctæ Fidei meliori ratione dirigantur. Mandamus quoque, ut quilibet suo populo enixe commendet, quo preces ad Deum fiant, ut, quod pro majore ejus gloria, sanctæ Fidei utilitate, & gregis nostri salute fuerit, inspiret per nos in Synodo decerni ac ordinari. Atque, ut hujusmodi ordinationi nostræ fides habeatur, præsentes Litteras sigillo nostro munivimus, manu subscripsimus, & ad fores templi S. Venerandæ Sussanijs affigi jussimus.

Datum Pastrovichiis die VIII. *Novembris* 1674.

L. S. (*Andreas Zmajevich Archiepiscopus, qui supra &c.*

Cancellarius de Mandato.

De sancta Fide, et cura, quæ desuper eam haberi debet.

Caput I.

De Fide Catholica.

Quandoquidem ubi non est Fides, justitia esse non possit, quia justus ex fide vivit, ut juste in nostra Antibarensi diœcesi vivatur, ejus ecclesiastici viri totis viribus & conatu incumbere debent, ut sancta Fides Catholica conservetur in populo, curis suis sedulo commendato.

Debent idcirco omnes, qui populi Pastores sunt, diligenter explorare, serveturne sancta Fides, quemadmodum servanda est; &, si aliquid contra sanctam Fidem deprehenderint, id nobis manifestare debent.

Tenentur similiter operam dare, nequis sui gregis sortilegos vates, aliosque exsecrandos viros adeat, qui divinando ignorantes decipiunt.

Increpabunt populos, ne sperent in sortilegiis, magiis, aliisque immundi spiritus doctrinis impiis.

Nec debent viri laici, vel mulieres de mysteriis sanctæ Fidei disputare, cum satis sit eis credere, quod sancta Ecclesia eos edocet.

Utque populus Dei sciat, quid credere debeat, mandamus, ut Parochi qualibet Dominica die ad Missam doceant orationem Dominicam, Angelicam salutationem, symbolum Apostolorum, Deique & sanctæ Ecclesiæ præcepta.

De Festorum dierum, et sacri Jejunii observantia.

Caput II.

De festis diebus & jejuniis.

Orthodoxi Christiani festos dies observantes abstinere debent ab esu potuque immoderato, ne Festa sua peragant ob manducandum & bibendum, sed ob laudes in eis dandas Deo ob summa ejus beneficia, quæ nobis Festa demonstrant, ac studere Sanctorum virtutum gesta sectari, quos festis diebus percolimus, præcipue, quantum infirmitas nostra patitur, se ab omni peccato abstinendo. Debent ad Missæ sacrificium convenire, & alias Ecclesiæ supplicationes, attendentes Domino Deo ac Sanctis placere magis, quam curam habere amicos proprios conviviis excipiendi, & honore prosequendi, qui baptismalibus eorum nominibus, seu statis sacris celebritatibus eos adeunt.

Nec debent laborare festis diebus, idest arare, fodere, suere, neve ædificare, plantare, frondes amputare, metere, manipulos colligare, triturare, vel alia servilia opera peragere.

Festos dies observabunt ab uno vespere ad usque alium, non solum nostræ jurisdictionis Christiani, sed & omnes Fideles alienigenæ, qui in civitate, terris vel villis nostræ diœcesis reperiuntur.

Ut sciat populus Dei, quandonam festi sunt dies, Parochi qualibet Dominica Festa proxima & jejunia annuntiare debent.

Cunctis diebus a quarta feria Cinerum usque ad Pascha, exceptis diebus Dominicis, quatuor temporibus ac vigiliis, omnes, qui vigesimum primum completum annum agunt, jejunare tenentur. Die vero veneris ac sabbathi Orthodoxus quilibet Romani ritus debet pariter abstinentiam servare carnes tantummodo bis diebus non manducando, nisi in eis Nativitas Salvatoris nostri celebretur, in qua ob communem lætitiam sancta Ecclesia carnes edere permittit.

Festorum ac Jejuniorum dies observabuntur sequentes.

Mense Januario.

1. *Festum Circumcisionis Domini.*
6. *Epiphania Domini.*

Februario.

2. *Purificatio B. Mariæ V.*
23. *Jejunium, seu vigilia.*
24. *Festum S. Matthiæ Apostoli.*

Martio.

19. *S. Joseph Sponsi B. Mariæ V.*
25. *Annuntiatio ejusdem B. V. Mariæ.*

Aprili.

23. *Festum S. Georgii M. Titularis nostræ Ecclesiæ.*
25. *S. Marci Evangelistæ &c.*

Ma-

Digitized by Google

Majo.

1. *SS. Philippi & Jacobi Apostolorum.*
3. *Inventio S. Crucis.*

Junio.

23. *Vigilia seu jejunium.*
24. *Nativitas S. Joannis Baptistæ.*
28. *Vigilia seu jejunium.*
29. *Ss. Petri & Pauli Apostolorum.*

Julio.

24. *Vigilia seu jejunium.*
25. *S. Jacobi Ap.*
26. *S. Annæ matris Genitricis Dei.*

Augusto.

9. *Vigilia seu jejunium.*
10. *S. Laurentii M.*
14. *Vigilia seu jejunium.*
15. *Assumptio B. V. Genitricis Dei Mariæ.*
24. *Vigilia seu jejunium.*
25. *S. Bartholomæi Ap.*

Septembri.

8. *Nativitas B. V. Mariæ.*
20. *Vigilia seu jejunium.*
21. *S. Matthæi Ap.*
29. *S. Michaelis Archangeli.*
30. *S. Hieronymi Presbyteri S. Ecclesiæ Doctoris.*

Octobri.

27. *Vigilia seu jejunium.*
28. *SS. Simonis & Judæ Apostolorum.*
31. *Vigilia seu jejunium.*

Novembri.

1. *Festum omnium Sanctorum.*
11. *S. Martini Episcopi.*
29. *Vigilia seu jejunium.*
30. *S. Andreæ Ap.*

Decembri.

6. *S. Nicolai Episcopi.*
8. *Conceptio B. Mariæ V.*
20. *Vigilia seu jejunium.*
21. *S. Thomæ Ap.*
24. *Vigilia seu jejunium.*
25. *Nativitas Domini nostri Jesu Christi.*
26. *S. Stephani Protomartyris.*
27. *S. Joannis Evangelistæ.*
28. *SS. Innocentium Martyrum.*
31. *S. Silvestri Papæ.*

Festa Mobilia.

Resurrectio Domini seu Pascha.
Ascensio Domini seu dies Salvatoris.
Pentecoste, seu adventus Spiritus Sancti.
Corpus Domini.
Omnes Dominicæ per annum.

Jejunia habentur.

Feria quarta, sexta, & Sabbatho post Dominicam tertiam Adventus Domini.

Post Dominicam primam Quadragesimæ, infra octavam Dominicæ Pentecostes, & infra Dominicam post Exaltationem S. Crucis prædictis tribus diebus pariter jejunatur.

A feria quarta Cinerum usque ad Pascha cunctis diebus, exceptis Dominicis, jejunium quoque est observandum.

Omnes Orthodoxi Romani ritus die Resurrectionis Domini debent jejunium, & abstinentiam solvere. Qui autem noluerint, sed exspectabunt Servianorum Pascha, ordinamus, eis sacram Synaxim seu Communionem non dandam, quoadusque agere pollicentur, quod reliquus Dei populus agit.

De Sacramentis.

Caput III.

De Sacramentis.

Sancta Sacramenta administrantes Parochi, & alii, ad quos pertinet, & a nobis facultatem obtinent, debent ministrare, quemadmodum eos Rituale Romanum edocet, ne latum quidem unguem ab ea ratione discedendo, quam prascribit.

Superpelliceum & stolam debent sibi apponere, & in habitu Presbyterii proprio religiose debent eadem sancta Sacramenta ministrare. Qui autem secus ministraverit, suspensus erit, ne per tres menses illud Sacramentum valeat ministrare, quod ministraverit.

Parochus, vel alius ad id destinatus, ut primum fuerit vocatus seu die seu nocte, omnia sua agenda relinquere, & ad sancta Sacramenta ministranda festinare debet.

Iidem Parochi ministerii sui officium per se debent adimplere, aquæ baptismalis & Olei sancti claves apud se detinere.

Cum sacerdos sancta Olea, vel aliam rem sacratam tangit, debet manus statim abluere, & , si oportuerit, medulla panis digitos detergere, aquam vero, qua abluetur, in templi locum destinatum, vel in ignem effundere.

Parochi librum servabunt, in quo rite scripturi sunt, quemadmodum infra dicemus, nomina eorum, quos baptizaverint, in matrimonium conjunxerint, & sepelierint.

Presbyter in aliena parœcia, nisi magna prorsus necessitas fuerit, sine licentia illius Presbyteri, cujus est parœcia, sancta Sacramenta ministrare non debet. Quod si talem rem effecerit, in pœnam nummum aureum solvet ei, in cujus messem falcem suam immiserit; & insuper tribus mensibus suspensus erit.

De Baptismo.

Caput IV.

De baptismate.

Primum omnium Sacramentorum est Baptismus, spiritualis vitæ janua. Debet a Parocho, ad quem spectat, administrari. At in necessitate non solum ii, sed & quilibet presbyter, diaconus, laicus vir & mulier baptizare potest tali ordine, ut minor coram majore, laicus vir coram ecclesiastico, fœmina coram viro id munus non peragat.

Intra octo ad diutius dies post nativitatem debent infantes baptizari; quod si eorum parentes horum dierum spatio id non adimpleverint, mandamus, ut ab ingressu Ecclesiæ arceantur.

Hoc Sacramentum in domibus non ministretur, sed in Ecclesia, nisi aliter agere necessitas cogeret.

Statim post baptismum Presbyteri permittere non debent, ut pueri aqua perfundantur

vel

Digitized by Google

vel abluantur, cum illis ipsa satis unda fuerit, quam ad eorum capita Presbyter effudit.

Sabbatho sancto, & sabbatho in vigilia Pentecostes aqua pro Baptismate debet benedici & sacrari. Eademque aqua reponatur in vase, & servetur in loco Ecclesiæ clauso, eaque sola per annum baptismus fiat. Qui Parochi una prædictarum dierum eam non benedixerint, per tres menses suspensi erunt.

Baptismo debent adesse patrinus & matrina, qui cum infante, patre & matre ejus solummodo remanent in spirituali cognatione conjuncti; alii vero suarum domorum, cum nec compatres, nec commatres sint, tali nomine vocari non debent.

Non debent baptizari pueri, qui certo scientur in sancta Fide non permansuri, &, quod ipsa docet, non observaturi. Siquis Sacerdos rem hanc egerit, eum ipso facto excommunicationis damnamus; & insuper ob tale indecens facinus pœnitentiam habebit, quæ nobis bene videbitur.

Eleemosyna, quæ post Baptismum datur, illius erit, qui paræciæ curam gerit; & siquis alius nostra de licentia baptizaret, eamdem eleemosynam paræciæ Curato præbere debet.

Mulieres non sunt permittendæ agere obstetrices, nisi tantummodo illæ, quæ, cum necessitas foret, baptizare noverint. Idcirco tempore obstetricii apud se vasculum aquæ servabunt, ut illico in necessitate pro baptismo sit promptum. Mandamus, & sub lethali culpa prohibemus, ne a parentibus parvuli infantes ad annum usque apud se in lecto retineantur.

Modus scribendi Baptizatos.

Die..... Mensis..... Anno.....

In Ecclesia N.

N. filius legitimus N. C. & N. C. legitimæ uxoris ejus natus die.... mensis.... baptizatus fuit a me N. Parocho ejusdem Ecclesiæ. Patrinus fuit N. C. Matrina N. C.

Si illegitimus foret.

Die & reliqua, ut supra.

N. filius naturalis N. C. & N. C. natus die.... mensis & reliqua.

Si inveniretur infans, & nesciretur, cujus sit.

N. infans, qui repertus est, ut videbatur dierum.... fuit baptizatus a me N. C. &c.

Si ob necessitatem domi esset baptizatus.

Die &c.

N. filius N. &c. natus die.... mensis.... & domi baptizatus a N. C. Patrinus vel Matrina fuit N. C. Delatus ad Ecclesiam fuit, eique reliquæ cærimoniæ adhibitæ fuerunt a me N. C.

De Chrismate seu Confirmatione.

Caput V.

De Confirmatione.

Ab Episcopo semel duntaxat recipi debet hoc Sacramentum. Qui secundo illud suscipit, in sacrilegam culpam incidit.

Cum administrandum erit, & a nobis Parochis annuntiatum fuerit, propriam paræciam peragrare satagent ad dignoscendum, quinam egeant Confirmatione, & una cum patrinis eos ad nos deducent.

Ad Confirmationem idonei sunt omnes, qui septem annos ad minus habuerint. Et necesse est, si ullo modo fieri potest, ut orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Fidei, & divina præcepta sciant.

Si minori septennio hoc Sacramentum administraretur, parentes sui sæpe eum monere debent, quod confirmatus fuerit, ne ignorans ad hoc sacramentum denuo accedat.

De sacra Communione.

Caput VI.

De Eucharistia.

Quandoquidem omnes Parochi nostræ diœcesis suis in Ecclesiis servare sacram Synaxim, seu Communionem nequeant, ordinamus, ut in templo S. Venerandæ Sussaniorum una simul eam conservent, unde eamdem sacram Communionem in necessitate pro infirmis desumere poterunt.

Ante sanctam Synaxim lampadem accensam diu noctuque servabunt, curamque habebit Sussaniorum Parochus, ut eadem lampas semper succensa maneat. Oleum autem, quod necessarium erit, cuncti Parochi per suas paræcias quæstuabunt.

In sacra Pyxide qualibet octava die Sacramentum mutabitur, & in ea pro decem ad minus personis Communio servabitur.

Curabunt diligenter Parochi, ut unusquisque suorum ovilium Communionis capax saltem circa Pascha sacram Synaxim sumat; qui autem noluerint, eos nobis denuntiare debebunt.

Illis, qui occulte volunt Fidem Christianam tenere, palam autem infidelitati famulatum præstare, ordinamus, ne ullatenus Communio ministretur; siquis vero illam ministraverit, ipso jure eum anathematis damnamus.

De sancto Sacrificio Missæ.

Caput VII.

De sacrificio Missæ.

Quemadmodum non alii, nisi Sacerdos Deo Domino consecratus, possunt Missam celebrare, & sacrificium ad altare offerre, ita sine magna prorsus necessitate illi, quibus permissum est, Sacrum in domibus peragere non debent, sed in templis tecto coopertis.

In illis vero, quæ ne parvum quidem tegmen obtinent, quoadusque fiat, inhibemus sacrificia Domino Deo immolari.

Die festo Parochi intempestive Missam non celebrent, sed, donec totus populus congregetur, exspectent.

Quolibet festo die in suis paræciis Parochi populo Missam celebrabunt. Qui non celebraverint, pœnitentiam a nobis, prout videbitur, habebunt.

Alienigenis incognitis Parochi in suis paræciis Missarum celebrationem sine nostra licentia permittere non debent.

Antequam Sacerdotes Missam velint celebra-

Digitized by Google

brare, se præparare debent eas recitando orationes, quæ præscriptæ sunt.

Pro illo, qui eleemosynam offert, & cui Missam celebrare pollicentur, debent illam applicare. Ab aliis pro eadem Missa non debent eleemosynam recipere. Quod si hæc detur pro sola commemoratione in Missa facienda, eam possunt accipere.

Calicem sancti sacrificii Presbyter de villa in villam ad Missam celebrandam transiens, vel longum iter usque ad Ecclesiam faciens per seipsum deferre debebit, non vero permittere, ut in sacculis eum alii deferant parva cura, ac reverentia in tam pretiosum vas Ecclesiæ.

De Pœnitentia seu Confessione.

Caput VIII.

De Pœnitentia. *Parochi curare tenebuntur, ut omnes suarum parœciarum viri ac fœminæ Confessionis capaces semel saltem in anno confiteantur; qui autem noluerint, eos nobis manifestare debebunt.*

Quilibet Sacerdos formam absolutionis, quæ Romano in rituali reperitur, nosse memoriter debet. Qui vero eam ignorat, præcipimus, ne confessiones audiat, donec pauca ea verba ediscat.

Mandamus, ne a sequentibus casibus absolvere debeant; ob quos pœnitentes ad nos mittere tenebuntur ad eis absolutionem impertiendam.

1. *Raptores alienarum uxorum, sponsarum, & filiarum.*
2. *Qui hominem voluntarie occidunt.*
3. *Qui parentes suos verberant, & persequuntur.*
4. *Qui domos incendunt, agros depopulantur, vel frutices amputant.*
5. *Pater & mater, qui in suo cubili detinent infantes annum non habentes.*
6. *Similiter pater & mater, qui non efficiunt, ut infra octo dies post nativitatem eorum infantes baptizentur.*
7. *Qui falsum testimonium perhibebunt in judicio pro utilitate vel damno sui proximi.*
8. *Qui divinatores vel divinatrices adeunt, maleficia patrant, & confidunt in sortilegiis, magiis, & aliis impietatibus immundi spiritus.*

De Oleo sancto, seu extrema Unctione.

Caput IX.

De extrema Unctione. *Parochi cavere debent, ne hoc sanctum Sacramentum indignis administrent, qui in mortali culpa reperiuntur.*

Ne sanctum Oleum effundatur longius ac difficilius iter agendo, ordinamus, ut Parochi illud in bursa ad collum appensa deferant.

Tam ad hoc sanctum Oleum, quam Catechumenorum, & Chrisma habendum tenebuntur Parochi quolibet anno nos adire, vel quilibet pro se ipso, vel unus pro omnibus. Cum novum Oleum consecretur, veteri uti non debent.

Modus describendi Defunctos.

Die .... Mensis .... Anno ....

N. C. Filius vel filia, vel uxor N. C., cum suscepisset a me N. C. Parocho Ecclesiæ N. sancta Pœnitentiæ, Communionis & Olei sancti sacramenta, obiit & sepultus fuit in Ecclesia N.

De Ordine.

Caput X.

De Ordine *Sacerdotes, quandocumque poterunt, studere debent, ut quolibet die suam Missam celebrent. Diaconi & reliqui Clerici, qui Missam non celebrant, qualibet tertia Dominica mensis sacram Synaxim sumere debebunt. Si qui illorum non sumpserint, tenebuntur Parochi eos nobis manifestare.*

Ecclesiastici viri vestes sibi convenientes deferent nigri vel violacei coloris ad minus ad infra genua extensas.

Coronam in capite similiter habebunt, quilibet suo ordini congruentem.

Mercaturas non exerceant, nec pro aliis fidejussores fiant. Pecuniam ad lucrum seu usuram non dent. Siquis hanc ordinationem non observaverit, eum suspensionis damnamus.

Arma deferre non debent, nisi solum cum iter capessunt per locum periculis timendum.

A nimio potu esuque abstinere debent.

Mulieres, de quibus aliqua suspicio haberi posset, in domibus tenere non debent.

De Matrimonio.

Caput XI.

De Matrimonio. *Ut matrimonia in Ecclesiis, & non in domibus celebrentur, Parochi efficient; & antequam contrahentes in matrimonium jungant, tribus diebus eos infra Missas denuntiare debent, ut dignoscant, sitne aliquod impedimentum, ne Matrimonium fiat.*

Illos, qui priorem uxorem suam dimiserint, & aliam duxerint, illos similiter, qui duas uxores habuerint, pati non debent, ut Ecclesiam ingrediantur. Quod si ingrederentur, illico eos repellere debent. Et, si in tali peccato moriantur, non debent eos in gremio Ecclesiæ, seu loco sacro sepelire. Si quis Parochus nostram hanc ordinationem non observaverit, eum suspensionis damnamus.

Siqua res difficilior esset, & ob eam dubium haberent, an fieri possit, præcipue in rebus Matrimonii, eam nobis patefacient, ut eis necessaria & legitima remedia adhibeantur.

Cum hi, qui Matrimonium contrahere debent, diversarum fuerint parœciarum, illos in Matrimonium conjungere debet Parochus ejus loci seu villæ, unde sponsa educitur, postquam ei testimonium perhibuerit Parochus loci illius, in quo sponsus moratur, quod scilicet & ipse eos tribus vicibus denuntiaverit, & nullum impedimentum deprehenderit.

Curare Parochi debent, ut illi, qui Matri-

Digitized by Google

trimonium contrahere voluerint, prius peccata confiteantur, & Communionem sumant.

Postquam Matrimonium contractum fuerit, Parochus illud describere debet hoc modo.

Die .... Mensis .... Anno.

Ego N. C. Parochus Ecclesiæ N., cum ter denuntiaverim, primum die Dominica N. secundo die festo Sancti N. tertio die Dominica N. mensis N. in Matrimonium conjunxi in Ecclesia N. secundum ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sacri Concilii Tridentini N. filium N. C. & N. filiam N. C. de loco seu villa N., & fuerunt testes N. C. & N. C.

Quod si a nobis permissum fuerit, ut una vel duæ denuntiationes fiant, describent.

Die &c. Ego &c. cum duas denuntiationes peregerim die N. & die N., quia ab illustrissimo Domino Archiepiscopo dispensata tertia denuntiatio fuit, in Matrimonium conjunxi &c.

Quod si illorum, qui Matrimonium contrahere debent, unus vel ambo essent alienigenæ, describetur.

Die &c. Ego &c. cum peregerim &c. in Matrimonium junxi &c. alienigenas de licentia Illustrissimi Domini Archiepiscopi &c.

De divinis Templis et Altaribus.

Caput XII.

De templis.

Templa sua munda tenere debent Parochi, & præsertim in eis Altare, telas araneas auferendo & pulverem, qui Altari & Imaginibus accidit, everrendo.

Debent illa tenere lapidibus planis æquata. In eo vero, in quo magnus pulvis & quisquiliæ conspiciuntur, sicut in templo Zubziorum, prohibemus Missam celebrari, donec everratur, & fiat in eo mundities, quæ domum Dei decet.

Cum templum Dei ad aliud destinatum non sit, nisi solum ad orationem, & divinum Sacrificium, mandamus Parochis, ne clavem templi ulli præbere debeant, qui in illo frumenta, vel aliam rem prophanam reponere vellet; qui autem illam dederint, ipso facto suspensi erunt.

Tanto magis pati non debent, ut in illo edatur vel bibatur, consilium vel alia res humana peragatur.

Res ecclesiasticas, quæ traditæ Parochis in usum templi fuere, cum ipse obit, ejus propinqui, si a Deo & nobis anathemate damnati esse nolint, cunctas usque ad unam templo reddere debent, ut illis uti valeat Parochus, qui ad illam Ecclesiam regendam a nobis fuerit deputatus.

Testes Synodi.

D. Martinus Jellich.
D. Marcus Giorga.

Andreæ Archiep. Oratio ad Synodum.

Ejusdem D. Archiepiscopi Oratio ad Presbyteros in Synodo ex Illyrico sermone in Latinum conversa.

*Carissimi Fratres, Sacerdotes Dei, nostri famulatus Auxiliatores. Nos quamvis indigni, loco Aaronis, vos autem Eleazari & Ithamari, nos loco duodecim Apostolorum, & vos septuaginta duorum Discipulorum positi sumus. Nos vestri Pastores sumus, vos vero animarum curæ vestræ commendatarum custodes estis. Nos rationem vestrum Deo reddere debemus, vos populi vobis commissi. Idcirco in primis, Fratres & Filii in Christo Jesu, recordamini vocationis, qua per Dei gratiam vocati estis. Qua recordatione expergefacti eam virtutem induite, quæ, lucem veluti, sanctitatem vestram mundo sit ostensura. Illa, si magna aliis in Christianis esset debet, quanto major in vobis, qui servi Dei estis, ejusque munera dispensatis. Si itaque reliquis hominum ratione Ordinis vestri majores estis, ita & majores in virtute & sanctitate esse debetis. Cœlestem vitam in terris ducentes, veluti Angeli Dei, vestris operibus præmonstrare debetis, ut vestra populus vestigia sectari valeat. Mente vestra & animo Dei mysteria, & sacras Scripturas meditari, & orationi vacare debetis. Mundanas res seorsim dimittentes, omnis peccati immunes in via Domini accurate rectèque ambulate. Charitatem Dei & proximi, quæ omnis perfecti operis causa est, complectimini. Humilitatem, mansuetudinem, patientiam, justitiam, sobrietatem, & reliquas Christianas actiones verbo & opere ostendite. Sanctorum virtutes, quas vobis imitandas reliquerunt, alii alios æmulantes imitamini. Quemadmodum illi jejunarunt, caste vixerunt, Deo servierunt, ipsum laudaverunt, in templis morantes famulatum suum impleverunt, ita & vos agere studeatis tanto semper melius, quanto divino auxilio amplius poteritis. Preces vestras, quas quotidie effundere tenemini, quaslibet suo opportuno tempore attente, devote & humiliter persolvere debetis. Quando autem persolveritis, Dominum Deum rogate, ut vobis ignoscat, si minori attentione ac religione eas fudistis. Sacrosanctam Missam sæpius celebrate, & ad eam celebrandam sedulo præparamini. Cunctas alienas cogitationes in divino Sacrificio seponite, & vestra in mente non aliud sit, quam contemplatio gloriosi Mysterii, quod sanctum vobis Sacrificium ob oculos sistit. Quod si in lethali noxa fueritis, contrito corde confitemini, antequam ad divinum Altare accedatis. Tempus, quod post Missam supersit, in vanum ne conteratis, nec otiosi stetis. Religiose literata edisserite, & ipsis mentem vestram pascite. In incessu & sermone tales vos semper ostendimini, ut quilibet vos existimet perfectos, & dignos sacerdotes esse. Vestes ordinem vestrum decentes deferte. Coronam in capite, quemadmodum cuique convenit, habete. Sæcularibus negotiis ne immisceamini. Mercimonium cavete, cum Clericis mercaturas exercere non liceat. Si pauperes estis, divites fieri studere nolite, ne in tentationes & laqueos nefarii spiritus incidatis. Serviri enim non potest Deo & mammonæ. Paupertatem vestram libenter sufferte scientes, quod Salvator noster paupertatem diligit, paupertatem do-

docet, pauper natus est, & pauper occubuit. Attendite animas lucrifacere, eisque cœlestia horrea implere. Duodecim articulos sanctæ Fidei, qui in Symbolo Apostolorum continentur, decem divina præcepta, illa sanctæ matris Ecclesiæ, & Dominicam Orationem maxime populum edocete. Qui mysteria & præcepta non intelligunt, ipsis vos exponite. Vos invicem, Sacerdotes, diligite in eadem voluntate, & fraternitatis gratia. Lux mundi estote super terram. Animas curæ vestræ commendatas custodite, studentes, ne inter eas confusiones, discordiæ, inimicitiæ, vel falsa juramenta sint, sed ut dies festi accurate observentur, & in eis Missæ sacrificium audiatur, ac Deo gratiæ agantur pro tot magnis beneficiis ejus. Delicta corripite, & si publica forent palam populo, manifestam correptionem molimini, posteaquam secreta vestra correctio invalida fuerit, ut a via mala iidem delinquentes avertantur. Væ vobis, cum peccata videntes & audientes tacueritis, adeoque ob modicam curam vestram anima deperdatur. Ejus sanguinem de manibus vestris perquiret justus & omnipotens Judex. Arguite itaque opportune, importune; animadvertite & erudite in omni patientia & doctrina, ut Dominus Deus Pater Domini nostri Jesu Christi dirigat vias vestras in omne opus bonum, & confirmet corda vestra in omni verbo recto & æstimatione, ut digne ambuletis in vocatione, qua vocati estis, in omnibus Deo placentes, ut ab ipso sempiternam mercedem accipiatis, & una cum grege vestro ad immortalia æternæ vitæ præmia emigretis. Quæ vobis idem Dominus Deus secundum magnam misericordiam suam elargiatur. Amen.

Magna erat de singulari Andreæ doctrina & prudentia opinio; & siqua res incideret dubia, periculosa, difficilis ad explicandum & expediendum, ad eum tamquam ad oraculum totius Dalmatiæ superioris Episcopi illarum partium consilii caussa confugere solebant. Exstant quædam ejus monita & præcepta religionis ac prudentiæ plena Martino Gellichio Episcopo Sappatensi recenter consecrato tradita, antequam administrationem Ecclesiæ sibi commissæ susciperet, quæ, cum aliis illarum Ecclesiarum Episcopis usui & documento esse possint, hic subjicio ex italico in latinum conversa.

Ejus monita ad Episcopum Sappatensem.

Super omnia oportere illi, priorem esse sui tuendi ac perficiendi curam, quam alios juvandi; neque enim alios ei esse posse curæ, qui sibi ipse non esset, neque aliorum saluti consulere, qui suam negligeret.

Ad linguam Albanensem addiscendam omni studio ac diligentia incumbat, quippe illi maxime necessaria est tum ad concionandum, tum ad familiares de re qualibet sermones cum populis sibi subditis conserendos.

Libros optimos habeat, quibus tum ad se, tum ad alios regendos, atque ad omne Episcopale munus instrui possit; sed præcipue assiduam det operam lectioni sacrorum Canonum & Conciliorum.

De rebus arduis & gravioribus controversiis, quas per se ipse sine periculo errandi expedire ac dijudicare nequit, suum Metropolitam per literas consulat, ejusque monitis ac mandatis obsequentem se præbeat.

Familiares sibi habeat Episcopos Corbinensem & Alexiensem egregia doctrina & prudentia præditos, sed præsertim Scodrensem, qui, cum admodum gratiosus sit apud Turcas, multis in rebus utilis illi & adjumento esse poterit.

Sedulo invigilet, ne Parochi officio suo desint, neve in tradenda pueris & adultis catechesi Christiana sint negligentes; & ad hoc tam necessarium, tam salutare munus impigre obeundum suo illos exemplo excitet atque alliciat.

Parochis studium scientiæ moralis summopere commendet; curet, singulis mensibus simul conveniant, ac de præceptis divinis & ecclesiasticis, de virtutibus ac vitiis, de genere & specie lethalium criminum, de ritu, rectaque ratione administrandi Sacramenta inter se conferant.

Postquam Ecclesiæ sibi traditæ possessionem adierit, & ab omni periculo, quod sibi vel a Turcis vel a malevolis & infensis hominibus imminere possit, diligenter præcaveris, diœcesim perlustret, in vitam moresque Parochorum & Clericorum inquirat; quo in statu sit res Christiana & Ecclesiastica in singulis locis, sacram Congregationem per literas doceat.

Siqua inter Presbyteros & laicos homines exstiterit discordia, sollerti consilio supprimenda erit; seque conciliandæ pacis arbitrum ita constituat, ut neutram in partem se propensum exhibens omne dissidium sine cujusquam offensione componat.

Ne sæcularibus negotiis, curisque publicis se immisceat; nihil aliud sibi propositum esse ostendat, nisi salutem animarum, & divini cultus incrementum.

Ne cum Turcis de religione disputationes conserat; si enim concertatio paullo acrius, ut fit, effervescat, periculum est, ne, animis nimia altercatione irritatis, in vitæ aut libertatis discrimen incurrat; id quod accidit F. Mariano Episcopo Macarensi, quem e vinculis ingenti pecunia redimi oportuit.

Nemini alienæ diœcesis sine permissu Episcopi, cui subjectus est, tonsuram aut ullos Ordines conferat, neque in aliena ditione jus sive potestatis exercendæ, sive cujuslibet Episcopalis muneris peragendi usurpet.

Curet, ut Clerici latinis literis & bonis moribus imbuantur.

Statis temporibus Synodum diœcesanam convocare non omittat.

Summopere illi curæ sit cultus dierum festorum, caveatque, ne ebrietatibus, rixis, choreis prophanentur.

Sacra supellex & cætera omnia, quæ ad Sacrificium, atque ad ornamenta altarium pertinent, curet, ut munda sint atque decora.

Pro distributione sacrorum Oleorum nihil petat, ac ne sponte quidem oblatum accipiat.

Vetet omnino, infantes Turcarum ablui aqua baptismatis ad fœtorem quemdam ex utero ingenitum abigendum.

Mulierum Christianarum irrita cum Turcis matrimonia dissolvat, easque a nefando concubitu deterreat atque abducat; itemque eos, qui duas uxores duxerint, legitimam retinere, adulteram dimittere jubeat. Antequam hujusmodi consociationes nefariæ dirimantur, utriusque facinoris reos sacrorum communione, adituque Ecclesiæ prohibeat.

Hæc Andreas ad novum illum Episcopum pro usu illarum gentium & locorum, quem habebat; quæ quidem multo impensius servabat ipse, quam aliis præcipiebat, exemplis utique, quam præceptis, clarior & laudabilior. De illo Urbanus Cerrius, qui ab epistolis erat sacræ Congregationis de propaganda Fide, perbreve at gravissimum elogium scripsit in libro inscripto, *Præsens Status Ecclesiæ Romanæ per orbem universum ad usum Innocentii XI.*, & Amstælodamensibus typis edito anno 1716., ubi de Albanensi regione enarrat: *Archiepiscopatus Antibarensis complectitur septem ac sexaginta supra trecentas Catholicorum familias, unde duo millia, ducenta ac septuagena fere censentur hominum capita. Qui præest Archiepiscopus, is est Andreas Zmajevichius vir virtute multa, & magna præditus integritate, in quo sacra Congregatio omnino conquiescit.* Scripsit Andreas Annales Ecclesiasticos brevi synopsi comprehensos, servatis temporum ordinibus, ac duos in tomos distribuit, quorum primus exstat Romæ in tabulario Congregationis de propaganda Fide, alterum Perasti apud domesticos reliquit. Cum esset exacta jam ætate, & valetudine male affecta, Perastum in patriam se recepit; ac domi sedens, si minus per se ipsum, certe per literas, curæque Episcopalis Vicarios, Ecclesiæ suæ commodis utilitatique servire, & subsidia, quibus indigeret, ei subministrare non antea destitit, quam eum vita & spiritus destitueret. Ad pietatem civium suorum erga Virginem Deiparam de Rosario augendam de suo patrimonio templum eleganti opere ædificandum, & picturis selectisque marmoribus ornandum curavit. Haud magis senectute, quam anteactæ vitæ laboribus & incommodis confectus gravi ac diuturno morbo urgeri cœpit, & acerbissimis doloribus conflictari, quos plures menses æquissimo animo tulit, patientia autem tanta, ut nihil supra. Nullum prorsus ejus verbum excipiebatur aut de morbi atrocitate querentis, aut ullam circumstantium opem, ut in gravibus morbis fieri solet, implorantis; contraque omnes ejus voces & gestus erant tales, ut satis appareret, morbum, veluti solidæ virtutis, æternæque materiam gloriæ, ab eo in divini beneficii loco numerari. Nullum vitæ longioris desiderium ostendit; neque aliud se malle ajebat, quam quod Deus ipse, vitæ necisque dominus constituisset. Ita ad extremum usque spiritum cum morbo ac morte colluctatus, seque Christo Domino, ejusque sanctissimæ Matri ferventissimis precibus commendans VII. Idus Septembris anni 1694. ad beatam immortalitatem commigravit. Post solemnes exsequias in Æde Mariana, quam ære suo construxerat, ante aram ipsius B. Virginis in eo sepulcro, quod vivens sibi paraverat, conditus fuit. Hunc sibi titulum religionis ac modestiæ plenum confecit, & sepulchrali operculo, dum viveret, incidi jussit.

Requiem æternam dona, Domine, Andreæ Zmajevich
Antibarensi Archiepiscopo, qui anno 1678.
ad majorem
Honorem & gloriam Dei & Beatæ Virginis sacellum
Hoc ædificavit, & anno .... mense .... die ....
Mortales exuvias sub umbra ejus deposuit.

Libri scripti, & alia ab eo gesta.

Pia mors an. 1694.

et titulus sepulchralis.

MARCUS III. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XLIV.

Spiaza pagus est, atque oppidum diœcesis Antibarensis millia passuum circiter quinque in occasum distans. Hic bonis parentibus & honesto loco natus est Marcus Giorga, quem humanis literis eruditum, & sacerdotio initiatum Andreas Zmajevichius reliquiis Christianorum, qui supererant in urbe & suburbiis, curandis juvandisque paroeciam præfecit. Quo in munere plurimis incommodis & periculis exposito per annos duodeviginti nullis laboribus, nulla in re sibi parcens ita se gessit, ut Andreas Archiepiscopus suis ad sacram Congregationem literis præclarum ei testimonium eximiæ virtutis, assiduæque operæ Catholicis Antibarensibus navatæ tribueret. Cum vero nihil haberet, quo egregia ejusdem merita remunerari posset, titulum honorarium Abbatis Suzanensis & Rotaciensis vacuum ab omni emolumento ei contulit; utriusque siquidem sacerdotii proventus partim Turcæ, partim Schismatici interverterant, ad seque transtulerant. Profuit tamen Marco apud Curiam Romanam perhonorifica Archiepiscopi commendatio. Nam altero post obitum Andreæ anno illum Innocentius XII. ad Sedem Antibarensem evexit, ut docent tabulæ Consistoriales: *Anno 1696. 18. Junii providit Ecclesiæ Antibarensi per obitum Andreæ vacanti de persona Marci Giorgæ Presbyteri &c.* Cum illi ab Innocentio facta esset potestas deligendi, quemcumque vellet, Episcopi, a quo consecraretur, Catharam se contulit, ipsique posturlanti atque oranti Marinus Drago Episcopus in Æde Cathedrali consecrationem Episcopalem impertiit, administris ad solemnem illam functionem adhibitis Archidiacono & Archipresbytero Capitali Catharensis. Auctus dignitate & honore simul cum onere, auxit ipse vigilias, curas, labores.

Marcus Giorga

Archiep. Antibarensis anno 1696.

Ut

Digitized by Google

Ut sui gregis saluti commodisque serviret, nullum horrebat periculum, nullum defugiebat incommodum. Ortu cum esset subditus imperio Turcarum, & multos ex ea natione ob patriæ & juris publici communionem sibi amicos haberet, maluit in Turcica, quam in Veneta ditione sive apud Buduenses, sive apud Pastrovichios, stationem deligere, & Spizzæ paterna in domo commorari solebat. Cæterum tempus omne sui Archiepiscopatus Christianis sibi commissis per vicos & agros dispersis invisendis, solandis, ac divini verbi & Sacramentorum pabulo reficiendis transegit. Diœcesim semel atque iterum lustravit; de oppidis, pagis, villis, ex quibus constat, de numero Catholicorum, de statu rei Christianæ per literas sacram Congregationem edocuit.

Diœcesim lustrat, & per literas describit.

Nullum in urbe templum, & duæ tantummodo familiæ Catholicorum; in suburbio autem templum unicum S. Venerandæ; Catholici omnes non amplius ducenti & octoginta, quorum Christianæ institutioni unus Parochus præest. Diœcesis Antibarensis inter Scodrensem & Buduensem millia passuum ferme quinquaginta ab ortu in occasum protenditur, hos præcipue pagos sive oppida complectens.

Craina regia olim civitas erat, & Curia Uladimiri regis Serblorum, nunc vicus exiguus Antibari passuum millia circiter novem in orrum distans; a Serblianis ritus & dogmatis Græcanici fere totus incolitur, quibuscum pauci Turcæ permixti; nullus ibi ritus latini & Catholici. Hic extat templum Deiparæ Virginis in cœlum assumptæ, & Cœnobium Calagerorum, utrumque a Cossava vidua Uladimiri ædificatum, & utriusque ibidem corpus conditum ferunt.

Inter Antibarim & Crainam duæ villulæ Prelica & Brica; hanc sex latinæ, illam duæ Turcicæ, septem Serbliunæ, quindecim Catholicæ familiæ incolunt; in hac posteriori S. Demetrii, in illa S. Alexandri ædiculæ.

Ab utraque villa non longe abest Livanum superius & inferius; suum utrique templum, alterum S. Venerandæ, alterum S. Petri; habitant in utroque duæ Turcarum, septem Serblianorum, duodetriginta Catholicorum familiæ.

Livanum excipit Commune Seutarensium, qui pagus quinque villis constat. In his Catholici numerantur fere ad septingentos & quinquaginta, quibuscum pauci heterodoxi sunt immixti. His Parochi officium præstat Presbyter, cui sacra Congregatio de Propaganda Fide stipendium suppeditat.

Duo fere ab Antibari milliaria orientem versus abest Commune Marcovichiorum; millia passuum fere quindecim in longitudinem porrigitur; ab Rascianis & Turcis incolitur.

Cis Antibarim ab occasu Susanum oppidum & territorium, ubi nullus Rascianus, neque Turca, Catholici trecenti & quinquaginta; ædes S. Venerandæ; Parochus mercede conductus, quam ei sacra Congregatio de propaganda Fide contribuit. Ecclesiæ S. Venerandæ titulo Abbatis prædita est, quem Archiepiscopus Antibarensis confert. Prope abest templum S. Mariæ Rotaciensis.

Supra Susanum ad Septemtrionem Commune ac territorium Spizzense longe ac late protenditur. In oppido Spizza ædes S. Demetrii, qui primarius est ejus gentis Patronus, præter alias septem ædiculas, & ædes S. Theclæ, quæ Catholicis pariter & Rascianis communis erat. His Ecclesiæ reconciliatis, nunc incolæ omnes Catholici omnino ad trecentos & quindecim, quibus præest Parochus ex ære & stipendio sacræ Congregationis victitans, cui concredita est etiam procuratio Christianæ villæ Sazinæ, quæ cum quatuor sacris ædiculis Catholicos centum & nonaginta complectitur.

Infra Spizzam ad meridiem Commune Pastrovichiorum inter Buduam & Antibarim duodecim millia passuum in longitudinem extenditur vergens ad mare. Totum constat ex familiis Schismaticis; Venetorum imperio subest; pars occidentalis ad Buduensem, orientalis ad diœcesim Antibarensem pertinet.

Marcus annos certe quatuor Antibarensi metropoli præfuit; nam in vetusto Codice, qui Statuta Buduæ complectitur, & exstat penes eruditum virum Matthæum Canonici civem ac Presbyterum Venetum, legitur sub libri initium, & alia manu notatur, x. Kalendas Julias anni 1700. æs campanum turris & ædis Buduensis S. Joannis Baptistæ fuisse a *Marco Jorga* Archiepiscopo Antibarensi dedicatum solemni ritu. At paullo post laboribus magis, quam ætate confectus ad Superos migravit.

Ejus obitus

VINCENTIUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XLV.

Civis Perastinus ex illustri domo Zmajevichia, magnus sane homo, potens in opere & sermone. Commendationem ineuntis ætatis a studio literarum & singulari innocentia duxit. Cum clericali militiæ se adscribi voluisset, Andream patruum, quem sibi ad imitandum proposuerat, ipsius vestigiis persecutus insigni doctrina & prudentia, eximia in Deum & Superos religione, ac rerum gerendarum industria floruit. His cæterisque virtutibus, quæ virum ecclesiasticum maxime decent, ad eosdem, quos ille assecutus est, honores & supremas Ecclesiasticæ Hierarchiæ dignitates viam sibi munivit. Primus ei gradus fuit sacerdotium Perastinum, nam annos vix triginta natum Senatus Venetus Abbatem templi Georgiani nominavit. Marco Giorga e vivis exempto, Clemens XI. acerrimus idemque integerrimus virtutum æstimator Vincentio digniorem neminem censuit, cui Antibarensem Archiepiscopatum conferret. Itaque *anno* 1701. 18. *Aprilis*, ut est in actis Consistorialibus, *providit Ecclesiæ Antibarensi vacanti per obitum Marci Jorgæ de persona Vincentii Zmajevich &c.* Quatuor unus ecclesiasticas personas sibi a Clemente XI. impositas, & cum amVincentius Zmajevichius vir omnino summus

Archiep. Antibarensis anno 1701.

Digitized by Google

amplissima potestate conjunctas pro dignitate sustinuit, *Archiepiscopi Antibarensis, Administratoris Ecclesiæ Buduensis, Primatis regni Serbliani, & Visitatoris Apostolici non solum Serbliæ, sed etiam Albaniæ.* Hujus postremæ officia & partes ut expleret, statim atque provinciæ sibi concreditæ possessionem adivit, initium visitationis apostolicæ ab sua diœcesi & provincia fecit; deinde omnes Albaniæ & Serbliæ Ecclesias ingenti labore, nec minori illarum gentium, & rei Christianæ utilitate lustravit. Ubique superstitiones & pravas consuetudines evulsit, gravia quædam vitia correxit, quæ non in populum modo, sed in Clericos & Sacerdotes irrepserant, collapsam disciplinam ecclesiasticam restituit, odia inveterata exstinxit, multa præscripsit, quæ ad splendorem ac dignitatem cultus divini pertinent; siquæ de finibus & jurisdictione inter Episcopos vel inter Parochos erant controversiæ, eas ipse pro sua sapientia & æquitate composuit. Post peractam Albaniæ & Serbliæ peragrationem Concilium Nationale convocavit in oppidum diœcesis Alexiensis, cui nomen *Marchigne*, atque ædem S. Joannis Baptistæ, quæ totius oppidi est primaria. Convenerunt tres Archiepiscopi, quatuor Episcopi, tres viri religiosi e Franciscana, unus e Dominicana familia, qui suis nominibus subscriptis omnia decreta approbarunt a Vincentio facta & lata, religionis & sapientiæ plena, partim jubendo, partim vetando, quæ temporum & locorum illorum necessitas requirebat. Hanc Synodum, quæ ab regione, in qua habita fuit, *Albana* sive *Albanensis* dicta est, Vincentius ex mandato Sacræ Congregationis typis consignandam curavit, & Clementi XI. P. M. inscripsit; cujus acta omnia, prout edita fuere anno 1706., hic subjicio, additis in loca quædam nonnullis notationibus.

Res ab eo gestæ.

Concilium Nationale Albanum.

Litteræ indictionis Concilii provincialis, sive nationalis.

Vincentius Zmajevick, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Antibarensis, Dioclensis, totius Regni Serviæ Primas, Visitator Apostolicus Albaniæ, Reverendissimis Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, & universo Clero Serviæ, & Albaniæ, salutem in eo, qui est vera salus.

" Tertius jam mensis evolvitur, ex quo Apostolicæ onus visitationis humeris nostris, licet imparibus impositum, obeuntes, per castella, per vicos, per rura, per agrum Dominicum peregrinantes incedimus. In ipsa vineæ Domini visitatione attento huc usque inspeximus examine, an floruisset electa, quam manus Dei plantavit, an positi custodes in vineis, vineam Domini custodissent, ne converteretur in pravum. Corruptam, proh dolor! deploramus confusam, in amaritudinem conversam, in desertum positam, vepribus, spinis, & tribulis coopertam, non uvas, sed labruscas producentem. Conculcavit illam quidem per filios diffidentiæ antiquus ille Deo pariter, & humano generi inimicus homo, qui in agri Dominici ubertatem sævissimis actus invidentiæ stimulis, dum bona semina depravat, annosas quoque vineæ plantationes evellere, Christianæ vitis genimina corrumpere non desinit. Quid, Fratres, in tanta rerum perturbatione faciendum? An deplorandæ sterilitati tempus terendum, vel adhibendæ fertilitati insudandum? Absit, ut segnes agricolas desidiæ torpor emolliat, quinimmo vinearum cultores divinus zeli ardor succendat. Ad culturam ergo, quam visitamus, vineæ accedamus, tempestivæ animadversionis sarculo subdolescentes veprium fibras præcidamus, ne si diutius negligantur, fixis alte radicibus exstirpationem desperemus. Conciliorum celebrationi, non nostræ peregrinationis labori hic fructus, merces, beneficium reservatur, ut nutantibus sacris legibus, ritibus, Fidei, pietati, religioni per plures operarios plura adminicula irrogentur, Dominica sata, quæ in mortem reclinantur, ad vitam revocentur, eademque desolata vinea, ad frugem uberrimæ fertilitatis adducantur; immorandum non est in tanti ponderis negotio; mature tot malis occurrendum, ne tabes pestifera in majores dilatetur propagines. Quapropter inspirante Deo mitiora Turcis consilia, & felicissimis Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI. auspiciis, divina favente clementia, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ad Fidei conservationem, & propagationem, ad insolescentes mores, & suppullulantes excessus comprimendos, in ipsa sede infidelitatis Fidei thronum erigamus, Provinciale, sive Nationale in tanta curarum nostrarum mole Albanum Concilium sub Albano Pontifice Albani Patres celebremus. Felicitatis omen habemus; omnis ergo periculosa mora longe abigatur; nulla formido, nullus timor, ac tremor a tanto negotio cunctantes deterreat; divina res agitur; Deus ipse, qui nobis hæc otia fecit, qui ex suprabundanti infinitæ miserationis thesauro nostræ liberæ visitationi supra spem omnem dedit esse, dabit etiam tam sancto opere & perficere. Vos itaque Reverendissimos Fratres Archiepiscopos invitamus, Episcopos nostros suffraganeos, cæterosque vinearum custodes præcipientes monemus, ut ad præfatam Provincialem, sive Nationalem Synodum, quam (favente Deo) in Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ de Merchigne Alexiensis diœcesis Dominica secunda post Epiphaniam celebraturi nunc primo denuntiamus, & indicimus, sub divini obtestatione judicii, omni prorogatione rejecta, omni secluso excusationis (nisi qui legitimus fuerit, & per ipsum Concilium approbandus) prætextu, die præstituta nobiscum accedatis, conjunctis animis, communibusque stu-

Digitized by Google

studiis, Spiritu Sancto auctore, & duce, vineæ Domini elaboraturi ubertatem. Illud tamen potissimum rogamus omnes, ac præcipimus in Domino, ut si quid animadversione, & censura dignum nostræ visitationis diligentiam effugerit, vel in posterum eludet, diligenti inquiratis examine, Concilio nostro exhibituri. In quorum fidem, & testimonium præsentes litteras manu propria subscriptas, sigillo nostro muniri jussimus. Datum Corbini die secunda Decembris 1702.„

Vincentius Archiepiscopus Antibarensis,

Fr. Raymundus Gallani S. T. P. Ord. Pred. a secretis.

VINCENTII ZMAJEVICH ARCHIEPISCOPI ANTIBARENSIS VISITATORIS APOSTOLICI AD SYNODUM COHORTATIO.

Vincentii ad Synodum Cohortatio.

" Tandem aliquando, Reverendissimi Fratres, post diuturnam sæculorum exspectationem aperti sunt cœli ut pluerent, & terra germinavit lætitiam, jucunditatem, & exultationem. In ipsa Babilonicæ captivitatis servitute visitavit nos oriens ex alto, qui mutat corda Principum, & producit in lucem umbram mortis; divinæ quippe miserationis consilio factum est, ut non amplius dispersos, timidosque inviserem, sed subita dexteræ excelsæ mutatione in unum collectos, veluti terribilem castrorum aciem ordinatam, inimicos nostros cornu ventilaturos, lætabundi cordis exultatione alloquerer. Sæpe nimirum ubi magis ex humana ratione diffiditur, illuc propensius superna clementia subvenitur, & ubi solatium desperavimus humanum, divinum cernimus adesse præsidium. Jucundissimum quidem, & omnium votis expetendum consessum, dum hodierna dies aperit, pastoralis officii libertatem, & omnibus salutarem liberæ jurisdictionis nobis elaborat felicitatem. Adeste igitur, charissimi Fratres, nec volentis, aut currentis, sed miserentis Dei dona omnes sollicita prosequentes cooperatione hæc cogitemus, hæc moliamur, ut Divino Spiritu duce labentem Ecclesiæ nostræ statum pro viribus in integrum restituamus. Aperta Provinciarum vulnera medicorum expetunt medelam, & qui per malesanas curationes in mortem reclinati languescunt, vitæ subsidium nostris auxiliis non desperant. Tumentis oceani procella, & frementis Inferni tempestas valida nostris finibus incumbit, adeo ut electi quoque in errorem videantur induci. Multi naufragarunt a Fide, humanæ adinventionis absorpti vorticibus, plures iisdem undis jactati, iisdem fluctibus agitati naufragium timent, omnes in vitæ discrimine constituti protendunt ad nos manus inter singultus, & lachrymas, opem nostram implorantes. Eruamus eos, qui trahuntur ad mortem, & qui ducuntur ad interitum, liberare non cessemus; naviculam ipsam vi procellarum debilitatam, & afflictatam reficientes, ad optatissimum salutis portum reducamus. Deserta jacet sanctificatio, prophanata Altaria, Sacerdotes ministri Dei, animarum Pastores traditi in opprobrium, & indignationem furoris Domini, non tam temporis injuria, quam nostra omnium culpa, dum ab illa celsitudinis suæ ratione degenerant, a nobis expetunt restaurandæ dignitatis beneficium. Ascendamus ergo mundare sacra, & renovare, eademque pastorali vigilantia solliciti, quod periit requiramus, quod abjectum est reducamus, quod confractum est, alligemus, quod infirmum est, consolidemus, quod pingue, & forte, custodiamus. Huc spectat hic Ordinis Ecclesiastici congressus, miserentis Dei benignitate saluberrimus, vestra sapientia, charitate, & præsentia optatissimus, loci, & temporis qualitate pæne dixerim insperatus. Hoc tempore acceptabili a sæculis inaudito, hoc die salutis, quem fecit Dominus in terra nostra, nostrorum, Fratres, obliti, aliena appetamus; hic omnis spiritualis præfecturæ finis est, ait Nazianzenus, ut propria utilitate neglecta aliorum commodis inserviamus. Exultemus ergo dilectissimi, & sanctificationem nostram desertam ad allorum ædificationem lætantes in Domino sanctificemus. Omnibus debitores viam salutis aperire, Fidei regulas tradere, collapsam morum disciplinam restituere, non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi, quærere aggrediamur, quod verbo docemus, opere complentes, exemplo perficientes. Exigit hoc pastoralis ratio officii. Postulat miseranda Provinciarum facies. Exspectat Clemens Pontifex Maximus, sub cujus felicissimis auspiciis hæc felicitatis nostræ semel nata exordia, nova in dies luce clarescent, validioribus vegetanda incrementis. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, ut quem singulari Dei beneficio provincia nostra filium quondam suspicere gaudebat, uberiori modo beneficentiæ genere divina indulgente clementia ad spem majorem erecta, patrem venerari lætabunda gloriatur. Paternæ zelo exspectationis nostræ servitutis obsequia respondeant. Date quæso ex Albanæ patriæ peregrinatione proficiscenti, quos Albano Patri per Synodicas constitutiones, veluti in primitiales jubilantis cordis applausus, pastoralis sollicitudinis fructus uberrimos deferre possim. Dum tempus est, operemur bonum; dum locus datur respirandi, nostris aliorumque malis medeamur. Conjunctissimis animis hoc sentiamus, hæc loquamur, hæc agamus omnes, ut ager dominicus nostris curis creditus, vepribus, & spinis expurgatus, germinet herbam virentem, æternæ vitæ fructibus fœcundam. Quoniam vero sufficientes non sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra a Deo est, qui nos fecit ministros novi testamenti, ut in ejus lumine videamus lumen, a Patre luminum omne datum optimum, & omne donum perfectum, in locum habitationis ejus ascendentes,

Digitized by Google

tes, imploremus; dumque mens interius magnitudinem beneficii, necessitatem auxilii supplex meditatur, in hanc exterius vocem supplicantis quoque linguæ erumpat oratio.„

Veni Creator Spiritus &c.

INDEX PARTIUM, ET CAPITUM.

Pars prima.

Caput primum. De Professione Fidei.
Caput secundum. De Apostatis.
Caput tertium. De Christi Fidelibus, qui licet Fidem non ejurarunt, publice tamen Mahometicam sectam, & secreto Christianam Religionem profitentur,
Caput quartum. Per quid dignosci debent Fideles ab infidelibus.
Caput quintum. De Fidei rudimentis.
Caput sextum. De verbi Dei prædicatione.
Caput septimum. De Festorum observantia.
Caput octavum. De Sacris Jejuniis, eorumque observantia.
Caput nonum. De quadragesimali Jejunio.
Caput decimum. De Juramento falso.

Pars secunda.

Caput primum. De Sacramentis.
Caput secundum. De Baptismo.
Decretum Sacræ Congregationis Sancti Officii ad Episcopum Sappatensem, de non conferendo S. Baptisma Turcis.
Decretum Sacræ Congregationis.
Caput tertium, De Confirmatione.
Caput quartum. De Pœnitentia.
Caput quintum. De Eucharistia.
Caput sextum. De Extrema Unctione.
Caput septimum. De Sacramento Ordinis.
Caput octavum. De Sacramento Matrimonii.
Caput nonum. De eliminandis illicitæ conjunctionis abusibus.

Pars tertia.

Caput primum. De Episcopis.
Caput secundum. De Visitatione.
Caput tertium. De modo certiorandi Sacram Congregationem de Prop. Fide de statu propriæ Diœcesis.
Caput quartum. De Confiniis Diœcesum Sappatensis, Alexiensis, & Albanensis.
Caput quintum. De Finibus Episcopatus Pulatensis.
Caput sextum. De Regione Posterippensi.
Caput septimum. De Familiis Fidelibus, ex una in alteram Diœcesim proficiscentibus.
Caput octavum. De Ecclesiis, earumque cultu.
Caput nonum. De Altaribus sub dio positis.
Caput Decimum. De Missa Parochiali.
Caput undecimum. De sacra supellectili.
Caput duodecimum. De cœmeteriis, & sepulchris.

Pars quarta.

Caput primum. De Parochis.
Caput secundum. De Curatorum proventibus, eorumque recta, vel œconomica administratione.
Caput tertium. De Alumnis Sac. Cong. de Propaganda Fide.
Caput quartum. De Patribus Missionariis.
Caput quintum. De Schola Corbinensi, & Alexiensi.
Caput sextum. De consulendo communibus provinciæ necessitatibus.
Conclusio.

DECRETA EDITA IN PROVINCIALI SIVE NATIONALI SYNODO ALBANA.

Nos Vincentius Zmajevich Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Antibarensis, Dioclensis, totius Regni Serviæ Primas, Visitator Apostolicus Albaniæ, de Reverendissimorum DD. Coepiscoporum nostrorum, cæterorumque, qui Albanæ Synodo legitime intersunt, consilio, & assensu, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Fidei conservandæ propagationem, & morum reformationem, statuimus, decernimus, & sancimus.

PARS PRIMA.

Caput I.

De Professione Fidei.

De Fidei professione.

" Cum Fides Catholica, quæ in Sancta Romana Ecclesia, utpote fundata supra firmam æternæ veritatis petram, stabilis, & incorrupta servatur, sit juxta Chrysostomum lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum æternæ salutis, cunctarum radix virtutum, & fons bonorum operum, ut propterea sine Fide impossibile sit placere Deo, hinc ab ejusdem Fidei professione merito exordiendum esse duximus, ut, quæ maxima unitate gaudet, omnem intellectum redigens in obsequium Christi, eamdem una oris confessione ad præscriptam infra formam veneremur.

Ego N. firma Fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet.

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum Scripturas; & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam

Ec-

Digitized by Google

Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum: & exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre; & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari, similiter & Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco: Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, juro.

Cætera item omnia a sacris canonibus, œcumenicis conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime Deo juvante retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Hanc autem Fidei professionem, quam nos, & Coepiscopi nostri, dum in ipsa celebratione sacrorum versaremur, jurati præstitimus, reliquis in posterum Conciliis in singulis diœcesibus celebrandis, ab illis præsertim, quibus alios docendi munus injungitur, ad verbum sequendam injungimus. „

Caput II.

De Apostatis.

De Apostatis.

" Non solum corde creditur ad justitiam, sed ore etiam confessio fit ad salutem. Visibilis siquidem Christi Ecclesia cum civitate Hierusalém ab Isaia comparata, monarchiæ titulo a Daniele cohonestata, supra montium vertice a Domino collocata, juxta Augustinum abscondi non potest, nec Christi fideles tantum Fide, & internis charismatibus, sed confessione Fidei, & externa, ac visibili Sacramentorum participatione membra Ecclesiæ constituuntur. Hinc a veritate, & religione aberrant, qui vel metu pœnæ, vel temporalium bonorum allecti cupiditate, ut immunes fiant tributi Cæsaris, denegant etiam quæ sunt Dei: postquam enim naufragarunt a Fide, & coram Turcarum Judice sistentes religionem Catholicam, Deumque ipsum solemni sacrilego ritu ejurarunt, publice Turcarum more se gerunt, & alii quidem Moscheas, ut vocant, more patrio frequentant, cæterisque ritibus Mahometicæ sectæ inhærent, alii vero Turcica templa declinantes ab esu carnium sacro tempore jejunii non se abstinent, urgente illos infidelium præsentia; utrique porro in abscondito tantum facta abjuratione coram fidelibus secreta Sacramentorum participatione fruuntur, publice vero Turcarum more victitant, & Turcicam sectam profitentur.

Ecclesiasticorum hominum inscitia tales pullularunt zizaniæ in vinea Domini, quam ne vulpeculæ parvulæ demoliantur, & singularis Ferus succrescentem segetem depascatur, quibus cura animarum incumbit, serio in-

Digitized by Google

1 jungimus, (1) ne in posterum tales Apostatas ad Sacramentorum participationem recipiant, nisi, facta prius abjuratione, publice se more Christianorum gerant.

Discant omnes præsertim Parochi hanc Catholicæ Fidei regulam, quam Sacrarum Scripturarum oracula, Patrumque Orthodoxorum testimonia, & Romanæ sedis infallibilis auctoritas, vel ab ipsis Ecclesiæ incunabulis confirmant. Archiepiscopos, & Episcopos omnes sub divini judicii indignatione in Domino hortamur, ut totis viribus in hanc curam incumbentes greges sibi commissos ab hoc gravissimo morbo vindicent, serioque animadvertant in Parochos, qui talem detestabilem licentiam dandi sacrum canibus, & projiciendi margaritas ante porcos, nova, ac insolita exsecrandæ consuetudinis methodo in cæterorum Christi fidelium perniciem exercent.

Patres quoque Missionarii montana Albaniæ incolentes, quo præcipue nefanda pestis irrepsit, curam omnem, & diligentiam sedulo adhibeant, ut tanta lues, Christianum gregem corrumpens, longe abigatur, & novæ monstrum hæreseos Divinæ veritatis gladio eorum præsertim opera juguletur. „

NOTA.

1 Hoc decretum, quo jubentur a communione sacrorum repelli, qui ad Fidem Christianam, a qua defecerant, sacrilegæ defectionis pœnitentes redeunt, nisi *facta prius abjuratione, publice se more Christianorum gerunt*, in hanc quæstionem adductum fuit; an scilicet non solum coram Christianis, quos per summam perfidiam deseruerant, sed etiam coram Turcis, ad quos per summam impietatem transierant, suam ab Mahumete ad Christum reversionem vel cum vitæ periculo profiteri ac declarare debeant.

Qua de re cum olim interrogata fuisset Congregatio Sacræ Inquisitionis, hujus responsum retulit Benedictus XIV. lib. XIII. cap. XX. num. XVII. de Syn. Diœc., & approbare videtur decretum Albanense, quod Christianis a Mahumetica superstitione ad religionem Christianam reversis id oneris imponere noluerit.

Benedicti XIV. judicium de hoc Albanensi decreto.

Ad Fidei nostræ professionem similiter pertinet alterum exhibitum postulatum circa Christianos illos, qui, cum antea ad impietatem Mahumeticam deflexerint, inde reduces ad sanctam Christi Fidem iterum revertuntur, an scilicet hi non solum errores detestari debeant in Congregatione Christifidelium cum inviolabili promissione in posterum abstinendi a quibuscumque actibus falsæ sectæ professionem præseferentibus, sed insuper debeant Turcis etiam cum vitæ periculo reditum suum ad Christi Fidem significare. Exstat hac de re decretum Congreg. Sacr. Inquis. editum die 18. Julii 1630. quod penes Cardinalem Albizium de Inconstantia in Fide cap. 8. num. 20. impressum & sequentibus verbis conceptum legitur. " Utrum apostatæ a Fide ad pœnitentiam redeuntes cogendi sunt ad retractandum explicite & publice coram infidelibus cum periculo vitæ, sicut negarunt Fidem; an vero sufficiat coram fidelibus publice abjurare apostasiam in propriis balneis, quæ sunt captivorum carceres, & implicite apud Infideles abstinendo ab actione infidelitatis, & deponendo habitum: Sacra Congregatio censuit, apostatas a Fide redeuntes ad pœnitentiam omnino debere abjurare apostasiam coram Fidelibus captivis, quibus dederunt scandalum in propriis carceribus, publice & explicite. At coram infidelibus non videtur hoc necessarium; sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponantque habitum protestativum falsæ religionis, & curent, ut successu temporis cognoscant etiam infideles vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjurationem, licet id etiam cum periculo vitæ. „ Deinde quod attinet ad decretum Albanense hæc addit num. XVIII. *In Concilio tamen Provinciali Albano superius memorato, dum agitur de hujusmodi apostatis ad Fidem redeuntibus, sancitur quidem, ne Sacramentorum fiant participes*, nisi facta prius abjuratione, publice se more Christianorum gerant, *iisdemque interdicitur, ne in posterum quidquam agant, quod Mahumeticæ sectæ professionem includat; at nihil additur, quo iidem obstringantur efficere, ut eorum resipiscentia & abjuratio progressu temporis perspecta fiat etiam cum propriæ vitæ discrimine. Insuper cum in veteri, tum in recentiori Ecclesiæ disciplina nihil plane occurrit de hujusmodi onere seu obligatione; adnotantque opportune Theologi præceptum extrinsecæ Fidei professionis, qualis esset manifestatio illa emissæ abjurationis infidelibus facienda, recenseri inter præcepta affirmativa, quæ utique non semper, neque ad semper obstringunt. Accedit denique, quod verba illa decreti a Card. Albitio allati*, & curent, ut successu temporis cognoscant etiam infideles vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjurationem, licet id etiam cum periculo vitæ, *nihil aliud sunt nisi verba Theologorum, qui tunc sententiam suam rogati fuerant, quæ tamen minime leguntur exscripta in decreto, quod in archivo Sac. Inquisitionis asservatur, & hac formula conceptum est.* " In generali congregatione habita die 18. Julii 1630. relato casu transmisso a Congregatione de propaganda Fide proposito a F. Francisco Lombardo Ord. Min. Missionario Tuneti in Aphrica, videlicet an apostatæ a Fide christiana ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad retractandum explicite & publice coram infidelibus cum periculo vitæ, sicut negarunt Fidem, an vero sufficiat coram fidelibus publice & explicite abjurare apostasiam in propriis balneis, quæ sunt captivorum carceres, & implicite apud infideles abstinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum; Sanctissimus Dominus noster censuit apostatas a Fide redeuntes ad pœnitentiam non teneri ad abjurandam apostasiam publice coram infidelibus, sed sufficere, ut eam abju-

jurent in balneo coram Fidelibus abstinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus fictæ religionis; si vero sit æquivocus, posse illum deferre. Quod si ex illa delatione ratione personæ aliqua oriatur suspicio, teneri aufugere, cum primum poterit. „ *Itaque, allato genuino decreti contextu, proposito postulato fit satis.*

Caput III.

De Christi Fidelibus, qui licet Fidem non ejurarunt, publice tamen Mahometicam sectam, & secreto Christianam religionem profitentur.

De iis, qui secreto Christianam, publice Mahumeticam religionem profitentur.

" In militanti Christi Ecclesia nulla debet esset macula criminis, nulla ruga simulationis, utpote quæ descendit a Deo parata, sicut sponsa ornata viro suo, circumamicta monilibus aureis, & gemmis pretiosis. Hæc porro Ecclesiæ ornamenta sunt virtutes credentium, qui in visibili Christi corpore tamquam partes, & membra per visibilia externa munera componuntur, et quorum sana Fides, qua justus vivit, & per quam præcipue quis fidelis constituitur, integra, & inviolata per externam professionem, quolibet simulationis, seu fictionis semoto velamine, servari debet, ne deficiens in uno factus sit omnium reus. In hoc præsertim incumbendum est, velis, remisque satagendum, ut nedum præfati Apostatæ Sacramentorum participatione careant, donec resipiscant, sed etiam illi, qui licet Turcico solemni ritu Fidem non ejurarunt, fingunt tamen, se a Christiana religione defecisse, (1) adeoque in Turcarum consortio Turcico more vitam degunt, dies jejunio sacros esu carnium prophanant, & Mahometanis nominibus vocitantur; in congregatione tamen fidelium Christianos mores induunt, & officia peragunt Christianorum. Deficientes quidem in publica, & externa Fidei professione merito ab externa, & visibili Sacramentorum communione excludi debent, donec ad meliorem frugem redeant, & Fidem Christi publice profiteantur, quoties feret occasio. Hæc Fidei documenta divina veritate innituntur, affirmante ipsomet Christo Domino: "Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est, & qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est. Hinc Augustinus in Joan. tract. 36. *Quanta vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Omnibus igitur Archiepiscopis, & Episcopis nostris totis in Christo visceribus commendamus, ut in securi, & ascia radicitus excidendas curent arbores, quæ in montem Domini incumbunt, & in loca tutissima sylvæ Libani umbratiles ramos venefico virore imbutos protendunt. „

NOTA.

Benedicti XIV. explanatio.

1 Hunc Canonem Benedictus XIV. multiplici, & præclara eruditione atque doctrina explanavit, illustravitque lib. XIII. cap. XX. num. IX. & seq. Synodi diœces. *In Concilio Provinciali sive Nationali Albano habita sub Clemente XI. Pontifice anno* 1703. *sancitum fuit cap.* 3. *ut a Sacramentorum communione repellerentur Christiani, qui Christi Fidem in corde ac mente servantes ab exteriori tamen ejusdem professione deficiunt sectantes extrinsecus Turcicam vivendi rationem, & Turcicis nominibus sese vocitari permittentes:* " In Turcarum consortio Turcico more vitam gerunt, dies jejunio sacros esu carnium prophanant, & mahumetanis nominibus vocitantur; in congregatione tamen Fidelium Christianos mores induunt, & officia peragunt Christianorum. „ *Idipsum quoque decretum fuit in nostra Constitutione, cui initium* Inter omnigenas &c. *quæque est num.* 89. *Tom.* 1. *nostri Bullarii super disciplina incolarum Serviæ regni, finitimarumque regionum, ubi* §. 3. *inter cætera, quæ Christianis interdicuntur, illud recensetur, ne mahumetana nomina assumant;* nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent, per labia sua assumere; *idque licet omni asseveratione testentur, se Christi Fidem in corde fovere. Itaque non absimile fuit responsum, quod, re prius in Congreg. univers. Inquisit. examinata, redditum fuit Archiepiscopis, Episcopis, Parochis & Missionariis Albanensibus, quibus etiam serio injunctum fuit, ne patiantur Christifideles Turcica nomina assumere, iisque se compellari facere, sive ut a tributi pensitatione se subtrahant, sive quacumque alia de causa; eos vero, qui, ejuratis Mahometicis impietatibus, Christi Fidem amplexi sunt, hortentur opportune, ut, quatenus de sua firmitate & constantia pertimescunt, ex illis regionibus abscedant, seque transferant ad alias Turcico imperio non subjectas, cum nec his licere debet pristinum Turcicum nomen retinere, postquam in Christo renovati sunt, nihilque prosit utrisque inviolatam in corde Fidem retinere, dum nimis aperte, uti prænotatum est, in exteriori ejusdem Fidei professione deficiunt. Hæc omnia latius persecuti sumus nuperrime Encyclica epistola edita die prima Augusti anni* 1754. *incipiente,* Quod Provinciale Concilium *&c.* Hanc epistolam, & superiorem Constitutionem habes infra descriptas, primam in Lazaro Vladagno, alteram in Matthæo Sctacanovichio Archiepiscopis Antibarensibus. Plura deinde in eamdem sententiam erudite copioseque adjecit Pontifex, quæ videri possunt cap. laudato num. X. usque ad XVI.

Caput IV.

Per quid dignosci debent fideles ab infidelibus.

Fidelium ab infidelibus discrimen.

„ Ut autem in posterum Pastores animarum cautius agant, cum impossibile sit, Deo, &

Baali famulatum præstare, in Christi fidelibus nihil non sanctum, ac religiosum, veræque Fidei protestativum tolerare debent, Deo igitur soli, cui servire regnare est, per externam, & publicam Fidei confessionem sit devotus fidelis, adeout nihil mahometicæ sectæ protestativum contempletur. In hoc cognoscant omnes, quod fideles sint, & de mystico Christi corpore partes, & membra, si externis Fidei characteribus fuerint signata. Tanta est enim hujus Fidei regulæ apud Scripturas, Patres Orthodoxos, atque universalis Ecclesiæ consensum vis, & auctoritas, ut quicumque in hoc unico signo deficit, ab Ecclesia se divellat, fiatque infidelis, & infideli deterior. Potest quidem a privata persona, quæ omni caret auctoritate, de Fidei suæ ratione tradenda interrogatus tacere, & interrogantem silentio, aliove licito prætextu eludere; at vero nulla ei ratio suffragatur, quo minus sciscitanti Judici publica auctoritate suffulto tacere, aut ambigue tergiversari queat; sed aperta Fidei confessione, instante quoque vitæ periculo, respondere debet. Huic negotio omnium gravissimo, ex quo æterna animæ pernicies pendet, sedulam navent operam Pastores, ut, segregando triticum a zizania, fideles in duas partes claudicare, & duobus Dominis, servire amplius non audeant, nec præsumant. Serpet enim latius in diem lethalis morbus, & virosa propago ad infinita porrigetur, nisi Evangelica Pastorum falce, quod male pullulat, amputetur. „

Caput V.

De Fidei rudimentis.

Fidei rudimenta.

„ Speciosa Christi germina a potestate tenebrarum eruta, & in vinea Domini translata, deficiente agricolarum diligentia, studio, ac labore, & ingruente herbosa vitiorum colluvie, facili ratione in sylvestres arbores nullis æternæ vitæ fructibus fœcundas degenerant. Prona siquidem adolescentium ætas ad malum facili quadam recti specie cito deluditur, si cæca rerum divinarum ignorantia obruitur. Ideo Parochis omnibus invigilandum est, serioque curandum, ut Christianorum proles in viam mandatorum Domini dirigatur, & a teneris usque annis in materno Ecclesiæ gremio sub exuberantibus doctrinæ uberibus confoveatur. Quapropter singulis Dominicis, aliisque festis diebus pueros in suis parochiis pro suo, eorumque modulo, ante, vel post Missarum solemnia pro majori fructu, & commoditate, Fidei rudimenta, obedientiam Deo, & parentibus, ac Christianam morum honestatem edoceant. Et ne animarum curatores prætextu ignorantiæ de Fidei mysteriis a necessitate officii eximantur, saltem Dominicam orationem, Angelicam salutationem, Apostolorum symbolum, nec non Decalogi, Ecclesiæque præcepta, (ad quorum omnium scientiam provecti ad discretæ cognitionis ætatem sub mortali obligantur peccato,) pueris tradant, & alta voce in eadem Ecclesia Christianam plebem erudiant, iisdemque documentis informent, Sacræ Congregationis de Propaganda Fide charitatis viscera quam primum experturi in libellis Christianæ doctrinæ Bellarmini, Albano idiomate, quibus propriæ, & fidelium necessitati providere possint.

Quoniam vero ingravescente Turcarum impietate invaluit proh dolor! abominatio desolationis in loco sancto Templorum Domini, quæ vetustate collapsa, & ruinis obruta nequeunt præ timore ædificari, ideoque Parochi parochialibus carent Ecclesiis, in quibus & sacra facere, & Christianam plebem erudire possint; his nihilominus omnino præcipimus, nullo suffragante prætextu, ut, ubi parochialia sacra festis diebus obierint, vel sub dio, vel in privata domo, ibi quoque præfatis muneribus perfungantur.

Ut autem in hac pietatis semita pueri præsertim instructi ad salutare opus magis, magisque in dies utilibus monitis inflammentur, Confessariorum munus sit, parentes hortari, ne desides, & socordes ad præfata exercitia filios mittere negligant, justissimo Dei judicio æternis cruciatibus rationem negligentiæ reddituri. In hanc ergo curam toto pectore incumbant Parochi, ut segnes in via justitiæ excitentur, & saluberrima Christianæ religionis rudimenta percipiant. Quod si quis ex Parochis ipsis eodem animi languore laboraret, arbitrio Ordinarii puniatur. „

Caput VI.

De Verbi Dei Prædicatione,

Divini Verbi prædicatio.

“ Præstantissimum docendi munus saluberrima Verbi Dei prædicatione fulcitur. In hoc creditи nobis gregis securitas, & nostri juris præcipua fundatur auctoritas. Pastores etenim in pascuis uberrimis sanæ doctrinæ, & montibus excelsis Romanæ Ecclesiæ æternæ vitæ pabulo oves pascere, ab hostium impetu, a facie tribulantis Divini Verbi gladio tueri debent, ut in velamento alarum Domini Christianus grex constitutus, in odorem quoque unguentorum Domini inoffenso pede percurrat, & tamquam divinæ plantationis oliva, aqua sapientiæ irrigata in exuberantium germinum pullulet propagines. Omnes igitur Archiepiscopos, & Episcopos enixe in Domino hortamur, ut muneris sui onus agnoscentes omnem laborem, studium, & sollicitudinem in eo adhibeant, ut populus gemens, & quærens panem inveniat cibum ad refocillandam animam. Pascant ergo fame morientem, quod si non paverint, occiderunt. Quicumque vero levi de causa munus hoc obire neglexerit, sciat sibi prætermissi necessarii officii Divinæ justitiæ rationem esse reddendam.

Parochis quoque omnibus, & illis præsertim, quibus sanctæ Sedis pietas in Apostolicis Collegiis alumnorum numero adscriptis virtutum semina, & incrementa ad Fidem

Digitized by Google

dem propagandam contulit, præcipimus, & mandamus, ut solemnioribus, & festivis diebus oves sibi demandatas pro sua earumque capacitate spiritualibus monitis pascant, vitia declinanda, virtutes amplectendas, æternos cruciatus malis, sempiterna gaudia bonis præstolanda doceant; graviter Ordinarii arbitratu puniendi, qui prætermittant munus, ad quod peragendum pro temporum exigentia, qualitate, & necessitate idonei reperiuntur.

Omnes porro animarum Pastores in Divini Verbi prædicatione illud potissimum præ oculis habeant, ut Apostatarum impietas, claudicantium vesana formido, & certa pernicies, ac in sola Catholica religione æternæ salutis securitas ab omnibus agnoscatur. Clament ergo, & non cessent pastores, & quasi tuba exaltent vocem suam annuntiando populo scelera eorum, qui dereliquerunt legem Domini Dei sui, & abierunt post concupiscentias carnis, nefandi mahometici idoli cultibus mancipati. Excitet segnes divina indignatio, quam vox Domini per Ezechielem speculatoris figura comminatur: Quod si speculator viderit gladium venientem, & non intonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. „

Caput VII.

De Festorum Observantia.

De festis diebus. " Dies divina festivitate venerabiles ad celebrandas Dei, Sanctorumque laudes potissimum instituti, sunt pie, ac religiose transigendi, non in comessationibus, & ebrietatibus, quibus nomen Domini profanatur, sed in orationibus, hymnis, psalmis, & canticis spiritualibus, quibus sabbatum sanctificatur.

Romanæ quoque Ecclesiæ ritui in Festorum observantia Catholici nostri inhærere debent statuta solemnia statutis Romano more temporibus peragentes. Aberrant enim Fideles montana incolentes, qui nonnullas Sanctorum solemnitates Calendarii Gregoriani relicta metodo, tantum Græcorum more, & Calendario concelebrant: ne de impietate arguatur, qui antiquam sequuntur calculationem. Cum autem Deus optimus, qui maxima unitate gaudet, uno eodemque die a Christi militibus, qui Romanæ militiæ vexilla sequuntur, speciali obsequio, ac devotione ad sui, Sanctorumque honorem sit colendus, ut sic ambulent omnes cum consensu universalis Ecclesiæ in domo Dei; ideo omnibus, qui animarum saluti incumbunt, ex consensu Fratrum nostrorum injungimus, ut pravam hujuscemodi consuetudinariam praxim, quæ ex schismaticorum commercio, & familiaritate irrepsit, prudentibus monitis, ac salutaribus præceptis tollendam curent, Romanosque ritus in Festorum celebratione ad unguem satagant exsequendos.

Et ne ignorantiæ prætextus alicui concedat peccandi licentiam, Parochus quolibet Dominico die imminentia Festa subsequentis hebdomadæ inter Missarum solemnia populo annuntiet, ut præter uniuscujusque diœcesis statutum, ac devotionem veneranda solemnia, quæ salutem nobis augent, juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Servia, & Albania congruis honoribus, & statutis temporibus celebrentur.

Quoniam vero in messi multa operarii pauci nequeunt in omni spirituali exultatione, & abundantia metere, nec omnibus Christi fidelibus longe inter se dissita loca sub uno eodemque Parocho incolentibus datum est præ locorum distantia Missæ sacrificio Festis diebus adesse, ne ex solemnitatum ignoratione, & Festorum profanatione deficiat germen in vineis, & ramus olivæ fructiferæ in domo Domini, futuris necessitatibus pro modulo nostro providentes, Parochis indicimus, ut saltem distantium locorum Dynastas, quibus curæ erit reliquum admonere populum, de incidentibus infra hebdomadam festis diebus, ac jejuniis, per nuntium (cum frequens in dies occurrat occasio) certiorent.

Omnes demum animarum Pastores vigilem impendant operam, ut divinus honor refloreat in terris; & debacchantium scelerum multitudine repressa, furor Domini cervicibus nostris imminens per Festorum sanctificationem avertatur, totaque appareat divino cultui addictis Cœli serenitas innovata. „

Caput VIII.

De Sacris Jejuniis, eorumque observantia.

De jejuniis. " Ad jejuniorum observantiam ea, qua par est devotione, humana convertatur sollicitudo; hic armorum delectus, hic victoriæ stat certa promissio, nihil enim efficacius ad rugientis leonis sævitiam retundendam, nihil certe ad rebellantis carnis compescendam petulantiam utilius potuit institui, quoniam hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio, quo, dum corpus atteritur, anima cælestis gratiæ pinguedine saginatur.

Ut igitur per abstinentiam carnis Christi mors, & sepultura ex ecclesiastica institutione recolatur, Deiparæque Virgini debitus honor impendatur, qualibet sexta feria, & Sabbato ab esu carnium fideles omnes penitus abstineant, hæreticæ pravitatis suspicione notandi inobedientes sine necessitate præcepto, in his potissimum regionibus, in quibus fidelis ab infideli, catholicus a schismatico præfata ab esu carnium differentia discernitur.

In quatuor vero anni tempora discreta jejunia, quæ duodecim dierum circulo absoluta, veluti duodenariæ mensium primitiæ Deo offeruntur, pridianæ quoque vigiliarum abstinentiæ, quibus sacra prævenimus solemnia, nedum a carnis, sed etiam a comestionis la-

Digitized by Google

lacticiniorum temperantia celebrentur, de instantibus jejuniis, ut in superiori capitulo de Festis dictum est, Fidelibus Parochorum cura, ac vigilantia prænonitis.

Et ut ad amussim Ecclesiastica jejuniorum veneretur observantia, nihilque Romanæ dissonum consuetudini reperiatur, præliminari ante dies cinerum Feria tertia S. Matthiæ Apostoli incidentibus vigiliis, debacchantis naturæ, & rethoricantis gulæ consilio Festivitatis ratio prævaleat, eademque Bacchanalium ultima dies, sacro vigiliarum mancipata jejunio, sanctificetur.

Unica porro comestione ab omnibus, qui vigesimum primum ætatis annum compleverint, celebrentur jejunia cum discreta refectione, seu collatione, quam modo tolerat Ecclesia. Illis vero, quos vel ætas incurvat, vel morbus extenuat, ut possint, ac instante vitæ periculo debeant ab illis eximi obligationibus, humanæ compatiens infirmitati Ecclesia pia mater indulsit. „

Caput IX.

De Quadragesimali Jejunio.

De Quadragesima. " Quadragesimale jejunium non tam Ecclesiastica constitutione inchoatum, quam divina Christi Domini conversatione, & exemplo consecratum, sub districtioris censura rigoris, ne sub spinoso capite membrum sit delicatum, observandum est. Tempus enim acceptabile, diesque salutis incessabili devotione, austeriori abstinentiæ disciplina, & anniversaria sunt celebratione recolenda. Hinc graviter ferenda est, quæ invaluit, quorumdam opinio, qui venerabilis hujus jejunii destructores non semper quadragesimalem abstinentiam esse servandam dogmatizant: dicunt namque septem tantum annis quadragesimali jejunio adstrictos esse, tali deinceps jejunandi lege solutos. Et hi quidem, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, abierunt post concupiscentias suas, & in humanæ vitæ militia, dum finem quodammodo nituntur prospicere, cæci fiunt, & duces cæcorum. Ne igitur a sua dignitate sacra jejuniorum observantia corruat, fideliumque corda ad laxioris vitæ rationem erroneis alliciantur consiliis, quicumque dixerit hominem non teneri ad quadragesimale jejunium, aridioribus tantum cibis celebrandum, nisi solo septem annorum circulo, tamquam Ecclesiasticarum legum prævaricator, anathemate puniatur. „

Caput X.

De Juramento falso.

De juramento falso. " Inter regnantium hac tempestate scelerum multitudinem, mendacia quoque, & perjuria inundaverunt & faciem terræ nostræ tot calamitatum fluctibus, quibus pene obruimur, merito operuerunt. Etenim facili quodam sacrilego ritu falsa frequentantes juramenta, nomenque Domini, qui in veritate vivit, falsitatis testimonio polluentes implebuntur iniquitate, & non discedet a domo eorum plaga. Ut autem tot malis, quæ nos undique perturbant, opportuno occurramus remedio, protervam hominum licentiam a falsis juramentis, maxime in judicialibus, compescendo, Pastores monemus, & hortamur, ut exsecrandi auctores facinoris comminatione divini judicii, & Sacramentalis Confessionis privatione deterreant.

Illa quoque omni prorsus exsecratione damnanda est incerti juramenti perniciosa consuetudo, qua fideles, nulla habita certitudine de hominis innocentia, ipsam juramento comprobant, suspecti hominis indemnitati prospicientes. Etenim cum nomen Domini invocandum sit in veritate, & in spiritu, ac omnimoda certitudine adorandum, quicumque hujuscemodi incertitudine jusjurandum violaverit, judici Deo, qui accipit pro galea judicium certum, merito est rationem redditurus. „

Pars Secunda.

Caput I.

De Sacramentis.

" Nihil nobilius, nihil pretiosius, nihilque ad æternam salutem consequendam magis necessarium habet Ecclesia, quam a Christo Domino septem instituta Sacramenta, in quibus infinito divinæ bonitatis elucescente thesauro, divitiis magnis, & opibus nimiis humana ditatur paupertas. Isti sunt septem fontes Salvatoris, ex quibus aquæ divinæ gratiæ, salientes in vitam æternam cum gaudio hauriuntur. Aperta misericordiarum Dei nostri viscera, in quibus visitavit nos oriens ex alto, patent potissimum in Sacramentis, per quæ vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. Hinc tantis irradiata gloriæ splendoribus Ecclesia Christi sponsa veluti aurora coruscat, & septem munita Sacramentorum signaculis in Erebi perniciem, & ruinam procedit terribilis ut castrorum acies ordinata. De Sacramentis.

Cum autem æquum sit, ut sancta a sanctis tractentur, & divinorum Mysteriorum præstantiæ dispensatorum quoque dignitas respondeat, sacrosancta tractaturi Sacramenta exhibeant se, sicut Dei ministros in omni justitia, & sanctitate, in ædificationem corporis Christi, ne vituperetur ministerium nostrum. Præscriptas a Rituali Romano in Sacramentorum administratione ceremonias summa cum animi attentione, ac religione, nihil addentes, aut dementes, ad amussim observent. „

Caput II.

De Baptismo.

„ Ut autem de singulis agamus, omnium primus occurrit, Sacramentorum janua, Baptismus. Hic plane est fons ille vitæ de domo Dei egrediens, irrigans universam superfi- De baptismo.

ficiem terræ, a peccatorum sordibus emundans, Istæ sunt aquæ mundæ, quibus Spiritus Domini adhuc incumbens mortua germina vitali divinæ gratiæ virore fœcundat, & filios iræ in adoptionem filiorum Dei evocat. Hic stat captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccàti, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, & indelebile, currus ad Cœlum, deliciæ Paradisi, Regni cœlestis conciliatio, & charisma adoptionis filiorum. Divina enim dilectio secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

Exigit quidem tot mysteriorum præstantissima ratio, ut in solemni Baptismatis administratione in illud potissimum curam omnem intendamus, ne Parochorum incuria, vel defectu, virtus, & efficacia Sacramento deficiat. Propterea cum in trina ablutione semel tantum sit proferenda forma Baptismatis illis verbis: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; diligenter attendant Pastores, ut hæc formula immutabili servetur decreto, graviter animadvertentes in Parochos, qui singulis ablutionibus integram addunt formæ prolationem.

Cum autem æquum sit, ut in matris gremio filii Patris, qui in Cœlis est, per lavacrum regenerationis efficiantur, & in loco sacro sacra peragantur mysteria, consuetudinariæ providentes indulgentiæ præcipimus, & mandamus, ut deinceps Baptismatis Sacramentum lustralibus aquis ex sacro fonte haustis, in loco sancto parochialis Ecclesiæ conferatur, dummodo urgens necessitas, vel temporis injuria sacræ dirutæ ædes aliud non suaserint.

Hinc omni conatu rejiciendus est abusus, quem montani nostri inveteratæ consuetudinis titulo cohonestant, & legis vigore falso corroborant. Communis quippe mos invaluit, ut infantes inter domesticos parietes sola aquæ ablutione, servata quoque forma Sacramenti baptizent Parochi, in dies, menses, & annos sacras protrahentes cæremonias, patrinorum commoditati indulgentes. Hinc quoque gravissimus error irrepsit, quod, cum patrini nudis tantum adsint cæremoniis, in illis solummodo spiritualem cognationem popularis reponat inscitia. Nullam cum his contrahi sciant spiritualem cognationem, nisi vere susceptores in Baptismo existant. Omnibus igitur Provinciæ nostræ, cæterisque Albaniæ Parochis, nec non Patribus Missionariis præcipimus, ut tali omnino abjecta consuetudine cæremonialis disciplinæ modum ab Ecclesia traditum, illibatum conservantes, salutiferi laticis ablutione, statutis ritibus in conspectu Ecclesiæ, novam Christo prolem parturiant.

Quamvis vero baptizandi munus ad Parochum solum pertineat, instante tamen vitæ discrimine, omnibus, & in quolibet loco demandatur. Schismaticorum quippe perniciosa lex est, parvulos urgente quoque necessitate, nonnisi a Sacerdote baptizandi. Studeant Pastores erroneæ pestem opinionis a Fidelium consortio eliminare, ut a Catholicis destruatur, quod antiquus hostis non desinit per Schismaticos in animarum perniciem novis adinventionibus fabricare.

Et ne in posterum sacrilega reiteratione maxime adultis hoc Sacramentum administretur, diligenti examine inquirant Parochi, an prius fuerit baptizatus, qui sacro fonte cupit initiari. Quod si nulla certitudo, sed sola adsit ambiguitas, antequam sub conditione baptizetur, in Fidei rudimentis instructus, Christianisque moribus informatus Principis Apostolorum præcepto pareat, præteritorum peccatorum detestationem, & ut maxime poterit, cordis contritionem habeat. Sic enim abjectis operibus tenebrarum, induet arma lucis, ut possit resistere in die malo adversus Principes, & Potestates, nullo persecutionum turbine prosternendus. Curent Episcopi, ut ad unguem prescripta praxis servetur, debitas Parochorum negligentiæ pœnas reposcentes.

Detestabilem quoque consuetudinem Infideles, vel Schismaticos admittendi ad patrini munus obeundum Episcopi severioribus pœnis vindicabunt.

Indissolubile porro spiritualis cognationis, quod ex Baptismo oritur, vinculum, non nisi suscipientem, & susceptum, illiusque patrem, & matrem, nec non baptizantem, & baptizatum, illiusque utrumque parentem ad invicem copulat, adeo ut in matrimonium nulla possint ratione convenire, nec spiritualis cognationis jura ad alios carnali propinquitate conjunctos extendantur. Nemo igitur hanc Catholici dogmatis regulam temeraria præsumptione transcendat, ne quos Fidei unitas congregat, pravæ opinionis scissura disperdat. Schismaticorum quippe est, in supputandis gradibus caligare, & qui carnalis consanguinitatis vincula in matrimonii copulatione effirmata arbitrii licentia disrumpere non desinunt, ubi nulla spiritualis cognationis jura succedunt, licita connubia rigidæ severitatis censura compescunt.

Cum nullo legitimo prætextu, cui discretionis acquiescat moderamen, inanis Parochorum fulciatur opinio, quod inter insultantium opprobria Turcarum timor, & tremor apprehendat eos, adeo ut sacrum Baptismi fontem non possint in suis Ecclesiis sine periculo conservare, hinc nec fontem servandum, nec aquam statutis temporibus benedicendam communis abusus obtinuit; quapropter Archiepiscopos, & Episcopos omnes monemus & hortamur, ut Parochorum incuriæ, quæ apud omnes viget, vigili studio providentes, in parochialibus Ecclesiis, in quibus inoffensa solemnitate sacra peraguntur mysteria, baptismalem fontem pro majori tem-

Digitized by Google

temporum, ac locorum commoditate celeri decreto curent erigendum, & lustralis aquæ benedictionem quolibet Sabbato sancto, vel Pentecostes, solemni ritu, & devota populi frequentia statuant celebrandam.

Patribus quoque Missionariis eadem cura demandatur, ut, qui parochialia obeunt munera, parochialibus etiam non eximantur officiis.

Ut autem vocationis nostræ per Baptismi lavacrum non deleatur certa memoria, & generationis conditio, annorumque nostrorum series, & numerus innotescat, ne vel sacrilega reiteratione Baptismus, vel deficiente temporum plenitudine sacra matrimonii, & manuum impositionis per filios diffidentiæ violentur Sacramenta, cauta provisione sancivit Ecclesia, ut baptizatorum nomina a Parochis in statuto codice adnotentur. Quod plane cum stabili ubique servetur decreto, solum in Provincia nostra summa Parochorum incuria, & inexcusabili inscitia penitus negligitur. Archiepiscopi igitur, & Episcopi omnes zelo justitiæ moveantur, piisque studiis insudent, ut singuli Parochi librum habeant, in quo baptizati, nec non compatrum nomen, & cognomen juxta præscriptam a Rituali Romano methodum describant. Illi vero, qui miserrimorum temporum nostrorum injuria, (cui quidem prospicere omni studio Episcopi satagant) scribendi, proh dolor! inscitia laborant, viciniorem Parochum adeant, & librum exhibeant, ut in illo præfata nomina alienis saltem characteribus exarentur.

Quod tandem attinet ad conferendum Baptismi sacramentum Turcarum filiis, miramur sane rei novitate perculsi, quod Sacræ Congregationis universalis Inquisitionis ad hujuscemodi Baptismi pertinentia disciplinam in bonum Provinciæ nostræ edita ita nunc oblivioni sunt tradita, ut contraria detestabilis consuetudinis praxi omnino deleta videantur. At cum ea sit Romanarum legum puritas, nullius labe polluta, nullius contagione fœdata, ut sincero cordis obsequio, & devoto obedientiæ candore ab omnibus sit colenda, divino zeli fervore concurrant Pastores ad ulciscendum inobedientiæ crimen in Sacerdotibus, qui infrascripta decreta ad unguem non satagant exequenda. „

Decretum Sacræ Congregationis S. Officii ad Episcopum Sappatensem de non conferendo S. Baptisma Turcis, editum sub die 4. Maii 1641.

" Abusus Sacramenti Baptismi, quem Turcæ pro abluendo fœtore puerorum, & pro defendendis illis a brutis nequissime introduxerunt, quemadmodum detestabilis est, ita Episcoporum munus erit, eidem prospicere, tam per animadversionem in ecclesiasticos Presbyteros, quam per pastorales admonitiones eisdem Turcis, Spiritum Sanctum, qui sine Ecclesiæ intentione non accipitur, non operari, ut ad ejus sublimitatem amandam, atque quærendam per hæc saltem humana remedia perducantur.

An infans datus a Turcis, ut baptizetur, ad hoc ut liberetur a fœtore, possit ficte baptizari? „

Decretum Sagræ Congregationis.

" Die 6. Septembris 1625. Sacra Congregatio universalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo delatis litteris Archiepiscopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro solutione infrascripti dubii: An cum Sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a fœtore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, & a lupis, an in tali casu possint ficte eos baptizare, adhibita Baptismi materia sine debita forma? Respondit negative, quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum, ac protestatio Fidei, nec ullo modo fingi potest. „

Caput III.

De Confirmatione.

De Confirmatione.

" Baptismi Sacramento Confirmatio succedit, eo rerum ordine copulata, ut, cum Baptismate regeneremur ad vitam, Confirmatione præmuniamur ad pugnam, ibi ab iniquitatibus mundemur, hic virtutibus roboremur. Hinc fortes facti in bello, divinæ gratiæ unguento confortati, venenosum antiqui serpentis non formidamus aspectum, quia nobiscum est magnus Dominus, & magna virtus ejus, apprehendens arma, & scutum, ut exsurgat in adjutorium nostrum.

Tanti porro Sacramenti ministerium, quod (1) sola Episcopalis persona suæ vindicat dignitati, tempore potissimum Episcopalis visitationis, ea, qua decet religione, non in privatis ædibus, si nulla urget necessitas, sed in parochialibus Ecclesiis exercendum est, & præviis denuntiationibus assignandum tempus a Parocho per Episcopum instructo, quo Sacrum Chrisma ministrandum erit, ut populus in sanctitate, & justitia paratus Spiritus Sancti charismata, omni secluso obice, percipiat. „ 1

NOTA.

1 Huc potissimum respicit hoc decretum, ut vetet Sacramentum Chrismatis a Presbyteris Græcis conferri. Nam, ut præclare animadvertit Benedictus XIV. lib. VII. cap. IX. Syn. Diœces., cum unus Episcopus sit administer ordinarius hujus Sacramenti, legitima ejusdem Sacramenti administratio a Presbyteris collati esse & haberi nequit, nisi vel approbante, vel connivente, vel certe sciente & non repugnante Sede Apostolica, id juris usurpent. Hinc factum fuisse ait, ut hoc Sacramentum in partibus Orientis a simplicibus Sacerdotibus impertitum alias ratum, alias irritum haberetur, quod compertum esset, illos vel tacitam saltem, vel nullam

Hæc doctrina confirmatur auctoritate Benedicti XIV.

Digitized by Google

lam omnino a Sede Apostolica facultatem illius conferendi habuisse; idque variis exemplis confirmat. Quemadmodum autem Sacerdotibus Græcis in Italia ab Clemente VII. expresse interdictum fuit, *ne baptizatos infantes Chrismate consignarent*, sic etiam Sacerdotes Græci in Albania hujusmodi privilegio pontificio baptizatos infantes sacro Chrismate inungendi tum expresso, tum tacito caruisse dicendi sunt. Recte igitur, sapienterque Patres Concilii Albanensis declararunt, solos Episcopos legitimos esse, atque ordinarios hujus Sacramenti administros, ejusdem vero conferendi nullam esse posse penes Presbyteros Græcos facultatem, nisi extraordinariam, & permissu Sedis Apostolicæ concessam, qua illos carere constabat. *In Synodo Provinciali seu Nationali Albana*, ait Benedictus eodem lib. VII. & cap. IX. num. V., *habita anno 1703., atque a Summo Pontifice confirmata decisum videtur, solius Episcopi esse baptizatorum frontes Chrismate linire; cap. enim 3., ubi de Confirmatione est sermo, hæc habentur;* "*Tanti porro Sacramenti, quod sola Episcopalis potestas suæ vindicat dignitati*„ *&c.* Quod quidem decretum cohæret cum secundo & tertio ex illis articulis, quos Clemens VI. a Consolatore Patriarcha Armenorum recipi approbarique voluit, antequam illum ad communionem Catholicam admitteret, exstantque apud Raynaldum sub an. 1351. num. 12. *Secundo, si credis, quod Sacramentum Confirmationis per alium, quam per Episcopum, non potest ex officio ordinario ministrari. Tertio, si credis, quod solum per Romanum Pontificem plenitudinem potestatis habentem possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi.* Huc referri possunt, quæ ait idem Benedictus XIV. de more apud Græcos recepto Chrismatis per simplices Sacerdotes impertiendi in sua Constitutione 129. §. 4. *Quemadmodum Græcis incolis Italiæ expresse vetita est administratio utriusque Sacramenti Baptismatis & Chrismatis ab eodem ministro contemporanee facienda, ita patientia quadam & facilitate Sedis Apostolicæ factum est, ut unum & alterum Sacramentum ab eodem Sacerdote in Oriente Græcis conferatur.* Et §. 5. *Permittendum*, inquit, *duximus Cophtis perseverare in eodem ritu jamdiu ab ipsis recepto, atque ab Apostolica Sede tolerato.*

" Confirmandi discretæ rationis usum attingant, nec septennio minores ad Confirmationem accedant. Parochis in hoc serio invigilandum, ne quod lacteolæ fere teneritudini quandoque impenditur, sacrilega postmodum reiteratione ex ignorantia, ut fieri solet, violetur Sacramentum.

Adulti illud præveniant Sacramentali Confessione, vel (si necessitas aliud suadeat) corde saltem contrito, & humiliato, ne reprehensibilis vitæ reatus effectum Sacramenti impediat. Attendant omnes, qui in animarum vigilant custodia, saluberrimam praxim, quæ in universali viget Ecclesia, in nostris quoque Provinciis ab oblivione vindicare, & stabili observantia venerari.

Confirmandum suscipiens debet esse confirmatus; neque permittendum est, ut Turcæ, vel Schismatici patrini fungantur munere, quod ad solos Fideles, Fidei rudimentis imbutos, canonica pertinet ordinatione. Hæc porro, ut ubique, sic & inter nos inviolabile teneat robur auctoritatis.

Spiritualis cognatio iisdem omnino in hoc Sacramento adstringitur legibus, quas in Baptismate notavimus, adeo ut confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem, & tentum, illiusque utrumque parentem non egrediatur. In hac Catholicæ doctrinæ regula sistant omnes, solida in veritate vestigia posituri. Caveant autem Pastores, ne dum ad alios quoque jura cognationis extendunt, ne erronea Schismaticorum scandalizetur infirmitas, alligare videantur onera gravia, & importabilia, digito autem suo nolunt ea movere.

Quamvis autem conscribendi nomina confirmatorum, & compatrum, parochialis sit officii, nihilominus in præsenti rerum perturbatione, & miserrima Parochorum scribendi inscitia, ne frustraneis laboremus decretis, Archiepiscopos, & Episcopos omnes in Domino enixe hortamur, ut pro temporum necessitate, in adnotandis præfatis nominibus, ubi Parochorum deest habilitas, ipsi eorum officio propria opera, pastorali consulant sollicitudine, ut cauta provisione revocetur ad praxim, quod perniciosa ignorantia intermissum est ad damnum. „

Caput IV.

De Pœnitentia.

De Pœnitentia. " Ea est humanæ naturæ fragilitas, ut quamvis tot munita per Baptismum, & Confirmationem præsidiis, tot circumvallata divinæ gratiæ propugnaculis, prona ad malum ab adolescentia incidat adhuc in laqueum Sathanæ, & in peccati servitutem. Deus autem, quia benignus, & misericors est, cognoscens figmentum nostrum ex thesauris misericordiæ nova profert remedia in pœnitentiæ Sacramento, quo lapsi post Baptismum resurgimus, & rebelles filii in amplexus Patris, qui sanat contritos corde, reducimur.

Quoniam vero peccata post Baptismum commissa pœnitentia expiantur, quemadmodum omnes hujus Sacramenti summa premimur necessitate, quia in multis offendimus omnes; ita illi, ad quos legitima clavium ministratio pertinet, in deplorabili rerum statu saltem competenti ministerii sui debent vigere intelligentia, ne pœnitentes ad perditionem potius, quam ad salutem adducantur. Idcoque Archiepiscopos omnes, & Episcopos totis in Domino visceribus monemus, & hortamur, ut tempora ignorantiæ respicientes, priusquam saluberrimum Confessarii munus, (quod idoneis tantum conferendum

Digitized by Google

est) alicui committant, pro debito, & Christiana pietate, propria opera, (alio deficiente suffragio) de partibus saltem essentialibus hujus Sacramenti illum edoceant, universalibus notitiis informent.

Nemo quoque ad audiendas confessiones admittatur, nisi prius memoriæ mandaverit formulam absolutionis ex Rituali Romano, illamque sub pœna privationis officii teneantur addiscere duorum mensium spatio post publicationem hujus Concilii in Diœcesana Synodo, qui Confessarii munere funguntur. Pastores non desinant miserrimæ providere calamitati, debitas desidiæ pœnas a Confessariis repetentes.

Quia vero summa rerum divinarum ignorantia confitendi modum, & examinandæ conscientiæ rationem rudi populo denegat, Confessariis præcipimus, ut de singulis divinæ legis, & Ecclesiæ præceptis, nec non capitalibus vitiis confitentes interrogent, eorum necessitati proprii moduli ratione consulentes.

Homo quidem Baptismi lavacro semel mundatus, postquam discretæ rationis usum ingressus fuerit, & voluntarii peccati labe inquinatus, sola (cum alia non detur post Baptismum pro peccatis hostia) mundatur pœnitentia. Quoniam vero discretionis metas assecuti, si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, ideo statim post acceptam veritatis notitiam pœnitentiæ Sacramento omnes adstringimur, a peccatorum sordibus expiandi. Hæc porro saluberrimæ legis necessitas, quemadmodum in toto Christiano Orbe summa colitur observantia, ita in nostra Provincia (quod dolentes referimus) contrario detestabilis consuetudinis prætextu penitus abolevit, cum nemo fere ante decimum sextum, octavum, & vigesimum ætatis annum ad confessionis tribunal accedere soleat, nec Parochi (quod deterius est) vel in mortis discrimine constitutos ad emundandam Sacramento conscientiam invitant. Hinc æterna animarum oritur pernicies, exsecrabilis vitio consuetudinis glomerata. Nos propterea tanto occurrere malo cupientes, Parochis præcipimus, & mandamus, ut in posterum, nullo suffragante prætextu, omnes utriusque sexus ad confessionem adstringant, statim ac ad illum pervenerint ætatis annum, quo possint reprobare malum, & eligere bonum. Archiepiscopos quoque, & Episcopos monemus, ut male sata consuetudinariæ pravitatis radicitus exstirpantes, agrum Dominicum suæ creditum vigilantiæ, tutissimæ hujus legis plantatione fœcundent.

Injusti alienæ rei possessores, & in immensum gloriantes in laboribus, & divitiis alienis, non absolvantur, nisi restituant ablatum; quod si non habeant præ inopia, unde restituant, obligentur ad certam restitutionis promissionem, quoties restituendi potestatem habebunt. Maximo enim suo, & pœnitentium periculo delinquunt quotquot sunt confessionibus audiendis præfecti, qui restitutioni obnoxios passim, & sine discrimine, levibus tantum injunctis pœnitentiis per jejunia, orationes, & alia hujusmodi, absolvere præsumunt, cum tales absolutiones, viribus penitus carentes, nulliusque valoris, peccandi præbeant licentiam, & æternum pariant animæ detrimentum.

Quia vero juxta Concilium Tridentinum magnopere a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent satisfactoriæ pœnæ, perniciosæ providentes hominum negligentiæ, qui injunctam pro peccatis satisfactionem nunquam adimplentes omnino negligunt, & thesaurizantes sibi iram, laxatis habenis in vitia prolabuntur; Parochis, cæterisque, ad quos spectat confessiones audire, præcipimus, ut in desides, & socordes severi sint, & exasperantes, illisque denegent absolutionis beneficium, donec deposito vitioso habitu divinæ justitiæ pœnarum observantia satisfaciant.

Mandamus præterea Confessariis omnibus, ut gratis dent, quod gratis acceperunt, nihilque prætendere audeant pro audita, vel audienda confessione, ne simoniaca labe polluantur, quæ in perditionis filios pestilentissime derivatur. „

Caput V.

De Eucharistia.

De Eucharistia.

„ Pœnitentiæ Sacramento a sordibus peccatorum emundati ad Eucharistiam accedimus, Agnum immaculatum, qui pascitur inter lilia, immaculata recepturi conscientia, sacris Dominici Corporis dapibus in sanctitate, & justitia saginandi. Hoc plane Sacramentum omnium est dignissimum, unicum Christianarum mentium solatium, ac delicium, in quo summa imis sociantur, terrena cælestibus junguntur, & sub visibilitate specierum ipse Christus verus Deus & homo memoriam faciens mirabilium suorum, vere, realiter, & consubstantialiter continetur. Hoc est convivium sacratissimum, ad quod in laborioso vitæ cursu peregrinantes, ne deficiamus in via, accedimus, tamquam leones ignem spirantes inde recessuri, terribiles Diabolo effecti. Hic est panis de Cœlo descendens, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suavitatem, in cujus fortitudine ambulamus usque ad montem Dei, nimirum ad futuram gloriam, & æternam felicitatem, cujus est pignus certissimum Eucharisticum Sacramentum.

Cum autem necesse sit, ut probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, ne æternæ damnationis sibi judicium manducet, satagant Pastores, ut commissi sibi Populi dijudicantes frequenter Corpus Domini castitate corporis, omni conscientiæ puritate, cum timore, ac tremore ad hunc cælestem cibum accedant, epulantes non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.

Se-

Digitized by Google

Semel saltem in anno, & id circa paschale tempus, omnes quotquot sunt Fideles, singuli in sua Parochia hoc Sacramentum prævia peccatorum confessione suscipiant; qui autem præ cordis ariditate obliti fuerint comedere panem Domini, ad Episcopum deferantur, Ecclesiasticis contravenientes præceptis, Ecclesiasticis excitandi censuris. Caveant tamen Parochi, ne propriæ vitio socordiæ tribuatur, quod Fidelium negligentiæ adscribitur.

Ne autem pueri, & puellæ hoc pretiosissimo divinitatis thesauro diutius, quam par est (juxta exsecrabilem Provinciæ consuetudinem) priventur, postquam ad eam ætatem pervenerint, in qua ad suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum sunt habiles, omnibus, qui in animarum debent vigilare custodia, serio injungimus, ut præfatos pueros, ac puellas juxta propriam, eorumque capacitatem, de divinis hujus Sacramenti mysteriis instruant, diligenterque edoceant realem corporis, & sanguinis, animæ, ac divinitatis Domini nostri Jesu Christi præsentiam, uberrimos ab hoc divinitatis fonte gratiarum rivulos profluentes in eos, qui mundo corde, & casto corpore accedunt, æterna denique supplicia in illos destinata, qui mensæ Domini indigne accumbunt, & ad judicium manducant.

Quia vero in mala tempora incidimus, Sanctissimam Eucharistiam digno honore, publica, & cauta veneratione in parochialibus Ecclesiis conservari non posse dolemus; illud tamen majori cordis dolore deplorandum est, quod nonnulli Parochi, non timore perciti, sed crassa quadam socordia tepidi, dum ad ægrotos deferunt Sacramentum, etiam quæ possunt humilitatis, ac reverentiæ exhibere, omnino denegant obsequia. Quapropter Parochis omnibus præcipimus, ut in deferendo Sacramento induti superpelliceo, orario, seu stola utrique humero circumsepta, & præcedente (ubi nullum adest periculum) uno saltem lumine, Hymnos, & Psalmos submissa voce recitantes, in Sacra Pyxide, vel in Calice, mundo velamine cooperto, ambabus manibus ante pectus tenentes, devote deferant Sacramentum. Vasculum insuper habeant cum aqua benedicta, & Romanum Rituale, cujus formam in omnibus ad unguem servabunt.

At ubi Turcarum vis prævalet, & iniquitas, ne divinitatis Sacrarium nequissima, quod absit, Infidelium polluatur protervia, & debitus cultus Sacramento, ac necessaria deficiat reverentia, Sacerdos stolam semper habeat, propriis coopertam vestibus, in sacculo, seu bursa Pyxidem recondat, per funiculos collo appendat, & in sinu reponat. Nunquam solus procedat, uno saltem fideli in defectu Clerici associatus.

Cum autem ad infirmi domum pervenerit, annuntiata prius pace, & lustrali aqua præsentibus aspersis, in decenti loco mappa cooperto, & corporale substrato, posito Sacramento, prævia confessione, & statutis Romano more ritibus, ægrotos Sacra Communione reficiet. Hunc morem omnes teneant, nullis Turcarum prætextibus excusandi. Pastores quoque incumbant, ut disciplinæ modus in communicandis infirmis a majoribus traditus, prout Romana tenet Ecclesia, illibatus servetur. Nemo autem se excuset temporum angustiis; angustia enim constringitur mentis, qui nulla dilatatur amplitudine charitatis. „

Caput VI.

De Extrema Unctione.

De extrema Unctione.

" In extremo vitæ agone, Dæmonis calcaneo insidiantis feralia tela evitaturi, Extremæ Unctionis sacramentali clypeo præmunimur, ut, quamvis corpore debiles, spiritu tamen fortes ad præliandum bella Domini, ac paratos promptosque in acie nocturnus insidiator inveniens pertimescat: in hujus plane Sacramenti ministerio stat non exigua pastoralis curæ ratio, ut tantis munita præsidiis anima Deo reconciliata inter ingruentium tentationum tempestates, ad æternæ salutis portum feliciter adducatur.

Quamobrem Parochis præcipimus, ut extremæ Fidelium necessitati consulentes, omnem diligentiam, studium, ac sedulitatem in hujus Sacramenti administratione adhibeant, nec jucundissimum hoc ægrotantium levamen eo usque differant, ut omnibus pene sensibus destituti sint infirmi, nullis Fidei, ac contritionis actibus roborandi. Episcopali autem vigilantiæ committimus, ut graviter animadvertant in Parochos, qui in hujus sacratissimæ Unctionis dispensatione desidiæ quodam sopore languescunt, ac veluti parvi momenti Sacramentum opinantes, sine ejus subsidio ab humanis discedere infirmos, nulla conscientiæ trepidatione revocati, patiuntur.

Ne autem, quod ab ovibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribatur, totis viribus eliminandam curent Pastores opinionis impietatem, quæ de hoc Sacramento in communem Fidelium perniciem grassatur, periade ac si mortem ægris acceleret. Eo enim pertinet Sacræ institutio Unctionis, ut infirmus, nedum animæ, sed etiam corporis, si expedierit, salutem consequatur. „

Caput VII.

De Sacramento Ordinis.

" Ordinis Sacramentum non immerito Ecclesiæ tenet principatum, hinc enim Ecclesiastici flos germinis, Christiani Populi beatitudo, hinc ligandi, atque solvendi potestas, consecrandi, offerendi, ac ministrandi sacrificii divina oritur auctoritas. Huic igitur negotio omnium gravissimo tota Episcopalis sollicitudo incumbat, ne ad tantæ dignitatis evehatur fastigium, qui ambiunt quidem ad Sacerdotium promoveri, sed non studeant digni Sacerdotio fieri.

Digitized by Google

Dolemus quidem referre miserrimam nostrarum Ecclesiarum faciem, eo quod Sacerdotes ignorant ritum Dei, & quamvis fungantur officio Sacerdotum, pro peccatis populi sacrificium offerendo, sacerdotalis tamen officii omnino nesciunt rationem. Hinc sub ignaro Sacerdote indocta plebs deperiens adeo prævaricata est, ut pæne unaquæque gens fabricata sit Deum suum, diversis criminibus, veluti simulacris, & soulptilibus inserviens. Cum autem per nostram corporis ignaviam tot malorum turbines afflixerint Ecclesiam Dei, per viscera misericordiæ Dei nostri admonemus, atque obtestamur omnes Archiepiscopos, & Episcopos, ut in manuum impositione cautius agant, & ad sacerdotale ministerium idoneos tantum eligentes, calamitatibus, quæ in necem Christiani populi grassantur, provide occurrant.

Ut vero, quod incaute destructum est, sedulo ædificetur, Apostolico parendum est consilio: Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Quamvis enim ex speciali Apostolicæ Sedis indulto, interstitia, dispensandi facultate polleant Episcopi, nulla tamen urgente necessitate, gratiosa omnino abstinere debent potestate, quam plane legitimæ tantum causæ innixam consilio, pontificia largitur benignitas. Vigeat igitur in Servia, & Albania interstitiorum lex, sine casu necessitatis adamussim servanda, ut & sacris candidandi Ordinibus temporis suffragio, examinationis beneficio, merito scientiæ ac laboris Sacerdotio digni fiant, & Episcopi ipsi excessus eorum, qui divinæ legis ignari, nulloque probati examine ad sacros provehuntur Ordines, incauta in se præcipitatione non transferant.

In examinatione porro eorum, qui in album cupiunt Ordinandorum referri, hæc præcipue sunt attendenda.

Nullus ex aliena diœcesi sine sui Episcopi licentia ad Ecclesiasticos Ordines promoveatur.

Illegitimo thoro procreati, infames publico crimine notati, homicidæ voluntarii, apostatæ, excommunicati, insigni deformitate notabiles, lepra insanabili infecti, comitiali morbo laborantes, a minorum sacrorumque Ordinum limine arceantur.

Prima tonsura initiandus, Confirmationis Sacramento sit præmunitus, & Fidei rudimentis instructus, nullis ecclesiasticis censuris, alioque canonico impedimento irretitus.

Ad minores Ordines provehendus, nedum legendi, sed etiam scribendi habeat peritiam.

Nemo autem ad Subdiaconatus Ordinem recipiatur, qui Breviarium Romanum non teneat, divini officii recitandi debito satisfacturus, quique litterarum, suique officii reperitur ignarus, illa potissimum (proh dolor!) scribendi laborans inscitia, qua omnes pæne Ecclesiastici nostri miserabiliter involvuntur.

Ad Diaconatum vero, & Presbyteratum provehendus, saltem competenti pro ministerium ratione sit imbutus scientia. Episcopi porro in manuum impositione illas omnino puras habeant, nihil omnino, & etiam sponte oblatum accipiant, solum Deum, & animarum salutem præ oculis habentes.

Quoniam vero ad sacerdotalis castra sanctitatis, nedum per scientiæ viam, sed per semitam quoque pietatis gradiendum est; Eritis enim mihi sancti (ait Deus Levit. 20. 26.) quia sanctus sum ego Dominus, & separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei: ideo singulis sacris Ordinibus spiritualia exercitia, octo saltem dierum præmittenda sunt ab ordinandis sub directione Sacerdotis, non tam doctrina, quam pietate præditi, & ubi temporis qualitas doctos non sinit esse viros, ad Patres Missionarios recurrant in sortem Domini vocati, ut sub eorum disciplina discant sapere ea, quæ Dei sunt, & divino cultui mancipati, divinis studeant emicare virtutum fulgoribus, faciem Domini in confessione, psalmis, & hymnis spiritualibus præoccupando.

At ubi abundat nostra calamitas, ibi superabundat & charitas Sacræ Congregationis de Propaganda Fide in erectione Collegiorum, in quibus Albana juventus ad salutem patriæ, Religionis incrementum, pietatis, & doctrinæ præsidiis præmunitur. Huc igitur potissima pastoralis curæ ratio attendat, ut inter juvenes sacræ cupientes adscribi militiæ, optimi, magisque idonei, non carnis, & sanguinis familiaritate conjuncti, sed excelsæ indolis merito, dignaque scientiæ, ac probitatis exspectatione præditi eligantur. Quod si secus fecerint Episcopi, sciant, se non consulere populis, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen. „

Caput VIII.

De Sacramento Matrimonii.

De Matrimonio.

„ Matrimonii Sacramentum magnum est ex perpetuo, & indissolubili sacræ confœderationis vinculo, quo duo in carne una copulantur, humanis non dissolvendi conatibus, quos Deus ipse conjunxit. Honorabile conjugium, quo illicita destruuntur connubia. Thorus immaculatus, quo legitima hæredum progenies propagatur, & licet unicuique vas suum possidere in sanctificatione, & honore. Quia vero in nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri, ideo curandum est, ut homines in contrahendis Matrimoniis, & celebrandis, sacris Romanæ Ecclesiæ legibus inhærentes, humani, divinique Sacramenti impleantur benedictionibus, ab illorum vitio omnino segregandi, qui non Dei, sed veneris causa conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.

Cum gravissima in hominum perniciem ortum traxerint mala, pericula, ac scandala ex clandestinis Matrimoniis, hæc merito damnavit, & annullavit in sacro Tridentino Concilio

cilio veneranda Ecclesiæ auctoritas, nuptialia solemnia non in latebris, & secreto, sed in faciem Ecclesiæ, & coram testibus statuens celebranda. Huic porro saluberrimæ sanctioni quemadmodum tota Christiana adhæsit Respublica, ita nostra quoque Provincia digna præstitit exempla obedientiæ, matrimonialia jura sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritibus celebrando. Errant igitur in invio erroris, qui falsissima hallucinati opinione, veluti non fuisset acceptatum Concilium Tridentinum a Montanis Albanensibus, clandestina connubia inter eos legitime adhuc vigere posse affirmant, dignosque tenent Sacramentorum participatione veluti legitimo clandestini Matrimonii jure confœderatos uxoribus, qui luxuriæ fræna laxantes nefando concubitu copulantur mulierculis, & omissis in faciem Ecclesiæ sacris nuptiarum solemniis, quæ in annos differunt, aliquando tandem celebraturi, publici concubinarii mores induunt, a Sacramentorum limine omnino repellendi.

Hanc quidem perniciosam erroneæ opinionis pravitatem exsecrantes, detestantes, damnantes, omnibus Missionariis, & Parochis præcipimus, ut in nostris Diœcesibus Albaniæ, & Serviæ juxta statuta sacri Tridentini Concilii legibus decreta in parochialibus Ecclesiis coram duobus, vel tribus testibus celebrare studeant Matrimonia, nec ante sacro conjugii fœdere quoslibet jungant, nisi tribus proclamationibus, festivis diebus ad populum factis, ubi parochialia sacra obierint, præcedentibus, nec sine admodum urgenti, ac necessaria ratione dispensandis. Huic porro saluberrimæ, ad evitandas fraudes, legis debito, sciant Parochi, omnes esse adstrictos, nec temporum, ac locorum qualitate solutos.

Publicis vero concubinariis, qui juxta Apostolum desperantes, semetipsos immunditiæ tradiderunt, resipiscentibus aliquando, & in sacra coire anhelantibus connubia, promptior servetur indulgentia in dispensandis denuntiationibus, ut qui demum jugulata libidine fugam arripiunt, opportunis, citissimisque auxiliis ad victoriam provehantur.

Omnes autem per Parochos admoneantur, ut antequam matrimoniali vinculo conjungantur, confessionis, & communionis sacramento, divinæ gratiæ meliora recepturi charismata, roborentur.

At quoniam omnimoda arbitrii libertate Matrimonium iniitur, toto pectore incumbant Parochi, ut contrahentium assensus, omni impulsionis, coactionis, seu directæ, vel indirectæ materia careat; nec sacro jungant connubii nexu, quos externæ audacia violentiæ, matrimonialia jura violando, vitiavit. Temerariis eorum ausibus, qui invitis confœderantur uxoribus, anathematis pœna infligatur. Parochi quoque invalidæ auctores coniunctionis Ecclesiasticis innodentur censuris.

Illam pariter eliminandam curent Pastores Deo injuriosam consuetudinem, tempora divinis mancipata obsequiis, humana nuptiarum solemnitate passim profanandi. Statuant prudentibus monitis, & salutaribus præceptis, ne ab adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis nuptiarum celebrentur solemnia. Reprimant plectendam Fidelium audaciam, in sui vigoris statu Matrimonii conservantes disciplinam, ne quod benedictionibus in progenie & progenie abundat Sacramentum, mundana violatum profanatione, generationem quoque, & generationes maledictionibus fœcundet.

Ad conservandam autem Matrimoniorum memoriam habeant Parochi librum, in quo conjugum, ac testium nomina forma in Rituali statuta, per se, vel per alium, ut superius de Baptismate sancitum est, describant, nullis propriæ ignorantiæ excusandi prætextibus, qui per alium viciniorem Parochum scribendi præditum intelligentia, valent utique, communicato mutuæ charitatis labore, pondus descriptionis præstare.„

Caput IX.

De eliminandis illicitæ conjunctionis abusibus.

De illicitis conjunctionibus.

"Dum inundantium iniquitatum fluctus ferventius intumescunt, Apostolici viri inquieto motu, & veluti oborta tempestate, variis quoque cogitationum fluctibus agitati, ne omni doctrinæ vento circumferantur, sed tuti in portu conscientiæ conquiescant, juxta sacræ Congregationis Universalis Inquisitionis decreta, statuimus, decernimus, & sancimus, ab omnibus Missionariis, cæterisque Parochis, quæ sequuntur, adamussim servanda.

Inter exsecrabiles montani nostri populi consuetudines, ille quoque perniciosus invaluit abusus impudenti roboratus audacia Parentum, qui dum æstuanti luxuriæ filios exhibent, divini super se furoris gladium provocant, & miserrimorum temporum calamitates iniquitatum sordibus adaugent. Solent enim infelices, & miseri parentes, divina, humanaque jura per summum scelus profanando, filiis suis tenera adhuc ætate in uxores alienas filias pretio comparare, domi tenere, & post ætatem doli capacem, illicito illos concubitu copulare. Sic contemnentes divinæ legis mandatum, dum suarum obtemperant illecebris voluptatum, parentum imperio, tutæ conscientiæ præsumptione filii requiescunt, negligentes omnino Matrimonia legali jure contrahere, nisi suscepta masculina prole, post quinque, decem, & ultra annos nefariæ conjunctionis. Et hæc quidem pollutio egressa est super omnem terram; omnes enim, quotquot Albaniæ montana incolunt, in hoc fornicationis fœtore sordescunt, vasa iræ, & furoris Domini reposita in diem ultionis; ambulantibus namque in pravitate cordis sui, Dominus non ignoscet illis, sed tunc quam maxime furor ejus fumabit, & zelus contra homines illos, & sedebunt super eos omnia maledicta, & delebit nomen eorum sub Cœlo, & consumet eos in perditionem. Cum autem piaculum sit,

sit, ut qui petulantis lasciviæ volutantur in cœno, pestiferæ securitatis audacia, salutaris Eucharistiæ pollutis labiis vescantur Sacramento, ideo hujuscemodi concubinarii, eorumque non conjuges, sed concubinæ congrue appellandæ, excommunicationis sententiæ obnoxii a Sacramentorum communione arceantur, donec vel repudium præbeant, vel in faciem Ecclesiæ Matrimonium contrahant, grassanti luxuriæ conjugalis Sacramenti gladio lethale vulnus infligentes.

Quia vero juxta Apostolum non modo talia facientibus, sed etiam consentientibus, par pœna debetur, ideo parentes etiam nefandi auctores prostibuli, iisdem anathematis censuris, a sua, filiorumque iniquitate removeantur: qui vero duritiei cordis, & obstinatæ in delicto filiorum perseverantiæ consentiunt, & cum possint, opportunis negligunt providere remediis, Sacramentorum participatione careant, donec filios avertant a via sua mala, & in semitam rectam mandatorum Domini paternæ auctoritatis dirigant severitate.

Illis quoque Catholicis mulieribus, quæ licet vi coactæ insatiabili Turcarum serviunt incontinentiæ, sacrilegis eorum thalamis per summum nefarii concubitus scelus mancipatæ, ex disparitate cultus, & Religionis, nullo sacramentalis Fidei, sed violentæ tantum perfidiæ annulo subarrhatæ, Ecclesiæ Sacramenta denegentur. Cumque præstet millies mori, quam fœdari, haud immerito sordes fornicationis proprii quoque sanguinis effusione tenentur abluere, & omni vitæ discrimine viam pessimam declinare, ne in illam incidant maledictionem, quam immundis mulieribus per Moysen Deus iniquitatis ultor intentat: Det te Deus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo. Putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur.

At vero mulieres legitimo semel junctæ matrimonio Catholicis viris, his postmodum a Fide naufragantibus, & Mahometanæ sectæ adhærentibus, si Christianos ritus nulla Creatoris contumelia observant, ad Sacramentorum participationem admittantur. Cum enim in paritate cultus, & Religionis legitimum matrimonii fœdus inierint, nec illud per subsequentem apostasim dirimitur, nec uxor in Fide Catholica stabilis, & firma, prævaricantis iniquitatem viri portare debet, sacris privanda mysteriis.

Moneantur quam sæpissime a Parochis, & excommunicationis pœna ipso facto incurrenda deterreantur parentes, ne filias suas matrimonii prætextu (quod certe nullum est, ac omnino irritum) Dæmoniis immolantes, Turcarum prostituant voluptati, gravissimo Dei judicio desperatæ pæne illarum salutis æterni flammis incendii rationem reddituri.

Satagant Episcopi cæterique animarum Pastores, ut statuta decreta diligentissime serventur, sic enim quod corrigendum est corrigent, & quod sanum est, divino zeli fervore custodient. „

Pars Tertia.

Caput I.

De Episcopis.

De Episcopis.

" Episcopalis honor dignitatis magno ministerii oneri Angelicis formidando humeris adæquatus, grandiori quoque sollicitudine, cura, ac labore circumvallatur. Episcopi enim ad vigilias vocati, ad excubias admoti, in crediti gregis custodia, in omnibus plane sine intermissione laborare debent, quamque inimicus noctu per agrum Dominicum superseminavit zizaniam, illi in die sanctitatis, & justitiæ (qua ambulandum est) radicitus exstirpare tenentur, vineæ Domini elaborantes ubertatem, super gentes, & regna constituti, ut evellant, & destruant, & dissipent, & ædificent, & plantent. Hinc forma facti gregis, non solum vocibus, sed & moribus, non verbo tantum, sed & exemplo, nec honoris ostentatione, sed laboris consummatione, tamquam boni operis sectatores, populis præstare debent, ut præordinati dignitate præmineant quoque sanctitate.

Omnes igitur, qui tantum, ac tanti obsequii onus sustinent, & fastigium, totis visceribus hortamur, ut Apostolicis obsequentes præceptis irreprehensibilem vitam nullis carpendam vituperationibus instituant, in omnibus se ipsos præbentes exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & gravitate, ne ab iis, qui ex adverso sunt, vituperetur ministerium nostrum, ne nostro vitio impiæ Turcarum linguæ in injuriam se religionis obarment, ne Fideles, cum malefecerint, gloriantes in iniquitatibus suis, nos sibi clypeum defensionis opponant, ne tandem, ut Ambrosius ait, sit honor sublimis, & vita deformis, sit deifica possessio, & illicita actio, sit religiosus amictus, & irreligiosus provectus, sit gradus excelsus, & deformis excessus. Pascant commissos greges sacræ prædicationis uberibus, & esurienti populo viscera maternæ pietatis impendant, verba factis compleant, sobrie, caste, ac pie viventes, & cælestium irradiati virtutum fulgoribus, luceant coram hominibus, ut videant opera eorum bona, & glorificent Patrem, qui in Cælis est.

Manus in primis castas, & puras ab omni Simoniacæ labis suspicione habeant, ne dono Spiritus Sancti pecuniam videantur vel postulare, vel appetere.

Non sint turpis lucri cupidi, ne in opprobrium incidant, & in laqueum Diaboli, durissimum in reddenda ratione judicium subituri.

In Ordinum, & Parochiarum collatione muneribus non delectentur, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.

Pro

Digitized by Google

Pro absolutione a quibuscumque, & potissimum a casibus sibi reservatis, nihil omnino etiam sponte oblatum accipiant, ne venalis censuræ reatum subeant in perditionem.

Dispensationes tam matrimoniales, quam aliæ cujuscumque Ordinis, quarum auctoritate ad tempus pollent Episcopi ex indulgenti sanctæ Sedis benignitate, juxta tenorem facultatis, gratis omnino distribuant, ne fidelis dispensatio in crudelem degeneret dissipationem.

In corrigendis Parochorum defectibus, pecuniariæ solutione pœnæ, hanc non sibi, sed Ecclesiæ, vel pauperibus erogent, ne dum alios corrigimus, ipsi turpis lucri gratia reprobi efficiamur.

Pias Fidelium oblationes in tritico, vino & caseo sub districti censura rigoris, & perniciosa Sacramentorum privatione non extorqueant, miserrimam pauperiem in sua lucra transire patientes, ne quod ex libere offerentium merito sacrum esset, in violentis manibus sacrilegium fiat; neque enim voluntaria dona charitatis rigorosa jura obligationis constituunt. Exitialis plane hujuscemodi violentia existit Fidelibus, qui in præsenti rerum calamitate, vectigalium pæne obruti oneribus, vix ad victum necessaria habentes, ducunt in malis dies suos, nostra non cupiditate opprimendi, sed charitate sublevandi.

Parochorum quoque proventus in proprios usus non convertant, nec ab illis annuales exigant pensiones ne canonicis contravenientes sanctionibus, canonicis quoque irretiti censuris ad opprobrium nostrum illos excitemus, qui calumniari non desinunt nostram quoque bonam in Christo conversationem.

Sint ergo omnes in indigentibus alendis pro possibilitate intenti, hospitalitati dediti, humanitatis officium hospitibus exhibentes, ne quod ab ipsis quoque pauperculis ex laudabili Provinciæ consuetudine præstatur, ab Episcopis tantum, quibus potissima ex Apostolico consilio cura incumbit, charitatis obsequium prætermittatur. Pondera hæc, o Pastor, ait Gregorius, non largiris tua, sed aliena. Quid ergo mirum? Possent enim vociferari ad valvas, imo usque ad secretum cubiculum dicentes, Da nobis nostra, alioquin contra te vociferabimus ad Dominum rerum tuæ dispensationi commissarum, dicentes: Domine, non vult nobis dare, quæ illi, ut nobis daret, dedisti.

Caveant, ne alieni sibi adscribantur excessus, speciali prosequentes favore, quos deformis vita deturpat. Sacerdotes digna factis recipientes, proprii Episcopi auctoritate suspensos, abstineant in sui gradus & ministerii jura restituere, ac censuræ vinculum illicita disrumpendo absolutione violare. Regulares quoque, qui sub strictioris censura rigoris a Superioribus pendent, inobedientes aliquando & ex communis vitæ observantia in viam perditionis prosilientes, familiarium numero cooptare non audeant, ne detractionis materiam populo relinquendo, & infirmos scandalizando, sacrum quoque Episcopale contemnatur contubernium. Utrosque porro salutaribus monitis, & utilibus præceptis a via sua mala satagant avertere, & ecclesiasticæ disciplinæ regulas, obedientiam Præpositis insinuantes, paternæ zelo charitatis per invia & abrupta præcipites in semitam rectam reducant.

Hinc omnes domui suæ bene præpositi, suorum, & maxime domesticorum curam habeant, ne infideles & infidelibus deteriores ex Apostoli sententia appareant. Si quis enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Domum Episcopi, ait Bernardus, decet sanctitudo, honestas in vultu, incessu, habitu.

Nemo ponat falcem in messem alienam, nec in viduatis Pastoribus Ecclesiis, quibus potissimum Vicarii Capitularis præst auctoritas, ratione vicinitatis Parochos instituere præsumat, & proprii jure arbitrii cætera exercere Episcopalis munera jurisdictionis, sine expressa licentia Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

Attendant sibi, & universo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Assidue prædicationis sarculo male sata consuetudinariæ pravitatis exstirpent, bona semina exuberanti sudorum rore fœcundent. Præsint subditis, non ut dominatores in virga ferrea, sed ut pastores in charitate, suavitate, & benignitate, illosque tamquam filios, & fratres ingenui zelo amoris diligant. Bonos in via justitiæ confirment, malos arguant, obsecrent, increpent in omni patientia, & bonitate, studentes, ut nec zelus faciat immoderatus accensos, nec pietas reddat inordinata remissos. Ad recalcitrantium correctionem, si aliter resipiscentiæ spes non apparet, excommunicationem, ecclesiasticæ gladium disciplinæ evaginantes, in obstinatos, & contumaces detorqueant, ad aliorum quoque exemplum caventes ne Episcopale pectus segnis Heli torpor emolliat, sed potius ad sceleris ultionem ingenui Phinees zelus accendat. Hæc autem tamquam ultima remedia in ædificationem, & non in destructionem, ad medelam, non ad necem summa cum animi moderatione, & prudenti circumspectione, post præmissa cætera omnia juris remedia, adhibeant.

Trium mensium spatio postquam præsentium Decretorum approbatio ab infallibili Sanctæ Sedis judicio pervenerit, omnes teneantur, convocatis senioribus, diœcesanam celebrare Synodum, Clero, & populo provincialium publicatione statutorum tutioris vitæ rationem annuntiantes, ne ignorantiæ prætextus alicui præbeat per malesanæ nequitiam consuetudinis peccandi licentiam.

Caput II.

De Visitatione.

De Visitatione. Omnes pariter Episcopalibus infulis insignitos juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta

ta monemus, hortamur, & obsecramus enixe in Domino, ut per se ipsos, vel, si legitime impediti fuerint, per viros ad id munus idoneos quolibet saltem biennio totam Diœcesim indispensabiliter perlustrent, ne fideles plantationes sudore vultus nostri irrigandæ, deficiente diligenti agricolarum visitatione, & laboriosa sedulitate, inarescant, &, qui incidimus in manus proximi nostri Populum Dei regentes, & in portum salutis manuducentes, ut a propriis, & alienis liberemur defectibus, divino pareamus præcepto: Fac ergo, quod dico tibi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.

Quia vero ex præfatis Concilii Tridentini Decretis præcipuus visitationis scopus est, sanam, orthodoxamque doctrinam inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera prout locus, tempus, & occasio fert, ex visitantium prudentia ad Fidelium fructum constituere; ideo in visitatione facienda is ordo servabitur.

Procedant Episcopi modesto contenti equitatu, & famulatu, studentes, quam celerrime debita tamen cum diligentia visitationem absolvere, ne cum graves, onerosive ex longa mora existunt, Cleri quoque, ac populi odium incurrant in suam, Fideliumque jacturam.

In parochialibus Ecclesiis Pontificalia munia obeuntes inter Missarum solemnia sacris divini verbi dapibus famelicum stomachum satiantes, ad Divinorum mandatorum, & Ecclesiasticarum constitutionum observantiam populum inflamment, & præmissa sacramentali confessione ab adultis, Confirmationis conferant Sacramentum. Paternæ zelo charitatis omnes ad pœnitentiam adhortentur, hoc potissimum acceptabili tempore eruentes eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cessantes. Diligenti investigent examine, an præsentes Synodales Constitutiones Parochorum cura, ac labore exsecutioni mandentur dignas negligentiæ pœnas, post debitas admonitiones, ab illis reposcentes, qui nostris salutaribus monitis, & præceptis obsequi negligunt, effrænatæ libertatis pernicioso adhærentes consilio. „

Caput III.

De modo certiorandi Sacram Congregationem de Propaganda Fide de statu propriæ Diœcesis.

De literis ad Sacr. Congreg.

" Ut autem omnia juxta piam mentem Sacræ Congregationis de Propaganda Fide peragantur, & Romanæ viscera charitatis dignis veneremur obsequiis, peracta visitatione, omnes Archiepiscopi, & Episcopi de statu suæ Diœcesis eamdem Sacram Congregationem certiorent, modum certiorandi, ex quo & modus visitandi dignoscitur, in methodo infrascripta observantes.

1. Longitudinem, & latitudinem Diœcesis, ac numerum Parochiarum proponant, confinia quoque aliarum Diœcesum, & temporis qualitatem attingentes.

2. An bellicis volutati tumultibus.

3. An violenti quadam agitati persecutione, vel pacifica obumbrati tranquillitate quiescant.

4. An Ecclesiam Cathedralem habeant, & in quo statu illa existat.

5. An prædia ad mensam Episcopalem pertinentia, cujusve generis, & status, teneant.

6. An, & quot ex Fidelium oblationibus annuales retrahant proventus.

7. An, & ubi locum residentiæ habeant, & an pacifice resideant.

8. De statu cujuscumque Parochiæ separata informent individuatione, situm edocentes, an in planitie, vel montibus constituta.

9. Quot villulas sub se contineat, quantumve istæ inter se distent.

10. Quot Fideles quælibet comprehendat.

11. An inter illos aliquis sit, qui auctoritate polleat apud Turcas.

12. An Turcæ, vel Schismatici, & quot inter eos commorentur.

13. An Ecclesiam parochialem habeant.

14. An hæc inter Fidelium habitationes sita, vel extra oppidum, seu villam constituta, quantumve ab illa distet.

15. Quo titulo, cujusve invocatione decoretur.

16. An ex maceria, vel solida fabrica ædificata.

17. An imminentibus ruinis obnoxia.

18. An temporum injuria obruta.

19. Si intacta, & integra, vel ad parochialia Sacra obeunda idonea servetur, admoneant.

20. An debito honore, & qua domum Dei decet sanctitudine, teneatur.

21. An clausis sit foribus, ne ab immundis contaminetur.

22. An profana commercia, consilia, ludus, vel alia hujusmodi intus, vel foris peragantur.

23. An sacram supellectilem, vestes, libros, calices, patenas, & alia hujus generis instrumenta altaris, & ornamenta pro necessitate habeant, quæve hæc sint, distincta commoneant notula, cujus transumptum apud se quoque servabunt, ne Parochorum vitio, vel incuria depereant, in singulis visitationibus totius sacræ supellectilis a Parocho reddenda ratione.

24. An Olea sacra, & reliqua ad Altaris ministerium, & Sacramentorum administrationem necessaria omni munditia, cura, & custodia asserventur, ac suo tempore mutentur, & renoventur.

25. De Parochorum statu, & ministerio diligenti inquirentes examine informent, an parochialem domum habeant, quantumve hæc ab Ecclesia distet.

26.

Digitized by Google

26. An Ecclesiæ prædia, cujusve fructus teneant.

27. An ultra Fidelium oblationes, & decimarum, ut vocant, solutiones, alios habeant parochiales proventus, & in quo consistant.

28. An parochialia beneficia rite obtineant.

29. An in ea se quisquam per vim intruserit.

30. An per se possint explere officium, quod eis incumbit.

31. An resideant, & frequenti visitationi Parochianorum, administrationi Sacramentorum, Missarum celebrationi, aliisque oneribus sibi impositis, juxta præscripta Decreta satisfaciant.

32. An pueros Fidei rudimentis informent.

33. An ad id munus competenter saltem idonei, populum salutari divini verbi pabulo pascant.

34. An tribus denuntiationibus matrimonia præveniant, & statutis ritibus in faciem Ecclesiæ celebrent.

35. An libros habeant, in quibus Baptizatorum, Confirmatorum, eorumque, qui matrimonio conjunguntur, nec non mortuorum nomina, & cognomina describantur.

36. An reliqua omnia ad Fidelium salutem spectantia singulari studio, zelo, ac labore, juxta has Constitutiones nostras Provinciales observent, nihil addentes, vel dementes, in exstirpandis abusibus assidua intenti vigilantia.

37. De eorum quoque qualitate, vita, & moribus informati certiorent, quot annos nati sint, qua scientia præditi.

38. An Apostolicorum Collegiorum alumni.

39. An sint Missionarii Apostolici ab ipsa Sacra Congregatione de Propaganda Fide deputati, anne statutis temporibus assignatas recipiant provisiones.

40. An turpis lucri cupidi.

41. An pie, & sancte vivere studeant.

42. An turpi aliquo vitæ genere offensionem populo præbeant, unde ipsorum ministerium, ac res ipsa divina contemnatur.

43. An bona Ecclesiæ dilapident.

44. An sacra supellectilia diligentissime, & omni cultu, ac nitore conservent.

45. An immisceant se negotiis sæcularibus, & politicis.

46. An sint pacifici, & ad tollenda jurgia, & odia diligentes.

47. An Fidelibus, vel Infidelibus quoque, quaque de causa invisi.

48. An in rebus œconomicis laudabili præditi moderatione.

49. Deinde ad mores populi devenientes, edoceant, an publico se Christianorum more gerant.

50. An sacra solemnia Romanis ritibus celebrent.

51. An pie versentur in Ecclesiis.

52. An Missarum solemniis festis diebus intenti.

53. An Sacramentorum participationi reverenter devoti.

54. An sint aliqui concubinarii, vel facinorosi, aliove scelerum genere volutati.

55. An sint, qui aliquo pravo de Quadragesimali jejunio ducantur errore in interitum.

56. An aliæ, & quæ pravæ consuetudines, vel abusus inter eos vigeant.

57. Certiorent quoque, an extra propriam Diœcesim Presbyteri, & potissimum alumni suæ subditi jurisdictionis in aliis partibus existant.

58. An sint juvenes, qui clericali cupiant albo referri, quot annos habeant, qua capacitate præditi, quo nomine vocati.

59. Postremo opportuna suggerant remedia, quibus Fidelium necessitates adjuvari possint, vel reparando damna, si quæ sunt, vel spirituales progressus magis, magisque in dies provehendo.

Hæc omnia candide, sincere, & adamussim perspicientes, prælibatæ Sacræ Congregationi conferant, proprio debito, & Sanctæ Sedis Apostolicæ zelo satisfacturi. „

Caput IV.

De Confiniis Diœcesium Sappatensis, Alexiensis, & Albanensis.

De confiniis quarumdam diœceseon.

" Perniciosa quidem exstitit Albanæ Genti diuturna Episcoporum disceptatio, qui dum in Diœcesium confiniis vel tuendis, vel protrahendis altercarentur, pacis ordine perturbato, discordiæque fluctibus agitati, ipsas periclitantium Fidelium calamitates augebant, magna inter dissidia, majora adhuc pericula intendentes. Agnovit jam pridem ingruentia Provinciæ damna Sacræ Congregationis de Propaganda Fide eximia pietas; & provida mens ad Christianæ nata Reipublicæ bonum, charitatis zelo commota, elegit suum commissarium, & exsecutorem Dominum Franciscum de Leonardis Archidiaconum Tragurien sem, cui id negotii præcipue incumberet, ut compositis dissidiis Diœcesibus confinia stabilirentur, & discordiæ damna mutuæ compositionis beneficio ab Episcopis compensarentur. Vir plane non probitate minus, quam doctrina conspicuus, tantæ molis subiens provinciam, post discussam locorum positionem, causæque momenta diligenti expensa maturitate, mutuis compositionibus Episcoporum Sappatensis, Alexiensis, & Albanensis, singulis præfatis Diœcesibus confinia publico præscripsit instrumento, & compositis tandem discordiæ fluctibus, dissidiorum tempestates pax optata serenavit. At vero temporum revolutione obliterata pacis memoria, & spretis a successoribus antecessorum saluberrimis transactionibus, & pactis, alteroque in alterius possessionem vel intruso, vel intento, nova jurgiorum semina in dies progerminant; ideo ad illa evellenda, & radici-

Digitized by Google

tus exstirpanda totis viribus intenti monemus, & hortamur prædictos Episcopos, Sappatensem, Alexiensem, & Dyrrhachiensem Archiepiscopum, jura obtinentem Albanensis Episcopatus, ut miserti saltem crumenarum, suis, Fideliumque cervicibus ex novis imminentium altercationibus, concordes, ac pacifici iisdem finibus, ac limitibus sistant, qui in præfatis instrumentis sub die 14. Decembris editis Merchignæ, & die 20. ejusdem mensis datis Sappæ anno 1638. continentur. Ne autem amissis aliquando, vel obliteratis temporum injuria instrumentalibus litteris de conversis olim locis, & Ecclesiis nova oriatur dissensio, futuræ præbens occasionem discordiæ, juxta supradictarum tenorem litterarum declaramus, quod Ecclesiæ Sancti Georgii de Cucculla, S. Joannis de Bulgaris, S. Mariæ de Lasingaghi, S. Marci, & S. Venerandæ de Nehsella, S. Blasii, sive Alexandri de Selita ad ordinariam jurisdictionem Albanensis Episcopi pertinent; Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Nderfandina, S. Alexandri supra montem Mereditarum, S. Mariæ, & S. Marci de Fandi vogoli, S. Demetrii de Fandi maze, S. Pauli, & S. Stephani de Blinisti, ex parte orientali, curæ, & jurisdictioni Episcopi Alexiensis subjiciuntur, qui ex parte quoque occidentali Episcopalia jura obtinet supra Villam Debarda in Parochiali Calameti, & supra Ecclesiam S. Nicolai de Cacarichi usque ad Foliettam majorem sitam in media fere villula Cuculi. Villa Blinisti etiam infra pontem a parte Orientis, & Meridie, Villa quoque Trosciani nec non Ecclesia S. Nicolai de flumine Calami, Ecclesiæ, & Villæ teræ spassi inter flumen Gona, & flumen, sunt & intelliguntur jurisdictionis ordinariæ Episcopatus Sappatensis. „

Caput V.

De Finibus Episcopatus Pullatensis.

De Pullatensi diœcesi. „ Ut illi quoque scissuræ præviis occurramus remediis, quæ inter Episcopum Pullatensem, & Scuporum Archiepiscopum Serviæ administratorem futuræ dissensionis prænotat detrimenta, in communem Fidelium perniciem, juxta antiqua monumenta, & concordia populorum testimonia, declaramus, Pullatensem Episcopatum his esse finibus limitatum, his limitibus circumseptum. Ab Austro enim, sive Meridie Drinum flumen, & Posterippensem regionem habet pro termino. Qua vergitur ad Occidentem & Septemtrionem, Biscavo, & Calogero montibus circumscribitur. Qua vero spectat ad Orientem, per fluvium Casterigium, sive Castranichium, aut Valbonam (tria enim nomina hæc idem fluvius sortitur) a Regno Serviæ sejungitur. Monentur ergo præfati Pastores, ut suis contenti limitibus consistant, & mutuæ nexu concordiæ in pace ponant ea, quæ jure legitimo possident, perniciosam inter fratres discordiam declinantes. „

Caput VI.

De Regione Posterippensi.

De regione Posteripensi. „ Inter dissidentium hac tempestate Episcoporum molestias, Posterippensis Regio obtinet in calamitatibus principatum. Tres illam Episcopi, Scodrensis, Sappatensis, & Pullatensis sibi vindicant, quisque suo juri integram student mancipare, dumque illi mutuis inter se certant jurisdictionibus, Posterippenses sacris destituti visitationibus, sine duce, & pastore, velut grex dispersus periclitantur; magnis quidem persecutionibus, & ærumnis attriti, adversitatibus & inopiis afflicti, ne majoribus in posterum quoque lacerentur tribulationibus, optandum est a Sacra Congregatione de Propaganda Fide remedium. Interim, salvo semper consensu, & beneplacito Sedis Apostolicæ, & præfatæ Congregationis, nihil innovetur, sed prout modo res jacent, usque ad decisionem conserventur, ne, qui hoc brevi tempore nostræ visitationis soporatus est dolor, novis deinceps altercationibus recrudescat. Præsentem autem rerum constitutionem mandantes edicimus, scilicet.

Villulæ Mescala, Massarecu, Scpori, Scelacu, & Gusta a Parocho Vierdæ Sappatensis Diœcesis administratæ, ab eodem quoque in posterum administrentur.

Scheldia, Gavosci, & Gagnola a Parocho Jubbani Scodrensis Diœcesis curatæ, ab illo etiam deinceps curentur.

Tres tandem Villulæ Arra, Curtha, & Villa, in quibus Patres Missionarii Toplanæ Pullatensis Diœcesis parochialia obeunt munia, iisdem Patribus subjiciantur.

Sic igitur quisque ex præfatis Parochis in suis sistat juribus, & terminis, nec sub pœna suspensionis alter audeat in alterius possessionem prosilire sine consensu, & beneplacito Sanctæ Sedis, & Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, cujus nutibus, & auctoritati, nostra quoque Decreta devoto cordis obsequio subjicimus. „

Caput VII.

De Familiis Fidelibus, ex una in alteram Diœcesim proficiscentibus.

De familiis vagis. „ Ad radicem totius dissensionis modo est securis admovenda, quodque male germinat in Diœcesium confusionem, & jurisdictionum violationem, provido zeli fervore in securi & ascia excidendum. Frequens enim abusus obtinet, ut familiæ, quæ ex una Diœcesi brevi itinere proficiscentes, intra fines alterius sedes figunt, sepelire soleant mortuos suos in sepulchro patrum suorum, quod situm est in Parochiali Ecclesia, ex qua recesserunt, & præfatæ Ecclesiæ tamquam venerabilis tenaces antiquitatis, se in æternum unitos, & mancipatos Fideles profiteantur, ab ejus quoque Parocho in administratione Sacramentorum omnimoda pendentes subjectione, ita ut Parochus loci, in quo no-

Digitized by Google

novi accolæ commorantur, nullam in eos exerceat jurisdictionem; hinc Diœcesum perturbatio, legitimi juris violatio, totaque emanat rerum confusio, in qua dum falx mittitur in messem alienam, novis subinde dissensionibus in agro dominico disseminata zizania succrescentem segetem opprimit, & bonum semen male sata dissidiæ demoliuntur. Tanto igitur negotio opportunis providentes remediis edicimus, & mandamus Parochis omnibus, ut sub pœna suspensionis, & excommunicationis nulla parochialia jura exerceant in præfatas familias, quæ ex eorum Parochiæ finibus egressæ, illius curæ subjiciuntur, inter cujus septa commorantur. Novis interim incolis locum sepulchri assignent Parochi in Ecclesia, vel cœmeterio, ne ex defectu sepulturæ eis suboriatur prætextus rerum ordinem subvertendi.

Ne autem cavillosa interpretatione hujus Decreti exsecutio retardetur, præter sancita in superioribus capitulis, hic aperta individuatione alia controversa loca indigitantes, decernimus, ne in posterum Parochus Schiesi Sappatensis Diœcesis ullam parochialem exerceat jurisdictionem in familias existentes Barbulusci Scodrensis Diœcesis, nec ullus ex Parochis Alexiensis Episcopatus parochialibus muniis fungatur in Villula Soli, quæ utpote sita in Scodrensi Diœcesi a propinquiori Parocho Tumsci inferioris administranda erit.

Omnes porro Coepiscopos nostros fraterni zelo amoris obsecramus, ut tandem aliquando discordiæ caput amputantes, ad aram mutuæ tranquillitatis, & pacis, insignia victoriæ reponant, per exacta Decretorum exsecutionem, hostias vere pacificas immolaturi.„

Caput VIII.

De Ecclesiis, earumque cultu.

De Ecclesiis. „ Ecclesia domus est Dei, domus orationis, in qua petentes accipiunt, quærentes inveniunt, & ipse Deus delicias suas cum filiis hominum constituens, ex excelso solio majestatis supplicantium vota exaudit, misericordiæ viscera aperit, & infinitos bonitatis suæ thesauros humano generi impendit. Miris illam plane coruscantem gloriæ splendoribus, sicut sponsam ornatam viro suo, cum Joannes quondam suspexerit, qui sponsorum hucusque negotia tractavimus, sponsarum quoque decorem curemus, & ea, quæ domum Dei decet, sanctitudine in longitudinem dierum colentes, veneremur.

Decorem ergo domus Dei, & locum habitationis gloriæ ejus digno venerationis obsequio diligentes decernimus, ut Ecclesiæ omnes, sive curatæ, sive non curatæ, post peracta sacrorum solemnia, obseratis clavi foribus teneantur, ne divinæ majestatis habitaculum per Parochorum (quod absit) aliorumque incuriam, in speluncam latronum degeneret, & Sanctuarium Dei Turcarum, nec non animalium pollutione contaminatum sordescat.

Frumenta, ligna, & alia hujusmodi in Ecclesia non ponantur. Tam intus, quam foris parietes, cæteræque Ecclesiæ partes ab omnibus immunditiis expurgatæ conserventur; etenim dum divinis addicta Templa obsequiis, ab omni turpitudinis nævo vindicantur, ipsa sacrorum locorum pauperies Fidelium devotionem ecclesiasticæ lucis candore adauget.

Prophana denique, & vaniloquia, quæ juxta Apostolum multum proficiunt ad impietatem, ab Ecclesiis eliminentur. Sæculares congressus, concilia potissimum malignantium ad necem quandoque, & vindictam tendentium, ne prophanetur in terra Sanctuarium Dei, nullo rationis prætextu permittatur; imo totis viribus incumbant omnes animarum Pastores, ut ubi exsecrabilis viget consuetudo, per opportunam, & importunam prædicationem radicitus evellatur, & quidquid oculos Divinæ Majestatis offendere potest, procul abigatur.

Ludi, & cantus non sacri inter Ecclesiæ septa non admittantur, nec detestabilis sæcularium toleretur abusus, Sacramentum Pœnitentiæ, & Communionis, ante ipsos fores Ecclesiæ cantationibus & salutationibus profanis præcedendi, & subsequendi: hymnis enim, psalmis, & canticis spiritualibus illo salutis die attendere debent Fideles, ne ubi peccatorum venia divinæ gratiæ ubertate impetratur, ibi divinæ ultionis justitia prophanitatum pravitate irritetur.

Quo sacrarum tubarum clangoribus ad Dei obsequium, Deiparæque Virginis devotionem populus Dei magis, magisque incitetur, mane, meridie, & vespere campanæ, ubi sunt, pulsentur, Angelicam salutationem populorum auribus insonantes.

Omnia denique, & singula, quæ ad domus Dei cultum, & honorem pro temporum & locorum qualitate conferre possunt, totis viribus curent Episcopi, cæterique animarum curatores stabilienda, memores, quamplurimos abusus, non tam sæcularium præpotenti imperio, quam nostræ ignaviæ vitio in Ecclesiæ decus irrepsisse, nostro idcirco studio, industria, ac labore eliminandos.

Illud tamen præ cæteris studeant populis insinuare, quod omnia fere mala, quæ nos undique perturbant, sterilitas terræ, temporalium rerum penuria, prædationes, oppressiones, & reliqua calamitatum agmina, hinc potissimum ortum ducunt, quia domus Dei Fidelium devotione, & frequentia deserta est: propterea, ait Deus, prohibiti sunt Cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum, & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & super homines, & super jumenta, & super omnem laborem manuum.„

Caput IX.

De Altaribus sub dio positis.

De Altaribus. " Ecclesiis temporum injuria collapsis, & vetustate consumptis, nec vel ob debacchantem Infidelium impietatem, vel ob Fidelium socordiam restauratis, nuda succedunt Altaria, erecta in titulum dirupti Templi, & veluti in signum Christianæ possessionis. Hæc porro urgente Fidelium devotione, & Catholicæ jurisdictionis necessitate, cum ad sacra peragenda aliquibus diebus festivis adhibeantur, divinis propterea addicta Mysteriis, nefas quidem est, ab impuris violari, & veluti per abominationem desolationis contaminari. Cum autem præsentis pressuræ calamitas excitandæ a fundamentis Ecclesiæ modum non suppetat, possibilia utique præcipientes edicimus, ut vigili Episcoporum cura, & sedulo Parochorum labore, præfata Altaria nudis saltem lapidibus, vel ligneis septis, ad collapsæ Ecclesiæ magnitudinem circumdentur, ne, facili immundorum patente ingressu, Altare Domini profanetur.

Caveant Parochi Missæ Sacrificium super illa Altaria celebrare, quibus proxima, & pæne contigua est pessima Turcici cœmeterii abominatio, utique desolationis, facta (proh dolor!) in loco sancto Altaris Domini. Tales autem profanationes saltem quadraginta passibus distent ab Altari, in quo divina peragenda sunt Mysteria. „

Caput X.

De Missa Parochiali.

De Missa Parochiali. " Cum præceptum Domini sit, ne Fideles festis diebus laborent, operibus vacent mechanicis, & occupationibus indulgeant profanis, utpote soli Deo per interiorem, & exteriorem cultum mancipati feriantes, in illum potissimum curam omnem, ac solicitudinem intendant Pastores, ut animæ sibi creditæ humanis curis expeditæ, divina festis diebus meditentur beneficia, tractent sacra, orent, & adorent Deum in spiritu, & veritate Missæ Sacrificium audientes. Propterea diebus divino cultui mancipatis, celebrent Parochi in parochialibus Ecclesiis, dummodo velo obtegantur, ad majorem populi commoditatem, frequentiam, devotionem, nec non ad pastoralis officii in verbi Dei dissemination, in tradendis Fidei rudimentis fructum uberiorem.

At si velum Templi scissum est, & collapsa jacet Ecclesia, tantum sereno cælo, & quiescentibus ventis in ea peragant sacra Mysteria; diebus vero imbrium, & ventorum turbini obnoxiis in decentiori loco parochialium ædium parochialis ministerii munere perfungantur.

Quod si in messi multa nimia Villularum distantia sub duobus Parochis simul commorantibus, fideli cœtui eximat commoditatem ad parochialem Ecclesiam, seu ædem festis diebus confluendi, nec novas erigendas Parochias Parochianorum patitur pauperies, dividant tunc Parochi labores, & seniore domi manente, junior ad distantia rura se conferat Missæ Sacrificium celebraturus, & cætera parochialia exercitia diligentissime peracturus. „

Caput XI.

De sacra Supellectili.

" Sacra supellex, utpote Altaris ministerio, & divino cultui mancipata, ea conservanda est munditia, ea colenda diligentia, quæ & sanctimoniæ participem, & sanctitatis decet instrumentum: quamvis enim nullis humanæ pretiositatis splendeat fulgoribus, ex consensu tamen Corporis, & Sanguinis Domini, sublimi est majestate veneranda. De rebus sacris.

Ideo satagant Parochi suæ creditam fidei diligentissime custodire, integram, mundam, & perpolitam servare, lineam frequenter abluere; digna sugillandi animadversione, quorum incuriæ vitio vestes sacræ pæne sordescunt, & vasa Altaris Domini ab assueto nitore degenerant.

Ad profanos illam usus nemo audeat accommodare, quamvis enim lacera sit, diversis tamen Altaris usibus poterit inservire; at si nihil omnino valet ultra, ne contaminetur ab hominibus, igni devoveatur.

Notulæ totius sacræ supellectilis, illius potissimum, quam Sacræ Congregationis de Propaganda Fide eximia pietas, & excelsus Religionis ardor generosa providet beneficentia, in statutis supra inventariis de bonis Ecclesiæ conserventur, & ne assueta facilitate tam vasa, quam vestes, & alia hujuscemodi ornamenta depereant, aut alio quovis audaciæ modo alienentur, in singulis visitationibus Parochi de sacra supellectili reddant rationem Episcopis. „

Caput XII.

De Cœmeteriis, & Sepulchris.

" Sola membra Ecclesiæ Spiritus Sancti quondam templa in resurrectionem vitæ processura, ecclesiasticæ sepulturæ digna habentur beneficio, a quo quævis arcenda sunt profana, quævis indigna submoventur, ut quemadmodum debitus honor, & cultus exhibendus est Ecclesiis, ita & cœmeteriis sua quoque conservetur sanctitas, rependatur Religio. De sepulturis.

Quapropter Infideles, Hæretici, Schismatici, publice excommunicati, qui viventes nec Ecclesiam Matrem, nec Deum habuerunt Patrem, ab ecclesiasticæ sepulturæ refrigerio canonicis sunt sanctionibus repellendi; nulla enim participatio justitiæ cum iniquitate, nulla societas lucis ad tenebras, nulla illis est in morte communicatio cum Fidelibus, quibuscum in vita noluerunt communicare.

Detestabilem quoque consuetudinem aliis publicis peccatoribus mortuis in iniquitate sua ecclesiasticam concedendi sepulturam omnino exsecrantes, præcipimus, ne Parochi

sub

Digitized by Google

sub pœna suspensionis ab officio jura sepulturæ, tam in Ecclesia, quam in cœmeterio sponte ac libere indignis, & prohibitis, juxta canonicas sanctiones tribuant cadaveribus; graviores Ordinarii arbitratu pœnas subituri, qui per summum simoniacæ iniquitatis piaculum, pecuniam, vel alia dona cujuscumque generis non verebuntur pro exsecrabili functione exigere, aut prætendere.

Anathematis gladio feriatur efferata quoque sæcularis licentia, quam Fideles spretis salutaribus Episcoporum, & Parochorum monitis, & præceptis, sepeliendi in loco sacro præfata cadavera per vim sibi arriperent.

Exsecrabilem pariter consuetudinariam praxim funeralia celebrandi, & ossa benedicendi mortuorum, qui decesserunt impœnitentes in pravitate cordis sui, publico potissimum concubinario fœtore exsecrandi, nulloque juvandi Ecclesiæ suffragio, omnino damnamus, & Parochis, cæterisque Ecclesiasticis viris sub statutis supra pœnis indicimus, ne talia in posterum attentent. Sordidas exactiones, & pro hujusmodi damnandis exsequiis iniquas pactiones Episcopi ea, qua decet, majori proprio reservata arbitrio severitate studeant vindicare. „

PARS QUARTA.

Caput I.

De Parochis.

De Parochis. " Sunt Parochi animarum pastores, in partes vocati Episcopalis sollicitudinis, in crediti Dominici gregis custodia excubantes, laborantes, desudantes. Hinc omnes pia mentis trepidatione perpendant, quantæ dignitatis fastigium, quanti laboris onus subeant, ac ministerium. Digna plane animadversione sugillandi sunt, qui præesse inhiantes, sibi solum prodesse, non aliis curantes, tanto villicationis debito mancipantur, tot animarum rei, quot per eorum negligentiam, seu prava cupiditatis exempla depereunt: pascentes enim semetipsos, lac comedunt, lanis operiuntur, & quod crassum est, occidunt; gregem autem Dei divinis legibus pascere, laudabilis vitæ exemplo enutrire, infirmum consolidare, ægrotum sanare, confractum alligare, abjectum reducere, & quod perierat, omnino negligunt quærere; adeo ut dispersi greges nullis virentibus herbis vegetati, nullis pascuis pinguibus saginati, tamquam sine duce, & pastore, in cunctis aberrent montibus vitiorum, & universo colle excelso voluptatum, facti in rapinam, & devorationem omnium bestiarum agri: hinc durissimum in reddenda ratione villicationis judicium terribilis divinæ indignationis vox intonat: Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis ultra in escam.

Diligenter ergo cognoscant Parochi vultum pecoris sui, suosque greges considerent, nec solum quæ per reliquas synodales sanctiones statuta, & ordinata sunt, dictis, & factis exactissima studeant complere observantia, sed quibus ministerio præsunt, moribus quoque, & laudabilis vitæ honestate adeo satagant eminere, ut in omnibus gravitatem, modestiam, ac Religionem præseferentes, ad pietatem, ac Dei cultum Fideles alliciant, & non solum sapientibus, sed & insipientibus debitores, laudabilis vitæ exemplo Infidelibus quoque laudandæ, ac venerandæ Catholicæ Religionis præbeant occasionem.

Quoniam vero per decentiam habitus extrinseci morum honestas intrinseca ostenditur, ideo in exteriori vestium compositione, quantum Othomanica sinit impietas, adeo procedant, ut non hujus mundi, sed superni Regis militiam bajulare ab omnibus videantur.

Abstineant ab annulis, cæterisque exterioris indumenti phaleris, ne, dum hominibus appetunt videri clariores, publicæ se obtrectationis dentibus exponant.

Extra montes potissimum, ubi nullum adest vitæ periculum, arma non deferant. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus; nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Caput non abradant, nec comas nutriant, in vertice tantum capitis clericalis tonsuræ signum in modum coronæ habeant, ut a populo internis segregati charismatibus, externis quoque clericalis vitæ characteribus segregentur.

Vestes quantum fieri potest ad nigri, vel violacei saltem coloris accedant qualitatem, ut qui Deo facti sunt sacrificium, solum divini famulatus circumamicti vestimentis, Fidelibus saltem innotescant.

Ad Altare non accedant sacra peracturi Mysteria sine veste talari, quam vernacula lingua Dolamam vocant: quo enim propiores per incruenti Sacrificii oblationem divinæ adsunt familiaritati, eo decentiori compositione supernæ inserviant Majestati.

In commissi gregis custodia assiduis excubant vigiliis, & ut egentibus Sacramentorum administratione celeri prospiciant auxilio, intra fines suæ parochiæ continuam sibi habitationem constituant, nec urgenti compulsi necessitate præscriptos fines transilire, nisi per tres, vel ad summum quatuor dies aberrandi facultatem assumant, viciniori Parocho propriæ curæ commendantes custodiam.

Recitent divinum Officium juxta præscriptam methodum a Breviario Romano, nec facultatem sibi arripiant Franciscani Breviarii ritibus inhærendi; quisquis enim sua ministerii sorte contentus, in qua vocatione vocatus est, per statuti exercitii disciplinam, per absolvendi pensi exsecutionem immobiliter persistat.

Profanas declinent solemnitates, quibus ef-

Digitized by Google

effrænata sæcularis licentia in comessationibus, & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitiis, in contentione, & æmulatione nonnullos festos dies haud devote celebrant, sed profano ritu contaminant; quinimo in hac immanis pressuræ, quæ Provinciæ nostræ incumbit, calamitate, Episcoporum quoque cura, & auctoritate totis viribus satagant peccaminosam eliminare consuetudinem, & prudentibus monitis, & salutaribus præceptis Fidelibus insinuantes tollendi abusus necessitatem, cum per illum & ipsi in judicium conveniant, & pretiosa quæque dantes pro exsecrandi cibo convivii, gemunt postmodum, & quærentes, nec inveniunt panem ad refocillandam animam, nec quod deterius est, piisque lacrymis prosequendum, habentes pecuniam vectigalium onere sublevandi, a Fide naufragant, & in barathrum Othomanicæ infidelitatis miserabiliter immerguntur, fitque eis mensa eorum in laqueum, in captionem, & in scandalum.

Illas quoque mensas a parochiali domo omnino eliminent, quibus festis pariter diebus in aliquibus locis solet populus propriis sumptibus manducans, bibens, & ludens, nulloque spirituali pabulo recreandus convenire: non enim æquum est, Parochos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis, nec proprias domos habentes ad manducandum, & bibendum, sacras parochiales Ædes, in quibus potissimum divina peraguntur Mysteria, contemnere, & confundere eos, qui non habent.

Non immisceant se negotiis sæcularibus, mercaturis potissimum, & aliis quibusvis negotiationibus illicitis, ac sæcularibus judiciis præsidentes, & criminales quoque causas judicantes, nullo modo dent operam. Tales enim, dum mundanæ vertiginis quotidie rotantur impulsu, a sæcularibus ulla vix ratio discernit, Possunt tamen, imo & debent ea, quæ pacis sunt, procurare, jurgia, rixas, contentiones more patrio componere, cum Turcis de imminuendo tributi onere, & sublevanda Fidelium calamitate in summa Christianorum hominum charitatis, & idoneitatis penuria agere, & contractare.

Medicinam, & Chirurgiam non exerceant, animæ, non corporis se medicos profitentes.

Avaritiam, pecuniæque cupiditatem, quasi omnium criminum radicem, evitent, nec ullam miseræ parochianorum paupertati in extorquendis decimis violentiam adhibeant, ne sanguis subditorum de manibus eorum requiratur, imo erga eos, ne in apostasiam prolabantur, sua largientes misericordiæ viscera aperiant.

Munditiam cordis, castitatem corporis, tamquam præcipuam clericalis militiæ tesseram, ab omni nævo infamiæ illibatam conservent, canonicis Sacerdotes plectendi pœnis, qui Sacrum dare, hoc est Sacrificium Deo offerre debentes, maligno se Spiritui non verentur per incontinentiam carnis victimam immolare.

Singulis saltem mensibus sacramentalis confessionis expiatione emundent conscientias suas ab operibus mortuis peccatorum ad inserviendum Deo viventi in sanctitate, & justitia coram illo, Fidelibus quoque exemplum daturi frequentiori devotione ad Pœnitentiæ accedendi Sacramentum.

Nemo Parochos, vel Clericos ad Turcica tribunalia citare audeat; cum enim Ecclesiastici hominis Ecclesiasticus Judex sit, ad solum Episcopale forum in dirimenda inter Clericos, vel cum Clericis controversia accedendum est.

Quicumque in manu potenti, vel Turcarum brachio excelso suffultus in parochiam se intruserit, aut ab Ordinario suspensus, vel alia ecclesiastica innodatus censura, violenta Turcarum officia, directe, vel indirecte expostulaverit, excommunicationis pœnam incurrat, Romano reservatam Pontifici. Æquum enim est, ut qui summa imis per sacræ libertatis profanationem contaminant, in infimam vilitatem degeneri abeuntes audacia suprema anathematis censura pro ecclesiastica immunitate feriantur.

Monentur Episcopi, ut institutionem Parochorum ipsi scripto adhibeant, ecclesiastici regiminis tutissimæ regulæ inhærentes.

Cum nihil magis officiat animarum saluti, quam ab illis gubernari, qui seipsos regere non possunt, curam omnem, ac sollicitudinem impendant Episcopi, ut ad animarum curam admittendi, obeundi muneris calleant rationem. Ad Sacerdotium provecti, parochialis ministerii rudimenta deponant sub directione alterius Parochi, a quo officium suum rite obire addiscant. Incauta enim ducuntur præcipitatione, qui curandi gregis inexpertes ad parochialia provehunt ministeria, & sublato quandoque veterano Parocho, & emerito duce, novum, ac omnino rudem in perniciem animarum subrogant curatorem.

Omnium Synodalium Decretorum Parochi habeant exempla, illaque oculis lustrantes, assidua quoque mentis consideratione revolvant, & opere compleant: ipsorum vero incuriam, & negligentiam in observandis præscriptis sanctionibus, ubi nullas præscripsimus, discreto zeli fervore, Episcopi arbitrariis pœnis coerceant. „

Caput II.

De Curatorum proventibus, eorumque recta, & œconomica administratione.

De proventibus Curatorum

„ Omnia bona Ecclesiæ, vel ex decimarum solutione, vel ex prædiorum fructibus, vel ex alio quocumque capite in parochiales proventus proficiscentia, peculium Christi merito nuncupatur. Traditur enim Parochis, tum ad honestum eorum vitæ subsidium, & spiritualis sumptum ministerii, ut qui Ecclesiæ inserviunt, de Ecclesia quoque vivant, tum ad Christi familiam in pauperibus, & egentibus alendis sustentandam. Idcirco Parochus præter animas sibi commissas, Ecclesiæ quoque facul-

ta-

Digitized by Google

tates pervigili semper attentione gubernet, ne vel Ecclesiæ dissipator, vel, quod absit, pauperum jugulator per subtractionem alimenti videatur.

Caveat sub anathematis comminatione quidquam ex bonis Ecclesiarum, sive mobilibus, sive immobilibus, donare, vendere, aut alio quocumque modo, vel colore alienare, sed ea potius omni honesta ratione augere, & Christi facultatum vere custos dicendus, & Pastor fideliter studeat observare.

Ut autem in præsenti calamitatum congerie parochialium Ecclesiarum, quantum fieri potest, consulatur indemnitati, & quæ supersunt facultates, majori conserventur cautione, decernimus, & sancimus, ut omnium bonorum, mobilium, seu immobilium, jurium, actionum, annuorum censuum, sive reddituum, cujuscumque parochialis Ecclesiæ duo inventaria Episcopi auctoritate munita conficiantur, quorum unum apud Parochum, alterum apud Ordinarium conservetur. Episcopi vero in suis visitationibus sedulo inquirent, an intacta omnia juxta instrumenti tenorem existant; quod, si quid deesse compererint, recuperare studeant, & Parochi, & cujuscumque alterius culpam, pœnis vindicent severioribus.

Parochus, qui vel vineam plantavit, vel alio quocumque modo bona Ecclesiæ auxit, impensi laboris gaudeat fructibus, nec nisi urgente canonica necessitate a parochiali officio removeatur.

Post obitum Parochi Ecclesiæ benefactoris, ejus secundum carnem hæredes, & propinqui nihil audeant, de impensi sumptus ratione in Ecclesiæ bonis vindicare, vel prætendere, eorumque temerarios ausus Episcopi anathematis gladio compescant.

Quoniam vero in nonnullis locis plures Parochi communi domicilio laudabiliter contenti, communis quoque spiritus unanimitate, quamvis in excolenda vinea Domini quandoque insudent, sæpius tamen orta inter eos contentione, quis eorum in œconomica administratione videatur esse major, dum de ambitu certant superioritatis, perturbato rerum ordine in perniciem confœderantur christianitatis; ne autem spirituale ædificium, quod charitate, & concordia coalescit, discordia maxime collabatur, præcipimus, & mandamus, ut præfati Parochi in communi domo communi mensa victitantes, minores obsequantur majoribus, & qui diuturnioris servitutis merito antecellit, in œconomica quoque rerum administratione ita antevertat, ut præter quotidianos necessarios sumptus, nec inferiores sine primi Parochi licentia, nec superiores sine Comparochorum consensu, quidquam audeant de communibus proventibus dispensare, aut alio quocumque modo disponere, sed singulis annis, ut solent, qui supersunt fructus, pro rata portione eos fideliter studeant dividere, ut de cætero charitas, quæ Deus est, individuæ unitatis in eis teneat principatum.

Quod si Parochus in oculorum cæcitatem, vel in senilem ætatem, vel alium quemcunque morbum, potissimum lepræ inciderit, nec administrandæ compos curæ fuerit, alius illi Parochus substituatur, cum quo cunctos fructus dividat, & propriæ necessitati provideat.

At vero, ubi parochiales proventus adeo tenues existunt, ut duos Parochos non patiantur alendos, ne senescente jam mundo charitas quoque refrigescat, cum omnes Parochi in uno spiritu unanimes, alieni quoque casus ducti timore nobis exposuerint, se promptos, paratosque esse, miserrimæ Parochorum impotentium paupertati singulis annis impendere, quidquid a nobis sancitum fuerit; nos digno commendationis elogio, mutuæ Parochorum misericordiæ viscera prosequentes, discretionis zelo decernimus, ut pro substentando impotenti Parocho, cui Dominicus semel ager ab eo excultus per supervenientem Curatum ad victum necessaria non valeat suppeditare, singulis annis singuli Parochi viginti occhas, ut vocant, tritici, & quadraginta argenteos, aspras dicunt, Episcopi vero duplo magis subministrent, nec ad alios alterius jurisdictionis, nisi libera charitatis electione se extendat. „

Caput III.

De Alumnis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

De alumnis Sac. Congreg.

" Ea inest Sacræ Congregationi de Propaganda Fide charitatis amplitudo, ut dum veræ Religionis cultum longe, lateque per alias mundi nationes divino zeli fervore dilatare contendit, Albanæ quoque genti iisdem beneficentiæ commodis occurrat; potissime in Collegiis sita, Albanæ juventuti bonis artibus, & disciplinis instruendæ, ad divinæ gloriæ augmentum, patriæque salutem liberaliter elargitur. At vero tantæ pietatis opus, cum nonnullis abhinc annis per filios inobedientiæ, ab instituti sui ratione degeneres, inanium vilitate prætextuum violetur, dignisque fraudetur fructibus, Alumnos monemus per viscera misericordiæ Jesu Christi, ut memores militiæ, cui nomen dederunt, peracto studiorum curriculo in patriam properantes, nihilque cunctantes revertantur, pro Deo, & Ecclesia pugnaturi, necnon animas pretioso Christi sanguine redemptas, protensisque manibus eorum opem implorantes, ab hostibus, & inimicis Crucis Christi pro viribus defensuri. Sciant se teneri, vitæ probæ, ac morum fulgore micantes, doctrinæ Evangelicæ, ac zelo animarum ardore flagrantes, veluti candelabra supra montium jugis sita, tenebras tam infidelitatis, quam hæreseos viriliter dissolvere, & intra fines propriæ provinciæ sistentes, in divinis administrandis omnem laborem, studium, operamque pro animarum salute impendere. Hoc Deo voverunt, Sacræ Congregationi spoponderunt, ut propterea piaculum sit, doctrinæ uberioris, bonorumque omnium ubertate impinguatos recalcitrare, &

a pro-

Digitized by Google

a promissa vitæ ratione, veluti nullis juvandæ patriæ legibus adstrictos, in viam efferatæ cujusdam libertatis prosilire.

Illos vero, qui post annorum seriem extra fines provinciæ, nullo fulti Sacræ Congregationis beneplacito, propriæ tantum commoditati indulgentes, adhuc non verentur commorari, si ratio officii, & debiti toties monitos, honoris, ac salutis negligentes, movere non potest, ut in provinciam revertantur, moveat saltem patriæ calamitas, moveat animarum salus, quæ per eorum absentiam depereunt, justissimo Dei judicio de eorumdem manibus repetendæ.

Rogamus quoque, & enixe in Domino obtestamur omnes, quotquot sunt, Archiepiscopos, & Episcopos, ut si quos hujus nominis Alumnos in suis Diœcesibus noverint delitescere, zelo zelantes pro pæne desolata domo Dei, in patriam remittant, nullum excusationis locum quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, quærentibus, ac falsis omnino prætextibus discriminum (quæ tamen pro animarum salute usque ad sanguinis effusionem subire tenentur) laborantibus, relinquentes.

Meminerint Alumni instituti sui celsitudinem, nullius Parochiæ finibus circumscriptam, solo esse Episcoporum arbitrio limitatam; idcirco peculiari quodam subjectionis genere Episcopis pareant, illucque exactissima promptitudine accurrant, quo ejus jussio vocat, necessitas major urget, & animarum salus, cui se perpetuo devoverunt, compellit; quicumque enim secus fecerit, sciat se inobedientiæ nota sugillandum, prætermissi quoque debiti sui rationem Deo, & præfatæ Sacræ Congregationi redditurum. „

Caput IV.

De Patribus Missionariis.

De Missionariis. " Missionariorum munus est docere, prædicare, & baptizare. Excelsum quidem ministerium, quod in Apostolicis viris ardor perpetuus, labor immensus, zelus singularis, nullisque limitibus circumscriptus complet, ac perficit. Hinc militantis Ecclesiæ strenui bellatores, Apostolorum vestigiis, ac laboribus inhærentes, cum vitiis, & concupiscentiis, cum inimicis Crucis Christi præliaturi, stare debent, succincti lumbos suos in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum Fidei, galeam salutis, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei, & qui in hac Fidei palæstra pro Deo & Ecclesia militantes, animarum salutem, Religionis catholicæ incrementum, veluti pretiosa Christi trophæa erigere jubentur, ad summos deinceps, ac vere Apostolicos labores, per hæc nostra Decreta excitantur: quidquid enim vel apostatarum impietas, vel claudicantium iniquitas, vel cæterorum Christi Fidelium præstat detrimenti infirmitas, eorum præsertim opera mandamus restauranda, quorum potissima cura fieri debent prava in directa, & aspera in vias planas, ut in se reversus videat omnis homo salutare Dei.

Ne autem dum foris sunt pugnæ, intus quoque appareant timores, ad illud primo curam omnem, & sollicitudinem intendant Patres Missionarii, ut quidquid Apostolicæ conversationis lucem obtenebrare potest, pro viribus dissolvatur, & qui verbi ministerium extra gerunt, intra domesticos quoque parietes, solitum regularis disciplinæ nitorem illibatum conservent.

Quia vero qualibet victimarum oblatione melior est acceptabile Deo sacrificium obedientia, in hujus sanctæ, ac religiosæ virtutis observantia potissimum Patres emineant, pendentes a nutu, & omnimoda directione Patris Præfecti, & quo ejus urget auctoritas, illuc exactissima accurrant promptitudine, nullis omnino excusationis prætextibus a præstanda eximendi obedientia.

In absentia Præfecti parem gerant morem ejus Vicesgerenti, sive Vicepræfecto, quem ipse Præfectus in alias regiones ex consensu Sacræ Congregationis de Propaganda Fide aliquando profecturus, ex numero Patrum, non solum ætatis gravitate, aut diuturnioris merito servitutis, sed probitatis, Religionis, prudentiæ, cæterisque eminentem virtutum fulgoribus, eligat meliorem.

In quolibet hospitio, sive domo Missionis obediant cæteri Præposito, sive Præsidenti a Præfecto, vel Vicepræfecto ad tempus assignato, illique in œconomicis subditi sint, nihil dando vel accipiendo, aut habendo sine ejus jussione. In animarum vero cura ambulent omnes cum consensu, in pari causa pares animos, ac labores impendentes, nec in excolenda vinea Domini ullo præcedentiæ, aut majoritatis ambitu efferantur, quinimo præcedentes domi auctoritate, præeminent quoque foris exemplo, aliis modum præbentes, animas pretioso Christi sanguine redemptas per incommoda, per discrimina, per vincula, per carceres, per ipsam quoque sanguinis effusionem a Dæmonis fraudibus eripiendi.

Non equitent juxta eorum regulæ præcepta sine necessitate, nec medicinam, sive chirurgiam exerceant sine Sanctæ Sedis indulto, ne dum aliorum curant infirmitates, ipsi in spiritualem morbum incidant graviorem; sciant tamen se animæ, non corporis medicos esse, ac indulgente quoque licentia ad spiritualia potius, quam ad terrena medicamina attendant, plus animæ, quam corpori impendentes.

Ne inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur, ut Seraphica jura clamant, nemo tam in Baptismi, quam Confirmationis Sacramento patrini, vel compatris munere fungatur. Nec ritum primos tondendi capillos pueris, puellisque exerceant: strictissimam enim religiosæ vitæ observantiam Apostolici Missionarii officium nec destruit, nec

Digitized by Google

nec dispensat, imo perfectam professionem perfectiori vocatione, & salubrioris instituti ratione ædificat, & confirmat.

Meminerint Patres, se coadjutores esse Episcoporum; propterea communicato mutuæ charitatis ardore, in procuranda Dominici agri ubertate, manus dent Episcopis, illosque sincera verbi Dei disseminatione adjuvent in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.

Non coarctentur tamen ab Episcopis ad examen pro confessione audienda, nec intra fines suæ Missionis ab eorum pendeant facultate, tam in exercendo munere Confessarii, quam in obeundo prædicationis officio, cum ab ipsa instituti ratione, ac privilegio hujusmodi careant obligatione.

Priusquam vero exponantur officio audiendi confessiones a Patre Præfecto, vel ab alio ad hoc specialiter deputato, examinentur circa peritiam Albanæ linguæ, ut latissimæ messis, meritique campum tutissimo cursu, & velut inoffenso percurrant pede.

Quod in superioribus, & aliis sequentibus capitulis de animarum curatoribus præscripsimus, idem quoque Patribus respective injungimus, ut rebus Religionis graviter inclinatis Apostolicos humeros supponentes reparent Domum Dei. Cumque juxta Apostolum verbum Dei non sit alligatum, non tantum sonet in Ecclesiis, sed per rura, per campos, per privata pauperum domicilia eorum vox, labor, & prædicatio decurrat, ne tepidus, aut frigidus Apostolicæ sententiæ experiatur severitatem. Væ mihi si non evangelizavero, quia dispensatio mihi credita est.

Apostolico ritu villulas suæ subditas Missioni assidue lustrent, dispersas Catholici nominis reliquias invisant, infirmos in Fide roborent, lapsos, & devios in viam salutis revocent: & redeuntibus aliis domum, alii quoque in messem nimis amplam opportuno, & continuo motu succedant. Sic enim de Christi vinea assidua peregrinatione solliciti, venientes tandem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Pater Præfectus Serviæ, & Albaniæ, semel in anno per omnes Missiones, visitationis laborem extendat, & Sacram Congregationem de Propaganda Fide, de illarum statu, ac spirituali progressu juxta traditam Episcopis methodum certioret.

Idem quoque præstabit Pater Præfectus Macedonæ, bis tamen in anno, verno scilicet, & autumnali tempore Missiones numero pauciores lustrabit.

Uterque porro charitatis discretione permotus necessarias facultates Patribus, & potissimum longiori via distantibus, communicet, ut subitis casibus opportuna applicentur remedia, ne dilato medicamine spirituale vulnus recrudescat. „

Caput V.

De Schola Corbinensi, & Alexiensi.

De scholis. " Inter cætera a Sacra Congregatione de Propaganda Fide collata beneficentiæ argumenta illud quoque numerandum est, quod provido zeli fervore externis studiis domesticam adjungens disciplinam, ad instituendos Clericos in viis Domini, & litterarum informandos rudimentis, scholam Corbinensem annua Magistro assignata pensione instituerit. Magna quidem hucusque fere in obeunda muneris sui ratione Gymnasiarchæ laborarunt negligentia, sed in ipsis potissimum præteritorum bellorum incendiis omni penitus exstincto fervidæ charitatis igniculo, tam salutaria Provinciæ exercitia fuere intermissa. Sacra Congregatio conceptæ spei exspectatione fraudata, & ipsa Dyrrhachiensis Provincia doctrinam, & morum integritatem in Ecclesiasticis viris desiderans, alio deficiente instruendæ juventutis suffragio, per assiduitatem præfati magisterii, remedia opportuna dolenter flagitare non desinit. Quapropter Corbinensi ludimagistro præcipitur, ut debiti sui memor assidua sollicitudine injuncti ministerii pensum satagat absolvere, quo & propriæ consulat conscientiæ, & Provinciæ egestati in summa idoneorum Parochorum penuria, juxta piam mentem præfatæ Sacræ Congregationis succurrat. Methodum autem docendi talem retineat, & indispensabiliter observet.

Præter legendi intelligentiam, scribendi quoque peritiam tradat discipulis, utrumque enim parochialis exercitii, ad quod talia tendunt studia, basis est, & fundamentum. Nec scriptionis rationem, veluti parva quæque despiciat; deficientes namque in hoc uno, nec latinæ linguæ studiis, nec Ecclesiastica pastorali queunt informari disciplina: hinc deplorabilis rerum status, Parochorum lugenda inscitia, & Fidelium, qui ab idoneis propterea minime reguntur, miseranda Magistrorum vitio oriuntur discrimina.

Postquam hæc prima documenta tradiderint, grammaticæ rudimentis juvenes informet, necessaria latinæ linguæ cognitione imbuendos.

Assidua Catechismi explicatione, & harum provincialium constitutionum lectione illos exerceat, ut & ecclesiasticos ritus cognoscere, & recte animarum curam suo tempore possint ministrare. Hæc de litteraria disciplina; pauca quidem, sed in magnos processura animarum progressus, si exacta, uti debent Magistri, diligentia observentur.

At pari sedulitate curandum est, ut Clerici in semita mandatorum Domini dirigantur, & forma gregis efficiendi, pietatem, Religionem, bonosque mores erudiantur.

Idcirco satagat, ut Festis sollemnioribus, & singulis mensibus conscientiam aperiant, peccata confiteantur, & si per prudentiam, & ætatem habiles sint, sacris Dominici Corporis dapibus reficiantur; modum quoque proprias conscientias exonerandi, & expurgandi illos edoceat, ut alienas quoque examinare addiscant.

Digitized by Google

Sabbato, vel alio commodiori hebdomadæ tempore libellum doctrinæ Christianæ memoriter cogat eos recitare, & per mutuas interrogationes de ipsa omni poscenti reddere rationem.

Quod si Magister animarum curam exerceat, in parochialium rerum ministerio singulos Clericos pro sua vice secum habeat, ut quod verbo illos edocet, opere quoque complendo, modum pastoralis officii faciliori exempli methodo Clericis subministret.

Obtestamur autem in Domino Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Dyrrhachiensem pro tempore exsistentem, ut pro debito pastoralis officii, pro vineæ Domini ubertate, & commissi gregis securitate, tanti ponderis ministerio continua excubet vigilantia, ne assueta Magistri negligentia discipulorum progressus desideretur, & totius Diœcesis deploretur jactura. Super hoc quidem ejus oneratur conscientia, ut si Præceptor munus obire neglexerit, Sacram Congregationem de Propaganda Fide certioret, quo desidi, & socordi alius idoneus, & muneri aptior sufficiatur.

Iisdem legibus pareat ludimagister Alexiensis, juxta piam mentem Reverendissimi fratris Georgii Episcopi Alexiensis, Vegliæ institutus, eumdem servet disciplinæ modum, eadem invigilet sollicitudine, in ipsa temporum necessitate, in Ecclesiasticæ disciplinæ jactura, & Ecclesiæ prodesse, & communi utilitati consulere piis studiis insudet, totisque viribus satagat, & incumbat. „

Caput VI.

De consulendo communibus Provinciæ necessitatibus.

De Provinciæ necessitatibus.

" Inter cæteras pastoralis officii sollicitudines, quibus incessanter premimur, illa quoque fortius nos angat, ut quidquid ad subleyandas Fidelium calamitates, populosque tam Serviæ, quam Albaniæ in Fidei sinceritate (quolibet semoto obscuritatis velamine) immobiles inviolatosque servandos conferre potest, totis viribus amplectamur, & promoveamus. Sane tot tributorum onera gravia, & intolerabilia, quibus Fidelium pauperies opprimitur, & non habentes, unde solverent, in barathrum Mahometicæ sectæ miserabiliter prolabuntur; diruptæ Ecclesiæ, quibus restauratio ad decorem Domus Dei, per manum Turcarum præpotentem denegatur; Sacerdotum quoque oppressiones, & alia malorum agmina, quæ in Provinciarum confœderantur jacturam, & Petri naviculæ partem instantibus procellis debilitare videntur, a Rectoribus quidem potissima exposcunt remedia. Clamandum plane est in naufragii periculo constitutis, & precibus ad Deum fusis dicendum: Domine salva nos, peritmus; ut qui nostris iniquitatibus offensus, hactenus in puppi dormitasse videtur, exsurgat tandem in adjutorium nostrum, & dissipentur inimici ejus, imperetque ventis, & mari, fiatque tranquillitas magna. At qui nullius creaturæ suæ indiget ministerio Deus, vult tamen pro sua benignitate humanis quoque nos insudare cooperationibus. Hæc itaque a Metropolitano Archiepiscopo Visitatore, præposita, & mature considerata attendens, statuit Sacra Synodus, ut ad Legatos Christianorum Principum Constantinopoli degentes expressa idonei viri expeditione nomine Provincialis Synodi litteræ mittantur, & eorum auxilia implorentur nostris malis opportuna, sumptus necessarios, tam pro itinere, quam pro quacumque rei exigentia, Archiepiscopis, & Episcopis singulis pro rata persoluturis. Sperandum quidem est, Deum Optimum Maximum, in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura Regnorum, quippe suscitavit Spiritum Cyri Persarum Regis, ut ædificaret ei Domum in Jerusalem, per Christianissimorum instantiam virorum, zelo zelantium pro Domo Domini exercituum, Turcarum corda immutaturum in melius ad laudem, & gloriam ejusdem Omnipotentis Dei, decorem Domus ejus, Catholicæ Religionis incrementum, Fideliumque omnium salutem, & securitatem. „

CONCLUSIO.

" Omnia, & singula pro muneris nostri, & injuriæ temporum ratione habita, & constituta Decreta Sanctissimo Domino nostro Christi in terra Vicario, universalis Ecclesiæ Moderatori Maximo, infallibili Dogmatum legislatori, & judici, ea, qua in hac nostra Synodo legitime congregata debemus, humilitate, genibus in obedientiam flexis, submittimus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matri, & Magistræ, nec non Sacræ Congregationi Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum emendanda, & corrigenda ad laudem Omnipotentis Dei, Fideique propagationem toto animi obsequio subjicimus. „

Nos Vincentius Zmajevich Archiepiscopus Antibarensis Serviæ Primas, Visitator Apostolicus Albaniæ, definientes subscripsimus.

Ego Petrus Zumi Archiepiscopus Dyrrhachiensis assentiens subscribo.

Ego Petrus Caragich Archiepiscopus electus Scuporum assentiens subscribo.

Ego Georgius Episcopus Sappatensis assentiens subscribo.

Ego Nicolaus Uladagni Episcopus Alexiensis assentiens subscribo.

Ego Antonius Babbi electus Episcopus Scodrensis assentiens subscribo.

Ego Marinus Gini electus Episcopus Pullatensis assentiens subscribo.

Fr. Ægidius de Armento Præfectus Apostolicus Missionum Albaniæ meo, & PP. Missionariorum nomine assentior.

Ego Fr. Franciscus Maria a Lycio Præfectus Apostolicus Missionum Macedoniæ meo, & Missionariorum nomine assentior.

Ego Fr. Martinus a Gionima Minister Provincialis meo, & Patrum de Observantia nomine assentior.

Fr. Raymundus Gallani a Secretis.

An-

Digitized by Google

Vincentii Archiep. eximiæ virtutes.

Annos circiter duodecim Vincentius provinciam Antibarensem oppido laboriosam & difficilem administravit. Sed tanta erat in Deum fiducia tantaque animi magnitudine sibi divinitus indita, ut Deo fretus nihil sibi arduum, nihil asperum ducens, ubicumque divinus honor, aut salus animarum agebatur, nulli cederet difficultati, nullis incommodis, nullis periculis parceret; ita nihil moliebatur quod non efficeret; nihil inchoabat, quod non absolveret. Tantam vero auctoritatem & benevolentiam illi conciliaverant tum egregia facta & præclara; tum vis dicendi & persuadendi cum intaminata morum innocentia, vitæque sanctitate conjuncta, ut voluntates hominum, quo vellet, impelleret, unde vellet deduceret; quin imo cum ipsis primoribus & magistratibus Turcarum sic agebat, tamquam potestatem habens, ut nihil ab illis peteret, quod non impetraret. Clemens XI. ut labores & ærumnas, quibus in Albania & Serblia rei Christianæ tuendæ et augendæ causa perfunctus fuerat, aliqua remuneratione compensaret, Vincentium ex Antibarensi provincia plena curarum & periculorum ad Jadertinam, tamquam ad portum tutissimum & tranquillissimum transtulit anno 1713. Verum, antequam Antibari Jaderam abeuntem dimittamus, illustre monumentum hic apponi libet, quod civi suo præstantissimo Perastini ad perpetuam posterorum memoriam in templo Georgiano ab latere dextero apud exedram post Apostolicam Albaniæ & Serbliæ peragrationem incidi voluerunt.

Transfertur ad Ecclesiam Jaderensem anno 1713.

Ejus elogium.

D. O. M.

Vincentio Zmajevich Majorum gloria celebri, propria virtute celebrieri, Andreæ Zmajevich Archiep. Antibaren. ex fratre Nepoti, Sac. Congreg. de Propaganda Fide Alumno, Philosophiæ ac Sac. Theologiæ Doctori, Abbati Perastino, ejusdem Sac. Congreg. ad Missiones Albaniæ, Serviæ, Macedoniæ Commissario, a Clemente XI. Pont. Max. ad Sedem Antibaren. evecto, a Marino Drago Catharen. Antistite in hoc Templo sacra Infula redimito, totius regni Serviæ Primati, Buduensi Administratori, in tota Albania, Servia & Macedonia mira Ecclesiastica libertate peragratis Visitatori Apostolico, Concilii Albani in media tyrannidis Othomanicæ absque exemplo celebrati Auctori eximio, Sanctæ Sedis amplissimis facultatibus prædito per easdem Provincias Commissario, tot tantisque titulis ac meritis insignito, XXXIII. annos nato, ad Patriæ gloriam & Familiæ honorem omnium voto Communitas erexit Anno MDCCIII.

ÆGIDIUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XLVI.

Ægidius e Sappatensi ad Antibaren. Ecclesiam translatus an. 1719.

Cognomento Quinctius, natione Lucanus, vitæ instituto Franciscanus severioris disciplinæ, idemque Episcopus Sappatensis, quem Clemens XI. ex hac Ecclesia ad Metropolim Antibarensem post quinquennium Interregni Episcopalis migrare jussit anno 1719. 8. *Februarii ab Eccl. Sappaten. transtulit Ægidium ad Antibaren. vacan. per transl. Vincentii*; in act. Consist. Dum Ecclesia Antibarensis Archiepiscopo carebat, anno hujus sæculi XV. Rex Turcarum, violata fide induciarum, quas in plures annos cum Venetis pepigerat, bellum iisdem imparatis, & hostium alio spectare simulantium perfidia deceptis intulit. Amissa est Peloponnesus; sed non infeliciter in Dalmatia res gestæ. Cum vero Carolus Imperator cum Venetis fœdus sociale junxit anno 1716., prospera deinceps multa consecuta sunt; & fines imperii Veneti in hac provincia propagati. Annus proximus magnam spem attulit Antibaris recuperandæ. Sebastianus Mocenicus supremus in Dalmatia imperator Veneti exercitus classem militibus rebusque necessariis instructam intra finem Septembris tria fere ab urbe millia passuum ad littus applicuit, & copiis in terram expositis Antibarim obsidere, omnique balistarum genere oppugnare cœpit. Jamque dies fere quindecim oppugnatio fervebat, acriterque urgebat obsessos, cum, autumno jam adulto, & procellis, turbinibus ac tempestatibus obnoxio, Mocenicus veritus, ne, si diutius obsidio traheretur, magnum in discrimen classem adduceret, oppugnatione relicta, parat profectionem. Placuit prius tormenta & omne bellicum instrumentum in naves imponi; postea jubet milites sub signis conscendere; ac utrumque sine tumultu & insectatione hostium perfecit. Ita, re infecta, discessum est Antibari, & civitatis recipiendæ spes omnis evanuit; quæ tamen anno insequenti rursus affulgere visa fuit, cum idem imperator Olchinium infame piratarum receptaculum obsedit, cœpitque vehementi oppugnatione impetere; quo in potestatem redacto, consilium erat rursus Antibarim adoriri. Sed Cæsarem bellum aliunde illatum a bello Turcico avertit, & pace cum hostibus constituta Venetos quoque ad pacem cum iisdem faciendam compulit. Itaque anno 1718. pax importuna Venetos coegit copias terrestres ac maritimas ab Olchinii obsidione abducere. De Ægidio Archiepiscopo nihil præterea mihi compertum. Huic vero plurimum debet historia nostra Illyrici sacri, præcipue hujus Antibarensis Ecclesiæ; sua etenim humanitate atque eruditione vix dici queat, quantum & P. Philippo Riceputo, & Pacifico Bizzæ ejusdem socio profuerit, cum ad conquirenda, colligendaque Illyrica monumenta Dalmatiam, & finitimas circum regiones peragrarent.

Spes Antibarim a Turcis recuperandi in irritum cadit.

MATTHÆUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XLVII.

Matthæus Archiep. Antibarensis.

Honesto loco natus est Perasti ex familia Sctacanovichia, de quo præter nomen & patriam nihil aliunde nancisci potui, ac ne annum quidem suscepti & depositi Pontificatus. Anni jam quadraginta effluxerant ab pro-

Digitized by Google

mulgatione Albani Concilii, quo res sacræ & ecclesiasticæ tum Serbliæ, tum Albaniæ sancte sapienterque fuerant compositæ, & utiliorem, ac splendidiorem in formam restitutæ. Verum, ut est humana conditio, Concilii decreta partim calamitosis illarum regionum vicibus, partim pravorum hominum malitia, nec minus Antistitum incuria desidiaque negligi cœperant, & in dies abjecta fieri atque obsoletiora. Hinc & graves morum, ac disciplinæ abusus, violata præsertim Fidei atque religionis integritate, late adeo pervasere, ut illas gentes in summum animarum discrimen, atque exitium adducerent. Delatæ igitur querelæ de infelici Albanensium Ecclesiarum statu ad Benedictum XIV. permovere facile animum Pontificis, ut pro suo munere tantæ rerum calamitati consuleret, & promptum afferret remedium atque opportunum. Quare anno 1744. datis encyclicis litteris ad universos Serbliæ, Albaniæ, finitimorumque locorum Archiepiscopos, & Antistites cæteros, Albani primum Concilii leges qua Pontificia auctoritate confirmat, & iisdem obtemperari omnino præcipit, qua vero aut explicat clarius, aut commendat impensius, aut copiosius illustrat; deinde singula percurrens, quæ de religione, quæ de Sacramentis, præcipue de Matrimonio, quæque de Cleri disciplina & Christianorum moribus maxime animadversione atque correctione indigebant, paternum revera affectum, & omnem pastoralis vigilantiæ curam atque sollicitudinem in illius gentis salutem, atque præsidium solatiumque impendit, & amantissime declaravit. Has exscribimus e Tomo I. Bull. Benedict. pag. 734. edit. Ven.

Litteræ encyclicæ Benedicti XIV. ad Antistites, Clerum & Populum Serbliæ totius.

Venerabilibus Fratribus, dilectis Filiis, Archiepiscopis, & universo Clero & Populo regni Serviæ, aliarumque finitimarum Regionum.

Benedictus Papa XIV.

Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Inter omnigenas calamitates, quibus Ecclesiæ filii sub infidelium dominatione degentes undique opprimuntur, quibusque omnibus paterna charitate compatimur, non aliæ magis animum nostrum sollicitant atque urgent, quam quæ sunt ejus generis, unde animabus Christi sanguine redemptis perditionis occasionem oriri, & catholicæ Fidei, disciplinæque integritati detrimentum inferri posse veremur. Ex quibus, cum illæ, quas in Serviæ regno sub durissimo Turcarum jugo jamdiu sustinetis, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, multis ex partibus alias ad aures nostras pervenerint, tum vero novissime per Ven. Fratrem Joannem Baptistam electum a nobis & constitutum Archiepiscopum Scopiæ distinctius expressæ, ac pæne ob oculos nostros expositæ incredibili nos dolore affecerunt. Licet enim inter gravissimas vexationes & persecutiones ab infidelium crudelitate, & schismaticorum odio illatas assiduam Pastorum istius regni vigilantiam ac sollicitudinem in proprios greges, firmamque populorum in Fide ac pietate constantiam commendare, immo & admirari debuerimus, plures tamen dolendi caussas nobis attulerunt tum nonnullorum ex iis infracta & fluctuans, vel etiam arbitraria in maximi momenti rebus agendi ratio, tum invecta inter plerosque Fideles ex alienigenarum consortio morum ac disciplinæ corruptela, præsertim vero turpis Christianæ professionis occultatio ad infidelitatem accedens, qua plures in istis regionibus uti temporalium damnorum timore perhibentur.

Debuerunt quidem pleraque ex iis, quæ contra Fidei & morum puritatem inter istarum Ecclesiarum Fideles irrepsisse dicuntur, vel anteverti, vel introducta corrigi, atque emendari per satis notas Pontificii & Canonici juris sanctiones, & per Apostolicæ Sedis decreta per organum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpositorum sæpius emanata, potissimum vero per ea, quæ statuta fuerunt in Albano Concilio, quod sub fel. rec. prædecessore nostro Clemente XI. ab istius regni Primate pro universo Clero & Populo Albaniæ & Serviæ indictum & celebratum fuit. Ideoque prædictas omnes juris ecclesiastici, & Sedis Apostolicæ leges vobis omnibus in memoriam revocantes, earumque studium & observantiam impense commendantes prædictum Concilium Albanum vestris præcipue rebus ac temporibus accommodatum & opportunum omnino teneri, ac per omnia observari præcipimus volentes, ut omnes istius regni Archiepiscopi, Episcopi & Missionarii, & reliqui animarum curam habentes aliquod illius exemplar apud se habeant, atque ad illius normam suos & populorum mores exigere studeant & conformare.

Concilii Albani commendatio.

Attamen ut graviores abusus ad Fidei, morum ac rituum integritatem pertinentes, quæ ex istis regionibus ad nostram notitiam pervenerunt in specie, penitus tollantur, ac perpetuo eliminentur, postquam eosdem accurate ac diligenter per nosmetipsos perpendimus, & examinavimus, ea, quæ sequuntur, decretu non sine Ven. Fratrum nostrorum consilio perferre ac vobis denuntiare statuimus; quorum dispositiones a vobis omnibus, ad quos attinet, utpote utiles ac necessarias, libenter amplectendas esse in Domino confidimus; & nihilominus auctoritate Apostolica exactissime impleri & custodiri mandamus.

Ordientes itaque a negotiis Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, omnibus & singulis istius regni Fidelibus, qui Ecclesiæ Catholicæ communionem retinere cupiunt, districte præcipimus atque jubemus, ut caveant, ne ad occultandam, quum licitum & necesse est aliquando, Christianæ religionis professionem aliqua faciant aut admittant contra Evangelica præcepta & instituta, præsertim vero quæ protestationem includunt mahumetanæ sectæ. Ideoque si circumcisionem susceperint, sciant, quod Christus ipsis, Apostolo attestante, nihil proderit. Nomina Turcica, quorum nec memores es-

De professione Fidei.

Digitized by Google

esse deberent, per labia sua assumere, abominanda infidelium templa, quæ Moscheas vocant, frequentare, Ecclesiasticorum jejuniorum dies carnium esu profanare, & hæc eo fine, ut Mahumetani credantur, prorsus vitent. Hæc enim omnia, etsi fides Christi in corde teneatur, fieri nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione sinceritati Christianæ contraria, quæ mendacium in re gravissima continet, & virtualem Fidei negationem maxima cum Dei injuria proximique scandalo includit.

Multo vero magis cum a publica potestate interrogantur, illicitum sibi esse sciant, mahumeticæ sectæ se addictos profiteri; sed illud noverint esse tempus, quo eos oportet sumentes scutum Fidei non solum corde credere ad justitiam, sed etiam ore Christum confiteri ad salutem; alioquin, si eum coram hominibus negare ausi fuerint, & ipse negabit eos coram Patre suo.

Impius pariter & illicitus est illorum Serviæ Christianorum abusus, qui ex hac vita migraturi cadavera sua Turcarum sepulturis mandari cum istorum assistentia, & mahumeticis adhibitis ritibus permittunt aut jubent. Etenim si Christum in vita erubescere minime debent, quanto minus cum ejusdem tremendo judicio sistendi sunt, ne & ipse eorumdem nomen coram æterno suo Patre erubescat.

Munus itaque Episcoporum, Parochorum, & Missionariorum erit, serio Christianos illos, qui supradicta cum ingenti Fidei injuriæ nefarie præsumunt, docere & admonere, quod frustra sibi de Christianæ legis custodia & zelo, deque filiorum in eadem educatione blandiantur; quoniam vel in uno istorum deficientes facti sunt omnium rei. Itaque ipsis aperte denuntient, quod quisquis metu cujuslibet potestatis, vel temporalium amittendorum formidine Fidem suam prodit, iram Dei super se provocat, seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit, quoniam magis timet hominem, quam Deum, & momentanea retinere, quam æterna acquirere mavult. Siqui autem obstinati in hujusmodi via impiorum pergere velint, incapaces erunt Sacramentorum in vita, & si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem, ad quæ nullus Ecclesiæ Minister illos admittere præsumat; alioquin a proprio Episcopo canonicis pœnis ad præscriptum etiam supradicti Albani Concilii plectendus erit.

De mulierum cum Turcis convictu, earumque filiis.

Arcendæ pariter a Sacramentis Ecclesiæ sunt illæ mulieres, quæ nuptiarum nomine in Turcarum contubernium admissæ celantes Christianæ religionis professionem ibi vitam agunt ab omni religionis exercitio remotam, eisque a Pastoribus denuntiandum est, ne salutis æternæ fiduciam collocent in ea Fide, quam sine operibus mortuam in corde tantum utiliter conservare posse sibi persuadent.

Istarum vero filios, quos Parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitæ periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere prædicti Parochi minime dubitent, admonitis matribus, ut, si convaluerint, ipsos in Christiana religione educare sedulo curent. De iis vero, qui validam ac vivacem corporis constitutionem præseferunt, & nullo superstitioso fine, sed unico salutis obtinendæ voto ad baptismum a supradictis matribus offeruntur, quoniam impossibile est singulas rerum circumstantias exponere, quæ suadere possunt, vel eos in Evangelicæ legis & fidei cultu perseveraturos, vel Christiana educatione fraudatos ab hujusmodi matribus Mahumetani patris impietatem esse secuturos, perpensis etiam infantilis ætatis periculis, ob quæ tertiam plerumque hominum partem ante completum decennium exstingui ferunt, nihil expresse jubendum censemus; Ecclesiæque Ministros dumtaxat hortamur, ut, invocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti, juxta illius ductum, & prudentiæ suæ dictamina se gerant. Quod si eos ad Baptismum admitti posse crediderint, ne omittant matribus inculcare districtam obligationem, qua tenentur hujusmodi Ecclesiæ filiis, si ad rationis usum pervenerint, notam facere veritatem Dei, eosdemque in disciplina & correctione Domini educare.

De matrimonio.

Illud etiam grave ac permolestum auribus nostris accidit, Concilii Tridentini decreta de Sacramento matrimonii ab aliquibus non observari in istis regionibus, in quibus debitam eorum publicationem jamdiu secutam fuisse, ipsius Albani Concilii testimonio comprobatur. Itaque omnes istarum partium Fideles supradictis decretis teneri declarantes irrita omnino & nulla esse definimus prætensa matrimonia, quæ coram solum Turcarum judice Caddì dicto, vel etiam absque isto per solos sponsos, & non ad prædicti Tridentini Concilii præscriptum contrahuntur. Quique hujusmodi nullas & clandestinas nuptias contraxerint, & post contractas convivunt, tamquam in illicito concubinatu versantes, nisi de præterito pœnitentiam agant, & justo matrimonio in facie Ecclesiæ jungantur, a Sacramentorum participatione arceri præcipimus.

Matrimonio autem a Fidelibus rite contracto, eisdem minime permittimus ne quidem ob causam uxorum a Turcarum raptu servandarum, idem coram Caddì per procuratores Turcico ritu renovare, nisi tamen Mahumetanus nuptiarum ritus sit mere civilis, & nullam Mahumetis invocationem, aut aliud quoddam superstitionis genus includat. Etsi enim non per seipsos, sed per procuratores id peragant, nunquam tamen illius delicti insontes haberi debent, quod ipsorum auctoritate vel mandato committitur.

Quoad proclamationes vero a Tridentino Concilio statutas, licet in Servia minime usu firmatæ asserantur, cum tamen in prælaudato Concilio Albano Parochis etiam Serviæ præscribantur, adempta dispensandi facultate extra urgentis necessitatis occasionem, nos idem omnino, quum fieri potest, observari præcipimus.

Quod si alicujus Fidelis uxor ad Turcas confugiat, & cum aliquo ex istis nefarias nuptias contrahere audeat, non licet viro aliam uxorem in illius locum ducere, cum matrimonium

nium jure divino, conjugibus superstitibus, indissolubile per hujusmodi mulieris facinus non dissolvatur. Unde qui in tali casu alteram ducit, mœchatur, & nisi ab ea omnino separetur, a Sacramentis arcendus est.

Et quidem de hujusmodi mulierum salute, nisi pœnitentiam agant, quid judicandum sit, omnibus patet. De mulieribus autem Christianis a Turcis per vim raptis, iisdemque violenter, vel in pueritia nuptis, quæ nullo sacramentalis fidei jure conjunctæ in illicito concubinatu cum infidelibus perseverant, idem omnino statuimus, quod in prædicto Concilio Albano decretum fuit, ut scilicet illis sacramenta denegentur, nulla ratione habita vel prætensæ illarum in Christiana Fide perseverantiæ, vel violentiæ in puerili ætate a Turcis illatæ, vel etiam quod unicæ aut potioris & justæ uxoris loco a Turcis habeantur, cum ista nullum jus tribuant in concubinatu & fornicatione degentibus ad percipienda Sacramenta, nullamque sacerdotibus ad eadem indignis ministranda præbeant facultatem.

De dispensationibus matrimonialibus.

Circa dispensationes matrimoniales caveant Episcopi & Missionarii Serviæ, ne facultatibus sibi ab hac sancta Sede communicatis inconsulte vel erga immerentes utantur, neve terminos suæ potestatis transiliant. Nullas itaque dispensationes concedendas esse statuimus illis Christianis occultis, de quibus dictum est, quod Mahumeticos simulent ritus. Etenim isti, cum Christum erubescant, gratiarum Ecclesiæ, quæ Christi sponsa est, indignos se faciunt. Præterea nullas dispensationes concedant in iis casibus, quibus matrimonia juxta ritum Ecclesiæ Catholicæ, ut supra dictum est, & valide & sancte celebranda non esse præviderint. Tunc enim non dispensationes, sed dissipationes & incontinentiæ fomenta essent, a quibus fidelis prudensque minister Christi omnimode abstinere tenetur.

Specialiter autem advertant, eam facultatem inter cæteras ipsis communicatas non reperiri, dispensandi scilicet super impedimento justitiæ publicæ honestatis proveniente ex matrimonio rato, quod alias inter alterutram partem & alterius consanguineum in primo gradu intercesserit, sed ante consummationem vel morte, vel aliter legitime solutum fuerit. Hoc enim impedimentum fortius est eo, quod ex sponsalibus oritur, idcirco ab hujusmodi dispensatione concedenda abstinere debebunt.

De nuptiis & cognatione spirituali.

In celebratione nuptiarum observentur tempora ab Ecclesia Catholica præscripta. Quod si infra vetitos dies Mahumetani suas nuptias celebrantes aliquem ex Fidelibus officii caussa invitaverint, quoniam Ecclesiæ præcepta ad eos, qui foris sunt, minime pertinent, non prohibentur Catholici Serviæ Christianam modestiam secum ferentes illis interesse, dummodo fieri possit absque Creatoris injuria, & offensione Fidelium & Ecclesiæ Dei, & nulla in Turcarum nuptiis Mahumetis invocatio, nullique superstitiosi ritus intercedant, quibus invitati ore vel opere jungi debeant & consentire. Quæ tamen Infidelium consortia & profana convivia, si quantum poterunt, devitare curabunt, multa sane animarum pericula præcavebunt.

Quod pertinet ad cognationem spiritualem, sapientissima Concilii Tridentini decreta, quacumque in contrarium consuetudine minime obstante, in Servia omnino observari mandamus. Itaque nec eam, quæ oritur ex Sacramentis Baptismi & Confirmationis, ultra personas & gradus ab eodem Concilio præfinita extendi permittimus; nullam vero spiritualem cognationem aliunde oriri, & in specie ex assistentia matrimonio præstita etiam ad contrahentium invitationem, sicuti nec inter eos, a quibus capilli pueris primo tondentur, expresse declaramus. Urget enim ratio prædicti Conciliaris decreti, ne scilicet propter multitudinem probibitionum contingat sæpius, in casibus probibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel cum peccato perseveretur, vel quæ cum scandalo dirimi debeant. Quod cum sapienter statutum fuerit circa ea spiritualis cognationis genera, quæ jam in Ecclesia recepta erant, multo majori ratione obtinere debet in aliis hujusmodi speciebus, quæ in Ecclesia Catholica ignotæ infectum a Schismaticis principium habent, quorum est alligare hominibus onera gravia & importabilia, digito autem suo ea non movere. Itaque & istorum scandalum, siquod acceperint ex hujus decreti inter Fideles observantia, secure contemnendum est.

De sacris ritibus.

De sacris autem ritibus, in quibus istarum regionum Ecclesiæ Romanam hanc reliquarum omnium matrem & magistram in speculum sibi & exemplum proponentes non alio, quam Romano Missali, Rituali, ac Cæremoniali, uti perhibentur, hortamur Ven. Fratres Archiepiscopos & Episcopos, ut nihil in hujusmodi tuta ac laudabili consuetudine immutari, & tam in Sacrorum celebratione, & Sacramentorum administratione, quam in Benedictionibus & Exorcismis, non aliis quibuscumque aliunde petitis ritibus, cæremoniis & precationibus quocumque prætextu aditum reserari permittant.

De Baptismo.

Videant autem, ne forte leves sint, aut inanes causæ illæ timendi, quæ passim afferuntur, pro omittendis in baptismatis administratione cæremoniis a Rituali Romano præscriptis, quas etiam, cum ex veris gravibusque causis prætermitti contingat, primo quoque suppleri curabunt. Neque enim sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis, tantæque antiquitatis ritus, atque ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime necessarii.

Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis, justique timoris ab infidelibus incussi communis & naturalis aqua, vel etiam ea, quæ pro lustrationibus benedicitur, in baptismi administratione adhibeatur, ac temere omittatur usus aquæ ad hunc præcise effectum benedictæ juxta præscriptum Ritualis Romani. Vix enim sine maxima incuria, vel inani timore juxta sensum etiam Albani Concilii evenire potest, ut in Ecclesiis Parochialibus, ubi illæ existunt, Baptismales fontes statutis temporibus & ritibus non benedicantur, aut Sacrorum Oleorum ad hoc sufficiens copia non suppetat.

In-

Digitized by Google

De Eucharistia. *Invigilent pro pastoralis muneris implemento, ne Fidelibus quocumque in loco degentibus Sacerdotes Catholici desint, qui ipsis in Paschatis solemniis sacrosanctam Eucharistiam ministrare possint, tum ut Lateranensis Concilii pro omnibus utriusque sexus fidelibus decretum observetur, tum ut in communi totius Ecclesiæ de Resurrectione Domini lætitia hoc vivifico pabulo, quod symbolum quoque unitatis est, Ecclesiæ filii reficiantur ac nutriantur. Quod si propter locorum & temporum infelicitatem eveniat, ut infra duas hebdomadas, quæ a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis intercurrunt, nullatenus id fieri possit, tunc, ut eidem præcepto vel in Quadragesima, vel in solemniis Pentecostes, præviisque diebus juxta proprii Sacerdotis consilium a populis istarum Serviæ regionum satisfieri valeat, harum litterarum tenore concedimus & indulgemus.*

Dolenter vero nimis accepimus, vel adeo desertas & ruinosas esse istarum regionum Ecclesias, vel adeo insolescere infidelium furorem, ut sanctissima Eucharistia neque decenter, neque tuto, ut par est, asservari possit, unde eveniat, ut plerique fideles infirmi absque salutari Viatico naturæ debitum solvant. Porro gravissimo huic malo, quantum fieri potest, occurri & provideri debet. Quamobrem infirmorum notitia per Parochos anxia diligentia est inquirenda non tantum pro iisdem Pœnitentiæ Sacramento expurgandis, christianisque monitis ac spiritualibus consolationibus juvandis ac sublevandis, verum etiam ut sanctissimo Christi Corpore reficiantur, atque ad extremum agonem subeundum muniantur. Itaque, ubi alicui ex fidelibus mortis periculum instare perspiciant, prædictum Sacramentum Eucharistiæ quamprimum ipsi ministrent; &, si quidem sine periculo possint, ab Ecclesia sumptum, si aliqua ibi exstiterit, ad infirmi domum deferre debeant; cum extra summum necessitatis casum apud infirmos in ædibus non sacris Missam celebrare non liceat.

Dum autem Sacerdos tantum Sacramentum ad infirmos defert, decreta in Albano Concilio promulgata adamussim observet, quibus præcipitur, ut indutus superpelliceo stolaque utrique humero circumsepta, & præcedente uno saltem lumine, hymnos & psalmos submissa voce recitans, in sacra pyxide vel in calice mundo velamine cooperta ambabus manibus illud ante pectus tenens devote deferat. At ubi, sicut ibidem additur, Turcarum vis prævalet & iniquitas, Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo, seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; & nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli in defectu Clerici associetur.

De Sepulturis. *Denique circa sepelienda fidelium cadavera omnes Turcarum superstitiones devitentur, a quibus profecto impuram originem trahunt superstitiosi quidam ritus, veluti lotiones, quæ incenso thure, & earumdem precum recitatione, quæ a Catholica imprecantur Ecclesia, peraguntur. Itaque abstinentes, quantum poterunt, ab omni specie mala, & infidelium imitatione discant istarum regionum populi, nihil in hujusmodi ritibus contineri, quod necessarium sit ad defunctorum salutem atque suffragium; Turcarum vero dicteria & cachinnos, inanesque schismaticorum sermones pro nihilo habeant.*

De Fide & religione conservanda. *In æstimandis autem periculis, quorum interventu in supra enuntiatis verum generibus Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem relaxari posse declaravimus, universos istarum regionum fideles, præcipue vero animarum Pastores monemus, itidemque rogamus, ut abjectos animos Christiana virtute erigentes, quid vere timendum sit, quid contemnendum, examinent; & non in angustia & metu terrenarum potestatum, sed in amplitudine charitatis, & ardore dilectionis, quæ foras mittit timorem, Dei & Ecclesiæ præcepta observent, & animarum curam administrent. Quod si solam Turcarum insultantium formidinem, aut levium incommodorum periculum ad transgredienda Christianæ professionis instituta, vel ad negligendum animarum sibi creditarum regimen justam sibi causam esse judicaverint, vere de ipsis dici poterit, quod ibi trepidaverint timore, ubi non erat timor. Idcirco Ven. Fratres Archiepiscopos, & Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesias istas gravissimarum calamitatum cumulo vexatas, hortamur in Domino & obsecramus, ut inanes hujusmodi timores ex inferiorum Ecclesiæ ministrorum, omniumque fidelium pectoribus excutiant, eosque erigant atque excitent, ut calcatis æque mundi blanditiis atque terroribus per arduam angustamque semitam Christum Ecclesiæ caput ad sanctificationis fastigium invitantem constanter sequantur.*

Agnoscant porro singularem in ipsos Dei nostri misericordiam, qui, dum terribili judicio in aliis regionibus infidelium dominationi subjectis Christianam religionem penitus conculcari & exstingui permisit, in isto tamen Serviæ regno veritatis suæ lumen vigere voluit, quo respicientes homines in angustiis & tribulationibus constituti & consolationem acciperent in hac vita, & ad meliorem ac beatiorem aliam assequendam perducerentur.

Itaque, Ven. Fratres, dilecti filii, cogitate etiam atque etiam, & præcavete, ne per ingrati animi vitium divinæ erga vos pietatis fluenta siccentur, & auferatur a vobis regnum Dei, cujus legibus obtemperare, & recte constitutos mores servare contempseritis.

Quod si supra exposita decreta, quibus vestram agendi disciplinam ad sanctissimarum Ecclesiæ legum puritatem cupimus revocare, quæque vobis omnino exsequenda per has litteras nostras auctoritate Apostolica denuntiamus, gravia vobis videbantur & importabilia, videte, ne ad leve Christi onus ac suave ipsius jugum eam gravitatem & molestiam vestra opinione transferatis, quæ ex superaddita temporalium bonorum vel retinendorum sollicitudine, vel acquirendorum cupiditate proficiscitur. Hæc si abjeceritis, & mundi servitutem cum ea, quam Christo professi estis, minime conciliandam esse duxeritis, profecto levia vobis

omnia

omnia & expedita in Christiano legis observantia videbuntur. Fidelis est autem Deus, qui non patietur vos ab infidelibus vexari ac tentari supra id, quod potestis, & faciet etiam ex tentatione proventum, & momentanea tribulationum vestrarum aterno gloriæ cumulo abunde rependet. Quod ab ipso Patre misericordiarum, & Deo totius consolationis vobis ex animo adprecantes Apostolicam benedictionem vobis omnibus impartimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 2. Februarii anno Domini MDCCXLIV. *Pontificatus nostri anno IV.*

MARCUS IV. ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XLVIII.

Marcus de Luchis Archiep. Antibaren. anno 1745.

Ortus est anno 1689. ex familia de Luchis apud Susanum oppidum diœcesis Antibarensis, quem Benedictus XIV. ex Episcopatu Pulatensi ad Sedem Archiepiscopalem Antibarensem evexit anno 1745. VII. Id. Martii. Quatuor annos præfuit. Huic Metropoli dum præsidebat, Episcopi Albanenses utriusque provinciæ Antibarensis & Dyrrhachiensis cum utroque suo Metropolita duo postulata ad Sacram Congregationem de propaganda Fide detulerunt; alterum, utrum arma & ferrum & alia bellica instrumenta, itemque funes, rudentes, vela, antennas aliaque ad naves instruendas ornandasque necessaria devehere ad Turcas liceret; alterum erat, an Christiani Turcica nomina sibi suisque filiis salva conscientia imponere possent.

Decreta duo sacræ Congreg. de Propag. Fide.

Et ad primum quidem datæ fuerunt in hanc sententiam litteræ encyclicæ pridie idus Martias anni 1747., & quidem Benedicti Pontificis auctoritate, ne molestia ulla afferretur Catholicis Albanensibus, *si suis navibus ad Turcas, nullo inter hos & Christi fideles indicto bello, transveherent sclopos majores atque minores, sarissas, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalibem, ferrum, aurichalcum, æs, funes, aliaque ad onerarias aut bellicas naves instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum & quantitatem, quemadmodum plerumque fieri dignoscitur, ac firma cæteroquin & illæsa permanente prohibitione transvehendi, sive pax vigeat, sive bellum ardeat, mortaria, incendiaria pila, tormenta bellica majora, aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero, quod tamen rarius contingit. Qua inita ratione, satis provisum putamus, ut & prohibitio, quantum necesse est, sarta tecta servetur, & miseris illis Christi fidelibus nihil iniquo animo molientibus in religionis sodales facultas relinquatur comparandi sibi victum, ac evadendi violentias atrocesque persecutiones sibi ab iniquis dominis imminentes.* Hæc idem Pontifex Benedictus in suo opere de Syn. diœc. lib. 13. cap. 20. num. 7. qui ibidem disserit docte eruditeque de hujusmodi materie; de qua vide etiam in Tom. VI. Operis nostri, quid Adrianus VI. anno 1523. & Clemens VII. anno 1525. Ragusinis permittendum censuere. Ad alterum vero quod attinet, nefas omnino esse decretum est, Turcica nomina Christianis hominibus imponere, ut eodem in loco Benedictus declarat, & suis literis anni 1754. paullo post describendis confirmavit; ac in Albano Concilio cap. 3. æque fuerat definitum,

LAZARUS ARCHIEPISCOPUS ANTIBARENSIS XLIX.

Lazarus Archiep. Antibarensis anno 1749.

Patria Scodrensis in lucem editus anno 1704. e nobili familia Vladagnia. Cum in Collegio Illyrico Lauretano apud Patres Societatis Jesu literis politioribus, itemque Philosophiæ ac Theologiæ operam dedisset, Doctoris nomen & insignia sumpsit. Reversus in patriam anno 1735. primum Parochi, deinde Generalis, postea Capitularis, iterum Generalis Vicarii munere summa cum laude functus est. Illum Benedictus XIV. Ecclesiæ Sappatensi Episcopum dedit anno 1746. & post triennium Metropoli Antibarensi Archiepiscopum præposuit XII. Kal. Augusti anno 1749. Diœcesim ingenti æque utilitate animarum ac labore lustravit. Postea suas ad Sacram Congregationem litteras dedit, in quibus loca omnia, quæ peragravit, nominatim percensuit; quis esset in illis status rei Christianæ, quibus vitiis & difficultatibus laboraret, quæ ipse adhibuisset remedia, diligenter exposuit. His litteris postulatum quoddam subjecit, videlicet quid cum illis Christianis agendum esset, & quomodo illorum conscientiæ consulendum, qui vel prædia ecclesiastica bello injusto a Turcis occupata, & Christianis aut divendita, aut ad colendum locata retinerent; vel qui areas sacrarum Ædium dirutarum ad suas domos illis proximas, & agros ac fundos earumdem illis contiguos adjunxerant; periculum esse, ne, si Christiani bonorum illorum & prædiorum, quæ vel emerant vel usurpaverant, possessione decedere cogerentur, ingentes turbæ fierent, & magni tumultus exsisterent, qui sine dubio in rei Christianæ detrimentum ac perniciem vergerent. Quid Archiepiscopo rescribendum esset, Benedictus XIV. suis ad Nicolaum Lercarium Præsulem, qui sacræ Congregationi de propaganda Fide a secretis erat, litteris significavit, in quas multiplicem doctrinæ atque eruditionis copiam congessit ex theologis, ex juris utriusque peritis, e superiorum temporum exemplis collectam.

Ejus litteræ ac postulata ad Sacr. Congreg.

Benedictus Papa XIV.

Dilecte fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Benedicti XIV. responsum.

Urbem Antibarum, italice Antivari, *eo nomine appellatam, propterea quod in ora illius regionis, quæ nunc Albania dicitur, contra Barium Apuliæ civitatem constituta sit, jamdiu, ut nosti, Othomanicæ Dominationis ju-*

jugum premit, ab anno scilicet 1571; ut testatur Reipublicæ Venetæ Senator Jacobus Diedo in nitida, quam nuper edidit, Historia ejusdem Reipublicæ tom. 2. lib. 7. pag. 261. Neque Venetis datum est, illius possessionem recuperare, magno licet virtutis conatu, tum anno 1648, tum etiam anno 1717. in id incubuerint, ut idem Historicus prosequitur. De hac urbe P. Daniel Farlatus tom. 1. Illyrici Sacri, in Prolegomenis part. 2. cap. 5. §. 3. pag. 150. ita scribit: "Antibarium Urbs priscis ignota, quod sæculis posterioribus condita fuit, e regione Barii civitatis Apuliæ, a qua nominata est, quasi contra Barium. „ Idemque Auctor subdit, Dioclea Urbe in ruinis jacente, Archiepiscopalem illius titulum translatum fuisse Antibarum; & nomina Episcoporum suffraganeorum, qui novo Archiepiscopo assignati fuerunt, descripta legi in Bulla Alexandri Papæ II.; ut autem Sedes Archiepiscopalis in præfata civitate collocaretur, occasionem desumptam fuisse ex infortunio, quod accidit quatuor Episcopis, Antibarensi, Catbarensi, Olchiniensi, & Suacensi, qui dum Spalatum petebant, ut Provinciali Concilio interessent, naufragio perierunt; ut videre est in laudatis Prolegomenis part. 3. sect. 2. §. 5. pag. 308.

Archiep. Antibaren. dubitationes propositæ.

Venerabilis Frater hodiernus Archiepiscopus Antibarensis, pastoralis zeli laude magnopere commendatus, quum Diœcesim suam visitasset, & acta visitationis ad Congregationem de Propaganda Fide misisset, super duobus sequentibus capitibus opportunum sibi lumen ab eadem præberi, & adjumenta præstari postulavit. In primo capite exponit, Turcas Albania potitos magnam partem bonorum ad Ecclesias pertinentium occupasse, quorum nonnulla deinde Christifidelibus divendita, alia vero eisdem ad colendum tradita fuerunt. In secundo autem refert, nonnullos ex Christianis, domos habentes proximas Ecclesiis eversis, & prædia prædiis Ecclesiarum contigua, areas, & terras ad easdem Ecclesias olim pertinentes usurpasse. Quærit propterea, quomodo in his se gerere debeat; & an hujusmodi malis remedium ullum, & quodnam sit adhibendum; declarans se lumine sibi præstito usurum, ut opportunis documentis instruat Confessarios, qui ea vehementer exoptant; quum aliqui sint ex hujusmodi possessoribus, qui nihil pensi habeant, alii vero propriæ conscientiæ stimulos cohibere cupiant, atque a censuris absolvi, quas contra detinentes Ecclesiarum bona statutas, & latas esse non ignorant. Addit præterea Archiepiscopus, hoc idem, quod in præfata visitatione peragenda, in sua Diœcesi evenire comperit, in aliis quoque Albaniæ Diœcesibus contingere; ita ut, manibus magno operi admotis, tumultus, & discordias suscitatum iri pertimescat.

Congregationis de propag. Fide sententia.

Utroque capite hujusmodi in Congregatione de Propaganda Fide mature discusso, existimavit ipsa, debere Archiepiscopum, accitis ad se Missionariis, Parochis, & Confessariis, eisdem injungere, ut pœnitentibus demonstrent, non posse eos sine propriæ conscientiæ damno detinere bona, quæ olim ad Ecclesias pertinentia, deinde a Turcis occupata, in eorum manus devenerunt, sive ea a Turcis ipsis emerint, sive tamquam derelicta sibi usurpaverint; ideoque necessarium omnino esse, ut aliquem legitimum titulum habeant, quo se in eorum bonorum possessione confovere possint; totamque difficultatem in novo hujusmodi legitimo titulo adinveniendo versari. Quamobrem ipsa Congregatio proposuit, ut possessores Archiepiscopum adire debeant, eique distinctam exhibere indicationem quantitatis, qualitatisque bonorum, quæ ex antiquo Ecclesiarum censu ad eos ita pervenerunt. Ipsius autem Archiepiscopi æquitati, & prudentiæ permittendum, ut & Ecclesiarum utilitati, quantum fas est, providere, & possessoribus novum legitimum titulum procurare studeat, eos admittendo ad novos contractus, puta, emphyteuticos, tenuissimis etiam canonibus impositis, juxta facultates, quæ a nobis præfato Archiepiscopo concedi poterant. Conclusit denique hac facilitate dumtaxat erga illos agendum, qui invitati ad præmissa præstanda accesserint, contumacibus in propria perditione derelictis. Quum vero hæc omnia a te, dilecte fili, juxta tui ministerii debitum, nobis diligenter relata fuerint, & pro opportuna facultatum concessione supplicatum; nos vero ad rem accurate inspiciendam, & perpendendam nonnihil temporis sumpserimus, nunc tandem decrevimus sententiam nostram hac super re, quæ magni momenti effectus parere potest, in scriptis redigere.

Pontificis de eodem argumento doctrina.

Sane a nemine in dubium revocatur, quidquid in bello justo capitur, quod ad hostem pertinebat, in victoris dominium transire; mobilia scilicet in illius potestatem, qui primus ea occupaverit, immobilia vero in dominium supremi Principis, qui bellum intulit, ut sibi pro ipsius belli expensis satisfaciat, aliquando etiam, ut majores ad defensionem vires sumat, ac se a futuris eventibus tueatur. Sylvius in 2. 2. quæst. 40. art. 1. quæsit. 6. conclus. 6. & conclus. 7. Covarruvias in 2. part. Relect. Regul. Possessor male fidei §. 11. sub num. 6. Similiter extra controversiam est, in bello injusto, totum id, quod capitur, restituendum; quum occupatio hujusmodi nihil aliud sit, quam formalis rapina. Ita docet S. Thomas 2. 2. quæst. 66. art. 8. ad primum. En ejus verba. "Circa quædam distinguendum est: quia si illi, qui deprædantur hostes, habeant bellum justum, ea, quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; & hoc non habet rationem rapinæ; unde nec ad restitutionem tenentur &c. si vero illi, qui prædam accipiunt, habeant bellum injustum, rapinam committunt, & ad restitutionem tenentur. „ Illustria sunt exempla veterum Romanorum, qui quum injustitiam belli suscepti agnoverunt, quicquid abstulerunt, prompte restituerunt, ac detrimenta, quæcumque victis, & debellatis populis præliando intulerant, summa fide reparārunt. Hæc in Livii Historiis occurrunt; ac duo hujusmodi exempla a Valerio Maximo re-

referuntur, alterum, quod pertinet ad Falisços a Quinto Lutatio domitos, alterum ad Camarinos a Publio Clodio devictos, atque per varias orbis plagas dispersos. " Cum Publius Claudius Camarinos ductu atque auspiciis suis captos animadvertebat, tamen quia parum liquida fide id gestum ab imperatore videbatur, (*Senatus*) maxima cura conquisitos redemit, iisque habitandi gratia locum in Aventino assignavit, & prædia restituit &c, justitiæque promptissimo tenore effecit, ut exitio suo lætari possent, quia sic renati erant. „

Hinc patet, quum bellum, quo Turcæ Antibarum occuparunt, omni procul dubio fuerit injustum, quicquid ea occasione ab ipsis captum & occupatum fuit, sive mobile, sive immobile fuerit, id eos injuste usurpasse, veramque in eo rapinam commisisse; quare omnis justitiæ ratio postularet, ut ab ipsis cuncta restituerentur Christifidelibus, quos fortunis suis injuste spoliarunt, vel, illis vita functis, eorum hæredibus & successoribus. Sed hoc non est præsentis quæstionis subjectum; & si esset, frustra de eo ageretur, quod in perditis, & desperatis rebus habendum est. Quæstionis cardo vertitur circa bona, quæ Turcæ Christianis vendiderunt, & nunc ab emptoribus detinentur; quæriturque, utrum qui ea emerint, quique emptorum hæredes aut legitimi successores sunt, tuta conscientia retinere illa possint; an vero eadem legitimis dominis restituere teneantur; idque eo magis, quod agitur de bonis ad Ecclesias, & Monasteria pertinentibus, quorum injusta detentio censurarum pœna mulctatur; quodque, quum Ecclesiastici, non secus ac peregrini, in bellis minime sint partes Reipublicæ nocentis, efflagitat ipsa ratio, ut nec illorum, nec istorum personæ lædantur, neque bonis suis exturbentur, ut legitur Decretali: Innovamus, de Treuga, & Pace, *ubi, necessitatis publicæ causa, hoc ipsum privilegium ad mercatores etiam, & agricolas extenditur, ut optime ad citatum Textum perpendunt* Repetentes. *Quamquam autem id sæpe sæpius re ipsa non observetur.* " Quos Canones rationabiles ac sanctos, quantum ad id, quod positivi juris est, an abusus deleverit, nescio; „ *verba sunt Cardinalis Cajetani in ejus summa, verbo, Belli damna §. 4. de damnis, illud tamen non obstat, quominus prædictorum canonum ratio habenda sit, quoties de animarum directione in foro conscientiæ agatur.*

De Peregrinis, Clericis, & Ecclesiis, ad sensum laudatæ Decretalis, loquitur Sylvius loco cit. conclus. 5. " Spoliare peregrinos, & hospites, qui sunt in urbe hostili, non licet, nisi constet de eorum culpa, quia non sunt pars Reipublicæ adversæ; neque etiam licet spoliare Ecclesias, Monasteria, vel Ecclesiasticos; etiamsi ex causa rationabili data sit civitas prædæ militum, quum neque ipsi vere sint pars populi hostilis. „

De extensione autem hujusmodi juris ad mercatores, & agricolas agit Laymann in Commentariis ad eamdem Decretalem; ubi, postquam illud statuit, quod Clerici, & Peregrini membra non sunt Reipublicæ nocentis, ideoque in bellis etiam, quæ jure inferuntur, nec in persona, nec in rebus damnum pati aliquod debent, hæc addit ", Quædam vero personæ non sunt pars Reipublicæ nocentis, ut mercatores, & agricolæ; & his parcendum est propter publicam necessitatem, ne commerciis, & agricultura impeditis, majus incommodum afferatur. „

Denique quod licet Canonicæ Leges in praxi negligantur, earum tamen ratio necessario habenda sit, ad animas conscientiasque tuto dirigendas, recte sapienterque suo more disserit Covarruvias in 2. p. Relec. Regul. Possessor malæ fidei §. II. sub num. 8. §. At hæ leges,

Quæstionis statu sic constituto, ideoque ad intimam illius discussionem descendentes, necessarium ducimus in hac nostra Epistola inserere duo Decreta anni 1630. jam typis edita in Operibus Peyrini tom. 3. Privileg. in addit. cap. 4. num. 30. & 31. & Auctoribus cæteroquin, qui postea scripserunt, probe cognita, ut ex infra dicendis apparebit, licet fortasse accuratam totius rei notitiam non habuerint. Nam ea omnia tamquam decreta Congregationis supremæ Inquisitionis, & quidem a Pontifice Urbano VIII. approbata, & confirmata ediderunt. Verumtamen constat, dubia, super quibus Decreta emanarunt, a P. Francisco Longobardo Ordinis Minorum Tuneti Missionario transmissa fuisse ad Congregationem de Propaganda Fide, quæ, quum a suis Theologis diligenter ea examinari fecisset, consilium cœpit eadem ad Congregationem Sancti Officii remittere. Hæc autem insignium suorum Theologorum ope, quorum nomina in ipsius Tribunalis Actis recensentur, in novum illa deduxit examen. Quindecim porro fuerunt dubia a P. Longobardo transmissa; atque ad ea omnia tum Theologi Congregationis de Propaganda Fide, tum Consultores supremæ Inquisitionis sua responsa ediderunt. Verum ex iisdem Dubiis aliqua relata fuerunt in Congregationibus habitis coram Pontifice Urbano VIII., ad quæ Pontificium adhuc exstat responsum; reliqua vero minime compertum est, an coram Pontifice proposita fuerint. Inter hæc autem quintum illud et sextum numerantur, quæ nimirum præsentem respiciunt controversiam: ita ut error facti sit, id quod Auctores asserunt, responsa scilicet ad quintum et sextum Dubium Oraculo Pontificio confirmata fuisse; quum nihil aliud revera sint, quam responsa Theologorum Congregationis de Propaganda Fide, & Consultorum S. Officii, quæ tamen suo robore non carent, quum a doctis viris, & Sacræ Theologiæ, jurisque Canonici peritissimis emanaverint.

Decreta duo Congreg. de propag. Fide.

Dubitationis vis expenditur.

Proposuit igitur P. Franciscus Longobardus sequentem quæstionem ordine quintam. " Utrum Christiani liberi, qui hic (*idest Tuneti*) negotiandi gratia commorantur, & alii captivi, ementes a piratis infidelibus bona a fidelibus rapta, & in hac urbe venum exposi-

Digitized by Google

sita, vel dono ea recipientes, ut hic ad proprios usus utantur, vel ad terras Christianorum lucri gratia transmittunt, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem. „

Decretum primum. *Responsio Theologorum de Propaganda Fide fuit sequens.* " Patres deputati existimarunt, bona Christianorum a piratis rapta, posse Fideles absque noxa mortali, & onere restitutionis, emptione, venditione, aut alio quocumque legitimo titulo sibi accipere, ac in proprios usus convertere, non obstante, quod sint in bello injusto rapta. „

Sequitur sextus casus a P. Longobardo propositus. " Utrum antedicti, præsertim mercatores liberi, non solum peccent ratione rei malæ acceptæ, sed injustæ acceptionis, tamquam rapientium receptatores, & consequenter teneantur in solidum ad restitutionem, non solum mercium emptarum, sed omnium præterea damnorum Christianis illatorum. Ratio dubii est, quia, ut quidam asserunt, piratæ inter deprædandum, aliqua rapiunt spe vendendi dictis captivis, vel liberis Christianis, quæ hac spe sublata non raperent, ut infidelibus non necessaria, neque utilia. Hoc autem non semper accidit in rebus magni pretii, & ipsi mercatores liberi principaliter hic morantur, ut emant merces loci; & præterea eorum incolatus multum videtur conferre ad miserorum captivorum redemptiones secretius, facilius, & vilius faciendas, præter quotidianas eleemosynas, quibus non solum sublevant necessitates captivorum, sed etiam suppeditant ex magna parte Oratoriis, & Ministris divini cultus. „

et secundum. *Theologi de Propaganda Fide ita responderunt.* " A Patribus deputatis concordi voto decisum est, Fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad restitutionem bonorum raptorum per piratas *Christianis*: neque incurrere noxam peccati mortalis; etiamsi piratæ bona illa subripiant spe lucri ex futura venditione eisdem Fidelibus facienda, alias non furaturi: licet peccare possint ex complacentia super furto rerum per piratas Christianis sublatarum. „

Confirmantur a Congreg. S. Inquisit. *A Theologis de Propaganda Fide ad Consultores Sancti Officii translatum fuit Dubiorum examen; & hi quidem sententiam illorum approbaverunt, & confirmarunt. Nonnulli tamen addiderunt, ad hoc ut emptores Christiani ab omni peccati nota immunes essent, necessarium fore, ut animum paratum haberent ad restitutionem emptarum rerum, si unquam verus earum dominus compareret, easque redimere vellet, soluto pretio, quod emptor Turcis in emptione numeravit. Aliqui tamen qualificatores dixerunt*, requiri animum restitutionis, accepto pretio dato, si dominus rerum occurrerit. *Neque hoc ad pacandas conscientias inopportunum, aut a ratione alienum est. Molina in Opere de Justitia, & Jure tom. 1. tract. 2. disput. 118. num. 15. ita scribit.*" Ad pacandas tamen conscientias illud est addendum, quando verisimile est, illas, (idest merces, quas Christiani homines a Turcis, aut Saracenis emerint, qui eas per vim occupaverant) deventuras nunquam esse in potestatem suorum dominorum, ut ordinarie eveniet, licitum esse eas emere vili etiam pretio, eo animo, ut si proprius dominus comparuerit, illas accipiat pro eodem pretio; sin minus, emptor illas sibi retineat. Quoniam verisimile est, eam esse præsumptam dominorum voluntatem; & quoniam quodammodo essent irrationabiliter inviti, nisi id ita vellent. Atque ita respondi aliquibus Christianis captivis, qui in Africa emerunt vili pretio a Mauris aliqua de spoliis Lusitanorum, quando Rex Sebastianus occubuit. „

et Pontificis sententia. *Atque hæc sententia communis dici potest; cui reliqui omnino suffragantur: Conich. disput. 31. de bello dub. 7. num. 126. Reginald. tom. 2. lib. 21. cap. 8. sect. 4. num. 117. Decastil. lib. 2. tract. 1. disput. 10. num. 429. Tanner tom. 3. disput. 2. quæst. 6. num. 76. & 77. Frages. de regim. Christianæ Reipublicæ tom. 3. part. 1. lib. 3. disput. 5. num. 16. Castropalaus Oper. Moral. tom. 1. tract. 6. disput. 6. punct. 5. num. 27. Bonacina Oper. Moral. tom. 2. de restitutione in genere disput. 2. quæst. ult. punct. ult. §. 3. num. 23. Diana in Edit. Coord. tom. 7. tract. 7. resolut. 33. num. 8. Eorum etiam aliqui, & præcipue Molina & Castro Palaus addunt, id locum habere in sacris rebus mobilibus, puta calicibus, aliisque sacris supellectilibus. De his enim fortius procedere censenda est superius indicata præsumptio; quod scilicet Christifidelibus, ad quos hujusmodi res ablatæ pertinent, molestum non sit, aut saltem esse non debeat, illas in dominio potius aliorum Christianorum, quam Turcarum, & Saracenorum existere.*

Hugo Grotius in suo tractatu de jure belli ac pacis lib. 2. cap. 10. §. 9. num. 1. hanc statuit regulam: Rem alienam bona fide emptam restituendam, nec posse erogatum pretium repeti; *ac immediate sequentem addit exceptionem.* " Cui regulæ hæc addenda mihi videtur exceptio, nisi quatenus dominus rei suæ possessionem recipere sine impendio aliquo probabiliter non potuit, ut puta, si res apud piratas fuerit, tunc enim deduci poterit, quantum dominus impensurus libenter fuerat. Ipsa enim facti possessio præsertim recuperatu difficilis, est aliquod æstimabile; & in hoc dominus post rem amissam censetur factus locupletior. „ *Et in lib. 3. cap. 10. §. 6. num. 1. postquam docuerat, quod qui detinet rem in bello injusto ab alio captam, eam restituere tenetur:* " Qui damnum ipse non dedit, sed rem bello injusto captam ab alio penes se habet, tenetur eam reddere: quia cur alter ea carere debeat, nulla causa subest naturaliter justa, non consensus ipsius, non malum meritum, non compensatio: „ *relatam paulo ante exceptionem resumit, & ita prosequitur num. 2.* " Poterit tamen, si quid sumptus aut operæ impendit is, qui rem tenet, deducere tantum, quantum domino valebat adipisci desperatam possessionem, secundum ea, quæ alibi explicata sunt. Quod si rei possessor

sor culpæ exsors eam consumpserit, aut eliminaverit, non tenebitur nisi in quantum censeri potest locupletior factus. „ *Jure Civili cautum est, ut qui alienum servum, ab hostibus prius captum, emerit, illius dominium acquirat, ea tamen lege, ut eum teneatur restituere antiquo domino, si hic pretium rependat, quod emptor, quamvis mancipii conditionem non ignoraret, pro illius emptione persolvit. Si autem hic eum alienum esse nescivit, statuitur, domino comparenti ac pretium offerenti restituendum, dummodo infra triennii spatium comparuerit; quo tempore elapso, antiquus dominus jure redimendi cadit: ut colligitur ex lege in bello §. quis servum ff. de captivis, & postliminio reversis, alteri conjungenda L. Ab hostibus C. eodem tit. Hæc omnia comprobant justum omnino esse id, quod Theologi S. Officii responsis Theologorum Congregationis de Propaganda Fide addiderunt; eademque certiorem, stabilioremque reddunt sententiam illorum, qui docent, pretium restituendum esse illi, qui, numerata pecunia, rem ab hostibus etiam in bello injusto captam sibi acquisivit. Quamquam enim Hugo Grotius, quod pertinet ad restitutionem pretii, cum aliis præallegatis Auctoribus non consentiat; quum tamen a domino tantum emptori reficiendum velit, quantum ipse ad rei amissæ possessionem recuperandam æquo animo impendisset, si hujus æstimatio summæ a forensi Calculatore recte ineatur, magnum profecto erit, nisi ad eam pecuniæ quantitatem pertingat, quam emptor pro rei acquisitione persolvit.*

Agitur de bonis immobilibus.

Quæ hactenus exposuimus, in rebus mobilibus tantummodo locum habent; ideoque tota disputationis difficultas nunc eo redacta est, ut videatur, an hæc eadem, quæ de mobilibus dicta sunt, immobilibus etiam rebus aptari possint; quandoquidem dubia, quæ nunc examinantur, quæque præsenti disquisitioni occasionem præbuerunt, mobilia bona non respiciunt, sed immobilia. Porro si aliqua differentia inter mobilia, & immobilia intercederet, & ratio quæ pro illis valida reputatur, pro his æque afferri non posset; vel si aliqua adesset legum dispositio, quæ rerum immobilium dominis magis faveret; facile quisquam affirmare possit, quod, licet is, qui a Turcis res mobiles in bello captas mercatus fuerit, ea tuta conscientia detinere queat, modo animus ipsi sit ad restitutionem paratus quotiescumque dominus comparuerit, & pecuniæ impensæ solutionem obtulerit, non idem tamen judicium de emptore immobilium ferre liceret.

Diximus autem, ea, quæ superius exposita sunt, locum sibi vindicare in solis mobilibus. Decreta enim anno 1630. edita, de mobilibus loquuntur, ac de mobilibus item disserunt supra recensiti Auctores. Innuimus etiam dubitari posse, an aliqua differentia juris intersit inter mobilia, et immobilia bona: atque hujus differentiæ ratio a nobis nunc exponenda est. Fundamentum, quo innititur ea sententia, quod Christifideles tuta conscientia retinere possint bona mobilia, quæ a Turcis emerunt, a Turcis autem in bello injusto aliis Christianis hominibus ablata fuerant, in præsumpta dominorum voluntate positum est, quæ scilicet aut consentit, aut non dissentit omnino, ut prædicta eorum bona mobilia ab aliis Christifidelibus acquirantur. Etenim ex mobilibus nullus fructus percipitur; domini autem libentiore animo, aut minore certe molestia ferre debent, quod illa in Christianorum potestatem deveniant, potius quam in dominio Turcarum remaneant, a quibus facilius disperderentur; ut recte ponderat Molina loco laudato, atque etiam prosequitur Verjuys in suo Pastorali Missionariorum tractat. 4. art. 13. de Hæreticis §. Probatur etiam ratione. *Quoniam vero hæc ratio a præsumpta dominorum voluntate desumpta, ad immobilia, quæ Christifideles emunt, extendi nequit, tum quia domini fructus amittunt, tum quia hujusmodi bonorum dispersionis timor non adest; hinc oritur indicata juris differentia, quæ inter mobilium, ac immobilium acquisitionem intercedit. Denique paulo ante significavimus, aliquid forsan reperiri posse legibus præscriptum, quod immobilibus, non item mobilibus faveat. Sane in L. Siquid in bello ff. de re militari sequentia verba legere est.* " Si quid in bello captum est, in præda est, non postliminio reddit: „ *quibus verbis mobilia significantur, ut animadvertit Glossa. At vero in L. Si captivus, eod. tit. leguntur hæc alia:* " Expulsis hostibus ex agris, quos cœperant, constitit, dominia eorum agrorum ad priores dominos redire, nec aut publicari, aut prædæ loco cedere. „ *Quæ Doctoribus argumentum præbent asserendi, majori privilegio in bellis gaudere immobilia, quam mobilia bona. Hæc enim postquam in militum manus devenerunt, licet deinde pax conficiatur, non amplius restituuntur; illa vero antiquis dominis, pace inita, illico redduntur: ut recte animadvertunt Molina loco citato §. 5. Covarruvias part. 2. Relect. Regul.* Possessor malæ fidei §. 11. *num. 7. Diana in Edit. coord. Tom. 7. tract. 7. resolut. 33. num. 3. Castro Palaus tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 4. num. 24. Quibus sic stantibus conclusum superius a nobis est, facile quempiam propugnare posse, ex rationibus adductis concedi quidem Christifidelibus, ut mobilia de Turcis empta, licet ab his in bello injusto occupata fuerint, tuta conscientia detineant, dummodo ea restituere domino parati sint, qui pretio oblato redimere illa velit; at id de emptore immobilium non æque affirmari posse. Id autem nunc, Auctorum scita, atque rationes ad trutinam revocando, demonstrandum aggredimur.*

Theologorum sententiæ.

P. Leonardus Lessius obiit, antequam decreta anni 1630. emanarent, scilicet anno 1623. In ejus Opere Theologico in S. Thomam exhibentur resolutiones nonnullorum conscientiæ casuum, in quorum sexto, verbo Beneficium, sequentem sibi proponit quæstionem, ordine secundam. " An Catholici emere possint ab Hæreticis bona Ecclesiastica? „ *Atque ita respondet:* " Non licet Catholicis emere bona Ecclesiarum, vel Monasteriorum ab Hæreticis occupata, & confisca-

Digitized by Google

fiscata, nisi cum animo restituendi ea suo tempore legitimis dominis, cum omnibus emolumentis, & fructibus, qui inde obvenerunt: quia bona illa in specie sunt aliena, similiter fructus illorum. „ *Ex quibus sequitur, ut inferius ostendemus, emptorem ab Ecclesiis, & Monasteriis nunquam repetere posse pretium bonorum hujusmodi a se persolutum. Quum autem objiciendum sibi prævideret, quod bona illa, nisi emissent Catholici, remansissent penes Hæreticos, qui perciperent ex eis fructum, respondet id minime ad rem facere, quandoquidem Hæretici quoque ad restitutionem obligarentur. Denique id Catholicis consilii præbet, ut cum bonorum dominis agentes, cum iis paciscantur, ac novos contractus ineant, quorum præsidio bonorum possessionem tuta conscientia retinere valeant.*

Post Decreta anni 1630. scripserunt sequentes Auctores de illis expressam facientes mentionem. Verjuys loco citato a Lessii opinione recedit in eo, quod respicit restitutionem fructuum, sed cum eo sentit, quod ad fundi restitutionem pertinet, etiamsi dominus emptori solutum pretium non rependat. Rationem autem sic opinandi in præsupposita bona fide collocat, quæ si vere adsit, possessorem a fructuum quidem, minime vero a fundi restitutione eximere potest. “ Posse Catholicos bona fide possidentes Monasteria, domos, Templa, vel similia bona immobilia, illa tantisper sibi pacifice retinere, quamdiu a propriis dominis occupari non possunt; nec interea obligantur ad interesse, aut quidquam solvendum pro fructibus. „ *Arsdekinus in sua Theologia triparita tom. 2. part. 2. tract. 6. quæst. 10. quærit*, an Catholici possint emere bona aliorum Catholicorum, injusto bello ab Hæreticis occupata; *ac respondet, id fieri posse, I. si dominorum voluntas in eo consentiat; II. si Pontifex assensum præbeat, ad quod adstruendum affert citata Decreta anno 1630. edita; III. si conventionibus inter Catholicos, & Hæreticos Principes initis cautum sit, ut Hæretici Catholicorum bona retinere possint, ac libere de illis disponere: quæ omnia extra casum præsentis quæstionis versantur. Ibi autem religiosus Auctor procul dubio loquitur de bonis immobilibus; inter cæteras enim sententiæ rationes utilitatem perpendit, & commodum Catholicæ Fidei, cui magis prodesse asserit, quod bona penes Orthodoxos, quam in Hæreticorum manibus existant;* “ & sane plures ob causas, multo conducibilius videtur, bona illa tali emptione in manus Catholicorum devolvi, qui tanto potentius possunt negotium Fidei protegere, ac propagare, quam si ea penes hæreticos perpetuo remanerent: „ *quæ quidem ratiocinatio immobilibus convenit, non item mobilibus. Verum rationes illæ ab Auctore indicatæ, & a nobis paulo ante relatæ, nullius aut levis admodum roboris sunt. Etenim dum bona immobilia ad Catholicos olim pertinentia, illisque in bello injusto ablata, Orthodoxi de Hæreticis emunt, præsumpta dominorum voluntas adesse non potest, ut supra dictum est; Decreta vero anno 1630. edita, quæ de mobilibus loquuntur, ad immobilia trahi nequeunt; denique conventiones, & concordata inter Catholicos Principes laicos, & Heterodoxos inita super possessione, ac detentione bonorum Ecclesiasticorum ab Apostolica Sede improbantur; ut prolixe probat P. Schmalzgrueber Consiliorum tom. 2. consil. 15. quæst. 1. & hæ sunt conventiones, ad quas alludit citatus Auctor. De hac materia loquitur etiam la Croix Presbyter Societatis Jesu in sua Theologia Morali tom. 1. lib. 3. part. 2. num. 972. ac Decreta anni 1630. se probe nosse indicat: at quum nil aliud ipse faciat, quam ea referre, quæ a supra laudatis Auctoribus dicta fuerunt, in neutram partem allegari, aut proferri potest.*

P. Carolus Franciscus a Breno Ord. Min. Strictioris Observantiæ in suo Manuali Missionariorum Orientalium tom. 2. lib. 1. cap. 3. quæst. 21. hanc proponit quæstionem; “ An bona Ecclesiastica ab Infidelibus redempta restitui necessario debeant, vel saltem transactio adhiberi: „ *ac respondet, restituenda esse; tum quia Christianus, sciens bona illa Ecclesiæ esse, alienam rem mala fide possideret; tum quia non potuit Infidelis raptor in emptorem Christianum transferre jus majus illo, quod ipsemet in bona divendita habebat: ideoque, si venditor, propter rapinæ vitium, nullum omnino jus habuit in rem violenter ablatam, occupatam, & postea divenditam; nihil pariter juris in eamdem rem acquisivisse dicendus est, qui ea mercatus fuit: tum denique, quia regula generalis est, quod etiam ille, qui furti ignarus, a fure aliquid emit, in foro conscientiæ ad restitutionem tenetur, simul ac verus, legitimusque dominus occurrit. Invehit deinde in eos, qui quum ab Infidelibus aliquid ad Ecclesiam pertinens mercati sint, debiti sui partes implere se putant, si Parochos, ad quorum Ecclesias res emptæ pertinent, ad convivia, & cœnas invitent. Non omittit Pater a Breno sæpe memorata decreta anno 1630. condita commemorare; sed ea pertinere censet tantummodo ad bona mobilia a piratis capta, ac inde Christianis divendita, quorum verus dominus sperari nequit, ut ad ea redimenda compareat. Denique sibi objicit, quod qui numerata pecunia ab Infidelibus emit Ecclesiæ bona, rem eidem Ecclesiæ utilem gesserit; ideoque non solum nullum exinde damnum pati, verum etiam aliquam, si fieri potest, utilitatem percipere debeat. Huic argumento respondet, emptores, qui rem ab Infidelibus redemerint, id emolumenti ex emptione capere, ut ab Ecclesia pretium repetant, aut ad aliquam cum ipsa compositionem deveniant.* “ Ementes bona Ecclesiæ ab usurpatoribus Infidelibus, restituere quidem tenentur, quum sua bona illa non sint, sed accepto pretio, vel alia compositione cum Prælatis habita. „ *Verum cum Auctor ad aliam, ex prima consequentem quæstionem gradum faciat, videlicet utrum emptor restituere bona teneatur, etiamsi Præsul nec pretium reddere, nec compositionem ullam facere velit, & hujusmodi quæstioni affir-*

firmative respondeat; videtur profecto id, quod ante affirmaverat, evertere, & non cohærenter ratiocinari: " Si vero Prælatus quidquam ipsis redimentibus restituere nollet, aut transactionem, vel compositionem ullam facere, adhuc emptores, seu redimentes illi restituere omnino tenerentur, quum bona illa reipsa sint Ecclesiæ, ac infortunio suo tribuere, quod emerint rem alienam, eo modo, quo discurrimus de ementibus a fure, quotiescumque ab ipso repetere pretium minime possint. „

Quibus sane diximus Auctorem evertere id, quod antea affirmaverat: superius namque voluerat, emptorem a vero domino pretium recuperare. Nunc autem ipsius domini arbitrio permittens hujusmodi pretium reddere, aut non reddere, vult porro, rem ab emptore, etiam sine pretii recuperatione, restitui. Diximus etiam, eumdem non cohærenter ratiocinari. Quum enim statuerit, immobilium dominium penes antiquum dominum semper remanere, nec unquam ad emptorem transiisse, ex hoc satis aperte consequitur, non quidem rei pretium solvendum esse a legitimo domino, qui eam recuperare intendit, sed potius rem ipsam, sine ulla solutione, aut pretii restitutione, ab eo recuperandam esse; aliter enim rem suam emere cogeretur. Quod si aliquis responderet, id ab æquitate, & justitia alienum non esse, quoniam juxta Decreta anni 1630. idem omnino contingit in mobilibus, quæ sine solutione pretii a domino recuperari non possunt, respondetur, dominium mobilium, quamvis resolubile, in emptorem transire, qui deinde illa domino pretium offerenti restituere tenetur, id autem minime accidere emptori immobilium, quorum dominium remanet semper apud legitimum dominum. Rerum porro dominium a priore domino ad alterum non transfertur, nisi id aut lex jubeat, aut hominis voluntas præscribat. Emptores autem tam rerum mobilium, quam immobilium, pro eo quod ad legem attinet, æquali prorsus jure censentur. Nulla enim lege præscriptum est, ut dominium rerum sive mobilium, sive immobilium a vero domino ad illum, qui eas ab invasoribus, ac raptoribus mercatus fuerit, transferatur. Sed differentia, quæ inter mobilium, ac immobilium emptorem intercedit, ab hominis voluntate oritur; quia nimirum domini voluntas, ut supra dictum est, illi, non autem isti, favere præsumitur.

et Pontificis

Itaque Decretis anni 1630. nullo modo contraire nobis videmur, si asseramus, satis fundatam esse opinionem illam, quæ immobilium domino jus tribuit, ut sine ulla pretii restitutione recuperare valeat bona sua, cum omnibus fructibus inde perceptis, ab illo, qui numerata pecunia ea ipsa ab invasoribus emit. Id enim exigit natura belli injusti, in quo hujusmodi bona occupata fuerunt: id expedit eorum auctorum sententia, qui optima ratione docent, eum, qui furtivam rem se emere dubitat, aut suspicatur, non posse deinde a domino repetere pretium, quod furi numeravit. " Emptor malæ fidei, si sibi emit rem, quam vel sciebat, vel dubitabat, seu suspicabatur esse furtivam, non potest a domino illius rei repetere pretium, quod numeravit furi venditori, quoniam talis repetitionis nullum habet justum titulum. „ *Verba sunt Sylvii in 2. 2. S. Thomæ quæst. 62. quæsit. 6. art. 6. conclus. 3. pag. 461. ultimæ editionis Antuerpiæ. Id exigit opinio communis eorum, qui docent, etiqm illum, qui rem furto sublatam, bona fide, vel ab ipso fure, vel ab alio mercatus fuit, teneri eamdem domino reddere, nec solutum pretium ab eo repetere posse: ut videre est apud Sanchez in summa lib. 2. cap. 23. num. 2. & apud Bonacinam tom. 2. de restit. in gen. disput. 1. quæst. 2. punct. 1. proposit. 1. num. 4. Id ipsum deducitur ex regula, quam sequuntur majora Tribunalia; quorum videlicet auctoritate decernitur, bona immobilia Ecclesiarum ab Hæreticis occupata, statim ac ab ipsorum manibus elapsa fuerint, ipso jure redire ad Ecclesias, ad quas pertinebant: uti videre est in Decisionibus Herbipolen. Monasterii 10. Junii 1707. & 17. ejusdem mensis cor. bon. mem. Caffarellio, confirmatis in decis. 562. num. 1. tom. 5. cor. bon. mem. Lancetta Decano. Ita præscribit famigeratus Textus Innocentii III. in cap.* sæpe. De restitutione spoliatorum. *Quum enim Jus Civile beneficium interdicti,* Unde vi, *sive restitutionis, concessisset dumtaxat adversus illum, qui per vim alium de possessione dejecerat, & contra ejus hæredem universalem, ut habent lex 1. §. ult. & lex 2. ff.* Unde vi, *minime vero contra illum, in cujus potestatem res furto ablata devenerat; ut patet ex L. 7. ff. eod tit.; etiamsi ille, dum rem emit, furtivam eam esse non ignorasset; idque ea ratione, quod interdictum* Unde vi *directe propositum fuerat adversus eum, qui vim intulisset,* Unde tu illum vi dejecisti, *magno illo Pontifici parum tuta visa est hæc Juris Civilis dispositio, ideoque decrevit, ut remedium possessorii* Unde vi *locum etiam haberet adversus illum, qui spolium quidem non commiserat, sed rem, quam alienam, ac furto sublatam esse non ignorabat, a spoliatore mercatus fuerat;* " Non obstante Juris Civilis rigore, sancimus, ut si quis de cætero scienter rem talem acceperit, quum spoliatori quasi succedat in vitium &c. contra possessorem, & hujusmodi spoliato per restitutionis beneficium succurratur. „ *Atque sequentem decreti sui attulit rationem:* " Eo quod multum intersit, quoad periculum animæ, injuste detinere, aut invadere alienum. „ *Hoc denique postulat Canonici Juris adagium quod est in Can.* Rapinam 14. *quæst. 5. ubi sic legitur.* " Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut, cui est ablata, reddatur. „

De bonis immobilibus ecclesiasticis.

Si autem ea, quæ hactenus dicta sunt, locum habent in casu eorum, qui fundos ab injustis invasoribus occupatos emerunt; & hi quidem illos, nullo recepto pretio, restituere tenentur; quanam excusatione tueri se poterunt alii illi, qui, ut refert Archiepiscopus Antibarensis, agros, & fundos ad Ecclesia, & Monaste-

steria spectantes, ipsi furtim invaserunt, & per occasionem adjacentiæ, aut vicinitatis usurparunt? Quomodo hi ab obligatione restitutionis, qua manifeste tenentur, se eximere poterunt? Leges Civiles usucapionem longi temporis in rebus furtivis, ob malæ fidei vitium, nequaquam admittunt. Cum autem inter antiquos Prudentes orta esset quæstio, an furtum in solis rebus mobilibus, an vero etiam in rebus immobilibus locum haberet, cumque eorum valuisset opinio, qui asserebant, furtum de mobilibus tantummodo intelligendum esse, ulterius deinde progressi, in eo convenerunt, ut si quis, absque vi, licet mala fide, alicujus rei immobilis possessionem usurpasset, non ipse quidem posset hujusmodi rem usucapione suam facere, posset tamen alius, qui ab ipso rem illam bona fide accepisset; ut videre est in L. furtum 37. §. 1. ac in L. seq. ff. de usucap. *atque in Institutionibus Justiniani eodem titulo. Sed neque hic substitit immoderata laxitas Auctorum Juris Civilis, qui, ad inducendum usucapionis jus, satis habuerunt, bonam fidem initio adeptæ possessionis adfuisse; parum solliciti, si mala fides deinde supervenisset; ut videre licet in L. 48. §. 1. ff.* de acquirendo rerum dominio, *& in L. unic. C.* de usucap. *At sacri Ecclesiæ Canones, nil aliud, quam æquitatem, animarumque salutem respicientes, not inutiles subtilitates sustulerunt, statuentes, nullam præscriptionem induci, nisi bona fides & initium possessionis, & medium, & finem comitetur.*" Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis: quum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.„ *Verba sunt Innocentii III. in cap. ult.* de præscriptionibus. *Hæc autem bona fides in nemine sane eorum, de quibus nunc sermo est, admitti potest; quum incredibile sit, in toto assertæ usucapionis decursu nullam eis suppetiisse notitiam, quod bona occupata ad Ecclesiam pertinuerint.*

Quod si prædicti possessores hoc saltem contenderent, se bona hujusmodi retinere posse tamquam a dominis, nimirum ab Ecclesiis, & Monasteriis, derelicta, quo casu bona fiunt occupantis, juxta §. penult. & ult. Institutionum de rerum divisione, *& L. 1. & seq. ff.* pro derelicto; *in magno quidem errore versarentur. Etenim inter bona derelicta numerari non possunt illa, quæ dominus ob impotentiam non recuperat, ut accidit in casu nostro; sed illa dumtaxat, quæ quis sponte deserit, ac derelinquit, propterea quod eorum possessionem detinere nihili pendit.*" Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit; ideoque statim dominus ejus esse desinit.„ *Quocirca derelicta nequaquam censenda res, quæ a domino navis, ut naufragium effugiat, in marē projiciuntur; et si quis illas lucri causa recuperat, furtum committit.*" Alia sane causa est earum rerum, quæ in tempestate, levandæ navis causa, ejiciuntur: hæ enim dominorum permanent; quia palam est, eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit.„ *Hæc omnia verba sunt Textus Civilis in citatis duobus ultimis paragraphis Tituli Institut.* de rerum divisione.

Suprema Pontificis ad tempus definitio,

En tibi, Dil. Fili, quicquid in unum congerere nobis datum est, ut quæstionibus ab Archiepiscopo Antibarensi propositis responderemus; quod quidem in summa sententiæ Congregationis de Propaganda Fide, quam nobis retulisti, consentaneum dici potest. Verum non ideo nobis plane satis factum esse profitemur. Innuit in suis literis Archiepiscopus, id quod Antibari accidit, in aliis quoque Albaniæ Civitatibus contingere, ubi complures sunt Christiani, qui bona immobilia Ecclesiarum aut empta de Turcis, aut de facto occupata possident. Ulterius itaque progreditur prudens ille Præsul; cumque magnopere cupiat aliquam sibi viam patefieri ad pacandas conscientias, illasque a censuris, quibus propter injustam Ecclesiasticarum possessionum detentionem adstrictæ sunt, absolvendas, nihilominus æque veteri se ostendit, ne turbæ excitentur, si hodiernis possessoribus, ut justitiæ ratio postularet, injungeretur aut fundorum, aut fructuum, vel alicujus portionis eorum restitutio. Animadvertendum quoque est, Antibarum, aliasque Albaniæ Civitates, de quibus nunc agitur, sub temporali Othomanica ditione consistere; unde minimum quod metuere possemus, aliqua exoriente perturbatione, id esset, ut prodiret decretum: uti possidetis, ita possideatis; *quod ad pacandas conscientias nihili valeret; nisi etiam deterius aliquid in Christianorum, sanctaque nostræ Religionis perniciem contingeret. Hoc illud est, quod animum nostrum commovet, atque perturbat, nosque eo adducit, ut nisi nova, & certiora nobis suppeditentur indicia, ex quibus intelligamus, quid maxime in prædictis regionibus timeri posset, si huic negotio manus admoveantur, nihil nos statuere posse existimemus de instructionibus, aut facultatibus circa hæc Antibarensi Archiepiscopo communicandis. Quod nunc tibi significare possumus, & de quo tibi mandamus, ut ipsam Congregationem certiorem facias, illud est, nos ita animo esse comparatos, ut suprema, qua fungimur, auctoritate, pro generalis bonorum Ecclesiasticorum administratoris officio, hujusmodi bonorum possessoribus perceptos fructus condonemus, eosque ad retinendam possessionem fundorum, quamvis injuste occupatorum, & detentorum, idoneos reddamus, & ab incursis censuris absolvamus; ne forte Christianæ Religionis eversionem intueri in illis regionibus, in quibus, licet sub Turcarum dominatione degentibus, eadem adhuc*

Deo

Deo miserante viget, neve Episcoporum ejectiones, aut innocuorum Christifidelium persecutiones, & vexationes audire cogamur, nobisque tot mala imputari, propterea quod auctoritatem illam in his interponere neglexerimus, quam nobis Deus in ædificationem, & non in destructionem largitus est, quaque Prædecessores nostri similibus in casibus uti non dubitarunt.

veteribus exemplis auffulta.

Quum tempore Mariæ Angliæ Reginæ, bo. mem. Reginaldo Cardinali Polo gravissima demandata fuisset provincia Angliam ipsam Ecclesiæ Romanæ reconciliandi, Pontifex Julius III. in Brevi expedito die 8. Martii 1554. facultatem ei concessit cum his, qui Ecclesiasticorum bonorum possessionem injuste occupaverant, quique ad Ecclesiæ Romanæ sinum redirent, concordandi, & transigendi super fructibus male perceptis, & super mobilibus consumptis; " restitutis prius, si tibi expedire videbitur, immobilibus per eos indebite detentis ; „ *uti videre est in tom. 4. Conciliorum magnæ Britanniæ. At quia in rei executione fortasse compertum est, ejusmodi facultates nimis angustas esse, in alio Brevi expedito die 28. Junii ejusdem anni præfato Cardinali plenam, ac liberam largitus est potestatem, cum* " quibuscumque bonorum Ecclesiasticorum tam mobilium, quam immobilium in præfato Regno possessoribus, seu detentoribus, pro quibus ipsa Serenissima Regina Maria intercesserit, de bonis per eos indebite detentis arbitrio tuo, auctoritate nostra tractandi, concordandi, transigendi, componendi, & cum eis, ut præfata sine ullo scrupulo in posterum retinere possint, dispensandi, omnia & singula alia, quæ in his & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna fuerint, consulendi, & faciendi; salvo tamen in his, in quibus propter rerum magnitudinem, & gravitatem hæc Sancta Sedes merito tibi videretur consulenda, nostro & præfatæ Sedis beneplacito, & confirmatione. „ *Breve hoc editum est in citato tom. 4. pag. 102. & 103. & in Annalibus Raynaldi ad annum Christi 1554. num. 8. Prædictus vero Cardinalis,* " ne novæ inde turbæ concitarentur, Ordinibus postulantibus, & urgentibur, adactus est publico instrumento, Pontificis nomine & auctoritate, omnes de hujusmodi bonis, & possessionibus, quoad pœnas & censuras canonicas, in perpetuum securos & absolutos declarare: „ *verba sunt Spondani ad eumdem annum 1554. num. 4. Hisque consentiunt Sanderus de Schismate Anglicano lib. 2. pag. 349. edit. Rom. ann. 1586. Davanzatus in sua Historia Schismatis Anglicani edita Florentiæ anno 1628. pag. 91. qui omnes pariter conveniunt, in celebranda præfati Cardinalis prudentia, qua difficillimum negotium, servata Ecclesiæ dignitate, transegit.*

P. Schmalzgrueber in suo citato Consilio 15. tom. 2. casum perpendit hæretici Principis, qui Augustanam confessionem deserens Catholicam amplectitur Religionem; ac quærit, quomodo gerere se debeat quoad bona Ecclesiastica, quæ auctoritate pacis Westfaliæ ab Ecclesia reprobatæ possidet; & quidem ejusdem Consilii quæsit. 2. num. 22. concludit, quod vel restituere illa tenetur, vel ad ea retinenda Apostolicæ Sedis dispensationem sollicitare, *exemplum afferens Ducis Neuburgi Wolphangi Willhelmi, ac ejus filii Electoris Palatini Willhelmi, & asserens quod erga conversos ad Fidem Catholicam* " adeo benigna esse solet Sedes Apostolica, ut, etiamsi justa sit causa, retentionem illorum, *id est immobilium Ecclesiæ bonorum*, ipsis dispensative concedat. „

Denique prædecessor noster Clemens Papa XI. ad Augustum II. Poloniæ Regem in Literis datis die 10. Novemb. anni 1712. in tom. 2. illius Brevium editorum pag. 243. ut eum ad promovendam Fidei Catholicæ propagationem in suis Saxoniæ ditionibus excitaret, ita scripsit: " Certam reddimus Majestatem tuam, quod neque a te, neque a tuis successoribus Catholicis, aut ab aliquo alio, qui sanctam ibi Religionem nostram amplexurus sit, nos unquam illorum bonorum, quæ per Saxoniam antiquitus ad Ecclesias pertinebant, restitutionem postulaturi sumus; quinimo ad pacandas conscientias eorum, qui illa occupant, si hæresi ejurata ad Catholicam Fidem redire constituant, nos ipsis præfata bona omnia in perpetuum condonabimus; idque ea ratione, ac forma exsequemur, ut ne a nostris quidem Successoribus in posterum quicquam adversus hæc postulari queat. „ *Atque hoc promissum adimplens Clemens XII. in sua Constitutione quæ incipit, Sedes Apostolica num. 67. in tom. 13. novi Bullarii Romæ editi, illis Saxoniæ incolis, qui bona ad Ecclesias antiquitus pertinentia possidentes hæresim aut ejurassent, aut ejuraturi forent, concessit, ut bona, quæ possidebant, retinere, ac de illis, tamquam de rebus suis, disponere libere possent; omnes præterea fructus ex ipsis antea perceptos illis condonavit.*

Allata hæc exempla nostro sane casui per omnia nequaquam similia esse cognoscimus; ibi enim agebatur de impedimento removendo ab illis, qui Sanctæ Romanæ Ecclesia gremium ingredi cupiebant; hic autem sermo est de hominibus, qui nostrarum partium sunt, quique Christiana, & Catholica professione censentur. Verumtamen rationis fundamentum idem omnino in allatis exemplis, ac in nostra facti specie, nobis esse videtur, ut scilicet suprema Apostolica auctoritate adhibenda sit in gravibus, publicis, ac urgentibus casibus, quibus per ordinariæ auctoritatis usum satis provideri nequit. Eos vero, qui recedendi a nobis tentatione sollicitari possent, a præcipiti casu, quantum fas est, remorari, si non idem est, ac viam sternere illis, qui ad nos accedere cupiunt, non multum sane ab eo differre nobis videtur. Hæc habebamus tibi significanda: tibique, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xix. Martii MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

Ve-

Digitized by Google

Verum hisce litteris haud sibi omnino satisfecerat Pontifex, ut ipse innuit in postrema earum parte; &, quamvis pro summa, qua is pollebat, potestate censeret, Catholicos Albanenses in libera bonorum Ecclesiasticorum, quæ injuste sibi vindicabant, possessione esse relinquendos, anceps tamen hærebat ac dubius, an quidquam firmiori & absoluta sententia posset definiri. Cumque a Lercario postulasset, ut ad rem tuto decernendam clariores sufficeret notiones de illarum gentium propensione erga Pontificia mandata, & de periculis, quibus obnoxiæ forent cum religionis detrimento, si occupata Ecclesiarum prædia restituere cogerentur, anno tandem 1754. aliis ad Lercarium literis modum quemdam, & commodiorem, quæ ei visa fuit, rationem proposuit, qua Albaniæ Episcopi, in primis Metropolita Antibarensis satagerent, ut Catholici ultro fundos illos dimitterent Ecclesiis, ad quas pertinebant; sin minus, a censoriis pœnis absoluti ut, quæ possident, libere retineant, Pontificia auctoritate permitterent. Itaque easdem literas e T. IV. Bull. Bened. pag. 87. Venetæ editi exscriptas hic subjicio.

Venerabilis Frater Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Alia ejusdem Pontificis litera de materie eadem.

Cum encyclicas literas, sicut nos tibi præcepimus, & Congregationis de Propaganda Fide sententia fuit, cujus te ipsum præstas emeritum Secretarium, ad Albaniæ Antistites dederis, nempe ad Ven. Fratres Archiepiscopum Antibari, Episcopos Scodræ, Sappæ, Lissi & Pullariarum, ut ab iis innotesceret, an proposita ab Ecclesiis suarum diœcesium vindicatione suorum bonorum, exindeque perceptorum fructuum in detentores, qui illa a Turcis occupata emerunt, vel ab emptoribus jure hæreditario, aliove titulo sunt consecuti, aut in eos, qui eadem bona, quasi res derelictas, ipso, ut inquiunt, facto invaserunt, pertimescendum sit, ne si id Turcis compertum fiat, graves exinde concitentur turbæ, persecutioni, vel alicui gravissimæ insectationi recludatur aditus, neve aliquis temporalium rerum cupiditate obcæcatus a sancta Religione Catholica ad Mahometismum deficiat, ut fundis fructibusque, elapsa vindicatione, fruatur; cumque omnes recensiti Præsules, explorato prius suarum diœcesium statu, unanimi consensu retulerint, ingens heu nimis subesse alterutrius, & nonnunquam utriusque infortunii periculum, suadentes, ut aliquem periclitantibus rebus adhiberemus modum, in quem nos jam animo patratores noverant, quotiescumque illo opus esse videretur; hinc nos probantes, quod etiam Congregationi Propagandæ Fidei, dum justæ affuissent causæ, probabatur, quodque suaserunt locorum Ordinarii, hunc præ cæteris modum rebus adhibendum existimamus.

Quomodo cum iis agendum, qui bona Ecclesiastica sibi retinent.

Erit itaque uniuscujusque ex Episcopis prædictis sua in diœcesi vel per se, vel per Confessarios & Sacerdotes prudentes atque experter bonis, ut ajunt, verbis atque monitis efficiendi, ut detentores bonorum mente percipiant sibi incumbentem rerum fructuumque restituendorum obligationem, illacrymabilem, in quem abrepti sunt, statum, quippe qui censuris irretiantur inflictis per sacros Canones in invasores detentoresque bonorum Ecclesiæ. Ita vero siquidem divina affulgente gratia facti pœniteat, negligere haud debet Episcopus, quive ab eo fuerit delegatus, quin illi suadeat, nisi universæ, rei saltem alicujus restitutionem, vel etiam, ut fundis sibi habitis obligationem suscipiat alicujus annuæ præstationis Ecclesiæ pensitandæ; si autem fundorum restitutioni, moxque indicatæ æquitati obsistatur, tunc restitutio omnium vel partis fructuum attentetur. Verum quoties nec desit, qui ex imbecillitate virium vel ex improba voluntate nil horum præstare velit, hunc tantummodo pernoscens sermonem habendi nimirum etiam in posterum, quod hactenus habuit, producendique in futura quoque tempora, quam superioribus obtinuit, universarum fructuum perceptionem, hisce nostris literis unicuique Episcopo, quoad suam diœcesim, impertimur auctoritatem, quam & ipse aliis, ut monuimus, delegare poterit, eximendi ab onere fundorum fructuumque restituendorum detentores bonorum Ecclesiæ, eosdemque absolvendi a censuris, quibus innodantur, sive cum iis agatur, qui se paratos exhibent ad partem bonorum aliquam restituendam vel ad transigendum de iis, sive cum aliis, qui universos vel aliquorum saltem fructuum partem offerunt, sive demum cum cæteris, quibus propositum est nihil plane vel rerum soli, vel fructuum restituere. Supervacaneum autem arbitramur monere, ne nostra hæc facultas evulgetur; haud enim difficile captu est, eadem perspecta, fieri perfacile posse, ut, nisi omnes, plerique saltem nihil plane restituendi propositum amplectantur de absolutione a restituendi onere ex censuris plane certi.

Pontificis de bonis Ecclesiæ dispensandis auctoritas.

Nostra hæc facilitas exinde est, quod nos, qua Pontifex summus, nisi domini, supremi certe quidem simus temporalium bonorum Ecclesiæ dispensatores; "Res Ecclesiæ sunt Papæ, ut principalis dispensatoris, non ut domini & possessoris;" *inquit S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. Ex quo porro sequitur, ut non quidem vel ad ditandos consanguineos, vel ex arbitrariis causis fas sit nobis Ecclesias suis nudare bonis; at illud quidem, ut, quoties urgens subsit ratio, qualis indubie est removere præsens publicæ calamitatis discrimen, ostium, quantum in nobis est, apostasiæ intercludere, & fluctuantibus animis conciliare tranquillitatem, nobis liceat, quod nunc facimus, imperare, ut, probata licet, Ecclesiarum jura conticescant, utque illæ ipsæ pro publica incolumitate, ac religionis commodo sacrificium quasi faciant suorum bonorum, quæ non possident, & quæ publici luctus tempore iisdem fuerunt adempta. Quapropter Card. Cajetanus in præindicatum locum S. Thomæ not. 13. hæc habet:* "Cum potestas Papæ quoad res tempo-

rales Ecclesiæ sit potestas non domini, sed dispensatoris, consequens est, ut plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiæ temporalia non exeat limites potestatis dispensativæ &c. ac per hoc non potest Papa ad libitum donare res Ecclesiæ, sed potest, tamquam habens apicem dispensativæ potestatis, multo plus de iisdem dispensare, quam quicumque proximus alicujus Ecclesiæ prælatus &c. Eodem quoque fundamento, quod Papa non est dominus, sed dispensator, sequitur, quod de plenitudine potestatis non possit bona Ecclesiæ dare, cui voluerit, aut consanguineis &c. sed tenetur prudenter dispensare, ut recta ratio suadet. „ *Est & illud etiam nobis perspectissimum, communem esse Canonistarum sententiam, Romanum Pontificem non distributorem, sed dominum esse rerum Ecclesiæ. At nos hujusmodi disputationem intactam volumus, cum in rem præsentem vel id sufficiat, Pontificem supremum haberi dispensatorem; Theologi quippe cum Canonistis consentiunt, Papam, quamvis etiam tantummodo in supremum distributorem agnoscatur, posse utique ad mox expressas facti circumstantias de Ecclesiarum rebus libere decernere.* " Concurrente justa causa, conveniunt omnes tam Canonistæ, quam Theologi, Papam, uti supremum administratorem ac dispensatorem bonorum Ecclesiasticorum, posse res uni Ecclesiæ auferre, & dare alteri. „ *Sunt hæc concepta verba, quibus utitur celebris Fagnanus in cap.* relatum *num. 2. ad 41. & præcipue num. 36.* ne clerici vel monachi &c. *postquam jam expenderat quæstionem illam, an Pontificis sit suprema tantum administratio, vel potius dominium adjudicandum, & in Canonistarum sententiam inclinaverat.*

Veterum Pontificum exempla

Quæ porro a nobis mox supra proposita est methodus, ut nimirum bonis verbis pertentetur, an ex possessoribus bonorum pars aliqua, vel saltem fructuum recuperari possit, antequam illorum condonatio, atque censurarum relaxatio indulgeatur, non solum ratione, sed & Prædecessorum nostrorum exemplis comprobatur. In secretiori Vaticana archivo preces reperimus a Carolo V. Imp. oblatas Paulo III. Prædecessori nostro, ut ipse Legatis, siquos in Germaniam ablegandos censuisset, amplissimam faceret auctoritatem transigendi cum iis, a quibus invasa Ecclesiarum bona detinebantur, propterea quod eorum restituendorum onus conversiones quam maxime, & reconciliationes cum Romana Ecclesia remoraretur. Ejusdem quoque consilii invenimus extitisse Cardinales ad Concilium Tridentinum, dum Romoniæ haberetur, Legati, in quo sese exhibuerunt propensiores in amplissimam quamcumque facultatem absolvendi a restitutione bonorum Ecclesiarum ea spe ducti fore, ut Apostolici ministri hujusmodi indulto sapienter ac moderate [illegible] *Denique nec latuit nos Pauli III. Constitutio lata pridie Kal. Septembris 1548., in qua hic Pontifex ablegans in Germaniam Nuntios Fanensem, Veronensem & Forocorneliensem Episcopos, iisdem limitatam indulsit facultatem transigendi & paciscendi super fructibus, fundis tamen prius restitutis. Verum, cum processu temporis experientia edocuisset, magni religionis interesse, ut quid amplius indulgeretur, dum ingens excreverat numerus eorum, qui hæresim ejurare detrectabant, quoties omnia vel ratam detentorum bonorum partem restituere fuissent adacti, nihil morati sunt Romani Pontifices, quin sua auctoritate in Germania utentes provida liberalitate omnia donarent iis, qui reduces in Sanctæ Ecclesiæ gremium confugiebant. Nec secus in Anglia transacta res est, cum Cardinalis Polus, regina Maria imperante, ad instaurandam inibi religionem adlaboraret. Namque Julius III. Pontifex primum quidem ipsi facultatem delegavit conveniendi ac transigendi cum intrusis in Ecclesiæ bona super fructibus male perceptis, mox vero auctoritatem transigendi de ipsis quoque fundis, eosdem integre etiam relinquendo possessoribus, quoties hæresim ejurassent, uti videre est ex superioribus nostris literis, quas hac ipsa de re dedimus ad te die 15. mensis Martii an. 1752, num. 26. atque num. 28. plura insuper in iisdem horum similia exempla colligentes. Nec illud quoque ducimus prætereundum, quod post datas proximas literas offendimus in ms. P. Petri Alagona e Soc. Jesu Vaticanæ Basilicæ Pœnitentiarii; testatur enim ipse, suborta, Clemente VIII. P. M., quæstione, an liceret Catholicis* emere ab hæreticis terras & bona, quæ fuerant monasteriorum, *Sacram Pœnitentiariam rescripsisse*, justam esse causam dispensandi per Summum Pontificem. *Ex quo illa apprime congruit animadversio, nimirum, si, justa proposita causa, potest Summus Pontifex id dare Catholico, ut Ecclesiastica bona empta ab hæretico, æquo saltem jure poterit quoque, quoties justa subsit ratio, facultatem facere Catholico sibi habendi res Ecclesiarum coemptas ab infidelibus.*

rei propositæ apta.

Fatemur, mox allata Prædecessorum exempla ad eos referri, qui ab Ecclesiæ gremio profugi reditum ad nos moliebantur, nec aliud eos morabatur impedimentum, quam onus restituendi, quæ diu obtinuerant, Ecclesiæ bona. Fatemur similiter, rem nunc esse de iis, qui licet nobiscum sentiant, pertimescendum tamen est, ne a religione deficiant, si res Ecclesiarum fructusque rerum, quas possident vel a Turcis emptas, vel sævientibus concitationum bellorumque æstibus a se ipsis occupatas, restituere adigantur; denique posset & aliquis subtilioribus nixus argumentis inter alteram & alteram facti speciem discrimen aliquod adinvenire; quod ipsi quoque innuimus in literis ad te datis §. 19. Attamen, cum nos equa lance omnia libraverimus, censuimus atque censemus in rem præsentem faciendum plurimi timorem apostasiæ, in quam plures prolaberentur, si acrius bonorum fructuumque restitutio urgeretur. In dies conspicimus velut emolliri rigorem sacrorum Canonum, fierique epicheiæ locum atque dispensationibus quibusdam in rebus, ac præsertim in matrimonialibus,

bus, quoties, qui relaxationem juris postulat, regionem incolat hæreticis proximam, vel mediis hæreticis obversetur, propter timorem, ne cæco animi impetu abreptus a nobis deficiat, & quod inter Catholicos absque dispensatione inire prohibetur, matrimonium studeat contrahendum sese recipiendo in eum locum ac communionem, ubi nihil de dispensatione sollicitus genio suo valeat indulgere. Accedit in nostra hac facti specie, nos non sola impelli apostasiæ formidine. Torquet nos ea insuper sollicitudo, ne, si Ecclesiarum petitio, quæ sine turbis proponi haud facile potest, Turcis perspecta fiat, captent exinde ipsi opportunitatem alicujus excitandæ insectationis, quæ quousque protendi valeat, haud facile conjectura assequi possis, in maximum Christifidelium detrimentum, sanctæ religionis ac tot insontium pauperum perniciem, qui, licet nihil moliti, pro ipsorum libidine divexarentur.

Alia pro sententia Pontificis exempla.

Huc autem re perducta, videtur nobis, debere quemlibet facile intelligere, quæcumque a nobis præstantur, ea optimo jure fieri, quamvis nunc non sit nobis negotium cum exteris, qui ad Ecclesiam reditum maturent, sed cum iis, qui, licet a nobis stent, non levia tamen exhibent defectionis indicia, nisi assequantur, quidquid subest nostræ auctoritati distribuendum. Congruit plane rei nostræ indultum a Pontifice Martino V. in Synodo Constantiæ concessum Theutonicæ Nationi, quod affertur ab Harduino T. 8. Collect. Concil. pag. 891. cap. 6., cujus verba ideo hic non exscribimus, quod textus plurimum producitur. Universam Germaniam simoniaca lues jam plene obtinuerat; perplures quippe aderant Catholici Ecclesiastici, qui illicitis aperteque simoniacis artibus sacros Ordines & Ecclesiastica beneficia fuerant consecuti. Contagiosus morbus pæne omnes infecerat: obstringebantur conscientiæ turpiter; indubius erat in censuras, ac in ipsam quoque irregularitatem lapsus: contendere autem, ut, quicumque recensita methodo Beneficia obtinuerat, eadem dimitteret, dimissaque amplius adipisci non posset, ac insuper fructus omnes eousque perceptos restitueret, nil exinde aliud consecutum fuisset, quam ut eo ardentiori igne Germania conflagraret. Quapropter magnus ille Pontifex perpendens animo, ea jam incidisse tempora, quibus sua auctoritate uteratur, contrariis quibuscumque abrogatis, ampliorem Confessariis potestatem indulsit absolvendi reos a pœnis, quibus erant obnoxii, idoneos eos efficiendo, qui & obtentis frui, & alia quoque Beneficia assequi deinceps valerent, ipsamque etiam adimendo obligationem restituendi fructus injuste perceptos, quoties restitutio eosdem ad inopiam adigere, infamia notare, atque offensionis occasionem afferre debuisset; suam autem indulgentiam ad præterita cohibuit, ut pro viribus futura præcaveret incommoda.

Aliter actum in Catholicis regionibus.

Fausta nimis, Ven. Frater, extitere illa tempora, quibus, propterea quod res esset transigenda cum Christianis Principibus, subditisque Ecclesiam ex animo verentibus, Romanos Pontifices, magna spe secundioris exitus sibi propositi, paterant elata voce canonicarum sanctionum exsecutionem indicere. Obtigit id S. Nicolao I. Pontifici Maximo, quo Petri cathedram obtinente, dum in Gallia & Germania suis Ecclesiæ bonis fuissent denudatæ, quorum nonnulla per Principes fuerant laicis distributa, reliqua vero ab ipsismet laicis occupata, non destitit, quin suam ipse epistolam daret num. 59. impressam T. 5. præcitatæ Collect. Concil. Harduini pag. 296. "De his quidem rebus, quæ semel Deo tributæ atque dicatæ sunt, & postea sub occasione concessionis Principum a quibusdam invaduntur, sancimus, ut, prius consulto Principe, ad resecandam tam præsumptivam factionem cognoscendum sit, utrum illius sit concessio, aut invasionis præsumptio. Quod si Principis inordinata largitio, ipse sit Princeps pro emendatione redarguendus, si autem invasoris declaretur præsumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus. „

Fausta itidem & illa fuere tempora, quibus, cum Principes vellent conscientiæ suæ plene consulere, quod ad occupationem bonorum Ecclesiæ spectare videbatur, non satis ipsis fuit, nihil sibi habere, in pia opera vello omnia erogare, sed Summos Pontifices, quibus concredita est universalis administratio bonorum Ecclesiarum inferiorum, adiere, ut pen eos sibi liceret eadem huic potius, quam alteri pio operi addicere, optime scientes, quantumvis pie erogassent quæcumque Ecclesiis abstulerant, non propterea satis sibi esse consultum, nisi factum illud superaddita Pontificia auctoritate fuisset veluti obsignatum, juxta celebres literas Alexandri III. ad Henricum Angliæ Regem relatas apud Card. Baronium in Annal. ad an. 1164. "Si autem universa, quæ in usus tuos per hujusmodi angarias de bonis Ecclesiasticis convertuntur, in refectionem pauperum, vel aliis pietatis operibus expenderes, obsequium non magis Deo gratum efficeres, quam si, altari quolibet discooperto, aliud cooperires, aut si Petrum crucifigeres, ut Paulum a mortis periculo liberares. „ *Præclara extant non adeo vetusta exempla unius & alterius ex Ducibus Neoburgi, nimirum Wulfangi Willelmi, & Philippi Willelmi, qui nihil penitus ex occupatis Ecclesiarum bonis retinere voluerunt, sed, Romanorum Pontificum explorata sententia, præobtentaque approbatione, res rerumque fructus in sacram dotem constituerunt piis quibusdam institutis, ac religionis operibus, de quibus cum ipsa sancta Sede antea convenerant. Superioribus literis nostris num. 27. de præclaro hoc facto meminimus; tutissima autem ipsius monumenta suppeditarunt acta Congreg. Romanæ Universalis Inquisit. habitæ VI. id. Februarii 1657.*

Iniqua fert præsentis causæ conditio, ut damna & incommoda, quæ Mahumetani regionem obtinentes inferre possunt, serio expendere debeamus, atque præterea cum agrestibus mi-

Digitized by Google

serrimisque hominibus agendum esse consideremus; eximde enim nobis est dura illa necessitas efficiendi probandique, quod nunc præstamus, ne fiat lapsus in deteriora. Tu interim, qua præstas, sedulitate ne prætermittas ad Cardinales Congregationis deferre hæc omnia, ipsisque annuentibus, iteratas dare encyclicas literas ad Albaniæ Præsules, ad quos, sicuti superioris nostræ ad te datæ epistolæ die 19. Martii 1752. exemplum transmisisti, ita vobis & hujusce ad te nostræ, quam Apostolicam tibi benedictionem impertientes absolvimus.

Datum apud S. Mariam Majorem die 24. Maii 1754. Pontificatus nostri anno XIV.

Anno eodem, cum abusus rursum irrepsisset inter Albanenses Catholicos, ut Turcicis nominibus se suosque filios appellari sinerent contra atque tum Albanum Concilium jusserat, tum Pontifex ipse docuerat suis litteris anni 1744. superius allatis, Benedictus iterum Archiepiscopos, Episcopos, Parochos, cæterosque Operarios Evangelicos Albaniæ gravissime admonuit, ut ab omnibus Christianis suæ fidei commissis & Canonem Albanensem, & quod ipse præcepit, servari inviolate jubeant.

Benedictus Papa XIV.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Alia ejusdem Pontificis litteræ, queis vetat nomina Turcica a Catholicis Albanensibus haberi.

Quod Provinciale Concilium Albanum Provinciæ vestræ, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Anno MDCCIII. sub fel. rec. Clemente Papa XI. prædecessore nostro, celebratum, inter cætera Canone tertio sanctissime statuerat, nimirum ne Turcica, seu Mahumetana nomina sive parvulis, sive adultis in Baptismate imponerentur: neve Christifideles Turcicis, seu Mahumetanis nominibus, quæ nunquam sibi imposita fuerant, ob quamcumque vel tributorum exemptionem, & immunitatem, vel liberi commercii commodum, vel evitandarum pœnarum causam, se nuncupari paterentur: id ipsum inter cætera, nos quoque commendantes, confirmavimus, ac servandum præcepimus in nostra Encyclica Epistola, cujus initium est, Inter omnigenas, *pro Regno Serviæ, & finitimis regionibus, super pluribus Religionis ac disciplinæ capitibus die XI. mensis Februarii Anno MDCCXLIV. Pontificatus nostri Anno IV. edita. Providum igitur, ac salutare ejusmodi statutum ab Antecessoribus vestris, tanta cum sapientia, ac Religione conditum, & tamquam luculentum Catholicæ Fidei, sinceræque vestræ Christianæ pietatis exemplum aliis ad imitandum & omnino custodiendum a nobis districte præceptum, quemadmodum in Provinciæ vestræ majorem gloriam, & existimationem, majoremque consequendæ æternæ animarum salutis utilitatem, ita, si negligi forte contingat, in majus ejusdem vestræ Provinciæ dedecus, aeternumque animarum discrimen redundare videtur.*

§. 1. *Nos autem, qui abusum illum in prædicta Epistola nostra, tamquam turpem Christianæ professionis occultationem, ad infidelitatem accedentem pronuntiavimus, maxime eum Pontificii animi nostri mœrore accepimus, quod quamplurimi istius Provinciæ, posthabita æternæ salutis ratione, eadem Turcica, sive Mahumetana nomina usurpare pergant, non solum ut a tributis, & oneribus illis, quæ Christifidelibus imposita sunt, vel imponi sæpe contingit, immunes, & liberi sint, & habeantur; verum etiam ut tam ipsi, quam eorum parentes a Mahumetana secta apostatasse minime credantur, nec pœnis hac in re inflictis multentur. Hæc enim omnia, etsi Fides Christi in corde teneatur, fieri tamen nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ contraria; quæ mendacium in re gravissima continet, & virtualem Fidei negationem, maxima cum Dei injuria, proximique scandalo, includit: unde opportuna etiam præbetur Turcis ipsis occasio, Christifideles omnes, tamquam hypocritas & decepsores existimandi, atque adeo jure ac merito persequendi.*

§. 2. *Accedit præterea ad mœrorem, doloremque nostrum magis magisque augendum, quod nonnulli ex vobis ipsis, Venerabiles Fratres, atque ex vobis quoque, Dilecti Filii, Parochi, & Missionarii, ad tam pravam, ac detestabilem simulationem nihil animadvertentes, immo connitentes, atque inanibus, ad excusandas excusationes in peccatis, rationum momentis adducti, eos Christifideles curæ vestræ creditos, qui sæpe dicta Turcica, seu Mahumetana nomina assumunt, iisque vocari student, ad Sacramentorum participationem, sine ullo prorsus conscientiæ angore, & publica cum bonorum Christifidelium offensione admittere non vereantur.*

§. 3. *Hinc est, quod nos, qui ex injuncta nobis omnium Ecclesiarum sollicitudine, ac suprema Sacrosancti Apostolatus procuratione, Christianos omnes in viam salutis reducere, eosdemque puros, sinceros, in spiritu, & veritate ambulantes, & absque macula, Deo exhibere tenemur, postquam Venerabiles Fratres nostros, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales contra hæreticam pravitatem generales Inquisitores super hac re audivimus, de eorum consilio, primum quidem laudatum Concilii Albani vestræ Provinciæ Canonem renovantes, Apostolica Auctoritate nostra, tenore præsentium, confirmamus, & districte servandum mandamus; nec non memoratæ Epistolæ nostræ decreta ad vestram quoque Provinciam auctoritate & tenore paribus extendimus, & servanda itidem præcipimus; deinde districte pariter prohibemus, ne quilibet ex Christifidelibus quocumque casu vel prætextu, aut in quibusve excogitabilibus circumstantiis, eadem Turcica, seu Mahumetana nomina, ut Mahumetani credantur, assumere audeat.*

§. 4. *Porro, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, vos rogamus, & in Domino hortamur, ut serio animo ministerium vestrum, & distri-*

Digitized by Google

strictam supremo Pastorum Principi Jesu Christo æterno Judici rationem de commissis unicuique vestrum ovibus a vobis reddendam considerantes & ipsi curetis per bona opera vestra certam electionem vestram facere, & minime amittatis, (quod sine gravissima incuria, negligentiæque vestræ culpa accidere non potest,) eosdem Christifideles Provinciæ vestræ arguere, obsecrare, & increpare in omni patientia, & doctrina, ut conversationem suam inter gentes habentes bonam, in omnibus se ipsos præbeant exemplum bonorum operum, ut ii, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil habentes malum dicere de ipsis, quasi malefactoribus, qui turpis lucri causa aliquid in ore, aliud in corde gerunt. Quod si qui admonitionibus vestris, & præceptis nostris non acquiescant, ad Apostolicæ disciplinæ normam virga compesci debent, & circa ipsos Albanensis Synodi vestræ, & dictæ Epistolæ nostræ sanctiones & pœnæ omnino exsequendæ sunt, quibus in vita Sacramentorum, & post mortem, si impœnitentes decesserint, suffragiorum incapaces declararunt. Quas quidem pœnas iterum, quatenus opus sit, innovamus, & infligimus, & debitæ exsecutioni a vobis mandandas volumus, & injungimus. Hoc autem nemini ex vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, durum esse debet; quoniam nisi abundaverit justitia vestra plusquam Schismaticorum, & Hæreticorum, quorum tamen nullus Mahumetanum nomen assumere præsumit, non intrabitis in Regnum Cœlorum.

§. 5. *Illos denique, qui ex Mahumetanis Christiani sunt facti, vel qui istorum sunt filii, si de sua in fide constantia diffidant, vereanturque, ne si Turcica deponant nomina, Dominantium pœnas incurrant, easdemque subire formident, serio admoneatis, ut omnino regiones illas occulte deserant, & ad Terras Christianorum accedant, atque confugiant, in quibus & Deus, qui dat escam omni carni, & Fidelium charitas minime ipsis deerit; maxime si Episcoporum commendatitiis Epistolis muniantur. Interim vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem, quam a quolibet Venerabili Fratre Antistite in sua Diœcesi Christifidelibus Orthodoxis nostro nomine impendi volumus, peramanter elargimur.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die prima Augusti MDCCLIV. Pontificatus nostri Anno decimoquarto.

Lazari Archiepis. laboriosa sollicitudo, & vigilantia.

Sex & triginta annos Lazarus populis sibi commissis sedulo advigilavit, & eorum saluti utilitatique impigram, & laboriosam operam impendit; nulla in re sibi parcens, non valetudini, non quieti; non æstus, non frigoris ratione habita, quocumque rei Christianæ necessitas vocaret, promptissime advolans. Nullis incommodis, nullis ærumnis, nullis periculis deterrebatur, quominus omnia optimi patris ac pastoris munera, & officia exsequeretur, atque inter gentes infideles cum assidue versari deberet, multas ab illis contumelias & injurias pertulit; veluti anno 1769. cum sceleratissima Schismaticorum factio in Latinos Catholicos conspiravit; & post tres & triginta domos incensas, in ipsam Lazari ædem invasit; flammisque injectis, tum ejus Bibliothecam, tum omnem supellectilem absumpsit. Nihil tamen fuit tam periculosum & exitiale, quod illum a suo grege charissimo, ac tradita sibi statione avellere posset. Tot igitur ærumnis ac laboribus non magis, quam ætate fractus confectusque, annum agens octavum supra septuagesimum piissime obiit in oppido Livario prid. non. Februarii anni 1786., & in Ecclesia Zaruffensi, quæ Scodrensis diœcesis est, honorificis exsequiis conditus jacet.

Ejus obitus.

GEORGIUS II. ARCHIEPISC. ANTIBARENSIS L.

Georgius Archiep. Antibarensis anno 1786.

Cognomento Junchius ortus est in oppido Livario diœcesis Antibarensis, qui post exactos rite sancteque plures annos in obeundis Ecclesiasticis muneribus primum Pulatensis, postea Alexiensis Episcopus, deinde virtutum laborumque meritis dignus habitus fuit, qui ad Antibarensem Metropolim eveheretur IX. Kal. Augusti anni 1786. Pallio Archiepiscopali insignitus VIII. Kal. Octobris anni ejusdem in Ecclesia Alexiensi, quam Deiparæ sacram obtinent Patres Franciscani, paullo post Livarium sese recepit, ubi etiam anno insequenti immatura morte præreptus est VII. Kal. Februarii, cum annum ageret nonum supra quinquagesimum, & in æde S. Petri ejusdem oppidi honesto funere humatus fuit.

GEORGIUS III. ARCHIEPISC. ANTIBARENSIS LI.

Georgius Archiep. Antibarensis an. 1787

E familia Angela Radovanna Scodrensis diœcesis, & pagi seu oppidi *Scirocco* dicti. Postquam annos aliquot Ecclesiæ Scodrensi præfuisset, IX. Kal. Majas anni 1787. Antibarensem Sedem conscendere jussus fuit, & in æde Salvatoris Riolensi, quæ Scodrensi subest Episcopo, pallium accepit Kal. Juliis. Triennio hanc Ecclesiam administravit, ægra tamen valetudine, cujus curandæ causa cum Anconam advenisset, paullo post in ea urbe annos natus 56. diem supremum obiit XVII. Kal. Decembris an. 1790. cui in Cathedrali Ecclesia sepulturæ honor concessus est solemnibus cæremoniis, & cum hac inscriptione.

A. ☧ Ω.

GEORGIO.
DE . COMITIBUS . ANGELI . RADOVANNI .
SCODRENSI
PATRIAE . PRIMUM . EPISCOPO .
DEIN .
ARCHIEPISCOPO . ANTIBARENSI .
AC . REGNI . SERVIAE . PRIMATI .
CHRISTIANAE . RELIGIONIS .
IN . TURCARUM . IMPERIO .
INCLYTO . PROPUGNATORI .
DEMORTUO . ANCONAE . XVII . KAL . DECEMB .
ANNO . REP . SALUT . MDCCXC .
AETATIS . SUAE . LVI.
COMES . ANDREAS .
FRATER . AMANTISSIMUS .

M. P.

Fran-

Digitized by Google

FRANCISCUS II. ARCHIEPISC. ANTIBARENSIS LII.

Franciscus Borzius primum Ep. Scodrensis anno 1787.

Patria Scodrensis, qua in urbe natus est XVI. Kal. Novembris anno 1752 e familia Borzia. Politioribus literis ab ineunte ætate optime excultus sacris etiam studiis animum adjecit, quo Deo & Ecclesiæ se utilius sanctiusque dicaret, tantumque morum integritate ac doctrina profecit, ut ante statutam ætatem sacerdotali ordine initiatus fuerit, & anno 1775. VIII. Kal. Augusti ad aram primo incruentum sacrificium confecerit. Tum Scodrensi paroeciæ administrandæ præpositus nihil sibi negligendum duxit, quod & religioni incrementum ac decus, Catholicis solatium, & animorum subsidium opemque posset afferre. Quare, probe perspecta & probata Francisci fide atque constantia in regendo grege sibi commisso, Pius VI. Pontifex totam illi Scodrensem Ecclesiam tradidit, illiusque Episcopum renuntiavit IX. Kal. Majas anni 1787. Quam vero Scodrensibus Catholicis pergrata fuerit ejus electio, ii testati sunt ingenti Cleri populique concursu, quo Episcopalem Francisci consecrationem celebrarunt VIII. id. Julii in Ecclesia Zaruffensi Divæ M. Magdalenæ, quæ parum Scodra distat, sacrum munus peragente Georgio Archiepiscopo Antibarensi cum Presbyteris duobus Joanne Logorezzio, & Paullo Duoda Miriditarum Abbate, ut Pontifex præter consuetum Ecclesiæ ritum concesserat. Fere quadriennio præfuit; nam anno 1791. XII. Kal. Apriles jussu ejusdem Pontificis, Scodrensi dimissa, ad hanc Metropolitanam migravit, cujus possessionem adiit XI. Kal. Julias, cum pridie Idus Junii pallium a Marco Criesesio Scodrensi jam Antistite in ejus locum suffecto accepisset in suburbana ad Scodram Casenate Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ. Nova dignitas animum viresque addidit Francisco ad novos gravioresque obeundos labores, quos alacriter fortiterque sustinet adhuc, ut suæ diœcesis utilitati & commodis consulat. Neque solum in animarum salutem ejus cura, & assidua sollicitudo versatur, sed etiam sacra supellectile plures Ecclesias sibi subjectas propriis sumptibus ornavit. Antibari domum emit suo ære, in qua urbis Parochus absque incommodo aut molestia tuto consistat, & in oppido Livariensi sacram ædem a fundamentis non extruxit modo, verum, quod magis mirere, ipse prægrandes lapides suis imponens humeris e monte ad ædificii locum deferre ausus est haud minori humilitatis, quam ferventissimæ pro divino cultu religionis exemplo, quo permoti accensique Antibarenses Catholici divinitus sibi datum Antistitem in dies diligunt magis, coluntque, ejusque præceptis, consiliis, monitis, atque hortationibus obsequentissime parent. Faxint Superi, ut diu vivat incolumis, & gentes illæ talis ac tanti Pastoris solatio ac præsidio diutissime perfruantur.

deinde Antibarensis Archiepan. 1791.

Digitized by Google

EPISCOPI SUFFRAGANEI
METROPOLIS ANTIBARENSIS.

EPISCOPI ALBANENSES SIVE ARBANENSES.

Albaniæ descriptio & nomen.

ALbaniæ provinciæ, & Albaniæ urbis nomen pluribus in Asia, in Britannia, in Pannonia, in Latio, in Illyrico regionibus ac civitatibus, quas enumerare non vacat, commune est apud veteres ac juniores Geographos. Albania nostra Illyrica extremam Dalmatiæ partem, & finitimam Epirum novam cis ultraque Drilonem fluvium complectitur. Hinc duplex Albania Illyrica, altera Dalmatica inter Drilonem & Sinum Rhizonicum, altera Epirotica ab Drilone usque ad montes Acroceraunios. Nomen Albaniæ primum quidem in Epirum novam, quæ pars etiam Macedoniæ dicta fuit circa Acroceraunios præcipue, ut notat etiam Philippus Brietius in T. 2. Geogr. vet. & nov. parte 2. lib. 3. de regno Macedonico pag. 368. edit. Paris. anni 1649., ab Albanis populis ad mare Caspium illatum fuisse ajunt, qui expulsi a Tartaris illuc migrarunt; deinde vero sive Principum, sive illarum gentium arbitrio, usuque loquendi in postremam illam & proximam Dalmatiæ partem, Driloni & Sinui Rhizonico interjectam, propagatum fuit. Sed nomen Albanum, cum multis ante Tartarorum irruptionem sæculis in Epiro nova usurpari & audiri cæperit, huic regioni longe antiquius obvenisse videtur. Leo Sapiens, qui sæculo nono rerum in Oriente potiebatur, in sua expositione de nominibus urbium & locorum &c. incolas Epiri novæ appellari ait *Albanitas*. Albanopolis civitas est Ptolemaica, quam Ptolemæus apud Panyasum fluvium in Macedonia locavit, scilicet in Epiro nova, quam & in T. I. Illyr. Sacr. part. 3. proleg. cap. 1. §. 3. pag. 254. Macedoniæ jure diximus fuisse olim attributa, immo & Græciæ ipsi. Hanc urbem Meletius & alii Metropolim Albanorum appellant, & Philippus Ferrarius in Lex. Geogr. ab Dyrrhachio supra 40, a Lisso 35. millia passuum in ortum disjunxit; nunc mœnibus fere nudata, ædificiis & incolis diminuta vix oppiduli nomen retinet; unde Brietius in loco laudato pag. 359. male suspicatur Albanopolim eamdem cum Crojensi urbem esse, aut hanc ex illius ruinis excitatam; & Croja Lisanæ fluvio adjacet, Albanopolis ad Panyasum, nunc *Spirnassa* vulgo dicitur, sita fuerat. Hæc ne vero, an altera consimilis vocabuli civitas Episcopalis Albanensis sive Arbanensis sub Metropolita Antibarensi, de qua in Actis Consistorialibus, merito dubitari potest. Sed Albanopolis ab Antibarensi Metropoli longius distat, quam ut intra hujus provinciæ fines constituta fuisse videatur, & cum propius abesset a Metropoli Dyrrhachiensi, huic potius, quam illi attribui posset. Albanæ urbis, siqua fuit ab Albanopoli diversa, nulla exstant vestigia, ex quibus illius positio queat dignosci. Albanensem Crojensi diœcesi finitimam fuisse, illud indicio videtur esse, quod Joannes XXII. an. 1316. mandatum dedit Episcopis Crojensi & Albanensi, ut nomine & auctoritate Sedis Apostolicæ Archidiaconatum Metropolis Dyrrhachiensis per legitima suffragia Capitularia Costæ Presbytero collatum confirmarent; ex quo apparet, hosce duos Episcopos intra se confines fuisse. Idem colligi potest ex literis Joannis Collesii Episcopi Arbanensis ad Sacram Congregationem anni 1624, in quibus ait Ecclesiam suam Cathedralem apud Crojam esse sub titulo & auspiciis S. Venerandæ. Abolito siquidem Episcopatu Crojensi, hujus diœcesis administratio tradita fuit propinquiori Episcopo, videlicet Albanensi, qui, urbe & Sede Episcopali vel eversa, vel amissa, suum domicilium & ædem Cathedralem non longe ab Croja collocavit.

Albaniæ metropolis.

De urbe Albanensi

Sæculo decimo tertio duos anonymos Episcopos Arbanenses sive Albanenses iisdem temporibus fuisse deprehendimus ex literis Innocentii IV. alteris ad Episcopum Catharensem an. 1252. alteris ad Archiepiscopum Antibarensem anno 1251. Unus ex illis detrectabat imperium sui Metropolitæ legitimi, nimirum Antibarensis, eique se subjectum esse abnegabat. Pontifex Episcopo Catharensi imperavit, ut, Apostolicæ Sedis auctoritate interposita, illum ad officium atque obedientiam suo Metropolitæ debitam revocaret. Alter erat quidem Schismaticus, sed cupidus fidei & communionis Catholicæ amplectendæ, quem idem Pontifex in sinum Ecclesiæ Romanæ ab Archiepiscopo Antibarensi recipi jubet. En duos Episcopos Arbanenses coæquales, sed iis notis distinctos, quæ in unum eumdemque Episcopum convenire nequeunt. Primus desciverat quidem a suo legitimo Metropolita, sed nullius pravitatis schismaticæ arguitur. Secundus vero schismatica labe erat infectus, cupiebatque ad communionem Catholicam admitti, & conjungi cum S. Romana Ecclesia. Non ignorabat Pontifex, primum jure provinciali obnoxium esse Archiepiscopo Antibarensi, ad cujus fidem ac potestatem illum redire jubet; nescire autem se ostendit, an cuipiam

& hujus Episcopis Græco ac Latino inquisitio.

Digitized by Google

piam e Latinis Metropolitis secundus subjectus esset, & Sedi Apostolicæ subjici vult, si nullum e Latinis Præsulibus Metropolitam habeat, cui obtemperare debeat. Uterque Arbanensis & in Arbania provincia constitutus esse dicitur, nisi quod provincia Arbanensis Episcopi schismatici pars Græciæ appellatur: *In Græciæ partibus quædam habetur provincia, quæ Arbania nuncupatur, cujus Episcopus cordi habere dicitur, ut Romanæ Ecclesiæ conjungatur.* Verum Epirus nova, sive Arbania Epirotica pars erat Macedoniæ, quæ communi Græciæ universalis vocabulo cum ipsa Epiro quandoque nominata fuit. In hac igitur Arbania, sive Albania Epirotica, duo erant Episcopi Arbanenses; utrum vero duæ fuerint civitates & Ecclesiæ Episcopales ejusdem nominis, altera, cui Latinus, altera, cui Græcus & schismaticus Episcopus præsideret, adhuc inquirendum.

Albania Epirotica Impp. & Patriarchis Constantinopolitanis subjecta.

Imperatores Græci jamdudum, ut Patriarchæ Constantinopolitani jurisdictionem amplificarent, plurimas Illyrici & Græciæ provincias a Patriarchatu Romano divulserant, in his Dyrrhachium & Epirum novam, quam nos Albaniam Epiroticam vocamus. Leo Imperator cognomento Sapiens sæculo nono inter *Thrones Ecclesiarum, quæ Patriarchatui Constantinopolitano subjacent*, loco 43. *Dyrrhachium* adnumeravit; & in Notitia veterum Provinciarum & Urbium, quæ per eadem tempora Græcis Imperatoribus suberant, aut inferiori ævo, quam Carolus a S. Paulo in Append. Geograph. Sacr. evulgavit, pag. 22. loco 13. ponitur *Provincia novæ Epiri sub Consulari. Urbes 9.* 1. *Dyrrhachium, quæ alias Epidamnus.* 2. *Scappa.* 3. *Apollonia.* 4. *Bules.* 5. *Amantia.* 6. *Polycheriopolis.* 7. *Aulon, sive Aulinidas Metropolis.* 8. *Listron.* 9. *Et Scepon.* Postquam vero Patriarchæ illi Imperatorum suorum auctoritate & præsidio freti per omnes fere Illyrici Orientalis provincias Patriarchæ Romano ereptas ditionem suam potestatemque propagarunt, in eas Episcopi Græci, & plerumque schismatici intrudi cœperunt; nec tamen Latini Antistites juris antiqui retinendi caussa in iisdem regionibus & Ecclesiis creari desierunt, qui Christianis ritus & dogmatis Romani præessent, ex quo sæpe accidit, ut duo Episcopi Græcus & Latinus ejusdem Ecclesiæ administrationem, vel certe titulum gererent. Nunc etiam pro partibus Orientis, ubi Turcæ dominantur, nominari ac designari solent Præsides Latini, iisque titulus honorarius, & ab omni curatione vacuus conferri sumptus ex illis Ecclesiis, quas Præsules Græci administrant; quin imo in quibusdam insulis maris Ægæi duo Episcopi existunt, alter Latinus, qui Latinorum, alter Græcus, qui Græcorum sacra procurant. Ad hunc fere modum duo iisdem temporibus in Albania Epirotica erant Albanenses Episcopi, Latinus idemque Catholicus, Græcus idemque schismaticus; hic apud Græcos Photianis erroribus imbutos, ille apud Latinos Fidei Romanæ cultores rem Christianam curabant. Quod si ita est, ut mihi vero propius videtur, necesse non est duas comminisci Ecclesias Arbanenses; una & eadem erat, ex qua uterque Episcopus titulum sumpserat; & Albanopolis quidem, quam Meletius Albanorum Metropolim vocat, erat illa civitas, in qua fortasse domicilium & sedem habebat Episcopus Græcus a suis decessoribus acceptam, qui eam obtinebant, cum Imperatores Græci in illis partibus late dominabantur; nec vero illam dimiserant post Constantinopolim a Francis & Venetis captam, Imperiumque Orientis ad Latinos translatum. Nobiscum vero sentire videtur Hyacinthus Sbaralea in notis epistolæ Pontificiæ adjectis pag. 350. T. I. Bull. Francisc. *Cujus civitatis esset* Episcopus, *non exponitur; verisimile tamen est extitisse Albanopolim, a qua regio illa denominatur.* Episcopus vero Latinus Arbanensis, urbe ac Sede Episcopali jamdudum amissa, & necdum recuperata, in aliquo Diœcesis Arbanensis oppido domicilium veluti precarium nactus, Christianum & Catholicum gregem sibi commissum regebat. An Episcopus ille schismaticus redierit, receptusque fuerit in gratiam & communionem Sedis Apostolicæ, literis proditum non invenio; neque mihi compertum est, utrum in ejus Sedem Arbanensem alii deinceps Episcopi e natione Græca & factione schismatica successerint. Sed ex Raynaldo ad hunc annum 1250. conjici facile potest, Episcopum illum Photianos errores ejurasse; scribit enim, nonnullas Provincias e Græco schismate Romanæ Ecclesiæ se per ea tempora adjunxisse, quibus hic Albaniæ Antistes exemplo præiverit.

Episcopatus Arbanensis primordia, & Antibarensi Metrop. subjectio.

Episcopus Arbanensis sive Albanensis, ex quo in tabulis Ecclesiasticis nominari cœpit, semper subjectus esse dicitur Metropolitæ Antibarensi; sed institutio hujus Episcopatus non admodum antiqua esse videtur. In Concilio Delmitano an. circiter 870. in quo Provinciarum & Ecclesiarum descriptio & distributio facta fuit, plures quidem Ecclesiæ Dalmatiæ superioris novo Metropolitæ Diocliensi attribuuntur, sed ab illarum numero abest Ecclesia Arbanensis. Alexander II. in suis ad Archiepiscopum Antibarensem litteris an. 1062. Ecclesias omnes nominatim percenset, quæ intra fines Provinciæ Antibarensis continentur, sed Arbanensem silentio præteriit. Post sæculum undecimum in omnibus deinde catalogis Ecclesiarum nominatur Episcopus Arbanensis sive Albanensis, & Metropoli Antibarensi subjicitur. Ut autem aliarum Diœceseon in utraque Albania, sic etiam Albanensis antiqua circumscriptio quænam fuerit, haud facile intelligi potest. Haud vero angusta ita fuit, ut Episcopalem dignitatem dedeceret; quatuor autem in hac Diœcesi monasteria Ordinis S. Benedicti exstitisse, eaque illustria nos docet Notitia totius orbis terrarum a Petro Paullo Attavanto descripta; nimirum S. Ale-

Digitized by Google

S. Alexandri in Molendino, S. Alexandri de Prothas in Belleya, S. Mariæ de Irrefandena, & S. Nicolai de Mirathi. Postquam hæc regio sub imperium & barbariem Turcarum cecidit, plerisque civitatibus, oppidis, pagis eversis aut devastatis, locorum nominibus & finibus variatis, perturbatio dioeceseon secuta est, & magna confusio, ut ne ipsi quidem Episcopi quid ad suam, quid ad alienam jurisdictionem pertineret, satis certum haberent. Hinc sæpe inter illos de confiniis & Ecclesiis cujusque diœcesis controversiæ fuerunt, dissensiones & discordiæ, ex quibus ingens rei Christianæ detrimentum, & miseranda calamitas, quam Patres Albani part. 3. cap. 4. Concilii Nationalis habiti an. 1703. his verbis deplorant: *Perniciosa quidem exstitit Albanæ genti diuturna Episcoporum disceptatio, qui, dum in diœcesum confiniis vel tuendis, vel protrahendis altercarentur, pacis ordine perturbato, discordiaque fluctibus agitati ipsas periclitantium Fidelium calamitates augebant, magna inter dissidia majora pericula intendentes.* Ad controversias illas dirimendas necesse fuit iterum ac sæpius ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide confugere, quæ vel per se ipsa ex locorum descriptione litteris tradita, & in urbem missa, lites illas composuit, vel finibus regendis & constituendis arbitrum dedit; veluti an. 1638. Franciscum de Leonardis Archidiaconum Traguriensem, qui, ut est in loco laudato Concilii Albani, *post discussam locorum positionem, causæque momenta diligenter expensa mutuis compositionibus Episcoporum Sappatensis, & Albanensis & Alexiensis, singulis præfatis Diœcesibus confinia publico præscripsit instrumento, & compositis tandem discordiæ fluctibus, dissidiorum tempestates pax optata serenavit.* Præterea transitus familiarum ex una in alteram diœcesim jurisdictiones Episcopales perturbarunt; nam Parochi dioeceseon, unde illæ familiæ discesserant, in eos, qui alio transmigraverant, jus parochiale retinere volebant, iisdemque ægrotantibus suprema Sacramenta conferebant; & cum hi supremo in vitæ periculo constituti in sepulchris majorum suorum se condi postremis tabulis juberent, illorum cadávera ad Ecclesiam & parœciam, quam soli vertendi caussa reliquerant, ex aliena diœcesi solemni ac funebri pompa transportabant. Hinc quoque perturbationes dioeceseon ortas esse animadvertit Synodus Albana; atque huic malo ut remedium adhiberet, Parochis omnem jurisdictionem in eos ademit, qui, sua relicta, in alienam diœcesim migrassent: *Frequens*, inquit cap. 8., *abusus obtinet, ut familiæ, quæ ex una diœcesi brevi itinere proficiscentes intra fines alterius sedes figunt, sepelire soleant mortuos suos in sepulchro patrum suorum, quod situm est in parochiali Ecclesia, ex qua recesserunt, & præfatæ Ecclesiæ, tamquam venerabilis tenaces antiquitatis, se in æternum unitos & mancipatos fideles profiteantur, ab ejus quoque Parocho in administratione Sacramentorum omnimoda pendentes subjectione ita, ut Parochus loci, in quo novi accolæ commorantur, nullam in eos exerceant jurisdictionem; hinc diœceseon perturbatio, legitimi juris violatio, totaque emanat rerum confusio, in qua, dum falx mittitur in messem alienam, novis subinde dissensionibus in agro Dominico disseminata zizania adcrescentem segetem opprimit, & bonum semen mala sata dissidia demoliuntur. Tanto igitur negotio opportunis providentes remediis edicimus, & mandamus parochis omnibus, ut sub pœna suspensionis & excommunicationis nulla parochialia jura exerceant in præfatas familias, quæ ex eorum parochiæ finibus egressæ illius curæ subjiciuntur, inter cujus septa commorantur. Novis interim incolis locum sepulchri assignent Parochi in Ecclesia vel Cœmeterio, ne ex defectu sepulturæ eis suboriatur prætextus rerum ordinem subvertendi.*

Lites de finibus Diœceseon inter Episcop. Albaniæ a Sac. Congreg. de Prop. Fide dirempte.

Eadem Synodus has Ecclesias, de quibus Albanensi cum Alexiensi Episcopo erat controversia, diœcesi Albanensi adjudicavit part. 3. cap. 4. *S. Georgii de Cucula, S. Joannis de Bulgaris, S. Mariæ de Lassingaghi, S. Marci & S. Venerandæ de Nebsella, S. Blasii sive Alexandri de Selita*; quæ quidem antea, anno videlicet 1638. jurisdictioni Albanensis Episcopi, arbitro & transactore Francisco de Leonardis Archidiacono Traguriensi, adscriptæ fuerant. Ex quo Episcopi Crojenses creari desierunt, diœcesis Crojensis magna ex parte ad Albanensem accessit; & exinde Episcopus Albanensis idem & *Crojensis* appellari solet. Cæterum *Arbanentis* antiquitus, & decurtato vocabulo etiam *Albensis* dictus, a Scriptoribus posteriorum temporum *Albanensis* vocatur. Nos horum exemplum & auctoritatem secuti, tum veteres, tum recentiores Episcopos non alia quam *Albanensium* appellatione nominabimus. Ex his Episcopis nullum medio fere sæculo duodecimo antiquiorem in tabulis ecclesiasticis inveni; huic deinceps alii ex aliis, sed serie Episcopali identidem interrupta, successerunt, quorum sane plurium nomina & acta vetustas atque oblivio intercepit. Hi autem sunt.

Episcoporum Arbanensium jurisdictio.

I. Lazarus an. 1166.
II. N. N. an. 1199.
III. N. N. an. 1252.
IV. Michael an. 1295.
V. Martinus an. circ. 1304.
VI. Michael II. an. 1316.
VII. Laurus an. 1350.
VIII. Nicolaus an. 1354.
IX. N. N. an. 1364.
X. Dominicus an. 1367.
XI & XII. Joannes I. & Joannes II. an. 1392.
XIII. Andreas an. 1411.
XIV. Andreas II. an. 1426.
XV. N. N. anno incerto.
XVI. Angelus an. 1494.
XVII. Joannes III. an. 1506.

Digitized by Google

XVIII. Jacobus an. 1518.
XIX. Ludovicus an. 1519.
XX. Dominicus II. an. 1554.
XXI. N. N. an. circ. 1578.
XXII. N. N. an. 1608.
XXIII. Joannes IV. an. 1615.
XXIV. Marcus an. 1635.

LAZARUS EPISCOPUS ALBANENSIS I.

Lazarus Episc. Albanens. anno 1166.

Interfuit dedicationi Ecclesiæ Cathedralis Catharensis anno 1166. cum Martino Drivastensi, & Joanne Dulchiniensi Episcopo, atque Andrea Arbanensis civitatis Prætore; ipse vero & altare ejusdem Ecclesiæ titulo Deiparæ Virginis, ac Innocentium Martyrum consecravit; ut docent hujus consecrationis tabulæ, quas habes in Malone Episcopo Catharensi.

N. N. EPISCOPUS ALBANENSIS II.

N. N. Episc. Alban. an. 1199.

Intra finem sæculi duodecimi hanc Ecclesiam regebat. Anno 1199. habita est Synodus Diocletana, præsidentibus Legatis Sedis Apostolicæ Joanne Præfecto Sacelli Pontificii & Simone Subdiacono, quos Innocentius III. ad Vulcanum *Illustrem Regem Dalmatiæ & Dioclitæ* miserat, de qua in Joanne Archiepiscopo Antibarensi. Convenerant fere omnes Episcopi Provinciæ Antibarensis; sed Arbanensis usus legitima excusatione, cur per se ipse adesse non posset, misit Dominicum Archipresbyterum, qui sua vice fungeretur, & suum locum teneret. Cum autem Arbanensis cæteris provincialibus Episcopis ætate anteiret, idcirco proxime post Joannem Metropolitam ante omnes alios Acta & Decreta subscripsit *Dominicus Archipresbyter Arbanensis*.

qui Archipresbyterum suum misit ad Synodum Diocletanam.

Eumdem hunc esse arbitror, ad quem datæ sunt anno 1209. litteræ Innocentii III. inscriptæ *Albanensi* Episcopo, in lib. 12. epist. hujus Pontificis num. 95. In his jubet Innocentius, ut Prætorem Dyrrhachii, quæ urbs tum suberat Venetorum ditioni, serio admoneat Episcopus, ne molestiæ quidquam afferat Archiepiscopo, quem a suæ Ecclesiæ possessione abjecerat, eique, quæ vi detinebat, Episcopatus bona restituat; secus, eum ad officium exsequendum adigat, etiam inflicta anathematis pœna. Rem uberius in Ecclesia Dyrrhachiensi exponam; litteræ vero Pontificiæ sunt hujusmodi.

Albanensi Episcopo.

Ex literis venerabilis fratris nostri Duraciensis Archiepiscopi nostris est auribus intimatum, quod cum Ecclesiæ Duraciensis Canonici eumdem in Archiepiscopum elegissent, & venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha electionem ipsius confirmasset, & in Episcopum consecrasset, eumque direxisset ad regimen Ecclesiæ memoratæ.... Rector Venetorum, qui domos, possessiones, thesaurum & alia bona dicta Ecclesiæ occuparat, non permisit eumdem Duraciensem ingredi civitatem, nec in ejusdem territorio commorari, & cum quadam vice tanquam extraneus eamdem civitatem intrasset, ipsum per suos satellites recedere coegit ab illa. Cum igitur hæc, si vera sunt, in præjudicium sint ecclesiasticæ libertatis attentata, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum Rectorem & Venetos apud Duracium commorantes, ut restitutis bonis Duraciensis Ecclesiæ universis, eidem super Archiepiscopatu præfato & pertinentiis ejus nullam inferant molestiam vel gravamen, moneas prudenter & efficaciter inducas, ipsos ad hæc, nisi aliquid rationabile, quare id fieri non debeat, objectum fuerit & ostensum, per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, compellens. Dat. Viterbii XV. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno duodecimo, id est 1209.

Equidem ab anno Diocletani Concilii 1199. decem ferme annorum spatium excurrit ad hunc annum 1209. quo unius ejusdemque Episcopi vita potest contineri; nec opus est, ut unum, qui Diocleam ad Synodum per suum Archipresbyterum convenit, & alterum statuamus Albanensem Antistitem, ad quem scripsit Innocentius, & eo vel maxime quod tempus initi a priore Episcopatus nullo patere potest indicio.

N. N. EPISCOPUS ALBANENSIS III.

N. N. Episc. Alban. anno 1252. obedientiam negat suo Metropolitæ;

Dum Ecclesiæ Albanensi præsidebat, inter Ragusinum & Antibarensem Metropolitas controversiæ illæ de jure metropolitico, & Episcopis provincialibus fervebant, de quibus sæpius dictum est; nullam tamen de Albanensi Episcopatu litem Antibarensi Archiepiscopo illatam fuisse invenio. Verum hic anonymus Episcopus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut sui Metropolitæ Antibarensis imperium abnueret, seque illi subjectum esse recusaret; & fortasse, quod ejus Ecclesia Episcopalis nomen commune ab universa Albania Epirotica acceptum haberet, titulum Archiepiscopalem sibi arrogabat, & in omnibus Ecclesiis Epiri novæ dominari volebat. De hujus temeritate ac pertinacia cum Joannes II. Archiepiscopus Antibarensis apud Innocentium IV. questus esset, Pontifex Centiberio Episcopo Catharensi per literas mandavit, ut graviter severeque admoneret Episcopum Arbanensem, qui nullo privilegio Apostolico fretus, nullisque rationum præsidiis munitus a suo Metropolita desciverat, eique debitum honorem atque obedientiam denegabat; jubeat illum, auctoritate Pontificia interposita, Metropolitam suum agnoscere, ac revereri, & quæ debet huic, obedientiæ ac submissionis officia præstare. Si abnuat, illum ex juris formula per viatorem ad tribunal Pontificis citandum curaret, diemque ad conveniendum in Curiam Pontificiam ediceret, ut rationem

Digitized by Google

nem redderet; cur Metropolitæ Antibarensi subjectus esse nollet. Epistola Innocentii est hujusmodi.

In quem epistola Innoc. IV. ad Episc. Catharen.

Innocentius Ser. Ser. Dei Ven. Fr. Episcopo Catharen. Sal. & Apostolicam Benedict. Sua nobis Ven. Fr. noster Antibarens. Archiep. querimonia demonstravit, quod Ven. Fr. noster Episc. Arbanensis ejus Suffraganeus ab obedientia & reverentia, in quibus eidem Archiepiscopo, sicut cæteri ejus Suffraganei, teneri dignoscitur, pro suæ voluntatis arbitrio temere se subduxerit; & quamquam nullo super hoc exemptionis privilegio a Sede Apostolica sit munitus, præfato Archiepisc. in suis mandatis licitis & honestis obedire denegat, minime juste. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, prædictum Episcopum, ut eidem Archiepiscopo tamquam suo Metropolitano reverentiam & obedientiam exhibeat, ut tenetur, attentius moneas & inducas. Quod si monitis tuis in hac parte acquiescere forte contempserit, tu ipsum ex parte nostra citans præfigas ei terminum peremptorium competentem, quo per se, vel procuratores idoneos compareat coram nobis eidem Archiepiscopo super præmissis legitime responsurus. Diem autem citationis & formam nobis tuis litteris tenorem præsentium continentibus studeas fideliter intimare. Dat. Perusii XII. *Kal. Maii, Pontific. Nostri an.* IX. idest 1252.

An Pontificiis mandatis paruerit, litteris proditum non invenio.

De alio Arbanensi Episc. Græco, & Schismatico

Per idem tempus alter erat in Albania Epirotica Episcopus Arbanensis itidem anonymus, natione Græcus idemque schismaticus, de quo hæc Odoricus Raynaldus ad an. 1250. *Adjunxere se Romanæ Ecclesiæ eodem tempore nonnullæ Provinciæ, quæ Græci schismatis, quo tenebantur, vincula diffregere.... Facem prætulit inter cæteros populis suis Albaniæ Episcopus..... quem Innocentius benigne excipi jussit, dataque Archiepiscopo Antibarensi sequentibus litteris provincia, imperavit, ut, si nulli Latino Episcopo obnoxius esset, illum Sedi tantum Apostolicæ parentem decerneret.* Cur hujusmodi Græcæ factionis Antistites iis in locis versarentur, neque idcirco duas Albanenses Ecclesias Episcopales esse distinguendas, satis in præfatione dictum est. Hæ vero Innocentii litteræ, quibus Episcopum Catholicæ religionis amplectendæ cupidum in fidem & communionem Sedis Apostolicæ recipi jussit.

Litteræ ejusdem Pontificis ad Archiepisc. Antibarensem.

Innocentius &c. Venerabili Fratri Michaeli Archiepiscopo Antibarensi Salutem & Apostolicam Benedictionem.

I

In Græciæ (1) partibus quædam habetur Provincia, quæ Arbania nuncupatur, cujus Episcopus sollicita mente desiderans, & prudenter advertens, quod positis extra fidem, & devotionem Sedis Apostolicæ non est datum ad perennis vitæ gloriam pervenire, maxime cum Dei virtus, & Dei sapientia, Dominus Jesus Christus B. Petro Apostolorum Principi, & successoribus ejus Romanis Pontificibus regimen universalis Ecclesiæ sub speciali & præeminenti noscatur privilegio commisisse, cordi habere dicitur, ut ejusdem membris Ecclesiæ ad æterni Pastoris gloriam indissolubili vinculo conjungatur. Quia vero semper ad hoc cordis nostri aspirat affectus, ut ii, qui ab unitate Sedis Apostolicæ reprobæ voluntatis impulsu, aut maligno spiritu instigante, vel quocumque alio modo discesserunt, ad illius obedientiam redeant, & in divinæ institutionis observantia sincera devotione permaneant, nos ejusdem Episcopi piis desideriis favore benevolo annuentes præsentium tibi auctoritate committimus, ut eumdem, si nulli Prælato Latino fuit unquam, aut esse debet de jure subjectus, vice nostra solemniter ac publicè ad gratiam & communionem Sedis Apostolicæ resumas, cum super hoc fueris ab ipso humiliter requisitus, decernens, eumdem nulli, præterquam Romano Pontifici, debere perpetuis futuris temporibus subjacere. His autem juxta mandati nostri formam rite peractis, tu pro nobis, & Ecclesia Romana fidelitatis solitum juramentum ab ipso recipias secundum formam, quam sibi sub Bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipse præstabit, de verbo ad verbum nobis per ejus patentes litteras suo sigillo signatas quantocius destinare procures. Datum Lugduni VI. *Idus Augusti, Pontificatus Nostri Anno octavo*, idest 1250.

NOTA.

1 Epirus nova, & ipsa Albania Epirotica, Ceu Macedoniæ pars & Græciæ late sumptæ olim censebatur; de quo in præfatione.

De Albanensi Ecclesia, ejusque Episcopis usque ad finem circiter sæculi hujus nulla supersunt monumenta. Vehemens tamen mihi insidet suspicio, aliquem exstitisse Albanensem Episcopum annis 1286 & 1288., qui *Abensis* Episcopus dicitur in litteris hisce annis datis Monasterio *S. Mariæ de Burgo Omnium Sanctorum* in Patavina civitate, & cum suo Metropolita, cum Crojensi, & Stagnensi, aliisque Episcopis indulgentiarum munus impertitus est sacris illius Monasterii Virginibus, & pro *Albensis* vocabulum *Abensis* irrepsisse. Certi tamen nihil ausim definire.

MICHAEL EPISCOPUS ALBANENSIS IV.

Michael Episc. Albanen. 1295.

Hic primus est ex Episcopis Albanensibus, cujus nomen litteris traditum ad nostram notitiam pervenit ex diplomate *Indulgentiarum* concesso an. 1295. Ecclesiæ Aretinæ S. Michaelis Ordinis Camaldulensis, in quo F. Michael Episcopus Albanensis cum Hieronymo Veglensi Antistite, aliisque nominatur. Exstat in T. 5 Annal. Camald. pag. 217. Nihil de illo præterea.

Digitized by Google

MARTINUS EPISCOPUS ALBANENSIS V.

Martinus Ep. Alban. an. circ. 1304.

In familiam Fratrum Minorum nomen dedit, quem Benedictus XI. sub initium sæculi decimi quarti ad Sedem Albanensem evexit. Historici Franciscani eum inter Episcopos Albaniæ sub Archiepiscopo Dyrrhachiensi adnumerant. In quodam diplomate *Indulgentiarum*, quod asservatur in Tabulario Cœnobii Patavini Minorum Conventualium, Episcopus *Albensis* appellatur; sed cum in Albania eum Episcopum fuisse scribant, alius esse non potest, nisi Albanensis, quem interdum *Albensem* vocatum esse diximus. Falluntur vero, cum Dyrrhachiensi Metropolitæ illum subjiciunt, siquidem Albanensis neminem alium, nisi Antibarensem Metropolitam agnovit & coluit. Martinum Patavii floruisse, adfirmat Tussinianus; ibique erat anno 1306., quo laudatum diploma ab ipso, aliisque Episcopis datum fuit postridie Nonas Januarii.

Suam Ecclesiam graviter corruptam offendit.

Ex epistola Benedicti XI. quam habes in Marino Archiepiscopo Antibarensi, ad ipsum scripta XIV. Kal. Decembris, an. 1303. intelligimus, in Arbania, ut in aliis Ecclesiis Provinciæ Antibarensis, Præsides Ecclesiarum, Clericos, Cœnobiarchas & Monachos soluta admodum disciplina, depravatisque moribus fuisse, quos ad honestatem vitamque ecclesiasticis, ac religiosis hominibus dignam ut revocaret, Marinum gravissimis verbis monet, atque hortatur.

adempti perperam usurpati rationem redditurus. Hæc est formula denuntiationis: *Citatio personalis contra Andream Archiepisc. Antibaren. qui &c. quique non attento, quod Antistitum depositio soli est Romano Pontifici reservata, Michaelem Episcopum Albanensem ipsius Suffraganeum deposuit, & Lazarum Abbatem Monasterii S. Alexandri Diœcesis Albanensis in illius locum subrogavit. Dat. Aven. XIII. Cal. Oct. an. Joannis IV.* scilicet 1319. An vero Pontifex, Lazaro amoto, Michaelem in suam sedem restituerit, mihi non est compertum. In litteris plurium Episcoporum datis Avenione die 13. Martii anni 1330. pro Ecclesia Rhecinetensi S. Francisci nomen legitur *Joannis Urbinensis* Episcopi, quem Matthæjus in monumentis Sardiniæ Sacræ has litteras proferens conjicit fuisse *Arbensem* Antistitem, & mendum irrepsisse notat in vocabulo *Urbinensis*; nam hoc anno Ecclesiæ Urbinensi præerat Alexander Guidius in Catal. Ughel. T. 2. Ital. Sacr. & cum Arbensis Ecclesia quandoque per errorem *Arbanensis* dicatur, in iis litteris pro *Urbinensis* legendum esse *Arbanensis Episcopi*. Sed neque Arbensem Sedem tenuit Joannes, quo tempore illam regebat Georgius de Hermolais, ut constat ex T. V. Operis nostri: si vero concedamus, vocem *Arbanensis* esse substituendam, verisimilis est conjectura, Joannem post Michaelem rexisse hanc Ecclesiam Albanensem. Verum, cum nulla suppetant potiora argumenta, illum Albanensibus Episcopis non adnumeramus.

incertum est, an suæ sedi fuerit restitutus.

MICHAEL II. EPISCOPUS ALBANENSIS VI.

Michael Ep. Alban. anno 1316. confirmat electionem Archidiac. Dyrrhachien.

Post initium sæculi decimi quarti ad hanc Ecclesiam regendam accessit, ad quem exstat mandatum Joannis XXII. Crojensi simul & Arbanensi Episcopo injunctum anno 1317., ut in lib. 2. an. 1. Joannis XXII. *Mandatum Crojen. & Albanen. Episcopis, quatenus confirment Apostolico nomine electionem factam a Capitulo Dyrrhachiensis Ecclesiæ de Archidiaconatu dictæ Ecclesiæ tunc vacante, ad quod de auctoritate approbata, & hactenus pacifice observata consuetudine dicta electio pertinet, de persona cujusdam Costæ, attento quod Schismatici dominium templi obtineant in dicta civitate Dyrrhachien., & dictus Costa non potest ad Sedem Apostolicam accedere ad effectum obtinendi dictam confirmationem electionis prædictæ.*

Episcopum dejectus

Andreas Archiepiscopus Antibarensis Michaelem ob caussam nescio quam Sede Episcopali dejecit, in ejusque locum Lazarum Abbatem Monasterii S. Alexandri substituit, contra quam Sedes Apostolica vetuerat, quæ jus exauctorandi Episcopos sibi reservarat. Itaque illi Joannes XXII. denuntiari jussit, ut Avenionem ad Curiam Pontificiam se conferret tum aliorum, in quibus deliquerat, tum hujus male facti, jurisque Metropolitis

LAURUS EPISCOPUS ALBANENSIS VII.

Laurus Ep. Alban. an. 1350. consecrat altare ædis Georgianæ Perasti.

Nobis notus ex schedula consecrationis altaris in æde S. Georgii, quam ipse, annuente Adamo Episcopo Catharensi, peregit Perasti anno 1350., & est hujusmodi: *Istæ sunt reliquiæ Sanctorum Lazarei, & Archillei*, forte *Nerei & Achillei; & ista sacratio facta fuit tempore Yliæ Archiep. Ragusini & tempore D. Petri Justiniani Comitis Ragusini per Fr. Laurum Episcopum Albanensem sub regimine Domini Jacobi de Octonis Alto-Comitis Lagustæ sub anno Dom.* 1350. *Indict. III. die* v. *mens. Aug.* Sed cujus Ordinis esset alumnus, ignoratur.

NICOLAUS EP. ALBANENSIS VIII.

Nicolaus Ep. Alban. an. 1354.

De quo dubitare non sinunt tabulæ testamenti conditi a Nixa filio Domagne de Menze, qui anno 1354. die Julii 18. aureum nummum Nicolao legavit: *Et detur Domino Nicolao Episcopo Arbanensi ducatus unus de auro:* ex libris Testam. Notariæ Ragusinæ.

N. N.

Digitized by Google

N. N. EPISCOPUS ALBANENSIS IX.

N. N. Ep. Alban. an. 1364.

Anno 1364. hanc Ecclesiam regebat, cum pro illo & pro cæteris Episcopis provincialibus Joannes IV. Archiepiscopus Antibarensis Ægidio Sabinensi Episcopo & Legato Apostolico centum florenos solvit; ex lib. introitus & exitus Cameræ Apostolicæ, ubi tacito nomine percensentur Episcopi *Suffraganei Archiep. Antibaren.*, inter quos *Arbanen.*

DOMINICUS EPISCOPUS ALBANENSIS X.

Dominicus Ep. Alban. an. 1367.

Ex libro nostro ms. de statu Ecclsiæ Jadrensis erat Episcopus an. 1367., cujus tamen religiosi Ordinis assecla, & idem ne fuerit cum superiore anonymo Episcopo, divinare non ausim. Is tamen est fortasse, qui anno 1372. cum aliis ejusdem provinciæ Episcopis solutione decimarum, quas debebant Curiæ Apostolicæ, dicitur exemptus; *de quibus nihil receptum fuit, neque exactum; pauperes enim sunt, & in miseria vivunt*; in Ration. Cam. T. 240. Hujus autem egestatis caussam conferendam censeo in ea tempora iniquissima cultoribus Fidei Romanæ, cum Helena mater Uroscii, postremi e stirpe Neemana regis Serblorum, Catholicos Latinos, quibuscumque poterat, injuriis ac maleficiis divexabat.

JOANNES I. ET JOANNES II. EPISC. ALBANENSES XI. & XII.

Joannes I. & II. Ep. Alban., non Arbenses, ad an. 1392.

Hos duos ejusdem nominis Episcopos Waddingus Arbanenses appellat. in Annal. sui Ordinis, sed horum Episcopatum in Provincia Jadertina, & ditione Veneta per errorem posuit, & catalogo Episcoporum insulæ Arbensis in Sinu Flanatico adscripsit: *Item factus est Episcopus Arbanensis in mari Adriatico sub ditione Veneta, & Archiepiscopo Jadrensi F. Joannes Tergestinus per liberam resignationem Joannis in manu Pontificis Kalendiis Martii an.* 1392. Sed tabulæ Arbenses, & catalogi Antistitum Arbensium utrumque respuunt, quippe Episcopatum Arbensem Zudenici de Zudenico ab an. 1375. ad an. 1407. producunt. Itaque inter Episcopos Arbanenses seu Albanenses utrumque annumeremus licet; quod etiam in T. V. hujus Operis monuimus pag. 250.

ANDREAS EPISC. ALBANENSIS XIII.

Andreas Ep. Albanens. anno 1411. antea Daynensis & Sardensis.

Erat Episcopus Daynensis & Sardensis, quem Joannes XXIII. dissoluto vinculo, quo utrique Ecclesiæ illigatus erat, ad regendam Ecclesiam Albanensem migrare jussit, ut est in Actis Consistorialibus: 11. *Februarii an.* 1411. *absolvit D. Andream Dagnensem Episcopum a vinculo, quo dictæ Ecclesiæ tenebatur, ipsumque transtulit ad Ecclesiam Arbanensem sub Archiep. Antibaren. vacantem per mortem N. N. ultimi Episcopi.* Hic vero Joannes II. fuisse videtur; & nulla est ratio, qua adducti alium anonymum Episcopum Andreæ præponamus. In Sedem Sardensem Joannes de Palumbis, in Daynensem Prebislavus Præses Cœnobii Augustiniani suffecti fuere, ut docent Acta Consistorialia, quæ suis in locis describemus.

ANDREAS II. EPISCOPUS ALBANENSIS XIV.

Andreas II. Ep. Albanens. an. 1426. translatus ab Alexiensi,

Quem ex Lissiensi sive Alexiensi Ecclesia Martinus V. ad Ecclesiam Albanensem transtulit. *Anno* 1426. VI. *id. Maii. Provisum est Ecclesiæ Albanensi per obitum vacanti de persona Domini Andreæ Episcopi Alexiensis translati &c.* uti ferunt Acta Constitorialia. Erat is in Epiro natus, & ex Epirotica familia, quod indicant litteræ Eugenii Pontificis mox describendæ; ejusque Episcopatus incidit in graves illas temporum calamitates, quibus Albania Epirotica Turcarum armis turbari, divexarique jam cœperat, & res Christiana iis in locis partim ob corruptos populorum mores, partim ob hostium sævitiem, & magnum in Catholicam religionem odium plurimum erat labefactata. Quibus malis levamen afferebant pietas, studium, assiduique labores tum Franciscanæ familiæ, tum etiam Dominicanæ, cujus alumni in hac provincia morum sanctitate, & religionis scientia florebant. Hinc Eugenius IV. suis litteris Dyrrhachiensi Archiepiscopo, aliisque Episcopis, in primis vero Albanensi, eos maxime commendavit, *ut errantibus ac deviis populis hujusmodi ad salutares ac uberes fructus reductionis accrescant* &c. Datæ sunt autem duæ anno 1438. tertia insequenti, quarta anno 1441. de quibus vide Antibarensis Ecclesiæ historiam in Petro II. Archiepiscopo. Porro Andreas nec Pontificis curæ, ac sollicitudini, nec suo muneri defuit in rebus adeo calamitosis; cumque videret, per totam fere provinciam crebra fieri ab ipsis etiam Christianis homicidia, ab iisque Turcarum vi adactis manus violentas injici in ecclesiasticos viros, inique pecunias in Turcas erogari ut sese ab illorum oppressione redimerent, immo Christianos quoque certo pretio vendi, ac immani barbarorum subjici servituti, scripsit ad Eugenium anno 1443., ejusque opem consiliumque poposcit, præsertim ut iis, qui propter hujusmodi crimina ecclesiasticis pœnis erant obstricti, nec sistere se poterant Romæ veniam deprecaturi, sibi liceret auctoritate Apostolica absolutionem largiri; conjugia vero, quæ plurima erant illicite contracta, rata firmaque constituere & habere. Annuit Pontifex Andreæ postulationibus, & ejus studio, incensoque animo in salutem sui gregis, aliorumque Christianorum collaudato, in hanc sententiam eidem rescripsit.

scribit Eugenio IV de misero suæ Ecclesiæ, & Serbiæ statu.

Ve-

Digitized by Google

Eugenii IV. litteræ ad Andream.

Venerabili Fratri Andreæ Episcopo Arbanensi salutem &c.

Apostolicæ Sedis copiosa benignitas commissi sibi gregis Dominici sedula solertia curam gerens ad ea libenter intendit, & præbet vigilantiæ suæ partes, per quæ animas lucrifaciat Christo Redemptori. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in civitatibus, castris, terris, villis & locis in provinciis Albaniæ & Rassiæ, & partibus circumvicinis constitutis, quarum aliquæ, & pro magna parte, proh dolor!, sub jugo impiæ servitutis infidelium Turcorum sunt redactæ, & per illos occupatæ detineantur, magna fidelium tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium personarum ..... quarum aliquæ homicidium, quædam membrorum mutilationes committere, nonnulli manus violentas injicere etiam cum sanguinis effusione in ecclesiasticas personas, aliqui a Turcis hujusmodi hostiliter & crudeliter oppressi, ut majora damna evitarent, licet inviti, certam partem, seu quotam fidelium de qualibet ipsorum domo dare & assignare, nonnulli quosdam fideles pro certo pretio vendere ipsis Turcis, & quosdam eis donare præsumpserunt, aliqui vero scienter, quidam ignoranter tertio seu quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradibus conjuncti, dispensatione Apostolica desuper non obtenta, matrimonia inter se contrahere, nonnulli etiam quamplurima alia diversa crimina, excessus & delicta perpetrare præsumpserunt, quorum multitudo fere dignoscitur ....

Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ex personis prædictis aliquæ propter nimiam locorum, in quibus moram trahunt, a Sede prædicta distantiam, viarumque discrimina, nonnullæ vero propter facultatum ac rerum carentiam, & inopiam, & quædam ex negligentia seu forsan ignorantia pro absolutionis beneficio ab excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, atque pœnis, quas præmisserorum occasione quomodolibet incurrerunt, necnon .... super irregularitate .... pro eo quod sententiis & censuris prædictis seu earum aliqua ligatæ Missas & alia divina officia celebrarunt, aut se illis immiscuerunt, contracta, pro consequendis dispensationibus Sedem Apostolicam adire hactenus distulerunt, pro parte tua, qui, sicut asseris, de dictis partibus oriundus existis, ac prædictarum delinquentium personarum .... animarum salutem plurimum zelo charitatis, fidei & devotionis accensus concupiscere, & zelare videris, nobis fuit humiliter supplicatum, ut personis ipsis delinquentibus paterna super his providere diligentia curaremus.

Nos igitur, quos more pervigilis Pastoris decet de quorumcumque animarum salute cogitare, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ omnes & singulas tam Ecclesiasticas, quam sæculares personas delinquentes &c. Hic Pontifex potestatem in Andream confert biennium duraturam, qua necessariæ fierent ab ipso absolutiones, tum ut affinitatis gradu seu tertio seu quarto conjunctos, qui tamen indidem essent oriundi, matrimonio copulari liceret, vota etiam peregrinationis ad sacra Apostolorum limina suscipiendæ, minoresve votorum sponsiones commutaret, si opus foret, & hæc omnia gratuito perficeret. *Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIII. Non. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno XIII.*

Quamdiu Andreas Episcopatum adhuc tenuerit, quove anno vivere desierit, nullis literis proditum invenio.

N. N. EPISCOPUS ALBANENSIS XV.

De quo neque nomen, neque tempus initi Episcopatus memoriæ relictum est. E vita migravit anno 1494. ob cujus obitum hæc Ecclesia vacasse, eique subrogatus fuisse dicitur

N. N. Episc. Albanensis obiit an. 1494.

ANGELUS EPISCOPUS ALBANENSIS XVI.

Huic patria fuit Macerata, clara in primis, & nobilis civitas Piceni, quem Alexander VI. Episcopum Ecclesiæ Albanensi dedit, ut docent tabulæ Consistoriales: *An. 1494. I. Oct. providit de persona Domini Angeli de Mucerata Ecclesiæ Albanensi vacanti per obitum &c.* Obiit Romæ an. circiter 1506., ut perhibent literæ pontificiæ mox describendæ.

Angelus Episc. Albanensis an. 1494.

JOANNES III. EPISCOPUS ALBANENSIS XVII.

Jaderæ honesto loco natus ex familia de Corona, filius fratris Staji Coronæ, qui fuit Canonicus Ecclesiæ Jadertinæ anno 1469. In sodalitatem Patrum Prædicatorum nomen cum dedisset, per omnes inferiorum magistratuum gradus ad supremam provinciæ Dominicanæ Illyricæ præfecturam pervenit anno 1501., qua sex circiter annos egregie functum Julius II. Episcopum Albanensem creavit anno 1506. Id testantur binæ Julii Pontificis literæ, quas habeo ex T. 4. Bullarii Dominic. pag. 280. ex iisque cognoscimus Paullum quemdam in locum Angeli electum primo fuisse; cum vero nescio quam ob caussam ille electioni cessisset, antequam pontificio diplomate jus, nomenque Episcopale legitime acciperet, tum Pontifex Joannem nominavit, qui Albanensi Ecclesiæ præficeretur. Auctor Bullarii Domin. autumat Arbanensem Ecclesiam, de qua literæ pontificiæ ad Joannem, eamdem esse atque Arbensem; sed de vitiato sæpe Albanensis Ecclesiæ nomine monuimus initio. Prior Julii epistola Joannem a quovis vinculo absolvit, quo per Canones esset forte irretitus ac per decreta Pontificum, quominus Episcopalem dignitatem consequi non liceret; posteriori vero is Albanensis Episcopus renuntiatur: & utraque eodem anno data est 1506. ac die eodem octavo Kal. Majas.

Joannes Episc. Albanenses an. 1506.

Ju-

Digitized by Google

Duæ Julii PP. ad Joannem litteræ.

Julius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Ordinis Fratrum Prædicatorum professori, electo Arbunen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Apostolicæ Sedis consueta clementia, ne provisiones, & aliæ dispositiones per eam de Cathedralibus Ecclesiis pro tempore factæ valeant quomodolibet impugnari, sed personæ ad eas promotæ illis puro corde, & sincera conscientia præsidere possint, remedia, prout convenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodie Ecclesiæ Arbunen. ad præsens Pastoris regimine destitutæ, de persona tua nobis, & Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem consilio, Apostolica auctoritate providere, teque illi in Episcopum, & Pastorem præficere intendamus, nos ne provisio, & præfectio prædictæ, si forsan aliquibus sententiis, & censuris ecclesiasticis ligatus sis, valeant invalidæ reputari, providere volentes, te a quibusvis excommunicationis &c. ad hoc dumtaxat, ut provisio, & præfectio prædictæ, ac singulæ literæ Apostolicæ tuum sortiantur effectum desuper conficiendæ, Apostolica auctoritate tenore præsentium absolvimus, & absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis &c. quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexto, octavo Kal. Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

Julius Episcopus, Servus Servorum Dei dilecto filio Johanni Coronæ electo Arbunen., Salutem & Apostolicam Benedictionem. Apostolatus officium &c. Postmodum vero Ecclesiæ Arbunen., ex eo quod dilectus filius Paulus electus Arbunen., postquam de persona tua præfatæ Ecclesiæ per obitum bonæ memoriæ Angeli Episcopi Arbunen. apud Sedem prædictam defuncti Pastoris solatio destitutæ, Apostolica auctoritate provisum, ipseque Paulus illi in Episcopum præfectus fuerit, literæ Apostolicæ super provisione, & præfectione hujusmodi minime confectæ, regimini, & administrationi ejusdem Ecclesiæ in manibus nostris libere cessit, nosque cessionem hujusmodi admittentes &c. Pastoris regimine destitutæ, nos cupientes ipsi Ecclesiæ celerem, & felicem &c. ne Ecclesia ipsa longæ vacationis exponatur incommodis &c. post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem, & etiam fructuosam cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis Fratrum Prædicatorum in Sacerdotio constitutum, ac religionis zelo, vitæ munditia, & morum honestate decorum, literarum scientia præditum, in spiritualibus providum, & in temporalibus circumspectum, aliisque virtutum donis, prout fide dignorum testimoniis accepimus, multipliciter insignitum direximus oculos mentis nostræ, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis, & eisdem Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem consilio eidem Ecclesiæ, Apostolica auctoritate, providemus, seque illi præficimus in Episcopum, & Pastorem, curam, & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi in spiritualibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. neque præter æternæ &c. nostram & Apostolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius consequi merearis. Volumus autem, quod postquam præsentes literas habueris expeditas, ad præfatam Ecclesiam te conferas &c. quodque extra tuas Civitatem, & Diœcesim Arbunen. Pontificalia officia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexto, octavo Kal. Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

Ejus Acta Episcopalia nullis monumentis consignata invenio. Jaderæ cum esset insequenti anno 1508., in templo Cœnobii Dominicani aram opere cultuque eleganti exstructam sub titulo & auspiciis S. Dominici, & aliorum Divorum solemni ritu ac cæremonia consecravit, ut declarat inscriptio ibidem apposita.

MDVIII. Die 24. Decembris.

Aram S. Dominici Jaderæ,

Ego Joannes Corona Episcopus Albanensis consecravi hoc altare in honorem SS. videlicet Dominici Confessoris, Thomæ Aquinatis, Marci Evangelistæ, Platonis Mart. & Vincentii Mart., & reliquias Beatorum Bartholomæi Apostoli, & præfatorum Martyrum, ac aliorum plurimorum Martyrum & Confessorum inclusi. Hoc ego indultum concessi, videlicet singulis Christifidelibus in anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus unum annum, & dies quadraginta de vera Indulgentia in forma ecclesiastica consueta.

Pagi etiam Ecclesiam S. Antonii Abbatis, & principem aram illum dedicasse ferunt monumenta Dominicani Cœnobii Pagensis.

et Pagi Ecclesiam S. Antonii Ab. cum ara principe consecrat.

MCCCCCXII. mensis Septembris die 21. Ego Joannes Corona S. Th. Mag. Ep. Albanensis consecravi Ecclesiam & altare hoc in honorem S. Antonii Ab. & SS. Crucis, & reliquias DD. MM. Innocentium, & S. Isidori ac Donati Episc. in eo inclusi, singulis Christifidelibus hodie duos annos, & in die annuo consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus LXXX. *dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concedens.*

Et in ipsa Ecclesia ad dextrum altaris latus inscriptio hæc legitur in lapide effecta.

JO. CORONA EPISCOPUS
ALBAN. ORD. PRAED.
ECCLESIAM HANC
ET ALTARE MAJUS
CONSECRAVIT
DIE XXI. SEPT.
MCCCCCXII.

Jaderæ obit anno 1515.

Joannes denuo Jaderæ versabatur an. 1515., ubi morbo correptus vitam finiit, dum annum ætatis ageret septimum supra quinquagesimum, & conditus fuit in eodem templo Cœnobii Dominicani, hoc titulo lapidi sepulchrali inciso.

Joan-

Digitized by Google

Joannis Coronæ Sacrarum Litterar. Scientia Clarissimi Hic Sita Sunt Ossa. Qui Ob Doctr. & Mores E D. Dominici Ordine, Cui In Illyr. Per Sex Annos Præpositus Fuit, Ad Alban. Episc. Traduct. Obiit Ann. Ætat. 57. 1515.

Vide autem, & ex hisce corrige, quæ de Joanne scripsimus T. V. Operis nostri pag. 266.

JACOBUS EPISCOPUS ALBANENSIS XVIII.

Jacobus Ep. Albanens. an. 1518.

Natione Hispanus, oriundus ex Monte albo in Catalaunia, cui Leo X. Albanensem Episcopatum contulit post trienne interregnum Episcopale, ut ex Actis Constitorialibus: *Anno* 1518. 3. *Martii Jacobo de Monte albo Hispano providit de Ecclesia Albanen. vel Arben. in Epiro sub Metropoli Antibaren. red. floren.* 50. *taxa* 40. An ad suam Ecclesiam regendam accesserit, aut titulum Episcopalem retinuerit, mihi non est compertum. Anno certe insequenti electus fuit

LUDOVICUS EPISCOPUS ALBANENSIS XIX.

F. Ludovicus Episc. Alban. an. 1519.

De quo hæc in Actis Consistorialibus: 1519. 31. *Augusti pro Ecclesia Arben. in partibus infidelium propositus est F. Ludovicus de Vivaldis Ord. Præd. Sanctissimus jussit suprasederi, donec informaretur, num promovendus esset de genere neophytorum.* 5. *Sept. providit dicto F. de Vivaldis cum obligatione mille ducatorum, ita ut infra annum eo proficisceretur animo residendi.* Addit Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominic. Ludovicum a Cardinali de Valle Episcopum nominatum, a Cardinali de S. Cruce in quæstione generis liberatum fuisse ab inusta eidem nota, & post consecrationem ad suam Ecclesiam migrasse. *P. F. Ludovicus de Vivaldis die mercurii ultima Augusti* 1519. *a Cardinali de Valle pro Arborense Ecclesia in Consistorio propositus fuit. Orta postmodum controversia de puritate sanguinis, super ea re jussu Leonis X. Summi Pontificis Cardinalis de S. Cruce informationem cœpit; cumque comperisset eum, non Neophytum, ut aliqui dicebant, sed genere Christianum fuisse, præditam Ecclesiam in partibus Infidelium sitam obtinuit, ad quam post consecrationem commigravit.* Hactenus Fontana. Ecclesiam Albanensem aliquando *Arben. vel Alben.* decurtato, aut corrupto vocabulo dictam fuisse alibi monuimus; & apud Fontanam typographico errore legitur *Arborensis*, quæ Sardiniæ civitas est; positio autem Ecclesiæ, cui Ludovicus datus est Episcopus, in partibus infidelium congruit cum Ecclesia nostra Albanensi, quæ Turcarum servitute tum maxime premebatur. Hinc mihi facile persuasum est, Ludovico inter Albanenses Antistites locum esse attribuendum; hinc ea corrigi oportet, quæ de Ludovico dicuntur T. V. Operis nostri pag. 266. Hujus Episcopi & genus & res gestas ante Episcopatum descripsit Jacobus Echardus in T. 2. Scriptorum Ord. Prædic., unde libet hic integram inserere ejus narrationem.

In Monteregali apud Insubres nobili genere natus, doctrina, principum gratia,

F. Joannes Ludovicus Vivaldus Insuber e Monteregali, sive Monte vici, vernacule Mondovì *Pedemontii civitate non ignobili ad Alpennini radices sita ortus, puro nobilique sanguine natus, & in patria Ordinem amplexus ineunte sæculo XVI. claruit, sacræ Theologiæ professor, in sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum lectione assidue versatus, ac S. Thomæ de Aquino doctrinæ mirum addictus. Hinc suæ ætatis Principibus in primis acceptus, Ludovico XII. Francorum Regi, Mediolanensiumque Duci præsertim, & Ludovico Salutiarum Marchioni, regnique Neapolitani auctoritate Ludovici XII. vicregi, cui & a consiliis erat, & a sacris confessionibus, cujus etiam impensis pleraque Vivaldi opera typis prodierunt. De eo refert Fontana in Theatro ad Arbensem sedem* (1) *sub Jaderensi a Cardinali de Valle propositum fuisse in Consistorio die mercurii ultima Augusti* 1519. *tum vero aliquos natalium impuritatem ex Judaico semine objecisse, at, re discussa, compertaque stirpe omnino Christiana, ad eam Ecclesiam promotum, in ea reliquum vitæ exegisse. Cujus narrationis fides penes Fontanam esto; nam aliunde scimus Vivaldorum gentem anno* 1520. *apud Insubres & Genuenses inter viginti primarias numeratam fuisse, teste Augustino Justiniano* Istoria di Genoa, *cujus & parmam sic describit Argote de Molina*, Nobiliario d'Andaluzia *fol.* 241. *a, divisam æqualiter ex transverso, area superiori argentea, e qua assurgit aquila atra rostro coccineo, diademateque atro redimita; area inferiore a vertice ad imum rursus divisa, sinistra coccinea, dextra aurea: sed hæc ad feciales. Vivaldi cum laude meminerunt Leander fol.* 150. *a, Lusitanus, Fernandez, Altamura ad* 1519. *& alii nostrates; extrates vero* (2) *Augustinus della Chiesa*, Scrittori Piemontesi, (3) *Ghillinus in Theatro, Duchesne*, Historiens de France, (4) *Miræus hallucinatus cum Hispanum commentus est, qui & alios in eumdem errorem induxit. Hæc ejus opera sigillatim eo ordine, quo ex ejus museo prodierunt.*

& libris editis clarus.

Epistola F. Joannis Ludovici de Vivaldis de Monteregali baccalaurei sacræ theologiæ, quam R. P. F. Angelo de Carletis, (seu de Clavasio auctori Summæ Angelicæ) de observantia ordinis Minorum humiliter destinavit, fuitque scripta Monte regali die 15. *decemb.* 1475. *Pr. Reverendo, ac singularissimo theologo F. Angelo F. Ludovicus de Vivaldis baccalaureus sanctæ theologiæ ord. Prædic. cum sincera dilectione commendationem plurimam, & veram in Domino caritatem. Est de Conceptione B. V. ad mentem S. Thomæ. Alva Sol. Verit. Rad.* 296. *col.* 2032. *testatur ad manus suas venisse, largamque satis esse & prolixam, additque. Angelum eidem respondisse. An vero typis utraque edita, an ms. tantum, non addit.*

Nova

Digitized by Google

Nova explanatio septem psalmorum pœnitentialium de agro sanctorum doctorum recollecta ad instantiam Ludovici Salutiarum marchionis, ejusque nomini nuncupata. Eodem principe sumtus conferente excusa Salutiis circa 1500. *Opus sequens eruditum, & pluries sub variisque titulis typis prodiit.*

Aureum opus de veritate contritionis, in quo mirifica documenta æternæ salutis aperiuntur. Salutiis, Guillelmi le Signerre 1503. *in fol. pp.* 324. *Editionis curam egit F. Hieronymus de Cervis de Bellano ord. Prædic. sacræ theologiæ magister, qui ita testatur ad finem epistola ad Vivaldum data. Opus vero ipsum Ludovico marchioni Salutiarum, & viceregi Neapolitano, cujus sumptibus facta editio, ab auctore nuncupatum, charact. Goth., sed eleganti.*

Postea sub hoc altero titulo: Veræ contritionis præcepta, quæ nihil præ se ferunt quam ipsam pietatem. Parisiis, Antonii Juliani, & Ambrosii Girault 1546. *in* 8. *pp.* 507. *Extat apud nostros Parisien. ad S. Honor.*

Postea hoc altero titulo: De vera confitendi methodo & contritione peccati tractatus. Paris. Hieronymi de Marnef 1586. *in* 8.

Epistola consolatoria ad illustrissimam dominam Salutiarum meritissimam Margaritam de Fuxo, cui orationem funebrem nuncupat, quam in exequiis ejus sponsi Ludovici habuerat, sed auctam & fusiorem, cui titulum indidit; Tractatus de pugna partis sensitivæ & intellectivæ per modum sermonis apologetici &c.

Epistola flosculis tota dilucidata rhetoricis ad Wladislaum Boemiæ atque Hungariæ regem de laudibus Ludovici Salutiarum marchionis instante ejus vidua Margarita de Fuxo scripta. In hac epistola meminit explanationis in septem psalmos pœnitentiales supra laudatæ.

De laudibus ac triumphis trium liliorum, quæ in scuto regis christianissimi figurantur. Parisiis circa 1500. *in* 8. *Opus autem Ludovico XII. ab auctore nuncupatum.*

Tractatus valde utilis & cunctis necessarius de cognitione electorum a reprobis ad Carolum cardinalem de Carreto.

Tractatus de duodecim persecutionibus Ecclesiæ Dei.

Tractatus de magnificentia Salomonis, & quid sentiunt catholici doctores de statu animæ ejusdem.

Tractatus devotissimus de duplici causa contritionis.

Hæc septem ultima opuscula altera editione in unum collecta F. Andreas de Soncino congregationis Lombardiæ sacræ theologiæ lector hortatu auctoris aliis impliciti & distenti recognovit, errata typorum emendavit, & simul edenda curavit expensis dictæ Salutiarum marchionissæ sub hoc titulo: Opus regale, Salutiis, Jacobi de Circhis Astensis & Sixti de Somaschis Papiensis sociorum 1507. *fol. pp.* 315. *iterum Lugduni* 1518. *in* 4. *quæ ultima editio extat apud nostros Insulenses, prima vero ubique habetur.*

NOTÆ.

1 Fontanam de Albanensi Ecclesia, non vero Arbensi esse intelligendum jam monuimus, atque magis, quod in partibus infidelium illam constituat. Cæterum Ludovici Episcopatus non tam Fontanæ testimonio, quam Actis Consistorialibus satis probatur.

2 Præter Augustinum ab Ecclesia etiam Andreas Rossotus in Syllabo Scriptorum Pedemontii Ludovicum laudat, ejusque patriam Montemregalem fuisse asserit contra Georgium Draudium, qui in Bibliotheca Classica illum Parisiensi & patria & civitate donavit. Aliud opus a Ludovico scriptum, *de officio pietatis in Defunctos* innuit Rossotus, quod ab Echardo omissum.

3 Hujus libri meminit Hieronymus Ghilini in Theatro Virorum illustrium, qui addit, Ludovicum publico Theologiæ docendæ munere Patavii & Romæ functum fuisse. Sed neque Fastis Gymnasii Patavini a Facciolato editis, neque in historia Gymnasii ejusdem a Nicolao Papadopolo descripta nomen Ludovici reperitur inter Theologiæ magistros. Errat vero Papadopolus in T. 2. l. 2. cap. 47., cum Ludovico Vivaldo nescio cui, & Gymnasii alumno, qui Dominicanæ familiæ sese addixit, & jam senex decesserat anno 1647., opera ea attribuit omnia, quæ a Ludovico nostro scripta editaque sunt; hinc & Ghilinum reor esse deceptum, qui alteri Ludovico fere coævus utrumque permiscuit, confuditque; iccirco ipse Echardus non advertit, Ludovicum a Ghilino laudatum alium esse a Pedemontano, & Albanensi Antistite, & illius testimonium nihil in rem hanc auctoritatis conferre. Cæterum Ludovicus Vivaldus, qui sæculo vixit decimo septimo, is itidem est, qui & Patavii in Dominicano Cœnobio, & Romæ in publico Lyceo Theologiam docuit, si Papadopolo fides; nam Josephus Carafa in historia Gymnasii Romani lib. 2. cap. 7. Joannem Ludovicum Vivaldum in numerum Theologiæ Doctorum retulit, unius tamen Ghilini testimonio, quod minime firmum esse censemus.

4 Mirai errorem Rossotus etiam notavit, & coarguit in Syllabo superius laudato.

Ducis Albaniæ postulatum.

Nulla habeo Ludovici acta episcopalia, neque certi quidquam licet constituere, quamdiu suæ Ecclesiæ præfuerit. Anno interea 1531. quidam ex antiquis Regulis Albaniæ oriundus, qui sub imperio Turcarum adhuc retinebat titulum Ducis Albaniæ, de re Christiana præclare meritus, a Clemente VII. suppliciter postulavit, ut unum de suis fratribus ad Collegium Patrum Purpuratorum aggregaret; de quo postulato Pontifex ad consessum Cardinalium referendum censuit, ut est in Tabulis Consistorialibus: *6. Septem.* 1531. *Ad supplicationem Ducis Albaniæ egit cum Reverendiss. DD. de concedendis literis in forma brevis ipsi Duci, in quibus illi pollice-*

Digitized by Google

retur, *cum primum aliqua Cardinalium promotio fieret, creare unum ex fratribus ipsius Ducis; in quo consentiunt omnes præfati Domini Reverendiss. Itaque Pontifex promisit per literas se Ducis voluntati & precibus obtemperaturum. Anno* 1533. *promisso satisfecit, & Philippum ejus fratrem Abbatem Corbejensem galero & purpura donavit.* Quinam vero is fuerit, ex Ughellio didicimus, qui in T. I. Italiæ Sacr. pag. 242. inter Episcopos Tusculanos hæc narrat de Philippo. *Philippus a Cameta Gallus Ludovici Cameræ in Sabaudia Comitis & Annæ de la Tour filius, Ducis Albaniæ paternus frater, Catharinæ Mediceæ Galliarum reginæ proxima cognatione conjunctus, monachus & Abbas Corbejæ ex Ordine D. Benedicti Bononiæ in Gallia Belgica a Clemente Episcopus creatus est Presbyter Cardinalis tituli S. Martini in Montibus an.* 1531. *A Paulo vero III. ex primo Presbytero Cardinali tituli S. Mariæ Transtyberim declaratus est Episcopus Card. Tusculanus an.* 1543. 24. *Sept. Romæ fato functus est an.* 1550. *sepultusque apud S. Trinitatem in monte Pincio. Hic a Paullo III. impetravit, ut purpureo cultu sibi uti liceret, tametsi monachus Benedictinus esset.* De Bononiensi tamen Philippi Episcopatu silent scriptores Galliæ Sacræ; nondum enim fuerat institutus; & in Tomo 10. pag. 1287. illum monachum Cluniacensem & Priorem Lehunensem, postea Corbejensem Abbatem Pontificis auctoritate & jussu fuisse scribunt, cum eadem dignitate, eodemque jure donatus esset in Monasterio Claromontensi S. Andreæ, & in altero Magniloci appellato. Neque annus 1531., ut Ughellius, sed tricesimus tertius signandus est, quo in Cardinalium Collegium cooptatus fuit, ut ferunt Tabulæ Consistoriales.

DOMINICUS II. EP. ALBANENSIS XX.

Dominicus Episc. Alban. an. 1554.

De quo Acta Consistorialia: 1554. 19. *Novembris providit* (Julius nempe Pontifex hoc nomine III.) *Ecclesiæ Albinsi in partibus infidelium certo modo vacanti de persona D. Dominici Bigorrei Fratris Hospitalis Jerosolymorum, ipsumque illi in Episcopum præfecit & pastorem, cum indulto de non accedendo ad dictam Ecclesiam, & facultate exercendi Pontificalia in Ecclesia & Diœcesi Albiensi de consensu Reverendiss. D. Cardinalis de Guisa pro tempore existentis Episcopi seu administratoris, & de ejus expressa licentia; reservata eidem Dominico pensione annua* 200. *Ducatorum auri de Camera super fructibus mensæ Episcopalis Albiensis de simili licentia ejusdem Cardinalis, quæ transeat ad successores, & cum retentione omnium & cum clausulis.* In T. I. Galliæ Sacræ p. 59. ubi de Episcopis Albiensibus, dicitur Dominicus *consecrasse Philippum de Rodolfis Episcopum Albiensem in Ecclesia Minorum 6. Nov.* 1569. *& benedixisse Margaritam de Biron Abbatissam Luminis Dei diœcesis Cadurcensis* 22. *Febr.* 1573. Nihil vero obest, quod civitas Albiensis in Gallia Narbonensi longe abesset ab Albania Epirotica, ne iccirco Dominicus catalogo Antistitum nostrorum Albanensium adscribatur; plurima enim suppetunt Episcoporum exempla, qui cum suas Ecclesias adire non possent, in aliis & valde dissitis diœcesibus commorabantur, ibique munera pontificalia exsecebant.

N. N. EPISCOPUS ALBANENSIS XXI.

N.N. Episc. Albanensis an. 1578.

Anno 1578., ut innuunt literæ hoc anno exhibitæ Gregorio XIII. Pontifici pro Ecclesia & Provincia Antibarensi, in quibus hæc: *Alexio Græciam versus, & ad locum usque, ubi degit Episcopus Albanensis, mille passus* 50. *Huic Episcopo subsunt pagi trecenti, incolæ Christiani.* Hujus quidem Episcopi Albanensis, tacito nomine, meminit Thomas Ursinus Archiep. Antibarensis in suis literis an. 1607. Non. Junii scriptis, & profert sententiam, quæ Alexii an. 1584. edita fuerat pro Antistite Alexiensi de dissidiis inter hunc & Albanensem exortis.

N. N. EPISCOPUS ALBANENSIS XXII.

N.N. Episc. Albanensis an. 1608.

Sæculo decimo septimo ineunte suus erat Ecclesiæ Albanensi Episcopus, quem tacito nomine commemorat Marinus Bizzius Metropolita Antibarensis in Commentario de sua peragratione apostolica Albana, & Serbiana, quam anno 1608. susceptam intra biennium confecit. Hic cum Chiulesim, Musilim, Bellagnum inferius, & alios pagos diœcesis Albanensis lustraret, Episcopum hujus Ecclesiæ abfuisse ait, & tres tantummodo Episcopos in universa Albania Epirotica ab se repertos esse, Sappatensem, Alexiensem, & Stephanensem, qui ægre poterant Christianis illis sane plurimis, & longe lateque dispersis curam pastoralem impendere.

JOANNES IV. EPISCOPUS ALBANENSIS XXIII.

Joannes Ep. Albanensis an. 1615.

Cognomento Collesius, religiosæ vitæ instituto Franciscanus, idemque eximius Theologus, cui Paullus V. anno 1615. Ecclesiam Albanensem decrevit, eumque Nicolao Necansio Episcopo Stephanensi postulanti adjutorem dedit jure successionis donatum, ut est in Tabulis Consistorialibus: 1615. 31. *Augusti Ecclesiæ Albanensi in Epiro certo modo vacanti providit de persona F. Joannis Collesii Ord. S. Francisci de Observantia Theologi, eumdemque Coadjutorem cum futura successione dedit Nicolao Necansio Episcopo Stephanensi pertæmi &c.* Cum ad suam diœcesim accessit, domum Episcopalem, non ita longe ab urbe Croja in pago Corbini, ædi Cathedrali S. Venerandæ proximam, a Turcis expilatam, fores evulsas, parietes semirutos, fenestrarum obices ablatos, & quidquid erat ferramenti

aut

Digitized by Google

aut lapidis elaborati, avectum reperit. Itaque necesse habuit, omnia, quæ abstulerant, effregerant, everterant, restituere, resarcire, reficere. Deinde cogitationem curamque omnem ad Christianum gregem jamdiu Pastoris præsentia solatioque ac præsidio destitutum curandum, & salubri doctrinæ ac sacramentorum pabulo reficiendum convertit. Et quamvis Romano itinere ad invisenda sacra Apostolorum limina fuerint ejus curæ nonnihil interruptæ an. 1625., attamen decies non sine ingenti labore & periculo diœcesim lustravit, Christianorum ad duodecim millia sacro chrismate inunxit, pagos ipsos duodecim ab erroribus & schismate Græcorum ad veritatem & communionem Catholicam traduxit; quin & multo plures e Græcis schismaticis Romanæ Ecclesiæ fuissent adjuncti, nisi veteris anni cum novo Gregoriano immutandi novitas illos maxime deterruisset, & hinc nundinarum, quæ apud eas gentes frequentissimæ sunt, & statæ solemnesque fere ad superstitionem, in alios dies necessaria translatio. In quadam controversia, quæ Archiepiscopo Antibarensi erat cum Alexiensi Antistite, de ecclesia S. Stephani in pago Barbarostio, munus Joanni datum fuit an. 1628., ut de illa pro sua æquitate inquireret. Biennio vero ante literis ad eum datis a Paulo V. Pontifice 3. Kal. Januarias an. 1626. jussus jam fuerat quinquenni excursu plures in Epiro Ecclesias invisere amplissima auctoritate, Dyrrhachiensem, scilicet, Albanensem, Stephanensem, Jardanensem, Sappatensem, Lyssiensem, aliasque propinquas in partibus infidelium, ut ex schedis Card. Garampi didicimus; quo tandem munere sane gravissimo anno 1632. perfunctus est. Annos fere viginti Pontificatum assiduis periculis, curis & ærumnis exercitum gesserat; cum laboribus & senio confectus, ut sibi adjutor daretur cum jure successionis Marcus Scura ex Ordine S. Francisci, postulavit; sed antequam, quod petierat, impetraret, diem obiit supremum anno 1635. De Joanne & Marco meminit etiam F. Petrus Antonius Venetus in Viridario Seraphico, & Petrus Massarechius Archiep. Antibarensis in suis ad Sacr. Congreg. literis; unde plura excerpsimus de gestis a Joanne. Narrat vero idem Petrus, septem tum exstitisse in diœcesi Albanensi Franciscana Cœnobia, e quibus ingens in Catholicorum adjumentum & solatium utilitas proficiscitur, frustra Schismaticis in eos obnitentibus; quippe illorum Antistites eo spectant, ut Patriarchæ Constantinopolitani opera & astu, ac Turcæ Imperatoris coempto favore Episcopos Latinos sibi subjiciant.

Ejus acta & labores apostolici.

Obiit an. 1635.

MARCUS EPISC. ALBANENSIS XXIV. ET POSTREMUS.

Marcus Ep. Albanensis an. 1635.

Quem Crojensem patria e familia S. Francisci ab Joanne Collesio adjutorem sibi & successorem paullo ante expetitum, virum eximiæ virtutis & doctrinæ, Urbanus VIII. Episcopum Albanensem renuntiavit, ut docent Acta Consistorialia: *An. 1635. 1. Octob. providit Ecclesiæ Albanen. in Epiro seu Macedonia vacanti per obitum Joannis Collesii de persona Marci Scuræ Ord. Minor. S. Francisci.* Idem Pontifex metropolim Dyrrhachiensem, quæ Archiepiscopo carebat, Marco administrandam dedit, ad quam etiam administratio Ecclesiarum Bendensis, Crojensis & Canoviensis accessit. De finibus & quibusdam ecclesiis controversia illi fuit cum Benedicto Ursino Episcopo Alexiensi, eadem fortasse, pro qua componenda nominatus fuit anno 1636. Georgius Blancus Archiep. Antibarensis, quamque anno 1638. ex mandato Sacræ Congregationis Franciscus de Leonardis Archidiaconus Traguriensis composuit. Tabulæ hujus compositionis sunt hujusmodi.

Inter illum & Episc. Alexiensem controversia composita.

In nomine Christi Amen. Anno a nativitate ejusdem 1638., indictione 6., die vero 14. Decembris. Actum Merchignæ diœcesis Alexiensis, in ædibus Episcopalibus solitæ residentiæ Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Alexiensis, coram me Francisco de Leonardis Archidiacono Traguriensi, & in hac causa Commissario, & executore Sacræ Congregationis Reverendissimorum Cardinalium, negotiis propagandæ Fidei præpositorum &c. nec non coram admodum Reverendo Patre Hyacintho a Cespitello Minorum Observantiæ Reformatorum Missionario Apostolico in Epiro, & coram infrascriptis testibus ad hoc vocatis & rogatis &c.

Ibique personaliter constituti Illustrissimus, & Reverendissimus D. Frater Benedictus Ursimus Ragusinus, Episcopus Alexiensis, ex una parte, ac Illustrissimus & Reverendissimus D. Frater Marcus Scura de Croja Episcopus Albanensis, ac totius Archiepiscopatus Dyrrhachiensis administrator universalis ex alia, sponte &c. voluntarie &c. per se & successores suos omni meliori modo &c. devenerunt ad infrascripta pacta, transactiones & conventiones, salvo tamen semper, & quatenus opus fuerit, consensu & beneplacito Sedis Apostolicæ, ac præfatæ Sacræ Congregationis Propagandæ Fidei; videlicet: Cum diu controversum fuerit, & variæ lites & dissidia intercesserint tam inter ipsos supradictos Illustrissimos ac Reverendissimos Dominos Episcopos Alexiensem, & Albanensem, quam inter eorum prædecessores, nec hactenus ullo pacto componi, nec omnino definiri potuerint super fines & limites utriusque Ecclesiæ Alexiensis & Albanensis a parte Orientis, & jura Episcopalia in diversis Ecclesiis tam parochialibus, quam simplicibus, infra eosdem terminos seu fines existentibus; tandem supradicta Congregatio de Propaganda Fide per expressas litteras sub data 24. Aprilis 1638., quarum executionem mihi supradicto Archidiacono mandavit, ipsi Illustrissimo, ac Reverendissimo D. Episcopo Albanensi commisit, ut observaret fines & terminos in folio sibi transmisso descriptos, ac cederet Ecclesias in

eodem folio enuntiatas juri ac jurisdictioni ejusdem Episcopi.

" *Tenor autem litterarum, & folii annexi sequitur. A tergo:* Illustrissimi, e Reverendissimi Signori come Fratelli Monsignori li Vescovi Sappatense, e d' Albania. *Intus vero*: Molto Illustri, e Reverendissimi Signori come Fratelli. Essendosi in questa Sacra Congregazione esaminata con diligenza la differenza de' confini, che hanno le Signorie Vostre con Monsignor Fra Benedetto Vescovo d' Alessio, è paruto a questi miei Eminentissimi Signori, che li confini notati nell' aggionto foglio siano ben provati a favore del suddetto Vescovo d' Alessio, e che le Chiese nel medesimo foglio nominate s' appartenghino a quello; però non essendo bene, che le Signorie Vostre contendano più sopra li suddetti confini per lo scandalo, che possono ricevere non solo li Fedeli, ma gl' Infedeli ancora, e per altri gravi inconvenienti, che sogliono succeder da simili contese, e massime in coteste parti sotto li Turchi, la medesima Sacra Congregazione desidera, che si quietino, & osservino li suddetti confini, e lascino alla detta cura del Vescovo d' Alessio le Chiese nel detto foglio enunciate, sicure di fare cosa gratissima all' istessa Sacra Congregazione; e per fine me le offero, e raccomando. Roma li 24. Aprile 1638.

Delle Signorie Vostre come Fratello il CARDINAL ANTONIO BARBERINO. Francesco Ingoli Secretario. *Ad latus vero*: Vescovi d' Albania, e Sappatense. Foglio: Confini della Diocesi del Vescovato d' Alessio. Dalla parte orientale confina per parte del mare con la Diocesi del Vescovato di Croja, mediante il fiume Matia, camminando per S. Giorgio di Cucula, tra il detto fiume Matia, e Fandi, per San Niccolò di Massagni, e S. Maria di Laccigheghi, e deriva insino al fiume Drino per drittura. Dalla parte occidentale confina parimente con la Diocesi del Vescovato di Scuttari mediante il Pantano Casticuccia per mezzo la Villa di Cuculi, per foglietta maggiore, cioè Albero grande, in nostra lingua, d' olmo; e di più con il Vescovato Sappatense, mediante il Ponte della Villa di Blinisti, e per luogo detto Stogh, cioè Sambucco, e per torrente detto Chissoeba, e per Palumbo, e per S. Nicolò de Calami, & a drittura al Ponte di Lecca, e pure a drittura al viaggio detto Sissa, e deriva al fiume Drino, per la costa di Monte negro tra Ballani, e Fandi picciolo, & Elia al fiume Confni.

Chiese, che appartengono alla Diocesi del Vescovato d' Alessio contenute fra li soprascritti confini. Sanctus Nicolaus Alexii Cathedralis. Sanctus Georgius, & Sancta Maria de Castello; item Sancta Maria ultra flumen Monasterium. Sanctus Joannes de Rennense. Sancta Veneranda de Ballareni. Sanctus Nicolaus de Cacharich. Sancta Euphemia de Calameti. Sanctus Salvator de Velia, Sanctus Joannes de Merchigna, Sancti Cosma & Damianus de Manthia. Sanctus Blasius de Salumundi, Sanctus Demetrius de Darda, Sanctus Alexander de Bocchiano & Gaibbi, Sanctus Nicolaus de Soimeno, Sancta Barbara de Pedana, Sanctus Georgius de Ficu. Sanctus Salvator de Rebico, Sanctus Georgius de Cucula, Sanctus Joannes de Bulgari, Sancta Maria de Nderfandina, & de Blexis, Sancta Veneranda, & Sanctus Marcus de Nchtella, Sanctus Alexander supra Montem Miriditarum Abbatia, Sancta Maria, & Sanctus Marcus de Fandi Vogoli, San. Demetrius de Fandi Maze, Sanctus Paulus, & Sanctus Stephanus de Blinisti, Sancta Maria de Sperdasa, Sanctus Georgius de Gianula, Sanctus Michael de Castagneti, Sancta Crux ad flumen Glomesichium, Sanctus Nicolaus de flumine Calami, Sancta Veneranda de Reja, Sancta Trinitas de Schiesa, & Sancta Maria Magdalena de Barbatiorum, & tandem aliæ quædam destructæ, aliæ vero parvi momenti inter supradictos terminos Diœcesis Alexiensis. "

Verum cum aliqua difficultas oriretur circa totalem executionem supradictæ commissionis Sacræ Congregationis, præcipue circa nonnullas Ecclesias, quarum jura Episcopalia prætendebat idem Illustrissimus ac Reverendissimus D. Albanensis suos prædecessores habuisse per immemorabilem possessionem, habita etiam consideratione locorum & populorum, perpensis quoque incommodis facile emersuris, si ipsa adamussim & integre demandaret executioni, ob bonum pacis & concordiæ tum ipsorum Illustrissimorum, & Reverendissimorum Episcoporum, quam animarum illis commissarum, & ad vitanda scandala multoties hac de re orta, prædictus Illustrissimus & Reverendissimus Albanensis seu Crojensis, tamquam filius obedientiæ, sciens rem gratissimam facturum S. Sedi Apostolicæ, & Sacræ Congregationi de Propaganda Fide, virtute hujus commissionis per se & successores suos sponte & libere cessit, & reliquit curæ & jurisdictioni Illustrissimi & Reverendissimi D. Episcopi Alexiensis Ecclesias infrascriptas, videlicet, S. Mariam de Nderfandina, S. Alexandrum supra montem Miriditarum Abbatiam, Sanctam Mariam, & Sanctum Marcum de Fandi Vogoli, S. Demetrium de Fandi Maze, S. Paulum, & Sanctum Stephanum de Blinisti a se, & a prædecessoribus suis olim possessas cum omnibus prædiis, possessionibus, juribus, & pertinentiis suis, ita ut in ipsis habeat & exerceat per se vel per substitutos libere & pacifice omnia, & quæcumque jura Episcopalia, tamquam proprius Episcopus & Ordinarius eorum. Ex altera vero parte Illustrissimus & Reverendissimus D. Episcopus Alexiensis cessit & reliquit eidem Illustrissimo & Reverendissimo D. Episcopo Albanensi seu Crojensi omnia jura, rationes, actiones, & prætensiones, quas quomodocumque

Digitized by Google

que & qualitercumque habuit, aut habere potuit supra Ecclesias S. Georgii de Cucula, S. Joannis de Bulgaris, S. Mariæ de Lassineghi, S. Venerandæ & S. Marci de Nchtella, S. Blasii, seu S. Alexandri de Selita parochialis, ita ut sint & intelligantur jurisdictioni ordinariæ prædicti Illustrissimi & Reverendissimi D. Episcopi & Ecclesiæ Albanensis seu Crojensis, cui perpetuo incorporatæ, & annexæ existant; ac præfatus Episcopus in eis omnia jura Epicopalia licite, libere & pacifice exercere valeat, nec ullo unquam tempore sub quovis quæsito colore possit hac de re a quocumque molestari seu inquietari. Insuper supradictus Illustrissimus & Reverendissimus D. Albanensis seu Crojensis promisit, & se obstrinxit curare & facere, ut tam Ecclesiastici, quam sæculares cedant, & relinquant omnia prædia, possessiones, & jura quomodolibet pertinentia ad Ecclesiam Abbatialem S. Salvatoris de Rebico adstringendo illos ad relaxationem dictorum bonorum per censuras ecclesiasticas, & alias pœnas in sacris Canonibus contentas contra invasores & detentores bonorum ecclesiasticorum. Et pariter ipse Illustrissimus & Reverendissimus D. Alexiensis spondet & promittit, se officio veri & boni Pastoris functurum in commonendis & persuadendis Miriditis, præcipue illis, qui Parochiæ S. Mariæ de Nderfandina subjecti sunt, ne hostiliter fines & subditos Illustriss. & Reverendiss. D. Albanensis invadant, & versa vice idem pollicitus est ipse Illustriss. & Reverendiss. D. Alexiensis, ut subditi ipsius quiete & pacifice, sicut decet Christifideles, in posterum vivant. Nec quilibet dictorum Reverendissimorum Episcoporum possit ullo pacto facere exactiones, seu quovis modo se intromittere in ecclesiis, & parochiis alterius; & ita promiserunt, & se in verbo veritatis adstrinxerunt exsequi in posterum, & observare omnia & singula præmissa sub obligatione in forma Cameræ Apostolicæ, & non solum hoc, sed omni meliori modo ac jure volentes, & intendentes, ut pro expressis & nominatis habeantur omnia & singula, quæ hic de jure seu de stilo Curiæ Romanæ, & ad majorem firmitatem & validitatem hujus transactionis & conventionis exprimenda essent. In quorum fidem propriis manibus se subscripserunt die, mense & anno, quibus supra.

Ita est. Nos Fr. Benedictus Episcopus Alexiensis, qui supra, manu propria.

Ego Fr. Marcus Scura Episcopus Albanensis, ac etiam totius Dyrrhachiensis Provinciæ Administrator, qui supra, manu propria.

Ego D. Marcus Giansius fui præsens.

Ego D. Jacobus Isiius Sacerdos fui præsens.

Loco ✠ sigilli.

Ego Franciscus de Leonardis Archidiaconus Tragurien sis, & Commissarius Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, qui supra, de mandato etiam suprascriptorum Illustrissimorum Reverendissimorum D. D. Episcoporum hoc publicum transactionis instrumentum in hanc formam redegi, manuque mihi fida transcripsi, & proprio sigillo, quo in similibus uti soleo, munivi, & in fide me subscripsi.

F. Hyacinthus a Cespitello Missionarius Apostolicus Prosecretarius.

Anno 1640. Marcus creatus fuit Archiepiscopus Dyrrhachiensis, & administrationem tum Albanensis, tum aliarum Ecclesiarum, quas supra nominatim percensui, retinuit. Omnes & singulas Episcopali peragratione lustravit. De Albanensi diœcesi hæc per suas ad Sacram Congregationem literas exposuit. Marcus fit Archiepiscopus Dyrrhachiensis.

Civitas Albani planissimo in loco, amœnoque explicata, mœnibus antiqui operis cincta ex magna parte, quam fluvius Secominas præterfluit, colitur a Turcis Græcisque & habitatur frequentissime. Nullum ibi templum habent Christiani fidei catholicæ, ritusque latini cultores. Illa ipsa est, quam nunc Albanopolim vocant. Episcopo Albanensi nullus in ea commorandi locus relictus. Post adventum Turcarum precarias sedes hac illac quærere necesse habuit; nunc domicilium sibi constituit non longe ab Croja in pago, ubi templum est S. Venerandæ e solido lapide conservatum, justæ magnitudinis, sed ob nimiam vetustatem nimis fatiscens, in quo præter summum, tria sunt altaria minora; adjacet turris cum æreo tintinnabulo ad populum convocandum. Hæc locum tenet, ac vicem præstat ædis Cathedralis. Templa præcipua diœcesis sunt S. Petri, S. Michaelis, & suus utrique Parochus præest, tum S. Venerandæ, ac S. Martinæ, & utrique annexum est Cœnobium Patrum S. Francisci, qui Parochorum munere funguntur; & aliæ insuper sunt ædiculæ omnino ad septemdecim. Clerus hac illac dispersus ex viginti Presbyteris & duodecim præterea Clericis constat, quibus Episcopus e mensa Episcopali victum ac vestitum suppeditat, & perinde ac si alumni essent, eos pietate ac literis ad normam disciplinæ clericalis instituit; insuper de suo duos Presbyteros, & quatuor Patres Franciscanos alit, quorum opera ad populos sibi commissos divinis præceptis eruditendos, & sacris mysteriis impertiendos utitur. Christiani dogmatis Catholici, & ritus latini cum Turcis & Græcis permixti quamplurimi sunt, qui Sedem Apostolicam singulari studio, ac veneratione colunt, & Episcopum omnibus reverentiæ, submissionis & obedientiæ officiis prosequuntur, ac nihil magis verentur, quam pœnas ecclesiasticas, & quocumque anathemate percelli mortis instar putant. Hactenus Marcus in suis ad Sacram Congregationem literis. Descriptio diœcesis Albanensis,

Post Marcum Scuram nullum proprium & peculiarem Episcopum Ecclesiæ Albanensi datum invenio, sed ejus administrationem plerumque Archiepiscopo Dyrrhachiensi commendatam; ex quo evenit, ut in catalogis Ecclesiarum recentissimis hæc Ecclesia provinciæ Dyrrhachinæ attribui soleat. Hoc sæculo duodevicesimo ineunte, Petrus Zumi Archiepiscopus Dyrrhachii Ecclesiam Arbanensem gubernabat, cui quidem cum Nicolao Vladagno Episcopo Alexiensi, & cum An- quæ posthac Antistite caruit commendata Archiep. Dyrrhachiensi.

Digitized by Google

Antonio Babbio electo Sappatensi de finibus & parœciis, quas suæ quisque Ecclesiæ vindicabat, graves & magnæ contentiones fuerunt, quas Concilium Albanum anno 1703. ad normam illius descriptionis & compositionis, quam Franciscus de Leonardis Archidiaconus Traguriensis an. 1638. pro æquo & bono fecerat, & Sacra Congregatio approbaverat, sedavit & composuit. *Monemus*, inquiunt Patres Albani, *& hortamur prædictos Episcopos Sappatensem, Alexiensem, Dyrrhachiensem jura obtinentem Episcopatus Albanensis, ut miserti saltem ærumnarum suis, fideliumque cervicibus ex novis imminentium altercationibus, concordes, & pacifici in iisdem finibus ac limitibus sistant, qui in præfatis instrumentis sub die* 14. *Decembris editis Merchignæ, & die* 20. *ejusdem mensis datis Sappæ anno* 1638. *continentur. Ne autem amissis aliquando, aut obliteratis temporum injuria instrumentalibus literis de controversis olim locis & ecclesiis nova oriatur dissensio præbens occasionem discordiæ, juxta supradictarum tenorem literarum declaramus, quod Ecclesia S. Georgii de Cucula, & S. Joannis de Bulgaris, & S. Mariæ de Lassineghi, S. Marci & S. Venerandæ de Nchtella, S. Blasii sive Alexandri de Selita ad ordinariam jurisdictionem Albanensis Episcopi pertinent.*

EPISCOPI BALLEACENSES.

Balleacensis Ecclesiæ primordia.

VIx dubitari potest, quin Ecclesia Balleacensis eadem sit, atque Palachiensis, quam Alexander II. anno 1062. in suis ad Petrum Antibarensem Archiepiscopum literis provinciæ Antibarensi adscripsit; tanta est similitudo & affinitas, quæ uni cum altero vocabulo intercedit; & nihil inter utrumque interest præter duarum vel trium literarum varietatem: ex quo fit, ut Ecclesiæ hujus antiquitas inde usque ab undecimo sæculo, vel altius etiam repeti possit, de qua etiam in Antibarensi Ecclesia dictum est pag. 19. Sed post epistolam Alexandrinam in catalogis veterum Ecclesiarum, & Episcopatuum, nec Palachiensis, neque Balleacensis usquam apparet; & annos amplius tercentos delituit. Sæculo decimo quarto sub vocabulo Balleacensis, sive Balacensis, seu Balecensis iterum se ostendere, & quasi e tenebris & silentio Scriptorum emergere cœpit. Illud etiam satis certo constat, hanc Ecclesiam in provincia & sub metropoli Antibarensi intra fines superioris Dalmatiæ sive Albaniæ, vel ultra Drilonem constitutam fuisse in nova Epiro. In catalogo *totius orbis terrarum tam Patriarchalium, quam Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum &c. quem magno labore confecit antiquus Curialis Petrus Paulus Attavantus &c.* Ecclesia Balleacensis nominatur his verbis; *Balleacensis, alias Ballezensis in Provincia Antibaren. in Albania*; deinde per ea tempora titulo tenus Episcopalis fuisse dicitur; *Balleacensis titulus*. Sed nulla, vel admodum obscura sunt vestigia, ex quibus ejus positio dignosci possit. Sunt tamen quædam in ea regione vocabula locorum a *Balleacensi* non omnino dissimilia, quæ videntur indicio esse posse ad conjecturam faciendam de situ Ecclesiæ ac diœcesis Balleacensis. Duo nobis commemoravit Alexander Blancus Episcopus Pullatensis. Trans montem Ndernuinam ad septemtrionem est quidam pagus, cui nunc *Blachia* nomen, a quo *Blachiense* derivatum; nihil autem facilius fierit potuit, quam ex *Balleacensi* in *Blachiense* commutatio. Sed idem Blancus hunc pagum inter parœcias Ecclesiæ Pullatensis adnumerat. Alter pagus *Iballeja* dicitur, ejusque ager multis locis habitatur; pertinet nunc ad diœcesim Sappatensem, & ab ripa orientali Drilonis non longe distat; metropolis vero Antibarensis, cui Balleacensis Ecclesia suberat, ut sæpe diximus, tum olim in Epirum novam, tum hac etiam ætate fines metropoliticæ jurisdictionis protulit. *Iballiense* autem vocabulum, si prima litera demetur, a Balleacensi non valde discrepat. *Belagnese* vocabulum ad similitudinem Balleacensis propius accedit. Est Belagnum superius & inferius, utrumque ultra Drilonem; ac de utroque Marinus Bizzius in suis literis ad Sacram Congregationem de sua peragratione Apostolica Albanensi & Serbliana; non est vero absimile in alterutro duplicis Belagni oppido Sedem Episcopalem Balleacensem collocatam fuisse. Millia passuum quinque ab Drivasto situm erat Balesium, pervetus castellum, quod jamdudum dirutum Georgius Castriotus, sive Scanderbegus, dum bellum gerebat cum Venetis, anno 1448. reædificavit, & firmissimis propugnaculis communivit; sed paullo post a Scodrensibus eversum, & solo æquatum fuisse tradit Joannes Maria Biemmius in sua historia de vita & rebus gestis Scanderbegi lib. 2. Ex primis literis Balesiani vocabuli fieri etiam posset aliqua conjectura de situ Ecclesiæ Balleacensis, nisi hæc post eversionem Balesii adhuc stetisset incolumis, & suus illi non defuisset Episcopus anno 1478. Quæ cum ita sint, de positione Ecclesiæ Balleacensis nihil pro certo affirmari potest, & inter cætera vetustate incomperta hæc quoque in incerto relinquenda est. Postquam Episcopi Balleacenses creari desierunt, cum Antistites finitimi diœcesim illam inter se partiti essent, topographica hujus Ecclesiæ notitia & memoria, sublatis & abolitis finibus, quibus cir-

Ejus positio dubia & incerta.

Digitized by Google

circumscripta erat, prorsus interiit. Paucissimos vero, quos vix reperire potui, & de quibus nihil fere præter nomen habeo, Episcopos Ecclesiæ Balleacensis hic subjicio.

I. Guillelmus an. 13....
II. Gervicus an. 1347.
III. Andreas an. 1351.
IV. Alphonsus an. 1420.
V. Michael an. 1424.
VI. Bernardus an. 1428.
VII. Leonardus an. 1459.
VIII. Daniel an. 1478.

GUILLELMUS EP. BALLEACENSIS I.

Ex epistola Clementis VI. *Fr. Gerwico Episcopo Balezensi* inscripta, in qua Guillelmo e vivis sublato in Sedem Balleacensem substituitur

GERVICUS EP. BALLEACENSIS II.

Ex Ordine D. Francisci

Ex Ordine S. Francisci, quem auctor Viridarii Seraphici *Gervasium* nominat, & Clemens VI. anno 1347. per obitum Guillelmi Episcopum huic Ecclesiæ præfecit, & de Sacerdotio Episcopali eidem collato tum ad ipsum Gervicum, tum ad Archiepiscopum Antibarensem, tum denique ad Capitulum & Clerum illius Ecclesiæ literas dedit.

electus per litteras Clementis VI. an. 1347.

Venerab. Fratri Gerwico Episcopo Balezen.

Licet continuata &c. Ecclesia siquidem Balezen. per obitum bonæ mem. Guilielmi Episcopi Balezen. qui extra &c. Nos vacatione hujusmodi ipsius Ecclesiæ &c. intellecta, volentes inprimis eidem Ecclesiæ, ne dispendia prolixæ vacationis incurreret &c., post deliberationem &c. demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem in sacerdotio &c., de religionis zelo, literarum scientia, vitæ mundizia, honestate morum, aliisque virtutum meritis nobis &c. commendatum &c. eidem Balezen. Ecclesiæ providemus, teque illi præficimus in Episcopum &c. & subsequenter tibi per Ven. Fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Ostien. apud Sedem Apostolicam fecimus munus consecrationis impendi &c. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad præfatam Balezen. Ecclesiam &c. Dat. Avinion. 3. Nonas Martii anno 5. idest 1347.

Lucas Waddingus ad an. 1347. *Creatus hoc anno Episcopus Balezen. forte Palechiensis, sub Archiepiscopo Antibarensi in Dalmatia*, sive in Albania vel Epiro nova, *F. Gerwicus per mortem Guillelmi. Extat Bulla Clem. VI. an.* 1347. *Dat. Aven. 3. Non. Martii an. V.* Licet continuata &c. *ex lib.* 1. *ep.* 71. Idem ad an. 1331. in Conventu urbis Confluentiæ, quem hoc anno fundatum esse scribit, *sepultus ibidem juxta portam domus Capitularis an.* 1365. *die* 11. *Maji D. Gervicus Ep. Balezens. ex Ordine Minorum assumptus*. Nisi mendum subsit notis chronologicis, quibus designatur annus 1365., necesse est Gervicum anno post ejus mortem decimo quarto illuc translatum, ac sepulturæ ibidem conditum fuisse; nam ex eodem Waddingo diem obiit supremum an. 1351. Gervicus ille idem est, quem Petrus Antonius de Venetiis in suo Viridario Seraphico Georgium vocat, ejusque Episcopatum Balleacensem ad eumdem annum 1347. affixit.

Obiit an. 1351.

ANDREAS EP. BALLEACENSIS III.

Idem alumnus disciplinæ Franciscanæ, quem an. 1351. idem Clemens VI. Episcopum Balleacensibus dedit, ut docet hoc anno Waddingus: *In Balazen. sub Archiep. Antibaren. per mortem Gervici etiam Minorita frater Andreas Citer, ut in Bulla Clem. VI.* Summi dispositione &c. *Cal. Jan.* 1351., & idipsum confirmat auctor Viridarii Seraphici.

ALPHONSUS EP. BALLEACENSIS IV.

Ex eadem Franciscana familia, cui Martinus V. hanc Ecclesiam decrevit an. 1420. VI. Kal. Aprilis. Waddingus ad hunc annum: *Ad Balcacen. in Albania sub Archiep. Antibaren. F. Alphonsus de Carceres* VI. *Cal. April.*, cognomento *a Cavres* dicitur in Viridario laudato.

MICHAEL EP. BALLEACENSIS V.

Cognomento Paullus, sive de Paullis regebat parœciam *Villæ Franchæ* in diœcesi Tarvisina, cum eum Martinus V. ad Sedem Balleacensem evexit anno 1424. Kalendis Septembris. Post triennium V. Id. Octobris an. 1428. jussus est migrare ad regendam Ecclesiam Drivastensem, ut est in Actis Consistorialibus: V. *Id. Octob. an.* 1428. *translatus est Michael Episcopus Balleacensis ad Ecclesiam Drivastensem vacantem &c.*

BERNARDUS EP. BALLEACENSIS VI.

Patria Drivastensis, cognomento de Yvanis, qui ab aliis *de Vivariis*, aliis *Bernardinus Martinus Vivarius*, aliis demum & auctori Viridarii Seraphici *Bernardus Martinus* dicitur. Vitæ religiosæ instituto Franciscanus Michaeli in Sedem Balleacensem successit, ut docent Tabulæ Consistoriales: *Tertio nonas Novembris provisum est Ecclesiæ Balleacensi per translationem nuper factam de persona Michaelis, tunc ipsius Ecclesiæ Episcopi, ad Ecclesiam Drivastensem, de persona F. Bernardi Ord. Min. &c.* Lucas Waddingus ad an. 1428. *Baleacen. sub Archiep. Antibaren. F. Bernardus de Drivasto per translat. Michaelis ad Drivastensem Ecclesiam. Extat Bulla Martini V. an.* 1428. III. *non. Novemb. Apostolatus officium, e lib.* 1. *de Dignitatibus &c. anno* 11. *fol.* 158. quam hic subjicio.

Dilecto Filio Bernardo de Drivasto electo Balleacen.

Epistola Martini V. de Bernardi electione,

Apostolatus officium &c. Sane Ecclesia Balleacen. ex eo Pastoris solatio destituta, quod nos nuper ven. fratrem nostrum Michaelem Drivastens. tunc Balleacens. Episco-

scopum &c. ipsum ad Ecclesiam Drivastens. tunc vacantem duximus auctoritate Apostolica transferendum &c. Nos ad provisionem ipsius Ballacen. Ecclesiæ celerem & felicem &c. demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem &c. direximus oculos nostræ mentis &c. teque illi præficimus in Episcopum, & Pastorem. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus onus regiminis præfatæ Balleacen. Ecclesiæ &c. Datum Romæ apud Sanctos Apostolos III. Nonas Novembris, anno undecimo.

Triennio post susceptum hujus Ecclesiæ regimen Coronem profectus est in Peloponesum, nescio quam ob caussam, ibique vicario munere, & Episcopalibus functionibus suam operam præstitit Antistiti Coronensi anno 1432. ut innuunt Tabulæ Romanæ e schedis Card. Garampi. Quamdiu vero in ea urbe constiterit, non comperio. Certe cum acerrimo illo & internecino bello ardebat Albania, quod Georgius Castriotus cum Turcis gerere nunquam fere intermisit, Bernardus Episcopus Balleacensis, cum omnia igni & ferro vastari, cædibus ac stragibus compleri videret, Christianæ plebis institutioni & curæ Episcopalis officii nihil admodum loci esse, in Italiam secessit anno 1438. nam hoc ipso anno erat Utini, & consecrationi interfuit Ecclesiæ Patrum Prædicatorum, uti est in tabulis, quæ in eorum Cœnobio asservantur. *An. Dom. MCCCCXXXVIII. die XX. Mensis Julii Ind. I. Pontific. SS. in Xristo Patris & Dom. N. D. Eugenii div. prov. Pp. IV. anno VIII. Reverendiss. in Xristo Pater & Dom. Thomas Ep. Rachanatensis O. P. Visitator, Corrector, & Reformator Cleri in tota Patriarch. & Prov. Aquilejensi, & Ep. Rachanatensis, assistentibus sibi Rev. D. D. Guilelmo Ep. Equilino, Bernardo Ep. Bellacensi, Petro Justiniano O. P. Ep. Petenensi consecravit Eccl. nost. istius Convent., & Altare majus &c.* Bernardum inde Glemonam in oppidum Carnicum se recepit. Ibi ne otiosus sedens ab omni ecclesiastico munere vacaret, simulque ut haberet unde viveret, Præfecturam altaris Sanctorum trium Regum in æde majori illius oppidi obtinuit, quam annos circiter decem administravit. Per id temporis Nicolaus Sparavinus Archipresbyter erat plebi Glemonensi regendæ præpositus, qui cum Presbyterum nescio quem Præfectum & curatorem ædis S. Blasii constituisset an. 1441. Kal. Maji, Præfecturæ & possessionis eidem traditæ testis adfuit Bernardus cum Nicolao Presbytero, ut est in tabulis Ecclesiæ Glemonensis; *præsentibus venerabilibus Viris Bernardo de Yvanis de Dravasco*, Drivasto, *Episcopo Balacen., Presbytero Nicolao q. Leonis de Benevento, his duobus officiantibus in Ecclesia S. Mariæ Plebis Glemonæ* &c. Idem Bernardus non solum Præpositus fuit altari Sanctorum trium Regum, sed etiam Vicarius Plebis Glemonensis, ut eum nominatum invenio in tabulis Consilii Glemonensis, e cujus decreto Bernardo *Capellano* & *Vicario* in Præfecturam altaris trium Regum Georgius Fanensis suffectus fuit anno 1449. Idibus Junii: *Ad Præbendam, quam habebat olim Dominus Episcopus Balacen. alias Capellanus & Vicarius in dicta Ecclesia, Georgius de Fano &c. electus est.* Porro vel Glemonæ constiterit Bernardus, vel alio migraverit, ad annum fere 1459. vitam produxisse videtur, ut mox dicemus.

Qui an. 1438. in Italiam profugit.

LEONARDUS EP. BALLEACENSIS VII.

Quem nobis suppeditat Bullarium Dominicanum T. 3. pag. 436. fuit enim hujus instituti assecla, patria Neapolitanus, & anno 1459. a Pio II. Episcopus Balleacensis renuntiatus. Cum Balleacensis Episcopatus nullius fere nominis fuerit in Ecclesiastica Geographia, & cito desierit, hinc Scriptores Dominicani de Sede Episcopali Leonardi plurimum ambigunt, & in varias sententias abeunt; quippe Plodicus Episcopum Alatensem eum nominat, forte Alatrensem in Latio, & Civitatensem simul dicit Vallius; Fontana Vallerensem, Bremondus Balanensem in Syria appellant. Sed Pii Pontificis litteræ, & Leonardi in locum Bernardi Antistitis Balleacensis electio dubitare non sinunt, quin ille cum Balleacensibus hisce Episcopis sit adnumerandus.

Pii II. litteræ, quibus Leonardus Episc. Balleacen. eligitur.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo de Neapoli electo Ballacen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Apostolatus officium &c. dudum siquidem bonæ mem. Bernardo Episcopo Ballacen. regimini Ecclesiæ Ballacen. præsidente, nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum vacaret &c. provisionem ipsius Ecclesiæ ordinationi, & dispositioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. postmodum vero præfata Ecclesia per obitum dicti Bernardi, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujusmodi fide dignis relationibus intellecta ad provisionem &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis exponatur &c. post deliberationem quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem, & etiam fructuosam cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum professorem, S. T. peritissimum, religionis zelo conspicuum, vitæ, ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, & in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis relationibus accepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua nobis, & eisdem Fratribus nostris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Ecclesiæ Ballacen. de dictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum, & Pastorem, curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi in spiritualibus, & temporalibus committendo, in illo qui dat gratiam &c. Jugum igitur Domini

ni &c. tuque præter æterna nostram, & dicta sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Mantuæ Anno &c. Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo Nono, Pridie Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno primo.

Annos decem & octo præfuisse Leonardum suæ Ecclesiæ putamus, si vacuam Sedem is reliquerit Danieli, de quo statim.

DANIEL EP. BALLEACENSIS VIII. ET POSTREMUS.

Zahender cognominatus; quem anno 1478. Ecclesiæ Balleacensi Episcopum dedit familia Franciscana, uti refert Waddingus & Auctor Viridarii Seraphici. Post hunc nullum deinde Antistitem Balleacensem invenio; hæc autem diœcesis inter finitimos Episcopos divisa, & cum aliis circa illam diœcesibus permixta, atque confusa in tabulis & catalogis Ecclesiarum Episcopalium nominari desiit.

EPISCOPI BUDUENSES.

Budua antiquitas, varia nomina, & positio.

BUdua inter antiquissimas civitates Dalmatiæ numerum obtinet, quam plerique veterum Geographorum & Historicorum commemorant, sed alii aliter vocant; Scylax Chariandensis Βουθόη *Butboen*, Plinius *Butuam*, Prolemæus *Buluam*, Georgius Cedrenus *Butamam*, Constantinus Porphyrogenitus *Butobam*, nunc *Budua* seu *Budoa* vulgo appellatur. Erat olim illustre emporium ab Arione fluvio unius diei navigatione disjunctum, auctore Scylace, idemque postea oppidum civium Romanorum, Plinio teste. Mari adjacet; millia passuum circiter decem Antibari abest in occasum. Buduam veterem tergo montis, quem a *S. Salvatore* cognominant, inædificatam fuisse ajunt; sed sæculis posterioribus, cum oppidum difficili ascensu & arduo esset, ad radices ipsius montis translatam ferunt, & vetere excisa, novam Buduam exstitisse, quæ situ fere plano & æquabili commodior, ædificiorum descriptione pulchrior, mœnium ambitu & firmitate munitior fuit.

Primum Romanis paruit,

Cum Anicius Prætor post devictum captumque Gentium regem postremum Illyriorum, tripartito Illyrium divisit, ut est apud Livium dec. 3. lib. 3, in tertiam partem, ut *Agravonitas*, *Rhizonitas*, *& Olciniatas accolasque eorum*, sic etiam Buduenses, ut huic divisioni consentaneum est, Rhizonitis & Olciniatis intermedios conjecit. Exinde Budua oppidum civium Romanorum fuit, ut docet Plinius. Post bipartitam divisionem Imperii Romani Budua sub ditionem ac potestatem transivit Imperatorum Orientalium, quam Heraclius Imperator, cum Serbli gens Slavonica ejus permissu Dalmatiam mediterraneam occuparunt anno circiter 640.; sibi suisque successoribus cum reliquis maritimæ Dalmatiæ civitatibus retinuit, ut perhibet Constantinus Porphyrogenitus lib. de administr. imperii. Sæculo nono Saraceni ex Africa in sinum Adriaticum armata classe invecti Buduam primo, deinde Rosam & Catharum expugnarant. *Post aliquod tempus*, ut est apud eumdem Constantinum, *præclaro illo ac semper memorando Basilio frena imperii moderante*,

tum aliis Dominis.

venientes ab Africa Saraceni cum Soldano Gelba & Calphone navibus 36. applicuerunt in Dalmatia, atque urbes Butobam, Rosam & Decatheron expugnarunt. Barbaris abeuntibus, Budua cum aliis Dalmatiæ civitatibus recepta sub potestatem Imperatorum Orientis redivit. Cum Dalmatia post sæculum decimum motu fere perpetuo ex aliis ad alios dominos vel transierit, vel reverterit, alias ad Venetos, alias ad Hungaros, alias ad Græcos Imperatores, verisimile est, Buduam quoque easdem rerum publicarum conversiones, commutationesque dominorum subiisse. Cæterum reges Serbliæ, cum fines imperii ad mare usque protulissent, Buduam etiam aliquando in sua potestate habuerunt. Sæculo decimoquinto vergente gens Balsichia, quæ in Albania copiis & opibus florebat, sub Uroscio postremo e stirpe Neemanica rege Serblorum Zentam utramque ad suum principatum adjunxit; & Budua quoque Balsorum imperium accepit. Post interitum hujus nobilissimæ familiæ Buduenses cum Antibarensibus, Scodrensibus, Olciniatis, qui sibi a Turcis metuebant, quorum imperium latius in dies propagatum eorum finibus imminere videbatur, se in fidem ac potestatem Venetorum contulerunt. Et horum quidem ditioni subsunt Buduenses; at pro civili urbis regimine antiquis Antibarensium statutis ac legibus utuntur, Venetis assentientibus, cum multo antea Olciniatum jura adhiberent.

Descriptio urbis.

Hæc civitas exigui circuitus est, mœnibus ac turribus semirutis cincta, eique arx supereminet natura & loco munita, quæ Castellum S. Mariæ cognominatur a templo & cœnobio, quod ibidem sub titulo & auspiciis Deiparæ Virginis Monachi ritus Græci construxerunt, & incolebant. Horribilis illo terræmotus anni 1667., quo Ragusium, aliaque illarum partium oppida corruerunt, cum pleraque Buduæ ædificia, tum mœnia arcemque ipsam magna ex parte subvertit. Post varios casus, & infortunia, quibus hæc civitas obnoxia fuit, ad miram tectorum & incolarum paucitatem reducta est, vix ut vetustissimæ, atque olim florentissimæ urbis

Digitized by Google

speciem aliquam retineat. Ager Buduensis olim ab eo loco, qui *Puncta nigra*, ad fauces sinus Catharensis protendebatur inter occidentem solem, ac septemtrionem. Urbis antiquæ nobilitatem ostendunt rudera, quæ hac illac visuntur, & haud raro effodi contingit.

Episcopatus Buduensis initia.

Primordia Episcopatus Buduensis ad sæculum nonum, atque ad Concilium Delmitanum, quod habitum fuit anno 877. referenda sunt; quo quidem in Concilio metropolis Diocletana instituta est, eique civitas & Ecclesia Buduensis subjecta cum Olchiniensi, Catharensi & aliis Dalmatiæ superioris Ecclesiis, ut docet Presbyter Anonymus Diocleates: *Simili modo Diocletanam Ecclesiam jure suo antiquo statuerunt metropolim, sub cujus regimine has Ecclesias declararunt, scilicet Antibariam, Buduam, Ecatarum* ec. Ante hoc tempus nulla in antiquis monumentis reperitur mentio Episcopatus Buduensis. Sæculo undecimo cum sedes ac dignitas metropolitica Diocleæ civitatis sæculo superiori per Bulgaros eversæ restituta fuit Antibari, quæ civitas propter naufragium quatuor Episcoporum ad Concilium Spalatense proficiscentium jure Archiepiscopali donata est, ad hujus provinciam non solum illorum Episcoporum sedes, qui naufragio interierant, sed etiam reliqui fere omnes Episcopi, qui metropoli Diocletanæ suberant ex decreto Concilii Delmitani, in quibus Buduensis, adscripti fuisse videntur; nisi forte Buduensis jampridem in jus ditionemque metropolitæ Ragusini migraverat; nam certe in Ecclesiasticis Notitiis posteriorum ætatum non Antibarensi, sed Ragusino Archiepiscopo attribuitur. Præterea in epistola Alexandri II. anni 1062. *Petro Archiepiscopo Diocliensi, atque Antibarensis Ecclesiæ* inscripta cum omnes fere Ecclesiæ, quæ Metropolitæ Diocletano suberant, nominentur, ab illis abest Buduensis. Adde quod Concilio Diocletano an. 1199. Buduensis Episcopus subscriptus non legitur. Quocirca Ecclesia Buduensis, quæ in Synodo Delmitana an. 877. Metropoli Diocletanæ subjecta fuerat, haud multis post annis, certe ante epistolam Alexandrinam anni 1062. sub imperium Metropolitæ Ragusini vel redierat, vel migraverat.

Hujus vocabuli Buduensis variatio, & hinc Episcopatus diversi.

In catalogis generalibus Ecclesiarum Provincialium & Episcopalium, itemque in aliis monumentis plures Episcopos invenies modo *Buduenses*, modo *Buduanenses*, modo *Biduenses* vel *Budinenses*, modo *Biduanenses* appellatos. Ex rerum illis adjunctarum contextu, vel aliunde satis apparet, non omnes ad Buduam Dalmaticam referri posse; sed qui ad nostram Buduensem, qui ad alias consimilis vocabuli Ecclesias pertinent, non semper ita facile dignosci possunt. Quam in rem præclara est animadversio doctissimi Cardinalis Josephi Garampi, quem pluribus in locis grati animi & honoris caussa sæpissime nominavimus. Difficile est, inquit, texere seriem Episcoporum alicuius Ecclesiæ, quæ per multas ætates fuit sub dominatu Principum infidelium; nam cum illarum positio & propria appellatio ignota esset Italis, & scriptoribus longe gentium distantibus, sæpe illorum nomina ita corrumpi & transformari solebant, ut nunc vix, aut ne vix quidem statui possit, cuinam Ecclesiæ attribui oporteat Episcopos quosdam, qui recensentur in antiquis catalogis & monumentis; ac fortasse ipsi Episcopi ignorabant, quænam essent, & ubi terrarum essent Ecclesiæ illæ, quarum inanes titulos gerebant. Cum vero huiusmodi Episcopis Ecclesiæ illæ longinquæ, sitæque *in partibus Infidelium* conferebantur, harum nomina desumi solebant ex libris Provincialibus Curiæ Romanæ, in quibus dici vix potest, quanta facta sit labes rerum & vocabulorum, quæ attribui debet librariis indoctis, & geographiæ ignaris; quippe propter inscitiam vel incuriam errores & depravationes ex uno in alterum librum transcribebant; ex quo factum est, ut in hujusmodi codicibus reperiantur tituli Episcopales Ecclesiarum, quæ sub illis vocabulis, quibus ibidem subsunt, nusquam gentium exstiterunt: cum autem nomen aliquod depravatum propter quamdam similitudinem ad plures Ecclesias accomodari possit, ad quam earum vere pertineat, incertum est. Idem arbitror evenisse respectu Ecclesiæ & Episcoporum Buduensium in Dalmatia. Hæc Ecclesia apud scriptores, & in vetustis monumentis alias *Buduen.* alias *Bududnen.* alias *Bidunen.* alias *Budinen.* alias *Biduan.* appellatur; & quamvis omnes hæ appellationes in unam eamdemque Buduensem Ecclesiam cadere videantur, satis tamen constat nonnullos ex Episcopis, qui sub huiusmodi vocabulo nominati reperiuntur, non posse inter Buduenses Dalmatiæ Episcopos adnumerari. Quare diligenti animadversione adhibita videndum est, ex illis Episcopis, qui ex affinitate nominis ac similitudine non satis internosci & distingui possunt, quinam Catalogo Buduensium Dalmatiæ Antistitum adscribi, quinam vero expungi debeant. Hactenus admodum scite eruditeque doctissimus Cardinalis; cuius sapientissimo ac prudentissimo monito instructi conabimur, Episcopos nostros Buduenses ab alienis vel dubiis secernere.

Subest Metropoli Antibarensi.

Principio Ecclesia Buduensis, ut diximus, simul condita fuit, & subjecta Metropoli Diocletanæ, quæ Antibarim translata cæteras quidem Dalmatiæ superioris Ecclesias in suâ potestate retinuit, sed Buduensem, ut verosimilius est, dimisit, vel jam ante dimissam Metropoli Ragusinæ reliquit. Cæterum a nono sæculo usque ad duodecimum nullam Ecclesiæ Buduensis mentionem neque in Codicibus Provincialibus, neque apud Scriptores reperire potui, & perinde delituit, ac si nunquam fuisset. Sæculo duodecimo veluti e tenebris ac silentio Scriptorum emersit, & sub titulo Ecclesiæ *Buduanensis* inter Ecclesias provinciæ Ragusinæ apparuit cum in epistola Callisti ad Geraldum an. 1120.

Digitized by Google

1120. tum in epistola Innocentii II. an. 1142. ad Andream, Archiepiscopos Ragusinos. In *Notitia Ecclesiarum Urbis & Orbis* tempore Cœlestini III. conscripta a viro religioso Milone Abbate apud Emmanuelem Schelstratem lib. 2. itemque in cæteris deinde Codicibus provincialibus, sive Notitiis Ecclesiasticis, tum Meliciacæ Episcopi Catharensis, tum Bibliothecæ regiæ apud Carolum a S. Paulo, & Thuanæ apud Schelstratem, tum in catalogis Archiepiscopatuum & Episcopatuum regni Hungariæ, tum in libris *Taxarum* apud Blanchinum, tum denique in *Taxa procurationum debitarum & solutarum* Ægidio Episcopo Sabinensi pro annis suæ legationis usque ad 1. Octobris 1364. Ecclesia *Biduanensis* seu *Bidunensis* &c. provinciæ Ragusinæ adscribitur. Præterea cum acris illa & diuturna de cæteris Ecclesiis Dalmatiæ superioris controversia inter Antibarensem & Ragusinum Archiepiscopum fervebat, huic ille nullam de Buduensi Ecclesia litem unquam intendit; quod argumento est per annos amplius trecentos Metropoli Ragusinæ Ecclesiam Buduensem, nemine repugnante, subjectam fuisse. Verum posterioribus sæculis in Codice provinciali novo apud Aubertum Miræum, & in *Notitia nova Episcopatuum Orbis Catholici nunc existentium* apud Baudrandum, in T. I. Atlantis apud Coronellum Ecclesia Buduensis in provincia Antibarensi constituitur, ad quam etiamnum pertinet.

Fines diœcesis Buduensis.

Diœcesis Buduensis finibus admodum exiguis circumscribitur; ab occidente & septemtrione Catharensem, ab ortu Antibarensem diœcesim attingit, ad meridiem mari definitur, & scopulum S. Nicolai vini triticique feracissimum complectitur. Ad eam pertinet villa S. Salvatoris monti præcelso inædificata, cui civitas subest. Qua spectat in occasum & aquilonem, intra suos fines continebat Communè Mainorum, & Braicorum, itemque territorium Zuppæ, & villam Sozzæ; sed hi populi, cum ritum & dogma Græcanicum complexi fuerint, se Cetinensi Episcopo ejusdem ritus & dogmatis subdiderunt, eique decimas persolvunt, quas antea mensa Episcopalis Buduensis percipiebat. Ab regione Orientis partem occidentalem Communis Pastrovichiorum Episcopus Buduensis, orientalem Antibarensis sibi vindicat.

Ædes Cathedralis, aliæque in urbe.

Ædes Cathedralis nomine & auspiciis S. Joannis Baptistæ consecrata est, quæ quidem antequam civitas e declivitate montis in subjectam planitiem translata, & in ipsa ora maritima collocata fuisset, titulo & patrocinio B. Mariæ ab Angelo salutatæ suberat; quin imo priusquam ab S. Joanne Baptista cognomen acciperet, titulum S. Sabbæ Abbatis subisse ajunt. Et sane Buduenses utrumque sibi Patronum adoptarunt, & in tabula picta summi altaris inter Ss. Petrum & Marcum ab latere dextro, & Ss. Nicolaum & Sabbam ab sinistro medius visitur S. Joannes Baptista. Hujus templi, cum reliquæ partes an. 1661. terræmotu corruissent, quas Andreas Zmajevichius Archiepiscopus Antibarensis restituit, sacellum maximum intactum, atque incolume stetit. Nunc Capitulum tribus Canonicis constat, & suus cuique titulus est, uni ab S. Maria de Castello, alteri ab S. Joanne Baptista, tertio ab S. Petro; erat etiam quartus a Ss. Trinitate cognominatus; sed abolitus cum fuisset, hujus provehtus ad augendas trium reliquorum pensiones accesserunt. Tres itidem ex antiqua institutione sunt Presbyteri ordinis inferioris, unus S. Mariæ de Castello, alter S. Georgii, tertius S. Crucis, altari & sacello præpositi, & suâ cuique annua pensio, quamvis exigua. His adde quartum sacerdotium S. Joannis Patavini, quod ante annos non ita multos instituit ac dotavit Nicolaus Bellafusa. Præter alias minores Ædiculas aut vetustate, aut terræmotu semirutas duo sunt præcipua templa, alterum in arce vetustissimum S. Mariæ de Castello post terræmotum anni 1667. superstes atque incolume, cujus parieti incisa est inscriptio Gothici characteris, & sermonis Rasciani difficilis intelligentiæ atque interpretationis; alterum Sanctæ Mariæ de Puncta prope ab urbe, cujus effigies in tabula depicta, ac pervetusta, argenteis coronis ornata, & plurimis miraculis inclyta magnam habet apud indigenas advenasque venerationem, atque a Turcis juxta, & Christianis multis muneribus, & eximia pietate colitur; quater præterea in anno solemni supplicationis pompa per urbem defertur, die præsertim XVI. Kal. Februarii, quo memoriæ proditum est sacram effigiem Catharo Buduam adventasse, ut esset urbis tutela ac præsidium adversus Turcarum impetus, qui, regno Cyprio occupato, proximas urbes Antibarim & Olcinium vi cœperant, ac fœde vastaverant. Templi custodiæ & procurationi præsunt Fratres Franciscani, qui Cœnobium proxime obtinent, & vicinæ S. Sabbæ Abbatis ædiculæ præsunt; sed Rasciani quoque ea precario utuntur ad publicæ religionis officia suo more rituque obeunda.

Episcoporum Buduensium series.

Series Episcoporum Buduensium plurimis & vastis lacunis intercisa est. Multos quidem in antiquis monumentis *Buduenses*, *Buduanenses*, *Bidunenses* &c. Episcopos invenies; ex his plures sunt, qui sine ulla dubitatione Ecclesiæ nostræ Buduensi adscribi debent; sunt de quibus dubitari possit; reliqui vero ad alias Ecclesias omnino ablegandi. Hæc Ecclesia modo cum sua metropoli Antibarensi conjuncta, modo ab ea disjuncta fuit. Ejus administratio alias Catharensi, Scodrensi alias, alias Oleiniensi, Episcopis demandari consuevit; Vicarius demum Apostolicus, qui eam regeret, constitutus fuit. Nunc subtexenda est series Episcoporum Buduensium, quorum nomina litterarum custodiæ tradita ad nostram ætatem pervenerunt.

I. Silvester an. 1141.
II. Sebarisius an. 1196.
III. Prolemæus an. 1245.

IV. Incellerius an. 1276.
V. Anselmus an. incerto.
VI. Joannes an. 1326.
VII. N. N. an. 1347.
VIII. Joannes II. an. 1361.
IX. Joannes III. anno inc.
X. Otho an. 1401.
XI. Joannes IV. an. 1423.
XII. Matthias an. inc.
XIII. Joannes V. an. 1433.
XIV. Joannes VI. an. 1446.
XV. Jacobus an. 1447.
XVI. Joannes VII. an. 1455.
XVII. Hieronymus an. circ. 1500.
XVIII. Simon an. 1518.
XIX. Gundisalvus an. 1524.
XX. Jacobus II. an. 1530.
XXI. Ludovicus an. 1541.
XXII. Antonius an. 1558.

Vicarii Apostolici, sive Administratores Ecclesiæ Buduensis.

I. Paullus Bisantius Ep. Catharensis an. 1575.
II. Ambrosius Capitius anno 1579. } Archiepiscopi Antibarenses.
III. Thomas Ursinus an. 1599. } Archiepiscopi Antibarenses.
IV. Marinus Bizzius an. 1608. } Archiepiscopi Antibarenses.
V. Franciscus Cruta, anno circ. 1620. } Episcopi Scodrenses.
VI. Gregorius de Novara anno 1646. } Episcopi Scodrenses.
VII. Joannes Canonicus Buduensis an. circ. 1650.
VIII. Joannes II. Presbyter Buduensis anno circ. 1652.
IX. Andreas Zmajevichius Archiep. Antibarensis an. 1671.
X. Dominicus Babichius Ep. Scodrensis anno 1677.
XI. Marinus II. Archidiaconus Catharensis an. 1686.
XII. Vincentius Zmajevichius Archiep. Antibarensis an. 1688.
XIII. Bernardus Presbyter Catharensis anno 1720.
XIV. Matthæus Sctacanovichius, incertum quo an. } Archiepiscopi Antibarenses.
XV. Marcus de Luchis anno 1746. } Archiepiscopi Antibarenses.
XVI. Lazarus Vladagnus anno 1749. } Archiepiscopi Antibarenses.
XVII. Georgius Junchius anno 1786. } Archiepiscopi Antibarenses.
XVIII. Georgius II. Angelus Radovanus an. 1787. } Archiepiscopi Antibarenses.
XIX. Franciscus Borzius anno 1791. } Archiepiscopi Antibarenses.

SILVESTER EP. BUDUENSIS I.

Ante hunc neminem habeo, cujus nomen literis ac memoriæ proditum invenerim. Jacobus Luccarus Annal. part. 1. pag. 19. Episcopos omnes enumerat, quos Cælestinus II. attribuit Metropolitæ Ragusino; singulorum vero nomina pronunciavit Maurus Orbinus in suis Commentariis de regno Slavorum pag. 247. atque inter hos nominatum reperies Silvestrum Buduensem, hujusque Episcopatum idem Orbinus conjunxit cum anno 1141. Fallitur tamen Luccarus, qui Cælestinum II. ejusque diploma ad hunc annum 1141. affixit, cum is ante annum 1143. Pontificatum non inierit. Cæterum ante Silvestrum Ecclesiæ Buduensi sui non defuerunt Episcopi, quippe quæ in scriptis superiorum ætatum inter Ecclesias Episcopales adnumeratur; sed latent nomina Episcoporum.

SEBARISIUS EP. BUDUENSIS II.

Hunc nobis suppeditavit clarissimus Cardinalis Joseph Garampus ex quadam incriptione Romana anni 1196., quæ apud Martinellum exstat in ejus libro inscripto, *Roma ex ethnico sacra*; sed cum ibi legatur *Sebacisius Baden. Episcopus*, idem legendum monet, *Sebarisius Buduen. Episcopus*. Cum reges Serbliæ Dalmatiam superiorem in plures Toparchias divisam tenerent, vix dubitari potest, quin Budua subesset eorum imperio. Certe sæculo undecimo Rodoslavus rex Serblorum Crispulum & Buduam donavit Bodino fratris filio, qui postea per summam perfidiam patruo regnum eripuit, ut docent Scriptores Byzantini apud Carolum Dufresnium §. 2. de familiis Dalmaticis. Dum Sebarisius Ecclesiæ Buduensi præsidebat, rerum apud Serblos potiebatur Stephanus Simeonis filius, vel Vulcanus Stephani frater; uterque fidei catholicæ profitendæ cupidus ab Innocentio III. petierat, ut Legatum mitteret, qui se ac regnum in gratiam & communionem Sedis Apostolicæ reciperet, sibique regium diadema imponeret. Si ergo Sebarisius Buduæ nostræ Episcopus fuit, ut videtur fuisse, sub Stephano, aut Vulcano optimis regibus, & Romani Pontificis cultoribus, bene usus illis temporibus rei Catholicæ propitiis Ecclesiam suam bene & feliciter gubernavit. Ab hujus Episcopatu anni circiter quadraginta intercesserant, cum creatus est

Sebarisii Ep. felix regimen sub Stephano & Vulcano Serbliæ regibus

PTOLEMÆUS EP. BUDUENSIS III.

Ex religiosa familia Augustiniana, de quo Aloysius Taurellus Bononiensis Frater eremitanus S. Augustini in Tomo IV. historiæ, cui titulus, *Sæcula Augustiniana*, ad an. 1245. num. 20. *Interfuit*, inquit, *Concilio Lugdunensi I. an. 1245. Fr. Ptolemæus Episcopus Budanensis, sive Buduensis, ut docet P. Herrera ex tabulis diplomaticis, quæ asservantur in Cœnobio Melnichensi in Germania, cujus Ecclesiam aliquot indulgentiis locupletavit. Idem confirmat P. Mikenius in suo Alphabeto Germanico.*

Ptolemæus Ep. interest Concilio Lugdunensi an. 1245.

INCELLERIUS EP. BUDUENSIS IV.

Eruditissimus Cardinalis Joseph Garampus, cum in sua Germanica peregratione inviseret

duo

Digitized by Google

duo monasteria S. Blasii, duo diplomata reperit, alterum in monasterio Weingartensi, in quo altare *in honorem sacrosancti Sanguinis D. N. Jesu Xpi* consecrasse dicitur *Fr. Incellerius Ord. herem. S. Aug. Dei gratia Buduen. Eps. Dat. Constantiæ 7. id. Sept. 1276*; alterum in monasterio Gezinkilichensi Sylvæ nigræ, in quo altaria itidem consecrata dicuntur *a F. Incellerio Ord. heremit. S. Aug. Buduen. Eps. Dat. 17. Cal. Feb. 1277.* Hunc Incellerium alumnum disciplinæ Augustinianæ vocat P. Aloysius Taurellus in Annalibus, sive Sæculis Augustinianis T. IV. Hic anno 1284, ut est apud eumdem Taurellum, certam delictorum veniam illis concessit, qui templum Augustinianum Marchekense statutis a se diebus caste pieque viserent; itemque visentibus sacellum Augustinianum Coloniense veniam quadraginta dierum pro peccatis venialibus, & totidem pro lethalibus expiandis impertivit, uti constat ex diplomate anni 1284. Erphordiæ dato in urbe amplissima Germaniæ nunc sub Archiepiscopo Moguntino; quo in diplomate, quod extat in Cœnobio Coloniensi S. Augustini, Incellerius dicitur *Episcopus Buduensis*. In quodam alio diplomate anni 1288. apud P. Amort in suo opere de Indulgentiis p. 189 nomen *Ingelerii Episcopi Buduensis* inscriptum est. Cum autem Incellerius in aliquibus ejusmodi Diplomatibus *Budensis* nominetur, hinc suborta est dubitatio P. Herreræ viro doctissimo, *Buduensis* ne in Dalmatia, an *Budensis* in Hungaria Episcopus esset. Budensem in Hungaria fuisse existimat Aloysius Taurellus, sed Budensem in Hungaria Ecclesiam inter Episcopales Ecclesias nusquam nominatam invenio in antiquis Notitiis Ecclesiarum, sive in Codicibus Provincialibus. Anno 1297. Incellerius sub titulo Episcopi Buduensis operam Adjutoris ad functiones Episcopales obeundas Archiepiscopo Moguntino navabat, ut est apud Joannem rerum Moguntinarum Scriptorem T. 2. pag. 45. Cur vero ab Ecclesia sua tandiu absens in Germania commoratus fuerit, caussæ nihil afferre possumus; atque iis temporibus, iisque in locis nihil molestiæ aut periculi Catholicis, eorumve Episcopis imminebat, cum in Serblia & Dalmatia superiori Stephanus & Uroscius regnarent dogmatis & ritus Romani fautores cum Helena matre sanctissima, & Catholicæ religionis tuendæ propagandæque cupidissima. Neque velim iccirco illum ab Ecclesia nostra Buduensi rejicias, aut alteri cognomini attribuas; quippe nec ratio ulla subest hujusmodi mutationis, & plurima illo, ac insequentibus ævis extant exempla Episcoporum, qui diu longe a suis Ecclesiis aberant nullam, quæ pateat, ob caussam; & privatæ interdum cum Clero aut civibus dissensiones, nonnunquam regionum cœlique incommoda, præsertim si advenæ essent, illos abire aliorsum compellebat. Quamdiu Incellerius vitam produxerit, ignotum nobis est. Huic successit

Incellerius Ep. an. 1276.

ANSELMUS EP. BUDUENSIS V.

Incertum quo anno, minime vero an. 1293, uti scribit Taurellus superius laudatus; nam Incellerius & adhuc vivebat an. 1297. Fuit Ordinis Augustiniani assecla; & ante annum 1326. Episcopatum vitamque reliquit.

JOANNES EP. BUDUENSIS VI.

E familia Franciscana, qui sub initium sæculi decimi quarti ad hanc Ecclesiam regendam accessit; nam anno 1326. jam erat Buduensis Episcopus, ut perhibent literæ Indulgentiarum hoc anno & idibus Juliis ab eo datæ Utini, ubi tum degebat, pro *Fratalea S. Mariæ* in Ecclesia S. Petri, & pro *Fratalea S. Mariæ Macellatorum* in Ecclesia eadem instituta. Triennio post, scilicet anno 1329., vicario munere aderat Episcopo Tarvisino; et v. Idus Januarias Aceli, sive Asyli, quod est oppidum Marchiæ Tarvisinæ, Ædes S. Angeli Fratrum Minorum, triaque ibidem altaria cum cœmeterio consecravit, & ex tradita sibi auctoritate cum Pagani Patriarchæ, tum aliorum Episcoporum provinciæ Aquilejensis, eorumque nomine omnibus & singulis tantum de pœnis remisit, quas pro admissis criminibus subire oporteret, quantum ex prescripto Canonum operibus piaculatoriis quadraginta dierum Deo persolvere debuissent, modo sacra confessione expiati ædem illam vel ipso anniversario consecrationis die vel septem proxime sequentibus diebus supplices adirent, atque ad illius cultum & ornatum aliquid subsidii conferrent. Hujus autem consecrationis commemorationem, itemque, concessam delictorum veniam ad diem octavum post solemne Paschale affixam esse voluit.

Joannes Ep. Buduensis an. 1326.

Vicarius Ep. Tarvisini consecrat Ecclesiam Acelanam Fratrum Minorum;

Nos Frater Johannes Dei Gratia Episcopus Buduensis, & Vicarius in Pontificalibus Rev. in Xpo Patris & Dni Fratris Ubaldi Dei & Apostolica gratia Ep. Tarvisini. Universis, & singulis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium in ipsius speratium majestate, tunc benigno favore prosequitur, cum ipsorum humilitas Sanctorum precibus ac meritis adjuvatur. Nos igitur cupientes, ut Ecclesia S. Angeli Ordinis Fratrum Minorum de Asillo diœcesis Tarvisinæ congruis honoribus frequentetur, & a Xpifidelibus veneretur, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui ad dictam Ecclesiam, quam consecravimus cum tribus Altaribus, & Cimiterio die octavo Circumcisionis Dni, orationis causa, & devotionis accesserint, & manus porrexerint adjutrices, ex parte Dni Pagani Dei & Apostolica gratia S. Sedis Aquilejensis Venerabilis Patriarchæ, & ex parte Dni Artici Concordiensis Episc., Dni Fratris Francisci Cenetensis Episc., Dni Fratris Ubaldi Episc. Trivisini, Dni Fratris Johannis Episc. Caprulani, Dni Petri Episc. Aqui-

Aquilini, Dni Gorgæ Feltrensis Episc., & Dni Episc. Tridentini, & ex parte nostra pro quolibet ipsorum Venerabilium Episcop., quorum vices, & auctoritatem gerimus, de omnipotentis Dei misericordia, & B. Mariæ semper Virginis auctoritate confisi, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis, eis misericorditer relaxamus. Et hanc Indulgentiam per diem consecrationis, & per totam octavam intendimus valituram. Quam Indulgentiam in octavo die Resurrectionis Domini translatamus. Aliis vero temporibus quibuscumque personis vere pœnitentibus & confessis ad dictam Ecclesiam accedentibus devotionis causa, prout superius est expressum, pro quoque Altari, quem visitaverint, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxamus ex parte nostra. Et hæc Indulgentia quacumque die, & hora toties sibi valeat, quotiens dicta Altaria visitabunt, perpetuis temporibus valitura. In cujus rei testimonium præsentes fieri fecimus, & nostri sigilli appensione munivimus.

Data in loco S. Angeli, Ordinis Fratrum Minorum de Asillo, die Dominico octavo intrante mensis Januarii. In millesimo trecentesimo vigesimo nono, Indictione duodecima.

Anno 1330. Joannes eamdem vicariam operam præbebat Henrico Episcopo Tridentino, uti tradit Bonellus in monumentis Italicis S. Adelpreti T. 3. pag. 443. ubi de Episcopis Suffraganeis Ecclesiæ Tridentinæ: *Joannes, Ordinis ignoti, Episcopus Buduensis (in Dalmatia), qui teste nostro P. Ambrosio Rosmino Roboretano in suo mss. Catalogo Epp. Trident. an. 1330. die 6. Dec. varias elargitus est Indulgentias visitantibus altare S. Christophori in Ecclesia SS. Andreæ & Nicolai Saturni*, & in T. 2. pag. 191. jam protulerat initium diplomatis ea de re a Joanne editi: *Joannes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Buduensis & Vicarius ad Pontificalia Ven. in Christo Patris D.D. Henrici eadem gratia Episcopi Tridentini.* Verum Joannis Episcopatus in ea tempora inciderat, cum Uroscius cognomento Milutinus, abjecto consilio fidei & Romanæ communionis amplectendæ, cujus se cupidum ostenderat, Catholicos latinos adeo divexabat, ut Proceres regni cum Philippo Tarentino, Bano Bosnensi, & Carolo rege Hungariæ de illo expellendo conjuraverint. Post Uroscium anno 1321. extinctum bellum civile inter duos fratres exarsit, Uladislavum & Constantinum filios Stephani fratris Uroscii. Victo interfectoque Constantino, Serbi, Uladislavo expulso, ad Stephanum Uroscii, ex concubina filium regnum detulerunt. In hoc igitur temporum motu, ac tanta turbatione rei Christianæ publicæque Joannes Episcopus in Italiam secessit, ut suæ fortasse saluti consuleret; & ne otiosus esset, nihilque ageret, atque ut haberet, unde victitaret, sese iis Episcopis, quos nominavimus, vicarium præbuit, & adjutorem. Ante vero annum 1347. jam vita decesserat.

ae postea Episcopi Tridentini.

N. N. EPISCOPUS BUDUENSIS VII.

De quo in tabulis Romanis: *Anno* 1347. 13. *Augusti Dom. Frater ..... Episcopus Biduanus fuit propter paupertatem a præstatione communis servitii liberatus.* Hæc paupertas, ob quam solutione communis tributi exemptus fuit, tum in ipsam Ecclesiam Buduensem, tum in ipsum Episcopum optime convenit. Hic siquidem erat, ut est verisimile, ex pauperrima S. Francisci familia; illius autem proventus propter bella civilia, & alias communium temporum calamitates multum decreverant. Nec vero, quod in tabulis Romanis *Biduanus* appellatur, e catalogo nostrorum Episcoporum necesse est deleatur; nam in Catalogis Provincialibus Ecclesiarum hoc vocabulo *Biduan.* tum Ecclesia, tum ejus Episcopi afficiuntur, ut ex ipso rerum & verborum contextu apparet. His temporibus apud Serblos regnabat Stephanus cognomento Duscianus, qui nomen Imperatoris & insignia sumpsit; eique successit Uroscius filius, postremus e stipite Neemanica rex sive imperator Serblorum. Cumque uterque schismatica labe infectus Catholicos in Serblia, subjectaque illis in Epiro ditione divexarent, etiam Ecclesia Buduensis plurimum passa est detrimenti, siquæ Antistitis fides, religio, atque constantia Schismaticorum injuriis exercita fuit; qui vel alio abire tandem compulsus sit, vel vitam inter labores ærumnasque pro sui gregis incolumitate finire; ejusque Episcopatus ultra quinquagesimum hujus sæculi annum produci posse videtur.

Buduensis Ecclesiæ calamitates.

JOANNES II. EP. BUDUENSIS. VIII.

Patria Venetus, cognomento Lucianus, & alumnus disciplinæ Franciscanæ, vir eximiæ virtutis, & doctrinæ, jurisque pontificii scientissimus, uti ex monumentis Cœnobii Patavini tum D. Antonii, tum D. Augustini. Erat Episcopus Buduensis anno 1361., quo in tabulis Bellunensibus Sodalitii S. Mariæ, vulgo *Battutorum*, seu *Flagellantium*, legitur certam canonicæ pœnæ remissionem Sodalibus elargitum esse cum aliis Episcopis: *An. 1361. die 28. Octobris F. Franciscus Ep. Mastitensis de licentia D. Jacobi Feltren. & Bellun. Episcopi, & auctoritate sibi concessa a F. Zanino Ep. Buduense & F. Donato Ep. Davense*, Danense, *indulgentias concedit Confratribus Scholæ S. Mariæ Battutorum in Ecclesia S. Joannis Baptistæ de Canali Diœcesis Bellunensis. Dat. in dicta Villa de Canali.* Et anno 1371. interfuit Venetiis consecrationi Ædis S. Jacobi in insula Judaica peracta ab Episcopo Cardicensi vir. Kal. Novembris, ut est in monumentis hujus Ecclesiæ, eamque cum cæteris, qui aderant, Episcopis similibus indulgentiis ad augendam pietatem ditavit. Nec dubium est, quin idem *Frater Joannes Episcopus de Buda*, ut in tabulis traditur, Ve-

Joannes III. Ep. Buduensis an. 1361.

ne-

netam Ecclesiam, quam *Prioratum S. Mariæ de Misericordia* appellant, eodem indulgentiæ ecclesiasticæ munere ornaverit; licet ejus diploma chronologicis notis non sit distinctum; nam & alii Antistites plures, qui Ædem eamdem hisce donis impertierunt, per idem annorum spatium, quo Joannes, traditas sibi Ecclesias regebant; eorumque diplomata quibusque notis anni, mensis, dieique careant, & una con Joannis litteris serventur in tabulario illius loci. Utrum Joannes Buduensem aliquando adierit Ecclesiam, an propter temporum, & locorum in Epiro calamitates absens hac illac vitam traxerit, nihil licet affirmare, cujus & obitus annum ignoramus.

JOANNES III. EP. BUDUENSIS IX.

Nobis notus ex literis Bonifacii IX. mox subjiciendis, quem a superiori Joanne distinguimus; cum ille non videatur ad postremos hujus sæculi annos perduxisse Episcopatum; hic vero ante initium sæculi decimi quinti huic præfuit Ecclesiæ.

OTHO EPISCOPUS BUDUENSIS X.

Joanne III. vita functo, Bonifacius IX. Episcopum Buduensem creaverat anno circiter 1400. F. Matthiam e Dominicana familia; qui cum, nescio quam ob caussam, literas Apostolicas Ecclesiæ sibi traditæ testes intra tempus præscriptum fieri non curasset, jus adeundi Episcopatus amisit. Itaque Pontifex in ejus locum suffecit Othonem cognomine Roderum, natione Germanum, & ejusdem, ac Matthias, instituti asseclam; idque docent literæ pontificiæ ab eo datæ anno 1401.

Otho Ep. Buduensis an. 1401. e literis Bonifacii IX.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Ottoni Roder electo Buduanen. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Divina disponente clementia &c. Dudum siquidem bonæ memoriæ Johanne Episcopo Buduanen. regiminis Ecclesiæ Buduanen. præsidente; nos cupientes, cum vacaret, per Apostolicæ sedis providentiam utilem, & idoneam præsidere personam &c. Postmodum vero dicta Ecclesia per obitum prædicti Johannis Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos, vacatione hujusmodi fide dignis testibus intellecta, de persona dilecti filii Mathiæ de Alemania, Ordinis Fratrum Prædicatorum professoris, eidem Ecclesiæ auctoritate Apostolica duximus providendum. Cum autem postmodum idem Mathias super hujusmodi provisione & præfectione de se factis, literas Apostolicas infra tempus debitum, prout juxta quamdam ordinationem super hoc per nos factam, tenebatur, fieri facere non curaverit, & propterea hujusmodi provisio, & præfectio juribus non subsistant, nos ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione, & decreto obsistentibus &c. ne Ecclesia ipsa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & solicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem, & etiam fructuosam, cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum professorem, in Sacerdotio constitutum, Religionis zelo conspicuum, literarum scientia præditum, vitæ ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, & in temporalibus circumspectum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fide dignorum testimoniis percepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione pensatis de persona tua, nobis, & eisdem Fratribus nostris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Ecclesiæ de dictorum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum, & Pastorem, curam, & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi in spiritualibus & temporalibus committendo &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum X. Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno tertio decimo.

De Othone etiam Vincentius Fontana in Theatro Dominicano *P. F. Otho Roder Germanus, Biduanensis Ecclesiæ in Sclavonia, sub Metrop. Ragusina Episcopus creatus fuit a Bonifacio IX. an. sal. millesimo quadringentesimo secundo*, vel primo, 10. *Kal. Januarii, prout in lib. Provis. Prælatorum ejusdem Pontificis habetur; de quo tamen altum silentium tenuere Scriptores nostri. Ex Regesto Bonifacii IX.* Regio *Sclavoniæ*, in qua, & *Metropolis Ragusinæ*, sub qua constituta esse dicitur *Biduanensis Ecclesia*, dubitare non sinit, quin Episcopatus Othonis ad nostram Buduensem Ecclesiam pertineat, quæ olim Ragusino Metropolitæ revera paruit.

JOANNES IV. EP. BUDUENSIS XI.

In tabulis Romanis nominatur *Joannes Blasii electus Budinensis anno* 1423. 9. *Augusti* qui consueto promisso fidem suam obstrinxit, sese *pro communi servitio sex & octoginta florenos* ærario Apostolico soluturum, *Tomo* 6. *Obl. pag.* 53. In actis Consistorialibus *provisum* fuisse dicitur *an.* 1423. 12. *Kal. Junii Ecclesiæ Budniensi in Bulgaria vacanti per mortem, de persona F. Joannis.* Utrobique idem nomen Joannis, idem annus 1423. sed mensis & dies collati Episcopatus diversus. Ecclesia nostra Buduensis longe abest a Bulgaria, nisi vocabulum Bulgariæ per errorem irrepserit. Ex prænomine *fratris* ad posteriorem, non item ad priorem Joannem apposito, itidem ex diverso mense ac die creationis episcopalis alter ab altero internosci posse videtur: certe Budniensem Ecclesiam, siqua fuit in Bulgaria, a nostra Buduensi in Dalmatia distingui oportet. Cæterum nullam in Bulgaria Budniensem Ecclesiam Episcopalem invenio; si unum eumdemque Joannem fuisse velis tum Buduensem, tum Budniensem, hunc

Joannes IV. Ep. Buduensis an. 1423.

hunc Buduæ nostræ rectius adscripseris; si vero duos, alterum Bulgariæ, alterum Dalmatiæ attribuas per me licet.

MATTHIAS EP. BUDUENSIS XII.

Matthias Ep. Buduensis an. incerto.

Quem nobis innuunt acta Consistorialia mox subjicienda. Cumque anno circiter 1433. obierit, brevi temporis cursu ejus Episcopatus finitur, si decennio ante Joannes IV. hanc Ecclesiam regere incepit. Cave tamen, ne Matthiam nostrum, quem acta laudata *Dominum Matthiam* appellant, confundas cum F. Matthia Episcopo Biduanensi, de quo hæc Echardus in Opere de Scriptor. Ord. Prædic. T. I. inter sui Ordinis Episcopos: *Matthias Teuto Ep. Biduanensis, Suffraganeus Ultrajectinus ab anno 1406. florebat adhuc & exercebat anno 1425. Biduana, seu verus Bitoana Ecclesia est in prima Phrygia Pacatiana sub Laodicena. Laudant nostri, sed non accurate.* Equidem titulus Biduanensis, quo tum Buduæ, tum Bitoanæ Ecclesiæ Episcopi nominantur, in dubium sæpe adducit, utri ex iis Ecclesiis sint adscribendi; nulla tamen mihi suppetit ratio, cur Matthiam, & qui proxime sequitur, Joannem potius inter Bitoanenses, quam Buduenses Antistites adnumerem; eoque magis quod Matthias alter ab anno 1412. ad annum 1325. Bitoanensem tenuit Episcopatum, uti legitur in hist. Bataviæ Sacræ pag. 211.

JOANNES V. EP. BUDUENSIS XIII.

Joannes V. Ep. Buduensis an. 1433.

Ex Ordine Fratrum Prædicatorum, cognomento de Sillanego, forte natione Hispanus, quem Eugenius IV. Ecclesiæ Buduensi Episcopum dedit, ut fidem faciunt acta Consistorialia: 1433. x. *Kal. Aprilis provisum fuit Ecclesiæ Biduanensi, vacanti per obitum D. Matthiæ, ipsius Ecclesiæ ultimi Episcopi, de persona F. Joannis de Sillanego Ord. Prædic. & Gen. eorumdem ad ipsam Ecclesiam Biduanensem promoti.* Idem confirmat T. 65. Obl. pag. 158. Equidem in serie historica Generalium totius Ordinis Dominicani Moderatorum ne nomen quidem Joannis legitur, & de hujus Episcopatu silent omnes ejusdem Ordinis Scriptores. Fuerit itaque Dominicani instituti alumnus, at Magistri Generalis titulus, quo insignitur, in acta per errorem certo irrepsit, & omnino videtur expungendus.

Tres Episcopi ex hac serie rejecti.

Tabulæ Romanæ tres nobis suppeditant Episcopos; ex his unus Stephanus, de quo hæc habentur T. 66. Oblig. p. 12. *Pridie id. Apr. an. IV.* Eugenii IV. idest 1434. *provisum fuit Ecclesiis Biduanen. & Bi...nien. in regno Bosniæ canonice unit., de quarum vacatione modo certa notitia non habetur, de persona Stephani Radosarig Ord. Min.* Nihil autem huic Stephano cum Ecclesia nostra Buduensi, qui nunquam ad regnum Bosnense pertinuit; neque divinare licet, quænam fuerint Ecclesiæ illæ Biduanen. & Bi...nien. simul conjunctæ. Alter, quem in eodem Tom. scriptum repe-

rio, est Joannes: 1438. 5. *Kal. Julii provisum fuit Ecclesiæ Budinen. vacanti per obitum Matthiæ de persona F. Joannis Schedemeker Herem. S. Aug. & Suffraganeus factus Osnabrugensis.* At is in locum Matthiæ Buduensis Antistitis, cui anno 1433. suffectus jam fuerat Joannes ex Ordine Dominicano, succedere certo non potuit; nisi pro Joanne Dominicano hunc Augustinianum substituas, & Matthiæ Episcopatum ad an. 1438. producas contra fidem actuum Consistorialium. Tertius Joannes *Episcopus Budinensis* in tabulis *Intr. & Ex. Cam. Ap. T. 614. pag. 28.* dicitur solvisse pensionem, quæ contribui solebat pro Ecclesiis *in partibus Infidelium* sitis, cujusmodi ea ætate certe non erat Ecclesia Buduensis; & in codice Romano, cui titulus, *Totius orbis terrarum tam Provincialium, quam Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum cum vulgaribus earum nominibus juxta veterem traditionem &c. Ecclesia Biduana in Sclavonia & Ragusina Provincia*, distinguitur ab Ecclesiis *Biduensi*, tum *Budinensi*, quæ ibidem *Titulares* vocantur, cum essent sub *Infidelium* imperio. Alibi igitur horum Episcoporum sedes quærenda est; quos profecto Ecclesiæ nostræ Buduensis adscribere non ausim.

JOANNES VI. EP. BUDUENSIS XIV.

Joannes Ep. Buduensis an. 1446.

Cognomento *Rubinus*, sive *de Paulis*, patria Corcyrensis, ex Ordine S. Dominici, quem Eugenius IV. ad Episcopatum Buduensem evexit XII. Kal. Decembris anni 1446. ex tab. Rom. T. 72. Obl. pag. 16. A suscepto Episcopatu nondum annus intercesserat, cum eum Nicolaus V. ad regendas Ecclesias Corcyrensem & Stagnensem migrare jussit.

JACOBUS EP. BUDUENSIS XV.

Jacobus Ep. Buduen. an. 1447.

Ex antiquis Dynastis de Breberio, qui copiis atque opibus in Dalmatia inferiori pollebant, alumnus & cultor religiosissimus disciplinæ Franciscanæ, cui Nicolaus V. Ecclesiam Buduensem decrevit XVII. Kal. Novembris anno 1447. T. 72. Oblig. p. 29. Joannis Rubini ad Ecclesiam Stagnensem & Corcyrensem translati, & Jacobi de Breberio electi Buduensis testis est epistola Nicolai V. apud Waddingum ad hunc an. 1447., quæ est hujusmodi.

Dilecto filio Jacobo de Breberio Electo Buduensi.

Apostolatus officium &c. Dudum siquidem provisiones Cathedralium Ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium &c. dispositioni nostræ reservavimus &c. Et deinde Ecclesia Buduensis ex eo Pastoris solatio destituta, quod nos nuper Venerabilem fratrem nostrum Joannem Curculens. & Stagnen. nunc, Buduensem Episcopum tunc, apud dictam Sedem constitutum a vinculo, quo ipsi Ecclesiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum nostro-

Digitized by Google

strorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis absolventes, cum ad Circulen. & Stagnen. invicem canonice unitas Ecclesias, tuno Pastore carentes, duximus Apostolica auctoritate transferendum, præficiendo ipsum dictis ecclesiis in Episcopum & pastorem. Nos ad provisionem dictæ Buduen. ecclesiæ celerem &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem &c. teque illi præficimus in Episcopum & pastorem ec. Datum Romæ apud S. Petrum, anno &c. 1447. XVII. Kal. Novemb. anno primo.

In Tomo 72. Obl., quem supra laudavimus, Ecclesia Buduensis sita esse dicitur in provincia Ragusina; id quod nullum locum relinquit dubitandi, quin uterque & Joannes Rubinus, & Jacobus de Breberio ad nostram Buduensem Ecclesiam pertineant. Hæc superioribus sæculis a Diocletana sive Antibarensi ad Metropolim Ragusinam transierat, cui catalogi provinciales fere omnes illam subjiciunt. Annos circiter septem Jacobus huic Ecclesiæ præfuit; neque enim ante annum 1455. ei successorem datum invenio; & hoc ipso anno, cum suæ Ecclesiæ proventus admodum tenues, ac fere nulli essent, Callistus III. ejus inopiam miseratus potestatem eidem permisit sacerdotia quædam, si qua vacarent, obtinendi, e quibus, quæ ad victum cultumque episcopali personæ ac dignitati congruentem necessaria erant, illi suppeditarentur, vel amissis, vel alio distractis Ecclesiæ bonis, quæ *in partibus Rasciæ*, ait Pontifex, *& confinibus Turcborum consistit, & titularis est*; Reg. T. 1. pag. 111. Sed Budua longius abest a Rascia, quæ regio est Serbliæ ad meridiem, quam ut *in partibus Rasciæ* constitui possit. Reges Serblorum e stirpe Neemanica sæpe, vocabulo Serbliæ posthabito, se reges Rasciæ appellari volebant; id quod perspici potest ex titulis e regno Rasciæ desumptis, quibus vel a seipsis in suis diplomatibus, vel a Romanis Pontificibus, cum ad eos scriberent, affici solebant, & alias Serbliæ, alias Rasciæ reges dicebantur. Post Urosium postremum generis Neemanici regem, & Vucassinum, qui regnum illi eripuerat, interfectos Stephanus Tuartkus Banus Bosnæ is, qui regium titulum concessu Ludovici regis Hungariæ sumpsit, cum post mortem Ludovici plura Serbliæ maritimæ ac mediterraneæ loca occupasset, non Serbliæ, sed Bosinæ & Rasciæ rex nominatur in literis Mariæ reginæ filiæ Ludovici datis Budæ anno 1383. Ipse vero in suis literis ad Tragurienses anni 1389. se regem *Rasciæ*, *Bosnæ*, *Maritimæque* appellat. Hinc vero factum est, ut hæc duo vocabula Serbliæ & Rasciæ pro synonimis habeantur; Budua autem, & tota fere Dalmatia superior ad regnum Serbliæ, sive Rasciæ pertinebat, & olim Serbliæ & Rasciæ regibus paruit; ex quo intelligi potest, cur hæc civitas in diplomate Callisti *in partibus Rasciæ* sita esse dicatur; cujus Rascianæ positionis hæc etiam ratio redditur, quod hæ regiones refertæ essent Rascianis, sive populis genere quidem Slavis, sed cultoribus dogmatis ac ritus Græcanici, qui *Rascianus* etiam appellatur. Præterea in eodem Callistiano diplomate Budua statuitur *ad confinia Turcborum*. Nam Turcæ post regnum Serblianum sive Rascianum exstinctum, & post Constantinopolim captam anno 1453. non solum Serbliam mediterraneam subegerant, sed etiam in Albaniam, pro qua tuenda Scanderbegus acerrime depugnabat, fines imperii propagare cœperant. Hinc & *Titularis* ab ipso Pontifice dicitur Ecclesia Buduensis; nam his temporibus Veneti pro locis illis, quæ cum Pastrovichiis Buduæ finitimis in eorum fidem ac potestatem venerant, retinendis vel recuperandis primum cum Balsa III. postremo e gente Balsichia domino utriusque Zentæ, deinde cum hujus avunculo Stephano Magno Despota Serbliæ, postea cum Georgio Brancovitzio filio sororis Stephani multa prælia vario marte gesserunt; nec vero antea bellare desierunt, quam Antibarenses, Buduenses, Olciniatæ suo imperio sponte se dediderunt an. 1450. Huc revoca, quæ scripsimus in Petro II. Archiep. Antibarensi. Cum igitur hæc regio propter bellicas clades direptionesque vastata jam esset, mirum videri non debet, si, ut aliarum, sic Buduensis Ecclesiæ proventus usque eo decreverint, ut ex ea Jacobus Episcopus fere nihil emolumenti & commodi præter titulum Episcopalem haberet, quæ caussa fuit, ut Callistus illam *Titularem* vocaverit. Adde, quod in quodam Codice Ms. domus Marcovichiæ traditur, territorium Buduæ semel atque iterum a Stephano Despota, itemque a Georgio Brancovitzio direptum, incensum ac pervastatum fuisse. Cæterum ante has posteriorum temporum calamitates, cum hæc Ecclesia e suis bonis redditus perciperet ad victum cultumque Episcopalem congruentes, a numero Ecclesiarum Titularium illam segregant veteres Catalogi, & Codex Romanus, de quo superius in Joanne V. Occupata igitur ab anno 1446. usque ad annum 1455. Sede & Ecclesia Buduensi, nihil loci aut temporis relictum est inter nostros Episcopos F. Hilgero Carmelitano Episcopo *Buduanensi*, primum Coloniensis, deinde Leodiensis Archiepiscopi *Suffraganeo*, qui obiit Coloniæ an. 1452. ut docet ejus Epitaphium, de quo Tomo 1. pag. 291. & Tomo 2. pag. 899. Biblioth. Carm. Buduanensis Episcopus appellatur in diplomate Nicolai V., qui ei potestatem fecit cujuslibet sacerdotii obtinendi, licet adnexam haberet procurationem animarum, ut ex eo illi suppeteret, unde viveret; nam ex Ecclesia sibi decreta, cum esset *in partibus Infidelium*, nihil emolumenti percipere poterat; datum est diploma *prid. non. Septembr. an. 1446. Reg. Tom. 23. pag.* 251. Itaque Episcopus *Titularis* erat; neque ex nostra Ecclesia Buduensi, quam tunc Jacobus de Breberio obtinebat, sed aliunde titulum Episcopalem Buduanensem sumpserat.

et Titularis dicatur.

cur Ecclesia Buduensis in partibus Rasciæ sita,

F. Hilgerus Ep. Buduanensis e nostra serie expungitur.

Scriptores Carmelitani Episcopatum *Biduanensem* in Creta olim fuisse existimant. Sed in hac insula nulla hujusce nominis Episcopalis Ecclesia reperitur; sunt quidem duæ insulæ admodum exiguæ ab Creta non ita lato interjecto mari disjunctæ, quarum alteram *Budvoen*, alteram *Butoam* Plinius appellat lib. IV. cap. 12., sed neutram harum insularum Episcopali dignitate præditam invenio neque in catalogis provincialibus, neque apud Lequienium, neque apud Meursium, neque apud Flaminium Cornelium in Greta Sacra T. I. pag. 233. Si quis conjecturis locus esset, verisimilius dixerim, Hilgero titulum Episcopalem datum fuisse ex Ecclesia Bitoana, quæ civitas est Phrygiæ Pacatianæ, cujus Episcopus Eudoxius interfuit Concilio Romano sub Symmacho Pontifice, ut docet Carolus a S. Paulo in Geogr. Sacr. pag. 230. Hæc de Buduanensi Episcopatu Hilgeri ex eruditis animadversionibus Card. Josephi Garampi.

Jacobus ex potestate sibi a Callisto facta unum alterumve sacerdotium forte adeptus, unde viveret, Buduensem Ecclesiam vel sponte dimisit, vel morte sublatus successori vacuam reliquit; nam anno 1455. in ejus locum suffectus legitur

JOANNES VII. EP. BUDUENSIS XVI.

Ioannes Ep. Buduensis an. 1455.

Quem Callistus III. Ecclesiæ Buduensi Episcopum præfecit, ut constat ex diplomate Pontificio, quod datum fuit VIII. Cal. Augusti anni 1455. Eodem anno, quo Episcopus renuntiatus fuit, sacerdotium S. Theclæ, quod in Ecclesia Atestina ab eodem Pontifice paucis ante diebus acceptum obtinebat, voluntaria abdicatione dimisit, quod argumento est, Ecclesiam Buduensem auctoritate operaque Venetorum, in quorum potestatem venerat, sua bona vel recuperare cœpisse, vel certe spem esse ea brevi recuperandi; neque enim Joannes Theclano sacerdotio se privasset, nisi ex Ecclesia sibi tradita necessarios ad vitam degendam, & personam episcopalem pro dignitate sustinendam proventus se habiturum speraret. Antequam Veneti Buduam stabili ac firma possessione ad suum imperium adjungerent, iterum ac sæpius pugnandum fuit cum Balsichiis dominis Zentæ utriusque, cum Stephano Despota Serbliæ illorum hærede, cum Georgio Brancovitzio Stephani sororis filio. Inter has dimicationes & pugnas Budua a Venetis alias amissa, alias retenta, anno demum circ. 1450. imperio Veneto constanti ac perpetua fide adhæsit. Varias, quas Buduenses subiere vices, dum hæc a Venetis gerebantur, ipsi describunt in petitione, quam Senatui supplices exhibuerunt, ut Buduensem agrum fœde direptum, & a Stephano Vaivoda injuste occupatum sibi redderetur. *Cum Balsa*, inquiunt, *dominaretur, nos illi eramus subjecti; tum vero Stephano Cenoja Vaivodæ nulla erant citra montes dominii jura. Balsa mortuo, nos in fidem vestram venimus, ac tutelam. At Vaivoda fœdus iniit cum Serblio Despota, & ab ipso id impetravit, ut agrum nostrum possideret. Tum auctoritati vestræ obsequentes in Despotæ potestatem concessimus, qui Vaivodam jussit agros restituere. Haud multo post idem Vaivoda nova fœdera junxit cum Stephano Bosnæ Duce, & nos in clientelam dominatus vestri regressi iterum sumus. Igitur Stephanus uterque & Bosnæ Dux, & Vaivoda, nos ex improviso adorti vineas & campos depopulati sunt, & Castellum ipsum armato milite obsederunt. Cumque Provisoribus vestris Marco Zeno, & Aloysio Laurodano Castellum tradidissemus, ipsi nobis Catbari polliciti sunt, fore quamprimum, ut agri nostri restituerentur, idque Vaivodæ imperatum fuit, qui Reipublicæ vestræ se tum subdiderat. At is minime paruit; quare hoc vos oramus* &c. Budua Venetis portiuntur.

Buduenses igitur, absente Georgio Brancovitzio, & bellis alias cum Hunnis, alias cum Turcis implicito, voluntaria deditione ad Venetos sub ea conditione transierunt, ut sibi confirmarent tum privilegia, quibus sub antiquis dominis gaudebant, tum Codices veterum suarum legum, e quibus paucas decerpsi, quæ ad rem Christianam & Ecclesiasticam pertinent; nimirum, *Ut Patronus primarius civitatis habeatur, colaturque S. Joannes Baptista, ejusque dies festus, solemni supplicatione per omnes urbis vias circumducta, & quanto maximo apparatu pompaque celebretur; Tres ante, ac totidem post festum dies nundinæ habeantur ab omni portorio immunes; Siquis Clericus intestatus obierit, ejus bona consanguineis, si e domestico, Ecclesiæ, si e patrimonio ecclesiastico acquisierit, attribuantur; Nemo Clericus, si testis in rem aliquam citetur, coram Magistratu civico, sed coram Episcopo, vel ejus Vicario testimonium dicat; Siquid negotii vel controversiæ Laicus cum Clerico habuerit, huno ille apud Episcopum, vel ejus Vicarium in judicium vocet; Ne meretrices prope sacrarum Virginum Collegia aut Monasteria habitare queant; Nemini liceat, præterquam Episcopo, judicare & sententiam ferre de hæreticis, de fœneratoribus, de viris religiosis, aliisque rebus, quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent; Siquis dies festos opera servilia exercendo violaverit, octo yperperis mulctetur; Non liceat Presbyteris dotare filias, siquas ex illicito concubitu susceperint; Dimidium portorii, seu vectigalis, quod e trigesima parte mercium & fructuum cujuslibet generis exigi solet, in ærarium Ædis cathedralis conferatur, ex quo suppeditentur sumptus necessarii ad sarta tecta tuenda, ad sacram supellectilem resarciendam & augendam, ad cereos & ornatus altarium, resque cæteras comparandas, quæ ad divinum cultum referuntur.* Leges quædam Ecclesiasticæ Buduensium.

Veneti Buduam adepti cum essent, nihil prius sibi faciendum putarunt, quam ut mœnia, propugnacula, ædificia labantia vel collapsa reficerent, Magistratus civiles, resque publicas ordinarent; Buduenses vero sub mi-

Digitized by Google

tissimo Venetorum imperio tranquillitatem & securitatem nacti territorium bellicis depopulationibus & vastationibus deformatum in pristinum cultum ac nitorem restituere cœperunt. Venetæ religionis fuit curare & jubere fundos sacros a profanis internosci, & suos Ecclesiæ reddi; ita mensa Episcopalis, si non omnes, aliquas tamen possessiones vel amissas, vel devastatas recuperavit; ex quibus Joannes Episcopus Pontificalem dignitatem tueri ac sustinere posset. Anno 1465. Buduenses apud Venetum Senatum conquesti sunt de Vicario Archiepiscopi Antibarensis, qui decimas quasdam ab iis Archiepiscopo persolvendas esse contendebat, easque ante aliquot annos petierat Archiepiscopus ipse Andreas de Mule. Buduensium expostulatio hisce verbis concepta erat. 30. *Maji* 1465. *Vicarius Archiepiscopi Antibarensis, uti antea Andreas de Mule Archiepiscopus, decimas quasdam ab Ecclesiis nostris sibi dari postulavit, nos vero nulli unquam sive Archiepiscopo sive Episcopo census hujusmodi contribuimus, præterquam Reipublicæ vestræ, cui libenter eosdem, uti semper persolvamus.* Senatusconsulto responsum, ut consuetudo servetur. Hinc arbitror, Ecclesiam Buduensem ad Provinciam Antibarensem ab Ragusina jam transiisse anno circiter 1448., quo Andreas Sedem Antibarensem conscendit. Et cum Veneti utraque urbe Antibari & Budua potiti fuissent, tum civitas & Ecclesia Buduensis firmiter metropoli Antibarensi, hujusque ecclesiasticæ provinciæ adjecta fuit, ut sub eodem imperio & civili & ecclesiastico jure utraque regeretur.

Joannes Wergineverade a serie Buduensium Episcoporum expungitur.

Anno 1483. v. Id. Aprilis Sixtus IV. Ecclesiam Budinensem decrevit Joanni Werginverade ex Ordine S. Dominici, ut constat ex Tomo 2. Oblig. pag. 112. & Tomo 3. Bull. Domin., eique annuam pensionem assignavit ex mensa Episcopali Ecclesiæ Halberstadiensis in Saxonia, cujus Episcopo Joannem adjutorem, sive Suffraganeum dedit. Hominem natione Germanum, ut ejus cognomen indicio est, in longinquam regionem ad functiones Episcopales obeundas ablegatum catalogo nostrorum Antistitum adscribendum non censeo; nec video, quid caussæ esse potuerit, cur illi potius Ecclesiæ alienæ, & longo terrarum tractu disjunctæ, quam suæ, si hæc nostra Buduensis fuisset, inserviendum esset; præsertim cum hæc sub imperio Venetorum tuta esset ab omni periculo metuque; neque intelligo, cur annuis proventibus, quos e bonis recuperatis Ecclesiæ nostræ percipere poterat, contentus esse non debuerit. Expuncto igitur e fastis Episcopalibus Buduensibus Joanne Suffraganeo Halberstadiensi, post Joannem VII. nullum hujus Ecclesiæ Episcopum habeo, quem proferre possim, usque ad initium sæculi decimi sexti. Per eos annos hanc Ecclesiam vel Metropolitæ Antibarensi, vel alteri propinquo Episcopo commendatam fuisse arbitror.

HIERONYMUS EP. BUDUENSIS XVII.

Hieronymus Ep. Buduensis anno 1509.

De cujus Episcopatu testes habeo tabulas Consistoriales, in quibus idem Hieronymus a Buduensi ad Vestanam Ecclesiam in Apulia translatus fuisse dicitur: 26. *Febr.* 1518. *transtulit* Leo X. *D. Hieronymum nuper Episcopum Buduensem ad Ecclesiam Vestanam in Apulia sub Metrop. Sipontina.* Hujus initia pontificalia referri debent ad ann. 1509. & mensem Junium, quo Julius II. per Venetum Oratorem Reipublicæ significavit, velle se Buduensi Ecclesiæ præficere F. Hieronymum Magnan civem Patavinum e Franciscana familia; idque in suos annales mss. retulit Marinus Sanutus, qui tum Venetiis florebat inter Patritios sapientia, & rerum publicarum administratione. Et is Hieronymus fuit ille Buduensis Episcopus, de quo in lib. Cœrem. Paridis de Grassis. *An.* 1511. *cum Pontifex*, Julius II., *esset Ravennæ die* v. *Martii, in officio Cinerum sermonem habuit Episcopus Buduacensis satis commendabilem.* Itidem eodem anno die 13. Martii Ravennæ in Æde S. Nicolai ad solemnem consecrationem Episcopi Archadiensis Gabrieli Archiepiscopo Dyrrhachiensi operam ac ministerium præbuit *Buduacensis* cum Episcopo Papiensi. Certe die ejusdem mensis 27. erat Venetiis, uti refert Sanutus ad hunc annum 1511. qua die in Ducis conspectum Patrumque collegium admissus suæ fidelitatis & observantiæ officium publice persolvit. Et in ea urbe quidem diu commoratus est anno insequenti; nam, teste Sanuto, die Martii 26. anni 1512. cum aliis Episcopis prosecutus est pompam, qua Cardinalis Sedunensis ad insulam & Cœnobium S. Georgii majoris deductus fuit a Patribus, & inde ad Palatium Marcianum die 28. mensis ejusdem. Comes eidem adfuit die 9. Aprilis, qua in templo D. Marci cum Duce & Senatu oratorem audiit de Christi Domini cruciatibus pie sermocinantem; & in solemni Paschatis festo, quod in diem Aprilis undecimum incidit, rursum Ducem comitatus est ad ædem D. Zachariæ. Ut erat autem Hieronymus magnæ apud Venetos existimationis, abeunti mox Cardinali Sedunensi Venetiis datus est itineris socius, qui honoris caussa adstaret, & in fœdere, quod is inter Helvetios & Rempublicam Venetam sanciverat, firmius illum obstringeret. Reversus vero Hieronymus paullo post in urbem, quæ a Cardinali nova mandata acceperat, Patribus exposuit pridie Kal. Majas. Romam postea profectus est: ubi hoc anno IV. Kal. Decembris Sessioni IV. ac reliquis deinceps fere omnibus Concilii Lateranensis Sessionibus usque ad duodecimam & postremam anni 1517. interfuit & subscripsit, *Reverendus Pater Hieronymus Episcopus Buduensis*. Idem Pontifex Leo post Vestanensem translationem Hieronymi Ecclesiam Buduensem cum Metropoli Antibarensi in perpetuum conjunxit; sed tertio Nonas Maji ejusdem anni 1518. decretum abrogavit,

transfertur ad Ecclesiam Vestanensem.

vit, & ea conjunctione dissoluta, suum ac proprium Episcopum dedit Ecclesiæ Buduensi.

SIMON EP. BUDUENSIS XVIII.

Simon Ep. Buduensis an. 1518.

Huic titulum Ecclesiæ Buduensis Leo X. contulit, ut scriptum est in tabulis Consistorialibus: 5. *Maj* 1518. *dissolvit unionem perpetuam alias factam de Ecclesia Buduensi cum Antibarensi, de qua providit in titulum D. Simoni de Boschettis, Flor.* 100. *taxa*. Nec solum titulum, sed etiam possessionem atque administrationem hujus Ecclesiæ Simoni tradidit, ut intelligi licet ex hujus literis ad Damianum Michelesium, quem sibi Vicarium generalem constituit. Harum literarum exemplum in meis schedis non invenio, sed habeo tamen titulum & subscriptionem. *Simon de Boschettis miseratione divina Episcopus Buduensis &c. Dat. Antibari in nostro Palatio Episcopali die x. Junii, præsentibus R. D. Joanne Britio Vic. & Canonico Antibarensi, & R. D. Marino Becsano Archidiacono Antibarensi, testibus ad hæc habitis, vocatis, & multis aliis, Pontificatus nostri anno primo*, post ejus adventum, aditamque Ecclesiæ Buduensis possessionem. Cum domus episcopalis Buduensis incommoda sibi forte, & nimis angusta videretur, domum, in qua laxius & commodius habitaret, Antibari conduxit, Laurentio Boschetto Archiepiscopo ejus fratre, vel certe consanguineo, libente etiam, non solum permittente. Hanc ille vocat suum *Palatium Episcopale* in litteris modo laudatis. Post Simonem aut morte sublatum, aut ad aliam Ecclesiam migrare jussum Buduensis rursus cum sua Metropoli conjuncta fuit, ejusque administratio in Laurentium Metropolitam recidit; sed paullo post ab eadem divulsa est.

GUNDISALVUS EP. BUDUENSIS XIX.

Gundisalvus Ep. Buduensis an. 1524.

De quo in tabulis Consistorialibus: 1524. 20. *Maji dissolvit* Clemens VII. *Ecclesiam Antibarensem ab Ecclesia Buduensi, & providit Ecclesiæ Buduensi de persona D. Gondisalvi Carvagial, ita tamen, quod cedente, vel decedente prædicto Gondisalvo, unio reintegretur juxta tenorem &c. Reditus flor.* 200. Quot annos præfuerit, mihi non est compertum; sed eo vel mortuo, vel alio abeunte, Ecclesia Buduensis rediit sub potestatem & regimen Metropolitæ Antibarensis.

JACOBUS II. EP. BUDUENSIS XX.

Jacobus Ep. Buduensis an. 1530.

Cui cognomen *de Medio*, ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci. Clemens VII. Ecclesiam Buduensem a Metropoli Antibarensi de consensu Ludovici Clericati tunc Archiepiscopi sejunxit, eamque F. Jacobo regendam tradidit, ut docent Acta Consistorialia: 3. *Oct.* 1530. *ad relationem Reverendiss. de Monte dismembrata fuit Ecclesia Buduensis a Metropoli Antibarensi de consensu Archiepiscopi, & illi provisum fuit de persona F. Jacobi Ord. Min., quo cedente vel decedente reintegretur unio dictæ Ecclesiæ cum Metropoli Antibaren.* Idem Clemens VII. ad Buduensem Episcopatum Jacobi Olciniensem adjecit. Itaque unus idemque fuit & Buduensis & Olciniensis Episcopus. Sed non ante annum 1536. & diem vicesimum Junii Paullus III. Episcopatum Olciniensem Jacobo collatum, & hujus cum Buduensi conjunctionem decreto Pontificio confirmavit; Divers. Camer. Tom. 101. pag. 547. t. Hic idem est, nisi me fallit opinio, atque Jacobus Dalmatius, qui hos sibi titulos adscripsit, & quibusdam suis præscriptionibus ac mandatis præposuit an. 1538. *Jacobus Dalmatius Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Duleiniensis & Butuensis; & in præsenti locumtenens generalis cum plenitudine potestatis pro Reverendiss. D. in Christo Patre, & D. D. Ludovico Chierigato divina gratia Archiepiscopo Antibarensi & Dioclet., totiusque regni Serviæ Primate.*

idem & Olciniensis Episcopus.

Haud longe a Buduæ mœnibus templum visitur pervetus, & antiqua religione augustum ac celebre, cui cognomen est *a Beata Maria de Puncta*, cujus effigies e proximo quodam loco acuminato, unde cognomentum invenit, illuc translata fuit, & in altari summo perhonorifice collocata. Hanc in tabula lignea pictam ferunt a S. Luca Evangelista; puerum Jesum utraque manu complexa in gremio tenet, totaque convestita est lamina argentea, ex qua solum eminet caput, manus & brachia tum filii, tum matris intuentium oculis aperta & perspicua; capiti corollæ quædam argenteæ superimpendent, quarum supremam bina Angelorum parvula ex argento simulachra hinc atque hinc sustinent; undique clauditur crate filis argenteis opere reticulato contexta. Magnam habet & perantiquam apud illas gentes venerationem, quam illi conciliarunt, augentque in dies plurima & maxima cujusque generis beneficia mortalibus ad eam præsidii & auxilii in rebus angustis implorandi caussa suppliciter adeuntibus divinitus collata, quorum testes sunt innumerabiles tabellæ votivæ circum aram utrinque appensæ non solum ligneæ, sed etiam argenteæ; & harum quidem numerus eo creverat, ut visum fuerit conflari efficique ex iisdem binas lampades justæ magnitudinis. Quocirca effigies illa thaumaturgica ab indigenis juxta advenisque eximia veneratione ac frequentia colitur, & quater singulis annis in civitatem illata per vias urbis celebriores sollemni supplicatione circumfertur. Hujus tutela & ope præsentissima cum alias calamitates, tum præsertim pestilentiam proximis circa locis grassantem ab urbe & agro sæpenumero aversam fuisse constans est civium & communis opinio multis experimentis comprobata. Templum Marianum paucis ante annis Buduenses Fratribus Franciscanis rigidioris disciplinæ cum cœmeterio

Cultus B. Mariæ de Puncta apud Buduenses.

Digitized by Google

terio & ædibus adnexis attribuerunt, ut ibidem Cœnobium sibi construerent, nocturna diurnaque psalmodia debitum Deo ac Deiparæ cultum & honorem persolverent, simulque Christianis voti ac religionis caussa illuc convenientibus divina mysteria impertirent. Prope a templo S. Mariæ Sacellum est S. Sabbæ abbatis cum cœmeterio & exiguo domicilio, quod eo tempore tuebatur, ac pie colebat Presbyter quidam Marcus nomine, natione quidem Slavus, sed ritu latinus, vir eximiæ virtutis ac religionis, qui plurimos ab errore & schismate ad veritatem & sinceram cum Ecclesia Romana communionem revocaverat. Hæc de templo Mariano, & Sacello S. Sabbæ prænosci oportuit; quippe de utroque paullo post sermo redibit.

Cum sæpe inter Clerum sæcularem, ac cœtus religiosos de jurisdictione & perceptione emolumentorum, quæ obveniunt e sacris ministeriis, dissidia & contentiones existere soleant, his occasionem omnem ut præciderent, Fratres Franciscani, & Vicarius, Canonici, Presbyteri Buduenses Jacobum Episcopum rogarunt, ut quod quisque juris haberet, quid cuique deberetur, ipse pro sua æquitate ac sapientia statueret & præscriberet, viamque omnem dissensionibus præcluderet. Ille vero utrisque hæc præcipienda censuit, suoque diplomate confirmavit.

Controversias inter Clerum & Fratres Franciscanos componit Jacobus Episcopus.

Jacobus Dalmasius Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Dulcinensis & Butuensis, & in præsenti Locumtenens generalis cum plenitudine potestatis pro Reverendiss. Patre & D. D. Ludovico Chierigato divina gratia Archiepiscopo Antibarensi & Dioclen. totiusque regni Serviæ Primate. Cum honorabiles Fratres S. Mariæ, ac venerandi Presbyteri Vicarius & Canonici Buduenses a me summopere petiissent, ut pro concordia inter illos & mutua charitate in perpetuum stabilienda quædam illis ad pacem conservandam idonea, & sacris Canonibus consentanea aut jubendo aut vetando præciperem, & scriptis consignata relinquerem, hæc præscribenda censuimus.

Primum igitur, quod ad funera & corpora mortuorum pertinet, edicimus atque interdicimus, ne Fratres S. Francisci cadavera efferre audeant sine comitatu Presbyterorum, quibus majus minusve stipendium dari jubemus, prout defortui facultates ferunt, & recepta consuetudo requirit; cereos vero, & funalia, quæ feretrum honoris caussa circumstant vel prosequuntur, illi Ecclesiæ relinqui tribuique volumus, ubi corpus vita functi sepulturæ traditur, videlicet Ædi cathedrali S. Joannis Baptistæ, si ferta in hujus cœmeterio, Sacello S. Sabbæ, vel templo S. Mariæ, si in alterutrius sepulchreto tumuletur.

Deinde, si exsequiæ celebrentur in Æde cathedrali, nemo Fratrum vel pro illis exsolvendis, vel pro sacris pinaculoribus faciendis stipem accipiat, sed, quidquid stipis confertur, id omne inter Presbyteros distribui oportet, ad quorum jus pertinet tum justa funebria persequi, tum sacrificia facere pro expiatione mortuorum in illa Ecclesia, cui deserviunt ipsi, cujusque ministerio adscripti sunt. Similiter in Æde Mariana Fratrum Minorum bi soli, seclusis Presbyteris, corpora mortuorum illuc delata excipiant, funerum solemnia concelebrent; bisque debetur, quidquid pro exsequiis & sacrificiis eleemosynæ caussa contribui solet. Sacra vero votiva in quecumque Ecclesia fieri possunt, salvo jure & indemnitate tum Fratrum, tum Presbyterorum; & ne alterutri commodis & emolumentis sibi debitis fraudentur, cavendum est.

Sacellum S. Sabbæ cum apposito cœmeterio honorandus presbyter Marcus, qui utrumque religiose tuetur, & quamvis natione & lingua Slavus, ritu tamen, & sermone latino divinis rebus operam dare, Deoque sacrificare consuevit, in sua potestate, quoad vixerit, nemine repugnante, retineat, nemoque illi molestiam exhibeat; dignus enim est, quem omnes diligant & colant, cum Buduensium quamplurimos schismatica labe infectos in gratiam cum Romana Ecclesia reduxerit. Idem vero sacellum & cœmeterium post obitum Marci presbyteri cum Æde Mariana conjungatur, & sub potestatem ac procurationem transeat Fratrum Minorum; utrumque vero ab omni onere, tributo & molestia liberum sit, atque immune.

Siquando Episcopus Buduensis, sive Archiepiscopus Antibarensis, sive hujus Vicarius aut diœcesis, aut provinciæ lustrandæ, vel sacri Chrismatis impertiendi caussa Buduam venerint, volumus ac jubemus, ut Fratres Minores Cœnobii ac Templi Mariani hospitium illi præbeant, & quæ ad victum necessaria sunt, pro tenuitate suarum facultatum suppeditent, eisdemque rem divinam facientibus, & quæ sunt Episcoporum munia peragentibus inserviant. Ne vero queri possint, hujuscemodi onere se nimium gravari, unam de singulis centenis decimis Episcopalibus, quas ipsi ex hac diœcesi percipimus, huic Templo & Cœnobio donamus, ut Fratres habeant, unde in eos, quos diximus, hospites, atque in sarta tecta suenda sumptus necessarios facere possint; itemque, & eamdem ob caussam jus exigendi e proventibus S. Mariæ de Castello partem septimam iisdem trado, & eorum esse volo, quamdiu ego vixero; quod quidem jus Episcopi Buduenses jam inde ab antiquissimis temporibus obtinuerunt. His nostris præscriptionibus & constitutis ad laudem summi Dei, & pro pace, atque concordia servanda, siquis contradicere, vel repugnare audeat, anathemate feriatur.

Datum Buduæ in Monasterio S. Mariæ de Puncta anno Domini MDXXXVII. die vero x. Novembris, Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini Paulli III. anno quarto.

Jacobus, cum podagræ doloribus, aliisque valetudinis male affectæ incommodis laboraret, duos e sua Franciscana familia Sacerdotes gnavos & doctos sibi adjutores adscivit, quorum opera ad Christianam plebem erudiendam regendamque uteretur. His vero, ut haberent, ubi habitare possent, & unde vi-

verent, domum quamdam juris episcopalis, & aliquas possessiones e mensa Episcopali detractas assignavit. Post Jacobum Ecclesiam Buduensem gubernandam suscepit, ad suamque Metropolim adjunxit

LUDOVICUS ARCHIEP. ANTIBAR. ET EP. BUDUENSIS XXI.

Ludovicus Ep. Buduensis.

De quo in Archiepiscopis Antibarensibus. Erat, ut diximus, civis & patricius Vicetinus ex nobili familia Clericata, alumnus cultorque eximius disciplinæ Franciscanæ. Hic videtur Buduensem cum Antibarensi Ecclesia nexu perpetuo ita conjungere voluisse, ut una ex duabus Ecclesiis Metropolis conflaretur; in suis enim litteris, Episcopali titulo prætermisso, se utriusque Archiepiscopum appellat. Exstat ejus epistola ad suum Vicarium generalem Buduensem; eique summopere commendat Fratres Franciscanos non ita pridem templum S. Mariæ de Puncta, & domicilium prope a mœnibus Buduæ ex donatione Buduensium adeptos; curet omnino, ut ab omnibus honorifice & benigne tractentur; nemo illis impedimento sit, quominus in Ecclesia sua & adnexo Cœmeterio, itemque in sollemnibus & justis funeribus jure suo utantur; Fratribus ut vicinitas, sic perpetua sit concordia cum Marco Presbytero Slavo, qui proximum sacellum S. Sabbæ colit & tuetur, neque ulla inter eos existat de cœmeteriis & funeribus contentio; post obitum Marci, ut Jacobus Dalmasius decreverat, ædicula S. Sabbæ ejusque sepulchretum cum templo Mariano conjungatur, transeatque in potestatem monasterii Franciscani.

Ludovici Archiep. epistola ad Vicarium Buduensem pro FF. Franciscanis.

Nos Ludovicus Chierigatus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Antibaren. & Buduen. ac Primas totius Serviæ &c.

Cum divina benignitas & clementia, operante Spiritu Sancto, in Capitulo Provinciæ providerit saluti illius civitatis dilectæ nostræ Buduen., ut Fratres S. Francisci regularis observantiæ in eadem locum reciperent, & ad fabricationem tam spiritualem, quam materialem Præsidentem dicti loci cum aliquibus devotis Fratribus destinaverint, pastorali cura, qua illi populo devote adstringor, pro Dei honore, & dictorum Fratrum commoda præcipio sub pœnis mihi arbitrariis tibi Vicario Buduensi, omnibusque aliis quibuscumque meæ curæ subditis, quod dictos Fratres benigne tractent, ut decet; ne in eorum Ecclesia S. Mariæ ac ciniteriis dictæ Ecclesiæ, ac funeralibus, tam superior, quam inferior aliquis se impediat, nec bona eorum usurpet. Sed dicti Fratres cum illo Sacerdote Slavo, nomine Marco, de prædictis cimiteriis simul concordent, nec aliquis inter eos de præmissis se impediat usque ad mortem dicti Sacerdotis Slavi; post cujus mortem plena & libera jurisdictio dictæ Ecclesiæ, & cimiterii utriusque ad dictos Fratres deveniat; & si aliter per aliquem nostrum attentatum fuerit, ultra Dei indignationem, pœnis mihi arbitrariis succumbat; sub quibus etiam præcipio, ut, præfectis literis, eas dictis Fratribus reddere teneamini. In quorum fidem eas fieri volui, & sigilli nostri majoris, quo utimur, impressione muniri. Datum in loco S. Andreæ prope Rubinum die 17. Maji 1541.

qui Antibarensem & Buduensem Ecclesiam dimittit.

Ludovicus Antibarensem cum Buduensi Pontificatu retinuit usque ad annum 1551., quo quidem anno utrumque voluntaria abdicatione deposuit. Neque inter Buduenses Episcopos adnumerandum censeo Leonardum de Lana, quem anno 1546. tertio nonas Maji Paullus III. *Episcopum Biduanensem in partibus Infidelium* renunciavit, ut docent tabulæ Romanæ; & Ecclesiam illam Biduanensem, ex qua titulus Episcopalis illi collatus fuit, ab nostra Buduensi Christiano Venetorum imperio subjecta distingui, rejicique oportet in longinquas regiones, quæ Turcarum infidelium dominatu premebantur. Bernardinus Faynius in opere, cui titulus *Cœlum S. Brixianæ Ecclesiæ*, Leonardum cognomine Tertium Lana Episcopum Buduensem & ipse nominat, ejusque error vel in eo deprehenditur, quod hujus Episcopatus initia consignat an. 1550., cum Ludovicus adhuc illum retinebat, & decessisse scribit an. 1563. cum Antonius Ciurelia ante annos quinque Buduensi Ecclesiæ præfectus jam fuerat in locum Jacobi Dalmasii postremi Antistitis Buduensis vita defuncti, Joannes de Brunis Ludovico, ut in Sedem Antibarensem, sic etiam in administrationem hujus Episcopatus successisse videtur, quam post septem fere annos dimisit, cum suus Buduensibus & proprius Episcopus datus fuit.

ANTONIUS EP. BUDUENSIS XXII. ET POSTREMUS.

Antonius Ep. Buduensis an. 1558.

Erat clericus Ecclesiæ Bariensis in Apulia ex familia Civrelia, quem Paullus IV. Ecclesiæ Buduensi Rectorem præfecit, ut est in actis Consistorialibus: 4. *Februarii* 1558. *providit Ecclesiæ Buduensi in Dalmatia vacanti per obitum Jacobi Dalmasii de persona Antonii Civreliæ Clerici Bariensis, ipsum illi in Episcopum præfecit cum retentione compatibilium.* Ludovici Clericati inter Dalmasium & Civreliam interjecti nulla fit mentio, propterea fortassis, quod Ludovicus non ex mandato Sedis Apostolicæ, sed auctoritate sua Episcopatum Buduensem post obitum Jacobi Dalmasii administrandum susceperit, quippe ad suum jus metropoliticum pertinere censebat, orbitati Ecclesiæ illius sibi subjectæ consulere, nequid detrimenti caperet, si forte diutius Episcopi præsidio careret. Romani vero Pontifices, cum eidem Ecclesiæ per curam & vigilantiam sui Metropolitæ satis provisum esse existimassent, Episcopum & curatorem Ecclesiæ Buduensi præficere tunc omiserunt. Ludovicus vero, non jubente, sed annuente Sede Apostolica, nomen & munus Buduensis Episcopi suscepit, atque hanc caussam fuisse arbitror, cur in tabulis

Con-

Digitized by Google

Consistorialibus nulla hujus Episcopatus intermedii ratio haberetur.

Antonius Roma discedens an. 1559. Buduam pervenit, & anno sequenti Stephanum Marcovichium instituit suum Vicarium generalem, ac declaravit; quam quidem institutionem ac declarationem Bartholomæus Butta, scriba Rectoris & Magistratus Buduensis in Æde cathedrali promulgavit, & jusiurandum Stephano detulit, quo fidem suam Episcopo verbis solemnibus obstringeret, se omnia, quæ ad munus Vicarii pertinent, quæque in suis literis Episcopus præscripserat, quam diligentissime curaturum.

Stephanum Marcovichium Vicarium generalem declarat.

Antonius Chivrelia Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Buduensis Stephano Marcovich Presbytero Salutem in Domino, &c.

Cum de nobilitate & circumspectione vestris geramus fiduciam, meliorem sperantes, quod ea, quæ industriæ vestræ committimus, laudabiliter curabitis adimplere, vos eligimus, statuimus & ordinamus nomine nostro & Ecclesiæ nostræ Vicarium in spiritualibus, temporalibus, seu vices gerentem in tali loco, & in quibuscumque aliis castris, & villis nostris in dicta Ecclesia nostra, & in omnibus partibus ejusdem, earum & eorum, & hominum in eis habitantium, nunc & in posterum nostræ potestati & jurisdictioni subjectorum; ita quod omnes & singulas quæstiones civiles, & criminales, prout ad nos spectant, audire, cognoscere & terminare, Vicarios & Potestates eligere, confirmare seu dare in locis, in quibus pertinet de consuetudine, vel de jure, vel aliquo privilegio speciali, collectas & servitutes hominibus dictorum locorum imponere, omnia & singula nobis debita ratione & potestate Ecclesiæ nostræ petere, exigere, recipere, & de receptis quietare, liberare, solvere, exercere, omnia ad honorem, & servitium dictæ Ecclesiæ nostræ manutenere, & defendere, & generaliter omnia & singula facere & exercere, quæ ad Vicariatus officium in spiritualibus & temporalibus pertinent, valeatis, quamdiu nostræ placuerit voluntati, etiam siqua sint, quæ mandatum exigant magis speciale. Super præmissis omnibus & singulis gratis, & plene habeatis in omnibus, & per omnia vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas; promittentes nostro & Ecclesiæ nostræ nomine, nos ratum & firmum habituros, quidquid circa prædicta, vel aliquid prædictorum rite ac debite duxeritis faciendum. In cujus rei fidem & testimonium omnium & singulorum jussimus has sigilli nostri impressione muniri, D. Marci carentes sigillo proprio (1) propter captivitatem Turcarum.

1

Datum Buduæ in nostra Residentia an. Domini MDLX. *Indictione* III. *die ultimo mensis Martii, anno Pontificatus SS. D. Domini nostri Pii Papæ IV. I. Nostri anno III. feliciter. Amen.*

Die sacratissimæ Resurrectionis D. N. J. C. 14. mensis Aprilis in Cathedrali Ecclesia Buduensi de mandato Reverendis. Antonii Chivredia dignissimi Episcopi Buduensis per me Bartholomæum Buttam Cancel. magnifici Reginiminis Buduæ stipulatum, lectum & publicatum fuit præsens procuræ & assignationis Vicariatus instrumentum ..... adstante populi multitudine, & delatum fuit juramentum solemne Reverendo D. Presbytero Stephano Marcovich Vicario instituto, qui juravit in manibus dicti Reverendis. Domini, se observaturum quæcumque utilia & necessaria ad honorem Dei, S. Romanæ Ecclesiæ, & pro beneficio populi, & animarum sibi commissarum, præsentibus D. Marco Bello, D. Andrea Sancono, & D. Andrea Adamo.

NOTA.

1 Quid significent, quove spectent verba illa *propter captivitatem Turcarum*, quam causam esse ait, cur careat sigillo S. Marci, haud satis intelligo. Nullum quidem Turcis tunc erat cum Venetis bellum; sed piraticæ Turcarum biremes illis temporibus oram maritimam, & navigationem Adriaticam fere semper infestam habebant. Anno 1558. cum piratæ Turcici Venetum navigium cepissent, ut Maurocenus scriptum reliquit lib. 8. Hist. Ven., hi fortasse, repentino exscensu in terram facto, Buduam de improviso adorti diripuerunt, qua in direptione inter cæteras prædas e privatis & publicis locis raptim & discursu tumultuario captas sigillum Marcianum abstulerunt, quin & ipsum fortasse Episcopum, ut conjicere licet ex Ficklero, de quo inferius.

Interest Concilio Tridentino.

Cum Pius IV. an. 1561. Synodum Tridentinam semel atque iterum redintegrasset, Antonius Tridentum se contulit, quo pervenit tertio Id. Octobris, ut scriptum reliquit Astolphus Servantius in sua Ephemeride ms., & tum sessioni XVII. ineuntis anni 1562. tum reliquis octo usque ad exitum anni proximi interfuit; & in Collectione Labbeana Conciliorum inter Episcopos Paulli IV. collocatur *Antonius Civrelia Episcopus Buduensis*, & ad annum 1558., quo vix Episcopatum inierat. Fuit is ex pauperibus Episcopis, quibus, cum satis non esset ex redditibus suarum Ecclesiarum ad ferendas pro dignitate Tridentinæ commorationis impensas, Pontifex victum aliaque commoda suppeditabat, quo libentius Tridenti consisterent usque ad Synodi absolutionem, uti narrat Pallavicinus in Hist. Conc. Trid. lib. 15. cap. 11. At cum ingenio esset turbulento, magnam postea molestiam Patribus creavit, & seipsum omnium irrisioni, atque contemptui objecit. Indicta enim anno 1563. sessione XXIII. ad diem quartum Februarii, unus obstitit Antonius, ne haberetur; & composito in speciem vaticinantis sermone, minime habitum iri affirmavit inquiens: *Non sum Propheta, neque filius Prophetæ: at vaticinor, ne illo quidem die sessionem futuram.* Res ita accidit, discordibus varias in partes Patrum sententiis; & Præsidum auctoritate in diem Aprilis vicesimam secundam differri sessionem

Ejus temeritas & impudentia.

nem placuit universis. Tum primo elatus vaticinio Antonius acrioribus verbis multa prædicere ausus est, & sessionem sub alio Romano Pontifice, nec sine gravi Principum Christianorum contentione finiendam pronunciavit, subdens more Prophetarum, *Reverendissimi Patres, hæc dicit Dominus.* Nec defuere, qui scurrili hominis impudentiæ favere viderentur, & prolata ab eo vaticinii verba describi postularunt, cæteris omnino improbantibus vesanam Civreliæ temeritatem, qui in conventu Patrum habito v. Id. Februarii rogatus, ut de rebus propositis suffragium daret, insolenter respondit, *Omnia vanitas.* Quare Pontificis Legati, & Concilii Præsides gravissime in hominem commoti, ut ejus audaciam reprimerent, ad Cardinalem Carolum Borromæum, qui Romæ dirigendis, conficiendisque Concilii negotiis præerat, scribendum censuere, quo Pontifex de Civreliæ vesania certior factus & honori & quieti Concilii prospiceret, suamque sententiam adversus illum Patribus significaret. Hujus epistolæ exemplum hic subjicio ex Italico in latinum sermonem conversum.

de qua conqueruntur Legati per epistolam ad Card. Borromæum.

Volumus hisce litteris id agere, quod, dum hic sumus, nunquam opus fuit, ut ageremus, quo juxta Pontificis sententiam non levi malo & incommodo, quæ huc irrepsere, prospici possit. Episcopus Buduensis maximæ est offensionis, & ita loquitur in conventibus, ut multos ad risum moveat, multos ad tristitiam, ægre ferentes in hujusmodi consessu ea dici, quæ ab ipso dicuntur; &, quantumvis admonitus fuerit, ac reprehensus, nihili id facere videtur. Singula si referre liberet, otiari nos quisquam putaret. Ea itaque prætermittamus; suffragium solummodo hic exhibemus ab eo elapsis proxime diebus more prophetico descriptum, cui & alterum simile hodiè obtulit duobus unice verbis expressum: Omnia vanitas. Multa ab eo toleravimus, præter etiam dignitatem nostram; sed, cum is in graviora adhuc prolabatur, & Episcopi Ultramontani maxime se læsi querantur, diutius non immoramur, quominus hæc tibi nota sint & perspecta, ut nostro nomine Pontificem ores, consulat ipse prout Concilii decus postulare videtur; nos enim quid sit agendum, ambigimus; dedecus autem, & offensio ita hominem tolerare; & si ad nos illum advocamus, nolle se venire audacter respondet. Ne vero hac in re simus longiores, finem epistolæ facimus manus tuas exosculantes. Tridenti III. Id. Februarias an. 1563.

Borromæus, ut hæc accepit, plura ad mentem Pontificis rescripsit, quæ in Civreliam fieri oporteret, quin & e Concilio eum ejici suggerit, tanquam offensionum caussam, & eo indignum consessu. Verum Legati prudentia usi, quam necessariam esse in difficillimo negotio probe perspiciebant, Borromæo per alias literas significarunt, legisse se, quæ de Buduensi Episcopo scripserat, ea vero ægre perfici posse, minus vero incommodi esse, si, uti ipsorum concors est sententia, Episcopus ille sibi ipsi dimittatur; & siquid agendum, opportuna solum, & leni monitione se usuros.

Schelhornii calumnia refutatur.

Joannes Georgius Schelhornius in Tomo I. Amœnitatum hist. eccl. & litter. pag. 598. cum plura & falsa & injuriosa in Concilium Tridentinum ibi congessisset, utpote vir Lutheranæ sectæ addictissimus, quædam addidit *de fanatico quodam Episcopo*, Antonio nempe Civrelia, *qui Synodo Tridentinæ interfuit*, ut ansam inde arriperet irridendi gravissimo illi, sanctissimoque totius Catholicæ Ecclesiæ Conventui, ejusque calumniandi. Et ea quidem narrat, quæ ex Pallavicino paullo superius retulimus; cum vero animadvertat, Concilii Patres mitius cum Civrelia egisse, quam cum aliis Episcopis, qui libere sententiam dicebant, eosque severissime a Patribus notatos fuisse, minisque adstrictos, ut silerent, hinc Concilium nec liberum in suffragiis ferendis exstitisse, & per vim, fraudemque Pontificiæ partis acta omnia affirmat, præsertim in alio opusculo ibidem excuso pagina 277. ubi *Judicium Edmundi Campiani Soc. Jesu de Conc. Trid.* expendit, & pag. 337. exempla Nicolai Psalmæi Virdunensis, Jacobi Naclanti Clodiensis, & Braccii Martelli Fæsulani Antistitis in hanc rem proponit. Sed & hæc falsa facile cognoscuntur; nam, ut Psalmæum omittam, de quo nihil apud Pallavicinum comperio, quod Schelhornium juvet, Naclantus non, quod libere de Traditionibus disseruisset, verum quia impiam dixerat sacrarum traditionum cum divinis Scripturis comparationem, a cunctis Patribus jure est reprehensus ita, ut sponte veniam ab iis peteret, qui hac impietatis nota se, suasque sententias inuri minime ferebant, uti Pallavicinus narrat lib. 6. cap. 14. Cæterum & libere in Concilio postea versatus est; & cum de usu Calicis in Eucharistia populo tribuenda actum fuit, ac plerique Episcoporum non esse id Germanis poscentibus concedendum sentirent, Naclantus adversus eorum sensa liberrime disputavit, teste ipso Pallavicino lib. 18. cap. 4. Martellus autem, licet inquietus animi ingeniique, & in sententiis dicendis seditiosus, tum unice a Legatis objurgatus dicitur a Pallavicino lib. 9. cap. 1., cum ad dissidium & clamores Præsules provocavit, monitusque, ut deinceps sese moderatius contineret; nec multo post, dimissa Fæsulana, ad nobiliorem ditioremque Aletii Ecclesiam a Pontifice ipso fuit translatus; quod in Pallavicino laudato legimus lib. 13. cap. 1. Porro cum amente, qualem se Civrelia præferebat, quid severius, nisi ut ipsius amentiæ Legati decederent, qui in bonum sensum revocari non poterat? Neque vero ii Episcopi pessime mulctati fuere, nec Concilium integra caruit libertate, uti Schelhornius jactat impudenter.

Cæterum Civreliam non resipuisse testes habeo literas Caroli Vicecomitis, qui Concilio aderat, ad Carolum Borromæum datis die Aprilis vicesima secunda anni ejusdem in hanc sententiam. *Episcopus Buduensis,*

cum

Digitized by Google

cum ridicula quædam & indecora jam ante suis sermonibus dixisset, quæ in hoc Concilio parum decent & negotia, quæ aguntur, & Episcopi dignitatem, etiamsi nullius essent detrimenti, ut jam scripsi, aliquot abhinc mensibus palam loquitur sensu prophetico, quod ipse ait; & hæc enigmatica in diversa loca extra Tridentum mittuntur. Cum vero in sua dementia perstet, heri in Conventu e suis prædictionibus unam evulgavit, quin ulla ei esset occasio; illiusque exemplum censeo isthuc transmittendum; quippe, cum videam Concilii existimationem non solum imminui hujusmodi scurrilitatibus, verum etiam contemni, immo & offensioni esse, necessarium duxi ea tibi significare, multo magis quod suspicio est, ipsum a nonnullis ad hæc ridicula & injuriosa proferenda excitari. Idem confirmat Joannes Baptista Ficklorus in suis actis mss. penes Schelhornium loco laudato. *Die 21. Aprilis anno 1563. in Congregatione Antonius Civrelia patria Illyricus, Episcopus Buduensis, nescio quo spiritu ductus, surrexit inter Patres, & prophetare volens dixit, ut sequitur &c. Dicebatur non adeo integræ rationis esse, eamque mentis turbationem ex diuturnis vinculis, quibus apud immanes Turcas non paucos annos captivus detentus erat, ei accessisse.* At neque Illyrici generis Civrelia fuit, neque de eius captivitate quidquam ex aliis Scriptoribus compertum habeo.

Post Concilium Antonius Buduam redire cogitur,

Absoluto dimissoque Concilio, Antonius Barium secessit, ibique in patria immemor gregis suæ fidei concrediti sedebat otiosus, cum Pius Pontifex an. 1564. 18. Junii eum graviter severeque admonuit, ut se ad suam Ecclesiam regendam referret; (ex Minut. Brev. 1564. T. I. pag. 398.) & dum abfuit, Joannes Brunus Archiepiscopus Antibarensis curam Ecclesiæ Buduensis suscepit ex mandato Pontificis, & usque ad reditum Antonii retinuit. Sub idem tempus Magistratus & Syndici civitatis Bariensis Antonium de illius vivendi agendique ratione minime consentanea charactere ac dignitati Episcopali accusarunt apud Pontificem, qui Archiepiscopo Bariensi per literas imperavit, ut ex juris formula in ejus vitam moresque inquireret. (Ex Brev. 29. Augusti 1564. T. 7. pag. 106.) De illatis sibi criminibus se purgasse Antonium illud argumento est, quod Pontifex Antonium ad suam Ecclesiam redeuntem suis literis commendatitiis ad Brunum Archiepiscopum Antibarensem prosecutus est; cui etiam mandatum dedit, ut Antonio præsidio esset atque adjumento ad domum & bona quædam recuperanda, quæ duo Fratres Franciscani tradita sibi, ut diximus, ab Jacobo Dalmasio retinebant, ex Brev. 29. Sept. an. 1565. pag. 286.

et, Budua eversa,

Anno 1571. dum etiam Dalmatia bello Cyprio ardebat, Turcæ post Antibarim captam Buduam quoque, ut est apud Maurocenum lib. X. Hist. Ven., ab Augustino Paschalico Prætore & a militibus derelictam, oppidanis se dedentibus, occupavere, leges eorum, vitas, fortunas, privilegia sarta tecta servatum iri cum essent polliciti. Verum Turcica classe abscedente, cum urbem ægre defendi posse censeret, Præfectus Turcicus illarum regionum, mœnibus magna ex parte diruris, & domibus eversis, eam militibus diripiendam tradidit. Buduam quidem Veneti recuperarunt, & quæ crudelitas barbarica demolita fuerat, utcumque refecerunt; quin & mœnia, castellum, & Ædes Cathedralis Sancti munificentia ac pietate restituta adhuc visuntur; sed tum ædificiorum, tum civium numerus adeo diminutus fuit, ut vix exigui oppiduli speciem retinuerit. Quocirca post Antonium Civreliam nullum in actis Consistorialibus & tabulis Romanis Episcopum Buduensem invenio. Neque enim horum Antistitum catalogo adscribi debet F. Bartholomæus ex Ordine Franciscano Fratrum minorum, cujus Ecclesia *Buduanensis*, ex qua titulum Episcopalem sumpsit, hinc longe gentium abest *in partibus Infidelium* constituta; de quo in actis Consistorialibus: 1. *Julii* 1697. *providit*, Innocentius XII., *Ecclesiæ Eduanen. in partibus Infidelium certo modo vacanti de persona Bartholomæi de Missones Ord. S. Franc. de Observ., & deputavit in Suffraganeum ad exercenda Pontificalia in Ecclesia & Diœcesi Burgensi cum assignatione pensionis annuæ Ducat. 300. auri de Camera pro ejus congrua super fructibus mensæ Archiepisc. Burgensis.* Expungendos item censeo e numero Antistitum nostrorum Buduensium duos Episcopos ex Ordine Prædicatorum, alterum Dominicum Paulonum an. 1665., de quo Bullar. Dominic. T. 6. pag. 226. tum Fontana p. 1. cap. 5. tit. 89. pag. 141. & Cavalerius T. 1. pag. 628.; alterum Hyacinthum Demetrium, quem Echardus T. 2. Biblioth. Dominic. in Catalogo Episcoporum sui Ordinis *Bidinensem*, seu *Budinensem* Antistitem nominat, translatum ad Seniensem Ecclesiam an. 1680. Verum Hyacinthus, ut est in T. IV. Hist. nostræ, an. 1681. electus fuit Seniensis Antistes, & Ecclesiæ Modrussiensis Administrator, cum nullum antea, ne *Titularem* quidem, Episcopatum gessisset; idque probant tabulæ Consistoriales a nobis illic productæ p. 146. Igitur, ut Hyacinthum omittam, Paulonus certe cum Episcopis *Titularibus* in regiones longinquas, *partesque Infidelium* ablegandus videtur; & si forte ab nostra Budua titulum honorarium sibi traditum habuit, Buduam tamen non accessit, vel ullam administrationis ecclesiasticæ partem attigit; cum per eos annos Ecclesiam Buduensem administraverint Joannes Marcovichius Presbyter Buduensis & Vicarius Apostolicus, Andreas Zmajevichius Archiepiscopus Antibarensis, & postea Dominicus Babichius Episcopus Scodrensis. Exinde vero administratio Ecclesiæ Buduensis alias Archiepiscopis Antibarensibus, alias finitimis Episcopis, alias Vicariis Apostolicis demandata fuit.

postremus fuit Episcopus Buduensis.

Ecclesia Buduen. Administratoribus traditur.

Eorum primus Paulus Bisantius,

Anno 1575. rem ecclesiasticam Buduensem administrabat Paullus Bisantius Episcopus Catharensis, quem Flaminius Cornelius

Digitized by Google

Senator amplissimus in suis Episcopis Catharensibus pag. 40. *Ecclesiarum Buduæ & Cononis primum Administratorem* vocat. Huic siquidem Gregorius XIII. primum Buduensis, deinde Cononensis Ecclesiæ administrationem commendaverat. *Cum*, inquit, *nuper te per alias litteras nostras Administratorem Ecclesiæ Buduen. sub certis modo & forma tunc expressis deputaverimus, prout in illis plenius continetur, nos speranles, quod Ecclesiæ quoque Cononensis in partibus Infidelium constitutæ nunc vacantis administrationem recte ac salubriter, quantum cum Deo poteris, sustinere curabis, te ejusdem Ecclesiæ Cononensis in spiritualibus ac temporalibus, & illius bonorum Administratorem ad beneplacitum nostrum auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus ac deputamus tibi concedentes &c.*

dein Ambrosius Capitius,

Anno 1579. ineunte Ambrosius Capitius ex Ordine Franciscano decretam sibi Antibarensis & Buduensis Ecclesiæ administrationem suscepit; & cum palatium Archiepiscopale Turcæ occupassent, Buduæ sibi domicilium collocavit, ut dictum est in eodem Ambrosio Capitio Archiepiscopo Antibarensi, de quo idem Cornelius in Episcopis Mothonensibus & Coronensibus pag. 168. *Frater Ambrosius Capitius Sacræ Theologiæ Professor, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Antibarensis Dioclensis, ac totius Regni Serviæ Primas, necnon Administrator Buduæ & Coronæ anno 1587. die XIV. Novembris consecravit Venetiis Ecclesiam Monialium Ordinis S. Francisci in honorem S. Sepulchri.*

Nondum fortasse Ambrosius Buduam pervenerat, cum Augustinus Valerius Episcopus Veronensis, qui ex mandato Gregorii XIII. Ecclesias Dalmatiæ Apostolica circuitione lustrabat, Buduam appulit mense Martio anni 1579. Hujus adventus testem habeo M. Antonium Gratianum scribam sive notarium ejusdem Visitatoris Apostolici, qui fidem fecit, exemplum decretorum Jacobi Dalmasii Episcopi Buduensis germanum esse, & cum autographo congruere. *Ego Marcus Antonius Gratianus civis Veronensis, & Coadjutor Notarius Cancellarii D. D. Visitatoris Dalmatiæ assero suprascriptam declarationem factam fuisse hic per aliam exemplatam a suo authentico, manu, ut videbatur, scripto Episcopi supradicti Jacobi Dulcinensis Episcopi, & ejus sigillo roborato; & hoc factum esse, quia ipsum authenticum propter vetustatem erat lacerum, ita ut brevi nulli usui fore conjiceretur; nullumque additum aut ademptum fuisse verbum, quod possit aliquo modo sententiam mutare. In quorum fidem me subscripsi, & sigillum dicti Reverendiss. D. Visitatoris apposui. Die XVII. Martii MDLXXIX.*

Thomas Ursinus,

Anno 1599. Thomas Ursinus ex Ordine Minorum S. Francisci, ut in Sedem Antibarensem, sic etiam in procurationem vicariam Ecclesiæ Buduensis Ambrosio successit, de quo in Archiepiscopis Antibarensibus.

Marinus Bizzius

Thoma e vivis sublato, administratio Ecclesiæ Buduensis an. 1608. in Marinum Bizzium Archiepiscopum Antibarensem incubuit, qui decessorum exemplo suam sedem Buduæ collocavit. Hic Romæ cum esset an. 1620., antequam cum Antibarensi Archiepiscopatu Buduensem administrationem dimitteret, Francisco Crutæ Presbytero Buduensi potestatem concessit possidendi ac retinendi, dum viveret, quædam prædia illi per Procuratores Ædis cathedralis S. Joannis Baptistæ collata, quæ Christophorus Baronus, & Christina uxor Nicolai Stagnenichii Ecclesiæ legaverant, monens eum, ut illa non solum conservaret, sed etiam curaret, ut sua industria, & cultura meliora fierent, simulque utriusque Legatoris in suis apud Deum precibus & sacrificiis meminerit.

qui confirmat Francisco Crutæ possessionem quorundam prædiorum ecclesiæ S. Joannis,

Marinus Bizzius miseratione divina, & S. Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Antibarensis, Primas regni Serviæ &c. Dilecto nobis in Christo Rev. Presbytero Francisco Cruta de Budua nostræ Antibarensis Diœcesis salutem &c. Cum, sicuti nobis exposuisti, a Procuratoribus Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ de Budua tibi fuerint assignata ad retinendum & possidendum bona olim relicta eidem Ecclesiæ a Christophoro Barono, nempe vineæ, olivetæ & domus, quæ in ejus testamento continentur, una cum quadam vinea posita in loco Gospetina nuncupato, olim pariter eidem Ecclesiæ relicta a q. Christina olim uxore q. Nicolai Stagnenichi, nosque cupientes, ut eadem bona non solum per te conserventur, sed etiam augmententur, & habeas occasionem pro animabus eorumdem Baroni & Christinæ assidue in tuis sacrificiis commemorationem faciendi, his nostris præsentibus concedimus & declaramus, ut possis auctoritate nostra ea bona, vita tua durante, rite & legitime retinere & possidere, ita ut nemo te possit eisdem aliquo tempore spoliare & privare sine Dominicæ indignationis incursu. In quarum fidem has tibi nostras fieri jussimus, & soliti nostri sigilli corroboratione, & manus nostræ subscriptione munivimus.

Dat. Romæ die 5. mensis Februarii anno 1620.

et Vicarium generalem Buduæ constituit Damianum Marcovichium.

Marinus Vicarium suum generalem Buduæ constituerat Damianum Marcovichium, ut constat ex literis Dominici Andreasii Episcopi Scodrensis, qui rogatu ejusdem generalis Vicarii Joannem filium Pasqualini Marcovichii Ordinibus minoribus initiavit, ut docent literæ ejusdem Dominici testes Ordinum Pasqualino collatorum.

F. Dominicus Andreasius Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scutarensis. Universis & singulis inspecturis, lecturis, pariterque audituris fidem facimus, atque attestamur, qualiter nos ad instantiam admodum Rev. D. Vicarii generalis Diœcesis Buduæ D. Damiani Marcovich, die XXV. mensis Martii MDCXXIII. contulimus primam Tonsuram, & quatuor minores Ordines Joanni filio D. Pasqualini Marcovich bonæ famæ, ex legitimo thoro nato in Ecclesia S. Joannis, omnibus requisitis servatis. Ut his omnibus fides adhibeatur, manu nostra subscripsimus, sigilloque

Digitized by Google

que nostro, quæ in talibus utimur, obsignari jussimus.

Dat. Ragusii die 27. mensis Januarii, Virgini autem Partus an. MDCXXVIII.

Franciscus Cruta ;

Post Marinum Bizaium Franciscus Cruta Presbyter Buduensis, nisi siquis alius intermedius fuit, huic Ecclesiæ cum potestate & nomine Vicarii Apostolici præfuit. Quo tempore, cum Octavianus Garzadorus Jaderensis Archiepiscopus & Legatus Pontificius eam Ecclesiam lustraret, Buduenses de restituendo in urbe Episcopatu consilia sua & vota Octaviano obtulerunt, proposita quinquaginta supra centum argenteorum nummûm pensione, quam Episcopo se persoluturos pollicebantur in annos singulos. Res tamen in irritum cessit. Egit vero Legatus ut Buduensis Ecclesia cum Catharensi sub uno Antistite conjungeretur; quod Buduensibus moleste ferentibus, ecclesiastica Buduæ procuratio Apostolicis Vicariis confirmata fuit. Itaque Franciscus commissi sibi gregis utilitati consulens Sacrarium Ædis Cathedralis, vetere angusto & collabente, a fundamentis exstruxit, domum episcopalem ædificavit, saluberrima monita & præcepta Clero populoque Buduensi tradidit, quæ ad divinum cultum, ad Presbyteros, clericos, laicos de iis, quæ pro suo quisque officio præstare debent, erudiendos pertinent.

elus Constitutiones pro Ecclesia Buduensi.

Nos Franciscus Crutæ Ecclesiæ Cathedralis Buduensis Vicarius Apostolicus.

Cum hæc Cathedralis Ecclesia suo tamdiu viduata Pastore Chori frequentatione, solemni Missarum celebratione, debita Sacramentorum administratione, & ornamentis desolata jacuerit, cumque Dei gratia decorem divinumque cultum, quantum loci tenuitas & nostra imbecillitas patitur, restituere studuerimus, ut restituta conserventur, & ecclesiastica disciplina sensim introducatur, ne nomen Dei blasphemetur, hæc, quæ in Visitatione & accurata observatione duximus necessariora, ordinamus.

Primo, ut diebus saltem festis a Canonicis cæterisque Presbyteris divinum officium statutis horis persolvatur, & Missarum solemnia decantentur; & licet ob tenuitatem Præbendarum & redditum ad id Canonici minime cogendi videantur, nec Sacerdotes ex distributionibus allici possint, nihilominus meminerint, quo minora stipendia in vita acceperint, eo majorem in patria mercedem recepturos.

Secundo. Quoniam non extat tantus Sacerdotum numerus, ut Missæ sine interpolatione ab aurora ad meridiem celebrari possint, fidelium tamen commoditati in quantum possumus consulentes statuimus, ut duo ex Capellanis, qui in Cathedrali sacra peragere tenentur, vel pro tempore tenebuntur, per singulas hebdomadas deputentur, quorum alter in aurora ad plebis & populi, alter vero prope meridiem ad cæterorum opportunitatem celebrare teneantur.

Tertio. Horiamur Confessores, & Curatis præcipimus, ut in Solemnitatum pervigiliis, ac in ipsis Solemnitatibus præsto sint in Confessionariis ad excipiendas accedentium confessiones, cum superpelliceo tamen & stola, sine quibus nisi ex necessitate nunquam audiant confessiones, idque post ortum & ante solis occasum; habeantque Litteras Apostolicas Bullæ in cœna Domini publicatæ Confessionario affixas.

Quarto. Ut autem Sacerdotes aptiores reddantur ad populum docendum necessaria ad salutem, & ut rite rectèque administrentur Sacramenta, hortamur omnes Sacerdotes, & singulis Curatis tam sæcularibus, quam regularibus præcipimus, ut singulis quartis feriis in Sacristia, vel in ædibus nostris horis vespertinis ad collationes casuum conscientiæ habendas conveniant; &, ut utilior fiat, hortamur, ut unusquisque Sacerdotum Instructionem Francisci Toleti habeat, cujus methodum per singula capita sectari studebunt.

Quinto. Clericis item præcipimus, ut scholam frequentent, ejusque Præceptorem in Domino obsecramus, ut illis Catechismum Romanum explicet. Quod si bonum a Parocho & a Magistro scholæ, in qua educantur, testimonium non habuerint, ad Ordines non admittantur.

Sexto. Insuper eosdem monemus, ut singulis diebus festis, quibus doctrina Christiana ex nostra institutione haberi consuevit, studeant in Ecclesia Cathedrali statutis horis adesse, ut instrui, & alios instruere in necessariis ad salutem possint; nec incœptam Rosarii recitationem post doctrinæ instructionem omittant, cui exercitio, etiam Sacerdotes hortamur, ut nobiscum interesse non desint.

Septimo. Moneantur sæpe Fideles teneri, qui ad discretæ cognitionis annos pervenerint, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam cum Angelica salutatione, ac Decalogi & Ecclesiæ præcepta scire.

Octavo. Hortamur præterea Clerum ac populum universum, ut quemadmodum cœperunt, interesse perseverent. Processionibus ac supplicationibus, quæ singulis mensibus ad SS. Christi Corporis, & beatissimæ Virginis honorem fieri consueverunt; propitium enim Salvatoris ac Deiparæ Virginis patrocinium experientur quotquot seipsos Incarnati Verbi & piæ Matris veneratores exhibebunt.

Nono. Monemus etiam Sacerdotes omnes, & Clericos, ut quoties Sanctum Viaticum ægrotis est deferendum, audito signo Campanæ ad Ecclesiam accedant, & Sanctum Sanctorum in delatione comitentur, ut, quo decentius fieri potest, circumferatur, & eorum exemplo ad præclarum hoc Sanctissimo Christi Corpori obsequium exhibendum laici quoque excitentur.

Decimo. Sacerdotes deferentes Sanctissimum ad infirmos in regressu patrio idiomate annuntient Indulgentias a summis Pontificibus illum comitantibus concessas.

Undecimo. Sacramentorum ritus ac cæremonias in Rituali Romano præscriptas, in eorum administratione quæ par est diligentia ac religione custodiant, & fideliter servent.

Duodecimo. Singulis annis in tertia Domi-

nica Adventus, & in Dominica Passionis, prævia legitima facultate, exponatur Sanctissimum Christi Corpus ad orationes quadraginta horarum devote conficiendas, ut Fidelium corda ad præcipua nostræ Religionis mysteria pie ac cum fructu celebranda disponantur.

Decimotertio. Et quoniam diebus festis plurimi ex Servianis, ut vocant, ab unione Catholica alieni ad hanc civitatem convenire consueverunt, monemus Sacerdotes, ut statum damnationis cum charitate illis aperiant, si Summum Pontificem caput Ecclesiæ non agnoscant, & Fidem orthodoxam Romanæ Ecclesiæ non profiteantur.

Decimoquarto. Considerantes insuper quam periculosæ sint superstitiosæ levitates, vanæque observationes fidelium saluti, cum per eas infestissimus humani generis hostis infidelitatem simplicium animis instillet, invigilent omnes, ut mulierculas variis superstitionibus obnoxias, quibus proxima Infidelium loca abundant, a fidelibus præsertim infirmis arceant, nosque certiores reddant.

Decimoquinto. Scrutetur quotidie Curatus, an quis ægrotet, & statim atque in morbum incidisse cognoverit, nos certioret, ut eum invisere, eique monita salutis præbere possimus.

Decimosexto. Habeantur in Ecclesiis Parochialibus libri baptizatorum, matrimoniorum, status animarum, ac defunctorum, in quibus describantur omnes juxta formulas in Rituali Romano præscriptas.

Decimoseptimo. Conficiatur in Sacristia, quam nuper construi curavimus, archivium, in quo Scripturæ omnes ad hanc Cathedralem quomodolibet pertinentes conserventur; muniatur duabus clavibus, quarum una pro nunc sit penes nos, altera apud Canonicum a Capitulo deputandum.

Decimo octavo. Hortentur Clerici, ut cunctis Solemnitatibus, & singulis primis mensium Dominicis confiteantur peccata, & in Missa majori Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum percipiant.

Ita ego Franciscus Cruta Vicarius Apostolicus pronunciavi, constitui & decrevi.

Die XVII. Julii 1638. *Sacra Congregatio Em. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, correctis ut supra decretis a Sacra Congregatione de propaganda Fide transmissis, posse Vicarium Apostolicum cum charitate ea notificare, absque eo tamen ut imprimantur, & a Sede Apostolica confirmentur.*

Anno 1645. quinto post susceptum Episcopatum Scodrensem Franciscus adhuc retinebat titulum munusque Vicarii Apostolici, ut patet e literis commendatitiis pro Joanne Butata in Italiam profecturo Buduæ datis 20. Novembris 1645. *Nos Franciscus Cruta Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scutarensis ac Vicarius Buduensis &c.*

Gregorius de Novaria.

Francisco Crutæ in administrationem Ecclesiæ Buduensis successit Gregorius Episcopus Scodrensis an. 1645. Post hunc duos Vicarios Apostolicos in meis schedis invenio, unum

Joannes Butata.

Joannem Butatam Canonicum Buduensem & Protonotarium Apostolicum, ac Abbatem S. Nicolai de Pelagnis in diœcesi Scodrensi an. circiter 1649. qui propter quasdam contentiones cum Josepho Bonaldo Archiepiscopo Antibarensi susceptas administrationem Buduensem deposuit, & Romam profectus ibi reliquam vitam exegit, & sepultus fuit in Æde Hieronymiana. Alter fuit Joannes Marcovichius civis & presbyter Buduensis, qui an. 1649. suis ad Sacr. Congr. litteris Buduensium calamitates egestatemque summam exposuit; quippe ardente Cretico bello, innumeri ex Albania Christiani Buduam profugerunt ab effera Turcarum vexatione; iisque alendis opem ac subsidia petit. Plures annos onus munusque hujus vicariæ administrationis laudabiliter sustinuit. Mortuus est Buduæ, & in Æde cathedrali eodem, quo Franciscus Cruta, sepulcro conditus est. Petrus Bogdanus Episcopus Scodrensis Buduensem administrationem sibi postea postulavit; an vero impetraverit, nescio. Andreas Zmajevichius an. 1671. renunciatus Archiepiscopus Antibarensis cum Archiepiscopatu procurationem Ecclesiæ Buduensis conjunxit; & in suis literis præter alios æque honorificos hunc etiam sibi titulum adscripsit: *Andreas Zmajevichius Philosophiæ & Sac. Theologiæ Doctor & Magister, Dei & Sedis Apost. gratia Archiepiscopus Antibarensis, Dioclen., Vicarius Apostolicus Buduæ, Sanctæque Sedis Commissarius, Regni Serviæ Primas. Dat. Buduæ in Ædibus nostris* 1671. 10. *Octobris*. Ingravescente ætate, & valetudine male affecta, cum tam multis gravissimisque oneribus sustinendis se non esse intelligeret, administrationem Ecclesiæ Buduensis in Dominicum Babichium Episcopum Scodrensem rejecit an. 1677., quem Vicarium Apostolicum Buduæ a Summo Pontifice nominandum curavit. Exstat epistola Card. Alterii Sac. Congregationis de propaganda Fide Præfecti ad Dominicum data an. 1683., quam ex Italico in latinum sermonem convertimus.

Joannes Marcovichius.

Andreas Zmajevichius.

Dominicus Babichius, ad quem

Ut indigentiæ ac rationibus Ecclesiæ Buduensis provideatur, cui Archiepiscopus Antibarensis propter senectutem & incommodam valetudinem operam suam navare nequit, bi Patres Eminentissimi vobis ejusdem Ecclesiæ administrationem cum titulo Vicarii Apostolici committendam censuerunt; & vestræ fidei atque industriæ confisi non dubitant, quin curam omnem atque diligentiam adhibituri sitis, ut illius commodis, utilitati, ac gentium illarum saluti consulatis. Delatum nobis est, nonnulla bona istius Ecclesiæ, & autographa instrumenta propter incuriam & socordiam Joannis Marcovichii olim Vicarii Apostolici intervertæ atque deperdita esse. Vobis curæ sit utraque recuperare, & eorum catalogum conficere. Idoneum Sacerdotem integerrimæ vitæ & incorruptæ doctrinæ Buduensibus præficite, qui eosdem divinis præceptis imbuat, & sacris mysteriis impertiat. Identidem quidem illos revisere debetis, non tamen Buduæ stabilem vestram, aut diuturnam commorationem affigere, ne forte ex absen-

epistola Card. Alterii.

absentia vestra longius producta detrimentum capiat Ecclesia vestra Scodrensis. Diploma Pontificium traditæ vobis administrationis cum titulo Vicarii Apostolici quamprimum ad vos mittendum curabimus. Omnem vobis a Deo prosperitatem optamus.

Dat. Romæ 6. Septembris 1683.

Vester ut Frater Cardinalis Alterius.

MariusDragus. Post obitum Dominici Babichii Marino Drago Archidiacono Catharensi Ecclesiam Buduensem commendatam invenio. Huic ad Sedem Catharensem evecto in administrationem ejusdem Ecclesiæ successit Vincentius Zmajevichius Abbas Perastinus & postea Archiepiscopus Antibarensis, qui in suis literis neque Administratorem, neque Vicarium Apostolicum, sed Metropolitanum Buduæ se vocat. Bernardum Leonium Presbyterum Catharensem Vicarium suum ibi constituit, reique Christianæ curatorem præfecit, eodemque tempore potiorem Ædis cathedralis partem omnino dirutam refici jussit. Ex Antibarensi ad Metropolim Jadertinam translatus anno 1713. titulum & præfecturam Ecclesiæ Buduensis retinuit, totius ecclesiasticæ procurationis onere in Leonium rejecto, qui Cathari fere otiosus sedebat in domo paterna, raro Buduensem gregem sibi commissum intervisens. Hinc justa Buduensium querela, qui utriusque præsentia ac regimine se destitutos, & propter utriusque absentiam divinum cultum neglectum, usumque tradendæ Christianæ catecheseos intermissum dolebant. Itaque jussus est Leonius apud Buduenses commorari, vel certe identidem rei Christianæ inspiciundæ & curandæ caussa ad eos ventitare, fungique munere & officio Vicarii Apostolici. Anno 1720. cum suum nomen Actis Synodi Antibarensis habitæ an. 1674. sub Andrea Zmajevichio ab se in latinum conversis præfixit, se ipse *Vicarium Apostolicum Buduæ* appellavit. Gubernatio & præfectura Ecclesiæ Buduensis deinceps in Metropolitas Antibarenses incubuisse videtur; e quibus hos habeo, quos nominem ad exitum usque hujus sæculi decimi octavi. Nimirum Mattheus Sctacanovichius Perastinus post ejusdem sæculi initia, quo anno incertum, Antibarensem rexit Ecclesiam; cui anno 1746. suffectus est Marcus de Luchis; hoc autem e vivis erepto rem Christianam Antibarensem & Buduensem gessit Lazarus Vladagnus Archiepiscopus renunciatus anno 1749. & Administrator Ecclesiæ Buduensis. In eamdem curam postea successere Georgius Junchius, qui anno 1786., Georgius Angelus Radovanus, qui anno post, novissime vero Franciscus Borzius, qui anno 1791. Archiepiscopatum Antibarensem adeptus eumdem summa cum laude hactenus administrat.

Vincentius Zmajevichius.

Bernardus Leonius.

Deinceps Archiepiscopi Antibarenses.

EPISCOPI DAYNENSES, SIVE DAGNENSES.

Dagni descriptio, Daynum, sive Dagnum perexigua civitas est in Epiro nova loco prealto imposita, quam Drilo amnis ad occasum non ita longe distans præterfluit. Ab Scodra millia passuum viginti in ortum abest. Sunt qui Thermidavam urbem Ptolemaicam ibidem loci fuisse existimant; nec discrepat fortasse utriusque positio; nam Ptolemæus Thermidavam inter Scodram et Siparuntum locat, quod magis, quam Daynum, ad orientem vergit. Idem confirmat Moletius apud Ferrarium in Lexico Geographico; *Thermidava, Dagno, teste Moletio, urbs Dalmatiæ mediterraneæ*, verius Epiri novæ, *Episcopalis sub Archiepiscopo Antibarensi inter Scodram & Siparuntum a Scodra 20. mill. pas. in ortum*. De hac urbe Marinus Barletius lib. 2. pag. 23. de vita Scanderbegi. *Daynum pusilla civitas est in Xadrima superiori in edito monte, prout fere omnes urbes Epiri novæ, sita, agrum tamen habet campestrem uberem, saluberrimumque opificiis apum, ac omni frugum & arborum genere refertum. Amœnissimus amnis Drinus a parte, qua occidentem spectat, eam alluit.* Post interitum imperii, quæ urbs post varios dominos seu regni Rasciani cum Proceres ac Dynastæ Serbliani provincias illas, alii alias, occuparent, unus ex illis Daynum cum tota circum regione sibi vindicavit. Sæculo decimo quinto, dum Georgius Castriotus, vulgo Scanderbegus, rerum in Epiro nova potiebatur, & cum Turcis assidue bellabat, Zacharias Altisverus, quem alii Lucam, alii Leccam Zachariam vocant, apud Daynenses principatum obtinebat: eo per insidias interfecto, Rosa mater Zachariæ Daynum, ditionemque universam in potestatem Venetorum anno 1446. tradidit. Sed hoc eodem sæculo ad exitum vergente, cum Turcæ fere omnia cis ultraque Drilonem subegissent, Daynenses quoque sub Turcarum imperium ac tyrannidem ceciderunt.

nunc Turcis subest,

Civitatem & Ecclesiam Daynensem in Epiro nova titulo & jure Episcopali olim præditam fuisse, non est cur dubitari possit; idque confirmant tabulæ Consistoriales sæculi decimi quinti. Cæterum in catalogis antiquis & recentioribus Ecclesiarum Episcopalium nusquam invenitur Ecclesia nostra Daynensis Epirotica. Neque tempus conditi, neque auctorem condendi Episcopatus Daynensis invenio, alias Daynenensis, alias Danensis, & Dagnensis & Dignensis appellati: sed distinguendus est tum a Diensi sub Viennen-

olim Episcopalis.

Digitized by Google

nensi, tum a Dignensi sub Embredunensi Archiepiscopis in Gallia, itemque a Dunien-si sive Dunensi in Hibernia sub Archiepi-scopatu Armachano. Paucos habeo, quos pro-ferre possim, Episcopos Daynenses, certos quidem; de aliis, de quibus incertum est, utrum ad Daynensem, an ad cognomines Ec-clesias pertineant ob vocabuli similitudinem, non ausim quidpiam affirmare. Ex illis

I. Donatus an. 1361.
II. Joannes an. 1397.
III. Blasius an. 1401.
IV. Andreas an. incerto.
V. Prebislavus an. 1414.
VI. Blasius II. an. 1420.
VII. Joannes II. an. 1422..
VIII. Petrus Matthias an. 1428.
IX. Joannes III. an. 1439.
X. Stephanus an. 1444.
XI. Godefridus an. 1456.
XII. Guillelmus an. 1520.

DONATUS EP. DAYNENSIS I.

Cognomine Peracha, ut est in monumen-tis Veneti Sodalitii S. Mariæ de Misericor-dia penes Sodales ipsos, quibus Donatus ve-niam impertit canonicæ pœnæ ab ipsis pro commissis piaculis persolvendæ. Hujus indul-gentiæ testes literæ carent chronologicis no-tis; sed Danensem Episcopum se perspicue in iis appellat. Tempus vero & locus Epi-scopatus ejusdem clarius cognoscitur ex aliis literis, quas an. 1361. dedit Franciscus Epi-scopus Masticensis, *queisque auctoritate sibi concessa a F. Zanino Episcopo Buduense, & F. Donato Episcopo Davense* (lege *Danense*) *indulgentias concedit Confratribus Scholæ San-ctæ Mariæ Battutorum in Ecclesia S. Jo. Ba-ptistæ de Canali Diœcesis Bellunensis.* De Za-nino, seu Joanne in Episcopis Buduensibus egimus, qui & ipse Sodalitio Veneto S. Ma-riæ similem ecclesiasticæ pœnæ remissionem largitur, nulla tamen adscripta temporis no-ta. E quibus satis constat, utrumque post dimidium sæculum decimum quartum Episco-palem dignitatem obtinuisse, alterum Buduæ, alterum Dagni; uterque ejusdem provinciæ ecclesiasticæ sub Antibarensi Metropolita; uterque proxime junctus locorum domicilio, & fortasse ejusdem etiam religiosi instituti professione; nam vocabulum *Fratris* Donato adjectum indicat sane, cujusquam aut Fran-ciscanæ, aut Dominicanæ, alteriusve familiæ alumnum fuisse.

Donatus Ep. an. 1361.

JOANNES EP. DAYNENSIS II.

Joannes Ep. an. 1397.

Ex cœtu Patrum Prædicatorum, quem Bo-nifacius IX. an. 1397. XVI. Kalendas Novem-bris Episcopum renunciavit, ut docent Fon-tana & Cavalerius, qui eum non Dagnensi, neque Daynensi, sed Ecclesiæ nescio cui Da-ciensi præpositum fuisse tradunt. Exstat di-ploma Bonifacii IX. paullo post describen-dum, in quo Pontifex *Danensem* vocat Ec-clesiam illam, in cujus Sedem Episcopalem Joanni Blasium subrogavit; neque aliam es-se existimat Bremondus, nisi hanc ipsam Epi-roticam, quam nos Daynensem appellamus: *F. Joannes an. 1397. 17. Octobris. Cavalle-rius & Fontana hunc Daciensi Ecclesiæ præ-ficiunt; sed in Bulla Bonifacii IX. legitur Danen., idest Danensis, vulgo Dagno in Alba-nia sub Antibarensi.* Itaque, auctore Bre-mondo T. II. Bull. Dominic., hunc Joan-nem, de quo in Pontificio diplomate, adnu-meremus licet inter Episcopos nostros Day-nenses; neque Danensem Ecclesiam, cui is præfuit, alibi quam in Albania, & provin-cia Antibarensi quæramus necesse est.

BLASIUS EP. DAYNENSIS III.

Patria Zagrabiensis, quem idem Pontifex Bonifacius e Dominicana familia ad regendam Danensem seu Daynensem Ecclesiam evoca-vit, cum Joannem ab hac ad Civitatensem mi-grare jussit. Plures sunt urbes, & quidem Episcopales communi *Civitatis* vocabulo ap-pellatæ, suo quæque, ac fere diverso cogno-mine distinctæ, nec vacat inquirere, ubinam terrarum erat urbs & Ecclesia illa Civitaten-sis, ad quam Joannes translatus fuisse dicitur. De hoc Episcopo idem Bremondus loco su-pra laudato in suis notis ad Bullarium Do-minicanum: *F. Blasius de Zagabria an-no 1401. 18. Julii successit Joanni e Danensi ad Civitatensem Ecclesiam translato, ut ex Bulla Bonifacii IX. superius citata; sed utrum Joannes iste revera inter Dominicanos Antisti-tes Civitatenses adnumerandus sit, non ausim affirmare.* Ergo Blasium etiam, qui in Epi-scopatum Ecclesiæ nostræ Daynensis Joanni successit, ex sententia Bremondi Episcopus Daynensis haberi dicique debet. Nunc ex Bullario Dominicano ipsum diploma Ponti-ficium proferamus.

Blasius Ep. Dayn. an. 1401. e literis Boni-facii IX.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Blasio de Zagabria Electo Danen. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Apostolatus officium &c. Sane Ecclesia Da-nen. ex eo vacante, quod nos hodie venerabi-lem Fratrem nostrum Johannem, tunc Danen. Episcopum, a vinculo, quo ipsi Danen. Ec-clesiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fra-trum nostrorum consilio, & Apostolicæ pote-statis plenitudine absolventes, ipsum ad Ec-clesiam Civitaten. tunc Pastore carentem au-ctoritate Apostolica duximus transferendum, præficiendo ipsum dictæ Civitaten. Ecclesiæ in Episcopum & pastorem, nos ad provisionem ejusdem Danen. Ecclesiæ celerem, & felicem, ne longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Da-nen. Ecclesiæ personam utilem, & etiam fructuosam cum Fratribus nostris habuimus dili-gentem; demum ad te Ordinis Prædicatorum professorem in Sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, literarum scientia, vitæ mun-ditia, honestate morum, spiritualium providen-

dentia, & temporalium circumspectione, ac aliis multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis & eisdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Danen. Ecclesiæ, de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum, & Pastorem &c. Volumus autem, quod quamprimum literas Apostolicas super provisione hujusmodi expeditas habueris, ad ipsam Danen. Ecclesiam accedas, & residens personaliter in eadem, quodque extra tuas Civitatem & Diœcesim pontificalia officia nequeas exercere &c.

Datum Romæ apud S. Petrum XV. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno duodecimo.

ANDREAS EP. DAYNENSIS IV.

Andreas Ep. Daynensis anno incerto.

Erat Sardensis Episcopus; & Blasio vita functo, jussu Joannis XXIII., incertum quo anno, administrationem Ecclesiæ Daynensis suscepit, ex actis Consistorialibus, in quibus dicitur Andreæ translato ad Ecclesiam Arbanensem ab Joanne XXIII. in Dignien-sem quidem Albaniæ Ecclesiam Prebislavus, in Sardensem vero Joannes de Palumbis subrogatus fuisse, ut in Episcopis Sardensibus dicendum. Anno 1412. utramque Sedem vacuam reliquit, & ad regendam Arbanensem Ecclesiam, jubente Joanne XXIII. migravit. Post biennium Daynensis Ecclesiæ regimen suscepit

PREBISLAVUS EP. DAYNENSIS V.

Prebislavus Ep. Dayn. an. 1414.

Erat Canonicus S. Sepulchri ex Ordine Augustiniano, idemque Præpositus Monasterio S. Joannis apud Gnesnam civitatem Archiepiscopalem Poloniæ majoris. Huic Joannes XXIII. titulum episcopalem Ecclesiæ Digniensis sive Daynensis contulit, ut est in actis Consistorialibus: *An. 1414. IX. Septembris provisum est Ecclesiæ Digniensi titulari in Albania, vacanti per translationem factam de persona Domini Andreæ, tunc Episcopi Digniensis, ad Ecclesiam Arbanensem, de persona Prebislai, Præpositi S. Joannis extra Gnesnen., Ord. S. Augustini, Sepulchri Dominici.* Sex fere annos titulum gessit, & personam sustinuit Episcopi Daynensis.

BLASIUS II. EP. DAYNENSIS VI.

Blasius II. Ep. Dayn. an. 1420.

Ex familia Dominicana, quem a Blasio I. duorum superiorum Antistitum interpositu distingui oportet. Huic Martinus V. anno 1420., cum Episcopum Danensem, sive Daynensem illum creasset, potestatem fecit cujuslibet sacerdotii recipiendi, siquod oblatum fuisset, retinendique cum Episcopatu, ut ex illius redditibus percipere posset, quod satis esset ad personam episcopalem, pro dignitate retinendam; nam proventus Ecclesiæ Daynensis erant valde tenues. Pontificium diploma exscribimus e T. II. Bull. Dominicani pag. 588.

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Blasio Episcopo Danen. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. et ad eum literæ Martini V. Pp.

Personam tuam nobis, & Apostolicæ Sedis devotam, tuis exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, quam tuis necessitatibus fore conspicimus opportunam. Cum itaque, sicut pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, fructus, redditus, & proventus mensæ Episcopalis Danen. adeo tenues, & exiles existant, quod ex illis juxta pontificalis dignitatis decentiam commode sustentari non potes, nos, volentes tibi, qui Ordinis Fratrum Prædicatorum professor existis, ne in hujusmodi dignitatis opprobrium egestate ducaris, de alicujus subventionis auxilio providere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut quodcumque beneficium Ecclesiasticum cum cura, vel sine cura, per Clericos sæculares regi consuetum, cujus fructus, redditus, & proventus ducentorum florenorum auri secundum communem æstimationem valorem annuum non excedant, si tibi alias canonice conferatur, & usque ad nostrum beneplacitum una cum Danen. Ecclesia, cui præesse dignoscaris, retinere libere, & licite valeas, Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ, dispensamus, proviso, quod beneficium hujusmodi debitis interim non fraudetur obsequiis, & animarum cura in eo, si qua illi immineat, nullatenus negligatur. Nulli ergo &c. nostræ dispensationis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentiæ XVI. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno tertio.

Blasius post biennium vita decessit.

JOANNES II. EP. DAYNENSIS VII.

Joannes II. Ep. Dayn. anno 1422.

De quo in tabulis Consistorialibus: 1422. XV. *Kal. Aprilis provisum est Dignensi vacanti per mortem de persona Joannis Zupparis Canonici de . . . .*, Cur autem dubitemus, huic ne Ecclesiæ sit adscribendus, an alteri cuipiam fere cognomini; ratio suppetit nulla; ideo neque a serie Daynensium Antistitum illum expungimus.

PETRUS MATTHIAS EPISCOPUS DAYNENSIS VIII.

Petrus Ep. Dayn. an. 1428.

Hunc Martinus V. cum Daynensi Ecclesiam Sardanensem vel Sardensem conjunxisset, Rectorem utrique Ecclesiæ præfecit: *An. 1428. VI. Kal. Augusti providit Ecclesiæ Sardanen. & Danensi invicem unitis vacantibus per obitum de persona Petri Matthiæ Canonici dictæ Ecclesiæ Sardanen. &c.*

JOANNES III. EP. DAYNENSIS IX.

Joannes III. Ep. Daynen. anno 1439.

Notus unice ex subscriptionibus Concilii Florentini, cui interfuit an. 1439. illiusque decre-

Digitized by Google

cretis assensus est: *Ego Joannes Episcopus Dignensis, subscripsi*; quocum ex provincia Antibarensi Matthæus Episcopus Zappatensis iisdem verbis adscripsit.

STEPHANUS EP. DAYNENSIS X.

Stephanus Ep. Daynensis anno 1444.

Gens Ducagina & opibus & potentia inter Dynastas Albanenses hoc sæculo illustris late ditionem tenuit, quæ eodem cognomine *Ducagini* appellata, & Iadrimæ agrum, & Pullatensis partem, ipsumque Dagni principatum complectebatur Venetis ereptum. Ex hac ortus Stephanus; cujus tamen parentes comperire non licuit; illiusque nomen & Episcopatus primo apparet ex tabulis Vaticanis. Erat Archidiaconus Ecclesiæ Scodrensis; eumque Eugenius IV. Pontifex totis viribus in Albanensis Ecclesiæ defensionem, & securitatem advigilaret adversus belli Turcici motus, quibus tunc Albania, ejusque Dynastæ jactabantur; Stephanum Daynensi & Sardensi Ecclesiæ præposuit an. 1444. vi. Kal. Junii, quippe qui suæ etiam familiæ dignitate & auctoritate fretus plurimum posset in iis locis adjumenti & opis rei Christianæ afferre. In Reg. Eug. IV. T. III. secret. pag. 206. t. & 208. quatuor exstant Pontificis diplomata eodem anno 1444. mense Majo ac die 27. obsignata. Primum, quo Stephanus utriusque Episcopatus curæ præficitur; alterum ad Antibarensem Metropolitam, tertium ad Sardenses & Daynenses Canonicos, quibus novum Episcopum iis enixe commendat; quarto demum Pontifex Stephanum liberrima impertit facultate, ut quos ipse velit, Episcopos in suam consecrationem adhibeat. Stephanus hoc ipso anno die septima Julii solvit per procuratorem & pro com. serv. flor. 33⅓; ex libris Oblig. T. 71. pag. 11. t. Quæ postea gesserit, quis Episcopatus & vitæ exitus fuerit, nulla, hactenus monumenta prodant. Post Stephanum nullum invenio, qui Daynensem Episcopatum revera susceperit gerendum, præter duos, qui solum Ecclesiæ Daynensis titulum cum episcopali persona ac dignitate obtinuere; eosque hic jure subjiciendos putamus.

GODEFRIDUS EP. DAYNENSIS XI.

Godefridus Ep. Dayn. an. 1456.

Erat, cognomine Greverayus, e familia Carmelitana; de quo hæc in T. I. Bibl. Carmel. pag. 565. legimus; fuisse nitidum *natione Belgam, patria Geldriensem, & alumnum Conventus Carmelit. ejusdem civitatis, Episcopum Dagnensem titularem die 15. Martii an. 1456. Camerascensis Episcopi Vicarium in Pontificalibus*; & subditur, *obiisse an. 1504. die 17. Januarii*, Bruxellis, ibique *sepultum in choro Carmelitarum*.

GUILLELMUS EP. DAYNENSIS XII. ET POSTREMUS.

Guillelmus Ep. Dayn. an. 1520.

Natione Gallus, cognomento *Agieton*, disciplinæ Dominicanæ assecla, quem Bremondus in T. IV. Bull. Dominic. pag. 404. cum Fontana & Cavalerio docet, Daynensem seu Dagnensem Episcopum creatum anno 1520., & vicariam præstitisse operam Episcopo Vintoniensi in Anglia sub Cantuariensi Archiepiscopo.

Petrus de Fine facile Ep. Daynensis.

Daynensem Episcopum fuisse etiam autumo Petrum de Fine Augustiniani instituti alumnum, quem corrupte *Davensem* pro *Dauensem*, seu *Dagnensem* Antistitem appellari comperio, cum nulla exstet *Davensis* Ecclesia. Joannes enim Mantelius & ipse Augustinianus in descriptione Hasseleti oppidi Belgici cap. 11. narrat Petrum patria Brugensem, Theologiæ Doctorem, & provinciæ Augustinianæ præsidem, electum fuisse sibi adjutorem & vicarium ab Erardo a Marka Cardin. & Episc. Leodiensi an. 1525., *qui anno prænotato Brugis in templo nostro insigni apparatu pro magnificentia istius tota orbe celeberrimi emporii consecratus Davensis*, forte Danensis, *Episcopus; indeque concedens Leodium impositum sibi munus præclara integerrimi Antistitis fama administravit ad an.* 1537., *quo vitam finiens optimeque de religione sua, totaque Leodiensi Ecclesia meritus sepelitur Leodii in choro nostro ante summum altare sub nigro marmore, quod ipsius ad vivum imaginem pontificalibus induti vestibus repræsentat*. Hactenus Mantelius.

Ecclesia Daynensis perpetuo unitur Sardensi.

Cæterum jam inde a sæculo decimo quinto Daynensis Ecclesia cum Sardensi conjuncta a Martino V. uti diximus, suo semper Episcopo caruit; cumque tres Ecclesiæ Sappatensis, Sardensis & Daynensis in unam coaluissent, unus deinde, idemque Episcopus præpositus fuit, qui administrationem earum susciperet.

EPISCOPI DRIVASTENSES.

Drivastum civitas Dalmatiæ superioris, nunc Albaniæ, ignota illa quidem vetustis Geographis, sed non ignobilis olim, neque infrequens, quam Trivastum, & sæpe Dinnastrum appellatam invenio. Ab Scodra in septemtrionem distat millia passuum fere quindecim; insidet loco declivi, ipsisque radicibus prælti montis, e cujus vertice castellum eminebat natura manuque munitum. Urbs mœnibus, turribus & propugnaculis septa duo fere milliaria circuitu complectitur. Clirus amnis interfluit, vel præterfluit, quem Livius Clausulam vocat, quique Scodram ab oriente alluit, & infra ur-

Drivasti positio.

Digitized by Google

urbem cum Barbana, seu Bolliana fluvio conjungitur, & eodem uterque alveo in mare confluit. Nulli sunt Scriptores, qui conditorem Drivasti, aut tempus urbis conditæ literis ac memoriæ tradiderint. Michael Palæologus Imperator Constantinopolitanus civitatem & Ecclesiam Drivastensem a Dynastis familiæ de Angelis ædificatam, prout tunc erat, fuisse ait in quodam suo diplomate, de quo postea. Sæculo nono erat civitas Epi-

Civitas est Episcopalis, & olim ampla.

scopalis; ex quo intelligas velim, jam olim numero ædificiorum, nobilitate & frequentia civium, amplitudine magistratuum & copia divitiarum sic floruisse, ut pontificia sede digna esse & haberi posset. Iisdem fere com-

Ejus vices;

munium temporum casibus, rerum publicarum conversionibus, ac dominorum mutationibus obnoxia fuit, quibus cæteras illius regionis civitates subjectas fuisse diximus. Dum Urosius rex sive Imperator postremus e stirpe Neemanica regnum in Serblis sive Rasciania obtinebat, Andreas ex illustri Spanorum familia titulo Ducis insignitus Drivasti dominabatur, qui moriens anno 1366. filiis ac nepotibus Principatum Drivastensem reliquit, ut est apud Ducangium de familiis Dalmaticis num. XIX. T. XXV. Hist. Byzant. qui a Spanis Angelos prognatos fuisse ait ex quorumdam opinione. Sed si aliis Scriptoribus fides habenda est, gens Angelorum longe antiquior & augustior fuit, multisque ante Spanos sæculis Drivasti, & aliarum urbium dominatum obtinebat. Sæculo decimoquinto an. circiter 1440. Drivastenses cum Scodrensibus aliisque Albaniæ populis, ne caderent sub tyrannidem Turcarum, qui latius in dies imperium proferebant, se in clientelam ac potestatem Venetorum contulerunt. Sed anno 1477. Turcæ, dum Scodram obsidebant, Drivastum adorti, urbem arcemque expugnarunt; ac deinde per deditionem Scodram ceperunt. Utraque civitas Turcica servitute adhuc oppressa ingemiscit.

nunc Turris subest.

Sunt qui tradunt hanc Venetis donatam fuisse ab Andrea Angelo domino Drivasti, qui se ab imperatoria Angelorum familia,

De familia Angelorum Drivastensium.

& ab Isaacio Angelo Imperatore Constantinopolitano oriundum ferebat, cujus posteri longe lateque propagati etiam post urbem Venetis traditam atque a Turcis captam Ducum seu Comitum Drivastensium inanem titulum retinuerunt. Verum alii longe altius inde usque a sæculo quinto & imperio Leonis primi originem gentis Angelæ repetendam esse existimant, ex eaque Angelum Isaacium Imperatorem prodiisse. Inter *Instrumenta miscellanea* archivi secreti Vaticani exstat diploma Michaelis Palæologi Imperatoris ad Michaelem Angelum & Andream ejus filium Duces Drivasti missum *per magnificum Comitem Progonium Pastrovichium;* quod quidem diploma Andreas Angelus *Dux & Comes Drivasti* ac *Dulcinii* an. 1567., cum quemdam pro sua potestate Doctorem utriusque juris creasset, inseruit privilegio eidem tradito de laurea Doctoris titulisque honorificis illi collatis. In eo Augustali diplomate Michael Palæologus confirmavit jura, privilegia, dignitates, quibus Leo I. Imperator familiam de Angelis condecoravit; asseritque a progenitoribus Michaelis & Andreæ urbem & Ecclesiam Cathedralem Drivasti conditam & subsidiis necessariis instructam fuisse; *qui, ut clare cognoscimus, Drivasten. civitatem, ut in præsentiarum jacet, necnon Ecclesiam Cathedralem una cum domo canonicali, Canonica nuncupata, de propriis suis bonis fundarunt, & illam necessariis fulsierunt.* Sed notis chronologicis huic diplomati subjectis inest anachronismus decem annorum; adscriptus siquidem est annus imperii Michaelis 33. Christi 1295. Michael Palæologus post Constantinopolim, Latinis expulsis, recuperatam, imperare cœpit anno 1261., neque vitam & imperium ultra tertium & vicesimum annum perduxit; &. an. 1283. extinctus Andronicum filium imperii hæredem reliquit; ex quo fit, ut diploma illud, quod Michaelem Palæologum an. 33. imperii, Christi 1295. confecisse ajunt, annis ipsis decem post ejus mortem conditum fuerit. Certiora sunt diplomata Romanorum Pontificum, præsertim illud Paulli IV. anno 1555. III. Kal. Decembris in eodem privilegio Andreæ Ducis & Comitis Drivasti cum diplomate Michaelis Palæologi conjunctum, quo Pontifex omnia privilegia, immunitates, honores confirmavit, quibus Callistus III. Pius II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Paullus III. & Julius III. Leo & Michael Imperatores familiam de Angelis cumularunt. Quæ de origine & antiquitate Angelorum longissima illustrium virorum serie per plurimas deinceps ætates deducta traduntur, ea nec refellere, nec approbare ausim. De his scripsit Andreas Angelus Dux & Comes Drivastensis ad Julium III. Pontificem in libello Romæ edito an. 1552. De Ordine vero Constantiniano S. Georgii titulo ab Angelis Imperatoribus instituto auctoque duo prodiere opuscula an. 1669. alterum typis Venetis ab Andrea Locarno, alterum Monachiensibus a Germanico Bertucio lucubratum, in quibus totius Ordinis Præses nominatur *Angelus Maria Gabriel Angelus Flavius Comnenus* tum vivus, idemque *Princeps Macedoniæ*, qui anno 1671. suæ familiæ, suique Ordinis privilegia inscripsit Clementi X. Pontifici. Venetiis demum an. 1696. commentarium Ordinis ejusdem in lucem exiit ab Georgiano Equite anonymo confectum; postremus in eo Præses dicitur *Joannes Andreas Angelus &c. Dux & Comes Drivasti, Dyrrhachii &c.* Sed nec hujus Equestris Ordinis historiam vulgo probari certum est; nec de illius veritate inquirere nostri est instituti. Porro hæc eadem familia cum Drivastensi nobiliorem Dyrrhachii principatum diu obtinuisse dicitur, cujus titulo in laudatis diplomatibus, & apud Scriptores alios ornatur.

Latent primordia Episcopatus Drivastensis. Antiquissimum esse censuit Lequienius in T. 2.

Initia Episcopatus Drivastensis.

Orientis Christ. pag. 202. Quippe Drivastensem Episcopum fuisse existimat Paullum eum, qui cum aliis Episcopis Epiri novæ subscripsit epistolæ ad Leonem I. Imperatorem de iis, quæ Patres Chalcedonenses sanciverant, firmiter sanctequæ retinendis, & de Timotheo Aeluro Episcopo Alexandrino expellendo, siquidem is auctor fuerit sacrilegæ necis Proterio sanctissimo Episcopo illatæ, & Concilio Chalcedonensi adversaretur. Huic epistolæ cum Luca Metropolita Dyrrhacheno & cæteris illius provinciæ Episcopis subscriptus legitur *Paulus Privatenus*, qui, Lequienio interprete, idem est ac *Drivastenus*; sed huic interpretationi assentiri nequeo. Civitas & Ecclesia Drivastensis non in Epiro nova, sed regione Dalmatiæ ad orientem extrema, quæ nunc Albania dicitur, sita est; ex quo autem conditus fuit Drivastensis Episcopatus, nunquam Dyrrhachiensi, sed antiquitus Scodrensi, tum Diocletano, deinde Antibarensi vel Ragusino Archiepiscopo paruit. Multo minus hæc Ecclesia Bulgariæ Metropolitæ subjecta fuit, ut idem Lequienius notat in indice Tomi laudati; neque id ullo modo probat pag. 321. ejusdem Tomi e Concilio Provinciali Antibarensi sub Innocentio IV. de quo vide acta Joannis I. Archiepiscopi Antibarensis. Rectius de Privateno Episcopo Lucas Holstenius in suis animadversionibus ad Geographiam sacram Caroli a S. Paulo, *Paullus*, ait, *Privatenus Episcopus etiam subscripsit epistolæ Synodicæ Episcoporum Epiri novæ ad Leonem. Sed cujus civitatis fuerit, non constat. Ego mendum in subscriptionibus esse arbitror; cum nullam urbem, a qua nomen istud acceperit, hac in regione repererim*. Idem Holstenius & Carolus a S. Paulo Drivastum sub initiis sæculi septimi Scodrensi Metropolitæ subjectum fuisse scribunt. Sæculo nono vergente in Concilio Delmitano Sedes Episcopalis Drivasti vel tum primum constituta fuit, vel certe confirmata, atque ex decreto ejusdem Concilii novo Metropolitæ Diocletano attributa. Post Diocleam eversam alias Antibarensis, alias Ragusini Archiepiscopi imperium subiit, atque, ut de cæteris Dalmatiæ superioris, sic etiam de Drivastensi Ecclesia magnæ diuturnæque Ragusino cum Antibarensi contentiones fuerunt. Diœcesis Ecclesiæ Drivastensis inter Pullatensem & Scodrensem a septemtrione in meridiem exiguis terminis definitur, latius ab occasu in ortum producitur. Continuatio seriesque veterum Episcoporum Drivastensium manca & interrupta est, propterea quod illorum, siqui fuerunt, nomina & acta vetustas & oblivio intercepit. Ante sæculum decimumtertium vix unum & alterum habeo, quem nominatim proferre possim. Quos ex antiquis & recentioribus monumentis excerpsi, eos ex ordine chronologico hic subjicio.

Series Episcoporum Drivastensium.

I. N. N. an. 877.
II. N. N. an. 1062.
III. N. N. an. 1122.
IV. Petrus an. 1141.
V. Martinus an. 1166.
VI. Petrus II. an. 1199.
VII. N. N. an. 1220.
VIII. N. N. an. 1250.
IX. Dominicus anno incerto.
X. Nicolaus anno 1323.
XI. B. an. 1351.
XII. Joannes an. 1360.
XIII. Bernardus an. 1373.
XIV. Athanasius an. 1374.
XV. Nicolaus II. an. 1391.
XVI. Andreas an. 1396.
XVII. Bartholomæus an. 1400.
XVIII. Franciscus an. 1405.
XIX. Nicolaus III. an. 1424.
XX. Dionysius an. 1425.
XXI. Michael an. 1428.
XXII. Paullus an. 1445.
XXIII. Nicolaus IV. an. 1457.
XXIV. Thomas an. incerto.
XXV. Franciscus II. an. 1489.
XXVI. Antonius an. 1509.
XXVII. Benedictus an. 1512.
XXVIII. Theophilus an. 1516.
XXIX. Franciscus III. an. 1518.
XXX. Joannes II. an. 1520.
XXXI. Gundisalvus an. 1521.
XXXII. Petrus III. an. 1525.
XXXIII. Franciscus IV. an. incerto.
XXXIV. Alphonsus an. 1541.
XXXV. Hieronymus an. 1636.

N. N. EPISCOPUS DRIVASTENSIS I.

N. N. Ep. Drivasten. an. 877.

Anno circiter 877. cum celeberrimum illum Concilium Delmitanum habitum est, de quo sæpissime dictum, Ecclesiam Drivastensem Episcopali dignitate præditam fuisse, & suum habuisse Episcopum necesse est, cum ex decreto ejusdem Concilii inter Ecclesias provinciæ Diocletanæ annumerata, hujusque Metropolitæ attributa fuerit. Post hunc anonymum Episcopum anni fere ducenti interfuere, cum Ecclesiæ & Episcopi Drivastensis nulla mentio, nullum indicium reperitur. Anno fere 927. urbe Dioclea per Simeonem Bulgarorum regem funditus eversa, Ecclesia & Metropolis Diocleæ interiit, & ejus Episcopi provinciales partim sub jurisdictionem antiqui Metropolitæ Spalatensis redierunt, partim in fidem potestatemque Archiepiscopi Ragusini migrarunt. Post annos centum, cum instituta fuisset metropolis Antibarensis, hæc in locum dignitatemque Diocletanæ successit, eique subjecti fuerunt fere omnes Episcopi provinciæ Diocleensis.

N. N. EPISCOPUS DRIVASTENSIS II.

N. N. Ep. Drivasten. an. 1062.

Anno 1062. Ecclesia Drivastensis jus titulumque Episcopatus retinebat. Quippe Alexander II. in suis ad *Petrum Archiepiscopum Dioclensis Ecclesiæ* litteris cum aliis Dalmatiæ superioris Episcopis *Dinnastriensem*, idest Drivastensem eidem adscripsit; quod argumen-

mento est, suum illi non defuisse Episcopum; sed hujus nomen ignotum est. Intra finem hujus sæculi metropolis Antibarensis conjuncta fuit cum Ragusina, sub hujusque potestatem omnes Episcopi provinciæ Antibarensis migrarunt. Interregnum vero Archiepiscopale Antibarense annos circiter octo & sexaginta tenuit; de quo in Andrea Ragusino, & Petro Antibarensi Archiepiscopis.

N. N. EPISCOPUS DRIVASTENSIS III.

N. N. Ep. Drivasten. an. 1122.

Cujus Ecclesiam Callistus II., tacito Episcopi nomine, subjectam esse declarat Geraldo Archiepiscopo Ragusino, datis ad eum litteris Beneventi IV. Kal. Octobris anni 1122.

PETRUS EP. DRIVASTENSIS IV.

Petrus Ep. Drivasten. an. 1141.

Hunc primum nomine proprio insignitum habeo ex commentariis de regno Slavorum Mauri Orbini pag. 247., qui ad annum 1141. ejus Episcopatum affixit, dum sedes Archiepiscopalis Antibarensis vacabat, & omnes hujus provinciæ Episcopi suberant, licet ægre admodum, Metropolitæ Ragusino. Henricus Legatus Apostolicus anno 1153. cum Petrum Drivastensem, tum Joannem Olciniensem Episcopos Sede Episcopali dejectos anathemate mulctavit, propterea quod vocati ad Synodum provincialem, quod ipse Ragusium convocaverat, adesse noluerunt, ut in Ragusiensi Ecclesia diximus. Post Petrum suos non defuisse Episcopos huic Ecclesiæ usque ad annum 1166. clare perspicitur ex literis Hadriani IV. & Alexandri III. in Tribunio Archiepiscopo Ragusino descriptis, sed illorum nomina interciderunt.

e sede dejicitur.

MARTINUS EP. DRIVASTENSIS V.

Martinus Ep. Drivasten. an. 1166.

Qui anno 1166. interfuit consecrationi Ecclesiæ Cathedralis Catharensis, ut est in diplomate Malonis ejusdem Ecclesiæ Episcopi, unus e cæteris inter Antistites Dalmatiæ superiosis, qui imperium Archiepiscopi Ragusini detrectabant. Habes in Tribunio Ragusiensi Archiepiscopo epistolam Alexandri III. an. 1167. inscriptam *Politanensi, Svaciensi, Drivastensi* Episcopis, quorum contumaciam gravissimis verbis redarguit; & nisi Legato Sedis Apostolicæ, quem in Dalmatiam miserat, ad debitam suo Metropolitæ obedientiam revocanti paruerint, verendum illis esse, ne honore & officio Episcopali priventur. Interea Gregorius Jadertinus, cum electus fuisset ad regendam Ecclesiam Antibarensem an. circiter 1178., interposita apud Alexandrum III. gratiosa commendatione Raynerii Archiepiscopi Spalatensis, & pallium obtinuit, & jus metropoliticum in Ecclesias provinciæ Antibarensis recuperavit; quamvis postea Tribunius ab Urbano III. & Clemente III. easdem suæ Metropoli restituendas curavit.

PETRUS II. EP. DRIVASTENSES VI.

Petrus II Ep. Drivasten. an. 1199.

Anno 1199. sub Joanne Archiepiscopo Antibarensi cum cæteris provincialibus Episcopis interfuit Concilio Diocletano, cujus decretis subscriptus legitur *Petrus Arvastinen.*, idest Drivastensis, *Episcopus*. In eodem Joanne & acta hujus Concilii reperies, & diploma Innocentii III., qui, ut aliarum Ecclesiarum, sic Drivastensis possessionem Joanni ipsi confirmavit.

N. N. EPISC. DRIVASTENSIS VII.

N. N. Ep. Drivasten. an. 1220.

Hic proximus post Petrum anno 1220. hanc Ecclesiam gubernabat. Sive quod Ecclesiæ jura acerrime defenderet, sive quod in quorumdam vitia vehementissime inveheretur, scelerati quidam homines ira rabieque diabolica perciti, impetu in eum facto, injectisque sacrilegis manibus, crudelissime interfecerunt, ut graviter ac dolenter queritur Gregorius IX. in suis literis ad Præsidem provincialem Patrum Prædicatorum Provinciæ Romanæ, eumque jubet aliquot ex Ordine suo selectos viros mittere ad reformandam Provinciam Antibarensem. *Quidam*, ait, *præterea filii Belial. homc. . . Dravasten. Episcopum ausu diabolico occiderunt*. Epistola data est Viterbii x. Maji, Pontificatus an. x. idest 1237., & actis Joannis Archiepiscopi Antibarensis a nobis inserta.

interfectus an. 1237.

N. N. EPISC. DRIVASTENSIS VIII.

N. N. Ep. Drivasten. an. 1250.

Huic Ecclesiæ præsidebat an. 1250. His temporibus controversia illa de jure metropolitico, & Episcopis provincialibus inter Joannem III. Ragusinum & Joannem II. Antibarensem Archiepiscopos vehementius referbuit. Ragusinus ab Innocentio IV. mandatum impetravit ad Salvium Episcopum Tribuniensem, quo is jubebatur, cum alios Dalmatiæ superioris Episcopos, tum Drivastensem, qui Ragusinæ metropoli subjici abnuebant, in Curiam Lugdunensem ad tribunal pontificium citare, ut rationem redderent, cur subesse nollent Ragusiensi Metropolitæ. Hæc est formula, qua Tribuniensis Episcopo Drivastensi profectionem Lugdunensem per suum internuntium denunciavit.

citari jubetur ad Pontificem.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCCLI. XXVI. die mensis Aprilis, indictione octava, in eorum præsentia, quorum nomina inferius conscribentur. Presbyter Desigua nuncius D. Salvii Ep. Tribunien. præsentavit literas ex parte ejusdem Episcopi Episcopo Drivastensi hunc tenorem habentes: Ven. in Christo P. Dei gratia Drivasten. Ep. Salvius eadem gratia Tribunien. Ep. salutem in Domino. Noverit Paternitas vestra nos a Summo Pontifice tales literas recepisse. Innocentius Ep. &c. vide acta Joannis Ragusini Archiepiscopi. *Cum igitur mandatum Apostolicum præterire nec possumus, nec debemus, auctoritate nobis injuncta vobis præcipiendo mandamus, quatenus infra octo mensium spatium juxta man-*

datum Apostolicum a die vobis citationis factæ terminum duximus præfigendum, ut personaliter per vos, vel per sufficientem Procuratorem cum actis, privilegiis, & munimentis, juribus & rationibus omnibus Summi Pontificis conspectui præsentetis, & memorato Archiepiscopo Ragusino vel ejus procuratori legitime responsuri. Actum est hoc in domo Episcopali de Drivasto, præsentibus Archipresbytero Michaele, & Presbytero Joanne nepote Episcopi Andreæ de Pollato, & diacono Joanne fratre Comitis Drivastensis, & diacono Lazaro. Et ego Bonacursus notarius supradictis omnibus interfui, atque scripsi, comprobavi & roboravi anno, die, mense & indictione prætitulatis.

Eidem Drivastensi Antistiti traditæ fuerunt a Presbytero Designa similes literæ, queis ipse Episcopo Pullatensi jussionem pontificiam indiceret. Sed haud multo post controversia illa exstincta est; & Archiepiscopus Antibarensis titulum, jusque metropoliticum, & pristinam possessionem provincialium Ecclesiarum cum Drivastensi retinuit, & ipsemet Innocentius IV. Guffridum Metropoli Antibarensi præfecit, atque Archiepiscopum consecravit, jussitque Episcopos illius provinciæ, quæ debebant, officia submissionis & obedientiæ eidem præstare. Hæc lege in actis Guffridi Archiepiscopi Antibarensis.

Post hunc anonymum Episcopum nullum alium reperio, qui hoc sæculo Ecclesiæ Drivastensi præfuerit.

DOMINICUS EP. DRIVASTENSIS IX.

Dominicus Ep. Drivasten. anno incerto.

Sub initium sæculi decimiquarti hanc Ecclesiam gubernavit, morte sublatus anno 1322. vel superiore. Illius Episcopatus fidem faciunt acta Consistorialia, in quibus *per ob. Dominici* successor illi datus fuit

NICOLAUS EP. DRIVASTENSIS X.

Ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, quem cum Canonici post tempus canonicæ præscriptionis ab interitu Dominici elapsum anno 1332. elegissent, Andreas Archiepiscopus Antibarensis Capitularem electionem irritam esse declaravit, ipsum tamen Nicolaum pro sua auctoritate Episcopum Drivastensem renunciavit. Sed Joannes XXII. utramque electionem rescidit atque abrogavit; quippe jus eligendi ad se revocaverat, sibique intra certum ac præfinitum tempus reservaverat. Eumdem vero Nicolaum ob eximias ejus virtutes Episcopatu dignum censuit, & pro potestate sibi reservata Episcopum Drivastensibus dedit; ut est in Reges. Joannis XXII. an. VII. p. I. ep. 558. Idem confirmant acta Consistorialia: *Promotio Nicolai Ord. FF. Eremitarum ad Episcopatum Drivastensem per obitum Dominici vacantem, cassata prius provisione ejusdem Nicolai facta per Andream Archiepisc. Antibarensem loci Metropolitanum eamdem provisionem ad eum esse devolutam asserentem. Dat. Aven. 2. Kal. Martii an. 7.* idest 1323. Nicolaum ex mandato Pontificis Berengarius Episcopus Portuensis Episcopali consecratione inauguravit, ut in eodem reg. & ep. eadem. Exstat ibidem alia epistola ejusdem Pontificis ad ipsum Nicolaum data anno eodem XV. Cal. Apriles, quem jubet quamprimum ad suam Ecclesiam visendam regendamque proficisci. Sed altero, postquam susceperat Pontificatum, anno eum idem Pontifex Drivastensi ademptum Ecclesiæ Argolicensi præfecit, ut docet ep. Joannis Pontificis anno IX. 1324. die XVII. Decembris data. Per annos fere septem & viginti nullius Episcopi exstat memoria.

Nicolaus Ep. Drivasten. anno 1323.

transfertur anno post ad Ecclesiam Argolicensem.

B. EP. DRIVASTENSIS XI.

Hujus nomen per literam B. designatur. *B. Episcopus Drivastensis 26. Decemb. 1351. solvit Collectori per manus F. Joannis de Antibaro pro parte decimæ triennalis C. sol. grossorum de Rascia, & pro parte decimæ biennalis pro duobus annis LXIII. sol. gross. de Rascia*; ex eod. tat. Cam. ad hunc annum.

B. Ep. Drivasten. an. 1351.

JOANNES EP. DRIVASTENSIS XII.

E collegio Presbyterorum electus evectusque ad Sedem Drivastensem cum fuisset, illum Dominicus Archiepiscopus Antibarensis Avenionem misit an. 1360., ut pro se ac nomine suo Curiæ Romanæ & Innocentio VI. consueta submissionis & obedientiæ officia præstaret; id quod docent tabulæ Avenionenses T. 21. Obl. pag. 24. *Anno 1360. 2. Martii Dominicus Archiepiscopus Antibarensis pro uno triennio proxime elapso per Presbyterum Joannem Andreæ electum Drivastensem, Procuratorem suum, Romanam Curiam visitavit.* Collatum illi Episcopatum Pontifex approbavit, & consecratione Episcopali suscepta, ad Ecclesiam sibi traditam regendam accessit. Anno proximo 1361. 30. *Aprilis per manus Andreæ Leonis presbyteri unam portionem sui communis servitii* contribuit, pro qua post quadriennium integre satisfecit 17. *Septembris* 1365. *per manus Michaelis Clerici sui*; Rat. Cam. T. 409. pag. 9. Anno autem superiori, cum Ægidius Episcopus Sabinensis in Dalmatia Legati Apostolici munere fungeretur, huic Joannes IV. Metropolita Antibarensis tum pro se, tum pro Episcopo Drivastensi & pro cæteris suæ provinciæ Episcopis solvit *Florenos* 100., ut est in lib. 415. introi. & ex. Cam. Apost. Scodræ in æde cathedrali interfuit Joannes cum Petro Episcopo Suaciensi solemni professioni Fidei, quam publice conceptis verbis ediderunt tres nobilissimi fratres e gente Balsichia Strazimirus, Georgius & Balsa, IV. Kal. Februarii an. 1369. & schisma Græcanicum exsecrati in leges Ecclesiæ Catholicæ, & in verba Romani Pontificis jurarunt; ipse autem jussus est scriptis mandare formulam professionis, quæ eadem est atque illa, quam Joannes Palæologus Imperator eodem anno & iisdem

Joannes Ep. Drivasten. an. 1360.

interest publicæ Fidei professioni editæ a Dynastis Zentæ.

Digitized by Google

dem verbis expressit. Autographum exstat in secreto tabulario Vaticano cum hoc titulo; *Professio Fidei Christianæ & abjuratio schismatis potentum virorum Dominorum Strazimiri, Georgii & Balsæ fratrum Zupanorum & Dominorum provinciæ Zentæ in regno Rasciæ ..., Ad majorem firmitatem propria manu prædicti Joannis Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Drivastensis fecerunt scribi*. Anno 1372. cum alii Antistites provinciæ Antibarensis propter paupertatem a solutione decimarum exempti fuissent, Episcopus Drivastensis *ducatos* II. ærario apostolico solvisse dicitur in Rat. Cam. T. 240. pag. 260. Annos fere tredecim huic Ecclesiæ præfuit; & Gregorius XI. ad Sedem Antibarensem illum evexit anno 1373. Pontificatus III. xv. Kal. Junii, uti perhibent tabulæ Romanæ & Regest. Gregorii XI. ad annum eumdem.

Transfertur ad Ecclesiam Antibaren. an. 1373.

BERNARDUS EP. DRIVASTENSIS XIII.

Bernardus primum Drivasten. postea Ep. Catharen.

Joanni in hanc Sedem suffectus ne integrum quidem annum illam tenuit, & anno 1374. ad Catharensem Ecclesiam migravit III. Kal. Majas; ita Regest. Gregorii XI. an. IV. pag. 74.

ATHANASIUS vel ANASTASIUS EP. DRIVASTENSIS XIV.

Athanasius Ep. Drivasten. an. 1374.

Quem Gregorius XI. Rectorem Ecclesiæ Drivastensi præfecit ipso anno 1374. quo illius meminit etiam Waddingus, Is consueti tributi ærario pontificio solvendi sponsione se obstrinxit IV. idus Junias anni ejusdem. *Anastasius Dinastrensis*, id est Drivastensis, legitur testis subscriptus an. 1386. tabulis compositionis inter Hugolinum Archiepiscopum Spalatensem, & Margaritam Cetinæ Dominam, quas attulimus in Antonio Antibarensi Archiepiscopo, & quinquennio post e vivis excessit.

NICOLAUS II. EP. DRIVASTENSIS XV.

Nicolaus Ep. Drivasten. an. 1391.

Patria Veglensis, & ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, de quo Waddingus ad annum 1391. in Annalibus: *Anno 1391. creatus est Episcopus Drivastensis sub Archiepiscopo Antibarensi F. Nicolaus Bazie Pœnitentiarius Apostolicus per obitum Athanasii* 15. *Kal. Martii*; idque confirmat auctor Viridarii Seraphici; & IV. Non. Martii se, quod debebat, pro communi servitio soluturum promisit, ex T. 48. Obl. Cam. Apost. pag. 117. Post quinquennium vita functus est.

ANDREAS EP. DRIVASTENSIS XVI.

Andreas Ep. Drivastens. an. 1396.

De Montanea, & a nonnullis *de Montagnana* oppido celebri agri Patavini cognominatus, alumnus & cultor disciplinæ Franciscanæ, quem Bonifacius IX. Episcopum Drivastensem renunciavit prid. Kal. Octobris anno 1396., e Tomo 7. Bull. Bonifacii IX. pag. 267. Hujus episcopalia initia Waddingus in an. 1398. rejecit. *Ad insulas pontificias hoc anno* 1398. *in Ecclesia Drivastensi sub Archiepiscopo Antibarensi promotus est F. Andreas de Montagnana in locum Danutii*; sed hoc anno ante biennium electus 16. *Augusti personaliter pro suo communi servitio* 40. *florenos auri, & quinque servitia consueta solvit*; rursum, *recognovit Cam. & Collegio pro communi servitio D. Nicolai prædecessoris sui tantumdem* &c. T. 52. Obl. Cam. pag. 106. Igitur quem Danutium Waddingus interjicit inter Nicolaum & Andream, unde acceperit, clam me latet, nec ignotum Episcopum hic inserere ausim, cui nihil loci superest inter utrumque; & certe in tabulis Romanis modo laudatis Nicolaus *Prædecessor* Andreæ de Montagna dicitur; quod clarius in Francisco Episcopo Drivastensi constabit.

BARTHOLOMÆUS EPISCOPUS DRIVASTENSIS XVII.

Civis Venetus, cognomento Puonbiolus, ut patet ex ejus sigillo episcopali, cujus typus pictus exstat in libro quodam Petri Gradonici Patricii Veneti pag. 42. num. 129., & hisce verbis inscriptus, *S. Dni. Bartolomei. Puonbioli. D. Venec. Dei. Gra. Epi. Drivastensis*. A Bonifacio IX. huic Ecclesiæ præpositus, ut est in ejus Bull. an. X. T. 5. pag. 261., vix quadriennium præfuit; & vel ob ejus culpam, vel aliam ob caussam amotus in Italiam migravit, atque Arimini in parœcia S. Bartholomæi plures annos animarum curam Parochus gessit. Apud Sajanellum T. 2. Monum. Congreg. B. Petri de Pisis pag. 152. leguntur tabulæ *F. Angeli de Castro Durante Eremitæ in contrata S. Bartholi Arimini* confectæ an. 1414. *die quinta mensis Septembris præsentibus ibidem Reverendo Patre Domino Bartholomæo Episcopo Drivastensi Rectore dictæ Ecclesiæ S. Bartholi*; ejusque nomen reperitur in aliis tabulis archivi Monachorum Ariminensium Congregationis Olivetanæ an. 1416. XVI. Kal. Augusti. Anno itidem 1418. IV. Kal. Februarii supremis tabulis Magdalenæ Lunardinæ conjugis Andreæ Samperini civis Ariminensis se testem subscripsit *Bartholomæus Episcopus Millaten.*, cujus Episcopatus cum nulla uspiam notitia suppetat, subscriptioni mendum inesse suspicor.

Bartholomæus Ep. Drivasten. an. 1400.

e Sede amotus an. 1404.

FRANCISCUS EPISCOPUS DRIVASTENSIS XVIII.

Patria Scodrensis, religiosæ vitæ instituto Franciscanus, cui Innocentius VII. anno apud Waddingum 1404. Ecclesiam Drivastensem demandavit: *Innocentius sub auspiciis Pontificatus creavit F. Franciscum de Scutaro Episcopum Drivastensem sub Archiepiscopo Antibarensi propter amotionem Bartholomæi* 2. *Non. Novembris anno* 1404. Sed in Archivo Bull. hujus Pontificis T. 4. pag. 294. Franciscus creatus fuisse dicitur Episcopus anno 2., non igi-

Franciscus Ep. Drivasten. anno 1405.

Digitized by Google

igitur *sub auspiciis Pontificatus* Innocentiani, & anno primo, id est 1404., ut docet Waddingus, sed insequenti 1405. & secundo ejusdem Pontificatus, cujus initium sumitur a die Novembris secunda. Hoc anno Kalendis Decembris Franciscus, quidquid debebat ærario pontificio, & sacro Collegio ab se solutum iri promisit. *Item recognovit pro communi servitio D. Bartholomæi prædecessoris sui, item D. Andreæ prædecessoris sui, item D. Nicolai prædecessoris sui;* T. 57. Obl. sac. Coll. pag. 91. Hinc apparet, inter Antistites Drivastenses nullum esse locum Danutio, quem Waddingus intrusit; tres enim solummodo Episcopi ante Franciscum hic commemorantur, nulla Danutii facta mentione. Ante Episcopalem consecrationem complevit ex parte, quod de solvendo promiserat, Nonis Decembris anni ejusdem, atque post annos circiter undeviginti ex mandato Martini V. Drivastensem cum Ecclesia Olciniensi commutavit anno 1424.

transit ad Ecclesiam Olciniensem an. 1424.

NICOLAUS III. EPISCOPUS DRIVASTENSIS XIX.

quo Nicolaus ab Olciniensi ad hanc Ecclesiam translatus est, & eodem anno ab ea amovetur.

Cui Vuallibastæ cognomen erat. Hic tradita Francisco Olciniensi Ecclesia, cui præerat, ab eo Drivastensem recepit; ita tabulæ Consistoriales: IX. *Kal. Junii an.* 1424. *Nicolaus Episcopus Dulcinensis translatus ad Drivasten. & Franciscus Episcopus Drivasten. translatus ad Ecclesiam Dulcinen.* Verum Nicolaus sive per incuriam, sive aliam ob caussam suam translationem diplomate pontificio intra præfinitum tempus confirmandam non curavit; ita jus hujus Episcopatus adeundi per translationem & commutationem acquisitum amisit; eique suffectus est

DIONYSIUS EP. DRIVASTENSIS XX.

Dionysius Ep. Drivasten. an. 1425.

Natione Bohemus ex illustri familia de Knin ortus, qui ab incunte adolescentia nomen dederat in Laudatissimum Patrum Prædicatorum Ordinem, in eoque magisterii theologici lauream adeptus multa sapientiæ, integritatis & prudentiæ documenta præbuerat. Hunc igitur Martinus V. dignum censuit, quem ad Sedem Drivastensem eveheret. 1525. IV. *Kal. Decemb. Provisum est Ecclesiæ Drivastensi in Albania vacanti, quia promotus ad illam non fieri fecit bullas infra annum, in persona F. Dionysii Ord. Præd.* ex actis Consist. & diplomate Martini, quod subjicio e Tomo 2. Bull. Domin. pag. 657.

ex quem litteræ Martini V.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Dionysio de Knin Electo Drivasten. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Apostolatus officium &c. Dudum siquidem provisionem omnium Ecclesiarum Cathedralium per translationes per nos faciendas de Prælatis earum ubilibet constitutis ad alias Cathedrales Ecclesias tunc vacantes, & in antea vacaturas, ordinationi & dispositioni nostræ duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari. Et deinde, Ecclesia Drivasten. ex eo vacante, quod nos dudum Ven. Fratrem nostrum Franciscum Dulcinen. tunc Drivasten. Episcopum, licet absentem, a vinculo, quo ipsi Drivasten. Ecclesiæ, cui tunc præerat, tenebatur, absolventes, de Fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine ipsum ad Ecclesiam Dulcinen. tunc vacantem duximus auctoritate Apostolica transferendum præficiendo eum ipsi Ecclesiæ Dulcinen. in Episcopum & Pastorem. Nos Ven. Fratrem nostrum Nicolaum Episcopum olim Dulcinen. a vinculo, quo ipsi Dulcinen. Ecclesiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de similibus consilio & potestatis plenitudine absolventes ipsum ad eamdem Ecclesiam Drivasten., ut præfertur, vacantem transtulimus præficiendo eum eidem Drivasten. in Episcopum & Pastorem. Cum autem dictus Nicolaus literas Apostolicas super translatione & præfectione de ipso ad ipsam Ecclesiam Drivasten., ut præmittitur, factis, prout juxta quamdam Constitutionem nostram super hoc editam tenebatur, infra tempus in eadem Constitutione expressum non fecerit expediri, & secundum præmissa ipsa Drivasten. Ecclesia adhuc, ut præfertur, vacare noscatur, nos ad provisionem ejusdem Ecclesiæ Drivasten., de qua nullus præter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, celerem & felicem, ne ipsa Drivasten. Ecclesia longæ vacationis subjaceret incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ Drivasten. personam utilem & etiam fructuosam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum professorem in Sacerdotio constitutum, ac in Theologia Baccallarium formatum, ex nobilique genere procreatum, cui de vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus nostris ob dictorum exigentiam meritorum accepta eidem Drivasten. Ecclesiæ de dictorum Fratrum consilio auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem &c. Datum Romæ apud Sanctos Apostolos III. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno nono, id est 1425.

Episcopatum bonis initiis orsus tristes exitus habuit; nam a seipso desciscens neque suæ virtuti ac sapientiæ respondit, neque excellenti, quæ de illo erat, opinioni. Non pauca, nec levia sive per incuriam, sive per malitiam peccavit, nec solum Ecclesiæ inutilem, sed etiam Episcopatu indignum se præbuit. Illum igitur Martinus V. in Curiam Romanam ad caussam dicendam, malæque administrationis rationem reddendam citari, formulamque *citationis* scripto traditam tum Ro-

Digitized by Google

Romæ ad S. Mariæ Rotundæ, tum Drivasti ad ædis cathedralis valvas affigi jussit; qui vel sisti renuens, vel judicio convictus Sacerdotio etiam Drivastensi a Pontifice privatus fuit. Ita in actis Consist. *Anno* 1428. *v. Id. Octobris privavit in Consistorio privatione Dionysium de Kuin Ord. Præd. olim Episcopum Drivasten. citatum in Curia Rom. Audientiæ, & in valvis B. M. Rotundæ &c. ipsumque amovit realiter, tamquam inutilem & indignum.*

Dionysius Episcopatu privatur.

Huc conjicio revocandas esse alias Martini Pontificis literas a Waddingo allatas in Annalibus ad annum, quo datæ sunt, 1427., his enim administrationem hujus Ecclesiæ commendavit ad tempus F. Bernardo de Vivaris Franciscano. Equidem nulla in iis mentio de Dionysii ejectione ab Episcopatu, sed commutationis tantum Olciniensis cum Drivastensi Ecclesia inter Nicolaum Olciniensem & Franciscum Drivastensem Episcopos jussu Pontificis factæ; quare Bernardi electio & administratio in annum 1425. incidisse videtur, cum Nicolaus ad Sedem Drivastensem translatus defectu pontificii diplomatis, quo ejus translatio intra statutum tempus confirmaretur, ejusdem Sedis possessionem amisit. Verum aliter suadet annus 1427. & decimus Pontificatus Martini V. quo hujus literæ ad Bernardum consignatæ sunt, & congruunt cum ea, quam vocant *Rubricellam Archivi Communis Bullarum Martini V. anno X. T. 8. pag.* 274., ibi siquidem idem annus decimus Martini notatur, nempe 1427. *F. Bernardum Martini de Vivaris factum esse Administratorem Ecclesiæ Drivastensis per obitum an. X. Martini*; licet non *per obitum*, sed *per Dionysii privationem* scribendum sit, ut in suis schedis animadvertit Car. Garampus. Sed Waddingus non satis sibi cohæret in iis, quæ scripsit de Bernardo; nam ad hunc annum 1427. inter sui Ordinis sodales, qui a Martino V. Episcopatus honore decorati fuerunt, nominat *Fratrem Bernardum Vivaris ad Drivasten.* Episcopatum evectum *sub Archiep. Antibarensi per translationem Francisci ad Dulcinen.*, perinde atque Drivastensis Ecclesiæ non administrator, sed Episcopus revera creatus fuerit, & in locum Francisci, cum in locum Nicolai successerit, uti dictum est. Deinde profert Pontificium diploma, quo *Bernardus Martini Vivaris* eligitur Drivastensis administrator. Rursum ad annum 1428. *Bernardum de Drivasto* ait Episcopum Balleacensem renunciatum fuisse *per translat. Michaelis ad Drivasten. Ecclesiam*; nec Episcopatus meminit, nec administrationis gestæ a Bernardo; quippe translatus dici debuerat a Drivastensi sede ad Balleacensem; quin & litteræ Martini Pontificis omnino silent Episcopatum, aut administrationem Drivastensem Bernardi, quod ad formam hujusmodi literarum, sive diplomatum prætermitti non poterat, eumque *Ordinis Fratrum Minorum Professorem* Ecclesiæ Balleacensi præficiunt *Episcopum & pastorem*. Sane unum eumdemque esse Bernardum, qui vario appellatus cognomine Drivastensis primum Administrator, ut Waddingus, deinde Episcopus Balleacensis dicitur, ut alii cum Waddingo Scriptores affirmant, nulla mihi inest dubitatio. Sed utrum fuerit, necne Episcopus sive Administrator hujus Ecclesiæ, ambigi jure debet tum ob eas, quas modo subjecimus, animadversiones, tum maxime, quia in actis Consistorialibus de electione Dionysii, & in Pontificio ad illum diplomate Bernardi Episcopatus, ejusve administratio siletur, immo & in tabulis Romanis, quibus Michael Dionysio suffectus est in sede Drivastensi. Ipse vero Martinus V. in suis ad Bernardum literis ideo se illi administrationem Episcopatus Drivastensis commisisse scribit, quia Franciscum Antistitem Drivasti ad Ecclesiam Olciniensem transtulerat; at enim collatæ hujus Bernardo administrationis causa erat Nicolai incuria & sui juris amissio in Drivastensem cathedram, ad quam ex Olciniensi Francisci loco migraverat; quam caussam affert Pontifex, cur Dionysium, Nicolao jure amoto, Episcopum huic Ecclesiæ præponeret, ut ex allatis paullo superius literis ad Dionysium perspicue patet. Hinc haud levis suspicio oboritur, literas easdem aut in Codice, aut in exemplari descripto ex aliquo vitio laborare. Adde præterea, falli etiam oportere, qui existimet, Bernardo creditam sane fuisse Ecclesiam Drivastensem, quamvis justis rationibus recusaverit, ut tantum oneris, veluti ei ferendo impar, ab se averteret, propelleretque, nam si velis Bernardum successisse in hanc sedem Francisco anno circiter 1425. huic opinioni adversatur nota chronologica pontificii diplomatis ad ipsum dati anno X. Pontificatus Martini, qui est annus æræ vulgaris 1427., & si post Dionysium ab Episcopatu dejectum rejicias in hunc annum electionem Bernardi, contraria sunt ejusdem diplomatis verba, quæ Bernardum Administratoris munere Francisco sufficiunt. Res itaque pluribus difficultatibus adeo est implexa, atque impedita, ut certi quidquam statuere non ausim; sin partem aliquam in hac regenda Ecclesia Bernardo concedamus, id potius ei tribuendum censerem anno ipso 1427., Dionysio jam depulso, uti epocha diplomatis convenit cum laudata superius *Rubricella*. Nunc ex Waddingo diploma Martini exscribamus.

Dubia administratio Ecclesiæ Drivastens. commissa F. Bernardo Vivaris.

Dilecto Filio Bernardo Martini Vivaris Ord. Frat. Min. professori Administratorique Ecclesiæ Drivasten. in spiritualibus & temporalibus per Sedem Apostolicam deputato.

Litteræ Martini ad Bernardum.

Romani Pontificis providentia circumspecta &c. Dudum siquidem provisiones omnium Ecclesiarum Cathedral. per translationes de Prælatis earum ubilibet constitutis ad alias Ecclesias cathedrales per nos faciendas in posterum vacaturarum ordinationi & dispositioni nostræ duximus ea vice reservandas decernentes ex tunc irritum &c. contigerit attentari. Cum itaque pastmodum Ecclesiæ Drivastensis ex ea sit Pasto-

storis solatio destituta, quod nos Ven. Fratrem nostrum Franciscum Dulcinensem, tunc Drivasten. Episcopum, licet absentem, a vinculo &c. eum ad Ecclesiam Dulcinensem tunc vacantem duximus &c. transferendum præficiendo ipsum eidem Ecclesiæ Dulcinen. &c. Te administratorem Ecclesiæ Drivastensis usque ad beneplacitum nostrum auctoritate præfata tenore præsentium facimus &c. Ac mandantes dilectis filiis Capitulo ipsius Ecclesiæ Drivastensis, ejusque subditis & vasallis, ut tibi, dicta administratione durante, obedientiam, reverentiam &c. Tu igitur &c. Dat. Romæ apud Ss. Apostolos XVI. Kal. Julii anno X.

MICHAEL EP. DRIVASTENSIS XXI.

Michael Ep. Drivasten. an. 1428.

Quem a Balleacensi ad Drivastensem Ecclesiam Martinus V. post Dionysium Sede Episcopali privatum transtulit die eodem; *V. Id. Octobris an.* 1428. *translatus est Michael olim Episcopus Baleacensis ad Ecclesiam Drinasten. vacantem per privationem factam per Dominum Nostrum de persona F. Dionysii olim Episcopi Drinasten.* ex actis Consist. Eodem anno pridie nonas, & IV. idus Novembris consuetam pensionem ærario pontificio & Collegio Cardinalium persolvit; Obl. S. C. Tom. 65. pag. 26. & Tom. 64. pag. 34. Annos præfuit fere septemdecim.

PAULLUS EP. DRIVASTENSIS XXII.

Paullus e Svacien. ad Episcopatum Drivasten. translatus an. 1445.

Cognomento Dusius. Ex Rectore unius portionis parœciæ S. Augustini in urbe Tarvisina primum Svaciensis an. 1440., deinde vero post quinquennium Episcopus Drivastensis. Eugenius IV. anno XV. sui Pontificatus *die Mercurii* 22. *Decembris* Ecclesiam Drivastensem Paullo contulit, ut in tabulis Romanis Provis. T. 22. pag. 13. & T. 75. pag. 12. In his per errorem adscriptus est annus æræ vulgaris 1446. nam annus XV. Eugeniani Pontificatus initium ducit a duodecima die Martii anni 1445. desinitque in eamdem Martii diem anni 1446. in diem vero 22. Decembris an. 1445. incidit dies Mercurii. Itaque epocha Episcopatus Drivastensis an. XV. Pontificatus Eugenii die Mercurii 22. Decembris Paullo collati cohæret cum anno æræ vulgaris 1445. Anno autem sequenti IX. Kal. Septembris consuetum tributum pro taxatione Ecclesiæ Drivastensi imposita solvit. Obl. Cam. Ap. pag. 164. Obl. S. C. T. 71. pag. 39.

Paullus Dusius ille idem est, quem Scriptores vitæ Scanderbegi *Paullum Angelum Drivastensem Episcopum* appellant; in unum siquidem eumdemque Paullum sive Dusium sive Angelum tum anni Episcopatus Drivastensis a Paullo gesti, tum epistolæ & legationes pontificiæ Paullo inscriptæ ac traditæ conveniunt. Erat igitur ex illustri & perantiqua Angelorum familia, qui longe lateque in Albania imperabant, & dominos fuisse ajunt non solum Drivasti, sed etiam Antiberis, Olcinii & aliarum civitatum. Ex

e familia Angelorum oriundus,

hac nobilissima gente, quæ, ut ferunt, non solum plurimos in Græcia & aliis regionibus principatus obtinuit, sed etiam ad Imperii Constantinopolitani fastigium pervenit, divortia facta sunt familiarum, quarum pleræque, cum Turcæ fines imperii barbarici magis magisque in dies propagare cœpissent, in eo motu temporum, tantaque conversione rerum publicarum & perturbatione, a summo & opulentissimo statu ad inclinatum ac prope jacentem desciverant; ut mirum videri non debeat, si, ut plures ex Angela gente melioris fortunæ nanciscendæ caussa in alias atque alias regiones migrarunt, sic etiam Paullus noster ad Venetam ditionem confugerit, & in Tarvisina civitate parochi onus susceperit, portionemque parœciæ & sacerdotii Augustiniani impetraverit, ex quo in victum cultumque, quod satis esset, perciperet. Per eosdem fere annos Demetrius Angelus filius Andreæ, frater Paulli Angeli Archiepiscopi Dyrrhachiensis, fuit Curio sive Parochus S. Joannis Baptistæ in pago Brianensi diœcesis Tarvisinæ, & in ejusdem Ecclesiæ præfecturam Paullus filius Petri Angeli fratris Demetrii Paullo successit; Andreas vero Angelus filius itidem Petri Angeli munere Parochi functus est in Ecclesia S. Angeli de Sale diœcesis Patavinæ. Illud etiam argumento est, Paullum Dusium ex Angelis Albanensibus originem traxisse, quod Eugenius IV. duas illi Ecclesias in Albania, unde oriundus erat, nimirum Svaciensem, deinde Drivastensem regendas tradiderit, ut popularibus suis, quo carior erat, eo magis prodesse, & operam utiliorem præbere posset. Huc adde legationem a Nicolao II. eidem demandatam ad Georgium Castriotum & Proceres Ducaginos, quibus cum gente Angela consanguinitas vel affinitas intercedebat.

Tarvisium in Venetam ditionem ex Albania confugit cum consanguineis.

Dum Paullus huic Ecclesiæ præsidebat, Drivastenses an. 1448. Amesam filium fratris Scanderbegi ab urbis obsidione repulerunt. Tunc bellum erat Scanderbego cum Venetis. Caussam belli Scodrenses præbuerunt, qui cum Drivastensibus Venetorum imperium non ita pridem acceperant. Hi siquidem post Zachariam Altisverum dominum Dagni ab Alexio Ducagino per insidias interfectum illius oppidi occupandi ac dominio Veneto subjiciendi cupiditate incensi, collectis copiis, Daniele Jurico duce, Dagnum ingressi, nemine repugnante, civibus illis repentino adventu attonitis ac perterritis, urbis portas obsident, loca opportuna capiunt ad resistendum, siqui obstare vellent; deinde Rosam matrem Zachariæ adeunt re inopinata perculsam, & calamitatum impendentium metu suspensam; bono animo esse jubent; nihil esse quod timeat; se cum militibus atque armis venisse, ut illi auxilio & præsidio essent tum adversus Proceres Ducaginos Zachariæ interfectores, qui eamdem illi, quam filio intulerant, necem moliebantur, tum adversus Scanderbegum, quem Dagni potiundi cupidine impulsum cum Ducaginis de interficiendo Zacharia conjurasse falso criminabantur;

Drivasti obsidio.

Digitized by Google

bantur; si saluti suæ ac libertati consultum velit, nusquam illi tutius, quam Scodræ, perfugium fore. Objecti periculi magnitudine perterrita cum esset, sibi persuaderi facile passa est, ut, defensione oppidi Scodrensium fidei commissa, Scodram se reciperet. Ad urbem cum venisset, non antea illam pollicitationibus allicere, malorum imminentium metu terrere, hortari & urgere desierunt, quam demum impellerent, ut Dagnum omnemque suam ditionem Venetis traderet, a quibus nihil illi defuturum ajebant, quod ad reliquam vitam laute, opipare ac pro dignitate degendam desiderare posset. Scanderbegus viduam matrem Zachariæ Scodrensium dolis ac fallaciis circumventam, inanibus promissis deceptam, Dagnum sibi a Venetis præreptum, quod ipse inhiabat, illatam sibi de nece Zachariæ calumniam iniquissimo animo tulit, Scodrenses ulcisci, Venetis bellum inferre decrevit, Proceribus Albaniæ non solum consentientibus, sed etiam iratum animum acrius exacuentibus, quod nimio plus, quam satis tutum sibi esset, rem Venetam in Albania crescere rebantur. Ac primo quidem prælio Venetorum exercitum ingenti clade prostravit, deinde copias duxit ad oppugnandum Dagnum, unde belli caussa orta fuerat. Dum ille oppidum obsidebat, Amesa, patruo inconsulto & inscio, majore audacia & temeritate, quam virtute & militum numero, Drivastum adoritur. Civitatem armis & præsidiis, commeatu omnique bellico ad resistendum apparatu Drivastenses munierant, ejusque defensioni præfecerant Andream ex illustri familia Angelorum Drivastensium, qui, ut ajunt, dominatum illius civitatis, cum eam contra Turcas tueri se posse diffiderent, Venetis tradiderant. Hic gravi vehementique oratione milites ac cives cohortatus, eruptione facta, castra hostium invasit, & fusos cæsosque in fugam avertit, Amesa fugientes retinere frustra conatus, ira rabieque incensus omnia circa urbem, vineas, agros, domos ferro & igni vastavit. Drivastenses vero, direptis castris, opima præda onusti victores in urbem redierunt. Hæc fusius & distinctius Joannes Baptista Biemius Presbyter Brixiensis in historia de vita & rebus gestis Georgii Castrioti. Post hanc cladem acceptam Scanderbegus pacem cum Venetis redintegravit. Dum hæc apud Drivastum gerebantur, Paullus versabatur in Italia, & anno 1449. Vicarii generalis operam navabat Ludovico Patriarchæ Aquilejensi, ut est apud Bernardum de Rubeis in Monum. Aquilejens. pag. 1050., a quo etiam memoriæ proditum est pag. 138. Petrum quemdam de Drivasto Lucæ filium, qui erat *Presbyter & Plebanus Parochialis Ecclesiæ S. Michaelis & S. Bartholomæi Carpenesi & Adonagni*, seu Rector Ecclesiæ de Carpaneto, qui pagus est ab Utino parum distans, anno circ. 1445. fuisse a Turcis combustum, qui tum crebris incursionibus per Bosniam & Chrobatiam in ipsos Forojuliensium fines irruebant; locus tamen, ubi Petrus mortem oppetiit, nec caussa mortis innuitur, quæ procul dubio ex odio illius efferæ gentis in Christianam religionem proficisci debuit. Anno 1450. Paullum adstitisse Scanderbego adversa belli fortuna graviter jactato narrat Biemmius in ejus vita pag. 227. Ac biennio post Nicolaus V. eum Internuncium suum de concordia concilianda misit ad Scanderbegum & Dynastas Ducaginos, inter quos erant acerbissimæ inimicitiæ, eoque jam processerant, ut ad bellum civile spectarent. Exstat epistola Nicolai ad Paullum apud Raynaldum ad hunc annum, quam hic exscribimus.

& liberatio,

Paulli Ep. legatio,

& ad eum literæ Nicolai V.

„ Venerabili Fratri Paullo Episcopo Drivastensi A. S. N. & Oratori nostro salutem. „ Intelleximus gravia odia suscitata esse, & „ in dies acerbiora fieri inter dilectum filium nobilem virum Georgium Castriot „ Scanderbech & Paullum & Nicolaum Ducagninos in Albania dominos, quæ res „ magna molestia nos afficit, & dolemus „ maxime, ut inter Christianos Principes „ eæ dissensiones vigeant, hoc præsertim tempore, in quo nedum deberent vires eorum „ unitas habere, ut potentiæ Teucrorum facilius resistere valeant, verum etiam instante bello, aliorum ascitis & convocatis „ auxiliis, omni studio ac diligentia incumbendum est, ne Christiani nominis hostes „ hanc occasionem nacti, eos invalidos & ad „ alia molienda intentos subita excursione „ adorti magna detrimenta non solum ipsis, „ sed similibus populis inferrent; quod ne „ eveniat, continuo Deum simpliciter oramus. Et quoniam non possumus malis istis „ nosmet mederi, deputavimus te mediatorem (& infra) ut omnibus privatis respectibus rejectis, Dei honorem & Christianitatis commodum præ oculis habens, ad „ memoratos Dominos te conferas, & adhibitis iis suasionibus, quæ ad concordiam „ & reconciliationem pertinere cognoveris, „ prout tibi videbitur & expediens fuerit, „ ea tractes &c. Dat. Romæ apud S. Petrum „ anno 1452. XIII. Kal. Aug. Pontificatus „ nostri anno VI."

Valuit auctoritas & adhortatio Paulli ad mitigandos animos exacerbatos; & cum Dyrrhachium, quæ civitas tunc suberat imperio Venetorum, Scanderbegus & fratres Ducagini convenissent, in amplissimo Procerum Albanensium conventu coram Laurentio Metropolita Antibarensi & Paullo Episcopo Drivastensi in pristinam concordiam redierunt, ut tradit Biemius lib. 4. hist. supra laudatæ, qui tamen lib. 6. hujus legationis munus Paullo Angelo Archiepiscopo Dyrrhachiensi falso adtribuit. In lib. Provis. Tom. 72. pag. 61. & in lib. Oblig. tom. 72. p. 61. 5. *id mart.* 1454. dicitur Paullus translatus fuisse *ad Ecclesiam Traguriensem per obitum Sabæ vacantem, eique relicta in Commendam, quoad viveret, Ecclesia Drivastensis*. Sed in catalogo Antistitum Traguriensium nullus reperitur Episcopus, cui Sabæ nomen fuerit; & an. 1452.

Jacobus Turlonus hanc Ecclesiam regebat, neque ante annum 1485. e vita sublatus dimisit. Vereor igitur, ne in eum librum Provis. error irrepserit, & pro Traguriensi aliam consimilis vocabuli Ecclesiam substituendam censeo. Illud e tabulis Romanis satis aperte constat, Paullum anno 1455. creatum fuisse Archiepiscopum Crainensem; in archiv. Bull, Nicolai V. an. IX. tom. 8. pag. 77. & eodem anno XI. Kal. Novembris jussu Callisti III. qui Nicolao in Romanam Sedem successit VI. Idus Apriles ejusdem anni, *pro sua provisione decem florenos aureos* illi numeratos fuisse, & totidem Nonis Novembris ejusdem anni, itemque X. Kal. Februarii anno sequenti, tom. 643. pag. 113. 114. In catalogis Ecclesiarum Metropolim aut Ecclesiam Crainensem non invenio. Craina vox est Slavonica, quæ communiter oram litoream, seu finitimam, interprete Lucio significat lib., de regn. Dalm. cap. 4. unde *Crainenses* dicti Episcopi Dumnenses & Macarenses, in Tomo 4. At quinam Crainenses fuerint Archiepiscopi, alibi inquiremus. Episcopatum Drivastensem cum Archiepiscopatu Crainensi conjunctum, quoad vixit, retinuit. Callistus III. anno 1455. in Sedem Romanam Nicolao V. suffectus Paullum suum Internuncium in partibus Dalmatiæ & Albaniæ creavit; in Regest. liter. Call. III. an. I. tom. XI. pag. 201. Idem Pontifex an. 1456. Ecclesiam Drivastensem, quam Paullus regebat, Metropolitæ Antibarensis potestati exemptam Sedi Apostolicæ subjecit; ex Archiv. Bull. Call. III. an. II. tom. 7. pag. 70. idque fortasse ambitione quadam ejusdem Paulli factum haud perperam e reliquis ejus gestis suspicamur, ne scilicet is Archiepiscopali dignitate auctus Antibarensi, suo quamvis Metropolitæ, videretur esse subjectus. Nam amplissima, qua erat præditus, potestate abutens multa non sine gravi multorum offensa peccavit; ac præsertim Paullum Ducaginum Dynastam ejusque filios, quos antea in gratiam cum Scanderbego reduxerat, criminis nescio cujus reos aut suspectos, vel certe ante caussam rite cognitam ac triplicem canonicam denunciationem anathemate confixit. De pœna contra jus fasque Ducaginis inflicta, & ipsius Paulli malefactis ad Callistum cum esset allatum, Pontifex suis ad Spalatensem Archiepiscopum literis datis anno 1456. Idibus Martii huic imperavit, ut Paullum Ducaginum & ejus filios vinculis anathematum exsolveret, quibus illos contra jus fasque illigaverat Paullus Archiepiscopus Crainensis, quem iisdem literis paullo ante Episcopum Drivastensem appellat; *Præterea*, inquit, *non sine gravi displicentia nostræ mentis sentientes, quod Vener. F. noster Archiep. Crainensis Nuncius per nos ad partes Dalmatiæ & Albaniæ dudum destinatus multa scandala generavit contra nostrum & Apostolicæ Sedis honorem in animæ suæ periculum, & cum gravi lesione locorum & personarum commisit* &c. illi ergo usum omnem potestatis Apostolicæ per Pontificem traditæ interdicat, jubeatque Paullum Romam intra tres menses Procuratorem mittere, qui rerum ab se perperam gestarum rationem reddat, & illatas sibi criminationes diluat. Paullus, de quibus fuerat accusatus, aut inficiando, aut jure fecisse quæ fecerat probando, se purgaverit, vel certe omnium, in quibus deliquerat, veniam impetraverit necesse est. Nam eodem anno XV. Kal. Maji literas sane honorificas ad Paullum Archiepiscopum Crainensem scripsit, quibus potestatem impertiit sacræ adversus Turcas expeditionis indicendæ, atque eos, qui in hanc piam militiam nomen darent, Crucis insignibus condecorandi, amplissimisque privilegiis atque indulgentiis cumulandi, ut est in Regest. Call. III. tom. 7. pag. 197. qua de re Pontifex Georgium Castriotum sive Scanderbegum suis ad eum literis admonuit. Itidem eodem anno Idibus Julii jussit quadragenos aureos Paullo per Quæstorem Pontificium suppeditari, ut haberet, unde in suam legationem apostolicam sumptus faceret; in lib. Introit. & Exit. Cam. Apost. tom. 669. pag. 169. Quamvis Paullus in gratiam Pontificis receptus fuisset, ac perhonorificis muneribus decoratus, postea tamen peccare non desiit, quin multo graviora commisit. Nam si vera sunt, de quibus non modo in illis regionibus, sed etiam Romæ fama percrebuit, ad partes Græcorum schismaticas descivit. Palam evulgabat Græcam Romanæ fidei præferendam esse, se pro Papa gerebat, omnia ad suam auctoritatem atque arbitrium revocabat, vetabatque ad Sedem Apostolicam confugere & appellare. Quæ cum ad aures Callisti delata essent, Pontifex Episcopo Sappatensi, & Guillelmo de Lauro sacræ Theologiæ Baccalaureo per literas Kalendis Junii an. 1457. datas imperavit, ut quæ in Archiepiscopum Crainensem crimina facta fuerant, in cognitionem ac judicium vocarent, eumque, si post diligentem ac juridicam inquisitionem adhibitam eorum facinorum reum esse comperissent, episcopali officio privatum anathemate ferirent; Reg. Callisti III. tom. 15. pag. 14. De his vide etiam in Nicolao Ep. Pullatensi. Vel illatas criminationes ipse diluit, vel certe resipuit, & idonea pœnitentia Deo Ecclesiæque satisfecit. In tabulis certe Romanis nomen Paulli demortui *bonæ memoriæ* elogio commendatum reperitur. Nec multo post eodem anno 1457. ante mensem Octobrem e vivis excessit. Post obitum Paulli Ecclesia Drivastensis sub potestatem rediit Metropolitæ Antibarensis.

Creatur Archiepiscopus Crainensis, servato Episcopatu Drivastensi.

Romæ per Procuratorem sisti jubetur;

mox ad Græcum schisma descisens,

facti pœnitens obit an. 1457.

NICOLAUS IV. EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXIII.

De Summa cognominatus, Canonicus Ecclesiæ Drivastensis, idemque Parochus *S. Mariæ de Civitate veteri* diœcesis Drivastensis, quem Callistus III. IX. Kal. Octobris anni 1457. Ecclesiæ Drivastensi præfecit *vacanti per obitum seu expirationem Commendatoris bonæ*

Nicolaus IV. Ep. Drivasten. anno 1457.

Digitized by Google

bonæ memoriæ Paulli Arebiep. Crainen. ejusdem Ecclesiæ, dum viveret, Commendatarii, & prius ante promotionem ad Archiepiscopatum dictæ Ecclesiæ Episcopi; ex lib. Provis. tom. 72. pag. 80. Cum proventus episcopales propter communium temporum calamitates decrevissent, jussus est retinere, quod antea obtinebat, sacerdotium parœciæ Marianæ, unde suppleretur, quod ad victum cultumque episcopalem ei deerat ex reditibus mensæ episcopalis, ut est in libro eodem. Hoc ipso anno, mense Octobri, quod debebat, Sacro Collegio persolvit; lib. Oblig. S. C. tom. 76. pag. 142.

THOMAS EP. DRIVASTENSIS XXIV.

Thomas Ep. Drivastensis an. incerto.

Proximus ne fuerit post Nicolaum Episcopus Drivastensis, an quis alius inter utrumque intercesserit, compertum non habeo. Hic usque ad an. 1489. Sedem Drivastensem tenuit. Suscepti a Thoma gestique Episcopatus Drivastensis fides est penes tabulas Consistoriales, in quibus scriptum est, anno 1489. Ecclesiam Drivastensem *vacasse per obitum D. Thomæ ultimi Episcopi*. Thomæ Episcopatum luctuosum fecit miserandus & lachrymabilis urbis casus, quam Mahumetes rex Turcarum, dum Scodram obsidebat, anno 1477. in suam potestatem redegit, Expugnationem Drivasti, & Drivastensium cædem descripsit Marinus Barletius lib. 3. de obsidione Scodrensi, postquam de turpi & ignominiosa deditione Xabiacchi oppidi munitissimi narravit, „ Drivastenses fortiores & constantiores fuerunt. „ Hi enim, dum Scodra oppugnaretur, soliti erant urbem diurno nocturnoque tempore exire, & barbarorum impedimenta, turmasque equitum, camelorum ac jumentorum simul cum gregariis militibus undique adoriri, eripere, atque eos captivos ducere; castra sæpenumero invadere, aliaque detrimenta ac damna inferre; quæ cum omnia Othomano Principi relata essent, is ægre ferens, minabundus, expectato tempore, quo ipsa juventus Drivastensis urbe egrederetur, ut facilius eam expugnaret, Præfectum Asiæ cum omnibus copiis suis tertio Idus Sextiles ad expugnandam Drivastum præmisit; qui, intercepta exclusaque virili, robustissimaque manu Christianorum extra urbem, fixis collocatisque tormentis, Idibus Sextilibus muros urbis, qua parte debiliores erant, atque expugnatu faciliores, diruere cœpit. Qui cum intra sexdecim dies eversi essent, Princeps ipse pridie Kal. Septembris ad ejus oppugnationem, quæ postridie futura erat, se contulit. Mane vero ante lucem, quæ Kalendæ Septembres erant, Barbari signo dato undique convolantes urbem fere sine oppugnatione, & sine obice murorum munimentorumque facillime ingressi sunt. Nam circuitus ejus magnus quidem erat; & juventus omnis, qui circiter octingenti viri fuere, extra urbem, ut jam dictum est, exclusi fuerant. Præterea hi, qui in urbe erant, acerbissima pestis contagione absumebantur. Pauci vero, qui hostem arcere conati sunt, ad unum omnes cæsi sunt. Reliqui capti ad trecentorum numerum IV. Nonas Septembris in castra adducti, jussuque Principis in conspectu Scodrensium omnes pariter trucidati fuere". Hactenus Barletius.

Drivastum a Turis capitur.

Post urbem amissam, & adhuc sub servitute Turcica gementem creari non desierunt Episcopi Drivastenses; nam huic Ecclesiæ & diœcesi neque Clerus & populus Christianus, neque aliqui proventus defuerunt; & post Thomam utramque regendam suscepit

FRANCISCUS II. EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXV.

Franciscus Ep. Drivastens. an. 1489.

Quem Innocentius VIII. rei plebique Christianæ Drivastensi præesse jussit, ut docent acta Consistorialia; 1489. 2. *Septemb. providit de persona Francisci Ecclesiæ Drivastensi in Albania vacanti per obitum D. Thomæ ultimi Episcopi*. Idem constat ex Archiv. Bull. Innocentii VIII. an. v. tom. 12. pag. 115. Huic patria fuit Mediolanum, cognomen *ab Ecclesia*, quæ familia inter Mediolanenses nobilissima. Commendatum habuit sacerdotium quoddam Ticinense, cujus reditibus vitam pro dignitate aleret, cum nullum e bonis Drivastensis Episcopatus fructum posset percipere; quin a sua Ecclesia semper abfuisse facile suspicor. Anno certe 1496. V carium agebat Udalrici Episcopi Tridentini in obeundis muneribus pontificalibus; & quadriennio post in ea diœcesi tum aram principem Ecclesiæ Ardinensis in Anaunia solemni ritu consecravit VII. Kal. Martias, tum mense Augusto anni ejusdem 1500. Ecclesiam SS. Michaelis, Marci & Lucæ *super Monticulo prope Aquam Novellæ in parœcia S. Floriani de Arsio vallis Anaguinæ*, & in altari, quod unicum extitit, plura Divorum lipsana in duobus illius Ecclesiæ vetustis altaribus reperta religiose condidit. Post biennium XVII. Kal. Junii secundo Pentecostes die festo Ecclesiam S. Stephani Protomartyris *apud villam Fornasis in plebe Pinetana* novis sumptibus refectam, & in ea altare SS. Stephani & Cypriani sacris chrismatibus Deo illum dicasse produnt ejus loci monumenta, ac rursum die Junii duodecima Ædem S. Mauri in ipsa Pinetana parœcia, Udalrico e vivis sublato, eamdem vicariam operam præstitit Georgio Naidecheno in locum Udalrici suffecto; cumque anno 1506. x. Kal. Septembris aram S. Floriani dedicasset *in Sacello S. Zenonis in Aldeno plebis S. Mariæ Villæ*, in ea collocatis reverenter reliquiis *SS. Martyrum Sisinii, Martyrii, Alexandri & Floriani ac Filastri Episcopi*, dierum quadraginta sup nomine, totidemque nomine Georgii a debita pro criminibus pœna expiationem iis largitus est, qui anniversario dedicationis die, eodemque sacro memoriæ S. Floriani, tum

& Adintor Ep. Tridentini.

festis illorum martyrum diebus pie hanc aram inviserent. Episcopale sigillum, quo Franciscus utebatur, præfert insculptam Ecclesiæ & leonis icunculam. Multo ante, quam obierit, & anno 1502. sepulchrum sibi construi jussit in medio loco templi cathedralis Tridenti, quod commune foret posteris Episcopis Tridentinorum Antistitum *Suffraganeis*. Hæc e Catalogo *Suffraganeorum* Ecclesiæ Tridentinæ in tom. 3. Monum. S. Adelpreti edito a Bonello; annus tamen, quo Franciscus vita decessit, consignatus non legitur; dies vero sui obitus fuit octavus Septembris, uti notatum est ad latus sepulchralis epigraphes, quam subjicio.

„ MCCCCCII. (sic) Idibus Maiis
„ Hobit Hotava Sep.
„ Episcopus, Drivastensis
„ Franciscus. ab Ecclesia
„ Mediolanensis. Thesini
„ Commendatarius, ac in
„ Pontificalibus Epi Tridentini
„ D. Udalrici Litistain Vica.
„ Sibi Successoribusque
„ Suffraganeis hoc vivens
„ diçavit Sepulchrum.

ANTONIUS EP. DRIVASTENSIS XXVI.

Antonius Ep. Drivasten. anno 1509.

Ex tabulis Romanis. Ab Julio II. præpositus anno 1509. XI. *Kal. Septembris Ecclesiæ Drivastensi in partibus Infidelium per obitum; tertio Kal. Septembris solvit pro balista dictæ Ecclesiæ, & alia jura Cameræ solvere promisit in casu, quo fructus dictæ Ecclesiæ*, quos Turcæ interverterant, *in manus fidelium reverterentur*; lib. Rat. Cam. tom. 760. pag. 77. Cum esset Canonicus Ecclesiæ Hispalensis, hujus sacerdotii retinendi potestas illi facta fuit; ex Arch. Bull. Julii II. an. VII. tom. 13. pag. 178. Hunc post triennium morte sublatum excepit

BENEDICTUS EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXVII.

Benedictus Ep. Drivasten. anno 1512.

Cognomento Kornis; *Præpositus an.* 1500. Cœnobio & Ecclesiæ *S. Crucis de Lelesz Ordinis Præmonstratensis* in Hungaria sub Strigoniensi Archiepiscopo; uti in Specimine Hierarchiæ Hungaricæ tom. I. notavit Georgius Pray us, qui pag. 35. horum Præpositorum catalogum ex veteribus monumentis confectum subjicit. Illum anno 1512. Julius II. Antonio in Sedem Drivastensem *per obitum* vacantem substituit; qui eodem anno IV. Id. Novembris quadraginta, & VI. Kal. Januarii septemdecim florenos ærario Apostolico & sacro Collegio persolvit; Obl. Cam. Ap. p. 115. Obl. Sac. Coll. tom. XI. pag. 66. Hic quoque permissu Pontificis sacerdotium quoddam Ecclesiæ Aquensis retinuit; Bull. Julii II. an. IX. tom. 16. pag. 31., nec dubito, quin & suam Præfecturam Præmonstratensem cum Drivastensi Episcopatu conjunxerit. In laudato Prayi catalogo dicitur etiam *Suffraganeus* Antistitis Varadiensis in Hungaria; *Benedictus Kornis Episcopus Drivaszensis*, lege *Drivastensis*, *Suffraganeus Episcopi Varadiensis*.

THEOPHILUS EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXVIII.

Theophilus Martinius ex Ordine Camaldulensi,

Huic cognomen fuit *de Martinis de Balneo*, quæ familia ex nobilissima gente *Martiniorum ab Ala* Florentiæ nuncupata fertur derivari in Theat. histor. sacræ Heremi Camaldul. pag. 132. Ordini Camaldulensi nomen dedit; & ob egregias virtutes carus maxime fuit Petro Delphino viro summo & totius Ordinis Præsidi, cujus nonnullæ extant literæ ad Theophilum scriptæ, & typis editæ cum pluribus ipsius Petri ad alios epistolis duodecim libris comprehensis. Hujusmodi una est tricesima quinta libri 8. data e Fonte bono XIV. Kal. Januar. anno 1505. qua Theophilum monet, ut de quadam controversia justum judicium proferat; in altera & libri 9. vigesima quinta, quæ data est Musoleæ V. Id. Majas an. 1509., ei gratulatur, falsum fuisse triste nuntium de violenta illius nece allatum; ex tertia autem, & libri 10. trigesima sexta, quam Petrus in oppido Fontis boni III. Non. Novembris an. 1511. dedit, deprehendimus, Theophilum tum Abbatis dignitate præfuisse Monasterio Balneensi, cui de fratris obitu dolet. Anno 1515. rumor ferri cœpit in ore auribusque plurimorum, Theophilum ad Episcopatus honorem proxime esse evehendum, idque Teophilus ipse præsentire videbatur in suis ad amicos literis. Quod cum Petrus Delphinus intellexisset, veritus ne ambitione allectus hanc sibi dignitatem optaret, & fretus favore Julii Medicei Cardinalis, quocum magna ei intercrat consuetudo & familiaritas, speraret se voti compotem fore, literas ad illum scripsit benevolentiæ plenas, quibus eum monet, ut in re tam gravi sapientum virorum consilium quærat, ne ullo ambitionis æstu abripi se patiatur ad hujusmodi munera amplectenda, quippe maximis obnoxia periculis; quæ, ut Deus ab illo avertat, etiam atque etiam cupere subjicit. Exstant hæ literæ lib. XI. num. 26. datæ vero e Monasterio S. Benedicti prid. Kal. Apriles an. 1515. quas hic duximus merito esse exscribendas.

Abbas Balnensis in Hetruria.

Petri Delphini ad eum literæ.

„ Ex literis, quas ad Abbatem Poplenæ
„ dedisti, facile cognovi, quo in statu, imo
„ quo in periculo in præsentiarum verseris.
„ Iccirco illud mihi statim succurrit sapien-
„ tis elogium; qui amat periculum, in il-
„ lo peribit. Quod tamen procul ab te sit,
„ sicut futurum spero. Siquidem prævidisse
„ te illud, tamquam in specula constitutus
„ satis liquido demonstras. Ego nimirum
„ nunquam in te desideravi prudentiam. Qui
„ consulere aliis recte consuevisti, cave ne
„ minus sanis consiliis acquiescas. Quot per
„ dies singulos decipiantur ambitione & ap-
„ pe-

Digitized by Google

„ petitu saliendi ad altiora, habes præ oculis
„ multorum exempla. Quæ de industria præ-
„ termitto, ne in suggillationem cujusquam il-
„ la videar recensere. Et tamen pro comperto
„ habemus, quod, quo gradus est altior, eo
„ casus gravior. Non damno, neque vitupe-
„ ro ecclesiasticas dignitates; sed in eis ma-
„ nifesta pericula hoc præsertim tempore plu-
„ rimum reformido. Qui in navicula ad cla-
„ vum administrandæ alicujus dignitatis con-
„ stitutus est, vereri compellitur elationes
„ maris, & tempestates ac procellas; quin
„ potius proclamare ad Dominum; Salva nos,
„ perimus. Animadvertens ego paulo ante
„ ista, rejeci constantissime oblatum mihi
„ gradum & locum celsiorem. Quis enim
„ non eum improbet, qui cum habeat in po-
„ testate ambulandi per plana ultro eligat
„ per abrupta & aspera montium cum labo-
„ re & fatigatione quotidie ingredi? Appe-
„ tant, qui voluerint, sublimiores potesta-
„ tes, & consequenter divitias ampliores.
„ Mihi semper magis cordi fuerit, quod per
„ Salomonem probatur; Melius est, inquit,
„ parum cum timore Domini, quam thesau-
„ ri magni & insatiabiles. Porro tecum re-
„ puta, frater mi, cujus sit momenti, detu-
„ lisse te a tenero habitum Camaldulensem,
„ amictum fuisse tamdiu stola candida, &
„ modo appropinquante senio velle hunc can-
„ dorem in obscuriorem aliquem colorem
„ permutare. Non ignoras scriptum esse;
„ Omni tempore sint vestimenta tua candida,
„ Et quotidie decantamus, quod Sancti omnes
„ amicti stolis albis sequuntur agnum quo-
„ cumque ierit. Loquar tecum ea fiducia,
„ qua semper consuevi. Nec enim decet se-
„ cus me tecum facere. Fratres enim sumus.
„ Cavendum est tibi, ne male consuluisse
„ videaris saluti tuæ, si deposueris indu-
„ mentum sequentium Salvatorem. Hæc ad
„ te urgente caritate, & stimulante conscien-
„ tia censui conscribenda. Opto propterea,
„ ut grato animo quæ scripsi accipias, nec
„ tibi sermo noster durus videatur. Nam re
„ vera, si in contrariam sententiam scripsis-
„ sem, non tu dilectus a me, sed deceptus
„ potius, & cui fodissem foveam, merito
„ existimandus fores. Vale. Ex S. Benedi-
„ cto, die ultima Martii MDXV.

Verum adeo saluberrima Petri admonitio & exhortatio efficere non potuit, quin Theophilus seu voleas, seu invitus, certe ut Cardinalis Mediçei voluntati obsecundaret, quod innuunt Scriptores Annal. Camaldul. tom. VIII. pag. 7., crearetur Episcopus Drivastensis an. insequenti 1516. Collati Theophilo hujus Episcopatus testis est præ cæteris alia Petri Delphini epistola, qua ei gratulatur de adepta Episcopali dignitate; cumque venusta quadam simplicitate, & religiosa gratia scripta sit, eam hic adjicere libet ex lib. XII. epist. Delphini num. 36., ut inde etiam Theophili atque ac Petri animi & sensa clarius queant dignosci.

Fit Ep. Drivasten. an. 1516.

Petri Delphini gratulatoria ad illum epistola.

„ Habitus immutatio parum tibi obesse po-
„ tuit exterius sua nigredine, quia, ut ex
„ literis tuis percipere mihi licuit, Camal-
„ dulensem candorem interius conservasti.
„ Hoc sane maximi facio, siquidem Deus
„ intuetur cor. Oportuit bene de tua digna-
„ tione merito Cardinali colendissimo nec
„ minus prudentissimo te morem gerere, &
„ illi exigua in re obtemperare, quia tibi
„ est in longe majore & digniore obsecutus.
„ Moribus candidis nigredinem illustrabis;
„ & dicere consequenter poterit tua pietas:
„ Nigra sum, sed formosa. Opto ego magno-
„ pere, ut promotio hæc tua ad dignitatem
„ sublimiorem felix tibi & fausta sit futura.
„ Ex quo enim oleum sanctæ unctionis
„ Dei super te est, non permittes contami-
„ nari sanctuarium ejus. Quod nimirum ita
„ fore & tua mihi religio & singularis pru-
„ dentia literaturæ conjuncta facile repromit-
„ tunt. Salutationem meam per cubicularium
„ nostrum tibi factam gratam tibi fuisse non
„ dubito. Amasti me hactenus charitate non
„ ficta; ego quoque semper paria tecum fe-
„ ci. Precaris ut veniam ad vos, futurum
„ pollicens non solum gratum multis adven-
„ tum meum, verum & utilem. Mense Octo-
„ bri, si placuerit Domino, Venetiis mo-
„ vebimus, invitis licet ac dissuadentibus
„ propinquis atque amicis omnibus. Orabit
„ dignatio tua pro nostra incolumitate, ut
„ læti ac sospites mutuo fruamur alloquio
„ & conspectu, nec me frangat itineris aspe-
„ ritas. Junior fui, etenim senui: Abiit flo-
„ rida ætas, & nunc annorum premor mo-
„ le. Sunt mihi haud dubie gravia itinera
„ longiora. Si fuero tuis & aliorum nos di-
„ ligentium precum suffragiis fultus, non me
„ gravabit admodum susceptæ peregrinationis
„ labor. Qui vero sit futurus tantus adven-
„ tus mei in Etruriam fructus, quantum
„ pollicetur pietas tua, non video. Nisi
„ quod implebuntur multorum vota, qui me
„ intueri ac revisere desiderant. Cæterum
„ sicut libenter admitto oblationem tuæ er-
„ ga me fidei atque operæ, ita servitutis
„ penitus rejicio. Non improbamus, quod
„ accepta dignitate Episcopatus te gerens sum-
„ missius, sed cum iis, qui aut majores te
„ sunt, aut certe pares. Fuisti aliquando
„ Generalatui Camaldulensi subjectus. Nunc
„ vero Antistes factus atque Apostolorum
„ successor, servire mihi nullo pacto debes,
„ cui Dei miseratione fuisti paulo ante præ-
„ latus. Servabis mecum posthac personæ tuæ
„ decorem, quia ætate quidem major te sum,
„ sed non dignitate, sed non meritis. Utar
„ nihilominus dignationis tuæ opera, cum
„ mihi opus fuerit. Utere & tu vicissim
„ mea. Vale. Ex S. Martino apud Opiter-
„ gium die XXIII. Augusti MDXVI.

De Theophilo ejusque Episcopatu Arnaldus Wion. p. 2. lib. 4. illius operis, quod inscribitur *Lignum vitæ: Theophilus Martini Balnensis, Monachus Balnensis, & postmodum Abbas & Episcopus Drivastensis in Creta*, corrige *Albania. Floruit anno* 1500., quo tamen non erat

Epi-

Episcopus. In eumdem nominis *Cretæ* pro *Albaniæ* errorem incidit Augustinus Fortunius p. 2. lib. 4. Hist. Camald., cujus hoc est de Theophilo perhonorificum testimonium penes laudatos Annal. Camald. Scriptores pag. 8. *Ejus dignitas fuit cum commendatione Cœnobii*, scilicet *Balneensis*, *in quod tamen ille multa contulit beneficia; innovari enim curavit antiquata privilegia, recognovit jura Cœnobii juxta fluvium Sapis a ponticello Vergaveti usque ad S. Johannam; tutatus est pro viribus Cœnobium & ejus loca ab injuria exercitus Hispani an. 1527., qui nihilominus oppidum immaniter depopulati sunt die decima septima Aprilis.*

Episcopatu se abdicat.

Post biennium Episcopatu se abdicavit, & titulum Episcopi Drivastensis, & commendatum sibi Balneense Monasterium dimisit, quin & usumfructus *Camaldulensis Abbatiæ Sanctæ Jucundæ castri Sancti Miniatis, quæ unita fuerat monasterio Sancti Benedicti extra Florentiam*, ut est in iisdem Annal. pag. 36., in quibus etiam pag. 56. legitur, *datam facultatem Generali & Visitatoribus componendi cum Theophilo Episcopo commendatario Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Balnea.* Ad alterutrum certe vel ad utrumque Monasterium spectant, quæ Delphinus aliis literis, lib. XII. insertis numero 24., scripsit ad Theophilum XVII. Kal. Julias an. 1521. In his Theophilo gratulatur de sacerdotio, cujus possessionem adierat, eumque eximie laudat ob præclaras animi virtutes; tum æquum esse ait, ut sua bona, Episcopus licet, habeat cum Monachis communia; demum se totamque Camaldulensem Congregationem ut Cardinali ante dicto illius patrono commendet, apud quem Theophilus gratia multum valebat; summopere petit. Eas vero hic subjicere neque abs re existimo nec inutile prorsus, cum Theophili augendæ laudi & existimationi probe inserviant.

Alia Petri Delphini ad eum epistola.

„ Accepi per Cubicularium nostrum dignationis tuæ literas, quibus seriatim commemoras collata olim, cum essent vestimenta tua candida, a me tibi beneficia, facisque magna de parvis. Ego vero, quantulacumque illa fuerint, libentissime illa contuli, utpote in optime de me deque nostra religione meritum. Accepisti, quamvis pro tua modestia secus sentire videaris, longe inferiora meritis tuis. Si ad conferentis animum respicias, voluissem profecto longe majora exhibere dignationi tuæ. Animum itaque nostrum metiens, non ipsam rem, nequaquam falleris opinione. Nolo ego modo adducere in medium, quæ semper fuerint tuæ erga me pietatis merita; quantopere, quam fideliter, quam perseverantissime nos dilexeris, observaveris, foveris. Sunt ista in nostro Ordine apud omnes meridiana luce clariora. Quid enim unquam abs te petii, quod non ultro, non continuo, non hilari fronte mihi præstiteris? Desinas itaque commemorare... beneficia. Si evenerit, ut speramus, ut sacerdotium istud, cujus capta est tuo nomine possessio, libere consequaris, videbor ego sane idipsum adeptus. Etsi enim modo Episcopum geris, & illum iccirco te oportuerit habitum induere, eam tamen erga Ordinem, in quo olim professus es, servasse hactenus fidem prætetulisti, ut haud immerito bona illius, exigua licet atque tenuia, tecum debeant esse communia. Potes multum, ut video, auctoritate & gratia apud colendissimum Legatum communem patronum, ut non sit tibi defutura occasio referendæ gratiæ Camaldulensi Ordini tuo, siquid ab eo emolumenti acceperis. Licet enim sit ipse natura & ingenii bonitate erga omnes pientissimus, accedente tamen, cum opus fuerit, tuo patrocinio & favore apud illum, futura sunt omnia impetrata faciliora, præsertim cum non sumus ab eo aliquid petituri quod ab honesto abhorreat. Eidem me atque Ordinem Camaldulensem quam enixissime commendes velim. Interea tuum erit curare diligenter inchoatum negotium, ut perficiatur ad vota. Quod erit mihi ac tibi æque gratissimum. Vale, & nos, ut facis, ama. Ex S. Benedicto extra muros, Floreatiæ. Die XVI. Junii MDXXI.

Anno 1524., quod citati narrant Annales pag. 40., templum Camaldulense S. Mariæ de Fonte bono recenter exædificatum solemni ritu dedicavit; hujusque dedicationis testis est tabula marmorea in eodem templo parieti affixa his verbis Italicis inscripta. *Memoria, come adì XXIV. Giugno MDXXIV. il reverendissimo in Criteo P. D. Teofilo da Bagno Episcopo Drivastense, servatis servandis, sacrò la Chiesa di Camaldoli maggiore di Fonte buono in titolo de' Santi Donato & Hilariano, come di tutto appare contratto pubblico rogato per l'egregio huomo ser Antonio d' Antonio da Sesi notario publico Fiorentino sotto detto dì ec. Julianus de Stia Cancellarius in fidem subscripsi die XXI. Julii MDXXIV.*

Obiit an. 1531.

Theophilus vitam perduxit ad annum 1531. quo anno exstinctus est, & in Æde Mariana de Balneo penes januam sepultus, hoc titulo sepulchrali adscripto: *Theophili de Martinis Ep. Drivastensis de Balneo hic pulvis jacet & ossa MDXXXI.* Hoc Antistite, patriam suam virtutibus & doctrina ornavit Bellazius de Ongaris Drivastensis, Protonotarii primum Apostolici dignitate illustris, deinde inter Canonicos Ecclesiæ Patavinæ cooptatus VII. Kal. Decembris an. 1515. tum sacro ejusdem ærario præpositus an. 1517. demum quadriennio post vita functus an. 1521.

FRANCISCUS III. EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXIX.

Franciscus III. Ep. Drivasten. an. 1518.

Anno 1518. Leo X. Ecclesiam Drivastensem decrevit Francisco, quem ex familia Franciscana severioris disciplinæ ad Episcopatum evexit, onere eidem imposito stabiliendi in civitate vel diœcesi domicilii; utraque enim, quamvis Turcarum imperio subesset,

set, a Clericis tamen & Christianis frequentissimis habitabatur; 10. *Novembris* 1518. *providit F. Francisco de Mora Ord. Min. de Observ. de Ecclesia Drivastensi in partibus Infidelium, in cujus tamen civitate, sive locis quamplures Clerici, & Laici Christiani resident, ita ut teneatur residere. Redditus* 100. *floreni*; ex Act. Consist. Idem refert & Waddingus ad hunc annum. Hoc ipso anno prid. Kal., III. Nonas, IV. Idus Decembris, quidquid debebat, ærario apostolico, & sacro Coll. Card. contribuit; ex Obl. Cam. Ap. pag. 129. Obl. Sacr. Coll. tom. 31. pag. 61. lib. Rat. Cam. tom. 771. pag. 85. Verum idem Pontifex lege ac mandato, quo illum obstrinxerat, Ecclesiæ sibi commissæ adeundæ, ad ejusque gubernacula sedendi, paullo post illum exsolvit; ex Arch. Bull. Leonis X. an. XI. tom. 21. pag. 262. Absens menses fere quatuordecim titulum Episcopi Drivastensis retinuit, & anno 1520. ineunte e vita decessit.

obiit anno 1520.

JOANNES II. EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXX.

Post urbem Drivastensem a Turcis captam, & Thomam Antistitem exstinctum anno 1489. nullus ex superioribus Episcopis ad visendum gregem sibi concreditum adierat, & per annos fere triginta Drivastensis Ecclesia patris ac pastoris solatio & præsidio caruerat. Hinc justissima querela Drivastensium orbitatem suam deplorantium, se, quasi oves derelictas, per avia & devia, sine ullius ductu vagari, & a postremo Episcopo, cujus memoria propter longinquitatem temporis fere apud illas gentes perierat, nescire quidem, an aliquis eis datus fuerit Antistes, cum neque vocem illius audire, neque faciem videre potuerint. Quare Leo X. Joannem de Laguis Episcopum Drivastensibus dedit eo certe consilio, ut ad regendam suam Ecclesiam præsens accederet; 1520. 14. *Martii providit Ecclesiæ Drivastensi in Albania vacanti per obitum, a* 30. *annis citra, cujusdam, cujus nomen testes nesciunt; sed sciunt, quod incolæ conquerantur, quod carent Episcopo tanto tempore, de persona Joannis de Laguis. Redditus flor.* 100, *taxa flor.* 40., ex Actis Consist. Eodem anno XV. Kal. Julii ærario apostolico & Sacro Collegio consuetum tributum persolvit; lib. Sacr. Coll. tom. 31. pag. 77. Sed nec hujus Episcopi videndi potestas Drivastensibus fuit; nam vix datum mors inopportuna præripuit.

Joannes II. Ep. Drivastens. anno 1520.

GUNDISALVUS EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXXI.

De quo in tabulis Consistor. 2. *Februarii* 1521. *providit*, Leo X., *Ecclesiæ Drivastensi, quæ licet in partibus infidelium consistens, in ejus tamen civitate ac diœcesi plures Christiani, Clerici & Laici existunt, de persona D. Gundisalvi de Ubeda. Pro suo communi servitio* partim 7. Februarii, partim 26. Martii numerata pecunia tum ærario apostolico, tum sacro Collegio satisfecit. Obl. C. A. p. 151. Obl. Sacr. Coll. tom. 31. pag. 82. An Ecclesiam sibi demandatam adierit, mihi non est compertum. Post quadriennium Episcopatum morieus deposuit.

Gundisalvus Ep. Drivastens. an. 1521.

PETRUS III. EP. DRIVASTENSIS XXXII.

Illum Clemens VII. e sanctissima & doctissima Dominicana Sodalitate ad Episcopatum delegit, & Ecclesiæ Drivastensi Rectorem præfecit; 20. *Martii* 1525. *providit Ecclesiæ Drivastensi in Epiro*, idest Albania, *vacanti per obitum Gundisalvi de Ubeda extra Romanam Curiam defuncti de persona Petri Ferdinandi de Jaen Ord. Prad., ita tamen quod teneatur residere, ex quo Ecclesia habet populum Christianum & proventus*; ex Act. Consist. De Petro Vincentius Maria Fontana in Theat. Dominic. *P. F. Petrus Ferdinandi de Jaen Drivastensis in Epiro Episcopus creatus fuit a Clemente VII. Papa die lunæ* 20. *Maji*, verius *Martii*, *anno* 1525. *sequenti decreto in Consistorio sancito; Die lunæ referente Cardin. Vicecancellario F. Petrus Ferdinandi de Jaen fit Episcopus Ecclesiæ Drivastensis in Epiro per obitum Gundisalvi* &c. Quot annos huic Ecclesiæ Petrus præfuerit, mihi non liquet.

Petrus III. Ep. Drivastens. anno 1525.

FRANCISCUS IV. EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXXIII.

Huic cognomen fuit *de Solis*; ejus Episcopatus mihi non aliunde innotuit, nisi ex tabulis Consistor. in quibus ei substitutus fuisse dicitur

Franciscus IV. Ep. Drivastens. anno incerto.

ALPHONSUS EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXXIV.

Erat Canonicus Ecclesiæ Hispalensis S. Salvatoris, de quo in tabulis iisdem; 4. *Maji* 1541. *providit*, Paullus III., *Ecclesiæ Drivastensi, quæ licet in partibus infidelium consistens, in ejus tamen civitate & diœcesi plures sunt Christiani, per obitum q. Francisci de Solis vacanti de persona Alphonsi de Sanabria*, al. *de Sanabria, Can. Hispalen. cum decreto, quod teneatur infra annum ad dictam Eccl. Drivasten. accedere, & nullibi Pontificalia exercere præterquam in sua civitate & diœcesi*. Archiepiscopus Amalphitanus Alphonsum Episcopali consecratione impertivit; Divers. Cam. tom. 119. pag. 152. Sacerdotium Hispalense concessu Pontificis retinuit; Bull. Paulli III. lib. VI. de provis. pag. 68. Post obitum Alphonsi Ecclesia Drivastensis plures annos Episcopo caruit; neque ullum, quem nominare possim, in tabulis Romanis reperio ante annum sextum & tricesimum sæculi sequentis. Addo ex diplomate Paulli III. an. 1545. tum an. 1548. Paullum & Andream Angelos Drivasti Comi-

Alphonsus Ep. Drivasten. anno 1541.

mites hujus Ecclesiæ Canonicos exstitisse, & in altero Paulli IV. an. 1556. Paullum Angelum Archidiaconum Drivastensem nominari.

HIERONYMUS EPISCOPUS DRIVASTENSIS XXXV.

Hieronymus Ep. Drivasten. an. 1636.

Cognomento Lucichius ex Ordine Francisçano absens ad hanc Ecclesiam administrandam assumptus; de quo tabulæ Consist. 3. *Martii* 1636. *providit*, Urbanus VIII., *Ecclesiæ Drivasten. in Macedonia sive Albania complures annos vacanti per obitum illius ultimi Episcopi de persona F. Hieronymi Lucich Ord. Min. S. Francisci cum dispensatione super defectu Doctoratus, quatenus opus esset.* Jacobus Faganeus Episcopus Corcyrensis ex mandato Pontificis Hieronymum Corcyræ consecravit, duobus ad sacrosa. &m illam funçtionem Episcopis administris adhibitis, Bartholomæo Cadcichio Macarensi, & Nicolao Georgio Phariensi; locus, annus, dies consecrationis in tabulas relatus est hisce verbis. *Die 17. Octobris 1636. fuit consecratus in Episcopum Drivastensem in Albania Reverendissimus D.D. Hieronymus Lucich Ordinis S. Francisci vigore Bullæ SS. D.N. Urbani VIII. sub dat. Romæ apud S. Petrum an. Incarn. 1636. v. Nonas Martii, emissa prius professione juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ, & formam Pontificalis Romani, in Eccl. Cathedrali S. Marci ad altare Beatissimæ Virginis .... per Illustrissimum & Reverendissimum D.D. Jacobum Faganeum Episcopum Curzolensem consecrantem una cum Illustrissimis & Reverendissimis D.D. Bartholomæo Cacich Episcopo Macharscben. i, & Nicolao Georgio Episcopo Phariensi adsistentibus* &c.

Hæc adeo perspicua sunt, nullique dubitationi obnoxia, ut erroris convincant, quæ in iisdem tabulis eodem anno, sed alio mense leguntur; nimirum die 18. *Februarii Hieronymum de Laeri Ord. Min. de Obser. Ecclesiæ Previsten. in Albania suffraganeæ Antibaren.* præpositum fuisse *cum onerationc conscientiæ, quod Præbendam Theologalem, & Pœnitentiariam, & Seminarium ad præscriptum Sacr. Conc. Trident. erigat.* Nec de Drivastensi Ecclesia hæc intelligi queunt, nec de Prisvenensi, quæ Metropoli Antibarensi non subest; neutri vero propter tenues admodum Episcopatus reditus, tum propter miserimum locorum statum sub Turçica captivitate adjectas conditiones perficere unquam licuerit; quod non licuit ipsi Metropolitæ Antibarensi in sua diœcesi. Sed alia oritur difficultas ex iis, quæ in Tomo IV. Illyr. Sacr. pag. 81. dicta sunt. Ibi enim testimonio & literis P. Philippi de Ochiera Ord. Min. Hieronymum Bogol a Vares Episcopum Drivastensem & Administratorem Bosnensis Ecclesiæ nominavimus, quem P. Philippus scribit Ragusii *consecratum pro Episcopo Drivastensi an.* 1635. & in Bosna vita functum an. 1648. Verum P. Philippi assertio ita cum tabulis Romanis posse componi mihi videtur, ut is quidem in anno, quo electus Hieronymus, & in loco, ubi consecratus Episcopus fuerit, consignando deceptus erraverit; & Hieronymus duplicis fortasse cognominis appellationem habuit alteram ex paterno, & ex materno genere alteram, dictus a Vares, qui locus est Bosnensis provinciæ, unde ortum duxerit. Ita corrige ex tabulis Romanis & quæ dicta de Hieronymo in Tomo IV., & mendum, quod ibidem pag. 196. irrepsit in cognomine Hieronymi *Liuvicbii* pro *Lucichii*. Hieronymi acta episcopalia nobis sunt incomperta. Post Thomam Jucovichium Episcopum Scardonensem administravit Bosnensem Ecclesiam ad annum 1640., uti narrat P. Philippus, & octo post annis *mortuus jacet in Ecclesia S. Joannis Baptistæ Suxiscæ in Bosna apud altare majus in cornu Evangelii in sepultura lapidea, super quam distinctissime legitur latine ita:*

Hic jacet Reverendissimus D. Hieronymus Bogol a Vares ord. Min. Episcopus Drivastensis, Obiit die 2. Jan. 1648.

Eo vita functo, series Antistitum Drivastensium ad hæc usque tempora omnino intercidit.

EPISCOPI OLCINIENSES.

Olcinium a Colchis conditum;

QUam urbem T. Livius Olcinium, Plinius Olchinium, Ptolemæus Ulcinium, Constantinus Porphyrogenitus Helcinium, alii Dulchinium nominant, nunc Dulcignum vulgo appellatur. Hujus civitatis primordia ad Colchos populos Asiæ referenda esse Plinius tradit lib. 3. cap. 22. Hi siquidem ab Aeta rege Colchidis Asiaticæ missi cum essent ad persequendos Argonautas, ut Medeam filiam ab Jasone raptam vi atque armis repeterent, Absyrtho duce filio regis apud insulas sinus Flanatici per insidias interfecto, rem, cujus causa venerant, infectam reliquerunt, & spei votique irritos metus ac pudor deterruit, ne in patriam redirent, neve seipsos vel popularium suorum irrisioni, vel regis indignationi objicerent. Igitur fusi ac dispersi partim confugerunt in Istriam, ubi Polam aliasque urbes ædificasse dicuntur, partim in ipsis sinus Flanatici insulis consederunt, partim denique longius progressi oram maritimam inter fluvios Naronem & Drilonem occuparunt, atque urbem condiderunt, quæ conditorum vocabulo *Colchinium* appellata est. *Olchi-*

Digitized by Google

chinium, ait Plinius, *quod antea Colchinium dictum est a Colchis conditum.*

hujus positio & descriptio.

Urbem exigui circuitus in extremo litore sitam cingunt prælta mœnia arduæ rupi & confragosæ imposita, atque his interjectæ validissimæ turres. Arx supereminet natura ac loco munita; subest portus satis tutus, qui nunc latrociniis ac prædis maritimis receptaculum præbet. Hæc siquidem statio est piratarum ante postremum Turcicum bellum tum oræ Dalmaticæ, tum litoribus Italiæ, tum navigationi Adriaticæ maxime infesta. Abest Antibari passuum millia circiter decem. Sunt qui distinguunt novum a vetere Olcinio; hoc milliaribus fere tribus ab illo ex regione Occidentis disjunctum fuisse ferunt, situm itidem in ora maritima, ubi nunc vicus exiguus visitur. Vetere illo casu, nescio quo, subverso ac relicto, novum, ubi nunc est, conditum fuit, iis ferme, quibus modo cingitur, mœnibus circumdatum, ædificiis ibidem constructis, & huc incolis illinc translatis.

Pluribus paret Dominis;

Post devictum Gentium postremum Illyriorum regem Olcinium sub imperium Romanorum migravit. Anicius Prætor, bello Illyrico intra dies triginta confecto, C. Licinium Rhizoni & Olcinio præfecit; Olciniatas cum Issensibus, Taulantiis, Pirustis & Rhizonitis non solum liberos, sed etiam immunes esse jussit, quod incolumi Gentio ad Romanos defecissent; & cum in tres partes Illyricum divisisset, in tertiam Olciniatas cum Agravonitis & Rhizonitis conjecit, ut docet Livius dec. v. lib. v. Romana deinde eversa Republica, & Monarchia condita, Olcinium cum universa Dalmatia primum Romanis, postea, diviso Imperio, Græcis Imperatoribus paruit. Sæculo undecimo Olcinium in ilsdem totius Dalmatiæ conversionibus versari cœpit, & ex aliis ad alios Dominos transire pro temporum, ac rerum publicarum vicibus, nunc ad Venetos, nunc ad Hungaros; & semel atque iterum imperium Græcorum recepit. Quamvis autem Porphyrogenitus inter urbes, quas Serbli in Dalmatia superiore concessu Heraclii obtinebant, Olcinium non adnumeret, dubitari tamen non potest, quin hæc civitas, postquam Serbli fines regni Serbliani usque ad oram maritimam insulasque propagarunt, Regibus vel Dynastis Serbliæ aliquando paruerit; & sæculo decimo quarto, cum Balsichii proceres Albaniæ, regno Serblorum magis magisque in dies prolabente, Zentam utramque in suam potestatem redegissent, verisimile est, Olcinium quoque ad eorum ditionem pertinuisse. Post interitum gentis Balsichiæ Olciniatæ cum Antibarensibus, Buduensibus & Scodrensibus, cum sibi a Turcis metuerent, sæculo decimoquinto in fidem potestatemque Venetorum se contulerunt. Hæc civitas sub mitissimo Veneto imperio florentissimum rerum suarum statum annos amplius centum retinuit; sed anno 1571. sub Turcarum tyrannidem cecidit. Olciniatæ a pristina fortuna cum defecissent, egestate coacti piraticam facere, & victum sibi e latrociniis maritimis quærere cœperunt.

sub Turcarum denique imperium cadit.

Episcopatus Olciniensis initia & vices;

Episcopatus Olciniensis nulla memoria est antiquior sæculo nono, cum in celeberrimo illo Delmitano Conventu sæpius commemorato Olcinium cum aliis civitatibus Dalmatiæ Superioris attributum fuit Metropolitæ Diocletano. Anteane, an tunc primum hæc civitas jure ac sede episcopali donata fuerit, compertum non habeo. Sæculo decimo post Diocleam a Simeone Rege Bulgarorum eversam Episcopi Dalmatiæ Superioris cum Olciniensi Episcopo, amissa Metropoli Diocletana, sub potestatem Archiepiscopi Spalatensis migrarunt, vel redierunt. Sæculo undecimo anno circiter 1030. propter naufragium quatuor Episcoporum ad Concilium Provinciale Spalatense proficiscentium, videlicet *Catharensis*, *Antibarensis*, *Dulcinensis*, & *Suaciensis*, nova Metropolis ecclesiastica Antibari instituta est, seu potius Diocletana in hac urbe restituta; eique, ut tradit Archidiaconus cap. xv. Hist. Salon., *Dulcinensis* cum reliquis Superioris Dalmatiæ Episcopis subjecti sunt. Hæc in variis locis Historiæ Illyrici Sacri iterum ac sæpius declaravimus. Verum Alexander II. novem Antibarensis seu Diocletanæ provinciæ Præsules percensens anno 1062. Olciniensem silentio prætermisit, quod tum fortassis hæc Ecclesia Episcopo careret; ejusque administratio vel ipsi Metropolitæ, vel Suaciensi, vel Drivastensi, vel Scodrensi finitimis Episcopis commendata fuisset. Archiepiscopo Ragusino graves cum Antibarensi, & diuturnæ contentiones fuerunt tum de Olciniensi, & de aliis Ecclesiis Dalmatiæ Superioris, tum de ipso jure ac titulo metropolitico Ecclesiæ Antibarensis, quas in historia utriusque Metropolis persecuti sumus. Intra finem sæculi undecimi ob eas caussas, quas ibi diximus, Metropolitæ Antibarenses creari desierunt, & dum hoc Interregnum Archiepiscopale tenuit, Episcopus Olciniensis cum ipso Antibarensi, aliisque Provinciæ Antibarensis Episcopis in potestatem Metropolitæ Ragusini concessit, ut perspici potest ex literis Gregorii VII. Callisti II. Innocentii II. Anastasii IV. Adriani IV. Alexandri III. quas historiæ Ragusinæ inseruimus. Anno demum 1178. circiter Ecclesia Antibarensis jus potestatemque metropoliticam cum suis Ecclesiis provincialibus, ipsomet Alexandro III. annuente, recuperavit; nec tamen, quas supra commemoravi, controversiæ inter Ragusinum & Antibarensem Metropolitas esse desierunt ante dimidium sæculi decimi tertii, de quibus actum in loco superius allato. Postea catalogi omnes provinciales, quos videre licuit, veteres ac recentiores Olcinium Provinciæ Antibarensi adscribunt.

& fines.

Diœcesis Olciniensis non admodum late patebat; nam ab occasu Antibarensi, a septentrione Scodrensi, ab ortu Suaciensi Diœcesi finitima erat; sed secus mare usque ad Bollianam fluvium producta Monasterium &

Digitized by Google

Abbatiam S. Nicolai complectebatur; quæ quidem olim insignis exstitit; sed post urbem a Turcis captam, & Olciniensem Episcopatum exstinctum cessit in potestatem Archiepiscopi Antibarensis, qui Monachis jamdiu alio abeuntibus, Sacerdotii titulo ac jure solet cuilibet Presbytero illam gerendam committere, pileum clericalem solemni ritu eidem imponens, & annulum digito inserens. Aliud exstitit Monasterium Benedictinum S. Nicolai de Arino, Census Ecclesiæ olim nummis centum argenteis æstimari solebat *pro communi* Romanæ Sedis *servitio*. Ædes Cathedralis sub nomine & auspiciis B. Mariæ dedicata erat, & singulari civium, atque exterorum hominum pietate dudum culta fuit, cujus religionis plura supersunt monumenta in lib. *Testam. Cancell. Rbacusinæ*, in iisque *ex Testam. Magistri Antonii Medici de Monte floræ Marchiæ Anconitanæ* 1337. legitur; *Ecclesiæ S. Mariæ de Dulcinio pro opere Campanilis pred. Ecclesiæ byperperos* 10. Nec deerat Collegium Canonicorum, & Clerus secundi ordinis, qui psalmodiæ & rebus divinis operam darent. Ante sæculum duodecimum nullius Episcopi Olciniensis nomen literis proditum invenio; antea aliquot sunt, sed anonymi; & series episcopalis sæpe interrupta in annum 1571. desinit, cum Olcinium in potestatem Turcarum devenit, & Christianis fere omnibus cæsis vel abeuntibus infame Turcicis piratis domicilium præbuit. Itaque, quorum Antistitum nomina colligere potui, hæc sunt,

I. N.N. an. 877.
II. N.N. an. 1023.
III. N.N. an. 1030.
IV. N.N. an. 1121.
V. Joannes an. 1141.
VI. Joannes II. an. 1166.
VII. Natalis an. 1199.
VIII. Marcus an. 1258.
IX. G. an. 1261.
X. Miroslavus post an. 1300.
XI. Thomas an. 1331.
XII. Gratia an. 1334.
XIII. Antonius an. 1343.
XIV. Petrus an. 1350.
XV. Joannes III. an. 1354.
XVI. Nicolaus an. 1360.
XVII. Matthæus an. 1406.
XVIII. Thaddæus an. 1410.
XIX. Joannes IV. an. 1411.
XX. Nicolaus II. an. 1414.
XXI. Franciscus an. 1424.
XXII. Petrus II. an. 1435.
XXIII. Paganinus an. 1441.
XXIV. Martinus an. incerto.
XXV. Marinus an. 1486.
XXVI. Laurentius an. 1515.
XXVII. Petrus III. an. 1528.
XXVIII. Jacobus an. circ. 1536.
XXIX. Andreas postremus anno 1558.

N. N. EPISCOPUS OLCINIENSIS I.

Quem Concilium Delmitanum an. 877. Metropoli Diocletanæ tunc primum conditæ subjectum esse jussit. Post hunc anonymum Episcopum per annos centum, & fere sexaginta nulla vel Episcopatus, vel Ecclesiæ Olciniensis mentio in antiquis temporum illorum monumentis reperitur, perinde ac si nusquam gentium fuisset,

N. N. EP. OLCINIENSIS II.

Anno 1023. Ecclesiæ Olciniensi præsidebat; quippe Benedictus VIII. in suis ad Vitalem Archiepiscopum Ragusinum literis Episcopatus & Ecclesiæ Olciniensis mentionem fecit; & alieno fortassis errore deceptus, ut in Vitali Ragusino Archiepiscopo, & in Procemio Antibarensis Ecclesiæ diximus, Olciniensem cum aliis Ecclesiis Dalmatiæ Superioris Metropoli Ragusinæ attribuit.

N. N. EP. OLCINIENSIS III.

Is, qui anno circiter 1030. cum Antibarensi, Suaciensi & Catharensi Episcopis itinere maritimo Spalatum ad Concilium Nationale trajiciens naufragio periit. Anno 1062. Ecclesia Olciniensis fortasse Episcopo carebat, ejusque administrationem finitimi inter se Episcopi partiebantur, ut conjici potest ex epistola Alexandri II. ad Petrum Archiepiscopum Antibarensem, a qua hujus nomen abest, & in quam vide in historia Ecclesiæ Antibarensis nostras animadversiones. Sed anno 1076. nominatur hæc in literis Gregorii VII. cum Ecclesiis illis fere omnibus, quas Pontifex in jus potestatemque tradidit Ragusino Metropolitæ,

N. N. EP. OLCINIENSIS IV.

Cujus Ecclesiam Callistus II. anno 1121. æque ut ceteras Provinciæ Antibarensis in potestate Ragusini Metropolitæ manere jussit. Cum enim intra finem sæculi undecimi Metropolis Antibarensis cum Ragusina conjuncta fuisset, & Interregnum Archiepiscopale tenuerit usque ad annum circiter 1150., Præsules quidem hujus Provinciæ per hosce annos non defuerunt, sed ex decretis Romanorum Pontificum vel inviti subesse cogebantur Archiepiscopo Ragusino.

JOANNES EP. OLCINIENSIS V.

Joannes Ep. Olciniensis consecravit Metropolitam Ragusinum.

Hujus nomen nobis innotuit ex Mauro Orbino, qui pag. 247. de Regno Slavorum singillatim recensuit nomina Episcoporum, qui anno 1141. Ecclesiis Dalmatiæ Superioris præsidebant. Dum Antibarensis Archiepiscopatus suo titulo ac jure carebat, Joannes cum duobus Episcopis Antibarensi & Catharensi Andream Metropolitam Ragusinum consecravit anno 1142., ut docet Seraphinus Raz-

Razzius in hist. ms. Antistitum Ragusiens.; & quadriennio post eidem Andreæ ministerium præbuit ad consecrationem Martini primi Episcopi Phariæ & Bractiæ, & huic cum Antistite Suaciensi manus imposuit. Anno vero 1153. vocati Olciniensis Episcopus & Drivastensis ad Concilium Provinciale Ragusinum parere noluerunt; quorum contumaciam Henricus Legatus Sedis Apostolicæ ulciscendam censuit, & utrumque Episcopatu dejecit. Sententiam Henrici Anastasius IV. confirmavit in epistola *Andreæ Archiepiscopo, & P. Comiti, & universo Clero & Populo Ragusæorum* inscripta dataque anno 1153. IX. Kal. Januarii: *Depositionis*, inquit, *& interdicti sententiam ab eo in quosdam Fratrum nostrorum Episcoporum, pro eo quod vocati ad Concilium ejus accedere contempserunt, auctoritate nostra prolatam a vobis noveritis ratam haberi, depositionis in Drivastensem & Olciniensem, interdicti in Catharinensem* &c.

Olciniensis & Drivastensis Episcopi sua Sede dejecti.

JOANNES II. EP. OLCINIENSIS VI.

De quo Malo Episcopus Catharensis in diplomate anni 1166. de consecratione Ecclesiæ suæ Cathedralis S. Tryphonis peracta *cum Joanne Episcopo Dulcinensi*, & aliis Episcopis ibidem nominatis; quin *a dextro* Ecclesiæ *latere sacravit altare Johannes Episcopus Dul. nostra concessione & voluntate ad honorem sanctorum apostolorum & sanctorum martirum Johannis & Pauli*, subdit idem Malo. De Joanne intelligas oportet literas Alexandri III. ad Clericos *Dulcinien. & Antibarens.* Episcopatus *data Beneventi IV. Kal. Jan. an.* 1167. queis illos vetuit suis Episcopis obedientiam præstare, nisi ipsi quoque imperium Tribunii sui Metropolitæ Ragusini acciperent, ab eoque humiliter peterent, ut sibi anathematum vincula, quibus ob contumaciam ab eodem illigati fuerant, dissolveret. *Vobis præcipiendo mandamus, ut prædictis Episcopis, donec in excommunicatione persistiterint, filialem devotionem aut subjectionem aliquam nullo modo exhibeatis, nec eos reveremini, quousque Archiepiscopo tanquam Metropolitano suo studeant in his, quæ Dei sunt, humiliter obedire.* Idem Pontifex anno sequenti Clero Dyrrhachiensis Ecclesiæ imperavit, ut omne, siquod haberet cum his Episcopis, commercium abrumperet.

Joannes Ep. Olciniensis anathemate illigatus, & in Clericos suos jurisdictione privatus.

NATALIS EP. OLCINIENSIS VII.

Interfuit anno 1199. Concilio Diocletano cum Joanne Metropolita Antibarensi, quem duo Legati Sedis Apostolicæ Joannes & Simon titulo archiepiscopali & pallio donaverunt ex præscripto Innocentii III. qui post quadriennium ejusdem jurisdictionem metropoliticam in Ecclesias Dalmatiæ Superioris confirmavit. In actis hujus Concilii, quæ habes descripta in eodem Joanne Antibarensi Archiepiscopo, post Scodrensem, Pulatensem, Drivastensem, Sardensem Episcopos Provinciæ Antibarensis, subscriptus legitur *Natalis Dulcinensis Episcopus*.

Natalis Ep. Olcin. interest Concilio Diocletano.

MARCUS EP. OLCINIENSIS VIII.

Hic anno 1258. hanc Ecclesiam regebat, ut docent monumenta *Congregationis S. Dominici de Ragusio* paullo post proferenda. Hujus initia referri possunt ad annum 1250. atque ad Marcum pertinere arbitror epistolam Innocentii IV. *Venerabilibus Fratribus Dulcinen. & Suacinen.* missa, & *Dat. Lugduni* X. *Kal. Maji, Pontif. an.* VII. id est 1250., qua jubet eos omni ope, operaque eniti, ut sua Ecclesiis bona restituantur, quæ per illicitam venditionem atque emptionem distracta fuerant; restituere nolentes anathemate feriant. Idem an. 1251. die Aprilis 26., cum esset Antibari, præsens & testis adfuit formulæ juridicæ Andreæ Episcopo Pullatensi exhibitæ, qua jubebatur se Lugduni sistere coram Pontifice Innocentio IV., ut est in actis hujus citationis proferendis mox in historia Pullatensis Ecclesiæ. Per hæc tempora acrius exarsit contentio inter Joannem III. Ragusinum, & Joannem II. Antibarensem Archiepiscopos de Ecclesiis, quas sibi uterque jure metropolitico vindicabat; cumque lis ad Sedem Apostolicam delata esset, egit Ragusinus Antites apud Innocentium Pontificem, ut ii Episcopi, qui ejus jurisdictioni subjici nolebant, ad caussam dicendam citarentur in Curiam Pontificiam Lugdunensem. Hujus rei mandatum accepit a Pontifice Salvius Episcopus Tribuniensis, qui cum aliis, tum Marco, quippe ejusdem adversus Metropolitam Ragusinum sententiæ, denuntiavit, ut ad rationem de se reddendam Lugdunum proficisceretur; & hæc citans formula per Designam Presbyterum lata.

Epistola Innocentii IV. ad Marcum Ep. Olcinien.

Anno ab Incarn. Domini nostri Jesu Christi mill. quinquages. primo XVIII. *die Mens. April. Indict.* VIII. *in eorum præsentia, quorum nomina inferius conscribentur. Presbyter Designa nuntius Domini Salvii Epi. Tribun. præsentavit litteras ex parte ejusdem Domini Epi. Dulcinen. Epo hunc tenorem habentes. Ven. in Christo Dei gratia Dulcinen. Ep. Salvius eadem gratia Tribun. Episcopus salutem in Domino. Noverit Paternitas vestra nos a Summo Pontifice tales litteras accepisse, Innocentium Ep.* &c. (habes epistolam pontificiam in Joanne III. Archiep. Ragus.). *Cum igitur mandatum Apostolicum præterire non possimus, nec debemus, auctoritate nobis injuncta, vobis præcipiendo mandamus, quatenus infra octo mensium spatium juxta mandatum Apostolicum a die citationis vobis factæ, quem terminum vobis duximus præfigendum, ut personaliter per vos, vel per sufficientem Procuratorem, cum notis privilegiis, & monumentis, juribus & rationibus omnibus Pontificis conspectui præsentatis, memorato Archiepiscopo Ragusino, vel ejus Procuratori legitimo responsuri. Actum in Ecclesia S. Mariæ Majoris de Dul-*

Qui ad Pontificem citatur in controversia Archiepiscopi Ragusini cum Antibarensi.

cinio, præsentibus Presbytero Philippo, Presbytero Salomone, Diacono Grube, & Diacono Zuppano, & Subdiacono Grebe, & ejusdem Ecclesiæ Capitulo universo. Et ego Bonacursus Notarius supradictis omnibus interfui, atque scripsi, complevi & roveravi anno, die, mense, indictione prætitulatis.

De hac controversia, quæ annos fere ducentos inter Antibarensem & Ragusinum Archiepiscopos tenuit, alias intermissa, alias redintegrata, copiosius & accuratius dictum est in utroque Metropolita. Sententiam Pontificiam, quæ alterutri caussam adjudicaverit, nullis literis proditam invenio. Cæterum a sæculo decimotertio usque ad diem hodiernum Antistes Antibarensis titulum & jurisdictionem metropoliticam omnis contradictionis expertem, atque pacatam, earum Ecclesiarum, quas Alexander II. illi subjectas declaraverat, nemine reluctante, retinuit.

PP. Dominicanis hospitium concedit

Marcus, dum præsidebat Ecclesiæ Olciniensi, Patribus Dominicanis Ragusinis templum & hospitium S. Mauri concessit situm intra mœnia civitatis; de quo Auctor Monum. Congreg. S. Dominici de Ragusio; *Concionibus nostrorum Fratrum simul & vitæ sanctitate conterminæ nationes allectæ eosdem ad se evocarunt. Primo igitur anno 1258. Marcus Episcopus Dulcinensis Ecclesiam S. Mauri ob causas in suo diplomate sequenti tenore effornato significatas, eisdem concessit.*

suo diplomate.

Marcus divina misericordia Dulcinensis Episcopus universis Christis fidelibus præsentes literas inspecturis salutem in Christi sanguinis aspersione. Ex parte Fratrum Prædicatorum Ragusii commorantium nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ob intuitum Dei, & Ordinis Fratrum Prædicatorum ad concessionem Ecclesiæ S. Mauri cum suo ambitu pro hospitio infra muros civitatis supradictæ nostrum eis dignaremur impertiri assensum. Nos autem providentes dictæ Ecclesiæ, cum justum sit justis postulationibus assensum præbere, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu complere, dictorum Fratrum justis precibus & piis postulationibus inclinati, tum quia videtur consentaneum æquitati, ut qui propriis redditibus, & cæteris bonis temporalibus renunciantes, & semetipsos salubriter emendantes elegerunt in altissima paupertate Christo pauperi ad placitum famulari..... tum etiam quia, quando veniebant ad dictam civitatem salutis verbum seminare, non tanquam cives secundum Apostolum & domestici, sed tanquam hospites vagabantur, ob amorem etiam Ordinis supradicti, quem amore, ut tenemur, complectimur & favore, eis supradictam Ecclesiam liberaliter, & devote & misericorditer concedimus. In cujus rei testimonium præsentes literas sigilli nostri munimine fecimus roborari. Dat. apud Dulcinium in Palatio Episcopatus ejusdem civitatis Kal. Januarii an. Domini MCCLVIII.

Post quadriennium præesse ac vivere desiit.

G. EPISCOPUS OLCINIENSIS IX.

Hunc quoque nobis suppeditarunt Monumenta Congregationis Dominicanæ Ragusinæ; quorum auctor de hoc Episcopo, cujus nomen unica litera G. expressit, hæc suis scriptis tradidit de Cœnobio S. Mauri superius nominato: *At quia inconsulto forte Capitulo præfatus Episcopus Marcus hanc donationem signaverat, Episcopus ejus successor an. 1261., habito præfati Capituli consensu, novum his verbis edidit instrumentum.*

quod confirmatur a G. Episcopo suffecto.

G. divina miseratione Ep. Dulcinensis. Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem in Christi sanguinis aspersione. Ex parte Fratrum Prædicatorum &c. Nos autem de consensu Capituli jam dictæ Civitatis, cum sit justum &c. eis sæpe dictam Ecclesiam cum suo horto juxta se & domo unanimiter ac devote concedimus. Datum apud Dulcinium in Ecclesia Cathedrali ejusdem Civitatis, sexto Martii intrante, anno Domini MCCLXI. anno Episcopatus nostri primo. Ego Anastasius Communis Dulcinii Notarius hæc audiens a Venerabili Patre nostro Episcopo G. & ab universo Capitulo ejusdem Civitatis scripsi, & signo proprio signavi.

Hic igitur G. Episcopus Marco in Sedem Olciniensem successit anno 1261. Quot annos huic Ecclesiæ præfuerit, quove anno diem supremum obierit, incompertum est. Ante initium proximi sæculi decimiquarti nullum invenio Episcopum Olciniensem. Anno 1288. Helena regina Serbliæ, vidua Stephani regis, & mater Stephani atque Urosii itidem Serbliæ regum *monasterium S. Marci de Dulcinio fecit*, ut est in tabulis Cœnobii Catharensis Franciscani, illudque habitandum & possidendum tradidit Fratribus Familiæ Franciscanæ, in quorum etiam Ecclesia dicitur tumulata; vide in Eccl. Antibar. pag. 59.

Cœnobium Franciscanum S. Marci.

MIROSLAVUS EP. OLCINIENSIS X.

Ex tabulis Consistorialibus, in quibus Episcopatus Dulcinensis *per obitum b. m. Miroslavi vacare* dicitur anno 1331. Quare hujus initia episcopalia revocari possunt ad annos priores hujus sæculi decimiquarti, de quo præter nomen, quod tabulæ illæ nobis conservarunt, nihil aliunde mihi cognitum est. In epistola 13. Joannis XXII. Midsligius vocatur, ut ex foliis eruditissimi Cardinalis Josephi Garampi; certe alius esse non potest a Miroslavo, cum obitus utriusque, itemque creatio episcopalis proxime successoris in eumdem annum 1331. inciderit.

F. THOMAS EP. OLCINIENSIS XI.

Miroslavo humanis rebus exempto, cum Canonici Olcinienses ad comitia episcopalia convenissent, cunctis suffragiis renuntiatus est Episcopus Petrus Archidiaconus Antibarensis, qui sacerdotium sibi delatum recipere noluit. Jam tempus jure præfinitum abierat, cum non-

Digitized by Google

nondum Canonici alterum loco Petri, onus impositum detrectantis, Episcopum nominassent. Itaque e præscripto Canonum potestas eligendi Episcopi ad Guillelmum Archiepiscopum Antibarensem devenerat, quam ipse dum Narbone manebat, in Joannem XXII. rejecit, ejusque arbitrio permisit. Hic igitur Thomam ex Ordine Fratrum Prædicatorum singularis doctrinæ & sanctimoniæ virum Olciniatis Episcopum dedit, ut scriptum est in Actis Consistorialibus; *Promotio Thomæ Ord. FF. Prædicatorum Professoris ad Episcopatum Dulcinensem per obitum b. m. Miroslai vacantem, per Pontificem facta, eo quod Archiepiscopus Antibarensis Metropolita, ad quem potestas eligendi per negligentiam Capituli Dulcinensis, qui Petrum Archidiaconum Antibarensem concorditer elegerant, & ipso consentire renuente, aliam electionem intra tempus debitum non celebraverant, legitime devoluta est, eidem Pontifici supplicavit, quod Ecclesiæ Dulcinensi prædictæ de Pastore provideret. Dat. Aven. 8. Cal. Octob. an. Joannis XVI.*, id est 1331. Olciniensis Episcopatus Thomæ collati testis est epistola Joannis XXII. supra laudata. *Consecratus fuit* in Curia Romana; & anno sequenti 1332. 3. *Octobris D. F. Thomas Episcopus Dulcinensis, cum protestatione, quod si ad pinguiorem fortunam Ecclesia veniret, non fieret præjudicium C. A., a præstatione communis servitii hac vice liberatus.* Obl. tom. 6. pag. 107. Ex bello intestino, quod regnandi caussa Urosius & Constantinus fratres, filii Stephani fratris Urosii Milutini, animis, quam armis, infestioribus inter se gesserant, propter vastationem tum Olciniensi, tum aliis territoriis illatam plurimum detrimenti ceperat mensa episcopalis, ac propterea solvendo tributo non erat, quod ex communi consuetudine ærario Apostolico debebatur. Thomas post tres fere annos Olciniatis ademptus Catharensem Episcopatum adire jussus est, cum esset Avenione, ut perhibet diploma ea in urbe datum, VI. Idus Maji anni 1334., a pluribus Episcopis, quos inter *Thomas Olciniensis*, pro certis Hispelli Ecclesiis; & exstat inter monumenta a Matthæjo adjecta *Sardiniæ Sacræ*; qui etiam recte monet, Ughellium errasse tom. 7. Ital. Sacr., cum Thomam ab Olciniensi ad Catharensem Ecclesiam transisse affirmat an. 1333.

Thomas Ep. Olciniensis an. 1331.

transfertur ad Ecclesiam Catharensem.

F. GRATIA EP. OLCINIENSIS XII.

Gratia Ep. Olcin. an. 1334.

Oriundus ex Aquila urbe episcopali, ac totius Aprutii primaria, alumnus disciplinæ Franciscanæ, ut refert Viridarium Seraphicum, quem Joannes XXII. ex potestate creandorum Antistitum sibi reservata in Sedem Olciniensem Thomæ ad Ecclesiam Catharensem translato subrogavit, ut docent acta Consistorialia. *Promotio Gratiæ de Aquila Ord. Fratr. Minorum Professoris ad Episcopatum Dulcinensem per translationem Thomæ ad Episcopatum Catharensem vacantem apud Sedem Apostolicam, prævia generali reservatione. Dat. Avenione 16. Cal. Septem. an. Joannis 18.* idest 1334. Idem confirmat Lucas Waddingus in Annalibus ad eumdem annum; *Hoc anno Gratia de Aquila creatus est Episcopus Dulcinensis sub Rege Rasciæ & Archiep. Antibarensi per translationem Thomæ*; & Joannis diploma profert e lib. 1. epist. ejusdem Pontificis anni 18. ep. 1127.

Dilecto filio Gratiæ de Aquila Electo Dulcinensi.

Diploma Joannis XXII.

Apostolatus officium &c. *Vacante siquidem nuper Ecclesia Dulcinens. pro eo quod nos venerabilem Fratrem nostrum Thomam Catharen. tunc Dulcinen. Episcopum apud Sedem Apostolicam constitutum a vinculo* &c. *absolventes, ipsum ad Catharen. Ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum* &c. *Nos* &c. *post deliberationem, quam de præficiendo præfatæ Ecclesiæ Dulcinen. personam talem, tum eisdem Fratribus attentam habuimus. Demum ad te Ordinis Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum* &c. *direximus* &c. *Quibus omnibus debita* &c. *eidem Dulcinen. Ecclesiæ* &c. *auctoritate Apostolica providemus* &c. *confidentes, quod dextera Domini tibi assistente propitia, eadem Dulcinen. Ecclesia sub tuo felici regimine prospere dirigetur. Dat. Avenione* XVI. *Kal. Septemb. an. XVIII.*

Hinc corrige errorem typographicum, qui irrepsit in Tomo VI. pag. 445. in Thoma Ep. Catharensi XXI., legitur enim, *Promotio F. Gratiæ de Aquila Ord. Prædic. Minor. Professoris* &c. delendum enim omnino verbum *Prædic.* Idem Gratia 5. *Id. Septemb. an. 1334. consecratur ab Annibaldo Episcopo Tusculanen. & fuit liberatus a præstatione com. servitii.* Obl. Tomo 6. pag. 107. & cum literis commendatitiis *ad Magnificum Regem Rasciæ* ab Romana Curia dimittitur; ep. 1526. Joan. XXII. Tunc regni apud Rascianos potiebatur Stephanus cognomento Duscianus, qui titulum Imperatoris, & insignia sumpsit. Anno igitur 1335. ad regendam Ecclesiam Olciniensem accessit, sed rerum ab eo gestarum nullum monumentum reperio. Ab ejus adventu tertius annus intercesserat, cum Avenionem ad Benedictum XII. se contulit, neque unquam postea Olcinium rediit.

Gratia diu Avenione versatur.

Diuturnæ commorationis Avenionensis tria exstant monumenta. Anno 1338. Avenione cum esset, *Gratius*, id est Gratianus, nam sic etiam eum appellatum invenio, *cum aliis Episcopis Indulgentiam concessit Ecclesiæ S. Jacobi de Merarda. Dat. Avenione 16. Septemb. an.* 1338., ex instrumentis miscellaneis in Archivo Secr. Rom. Itidem anno 1346. Avenione versabatur apud Curiam Pontificiam. Exstat siquidem diploma Annalibus Camaldulensibus insertum, datumque Avenione eodem anno V. Idus Aprilis, in quo Gratianus sive Gratia Dulcinen. cum *Nerzete Manasgardensi Archiepiscopo, Sergio Polen. Thoma Tinien. Salmano Corphien. Jacobo Lubanen. Nicolao Catanien. Petro Callien. Bernardo Cannen. Petro Montis Marani, Petro Acernen.* Episcopis unum annum, & dies

qua-

quadraginta de pœnis pro delictorum expiatione injunctis remisit illis omnibus, qui statis quibusdam ac solemnibus diebus templum ac monasterium S. Michaelis de Muriano Torrcellanæ diœcesis pie viserint, vel matutinis & vespertinis precationibus interfuerint, aliisque religionis officiis, aut quavis ope monasterii ejusdem fabricam juverint. Eodemque anno *die XVIII. Januarii Avenioni* simile fere diploma concesserat cum aliis Episcopis *Ecclesiæ & Hospitali SS. Christinæ & Parisii* civitatis Tarvisinæ, ut produnt monumenta vitæ S. Parisii a Mittarellio collecta, & typis vulgata.

& ad Ecclesiam Polensem transfertur.

Erat itidem per eos annos Avenione Sergius Episcopus Polensis, qui anno 1342. cum diem supremum obiisset, Clemens VI. Gratiam ad Ecclesiam Polensem, relicta Olginiensi, migrare jussit 2. *Calen. Junii an.* I. *Clem. VI. ep. 6. pag.* 120. *F. Gratias*, ut est apud Ughellium Tomo 6., ex *Ord. FF. Minorum eandem Sedem* Polensem *assecutus est* 1342. 2. *Calendas Junii*, *cum antea Ecclesiam Dulcinensem tenuisset. Ex Reg. Vatic. an. I. Clementis VI. Obiit anno* 1349.

ANTONIUS EP. OLCINIENSIS XIII.

Antonius Ep. Olcinien. anno 1343.

Hunc, & qui sequuntur quatuor, Olcinienses Antistites nobis suppeditavit e Tabulis Romanis Card. Garampus de historia nostra optime meritus. Erat Antonius Monachus & Presbyter Monasterii Benedictini Cavensis in diœcesi Salernitana, Gratiæ a Clemente suffectus in Sedem Olciniensem V. Id. Februarii an. I. Pontific. p. 6. ep. 186. Clem. VI. Post quadriennium ei potestatem concessit, ut siquos Cœnobiarchas Benedictinos provinciæ Antibarensis reperisset aut vitio creatos, aut e legitimo quidem thoro, sed e Presbyteris vel diaconis, sive subdiaconis permissu rituque Ecclesiæ Orientalis conjugatis genitos, eorum electionem auctoritate Apostolica ex irrita ratam faceret & confirmaret, T. I. p. 2. pag. 336.; itemque eidem imperavit, ut ex mandato Sedis Apostolicæ monasteria Benedictina ejusdem Provinciæ lustraret, corrigeret, atque ad pristinam instituti monastici disciplinam revocaret; ibid. pag. 428.

monasteria sui Ordinis in Albania lustrat & corrigit.

Penes ostium Bojanæ fluminis erat Cœnobium Benedictinum S. Nicolai de Drino, sive Urino, sive Arino, intra fines diœcesis Olciniensis, & quamvis a Monachis desertum esset, suus tamen Abbas illi præfici solebat ex Ordine S. Benedicti. Cum ejus Cœnobiarcha Pecius, nomine obiisset, neminem in ejus locum neque Gratia Episcopus, neque hujus Metropolita Guillelmus Archiepiscopus Antibarensis intra tempus e præscripto Canonum præfinitum subrogaverant; quare uterque jus eligendi amisit. Postea vero Guillelmus, antequam moreretur, Petrum Monachum Benedictinum S. Mariæ de Rustega diœcesis Antibarensis Abbatem S. Nicolai creavit; cujus creationem, cum per se irrita esset, Clemens VI. an. 1347. ratam habuit & confirmavit, ut est in tabulis Romanis; *Vacante S. Nicolai de Drino Ord. S. Benedicti Dulcinen. diœc., in quo Conventus minime existebat, per obitum quondam Pecii Abbatis, Gratia Polensi, tunc Dulcinensi Episcopo loci ordinario, licet monasterium per ipsius, & b. m. Guillelmi Archiep. Antibaren. loci Metropolitæ negligentiam tanto tempore vacasset, ut fertur, idemque Archiepiscopus eidem monasterio Petrum Monachum S. Mariæ de Rustega dicti Ord. diœcesis Antibarensis præfecisset, Clemens VI. dictam possessionem revalidat 2. Kal. Augusti an. V.* lib. 3. pag. 52. t.

& Episcopatu se abdicat.

Cum annos fere octo Antonius Ecclesiam Olciniensem gubernasset, eidem cessione voluntaria nuntium remisit.

PETRUS EP. OLCINIENSIS XIV.

Petrus Ep. Olciniensis an. 1350.

Ex Ordine Patrum Prædicatorum, de quo Garampus ex tabulis Romanis; *Vacante Ecclesia Dulcinensi per cessionem Antonii apud Sedem Apostolicam, Clemens VI. eidem præfecit F. Petrum Ord. Prædic., qui consecratus fuit a Bernardo Episcopo Portuensi IV. Non. Sept. an. VIII.* id est 1350. lib. 1. part. 1. pag. 68. t. De Petro in iisdem tabulis; *Anno circ.* 1351. *Episc. Dulcinen. solvit sol.* 47. *Grossorum de Rascia. Item pro decima biennali solvit* 21. *sol. Grossorum de Rascia; ex libro rationum recepti & expensi a Collectore Apostolico in Illyrico.* Petrus anno post susceptum Episcopatum quarto migravit e vita.

Petro Cœnobiarcha S. Nicolai e vivis exempto, *Joannes de Ragusio Monachus S. Michaelis de Perlina*, aliter *Peklina*, nunc *Pekliano*, ubi Monasterium S. Michaelis in Jupana insula, *Ord. S. Benedicti diœc. Ragus. præficitur Monasterio S. Nicolai in flumine in Drino, ejusdem Ord. Dulcinen. diœc. sic vacanti per obitum Petri VI. Kal. Novemb. anno* II. *Innocentii VI.* id est 1354. lib. 3. pag. 52. t.

JOANNES III. EP. OLCINIENSIS XV.

Joannes III. Ep. Olciniensis an. 1354.

Erat patria Vicetinus, & cuipiam forte cœnobiticæ familiæ addictus, ac Fogiensem Ecclesiam regebat. Exstat *Foggia* in provincia Apuliæ, olim *Tuticum* dicta, nunc *Arianum*, urbs episcopalis, uti asserit Ferrarius in Lexico Geograph. subest vero Metropolitæ Beneventano. Vide Ughellium in Ecclesia Beneventana, cui ignotus Joannes noster. Hunc itaque Innocentius VI. an. 1354. Olciniensibus Episcopum dedit, ut docent tabulæ Romanæ; *Vacante Ecclesia Dulcinen. per obitum Petri extra Curiam, & Apostolicæ dispositioni reservata, transfertur ab Ecclesia Fogiensi Joannes Ep. ad dictam Ecclesiam Dulcinen. XIII. Kal. Decemb. an.* II. *Innocentii VI.* Eum Pontifex, ut est ibidem, commendavit Archiepiscopo Antibarensi, nec non Stephano Regi Rasciæ. Verum mense Decembri adhuc Avenione erat, ubi tum degebat Pontifex, quod

Digitized by Google

quod probat diploma in Monasterio Vicetino S. Thomæ Apostoli, datumque *Avenione die XII. Decemb. MCCCLIIII. & Pontif. Dom. Innocentii Pp. VI. anno 2.*; ibi enim cum aliis Episcopis pluribus nominatur *Joannes de Vincentia Ep. Dulcinen.* Tunc Metropoli Antibarensi præerat Dominicus; Rascianis vero imperabat Stephanus Duscianus, qui per suos Oratores ab Innocentio VI. postulavit Legatos Apostolicos, per quos ipse, Clerus & populus Rascianus in fidem & communionem Ecclesiæ Romanæ reciperentur. Sed dolosi Regis, qui aliud agebat, aliud simulabat, fictis promissis illusi, maleque habiti, re infecta, redierunt.

Anno 1398. mense Januario Canonici Olcinienses, ne in eorum Collegium quisquam aut vi laicorum hominum, aut nefario studio admitteretur, hoc edidere decretum cunctis suffragiis, quod exstat in tabulario episcopali Catharensi; *Jubemus, volumusque neminem Ecclesiæ nostræ Canonicum creari, nisi sevius Collegii legitima, atque unanimi electione, vel majoris Canonicorum partis suffragio, habita juris, æquitatisque ratione; si vi, si prece viri cujuspiam, etiam ex proceribus, si quovis iniquo modo eligatur, irrita esto, infectaque electio. Decernimus etiam, ac jubemus, qui e nostro Collegio minores solummodo ad Sacerdotium Ordines sunt assecuti, iis tertiam reddituum partem attribui, Subdiaconis vero dimidiam, Diaconis partes tres, Presbyteris integram portionem.*

Plures tum Olciniensis Ecclesiæ Canonicos fuisse hinc constat, queis præter statutum numerum inferiores undecim adjiciebantur, nec minor Clericorum copia, aliorumque Sacerdotum, qui ecclesiasticis muneribus decore fungebantur.

NICOLAUS EP. OLCINIENSIS XVI.

Nicolaus Ep. Olciniensis an. 1360.

Huic post obitum Joannis Canonici Olcinienses, cum ex antiquis canonicis sanctionibus ad comitia convocari essent, de communi consensu Episcopatum detulerunt an. circ. 1360. dum Innocentius Ecclesiæ universali præsidebat. Sed post aliquot annos Urbanus V. Innocentio in Cathedram Romanam subrogatus an. 1362. Marinum Presbyterum Catharensem Ecclesiæ Olciniensi Rectorem præposuit, quod jus eligendi Antistitis Olciniensis Sedi Apostolicæ reservatum esse diceretur. Qua de re cum ambigeretur, Pontifex jussit, Metropolitam Antibarensem, testibus idoneis vocatis auditisque, quid verum esset inquirere. Hæc ex tabulis Romanis. *Post*

contendit de Episcopatu cum Marino Presbytero Catharensi.

obitum Joannis vacante Ecclesia Dulcinensi, fuit ad eam canonice electus Nicolaus tempore Innocentii VI. Cum autem postmodum Marinus Tryphonis Presbyter Catharen. ab Urbano V. de eadem Ecclesia provisus est, eo quod prætenderet eam esse Apostolicæ dispositioni reservatam, Urbanus V. committit Archiepiscopo Antibarensi, ut testes in partibus producendos in hac causa examinet. Allegabat inter cætera Nicolaus Episcopus eandem Ecclesiam 100. *florenos auri annuatim non valere*; (videlicet ex tenuitate proventuum efficere volebat, non esse verisimile eam Sedi Apostolicæ reservatam fuisse.) *Urb. V. 2. Cal. Sept. an.* VII. id est 1369. *Indult. pag.* 155. *t.* Nicolaus igitur & Marinus de Olciniensi Episcopatu inter se contendebant, alter legitimis suffragiis Canonicorum, alter reservationi Pontificiæ nixus; utri adjudicatus fuerit, literis proditum non invenio. Alterutrius Episcopatus videtur pruduci posse usque ad initium sæculi decimi quarti, nisi siquis alius interjectus fuerit, quem nullis in monumentis reperimus. Anno 1364. *in taxa procurationum debitarum & solutarum* Ægidio Episcopo Sabinensi Legato Apostolico Ecclesias Dalmaticas lustranti *pro* 1. 2. 3. 4. *&* 5. *annis primæ suæ legationis usque ad* 1. *Octobris* anni 1364. inter Episcopos Provinciæ Antibarensis primo loco post Metropolitam, qui pro singulis solvit, numeratur *Episcopus Dulcinensis*. Hoc tempore Michael quidam Olciniensis nobilitate quidem & meritis clarus & Ecclesiæ Patavinæ Canonicus electus anno 1401. eadem dignitate in parœcia Tribanensi agri Patavini ornatus obiit an. 1405.

MATTHÆUS EP. OLCINIENSIS XVII.

Matthæus Ep. Dulcinien. anno 1406.

De quo tabulæ Romanæ; *An.* 1406. 21. *Julii Matthæus Ep. Dulcinen. in Sclavenia, sive Albania, per F. Georgium Monachum Monasterii S. Nicolai Ord. S. Benedicti de Buena*, Bolliana, *obligavit pro communi servitio florenos* $33\frac{1}{3}$. *Tomo* 57. *Obl. pag.* 108. *Idem promotus fuerat an.* 11. *Innocentii VII.*, 1406. *Tomo* 54. *pag.* 116. Præfuit annos quatuor.

THADDÆUS EP. OLCINIENSIS XVIII.

Thaddæus Ep. Olciniensis an. 1410.

Patria Venetus, & Decanus Ecclesiæ Motunensis, de quo in Actis Consistor. 1410. 11. *Augusti providit*, Joannes XXIII., *Ecclesiæ Dulcinen. in Albania vacanti p. mortem D. N.*, Matthæi, *ultimi Episcopi de persona D. Thaddæi de Thaddæis Veneti Decani Motunensis*. Anno proximo, 1411. 16. *Febr.*, ut est in Tabulis Rom., *Thaddæus electus in Ep. Dulcinen. promisit per Procuratorem pro suo communi servitio florenos* 50. *sub Joanne XXIII. Tomo* 56. *Obl. pag.* 41. Tunc aberat Thaddæus a Curia Avenionensi, in qua per procuratorem se soluturum spopondit; at jam obierat hoc ipso anno ineunte, vel certe paullo post e vivis excessit.

JOANNES IV. EP. OLCINIENSIS XIX.

Joannes Ep. Olciniensis an. 1411.

Anno 1411. 12. *Januarii*, verius fortasse 9. Martii, ut Waddingus, *providit*, Joannes XXIII., *Ecclesiæ Dulcinen. per mortem N.* Thaddæi, *vacanti de persona F. Joannis de Brixia Ord. Min.*, ex actis Consist. Idem nominatur ab auctore Viridarii Seraphici, & eodem quidem anno, sed non eodem die dici-

Digitized by Google

citur electus a Waddingo; *Ad Dulcinensem insulam in Illyrico sub Antibarensi Archiepiscopo eligitur F. Joannes de Brixia per mortem N. die 9. Martii an.* 1411. Eodem anno idem Pontifex III. Kal. Martias Cœnobio Benedictino diœcesis Dulcinensis præfecit F. Nicolaum civem Dulcinii & Monachum Ordinis Benedictini; 1411. 27. *Februarii providit monasterio S. Nicolai in littore Venetiarum Ord. S. Benedicti Dulcinen. diœcesis vacanti p. mortem F. Alexii ultimi Abbatis de persona F. Nicolai de Dulcinio Monachi ejusdem Ordinis*; e tabulis Consistor., in quas per errorem irrepsit *tò Venetiarum*; eum enim alterum exstaret, ut supra vidimus, perantiquum Cœnobium situm in litore prope ostia Bollianæ fluminis, quod Turcæ Olcinienses ante aliquot annos, tegulis detractis, expilarunt, pro hisce verbis *in littore Bolliana* e calamo oscitantis scribæ isthæc exciderunt *in littore Venetiarum*; quippe Venetum S. Nicolai in littore Cœnobium Ordinis ejusdem ad Olciniensem diœcesim pertinere nunquam poterat. Sane tabulæ eædem ferunt an. 1418. a Martino V. alterum ejusdem nominis Abbatem Cœnobio S. Nicolai de Bolliana præpositum fuisse; *An.* 1418. 1. *Martii provisum est monasterio S. Nicolai de Bojana Ord. S. Benedicti, diœc. Dulcinen. de persona Nicolai monachi dicti monasterii de Sclavonia vacantis per mortem*. Alii præterea hujus Monasterii Abbates nobis e tabulis Romanis innotuere; *Nicolaus Oslupi* an. 1422. *Ambrosius Pantaleonis* an. 1423., *Natalis de Licio* an. 1451.; & *Bernardus* an. 1455. Idem monasterium anno 1472. commendatum fuit *Joanni Calentio Archidiacono Dulcinensi*. Joannes Episcopus anno, postquam præesse cœperat, tertio e vita migravit.

obiit anno 1414.

NICOLAUS II. EP. OLCINIENSIS XX.

Nicolaus Ep. Olciniensis an. 1414.

Erat Canonicus electus Ecclesiæ Olciniensis, cum eum ad hanc Sedem Episcopalem evexit Joannes XXIII., ut est in actis Consistor. *Anno* 1414. *idibus Martii provisum est Ecclesiæ Dulcinensi vacanti per mortem &c. de persona Nicolai Vuallibasta Canonici Dulcinensis electi*; idem confirmant tabulæ Romanæ Tomo 7. pag. 7. Martinus V. anno 1422. F. Nicolaum civem Olciniensem monachum ex Ordine S. Benedicti e Cœnobio Benedictino Castri Durantis transtulit ad Cœnobium Bollianense S. Nicolai, eumque huic Abbatem præfecit; *Anno* 1422. III. *Kal. Septembris provisum fuis de persona Nicolai Oslupi de Dulcinio monachi Monasterii Castri Durantis Ord. S. Benedicti Urbinaten. diœc. Monasterio S. Nicolai de Bojana ejusdem Ord. Dulcinen. diœc. vacanti per mortem &c.* Anno 1424. idem Pontifex Nicolaum ab Olciniensi ad Drivastensem Ecclesiam regendam transire jussit. Divers. Cam. Tomo 8. pag. 179. t.

transfertur ad Ecclesiam Drivasten.

FRANCISCUS EP. OLCINIENSIS XXI.

Franciscus a Drivasten. Ecclesia ad Olcinien. translatus an. 1424.

Ex familia Franciscana, primum Episcopus Drivastensis, deinde anno 1424. ad Ecclesiam Olciniensem translatus. Martinus V. Franciscum Drivasti, & Nicolaum Olcinii Episcopos suas Ecclesias inter se commutare jussit, & hic quidem ad Drivastensem, ille ad Olciniensem Ecclesiam gubernandam accessit, Id docent Acta Consistorialia; *An.* 1424. IX. *Kal. Junii Nicolaus Episcopus Dulcinensis translatus ad Drivastensem, & Franciscus Drivastensis translatus ad Ecclesiam Dulcinensem*. Idem confirmant tabulæ Romanæ; *Anno* 1424. *die* 25. *Sept. Franciscus translatus ab Ecclesia Drivasten. ad Olcinien. obtulit florenos* $33\frac{1}{3}$. *Oblig. tom.* 60. *pag.* 86. *anno* 1425. 14. *Xbris solvit R. C.* 59. *pag.* 36. Annos undecim præfuit.

PETRUS II. EP. OLCINIENSIS XXII.

Petrus e Suaciensi ad Olcinien. Ecclesiam transit anno 1435.

Erat Episcopus Suaciensis, quem Eugenius IV. Suaciensi ademptum Olciniensi Ecclesiæ præfecit, ut docent tabulæ Romanæ; *Anno* 1435. *die lunæ* 2. *Id. Maji Petrus Episcopus Svacensis transf. ad Ecclesiam Dulcinen. vacantem per obitum Francisci. Oblig. tom.* 64. *pag.* 20. *t.* Sexto, quam inierat Episcopatum, anno e vita decessit.

PAGANINUS EP. OLCINIENSIS XXIII.

Paganinus Ep. Olciniensis anno 1441.

Hanc illi Ecclesiam Eugenius IV. decrevit, cui præfuit annos amplius quadraginta. *Anno* 1441. IV. *non. Junii die veneris Paganinus Clericus Pergamensis fit Episcopus Dulcinen. per obitum Petri*; ex tab. Romanis. Obl. tomo 64. pag. 56. Fuisse illum Bergomatem, & a S. Paullo cognominatum affirmat P. Donatus Calvus in Ephemeride Bergomensi tomo 1. ad diem v. Aprilis num. 5. qui etiam ex ms. Bonetianis affert de Paganino testimonium Michaelis Alberti Carraræ Bergomensis in oratione an. 1460. ad conventum Fratrum Minorum S. Francisci; *Sunt etiam ex nostris duo superstites & spirantes Episcopi; Paganinus Dulcino, & Joannes Justinopoli sacerdotio ministrant, ut ex eis conjectura fieri possit nunquam civitati nostræ claros viros defuisse*. In Episcopatu tam diuturno plura sunt quæ foris, quam quæ domi gessit. Anno 1445. XIII. Cal. Apriles legatus fuit ab Eugenio IV. Apostolicus Internuntius in provincias Jadrensem, Spalatensem, Ragusinam & Antibarensem, ut debitam Romanæ Ecclesiæ pecuniam colligeret; ex lib. 2. Offic. pag. 255. Anno vero 1448. in Italia versabatur, & Jacobi Zeni Episcopi Feltrensis & Bellunensis Vicarius erat generalis; uti patet ex Catast. Investiturarum Episcop. Feltr. cod. memb. in fol. pag. 333. & seq. in archivo Episc. Feltren. *an.* 1448. 27. *Septembris D. Paganinus Ep. Dulcinensis Vicarius Generalis D. Jacobi Zeno Ep. Feltren. & Bellunen.* quo munere in eodem libro

Plura ejus acta.

bro perfunctus dicitur *die* 2. *Julii*, 20. *Octobris* & 4. *Novembris* anni ejusdem. Biennio post Ludovico Scarampo Patriarchæ Aquilejensi ad pontificales functiones obeundas operam vicariam navabat, ut ex tabulis Aquilejensibus constat, in quibus hæc leguntur apud Bernardum de Rubeis in Monum. Aquil. cap. CXI. 1450. *Paganinus Episcopus Dulcinensis Vicarius in Pontificalibus*. Cum Stephanus Dux S. Sabbæ, idemque Comes Ducagninus Ragusinis infestus esset, Paganinus ex mandato Nicolai V. Pontificis in Dalmatiam reversus ad eum adiit anno 1452., & quam lenissimis & gravissimis verbis hortatus est, ut Ragusinis molestus esse desineret, & pravitate hæreticarum opinionum rejecta in sinum Ecclesiæ Catholicæ se conferret. Exstant Nicolai literæ datæ Kal. Juliis illius anni tom. 37. Bull. pag. 139. Valuit autem admonitio Paganini; idque testatur ipse Pontifex in epistola ad Thomam Episcopum Phariensem & in regno Bosnæ & Chrobatiæ Legatum Sedis Apostolicæ, quam habes in Tomo 4. Operis nostri, & ex qua hanc particulam decerpsi: *Cum autem nuper nobilis Dux S. Sabbæ & Comes Drinien., postquam per nos accepto, quod ipse cum copioso peditum & equitum exercitu, nullo per eum indicto bello, civitatem Ragusinam seu ejus territorium invaserat, & innumeras clades & maxima detrimenta illi intulerat, nonnulla quoque gravia & contra Fidem Catholicam moliendo, & ante dicta scelera tunc expressa etiam in maximam Christiani nominis ignominiam, & Fidei Catholicæ opprobrium commiserat, per Ven. Fratrem nostrum Paganinum Episcopum Dulcinensem, ut ab invasionibus hujusmodi desisteret, moneri feceramus, quosdam ad nos destinaverit oratores seu nuncios, ex quorum relationibus non solum inter præfatos Ducem & dilectos filios Rectorem & Consilium dicta civitatis concordiam & pacem subsecutam cognovimus, sed etiam ejusdem Ducis martiferæ hæresis depositis erroribus, ad viam veritatis Fidei reductionem; sicque totalem dictæ hæresis de præfato regno eliminationem ac extirpationem subsequi posse speramus*. Verum & in Italia rursum, & Tarvisii Paganinus degebat anno 1455., ubi Idibus Aprilis consecravit altare princeps in Ecclesia D. Mariæ Magdalenæ; & apud Sajanellum in Monum. hist. Congreg. B. Petri de Pisis tom. 2. pag. 331. exstat hujus consecrationis memoria in hæc verba descripta. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, ejusque gloriosæ Virginis Mariæ* 1455. *die* 13. *Aprilis. Vacante Sede Apostolica, & Sede Episcopali Tarvisina, regnante in Serenissimo Ducali Dominio Venetiarum Illustrissimo Principe Francisco Foscari Duce, consecratum fuit Altare majus Ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ Fraternitatis pauperum Eremitarum de prope & extra Tarvisium, tempore Venerandi Prioris & Patris Pauli Quirino per Reverendiss. in Christo Patrem & Dominum Dom. Paganinum Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Dulcinensem de licentia Venerandissimi Domini Galiotti de Cornu ipsius Tarvisinæ Ecclesiæ Decani, ac, ipsa Sede vacante, Locumtenentis & Vicarii* &c. Hoc ipso anno Callistus III. ad Summum Pontificatum evectus est, a quo Paganinus dicitur nominatus Præpositus Ecclesiæ Brixiensis; hujus tamen dignitatis ac muneris nulla est mentio apud Brixienses Scriptores, qui Vicarium tantummodo generalem fuisse scribunt illius Ecclesiæ ac diœcesis, eique commendatas Parœciam & Ecclesiam urbanam S. Mariæ de Calcaria. Equidem vicarium is gerebat officium sibi commissum a Petro de Monte Antistite Brixiensi anno 1455. mense Decembri, cum ejus consensu corpora SS. Martyrum Faustini & Jovitæ nobiliorem ad aram translata sunt a Bernardo Marcello Abbate Cœnobii Benedictini, in cujus templo fuerant eodem anno reperta; uti perhibet tabula plumbea ad ipsas Martyrum reliquias apposita, & a Bernardino Fayno exscripta in suo Martyrologio Brixiano die VII. Februarii, & XI. Decembris, ubi legitur *de consensu Reverendiss. D. Paganini Episcopi Dulcinensis & Vicarii Reverendiss. D.D. Petri de Monte Episc. Brixiæ* sacra ossa fuisse in eo loco collocata. Idem Faynus in *Cœlo S. Brixianæ Ecclesiæ* pag. 141. Paganinum inter Brixienses Vicarios nominat hisce verbis; *Anno* 1456. *Paganinus de S. Paulo Episcopus Dulcinensis Commendatarius Parochialis S. Mariæ de Calcaria nuncupatæ*; quod confirmat Joannes Hieronymus Gradonicus in Comment. histor. Pontificum Brix. pag. 344., subditque Petrum Episcopum *crebras* dare solitum *epistolas egregiis iis viris, quibus vicarias commiserat vices, potissimum Paganino de S. Paulo Episcopo Dulcinensi & Commendatario S. Mariæ de Calcharia*. Hinc patet error Calvi in Ephemeride superius laudata, qui vicarium munus Paganini in insequens sæculum, & Durantis Durantis Episcopatum rejecit. Et an. 1456. cum Brixienses de inquirendo S. Philastrii Ep. sepulchro, cujus injuria temporum memoria perierat, solliciti essent, delecti ad id *cives*, inquit Faynus in laudato martyrologio pag. 19., *convocatis præcipue Paganino Episcopo Dulcinensi Suffraganeo Petri de Monte Episcopi Brixiæ cum Clero majori, & civitatis Præsidiis reverenter ingressi confessionem subterraneam Eccl. Cathedr. fractaque ac evoluta altare ipsius S. Philastrii, nihil invenerunt. Verum divino eos regente Spiritu, defossa in imo ad duos cubitos terra, invenerunt arcam marmoream muro circumquaque solidissimo munitam, quo eversa, in ejus tegumine observarunt sculptas cum aliquali distantia literas* E & B, *quæ indicabant adesse aliquem ex Episcopis Brixiæ. Annulum quoque argenteum ibi superpositum invenerunt Episcopalem dignitatem indicantem. Die vero lunæ* XVI. *Februarii, astantibus iisdem, tegumine arcæ revoluto, invenerunt maxima cum lætitia Corpus ejusdem Sancti a sexcentis decem & octo annis depositum, quod solemni cæremonia*

ab eodem Paganino Episcopo honorificentius eminenterque repositum & elevatum fuit. Eodem munere Paganinus fungebatur anno etiam 1457., ut est in Tomo 25. Regest. Callisti III. pag. 115. Codex 31. Divers. Cam. Apost. pag. 52. meminit, Paganinum, sive Olcinii esset, sive Brixiæ, anno 1463. commutasse quædam sacerdotia cum Thaddæo Quirino Canonico Olciniensi. Sed anno certe 1465. templum Trivillii in ditione Mediolanensi XVII. Kal. Oct., ut est apud Waddingum, Fratrum Minorum solemni ritu dedicavit. Et cum Burni in oppido Camuniorum diœcesis Brixiensis Cœnobium exstructum fuisset Fratribus tertii Ordinis, ut ajunt, S. Francisci, Paullus II. an. 1469. literas dedit ad Paganinum, ut pontificio nomine in ejusdem Cœnobii possessionem immitteret F. Amadeum Hispanum. Exstant literæ apud Waddingum tom. 13. inscriptæ *Venerabili fratri Paganino Episcopo Dulcinen.* &c. & datæ *Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIX. Kal. Augusti Pontificatus nostri anno V.* Idem Pontifex an. 1471. 10. Kal. Martias an. VII. aliis litteris litem diremit de sacerdotio Ecclesiæ Olciniensis S. Catharinæ, quod Paganinus contulerat Joanni Calentio Clerico Olciniensi, e tomo 15. Bull. Paulli II. pag. 201., in tomo vero 13 Brev. Sixti IV. pag. 96. t. exstat hujus Pontificis epistola data 4. octobris 1480. *Paganino Ep. Dulcinensi in civit. Brixiæ commoranti*. Quare hoc anno adhuc suam Ecclesiam retinebat, quam per vicarios absens gubernavit ad annos vitæ reliquos. Calvus in laudata Ephemeride illum obiisse scribit, sed falso, anno 1470. At & Bergomi, & IX. idus Apriles, anni tamen incerti, eumdem vita functum esse hinc conjicio, quod Calvus affirmat eo die Paganini obitum apud Bergomates notari.

MARTINUS EP. OLCINIENSIS XXIV.

Martinus Ep. Olciniensis.

E familia Segona, patria Novomontanus; est autem Novomontium seu Novopyrgum in Geographia Baudrandi urbs Serbliæ, olim *Novæ* dicta, si fides Geographis recentioribus habenda, quam Amurathes II. rex Turcarum vi capta sæc. XV. pæne delevit, cujusque meminit Cuspinianus in lib. de Imperat. in vita Amurathis. Martinus a Vossio lib. 3. de histor. latinis cap. XI. *Segovius* cognomine, a Simlero *Cegonius* perperam appellatur. Huic Ecclesiæ jam præerat, Sixto IV. Pontifice, cui inscripsit librum ab se confectum de origine, militia moribusque Turcarum, merito Historicis latinis adnumeratus a Vossio, & a Fabricio lib. 12. Biblioth. Scriptorum med. & infimæ latinit., qui tamen Episcopalem Martini dignitatem ignoravit. Hoc opere Cuspinianus, ut ipse fatetur, usus est in tractatione de origine Turcarum eorumque regibus inserta libro superius laudato, tum Simlerus, ac Joannes Boemus Aubanus in suis commentariis de moribus gentium, illudque in Italicam linguam convertit Seraphinus Razzius Ord. Prædic., cujus exemplar ms. exstat in Bibliotheca Florentina S. Marci hoc titulo notatum, *de origine, militia moribusque Turcarum narrationes a D. Martino Segoniis Episcopo Olciniensi inscriptas Sixto IV. & e latino in italicum sermonem conversas*, ut est apud Echardum in Scriptor. Dominic. Anno 1480. Martinus adhuc Episcopatum gerebat, nam Marinus Becichemus civis Scodrensis in suis in Plinium prælectionibus uxorem a se Olcinii ductam enarrat coram Martino Segono urbis Episcopo, cum Prætor urbem regeret Petrus Venerius; hic vero eo anno hunc Magistratum obtinuit, uti ex Codice de Præturis Reip. Venetæ refert Apostolus Zenus tom. 2. dissert. Vossian. pag. 410. Becichemi autem verba lubet hic subjicere. *Quæ*, id est Catharina filia Paschalis Dabri civis Olciniensis, *mihi christianis ceremoniis Olchinii in æde D. Mariæ publice desponsata est, quam virginem puram nondum XIV. annos natam in manum meam dedit Paschalis Dabrus in ea urbe longe princeps, qui & ipsius uxoris pater, & matris meæ, quæ illam ab infantia perinde atque filiam sanctissimis moribus instituit, vir est, atque Martinus Segonus Episcopus, qui verba nuptialia fecit, & Petrus Venerius Prætor demum meam duxerunt, universo populo comitante*. Verum ante mensem Augustum illius anni jam obierat, quod probant acta Consist. mox proferenda; & hinc annus certus eruitur, quo Becichemus matrimonium iniit, sub ipso statim Venerii in urbem adventu anno eodem; id quod Zenus anceps quærebat; tum certum tempus constat, quo Segonus floruerit, a Vossio in *Scriptores incertæ ætatis* perperam rejectus. obiit anno 1486.

MARINUS EP. OLCINIENSIS XXV.

Marinus Ep. Olciniensis anno 1486.

Cognomento *Gamba*, ut præfert Index *Regesti* Innocentii VIII., a quo Episcopus Olciniensis creatus fuit; & *anno 1486. 7. Augusti Marinus Epus solvit pro com. servitio Ecclesiæ Dulcinen. florenos 15. auri de Camera & Bon. 67½.* e R. C. 717. pag. 101. Nisi quis fuerit intermedius Antistes post Marinum & ante Laurentium, illi *Episcopo Dulcinensi* Julius II. an. 1509. potestatem delegavit eos absolvendi, & culpa pœnaque liberandi, qui gravissimis delictis & censuris Sedi Apostolicæ reservatis impliciti erant; ut in Tomo 6. Brev. pag. 179. t.

LAURENTIUS EP. OLCINIENSIS XXVI.

Laurentius Ep. Olciniensis an. 1515.

Cui *Boschettus* cognomen, seu *de Boschettis*. Anno 1515. postremis Concilii Lateranensis sessionibus interfuit; quem post biennium pridie nonas Septembris Leo X. ad Sedem Antibarensem evexit, jussitque retinere administrationem Ecclesiæ Olciniensis; ita in actis Consistorialibus; *Anno 1417. 4. Septembris transtulit R. D. Laurentium Bo-*

biennio post Archiep. Antibaren. & Olcinien. Administrator.

Boschettum Episcopum Dulcinensem ad Ecclesiam Metrop. Antibaren. in Albania vacantem &c. *& insuper dictam Ecclesiam Dulcinensem univit prædictæ Ecclesiæ Antibarensi ad vitam ipsius cum retentione* &c. Utrique Ecclesiæ octo fere annos vigilantissimè præfuit, ad an. scilicet 1525.

PETRUS III. EP. OLCINIENSIS XXVII.

Petrus Ep. Olciniensis an. 1528.

Eximius alumnus & cultor disciplinæ Franciscanæ. Erat e familia Mulgarezia, *de Urrea* dictus, sive Uriensis pagus is sit in Helvetiis, sive Uria urbs in Salentinis. Hunc Clemens VII. 29. *Novembris* 1528. Episcopum Oleiniensibus dedit, ex actis Consist., & 7. *Apr.* 1529. commisit *Guillelmo Card. Enchevoirth, ut consecret Petrum Mulgarezo de Urrea Ord. Min. electum Dulcinen.* Divers. Cam. tom. 80. pag. 111. Hujus Episcopatus fidem faciunt Waddingus in Annal. Rodulphius lib. 2. hist. Seraph. Relig. & Viridar. Seraph. Anno autem octavo episcopalis regiminis Petrus voluntario decessu hanc Sedem vacuam reliquit.

sponte se Episcopatu abdicat.

JACOBUS EP. OLCINIENSIS XXVIII.

Jacobus Ep. Olcinien. simul & Buduen. an. 1536.

De quo in Episcopis Buduensibus, ejusque administrationi Clemens VII. Ecclesiam Olciniensem commendavit; quam utriusque Ecclesiæ conjunctionem confirmavit Paullus III. an. 1536. XII. Kal. Julii; Divers. Cam. Tomo 101. pag. 547. Utrumque Episcopatum gessit annos amplius viginti, & Ecclesiam utramque tum saluberrimis decretis instruxit, tum suarum virtutum exemplis illustravit. Cum Augustinus Niger Rector & Abbas *Commendatarius* S. Nicolai ad Bollianam fluvium in diœcesi Olciniensi prædium quoddam incultum ac sterile per suum procuratorem Antonio Bruto civi Olciniensi, cujus diligentia culturaque fructuosum fieret, annua pensione imposita, in perpetuum locasset, Antonius ab Julio III. postulavit, ut vellet juberetque, hujusmodi locationem firmam & ratam esse. Pontifex vero & Antibarensi Archiepiscopo, & Jacobo Olciniensi Antistiti imperavit, locationem ipsam, si Eccleaiæ S. Nicolai utilem fore cognoverint, apostolica auctoritate confirmarent. Hæ sunt ad utrumque Pontificis literæ.

Julii III. litteræ ad Jacobum.

Julius Papa III. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Antibarensi, & Episcopo Dulcinensi Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Dugarius Procurator & ..... eo nomine dilecti filii Augustini Nigri Rectoris Abbatis nuncupati Ecclesiæ, Abbatiæ nuncupatæ, S. Nicolai de Bojana Dulcinensis diœcesis, quod alias dictus Jacobus nomine, quo supra, cupiens Augustini & Ecclesiæ prædictorum conditionem facere meliorem, ac illius utilitati consulere, quoddam terrenum infra limites villæ Gerani dictæ diœcesis, & alias juxta suos confines consistens, ex quo nihil fere percipiebatur, dilecto filio Antonio Bruti laico Dulcinensis civitatis vel diœcesis sub annuo canone seu censu duarum quartarum frumenti nitidi eidem Augustino, ac pro tempore existenti ipsius Ecclesiæ Rectori annis singulis tempore collectæ persolvendarum in emphyteusim perpetuam dedit & concessit, aliudque & alia fecit, prout in Instrumento publico desuper confecto plenius dicitur contineri. Quare pro parte dicti Antonii nobis fuit humiliter supplicatum, ut locationem & concessiones prædictas, attento quod in evidentem dictæ Ecclesiæ utilitatem cesserunt & cedunt, pro firmiori illarum subsistentia confirmare & approbare aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de præmissis certam notitiam non habentes, ac terræ hujusmodi quantitates, qualitates, situationes, confines & earum annuum valorem, necnon dicti Instrumenti veriorem tenorem, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati vestræ per præsentes committimus & mandamus, quatenus vos super præmissis conjunctim procedentes, vocatis vocandis, de locatione & concessione prædictis vos informetis diligenter, & si per informationem earumdem locationem & concessionem prædictas in evidentem dictæ Ecclesiæ utilitatem cessisse & cedere repereritis, super quæ vestram conscientiam oneramus, easdem locationem & concessionem, ac, prout illas concernunt, omnia & singula in dicto Instrumento contenta, & inde secuta quæcumque approbare, & confirmare, ac perpetuæ roboris firmitate subsistere debere, necnon a moderno ac pro tempore existentibus dictæ Ecclesiæ Rectoribus inviolabiliter observari, ipsumque Antonium & ejus hæredes & successores quoscumque a dicto terreno amoveri non posse, neque debere, decernere auctoritate nostra curetis, facientes, quæ decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, felicis recordationis Pauli II. de rebus ecclesiasticis non alienandis, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 23. Aprilis 1553. Pontificatus nostri anno quinto.

ANDREAS EP. OLCINIENSIS XXIX. ET POSTREMUS.

Andreas Ep. Olcinien. an. 1558.

Vacante Ecclesia Dulcinensi per obitum Jacobi, Andreas Jubiza Archid. ejusdem Ecclesiæ fit Episcopus a Paullo IV. 15. *Martii* 1558. ex Actis Consist. Dum Andreas huic Ecclesiæ præsidebat, Canonici undecim e Clero Olciniensi elegerunt, qui deinceps ad Canonicorum Collegium aggregarentur, & in eorum, qui obirent, locum alius ex alio & ex ordine succederent; idque se facere ajebant ex antiqua consuetudine recepta & approbata, ob hanc caussam potissimum, ut viam

Digitized by Google

omnem simoniacis petitionibus intercluderent, & nequis per vim & factionem in hanc dignitatem, neque in hocce munus irrumperet, tum ne propter studiorum & voluntatum dissensiones diutius differretur electio, & hinc numerus minor fieret Deo Ecclesiæque inservientium. Andreas hujusmodi electionem anticipatam, nec legitimo tempori reservatam, cui sanctiones ecclesiasticæ repugnare merito censebat, irritam esse declaravit, neque unquam adduci potuit, ut eam ratam haberet. Præterea huic electioni reclamatum fuit ab universo nobilium virorum cœtu, quod, contra quam æquitas & consuetudo postulabat, ex illis electis nullus esset patricius desumptus. Interea mortuus est Andreas, & Ecclesiam Olciniensem, dum novus illi daretur Episcopus, Pius IV. Joanni Bruno Archiepiscopo Antibarensi regendam tradidit tertio Kal. Novembris anni 1565. Hic nihilo segnius, quam Andreas, illam electionem oppugnavit. Ab utroque tum Episcopo demortuo, tum Archiepiscopo illius vices fungenti, ad Guidonem Vercellensem Antistitem & Sedis Apostolicæ apud Venetos Internuntium Canonici appellarunt. Ille controversiam Olciniensem cognoscendam ac dirimendam dedit Lucæ Bisantio Episcopo, & Petro Grubignæ Archidiacono Ecclesiæ Catharensis, qui schedulam ad valvas ædis cathedralis Olciniensis affigi jusserunt, in qua iis, quorum intererat, constituta fuerat dies ad caussam dicendam coram judicibus delegatis. Itaque Catharum convenerunt Procuratores tum Archiepiscopi Antibarensis, tum Canonicorum, & Nobilium Olciniensium. Qui Archiepiscopi & Nobilium caussam agebant, rationes afferebant, cur illa anticipata Canonicorum electio irrita & inofficiosa fuisset, eamque abrogari oporteret. At adversariæ partis Procurator ajebat, electionem, cum superiorum temporum exemplis, antiqua consuetudine, justissimis gravissimisque rationibus niteretur, legitimam fuisse; integrum esse Canonicis, quos vellent, ex primo vel secundo civium ordine in suum Collegium cooptare; nullaque lege prohiberi, quominus in Comitiis suo jure ac libertate uterentur; idcirco autem inter undecim illos, quos elegerant, nullum esse patritium, quia nemo per id temporis in eorum cœtu inventus fuisset, qui vel Clericus & prima tonsura initiatus esset. Auditis & intellectis omnibus, quæ in utramque partem afferebantur, cum inter judices non conveniret, unde jus staret, & alter secundum Canonicos, alter contra illos judicandum esse censeret, rem integram ad eum, a quo delegati fuerant, remittere decreverunt; *Delegati pronunciarunt se non esse concordes in opinione; propterea hujusmodi causam remisere ad Ill. & Reverendiss. Dom. Delegantem.* Hæc ex actis Curiæ Episcopalis Catharensis; quem vero exitum lis habuerit, compertum mihi non est.

obsistit electioni anticipatæ Canonicorum.

Ejus obitus, & Antibarensi Archiep. hujus Ecclesiæ administratio traditur.

Controversia de electione Canonicorum in judicium defertur,

nec decidi-tur.

Sed haud multis post annis litigiorum ac dissidiorum materiam caussamque amputavit infelix casus civitatis, quæ per deditionem sub tyrannidem Turcarum cecidit, ex qua nunquam eximi & vindicari potuit. Anno 1571., Dalmatia bello Cyprio agitata, Turcæ Olcinium invadere, & mari terraque oppugnare decreverunt. Urbis deditionem, & contra fidem datam direptionem, cædemque incolarum Andreas Maurocenus lib. x. Hist. Ven. his verbis descripsit. *Duplici exercitu terra marique petitam urbem, neque mœnium firmitate neque aggeribus satis munitam, præsidio in dies imminuto, nostri difficulter tutari posse rati, milites ex adituum custodia intra mœnia compellunt; Acmatem, qui cum quindecim millium copiis oppido appropinquaverat, repellere conantur, Italorum & Gallorum, ex quibus id constabat præsidium, oppidanorum ferocia, ac multorum, qui e Scodra aliisque locis convenerant, fortitudine submoti hostes nondum mœnia subire poterant; cum Martinengus, hostili tormento pinna mœnium decussa, ruina fere obrutus est ita, ut sensu linqueretur; qua ex tantum trepidationis propugnatorum animis est injectum, ut, Turcica classe in urbis prospectum prodeunte, cum ancipiti prælio imparem se Martinengus cognosceret, spe Olchinii tuendi prorsus dejectus una cum Hieronymo Prætore de deditione facienda consilia inierit. Orembejo, Turcici idiomatis interprete Lucensi, a Pertao ad nostros misso, iis legibus pacta deditio, ut militum atque oppidanorum vitæ ac fortunis consuleretur, unicuique abeundi libera facultas esset, nulla injuria aut vis iis, qui manere vellent, inferretur, Epidaurum milites cum armis atque impedimentis perducerentur. His scripto firmatis, Hieronymus Venerius ac Sarra Martinengus triremes conscenderе. Antonius Brutus Olchiniensis eques, qui egregiam Reipublicæ operam in Epiro navaverat, deditionem impugnaverat, Acmatisque comitibus obstiterat, summam adversus se gentis invidiam veritus, Liburnica consensa, cum in Apuliam transiturus in altum se ejecisset, a Turcica triremi intercepitus, captivus ad Halim Bassam est perductus. Olchinii deditione in castris vulgata nimis amplis conditionibus facta, Acmate indignante, e Janizzeris complures propius ad strata tormentis urbis mœnia successere, perque ruinas aditum sibi in oppidum patefecissent, ni milites custodiæ a Pertao præfecti, quibus consulto quosdam e nostris militum præfectos atque incolas intermisceri jusserat, donec novum ex militari præscripto præsidium constitueretur, obstitissent; ac Janizzerorum Præfectus Olchinienses adversus pactas conditiones nulla in re lædi permissurum pollicitus cum pluribus e suis urbe excipitur. Id cum reliquis patefactum esset, impetu facto, per fatiscentia mœnia, an custodiæ militibus permittentibus incertum, irrumpunt, obvios quosque absque discrimine obtruncant, cuncta diripiunt, igne in ædes grassantur, licet non palam concedente, attamen permittente Acmate, inter quem ac Pertaum eam ob caussam multa irarum semina suborta sunt. Hieronymus Venerius ac Sarra Martinengus tantum*

Olcinium Turcis dedituin, ac direptum;

tum

tum cum duodecim e suis incolumes evasere.

Capta urbe direptaque, cives partim cæsi, partim fuga elapsi solum verterunt; cæteri, quibus patria, quam libertas, potior fuit, in civitate remanserunt. Hi vero in extraneos mores ritusque paullatim desciscentes Christi cultum cum superstitione Mahumetica commutarunt, & cum ipsis Turcis piraticam facere aggressi victum sibi e latrociniis maritimis quærere cœperunt. Templis ac sacellis eversis, Æde Cathedrali impuris superstitionibus polluta, & in fanum Turcicum conversa, nullum in urbe religionis Christianæ vestigium relictum est. Exinde Episcopi Olcinienses creari desierunt. Episcopi finitimi, diœcesim illam cum inter se divisissent, paucis reliquis Christianis per agros & vicos dispersis divinæ doctrinæ & Sacramentorum pabula dispertiunt. Anno 1696. spes fuit Olcinii per Venetos recuperandi, atque ad veterem statum cultumque revocandi. Nam, ardente bello Peloponnesiaco, Hieronymus Delphinus Præfectus navium majorum, Senatus consensu, urbem tentare statuit; & cum octo ferme millibus armatorum VI. Id. Sext. Olcinium profectus est. Exscensione facta, & apparata oppugnatione, sex simul partibus quati tormentis muri cœpti, Olciniatæ ad resistendum incitati nativa animi ferocia, & mœnium, ac munitionum robore, oppugnantium conatus repellere non cessabant diu noctuque; verum in fugam acto a Venetis Scodrensium Bassa, qui millia fere quinque peditum, equites sexcentos in auxilium urbis ducebat, Delphinus vehementiori impetu hostes aggressus est, & milites transcendendi, qua vi tormentorum corruerat, murum percupidos, dato signo, ad impressionem accendit. At repente cecidere animi multitudine oppidanorum territi, qui jam repleverant mœnia; ac re infecta ad castra regressi sunt; &, quoniam vi aperta nihil processerant, operibus ac machinis bellicis murorum eversionem persequi eos Delphinus jubet. Cum ecce Turcarum duodecim fere millia, duce Bassa Scodrensi, castris appropinquare prospicit, qui nulla pæne mora interjecta vallum licet munitissimum adoriuntur. Veneti haud imparati fortiter obstitere; deinde omnibus simul portis emissi milites Turcas subito pavore perculsos in celerrimam confusamque fugam conjiciunt; cædes facta non parva, Bassa ipse aliique duces interfecti. Tum Delphinus hac potitus victoria expugnandæ urbi intensius curam omnem admovit; ac, cum prævideret animo, longiorem diruendorum mœnium operam futuram, quam opus erat, ne proximo jam autumno classis importuoso in litore male tum consisteret, ascensum in muros iterum imperat; quem dum moliuntur cohortes, vano timore correptæ, ac oppidanorum ferocia consternatæ ab incœpto desistunt. Quare Delphinus, ne qua pernicies gravior incumberet militibus, maturavit receptui canere; tum consilio ducum ab oppugnatione cessandum ratus profectionem paravit; nec multo post sine tumultu aut hostium insectatione Olchinio discessum est haud absque magna Delphini laude, cujus perficiendo facinori unice constantia militum, & intrepidus animus defuit.

& ejus Episcopatus antiquatur.

Bello Corcyrensi iterum injecta Venetis spes Olchinii potiundi anno duodevigesimo sæculi decimi octavi; sed necessitas pacis cum Turcis redintegrandæ spem omnem intercepit.

EPISCOPI PULLATENSES

MAJORES ET MINORES.

Pullati positio.

IN recessu intimo asperrimorum montium Pullatum, sive Polletum, eminenti jugo insidebat, civitas pervetusta, ibi fortasse, ubi Æquum urbs Ptolemaica, vel certe non longe ab ea distans. Ab Scodra millibus passuum amplius triginta in septemtrionem aberat. Creberrimis bellis & barbaricis incursionibus, quæ regionem illam pervastarunt, funditus eversa est, sic prorsus, ut ejus vestigia vix aut ne vix quidem appareant. Inde usque a sæculo nono civitas erat episcopalis, ut constat ex Concilio Delmitano, cujus decreto attributa fuit provinciæ ac metropoli Diocliensi, & jurisdictionem titulumque episcopalem etiamnum retinet. Nunc ejus diœcesis ab occasu in ortum quinque, ab septemtrione in meridiem trium dierum itinere protenditur. Valbona fluvio a Serblia, Drilone interfluo a Sappatensi, Biscavi & Calogeri montium interjectu ab hodierna diœcesi Scodrensi disjungitur. Eam mons cæteris eminentior, quem Ndermainam vocant, intersecat & bipartito dividit. Quæ pars ad meridiem vergit, e quinque pagis sive parœciis primariis constat, quæ Scialla, Sciosci, Kivi, Planti & Gioagni incolarum lingua appellantur. In prioribus quatuor munere Parochorum funguntur Patres Franciscani severioris disciplinæ, quos ibidem Sacra Congregatio de propaganda Fide curatores animarum, & institutionis reique Christianæ administros constituit. Parœciæ Gioagninæ & Ecclesiæ S. Nicolai Rectorem Episcopus e Clero sæculari præficere solet; apud quem ipsemet Episcopus sedem sibi collocavit; Ædes autem S. Nicolai anno 1713. paullo latius & elegantius ædificata dignitatem nomenque Cathedralis obtinet. Superiores Epi-

Ejus Episcopatus & diœcesis descriptio,

sco-

scopi alias Planti, alias in aliis pagis & parœciis habitabant. In territorio Sciallensi exstant vestigia perantiquæ urbis, quam Mauricum appellatam ferunt; ager circumjacens irriguus est ac fertilis, cœloque saluberrimo fruitur; itemque exstant fundamenta & rudera septem sacrarum Ædium, e quibus duæ videntur fuisse non exiguæ molis & pulcherrimi operis; & quidem altera illarum Abbatis titulo ac dignitate insignita cum cœnobio adjuncto ad Monachos Benedictinos pertinuisse dicitur. In pago Chivensi quatuor, in Giognansi trium ædicularum rudera & reliquiæ supersunt. Hi populi cisalpini ipsorum lingua Pullatini, idest fortasse Pullatenses minores vocantur. Trans montem Ndermainam indigenæ in quatuor pagos sane frequentes distributi sunt; alii Blachiam, alii Salzam, alii Toplanam, alii Ducsmanum incolunt, & in agris circumjectis plurium, omnino ad duodeviginti sacrarum Ædium diruta tantum vestigia visuntur. His adde tres alios pagos, qui ex finitimis populis Jacovæ, Pecchiæ & Preserendi labem schismaticam contraxerunt. Cæteri omnes supra memorati cis ultraque Ndermainam catholicam fidem sanctissime colunt, & constantissime tuentur; & nullum est publicæ religionis officium, quod tum in templis, tum in solemnibus supplicationibus non obeant palam libereque; sunt quippe, ut Clementes & alii illius montanæ regionis populi, servitute Turcarum exempti, ab omnique Turcico tributo immunes. Eorum in fide retinenda, colendaque pietate constantiam referas oportet ad Fratres Minores Ordinis Franciscani, qui fere ubique Parochorum munere funguntur, eosque populos assiduis concionibus & catechismis erudiunt, divinis præceptis imbuunt, sacris mysteriis impertiunt, atque ad eorum animos curandos & excolendos summo & indefesso labore incumbunt. Hanc descriptionem diœcesis Pullatensis literis traditam ab Alexandro Blanco hodierno Episcopo accepimus.

& fines. Synodus provincialis sive nationalis Albana, quæ habita fuit anno 1703., præside Vincentio Zmajevichio Archiepiscopo Antibarensi & Diocliensi, totius regni Serbliæ Primate, diœcesim Pullatensem his terminis definivit part. 3. cap. 5. *Ut illi quoque scissuræ prævviis occurramus remediis, quæ inter Episcopum Pullatensem & Scuporum Archiepiscopum Serviæ administratorem futuræ dissensionis prænotat detrimenta in communem Fidelium perniciem, juxta antiqua monumenta & concordia populorum testimonia declaramus, Pullatensem Episcopatum his esse finibus limitatum, his limitibus circumseptum. Ab Austro enim, sive meridie, Drinum flumen, & Posterippensem regionem habet pro termino. Qua vergitur ad occidentem & septemtrionem Biscavo & Calogero montibus circumscribitur. Qua vero spectat ad orientem, per fluvium Casterigium sive Castranichium aut Valbonam, tria enim nomina hæc idem fluvius sortitur, a regno Serviæ sejungitur.* Cæterum ex ipsa regione Posterripensi, quam a meridie terminum hujus diœcesis esse dixit, cap. 6. tres omnino villas sub jurisdictione Episcopi Pullatensis subjecit; *Tres tandem villulæ Arva, Curtha, & Villa, in quibus Patres Missionarii Toplanæ Pullatensis diœcesis parochialia obeunt munera, iisdem Patribus subjiciuntur.*

Duplex Pullatum majus & minus; In tabulis ac monumentis ecclesiasticis duplex Pullatum majus & minus reperitur, & duo Episcopi, suus cuique, præfici solebant; sed difficile est utriusque positionem investigare, & alterum ab altero circumscriptis certisque finibus internoscere; siquidem duplicis Pullati memoria prorsus intercidit. P. Aloysius ex Ordine Franciscano Præfectus sacrarum Missionum Pullatensium in suis ad Lazarum Vladagnum Archiepiscopum Antibarensem literis de utriusque Pullati distinctione partim accurata investigatione loca illa indagando, partim ab indigenis percontando hoc se reperisse commemorat, idque sibi ait verisimilius videri; ex oppedis sive pagis, de quibus in epistola Alexandri Episcopi Pullatensis supra nominati, Planti, Chivi, Gioagni, Logo & Mingula Pullati minori, Scialla, Sciosci, Mikagni, Toplana & Blakia Pullati majori attribui debere. Perplacet mihi descriptio & divisio totius regionis Pullatensis, quam Alexander Blancus mox laudatus interjectu montis Ndermainæ bifariam secat, & quas ultra montem parœcias nominat, ad Pullatum majus, quas citra constituit, ad Pullatum minus pertinere existimo; ita fit, ut Pullatum majus idem ac Transalpinum, Pullatum minus idem ac Cisalpinum dici possit. Aliam in meis adversariis divisionem Pullati superioris & inferioris invenio; superius idem erat ac Majus & Transalpinum; inferius idem ac Minus & Cisalpinum non inepte dixeris. Si hæc divisio retinenda est, *Sciosci* & *Sciallæ* parœcias, quas P. Aloysius Pullato majori attribuit, in Pullatum minus conjicias necesse est. Nec sane a veritate seu verisimilitudine abhorret, Pullatum majus ac minus unius altissimi montis Ndermaine interpositu distingui, & alterum ab altero sejungi; nam regionum ac finium divisiones vel a montibus, vel a fluminibus intermediis repeti solent. Pullatum vero civitas, unde tota regio denominata est, verisimilius videtur in Majori, quam in Minori Pullato sita fuisse. Pius II. in suis literis ad Dyrrhachiensem & Antibarensem Metropolitas, quas in Petro II. Archiepiscopo Antibarensi descripsimus, Pullati Majoris mentionem facere videtur, cum Fratres Lechæ Ducagini *Polatenses Majores* vocat, quod scilicet in Pullato Majori principatum obtinerent.

& duplex Episcopatus Pullatensis, in unum postea conjunctus. Itaque, ut duplex civitas & Ecclesia Episcopalis, sic duplex Episcopatus & duo Episcopi fuerunt Major & Minor. Sæculo decimo sexto, sublata omni distinctione majoris & minoris Pullati, in unum uterque coaluit, & u-

Digitized by Google

& unus idemque Episcopus utrique Pullato præfici cœpit. Unus etiam idemque erat a principio; neque ante sæculum decimum quartum distinctio Episcopi Pullatensis majoris & Pullatensis minoris in catalogis Ecclesiarum visa est apparere. Pullatensis minor etiam *Scordiensis* appellari solebat, ut constat ex Cod. Rat. Cam. Apost. 193. pag. 188. ubi scriptum est; *A Gregorio Ep. Polatensi minori alias Scordiensi solidos grossos* 10. *recepit an.* 1352. 26. *Xbris Collector Apostolicus decimæ triennalis a Summo Pontifice impositæ*. Item in lib. 403. Introi. & Exi. Cam. pag. 200., ubi dicitur Archiepiscopus Antibarensis pro se & Suffraganeis suis Ægidio Sabinensi Episcopo, Legato Apostolico, quod debebat, solvisse an. 1364., ejus Episcopi provinciales nominantur, inter quos hi tres *Episcopus Polacen. Episc. Scodonen. Episc. Scutaren.*. Porro Episcopus *Scodonen.* distinctus a *Polacen.* & *Scutaren.* alius esse nequit, nisi Episcopus Pullatensis minor, qui & *Scordiensis*, & *Scordinensis*, & *Scodonensis* vocitabatur. Diœcesis cisalpina Episcopi Pullatensis minoris ab occasu & meridie finitima erat diœcesi Scodrensi, & fortasse ejus olim pars; hinc factum fuisse arbitror, ut *Scordiensis* & *Scodrinensis* diceretur. Ne autem Scodrensis Ecclesia cum Scordiensi confundi posset, exinde illa non amplius Scodrensis, sed *Scutarensis* appellata est, ut Card. Garampus præclare animadvertit. Et Scodrensem quidem jam inde a sæculo XIII. usque ad nostram ætatem non alio quam *Scutarensis* vocabulo in ecclesiasticis monumentis designatum invenio. Cum post distinctionem utriusque Episcopatus Pullatensis majoris & minoris Episcopos Pullatenses sine ullo additamento sive *majoris*, sive *minoris*, sive *Scordiensis*, nominatos reperies, eos ad Ecclesiam Pullatensem majorem referendos esse censeo. Præter nomina Episcoporum utriusque Ecclesiæ, præsertim antiquorum, pauca supersunt, quæ proferam; & sæpe ipsa nomina vetustas & oblivio nobis eripuit. Hæc autem est series Pullatensium Antistitum, qui post sæculum XIII. Majoris Pullati Episcopi appellari cœperunt, sed pluribus lacunis intercisa.

I. N. N. an. circ. 877.
II. N. N. an. 1062.
III. N. N. an. 1121.
IV. Theodorus an. 1141.
V. Joannes an. 1199.
VI. N. N. an. 1227.
VII. Andreas an. 1251.
VIII. N. N. an. 1308.
IX. N. N. an. 1351.
X. N. N. an. 1372.
XI. Menelaus an. 1421.
XII. Nicolaus an. circ. 1450.
XIII. Stephanus an. incerto.
XIV. Joannes II. an. 1475.
XV. Isidorus an. 1518.
XVI. Laurentius an. 1529.
XVII. Martinus an. 1574.
XVIII. Vincentius an. 1656.
XIX. Petrus an. 1698.
XX. Marinus an. 1703.
XXI. Petrus II. an. 1714.
XXII. Marcus an. 1731.
XXIII. Seraphinus an. 1745.
XXIV. Georgius an. 1756.
XXV. Alexander an. 1766.
XXVI. Joannes III. an. 1781.
XXVII. Marcus II. an. 1791.
XXVIII. Angelus an. 1816.

N. N. EPISCOPUS PULLATENSIS I.

N. N. Ep. Pullaten. an. circ. 877.

Ante sæculum nonum nulla exstat memoria Ecclesiæ & Episcopi Pullatensis. Anno circ. 877. in Concilio Delmitano, de quo sæpe & sæpius dictum est, inter Ecclesias Metropolitæ Dioclensi attributas nominatur Polletum. Posthac ad sæculi usque undecimi dimidium jam elapsum hujus Episcopatus nomen nullibi comperire licet.

N. N. EPISC. PULLATENSIS II.

N. N. Ep. Pullaten. an. 1062.

Post annos centum & fere quadraginta Ecclesia Pullatensis visa est reviviscere in epistola Alexandri II. data Romæ ad Petrum Archiepiscopum Antibarensem an. 1062., cui Pontifex Ecclesiam & Episcopum Pullatensem subjecit. Sed intra finem hujus sæculi, cum Metropolitæ Antibarenses creari desiissent, Pullatensis cum cæteris Episcopis provinciæ Antibarensis sub potestatem Archiepiscopi Ragusini concessit,

N. N. EPISC. PULLATENSIS III.

N. N. Ep. Pullaten. an. 1121.

Hunc Callistus II. in suis literis an. 1121. inscriptis *Geraldo Ragusinæ civitatis Antistiti* provinciæ Ragusinæ attribuit; *civitas quoque Catharinensis..... & Polatensis cum Abbatiis* &c. *tibi tuisque Successoribus junctæ in futurum, & integræ conservantur*.

THEODORUS EP. PULLATENSIS IV.

Theodorus Ep. Pullaten. anno 1141.

Quem Maurus Orbinus in suis Commentariis de regno Slavorum pag. 747. inter Episcopos provinciæ Ragusinæ adnumeravit an. 1141. Adrianus IV. anno 1158. Alexander III. an. 1167. in eorum literis ad Tribunium Archiepiscopum Ragusinum cum aliis Ecclesiis Dalmatiæ superioris nominatim Pullatensem Metropolitæ Ragusino subjiciunt. Idem Alexander ipso anno jussit Episcopos *Politanen. & Svacien.*, qui Archiepiscopi Ragusini imperium detrectabant, eidem subjectos sese atque obedientes præstare; nisi veliat, justis meritisque canonicis pœnis mulctari ab Legato Apostolico, quem propediem missurus est in Dalmatiam. Hinc perspicimus suos Episcopos Pullatensi Ecclesiæ per eos annos non defuisse, licet ignota nobis sint eorum nomina, & gesti Episcopatus tempus. Restituta mox Antibarensi Metropoli, Pul-

Digitized by Google

Pullatum in ejus rediit potestatem, contra obnitente Tribunio Archiepiscopo Ragusino, qui Pullatensis & aliarum Dalmatiæ superioris Ecclesiarum possessionem sibi a Romanis Pontificibus confirmari obtinuerat.

JOANNES EP. PULLATENSIS V.

Joannes Ep. Pullaten. anno 1199.

Legitur subscriptus Concilio Diocletano anni 1199. sub Joanne Diocliensi & Antibarensi Metropolita; *Joannes Rolitanen. Episcopus*.

N. N. EPISC. PULLATENSIS VI.

N. N. Ep. Pullaten. an. 1227.

Hunc anonymum Gregorius IX. an. 1227. subjectum esse declaravit cum cæteris provinciæ Antibarensis Episcopis Arrengerio Metropolitæ Ragusino.

ANDREAS EP. PULLATENSIS VII.

Andreas Episc. Pullaten. an. 1251.

Hujus nomen habemus ex duplici formula juridica, qua Salvius Episcopus Tribuniensis ex mandato Innocentii IV. tum Drivastensi, tum Pullatensi Episcopis profectionem Lugdunensem ad Curiam Pontificiam denuntiavit an. 1251., ut rationem redderent, cur subesse nollent Archiepiscopo Ragusino. In priori formula adversus Episcopum Drivastensem præsens ac testis nominatur *Presbyter Joannes nepos Episcopi Andreæ de Pullato*; secunda denuntiatio inscripta missaque fuit ipsimet *Episcopo Andreæ de Pullato*, quam suo nomine Episcopus Drivastensis, & cum litteris Salvii Antistitis Tribuniensis Antibari in conventu quorumdam Episcoporum Andreæ tradendam curavit.

Statur ad Curiam Pontificiam.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCCLI. vigesima sexta mensis Aprilis, Indictione VIII., in eorum præsentia, quorum nomina inferius conscribuntur. Presbyter Dessigna Nuncius D. Salvii Episcopi Tribuniensis præsentavit literas ejusdem Episcopi Episcopo Drivastensi, quæ literæ per dictum Presbyterum Dessignam Episcopo Andreæ de Pollato mittebantur, quas prædictus Drivastensis Episcopus vice & loco dicti Episcopi Pollatensis recepit, & eas sibi post modicum tempus præsentavit hunc tenorem habentes. Venerabili in Christo P. Dei gratia Episcopo Pollatensi Salvius eadem gratia Tribuniensis Episcopus salutem in Domino. Noverit Paternitas vestra nos a Summo Pontifice tales literas recepisse: Innocentius Episcopus &c. Descriptæ sunt in Joanne III. Archiepiscopo Ragusino. *Cum ergo mandatum pontificium præterire non possumus, nec debemus, auctoritate nobis injuncta vobis præcipiendo mandamus, quatenus infra octo mensium spatium juxta mandatum apostolicum a die vobis citationis factæ terminum duximus præfigendum, ut personaliter per vos, vel per sufficientem Procuratorem cum actis, privilegiis & munimentis, juribus & rationibus omnibus Summi Pontificis conspectui præsentetis, & memoratæ Archiepiscopo, scilicet Ragusino, vel ejus legitimo Procuratori responsuri. Actum est hoc in domo Episcopi de Drivasto, præsentibus Archipresbytero Michaele, Presbytero Joanne nepote Ep. Pollatensis, Diacono Joanne fratre Comitis Drivastensis, Diacono.... Et ego Bonacursius Notarius supradictis omnibus interfui, atque scripsi, complevi & roboravi, Anno, die, mense & indictione prætitulatis, & in Consilio Episcoporum in Antibaro coram Episcopis Svacen. & Dulcinen. Andreas Episcopus Pollatensis confessus est se recepisse ab Episcopo Drivastensi literas, quas receperat loco & vice sui.*

Post Andream Ecclesia Pullatensis Antibarensi Metropolitæ jam restituta, sub ejus potestate firmiter, nec alias passa est vices alieni metropolitici imperii; quæ vero innuimus hactenus de controversiis, quæ inter Ragusinum & Antibarensem Archiepiscopos diutius agitatæ fuerant pro jure metropolitico in Ecclesias Dalmatiæ superioris & ipsam Pullatensem, deque pontificiis literis hac super re datis, ea suis locis sparsim reperies in historia utriusque Ecclesiæ Ragusinæ & Antibarensis. Episcopi vero Pullatenses, si qui fuerunt ab obitu Andreæ, ad annum 1308, nobis ignoti omnino sunt.

N. N. EP. PULLATENSIS VIII.

N. N. Episc. Pullatensis an. 1308.

Notus ex literis Clementis V. an. 1308., quibus Metropolitam Antibarensem cum suæ provinciæ Episcopis Viennensi Concilio a se in Gallia indicto interesse jubet; & nominatim Polacensem Antistitem innuit; *Mandamus, quatenus vos fratres, Archiepiscope, Polacensis & Suacinensis Episcopi* &c. uti in Andrea Archiep. Antibarensi XI. dictum est. Neque ex Pullatensibus minoribus quis hic esse potest Episcopus; cum hujus Episcopatus initia ad dimidium circiter sæculum decimum quartum sint referenda.

N. N. EPISC. PULLATENSIS IX.

N. N. Ep. Pullaten. an. 1351.

Anno 1351. hanc Ecclesiam regebat, qui eodem anno, quod debebat, ærario apostolico solvit, ut scriptum est in Cod. Ration. Cam. Apost. *Collector Apostolicus decimæ triennalis a Summo Pontifice impositæ an. 1351. 26. Xbris* recepisse dicitur *ab Episc. Polaten. sol. grossos* 40., *item a Gregorio Episc. Polaten. minori, alias Scordiensi, sol. grossos* 10. Ecce tibi duo Episcopi Pullatenses eodem anno, alter Anonymus simpliciter dictus Pullatensis, alter nomine Gregorius Pullatensis quidem minor, aliter *Scordiensis* appellatus; unde distinctio apparere cœpit Ecclesiæ & Episcopi Pullatensis Majoris & Minoris.

N. N. EPISC. PULLATENSIS X.

N. N. Ep. Pullaten. an. 1372.

Hunc itidem tacito nomine nobis suppeditavit Cod. 240. Ration. Cam. Apost. pag. 269. in

in quo *Epïscopus Polaten.* cum aliis Episcopis provinciæ Antibarensis solutione decimarum, quas debebant Sedi Apostolicæ, propter paupertatem exemptus perhibetur an. 1372., itemque *Scordinensis*, idest Pullatensis minor, & *Scutarensis*, quem sane a Scordinensi distingui oportet. Eos siquidem Helena vidua Stephani Dusciani, quæ cum Uroscio filio in Serblia sive Rascia regnabat, & Catholicos acerbissime divexabat, bonis omnibus exspoliaverat, atque ad extremam inopiam redegerat. Nullum præterea hoc sæculo decimo quarto Episcopum Pullatensem majorem invenio.

MENELAUS EPISCOPUS PULLATENSIS XI.

Menelaus Ep. Pullaten. anno 1421.

Cui Martinus V. anno 1421. hanc Ecclesiam regendam tradidit, ut docent Acta Consistorialia; *An.* 1421. 3. *nonas Maji provisum est Ecclesiæ Polatensi in provincia Antibaren. in Albania vacanti per mortem de persona Menelai Zachariæ*. Ex hac formula Consistoriali videtur conjici posse, aliquot Episcopos Pullatenses post superiorem anonymum fuisse; quorum postremo morte haud ita pridem sublato suffectus est Menelaus. Sed mihi sunt ignoti.

NICOLAUS EP. PULLATENSIS XII.

Nicolaus Ep. Pullaten. anno circ. 1450.

Nobis notus ex literis Callisti III. Pontificis datis Kal. Juniis an. 1457. Episcopo Sappatensi, & Guillelmo de Lauro sacræ Theologiæ Baccalauro, quibus utrique præcipit, ut de criminibus, quæ in Paullum Angelum Archiepiscopum Crainensem jacta fuerant, juridice inquirerent; potiora erant, quod *in Vener. Fratris nostri Nicolai Ep. Polacensis*, Polatensis, *ac plurimorum nobilium & gravium*, forte deest *virorum*, *præsentia publice prædicare veritus non fuit*, *fidem Græcorum veriorem esse*, *quam docet & tenet S. R. E.*, *& eorumdem Græcorum ritum dicta Rom. Eccl. vitui prævalere* &c. Paullus anno 1455. Crainensis Archiepiscopus renuntiatus fuit; quare Episcopatus Nicolai in annum certe 1457. incidit, & cohærere facile potest cum iis, quæ anno 1454. apud Pullatenses accidisse narrat Biemmius in vita Scanderbegi. Nam, mortuo Petro Spano Pullatensium Dynasta, hujus filii hostili inter sese animo dissidebant, sua quisque factione fretus; urbes præterea duæ Sala & Sascium ab iis aperta defectione desciverant. Quare Scanderbegus, qui in hyberna se receperat mense Decembri anni 1454. post varias præliorum adversus Turcas, motuumque bellicorum vices, rogatus a Paullo Angelo Episcopo Drivastensi Pullatum venit; tantumque auctoritate ac potentia valuit, ut brevi discordes fratres æquo jure ad benevolentiam & amicitiam redegerit præter Marcum natu minimum, quem stolida feritate, & obstinatione repugnantem in vincula conjecit, quippe dissidiorum auctor fautorque in primis extitisset.

STEPHANUS EP. PULLATENSIS XIII.

Stephanus Ep. Pullaten. anno incerto.

Præter nomen nihil superest memoriæ.

JOANNES II. EP. PULLATENSIS XIV.

Joannes Ep. Pullaten. anno 1475.

Quem, uti & Stephanum, nobis communicavit ex tabulis Romanis Card. Garampus, exscriptis hisce verbis; 1475. 10. *Maji Joannes fit Episcopus Polaten. Ecclesiæ Majoris per obitum Stephani*. Reliquos hujus sæculi Episcopos Pullatentes oblivio & vetustas obruit.

ISIDORUS EPISC. PULLATENSIS XV.

Isidorus Ep. Pullaten. anno 1518.

De quo in Actis Consist. *An.* 1518. 12. *Aprilis prævidit*, Leo X., *D. Isidoro Almo paveri Canonico Neritonensi*, Ecclesiæ Episcopalis sub Archiepiscopo Brundusino, *de Ecclesia Polatensi majori*, *quæ licet in partibus Infidelium consistat*, *tamen in ejus civitate ac diœcesi sunt nonnulli Christiani*, *ita tamen*, *ut quamprimum fieri potest*, *ad residendum eat*, *& curam animarum habere debeat*. Eum ad Metropolim Hieracensem translatum fuisse perhibent tabulæ Consist. 1524. 23. *Sept. transtulit*, Clemens VII., *Episcopum Polaten.* translatus ad metropolim Hieracen. an. 1524. *ad Metropolin Hieracen. in Cypro*, *cui unitum fuit monasterium S. Stephani de Pina diœcesis Spalaten. vacans per obitum Card. Cavalicensis*.

LAURENTIUS EP. PULLATENSIS XVI.

Laurentius Ep. Pullaten. anno 1529.

Cognomento *Santarellus*, quem idem Clemens VII. administrationi hujus Ecclesiæ præfecit an. 1529. die Junii septima, ut ex literis Card. Garampii.

MARTINUS EP. PULLATENSIS XVII.

Martinus Ep. Pullaten. anno 1574.

Natione, seu cognomento Polonus ex Ordine Prædicatorum hanc Ecclesiam regebat anno 1574. de quo Frydrycoviczius pag. 233., Cavallarius tomo 1. pag. 439., & Fontana, qui pag. 267. tit. 473. Martinum Pullatensem Episcopum permiscet cum Vincentio Scalona Pullatensi Antistite Minori, perinde atque unus utriusque esset Episcopatus, una eademque Ecclesia. *P. F.*, inquit, *Martinus Polonus ad Polacen. Episcopalem Sedem a Gregorio XIII. an. milles. quingentesimo septuagesimo quarto promovetur. Ex actis Consist. ejusd. Pont.* Ejus effigies picta visebatur ad lævam Capituli, ut ajunt, Cœnobii Dominicani Tolosæ, cui hæc inscriptio subjecta; *F. Martinus Polonus de jure canonico & antiquo optime meritus*, *in Curia Romana summus Pœnitentiarius*, *Polacensis Episcopus in Polonia floruit circa annum* 1574. Cum enim ad suam Ecclesiam illi aditus non pateret, in natali sede vitam egit, & episcopalia munera, ubi licuit, adjutoris titulo exercuit.

Hæc ex Monum. Cœnobii Tolos. editis a P. Percin pag. 146. Post Martinum anni fere octoginta interfuerunt, cum nullum Pullatensibus Episcopum datum invenio. Itaque per eos annos Ecclesiæ Pullatensis administratio aut finitimis Episcopis, aut Vicariis Apostolicis commissa fuit. Alexander Blancus Episcopus Pullatensis fama & auditione se accepisse ait, Episcopum nescio quem Pullatensem ab indigenis interfectum fuisse, ob quam sacrilegam cædem indignos habitos esse, quibus Episcopus daretur. Anno 1618. Pullatensis diœcesis curam gerebat Petrus Massarechius munere Vicarii Apostolici, & hoc anno VI. Id. Iunias litteris Romam missis plura obtinuit, quæ horum popularium saluti adjumento essent, & solatio. Benedictus Ursinus Episcopus Alexiensis, itemque Administrator Ecclesiæ Scodrensis ex mandato Sedis Apostolicæ diœcesim Pullatensem lustravit; & in suis ad Sacram Congregationem literis an. 1629. ait, Pullatenses, ex quo sub tyrannidem Turcarum ceciderunt, nullius Episcopi aut vocem audivisse, aut faciem vidisse, propterea fortassis, quod jam inde a sæculo decimo quinto post Albaniam a Turcis subactam nemo posteriorum Antistitum Pullatensium ad suam Ecclesiam visendam regendamque accesserit; hanc diœcesim ex multis oppidis constare, & villis, & tribus ac viginti parœciis; duos tantummodo Presbyteros esse, qui populos illos Christianis institutis ac præceptis erudiant, divinisque mysteriis impertiant; multa sive per ignorantiam, sive per malitiam in illis locis peccata, præsertim in jungendis ac dissolvendis matrimoniis; plurimos ab se omnino ad terna millia & fere trecentos sacro Chrismate inunctos fuisse, quod episcopali cura & administratione destitutis hujus Sacramenti suscipiendi facultas & occasio defuerit. Hæc Benedictus. Eadem fere confirmant in suis ad Pontificem & Sacram Congregationem literis Patres Franciscani evangelici illarum regionum operarii; e quibus duo, Paulus Mantuanus, & Salvator ab Offida, zelo Christianæ religionis tuendæ atque propagandæ flagrantissimi post ingentes in Epirum labores impensos, partosque uberrimos fructus, v. Idus Nov. an. 1644. crudelissime pro Catholica Fide fuerant interfecti ad Clementes, quæ regio Pullatensi adhæret diœcesi. Ii vero testati sunt, Christianorum Pullatensium viginti millia numerari, quorum omnis Christiana institutio in Presbyteros omnino duos incumbit; in illis partibus ne memoriam quidem ullius Episcopi superesse, qui apud eos rem Ecclesiasticam & Christianam administraverit. Hujus diœcesis statum describit etiam Marcus Crisius suis literis an. 1653. cum Albaniæ loca apostolica peragratione lustraret. In ea pagos ad viginti quinque contineri; urbem partim vetustate, partim Turcarum barbarie eversam penitus; in Clementium regione Pullatensi Episcopo subjecta quingenta supra duo millia esse Christianorum ait, quorum curæ advigilant Franciscani rigidioris instituti, sed colendæ messi deest par operariorum numerus; ac incredibile dictu est, quanta eæ gentes religionis ignoratione laborent. His aliisque aliorum literis, simul & querelis ac precibus Pullatensium permotus Alexander VII. diuturnæ illius Ecclesiæ viduitati consulendum, & gentium illarum saluti providendum, ac piæ voluntati obsequendum censuit.

Miser diœcesis Pullatensis status.

VINCENTIUS EP. PULLATENSIS XVIII.

Vincentius Joanellus theologus Pontificii Legati in Gallia,

Ex Joanella familia Cathari natus in Collegio Illyrico Lauretano politioribus literis & philosophiæ operam dedit. Romam profectus, Cardinalis a Balneo patrocinio fultus, & sacra Congregatione quæ ad victum cultumque opus erant suppeditante, ad Theologiam & juris utriusque scientiam animum appulit ad annum 1644. & in utraque disciplina tantos progressus habuit, ut confecto studiorum curriculo comes & socius datus fuerit Legato Sedis Apostolicæ ad Regem Galliarum, qui apud eum Theologi munere fungeretur. Dum in Gallia versabatur, ejusdem Cardinalis voluntate Parisienses Scholas impensius coluit, eumque ipsemet Legatus ex mandato Sacræ Congregationis, titulo sacrarum Missionum suffragante, per omnes Ordinum inferiorum gradus ad Sacerdotium evexit. Romam reversus cum esset, anno 1650. liberali viatico instructus missus est in Dalmatiam, & apostolicarum expeditionum initium fecit ab regione Mainorum, quæ ad diœcesim Buduensem vel Antibarensem pertinet. Vicos omnes ingenti æque incolarum utilitate, ac suo indefesso labore peragravit. Deinde Catharum adiit, & Vincentio Bucchiæ Episcopo Catharensi cum suam operam detulisset, ab eo ad suam diœcesim lustrandam, incolasque divinis præceptis ac mysteriis imbuendos adhibitus fuit, quem etiam Catharensi Canonicatu donavit. Vincentius erat Venetiis an. 1652. unde mense Octobri datis literis ad amicos in Curia Romana, Scodrensem Ecclesiam, & Vicarii munus in Buduensi ut sibi obtinerent, flagitavit; illum certe ut episcopali dignum insigni pluribus laudibus cumulavit Pontificius apud Venetos Internuntius sua ad Sacr. Congregationem epistola diei Februarii octavæ an. 1653. Anno 1654. in Æde Cathedrali Phariensi per ferias quadragesimales quotidianas conciones habuit plenas spiritus apostolici, atque ad depravatos civium mores corrigendos pietatemque Christianam excitandam quam maxime accomodatas, de quibus Vincentius Episcopus Phariensis summa cum laude ad Congregationem Cardinalium de propaganda Fide scripsit. Annos itaque plures apostolicis expeditionibus loca illa aspera & montosa assidue peragrando non laboriosius, quam utilius insumpserat, cum eum Alexander VII. Pullatensibus exoptantibus, enixeque deposcentibus Episcopum dedit; 10. *Januarii anno 1656. providit Ecclesiæ*

deinde operarius evangelicus in Dalmatia,

fit Episcopus Pullatensis anno 1656.

sie Polatensi certa modo vacanti de persona Vincentii Joanelli, juxta decretum Propagandæ &c. ex Actis Consist., cum Antibarensem Archiepiscopatum sibi, ut ipse scribit in epistola quadam, delatum antea recusasset. Sed quæ spes erat sane optima de illius Episcopatu, reque Christiana & ecclesiastica in pristinum statum per illum restituenda, brevi evanuit, & Pullatenses fefellit. Post susceptam episcopalem consecrationem Venetias se contulit, & quem nulla incommoda, nulli labores, nulla pericula ab illis regionibus more rituque apostolico obeundis deterruerant, ab adeunda Ecclesia Pullatensi difficultas itineris maritimi a piraticis lembis tunc maxime infesti, & metus Turcarum, quibus cum Venetis bellum erat, absterruit. Annum integrum & menses aliquot Venetiis otiosus & nihil agens transegit, nullisque sacræ Congregationis literis & mandatis perpelli potuit, ut se ad Ecclesiam sibi traditam regendam conferret. Jamque de Pullatensi Episcopatu abdicando cogitabat, ut indicant ejus literæ die Decemb. 30. datæ anno 1656. cum Romam evocatus anno 1657. Episcopatum interea retinere, & in urbe subsistere jubetur, atque expectare, dum alterius Ecclesiæ ei decernendæ, vel Adjutoris alicui Episcopo navandi oblata esset occasio; eidemque ad vitam non incommode, & pro dignitate degendam assignati sunt in singulos menses argentei viceni. Sed Romanæ commorationis, & longioris moræ tædio affectus se clandestina fuga ex urbe proripuit anno 1660. Pinguioris sacerdotii quærendi studio, unde lautius viveret, Venetum iter cogitabat; verum cum Florentiam pervenisset, mutato consilio in Hispaniam se contulit, inde in Lusitaniam aut in Gallias profecturus. Ibi ab Hispanis militibus interceptus Madritum venit jussu regis, cui se, suamque dignitatem per Rodericensem Episcopum patefecerat. Ex Hispania Januam appulit, qua in urbe Cardinalis Duratius benigne illum excepit, & humaniter habuit, suadens præterea, ne Catharum, quo spectare se simulabat, adiret, ubi nec quieti, nec ejus decori, & episcopali dignitati satis esset provisum: hæc ex literis Duratii ad Sacr. Congr. Interea, dum ille vagus & exul errabat, Pullatenses de sua diuturna orbitate conquesti instare & flagitare non desistebant, ut sibi pastor curatorque animarum suarum tandem aliquando daretur. F. Hyacinthum de Setia ex Ordine Minorum S. Francisci Alexander VII. Episcopum Pullatensem designavit. Verum is sive religiosæ humilitatis studio, sive laboriosa illa ac difficili administratione dissuadente, id honoris atque oneris subire recusavit. Vincentius post longos errores irritus spei votique Janua aufugiens Parmam venit mense Novembri an. 1661., & cum neque ad hospitium, neque ad victum comparandum nummi suppeterent, ad publicum demum hospitale se recepit. De cujus adventu civitatis Episcopo cum esset nuntiatum, is vicem illius miseratus, & dignitatem episcopalem reveritus eum e communi diversorio ad cœnobium Franciscanum transtulit; ibique cum aliquot dies commoratus fuisset, ac benigne lauteque habitus, eumdem liberali viatico instructum Bononiam misit, & Cardinali Legato Præsidi civitatis commendavit, qui eum fida custodia septum Romam perduci jussit. Pontifex errantem Episcopum, ne rursus transfugeret, & cum dedecore Episcopalis Ordinis & characteris victum quæritans huc illuc vagaretur, in Castrum S. Angeli includendum consuit. Urbanus Cerrius, qui a secretis fuit administer Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, cum suum opus scriberet *de statu præsenti Ecclesiæ Romanæ* ad Pontificem Innocentium XI., hæc narrat de Pullatensi Ecclesia, ejusque Episcopo Vincentio, *Episcopatus Pullatensis octoginta supra quingentas Catholicorum familias complectitur, quæ quattuor mille & quingentis constant hominibus. Episcopus turbidi ingenii & suspectæ religionis vir in custodia Castri S. Angeli detinetur, ejusque victui decem argenteos nummos suppeditat Sacra Congregatio in menses singulos. Interea Sappatensis Episcopus Ecclesiam Pullatensem administrat.* Sed turbidam turgidamque indolem, & pœnitentiæ nesciam magis ipse prodidit, cum ex ipso carcere ausus est an. 1664. Arbensem Episcopatum petere, Petri Gaudentii obitu vacuum; quamdiu vero vitam produxerit, nos latet, e custodia tamen Romana nunquam dimissus. F. Petrus Antonius de Venetiis in suo Viridario Seraphico duos Pallatenses Episcopos ex Ordine Franciscano post Vincentium commemoravit, F. Hyacinthum de Setia an. 1660. & F. Bernardinum de Verona an. 1666., sed hic illius exemplum secutus delatum sibi sacerdotium abnuit; & in tabulis Consistorialibus proximus post Vincentium vita functum Episcopus suffectus fuisse dicitur

Suam Ecclesiam adire renuit; & Romam vocatur.

inde aufugiens Europam vagus peterret.

Bononiæ deprehensus, & Romam missus in Castrum S. Angeli includitur.

PETRUS EP. PULLATENSIS XIX.

Cognomento Caragich, *alumnus Collegii Illyrici Lauretani, Vicarius Apostolicus Pullatensis, qui patrimonio cæterisque bonis ab Infidelium armis orbatus solum vitam, tot arumnarum miseras reliquias, alibi declinando, non vivendi studio, sed ut in posterum etiam animorum saluti deserviret, servavit. Quapropter a sacra Congregatione de Propaganda Fide, ad quam confugerat, Vicariatu Ecclesiæ Pullatensis in Epiro donatus, rursus ad prædicandum Evangelium easdem regiones repetiit, factus postea Pullatensis Episcopus; inde ad Scopiensem Archiepiscopatum evehitur:* hæc in monumentis ejusdem Collegii Lauretani. Itaque, ut est in Actis Consistor. 15. *Septembris* 1698. *providit*, Innocentius XII., *Ecclesiæ Polatensis in Albania vacanti per obitum Vincentii Joanelli de persona Petri Caragich Presbyteri S. C. Scupien. cum administratione Ecclesiæ Scupien. cum indulto suscipiendi munus consecrationis*

Petrus Ep. Pullatensis an. 1698.

Digitized by Google

nis ab uno Episcopo, assistentibus duabus aliis Dignitatibus. Post quadriennium ex mandato Clementis XI. in patriam migravit ad regendam Metropolim Scopiensem; 25. *Septembris* 1701. *Petrum Caragich transtulit ab Ecclesia Pulatensi ad Scopiensem vacantem per liberam dimissionem Danielis Duranti*.

transfertur ad Metropolim Scopien. anno 1701.

MARINUS EP. PULLATENSIS XX.

Marinus Ep. Pullaten. anno 1703.

Erat patria Scodrensis, alumnus Collegii Firmani, & Sassiæ Parochus in diœcesi Scodrensi, quem Clemens XI. ad Sedem Pullatensem evexit, ut ferunt Acta Consist. 29. *Novemb. an.* 1703. *providit Ecclesiæ Pullatensi vacanti per translationem Petri de persona Marini Gini Presbyteri Scutarensis diœcesis*. Cæterum anno superiori electus & nominatus fuerit oportet, hoc autem anno 1703. mense Novembri renuntiatus in publico Cardinalium conventu. Sub initium siquidem hujus anni jam *Electi* nomen gerebat, & Concilio Nationali Albano interfuit, & actis synodicis subscripsit; *Ego Marinus Gini electus Episcopus Pullatensis assentiens subscribo*. In hoc Concilio descripti & constituti sunt fines diœcesis Pullatensis, ut in præfatione dictum est. Annos fere duodecim huic Ecclesiæ præfuerat, cum jussus est Pullatensem cum Sappatensi Ecclesia commutare.

interest Concilio Albano,

& ad Ecclesian. Sappaten. transit an. 1719.

PETRUS II. EP. PULLATENSIS XXI.

Petrus II. Ep. Pullaten. anno 1714.

Cui *Scura* cognomen fuit, alumnus Collegii Firmani, e clero diœcesis Dyrrhachiensis ad regimen Ecclesiæ Pullatensis evocatus, electusque Pullatensis Antistes anno 1714. cum anno ante ab Archiepiscopo Dyrrhachiensi suis ad Pontificem literis singularum morum, doctrinæ, animique vere ecclesiastici commendatione ornatus esset, ejusque in Albanensem provinciam præ cæteris merita celebrata fuissent. Sed, cum ob Corcyrense bellum in Venetos a Turcis illatum juridicialis de illius vita inquisitio fieri de more non posset, ante quam pontificio diplomate confirmaretur electio, sacra Congregatio de propaganda Fide Petrum Vicarium Apostolicum in Pullatensi diœcesi constituit, dum per literas pontificias sui Episcopatus possessionem adiret; quod factum legimus anno 1719. Ita ferunt tabulæ Romanæ: 10. *Maji* 1719. *providit*, Clemens XI., *Ecclesiæ Pullatensi vacanti per translationem Marini Gini ad Ecclesiam Sappatensem de persona Petri Scura presbyteri Dyrrhachiensis diœcesis*. Anno est 1720. pridie Kal. Octobris e Pullatensi Episcopatu Archiepiscopatum Dyrrhachiensem conscendit.

& an. 1720. Archiepp. Dyrrhachien.

MARCUS EP. PULLATENSIS XXII.

Marcus Ep. Pullaten. an. 1731.

Hunc, cognomento de Luchis, Collegii Illyrici Lauretani, in quo integrum studiorum cursum anno jam 1712. absolverat, alumnum, & Archiepiscopi Antibarensis Vicarium, Benedictus XIII. Episcopum Pullatensem creavit 8. Kal. Octobris an. 1731, cum biennio ante illustre de illius virtute ac meritis testimonium dedisset Vincentius Zmajevichius Archiepiscopus Jadrensis ad Cardinales Sacræ Congregationis. Quatuordecim fere annos suæ Ecclesiæ præfuit cum ingenti gregis sibi concrediti utilitate ac fructu; & anno 1745. a Pullatensi ad Antibarensem Ecclesiam evectus fuit; de quo vide in Archiepiscopis Antibarensibus.

deinde Archiep. Antibarensis an. 1745.

SERAPHINUS EP. PULLATENSIS XXIII.

Seraphinus Ep. Pullatens. anno 1745.

E familia Turriana honestissima in oppido Alzani agri Bergomensis natus est anno 1691. Duo illi fratres fuere, qui, abdicatis domesticis rebus, & curis, alter ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, alter sacrum Ordinem Carmelitarum ingressus in eo doctrina, virtute & suprema totius Ordinis dignitate enituit. Seraphinus fratrum & ipse exempla secutus Franciscano rigidioris disciplinæ instituto se perpetuo obstrinxit. Annum agebat fere sextum supra vicesimum, & post consueta tyrocinii experimenta, cum illius vitæ forma omnibus probaretur, jussus est Romam proficisci, ubi in Collegio sui Ordinis ad S. Petrum in Montorio anno 1716. theologicis doctrinis operam navavit. Ut vero religionis ac fidei dilatandæ ardore erat incensus, sacro missionum apostolicarum per Albaniam muneri seipsum paullo post devovit anno 1717., earumque, quas annos prope duodecim obierat, etiam præfecturam gessit ingenti cum animorum fructu ac lucro. Præterea linguam Albanensem in eodem Collegio cum publice edoceret, ad res curandas, quæ Patribus suæ familiæ in iisdem missionibus necessariæ forent, electus jam fuerat anno 1745. a sacra Congregatione propagandæ Fidei. Quo ipso anno Episcopatum Pullatensem sibi a Pontifice collatum suscepit regendum, cum sæpe alias sacra Congregatio de episcopali dignitate illi decernenda cogitasset. Quatuor fere annos huic Ecclesiæ præsens adfuit; sed male affecta valetudine compulsus Romam primum rediit, inde Bergomum se recepit, ubi illius cæli salubritate corporis ægritudinem sublevaret. At veritus, ne diutina Pastoris absentia Pullatensi gregi detrimento esset, & Pontificis animum de illa Ecclesia valde sollicitum deprehendens, sese Episcopatu abdicavit anno 1756.

Episcopatum dimittit anno 1756.

Non din tamen ei otioso esse licuit; & ipso Bergomensi Episcopo, qui ætate & viribus impotens erat, fere jubente, episcopalia munera in ea diœcesi ad extremum vitæ spiritum obivit, tanta cum religionis & prudentiæ laude, ut Clero universo, & cunctis civium ordinibus probatissimus exstiterit. Ejus vitæ hæc constans ratio; per sacros Dominici Adventus dies in urbano Cœnobio, Gratiarum dicto, per dies vero *jejunii* quadragenarii in Alzanensi degebat, ubi piis animum studiis muniisque exerceret, atque ex-

Digitized by Google

excoleret. Reliquo anni tempore penes Episcopum in ejus ædibus versabatur, a quo honestis sumptibus & commodâ pensione, dum vixit, bene habitus est. Cum annum ageret primum supra septuagesimum, vita excessit Bergomi in suo cœnobio IX. Kal. Jan. anno 1762. summo omnium mœrore; ejus funus Episcopi & totius Canonicorum Collegii præsentia publice cohonestatum, & cadaver in Ecclesia sui Ordinis sepultum fuit. Præterea in Necrologio ejusdem cœnobii hoc de illo elogium inscriptum legitur.

Ejus elogium.

Die 28. Xbris Illustriss. ac Reverendiss. P. F. Seraphinus Turriani ab Alzano Præfectus & postea Procurator generalis Missionum, exinde Ep. Pullatensis, ac tandem post septeudecim annos Episcopatus, clarus prudentia, pietate & morum suavitate in Conventu S. Mariæ Gratiarum Bergomi pie obiit, ibique defunctus & honorifice tumulatus an. 1762. ætatis suæ 71.

GEORGIUS EPISCOPUS PULLATENSIS XXIV.

Georgius Ep. Pullatens. anno 1756.

De quo in Antibarensibus Archiepiscopis. Anno 1756. Pullatensis Episcopus declaratus est pontificiis literis datis III. nonas Januarii, licet annum ætatis tricesimum nondum attigisset. Postquam annos fere decem hanc Ecclesiam piissime rexisset, ad Alexiensem migrare an. 1765. jussus est a Pontifice IV. idus Decembris; cui annos sex præfuit summa cum laude pietatis atque doctrinæ, nec minori animarum fructu; & Sophiensis Ecclesiæ Vicarium egit Apostolicum anno 1771. quo Scodrensis Antistes electus hanc Sedem dimisit. Inde vero Metropolim Antibarensem conscendit an. 1786. ut est in literis pontificiis diei vicesimi tertii mensis Julii.

ALEXANDER EPISCOPUS PULLATENSIS XXV.

Alexander Ep. Pullaten. anno 1766.

Natus in Alexiensi diœcesi e familia Blanca anno circiter trigesimo secundo supra millesimum ac septingentesimum. Absoluto Romæ in urbano Collegio studiorum cursu summa cum ingenii ac pietatis laude, in patriam reversus ibi partim pueris religione ac literis instituendis, partim Christianæ catechesi explicandæ, cæterisque pii, fervidique sacerdotis muneribus sedulam operam navavit tum in parœciis pluribus, tum in oppido præsertim Vegliæ, jussu etiam Antistitis Alexiensis; qui e vita decedens, Collegium Cleri Alexiensis, titulum munusque Vicarii Capitularis Alexandro commisit, scriptis præterea literis ad Sacram Congregationem Fidei propagandæ, quibus & ejus virtutes, ac merita in rem Christianam magnopere extollit, & illum Episcopum sibi dari cupidissime postulat. Cujus consilii fautores maxime exstitere Archiepiscopi Antibarensis & Dyrrhachiensis, atque Scodrensis Episcopus; una omnes ornandi Alexandri ob vitæ innocentiam, indolis mansuetudinem, doctrinæ copiam studiosissimi, ut eorum literæ ad Sacram Congregationem testantur. Sed Pullatensis Ecclesiæ bono, quam promeritus erat episcopalem dignitatem, hoc anno 1766. illi collata, fuit; Episcopus enim Pullatensis renuntiatus suam diœcesim per anno fere quatuordecim sanctissime rexit ad annum usque 1780., quo etiam obiit.

obit anno 1780.

JOANNES III. EPISCOPUS PULLATENSIS XXVI.

Joannes Ep. Pullatensis anno 1781. postea Sappatensis.

Is cognomento Logorezzius, e pago Bria diœcesis Scodrensis, & alumnus Collegii urbani, cum annum ageret quinquagesimum tertium, & generalis Vicarii operam navaret Archiepiscopo Antibarensi, ad Cathedram Episcopalem Pullatensem evocatus est die 2. Aprilis anni 1781., quam cum Sappatensi post annos decem jussu Pii VI. Pontificis commutavit.

MARCUS II. EPISCOPUS PULLATENSIS XXVII.

Marcus Ep. Pullatensis an. 1791.

Quem VI. Kal. Octobris anni 1791. Pius VI. huic Ecclesiæ præfecit, dum in diœcesi Sappatensi, ubi e familia Nigra ortum habuit, pia Sacerdotis munera obibat. Et is suarum virtutum laude Collegium urbanum ornavit; cum vero pro Pullatensi grege sollicite vigilasset bonus Pastor, post annos aliquot ad Ecclesiam Sappatensem migrare jussus est a Pio VII. P.

ANGELUS EPISCOPUS PULLATENSIS XXVIII.

Angelus Ep. Pullatensis.

De Angeli electione quidquam non habeo compertum. Hic cognomento Calmetus ad regendam Cupræ Montanæ Ecclesiam translatus est a Pio VII. XV. Kal. Majas an. 1816.

EPISCOPI PULLATENSES MINORES.

ANte sæculum decimum quartum nulla reperitur distinctio vel divisio Majoris & Minoris Ecclesiæ Pullatensis. Unus idemque Episcopus universæ regioni Pullatensium præfici solebat. Anno 1331. duo Episcopi Pullatensis Major & Pullatensis Minor, apparere cœperunt. Uterque eodem anno, quod debebant, *pro decima triennii Collectori Apostolico* contribuit; Pullatensis Major *sol. grossos* 40., *Gregorius Polatensis Minor, alias Scordiensis, sol. grossos* 10. ex Cod. Rat. Cam. Apost. 192. pag. 188. Item an. 1372. ab solutione decimarum immunes propter paupertatem habiti sunt cum

cæ-

Digitized by Google

cæteris Episcopis Provinciæ Antibarensis *Scordinensis*, id est Pullatensis Minor, & *Polaten.* id est Major, in Cod. Rat. Cam. Apost. Tomo 240. pag. 269. Ex his constat, quod supra animadvertendum esse diximus, videlicet Pullatensem Minorem etiam *Scordiensem*, & *Scordinensem* appellari; ab hoc autem ut internosci possit Episcopus Scodrensis, hic recentiori vocabulo nominari cœpit *Scutarensis*; civitas siquidem, quæ antiquitus Scodra vocabatur, postea dicta est, hodieque dicitur *Scutari*. Cum autem simpliciter & sine alio additamento Episcopus Pullatensis nominatur, is Major intelligi debet. Pullatum Minus a Pullato Majori montis Ndermainæ interjectu sejungitur; regio citerior *Minus*, ulterior Pullatum *Majus* cognominatur. De Pullatensibus Minoribus nihil habeo, quod proferam, præter nomina, & hæc ne omnia quidem, partim ex tabulis ecclesiasticis, partim ex literis humanissimi & eruditissimi Card. Garampi,

I. N. N. an. incerto.
II. Joannes an. 1345.
III. Gregorius an. 1351.
IV. N. N. an. 1364.
V. N. N. an. 1372.
VI. Dussus an. 1427.
VII. Georgius an. 1446.
VIII. Damianus an. 1450.
IX. Margarinus an. 1467.
X. Petrus an. 1508.
XI. Didacus an. 1508.
XII. Dominicus an. 1513.
XIII. Majorius an. 1518.
XIV. Vincentius an. 1520.

N. N. EPISCOPUS PULLATENSIS MINOR I.

N. N. Ep. Pullatensis Minor an. inc.

Prodit ex Regestis Clementis VI., ut inferius constabit, & Joannem præcessisse dicitur in regimine hujus Ecclesiæ; hinc conjicias illius Episcopatum ante annum quadragesimum sæculi decimi quarti esse statuendum.

JOANNES EP. PULLATENSIS MINOR II.

Joannes Ep. Pullatensis Minor an. 1345.

E Dominicana familia electus a Clemente VI. IV. non. Julii Episcopus *Scodriensis*, id est Pullatensis Minor, an. 1345. *per obitum Ep. Prædecessoris in provincia Antibarensi*; in Regest. an. IV. lib. 62. p. 41. De Joanne silent omnes sui Ordinis Scriptores.

GREGORIUS EPISCOPUS PULLATENSIS MINOR III.

Gregorius Ep. Pullaten. Minor anno 1351.

Scordiensis etiam appellatur, qui anno 1351., ut diximus, decimas triennii transacti persolvit; in Cod. Rat. Cam. Apost. *Collector Apostolicus decimæ triennalis a Gregorio Ep. Polaten. minori, alias Scordiensi, excepit sol. grossos* 10.

N. N. EP. PULLATENSIS MINOR IV.

N. N. Ep. Pullatensis Minor an. 1364.

Anno 1364. huic Ecclesiæ præsidebat. In Cod. 453. intr. & ex. Cam. Apost. pag. 200. sub hoc titulo, *Taxa procurationum debitarum & solutarum Ægidio Ep. Sabinensi pro 2. 3. 4. 5. annis primæ suæ Legationis usque ad 1. Octobris 1364.*, omnes Episcopi provinciæ Antibarensis tacito nomine percensentur; in his autem præter alios memorantur, *Ep. Polacen. Ep. Scodonen. Ep. Scutaren.* Episcopus vero *Scodonen.* a *Polacen.* & *Scutaren.* distinctus alius esse non potest, nisi Pullatensis Minor, qui ut *Scordien.* sic etiam *Scodonen.* appellatus fuisse videtur.

N. N. EP. PULLATENSIS MINOR V.

N. N. Ep. Pullatensis Minor an. 1372.

Idem & *Scordinensis*, qui anno 1372. cum *Polaten.* & *Scutaren.*, cæterisque Episcopis provinciæ Antibarensis propter paupertatem solutione decimarum exemptus dicitur; e Rat. Cam. Apost. Tom. 240. p. 269.

DUSSUS EP. PULLATENSIS MINOR VI.

Dussus Ep. Pullatensis Minor an. 1427.

Alii Dusmanum vocant, & erat Pullatensis Ecclesiæ Presbyter, ut in tabulis Romanis Martini V. Anno 1427. hunc Episcopatum gerebat, & ad annum fere 1446. tenuit, per hoc tempus morte sublatus.

GEORGIUS EPISCOPUS PULLATENSIS MINOR VII.

Georgius Ep. Pullaten. Minor 1446.

Presbyter Albanensis successit Dusso in Episcopatum Pullatensem Minorem anno 1446. Huic suffectus

DAMIANUS EPISCOPUS PULLATENSIS MINOR VIII.

Damianus Ep. Pullaten. Minor an. 1450.

De quo nihil memoriæ superest præter nomen, & annum initi Episcopatus 1450., obiisse tamen is videtur an. 1467., quo in ejus locum nominatus est

MARGARINUS EPISCOPUS PULLATENSIS MINOR IX.

Margarinus Episc. Pull. Minor an. 1467.

Cum esset Canonicus Ecclesiæ S. Petri Antibarensis; ejusque electio consignatur die septima Januarii illius anni 1467.

PETRUS EP. PULLATENSIS MINOR X.

Petrus Ep. Pul. Min. an. 1508.

Petrus Zagnus dicitur huic Ecclesiæ regendæ Episcopus designatus 4. Id. Januarii an 1508. in Tabulis Vaticanis; sed vel sponte, vel morte præreptus illam paullo post dimisit.

DIDACUS EPISCOPUS PULLATENSIS MINOR XI.

Didacus Ep. Pul. Min. ani 1508.

Quem ex Familia Franciscana ad Scodrinen-

Digitized by Google

nensem Episcopatum conscendisse scribit Wadingus die x. Decembris ejusdem anni 1508. *Scodrinensis sub eodem Archiepiscopo*, Antibarensi, *F. Didacus N. x. Decemb.*

DOMINICUS EPISCOPUS PULLATENSIS MINOR XII.

Dominicus Ep. Pullacens. Minor anno 1513.

Hunc e Catalogo horum Antistitum expungi vetant acta episcopalia Ecclesiæ Catharensis, in quibus ad annum 1513. hæc leginus; *Die 29. Januarii* 1513. *Rev. in Ch. Pater & Dom. Dom. Dominicus Crutphi Ep. Politanensis Minor in Ep. Palatio de licentia Rev. Vicarii ibi præsentis Blasium Georgii de Castro Novo ætatis legitimæ cupientem clericali militiæ adscribi, & hoc humiliter petentem, incidendo propriis manibus capillos ejus capitis, clericali charactere insignivit conferendo ei primam clericalem tonsuram juxta ritum Sacrosanctæ Rom. Eccl. & instituta, præsente Matthæo Semicich Subdiac. Catharen.*

MAJORIUS EPISCOPUS PULLATENSIS MINOR XIII.

Majorius Ep. Pullacens. Min. an. 1518.

Cui cognomen Sommo; de quo tabulæ Consistoriales: 1518. 12. *Aprilis providit*, Leo X., *D. Majorio Sommo Commendatario S. Sophiæ diœcesis Sardanensis de Eccl. Pulatensi Minori in Epiro*, id est Albania; *Red. florenos* 50. *Taxa* 33.

VINCENTIUS EPISCOPUS PULLATENSIS MINOR XIV.

Vincentius Ep. Pullaten. Minor an. 1520.

De Scalona ex Ordine Prædicatorum, disciplinæ custos, animarum zelo flagrantissimus, concionator insignis, & Thomæ a Vio Cajetano Card. apprime carus, huic Ecclesiæ præpositus Idibus Juniis an. 1520. ex actis Consistor. Fontana in Theat. Domin. part. I. pag. 267. Pullatensem Minorem Ecclesiam cum Majori confundit; & Vincentium ac Martinum Polonum Episcopum Pullatensem Majorem absque discrimine *Polacenses* Antistites nominat; de Vincentio vero hæc scribit; *Pater F. Vincentius Scalona ex provincia Dalmatiæ Polacensis Ecclesiæ sub Metropolita Antibarensi in Sclavonia Episcopus a Leone X. die veneris prima Julii an. milles. quingentesimo vigesimo creatus est. Ex act. Consist. ejusd. Leonis Pontif.* Sed aut in nostris, aut in Fontanæ Act. Consist. exemplaribus mensis & diei error inest.

Post hunc nullum Episcopum Pullatensem Minorem invenio; & tunc Pullatenses Major & Minor in unius Ecclesiæ corpus fortasse coaluit, cum Laurentius Santarellus Pullatensem Majorem administrabat; ac deinde unus idemque Episcopus utrique Ecclesiæ præfuit, hodieque præest; nisi forte pars aliqua diœcesis Pullatensis Minoris alteri Episcopo finitimo tradita sit.

EPISCOPI SARDENSES ET SAPPATENSES.

Sardensis urbis positio;

SArda civitas perantiqua, nec prorsus ignota veteribus Geographis ad ripam orientalem fluvii Drilonis assidebat in ea regione, quam nunc Postripensem vocant. Sardum Illyridis civitas a Stephano nominatur; Σάρδος, πόλις Ἰλλυρίας; & cives *Sardeni*, οἱ πολῖται Σαρδήνοι; qui *Sardiotæ* a Ptolemæo dicuntur lib. 2. hisce verbis; *Interiora Dalmatiæ tenent Daursii, supra quos Comenii & Vardæi, supra hos Narensii & Sardiotæ.* Hinc certe Sardiæi populi apud Strabonem lib. 7., alii ab Ardiæis ibidem memoratis, licet Casaubonus unam eamdemque gentem perperam suspicetur a Strabone utroque in loco describi, ablata nimirum per librariorum incuriam a vocabulo *Ardiæis* litera σ. Hi *Sardiatæ* dicti a Plinio lib. 3. cap. 22., qui ad Conventum Salonitanum, non vero Naronianum illos adscripsit, contra quam topographica illorum positio postulare videtur; nam propius absunt Narona, quam Salona. Hujus vetustissimæ urbis adhuc visuntur pauca vestigia, & quædam propugnacula semiruta in quodam ejusdem nominis monte, cui civitas incumbebat; adhuc ibi exstat semiruta Ædes Cathedralis sub titulo & auspiciis Deiparæ Virginis natæ consecrata; & quæ plurimæ erant in Sardensi diœcesi parœciæ ad meridiem & orientem, nunc Turcarum impietate destructæ sunt.

Infra Sardum ad meridiem, non longe ab Drilone sub ipsis radicibus montis prærupti & prærupti insidet Sappa, civitas olim neque infrequens, neque ignobilis, cujus nunc vix apparent vestigia, ac ne oppidulī quidem exigui, paucis-foeis habitati, speciem retinet. In urbis conspectu planities peramœna longe lateque explicatur, quam *Zadrimam* vocant, & hæc quoque in regione Postripensi sita est. Pag. 53. hujus Tomi diximus, Sappam eamdem urbem ac Savam a nonnullis putari; licet nulla exstent hujus vestigia, ex quibus situs saltem ac positio eversæ urbis posset dignosci. Nec deesse argumenta videbantur, quæ verisimilem opinionem probarent. Sed re diligentius perpensa, certi nihil decernere licet; præsertim cum urbis Savæ neque e Geographis magis accuratis, quorum unus Martinierius, neque e Græcis Scriptoribus quispiam, quod ego sciam, meminerit, præter literas Benedicti XI. eo in loco allatas. Utraque civitas Sarda & Sappa quam-

& Sappa.

Digitized by Google

Utriusque Episcopatus sub Metropolita Antibarensi;

quamvis pristinæ formæ & amplitudinis nihil retineat præter nomen, episcopali tamen jure & sede condecoratur, atque inter Ecclesias provinciæ Antibarensis locum obtinet. Principio quidem jurisdictio archiepiscopalis Antibarensis intra fluvium Drilonem, quo terminatur Dalmatia, definiebatur; neque enim in epistola Alexandri II. *ad Petrum Archiepiscopum Dioclensis atque Antibarensis Ecclesiæ* ultra Drilonem protenditur. Utraque diœcesis Scodrensi & Alexiensi intermedia est; Sappatensi vero tertia pars Postripensis regionis adjuncta fuit ex decreto Synodi Provincialis Albanæ anni 1703. Ædes Cathedralis Sardensis adhuc stat; quæ post initum sæculum decimum octavum minori quidem forma decentius renovata Catholicis sepeliendis inservit, eoque frequentes conveniunt incolæ sacris Paschatis diebus, & Dominici Natalis, tum Deiparæ Virginis in cœlum assumptæ; Sappatensis vero est templum S. Michaelis Archangeli supra urbem monti prærato impositum. Non longe abest sedes pontificia, elegantius haud ita pridem restituta, & laxius atque commodius aucta. Duo erant perantiqua Monasteria, quæ nunc viris ecclesiasticis commendari solent, alterum S. Sophiæ in Sardensi, alterum S. Paulli apud Ducagninos in Sappatensi. Varius Sappatensis Ecclesiæ status describitur in *Præconiis*, ut ajunt, Episcoporum, quæ ad cujusque electionem recitari solent coram Pontifice, & Cardinalium Collegio. Plura hujusmodi suis quæque locis inseruimus, ex quibus rei Christianæ in ea diœcesi modo defectiones, modo incrementa perspici queunt.

Sardensis Episcopatus longe est antiquior Sappatensi; hujus siquidem ante sæculum decimum quintum nullam in tabulis ecclesiasticis mentionem invenio; ille vero intra finem sæculi duodecimi in Episcopali Hierarchia locum suum obtinebat. Sub initium vero sæculi decimi quinti, & antea fortassis utraque Sardensis & Sappatensis Ecclesia sub uno eodemque Episcopo conjuncta fuit; id quod diserte traditum est in *Catalogo Ecclesiarum totius orbis* &c. quem confecit *antiquus Curialis Petrus Paulus Attavantus Cam. Apost. Notarius. Sarden. & Sappaten. unitæ in Sclavonia & provincia Antibarensi*; item liber *Taxarum Ecclesiarum* &c. *Sarden. & Sappaten. unitæ in Sclavonia, provincia Antibarensi*. Sardensis Episcopatus in tabulis Vaticanis *Sardiniensis* modo & *Sardenensis*, modo *Sardanensis* ac *Sardonensis*, seu usitato antiquitus vocabulo, seu librariorum errore nominatur; cum post conjunctas simul tum Sardensem, tum Sappatensem Ecclesias, duobus certe abhinc sæculis, alias Sardanensis nomen, alias Sardensis præseferat in ecclesiasticis monumentis. Post Episcopatum Sappatensem institutum suus utrique separatim Ecclesiæ & proprius Episcopus per aliquot annos præfici solebat; deinde vero unus atque idem utrique, qui alias utroque *Sardensi & Sappatensi* vocabulo, alias alterutro tantum appellabatur; demum *Sardensi* prætermisso, unius Sappatensis Ecclesiæ titulo afficitur, quamvis ejus regimini utraque subsit. Primordia utriusque Episcopatus ignota sunt, sed Sardensis ad sæculum XII., Sappatensis ad sæculum XIII. referri possunt, cum antea neutrius notitia literis tradita reperiatur. Cum autem vel sæculo XIV. exeunte, vel proximo ineunte utraque Ecclesia sub uno Episcopo conjungi cœperit, historiam utriusque non separatim, sed conjunctim describendam putavi. Pleraque veterum Episcoporum nomina & acta vetustate interierunt; hi vero sunt, quos nullæ temporum vices interceperunt.

& utriusque Ecclesiæ conjunctio.

EPISCOPI SARDENSES.

I. N. N. an. circ. 1190.
II. Theodorus an. 1191.
III. N. N. an. 12....
IV. Petrus an. 1260.
V. Ptolemeus an. 1278.
VI. N. N. an. 1291.
VII. Jacobus an. 1381.
VIII. Peregrinus an. 1386.
IX. & X. Antonius I. & Antonius II. an. inc.
XI. Antonius III. an. 1392.
XII. Marianus an. 1395.
XIII. Andreas an. 1402.
XIV. Joannes an. 1413.
XV. Petrus Matthias an. 1428.
XVI. Stephanus an. 1444.
XVII. Jacobus II. an. 1460.

EPISCOPI SAPPATENSES.

I. Paullus an. inc.
II. Benevenutus an. 1376.
III. Petrus an. 1396.
IV. Nicolaus an. 1414.
V. Michael an. 1422.
VI. Petrus II. an. 1425.
VII. Matthæus an. 1433.
VIII. Georgius an. 1440.
IX. Emmanuel an. circ. 1458.
X. N. N. an. circ. 1460.
XI. Marinus an. 1473.
Gabriel electus.
XII. Blasius an. 1489.

EPISCOPI SARDENSES ET SAPPATENSES.

I. Prosdocimus an. 1490.
II. Petrus an. circ. 1500.
III. Dominicus an. 1508.
IV. Ambrosius an. 1512.
V. Georgius an. circ. 1513.
VI. Didacus an. 1514.
VII. N. N. an. circ. 1516.
VIII. Joannes Bonaventura an. 1518.
IX. Alphonsus an. 1521.
X. Tossolus an. circ. 1578.
XI. Georgius II. an. 1583.
XII. Nicolaus an. 1594.
XIII. Simon an. 1620.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Petrus II. an. 1621.
XV. Georgius III. an. 1623.
XVI. Franciscus an 1635.
XVII. Georgius III. iterum an. 1644.
XVIII. Simeon an. 1647.
XIX. Stephanus an. 1673.
XX. Martinus an. 1682.
XXI. Georgius IV. an. 1685.
XXII. Ægidius an. 1707.
XXIII. Marinus an. 1719.
XXIV. Joannes an. 1720.
XXV. Basilius an. 1728.
XXVI. Lazarus an. 1745.
XXVII. Georgius V. an. 1750.
XXVIII. Nicolaus II. an. 1765.
XXIX. Joannes II. an. 1791.
XXX. Antonius an. 1796.
XXXI. Marcus.

EPISCOPI SARDENSES.

N. N. EPISCOPUS SARDENSIS I.

N. N. Ep. an. 1190.

ANno circiter 1190. Ecclesiam Sardensem regebat sub Clemente III. qui ab anno 1190. usque ad an. 1198. Ecclesiæ universali præfuit. Hunc anonymum Episcopum nobis suppeditavit *Notitia Ecclesiarum tempore Cælestini III. conscripta a viro religioso & Milone ejus Abbate* apud Emanuelem Schelstratem Tomo 2. *Episcopus Antivariensis hos habet Suffraganeos Dulcbinensem, Drivastensem, Polastensem, Scodrinensem, Albanensem, Sardensem.* Hinc primum nobis innotuit Ecclesia & Episcopus Sardensis; sed nomen Episcopi latet. Ante hoc tempus neutrius mentio usquam reperitur. Postea vero in omnibus catalogis provincialibus Ecclesia & Episcopus Sardensis vel Sardanensis locum habet, & provinciæ Antibarensi adscribitur.

THEODORUS EP. SARDENSIS II.

Theodorus Episc. an. 1199.

Idem fortasse ac superior anonymus; interfuit an. 1199. Concilio Diocletano sub Joanne I. Archiepiscopo Antibarensi, cujus actis & decretis suam adprobationem & subscriptionem adjunxit; *Ego*, inquit, *Theodorus Sevanen.* id est, *Sardanen. Episcopus subscripsi.*

N. N. EPISCOPUS SARDENSIS III.

N. N. Ep. an. 12...

Nisi vitam & Pontificatum Theodori modo nominati usque ad annum fere 1260. perducere libeat, vel nisi Ecclesia Sardensis per aliquot annos Episcopo caruerit, post Theodorum aliquis Episcopus ignoti nominis interfuerit oportet, cui vita functo in Sedem Sardensem substitutus fuit an. 1260.

PETRUS EPISCOPUS SARDENSIS IV.

Petrus Ep. an. 1260.

Natione Italus, ortu Tiburtinus, vitæ religiosæ instituto Franciscanus, quem Laurentius Archiepiscopus Antibarensis ex mandato Alexandri IV. Episcopum Ecclesiæ Sardensi dedit, ut constat ex literis ejusdem Pontificis, quas e Tomo 2. Bull. Franciscani pag. 400. hic subjicio.

Alexander &c. Venerabili Fratri.... Archiepiscopo Antibaren. & Dioclenen. Sal. & Ap. Ben.

Quoniam inter sollicitudines, quæ nobis ex officio injunctæ servitutis incumbunt, illam novimus non esse minimam, ut de personis idoneis provideatur acceleratione sollicita Ecclesiis viduatis, ne per vacationem diutinam incurrant in spiritualibus & temporalibus detrimentum, Fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus dilectum filium Fratrem Petrum de Tybure Ord. Minorum virum utique literatum & providum ac in temporalibus & spiritualibus circumspectum, nobisque meritis suæ probitatis acceptum, Sardinien. Ecclesiæ pastoris, ut intelleximus, solatio destitutæ auctoritate nostra præficias in Episcopum & pastorem, faciens sibi a suis subditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Dat. Anagniæ v. *Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno sexto*, id est 1260.

Petrus suam Ecclesiam adhuc regebat anno 1276., ut asserit Sbaralea in notis Tomo 3. Bull. Francisc. pag. 242.; & inter Episcopos sui Ordinis, ad quos Innocentius V. æque ac ad omnes totius Ecclesiæ Antistites literas misit & nuntium de sua in Romanum Pontificem electione, *Sardensem* etiam *in Dalmatia* enumerat. Verum paullo post vitam certe finierat; nam anno 1278. huic Ecclesiæ præerat

PTOLEMEUS EPISC. SARDENSIS V.

Ptolemeus Ep. Sardensis anno 1278.

Monachus Eremita S. Ausani, uti tradit Ughellus in Episcopis Ravellensibus Tomo I. Ital. Sacræ, qui tamen nullam hujus loci notitiam subdit, nec uspiam mihi reperire licuit. Erat is Episcopus Sardensis an. 1278., quo anno Hergottus in Genealogia Habspurgica pag. 485. Sardiensem, & pag. 490. Sardanensem Episcopum illum nominat. Verum de Sardensi Episcopatu Ptolemei dubitare non sinit diploma datum Perusii an. 1284., quo Ptolemeus cum aliis Episcopis certam concedit veniam pœnæ criminibus debitæ quibusque pie invisentibus Ecclesiam in insula Bodonis Mindensis, qui locus in Mindensi Dynastia vulgo *Bedenwerder* appellatur. Exstant hæ literæ in *Diplomatario Miscello* Baringii, quarum initium est: *Nos Dei gratia Petrus Arborensis Archiepiscopus, Andreas Hasleensis, Bernardus Humanas, Tholemeus Sardinensis, Bernardus Perusinus, Joannes Avellinus, Fredericus Cerivensis Episcopi &c.* consignatæ vero sunt, & *Dat. Perusii Anno Domini MCCLXXX.* XII. *Kal. Decembris, Pontificatus domini Martini Papæ quarti Anno quarto.* Eodem anno, cum Perusii degeret, & Matthæus Clodiensis Episcopus vita excessisset, diviso in duas partes Canonicorum

Digitized by Google

corum Collegio, alii Ptolemeum, alii Aleronem Ricardum parochum Venetæ Ecclesiæ D. Joannis Chrysostomi in locum Matthæi elegere, diuque Romæ acta est controversia inter utrumque, eorumque fautores; re tandem infecta, uterque suo juri cessit. Ptolemæus an. 1286. e Sardensi ad Ravellensem Ecclesiam regendam migravit Honorii IV. Pontificis auctoritate, ut ex Vaticanis tabulis ep. 312. fol. 86. an. I. scribit laudatus Ughellus; qui in Episcopis Clodiensibus illum Sardicensem Antistitem perperam nominat, eumque secutus est Hieronymus Vianellus in nova serie Mathemaucensium & Clodiensium Episcoporum part. 1. pag. 148.

transfertur ad ecclesiam Ravel.

N. N. EPISCOPUS SARDENSIS VI.

Tanusii in Episcopum Sarden. irrita electio.

Post Ptolemei abdicationem Canonici Ecclesiæ Sardensis Tanusium Archipresbyterum Ecclesiæ Diocliensis sive Antibarensis sibi in Episcopum elegerant. Sed hujusmodi electio irrita fuit, & effectu caruit, vel quia electionem distulissent ultra tempus jure canonico præfinitum, vel quia Tanusius Episcopatus sibi delati approbationem a Sede Apostolica infra idem tempus postulare neglexerat, vel denique quia Summus Pontifex electionem certis, sed ignotis de causis rescinderat. Itaque Nicolaus IV., ne Sardensis Ecclesia suo viduata Antistite detrimentum caperet, Michaeli Archiepiscopo Antibarensi imperavit per literas, ut Ecclesiæ illi Episcopum præficeret, quem, adhibito etiam *Prioris Prædicatorum & Guardiani Min. Fratr. Ragusin.* consilio & assensu, maxime idoneum ad eam regendam censeret; ex epist. 20. ejusdem Pontificis *data Kalendis Martii an.* IV. *Pontif.*, id est 1291. cujus hæc pars potior est e schedis Card. Garampii exscripta. *Tua nobis Fraternitas intimavit, quod Ecclesia Sardanen. Ecclesiæ Antibaren. subjecta tanto tempore jam vacavit, quod ejus provisio est ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, quamquam postmodum ipsius Ecclesiæ Sardanen. Capitulum dil. fil. Tanusium Archipresb. Ecclesiæ Dioclen. in suum & ejusdem Ecclesiæ Episcopum & Pastorem concorditer duxerunt eligendum: quare suppliciter postulabas a nobis, ut, cum prædicta Sardanen. Ecclesia inter nationes perversas posita dinoscatur, & præfatum Capitulum propter loci distantiam, viarum discrimina, & onera paupertatis, quibus noscitur prægravari, non possit propter hæc ad Sedem se conferre prædictam, circa statum ipsius Ecclesiæ, ne Pastoris destituta regimine dampnorum perferat detrimenta, dignaremur de solitæ benignitatis clementia providere. Nolentes igitur, ut prædicta Ecclesia Sardanen. ex defectu Rectoris incommoda patiatur, & de tuæ probitatis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, tibi providendi hac vice de consilio & assensu dil. fil..... Prioris Prædicatorum, & Guardiani Min. Fratrum Ord. Ragusin. ipsi Ecclesiæ Sardanen. de persona ydonea, quæ tanto congruat oneri, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, ac faciendi ei a suis subditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, & Contradictores* &c. *per censuram* &c. *concedimus facultatem. Per hoc autem eidem Electo super jure, siquod sibi ratione electionis hujus de se factæ in eadem Ecclesia competit, aut præfato Sardanen. Capitulo, quin ad electionem Sardanen. Episcopi, cum Ecclesia ipsa vacare contigerit, libere possit procedere, sicut prius, nolumus aliquod præjudicium generari* &c.

Nicolai IV. epistola ad Archiepisc. Antibaren. ut Sarden. Ep. eligat.

Sed cum jussa a Pontifice electio, nescio quam ob causam longius protraheretur, quam par esset, idem Pontifex aliis literis ipso anno datis VI. Kal. Julias Michaelem Archiepiscopum monuit, ut ne electionem differat, Canonicorum jura neve lædantur; de Tanusio autem nulla repetita mentio. Dubitari sane non potest, quin Michael Nicolai imperata fecerit; at electi ab eo Antistitis nihil omnino, ne nomen quidem, memoriæ proditum invenio. In notitia Ecclesiarum Urbis & Orbis a Meliciate Episcopo Catharensi descripta sæculo XIV., itemque in notitia regiæ Bibliothecæ apud Carolum a S. Paulo & aliis hujusmodi catalogis sæculi ejusdem Ecclesia Sardensis nominatur subjecta Metropolitæ Antibarensi; ex quo intelligi potest per eos annos suos illi Episcopos non defuisse. Certe anno 1372. Episcopum habuit, qui cum aliis fere omnibus Episcopis Provinciæ Antibarensis solutione decimarum exemptus fuit; *Anno* 1372. *in provincia Antibarensi debebant decimas Sedi Apostolicæ Archiep. Antibaren. & Episcopi Dulcinen..... Sarden. Scutaren. de quibus nihil receptum fuit, neque exactum; pauperes sunt, & in miseria vivunt;* ex libr. Oblig. Cam. Apost. Cæterum nomina & acta horum Episcoporum ingens lacuna centum fere annorum absorbuit.

N. N. Episcopus Sarden. anno 1291.

JACOBUS EPISC. SARDENSIS VII.

De quo literæ datæ *die* XVI. *mensis Novembris in Civitate Castelli in Ecclesia S. Mariæ sub anno Domini* 1381. ab Hectore de Ursinis Episcopo Tiphernate, & testes consecrationis, qua ipse eamdem Ecclesiam Deiparæ Virginis *a Gratiis* dicta Ord. Servorum dedicavit *cum præsentia & coadjutorio Ven. F. R. in Christo Patris, & D. D. Jacobi de Burgo S. Sepulchri Ord. Eremitarum S. Augustini, permissione divina, & Sedis Apostolicæ gratia Episcopi Sardinensis;* atque inferius subjicit; *d. R. in Christo Patre, & D. D. F. Jacobo Episcopo, & coadjutore prædicto, auctoritate qua fungimur, similes remissiones, & indulgentias concedente.* Habes illas a Gianio descriptas in Tomo I. Annal. Ord. Servorum pag. 342. Ex quibus conjicias licet, Jacobum ob temporum eorumque locorum calamitates a sua Ecclesia discessisse, & in Italia commorantem Episcopo Tiphernati adjutricem operam navasse; qui anno 1386. Sardensem Epi-

Jacobus Ep. Sardensis an. 1381.

Digitized by Google

transit ad Ecclesiam Giracien-sem in Sar-dinia.

Episcopatum cum Giraclensi in Sardinia commutavit, auctore Matthejo in Sardinia Sacra ex Regest. Constitutionum Pontif. a Wadingo productis Tomo IX. Annal. ad hunc annum. Falluntur vero Wadingus, & Lequienius Tomo 3. Orient. Christ. col. 1061. tum ipse Matthejus, cum Jacobum Sardensem in Lydia Episcopum fuisse autumant; nam Sardus Lydiana metropolitico & archiepiscopali jure potiebatur in ea provincia; Jacobus vero in literis superius allatis, simpliciter *Episcopus* dicitur, & *Sardinensis*, quo tum vocabulo, & *Sardanensis* ac *Sardonensis* distingui quandoque comperio Sardensem in Albania Episcopatum. Equidem anno eodem, quo Jacobus hanc Ecclesiam dimisit, in ejus locum suffectus est IV. non Julii

PEREGRINUS EP. SARDENSIS. VIII.

Peregrinus Ep. Sarden. an. 1386.

Ex illustri D. Benedicti familia, & Abbas Monasterii S. Sophiæ de Zenta in diœcesi Sardensi; quem *propter paupertatem* suæ Ecclesiæ *a communi servitio* Pontifex exemit; ex lib. Oblig. Tomo 48. pag. 35. t. Brevem ejus Episcopatum fuisse ex eo constat, quod ab anno 1386. ad annum 1392. tres Episcopi Sardenses in tabulis Vaticanis nominantur; nimirum

ANTONIUS I. ET ANTONIUS II. EP. SARDENSES IX. ET X.

Uterque hoc nomine legitur in libris Oblig. Tomo 48. pag. 130., in his enim memoriæ proditum, Antonium itidem III. Sardensem Episcopum *recognovisse pro communi servitio alterius Domini Antonii prædecessoris sui; item pro alio Antonio ..... prædecessore suo;* de utroque autem nihil præterea innotescit.

ANTONIUS III. EP. SARDENSIS XI.

Antonius III. Ep. Sardensis anno 1392.

Anno 1392. die 29. Januarii *electus Sardinen. promisit personaliter pro suo communi servitio 66. fl. auri de cam. & quinque servitia consueta;* ex laudato Oblig. Tomo. Sane hæc Antonii sponsio major videtur, ampliorque, quam suæ Ecclesiæ reditus ferrent, quippe tenues valde & angusti superioribus Episcopis; hinc dubitatio aliqua suboriri posset, utrum is, aliique duo Antistites Antonii adscribi debeant in nostram Ecclesiam. Fortasse aut Pontificum munificentia, aut civium pia liberalitate commoda accessio facta fuerit Episcopatus reditibus; & *Sardinensis* Episcopi vocabulum non raro, ut diximus, usitatum pro *Sardensi* nos cogit, ut illos in catalogo Sardensium Episcoporum retineamus. Obiit Antonius an. circiter 1395.

MARIANUS EPISC. SARDENSIS XII.

Marianus Ep. Sardensis anno 1395.

Cognomento *Cencii*, patria Reatinus, huic Ecclesiæ præpositus a Bonifacio IX. anno VI. sui Pontificatus, id est 1395. *per mortem Prædecessoris*. Exstat pontificium diploma in tabulario Datar. Vatic. Marianus ad annum fere 1402. Episcopatum tenuit.

ANDREAS EPISC. SARDENSIS XIII.

Andreas Ep. Sardensis anno 1402.

Ab eodem Bonifacio Pontifice in locum Mariani suffectus; exstat in tab. Datar. Vatic. illius diploma datum an. XIII. qui est annus 1402. Commendatum habuit Monasterium S. Sophiæ de Zenta, cujus adeo exigui proventus erant, ut anno 1409. Gregorius XII. suis literis VI. id. Augusti illum censuerit a solutione eximendum pro eodem Monasterio debita ærario pontificio; ex libr. Obl. C. A. pag. 34., in quibus *Sardinensis* Episcopus vocatur; cum Sardensi vero & Daynensis Episcopatus regimen suscepit jussu Joannis XXIII., a quo ad Arbanensem Ecclesiam translatus fuit an. 1411.

JOANNES EPISC. SARDENSIS XIV.

Joannes Ep. Sardensis anno 1412.

Presbyter Ecclesiæ Sardensis, cognominatus de Palumbis, quem idem Joannes XXIII. in Sedem Sardensem Andreæ subrogavit, ut docent Acta Consistorialia; *Anno* 1412. IV. *Idus Februarii; provisum est Ecclesiæ Sardensi in provincia Antibarensi vacanti per translationem Andreæ olim Episcopi dictæ Ecclesiæ ad Ecclesiam Arbanensem de persona Joannis de Palumbis diœcesis Sardensis*. Præfuit usque ad annum duodetrigesimum hujus sæculi.

PETRUS MATTHIAS EPISCOPUS SARDENSIS XV.

Petrus Matthias Ep. Sarden. an. 1428.

Erat Canonicus Ecclesiæ Sardensis cum Daynensi rursum conjunctæ a Martino V., qui utrique ultra Drilonem in Epiro nova, sive Albania, Petrum Matthiam rectorem præposuit VI. Kal. Augusti anno 1428., ex diplomate Martini anno XII., & lib. Provis. S. C. pag. 187., tum Actis Consist. *Anno* 1428. VI. *Kal. Augusti providit Ecclesiæ Sardanen. & Danen. invicem unitis vacantibus per obitum .... de persona Petri Matthiæ Canonici dictæ Ecclesiæ Sardanen.*

STEPHANUS EPISC. SARDENSIS XVI.

Stephanus Ep. Sardensis anno 1444.

Ducaginus cognomine, ex familia nobilissima inter Albanas principes, anno 1444. V. Kalendas Augusti renuntiatus Episcopus Sardensis & Daynensis ab Eugenio IV. Plura de illo in Episcopis Daynensibus jam dicta.

JACOBUS II. EPISC. SARDENSIS XVII.

Jacobus II. Ep. Sardensis anno 1460.

Præter nomen nihil aliud innotescit ex Ration. Cam. Tomo 654. pag. 72., ubi dicitur, X. Kal. Augusti anno 1460. *Sardonensis* Episcopus, eumque per procuratorem solvisse *florenos* 50. Post hunc nullum nomi-

Digitized by Google

natum Ecclesiæ Sardensi & peculiarem Episcopum datum fuisse invunio usque ad finem sæculi decimi quarti. Interea quinque Episcopi Sappatenses præfuerunt, quibus Sardensis administrationem commendatam fuisse verisimile est.

EPISCOPI SAPPATENSIS

PAULLUS EPISC. SAPPATENSIS I.

Paullus Ep. Sappatensis an. incerto.

POst dimidium sæculi decimi tertii Ecclesia & Episcopus Sappatensis apparere cœperunt, cum antea nusquam ejus mentio reperiatur. Primus est Paullus nobis notus unice ex diplomate Gregorii XI. qui in illius jam mortui locum suffecit Benevenutum an. 1376. Paullus itaque hoc anno vel ante vacuam successori sedem reliquit; neque de illo quidquam aliud præter nomen superest. Utrum vero ante Paullum primus fuerit Sappatensis Episcopus Uladislavus nescio quis, quem in nostris schedis titulo Sappatensis Antistitis nominatum invenio an. 1370. non ausim definire, cum monumenta desint, queis illius Episcopatus probetur.

BENEVENUTUS EP. SAPPATENSIS II.

Benevenutus Episc. Sappatensis an. 1376.

E Franciscana familia severioris disciplinæ, quem Gregorius XI. jure sibi reservato eligendi Episcopi Sappatensis, quotiescumque id fieri contingeret, jubet e Monembasiensi in Peloponeso Ecclesia, cui præerat, ad Sappatensem regendam statim migrare *ob mortem Paulli prædecessoris*, datis literis die 2. Julii an. 1376. Tum aliis literis diei & anni ejusdem scripsit Pontifex *Capitulo, Clero, populo*, quin & *universis Vasassis Ecclesiæ Sappatensis, ut ei fidelitatem debitam, necnon consueta servitia & jura ab iis sibi debita exhibere studeant*; ex Reg. Gregorii XI. inscripto *Bullæ div.* an. VI. tomo 1. pag. 150. Non est autem veri dissimile, si ex iis conjicias, Ecclesiam Sappatensem vel ante Paullum Antistitem fundatam fuisse, illiusque initia cum initiis etiam hujus sæculi posse conjungi; licet oblivio, vel scriptorum incuria, qui primi fuerunt, Episcopos posterorum notitiæ præripuerit. Exstat in eodem Reg. tomo 2. pag. 372. aliud diploma Gregorii XI. Kal. Sept. illius anni Benevenuto inscriptum; eique concedit, ut duos sibi socios ex Franciscanis Fratribus, *cujus Ordinis Professor existis*, libere eligat, quos libuerit, in suo, suæque diœcesis famulatu, eosque vel dimittere, vel cum aliis commutare queat, nulla ab illorum Præsidibus venia expetita. Annos fere viginti Episcopatum tenuit, & cum vita finivit.

PETRUS EPISC. SAPPATENSIS III.

Petrus Ep. Sappatensis an. 1396.

Dictus *Zaccariæ*, Romæ præsens electus Episcopus Sappatensis anno 1396. a Bonifacio IX. & IX. Kal. Februarii ejusdem anni spopondit se soluturum *commune servitium* pro Marino Archiepiscopo Antibarensi; ex Tomo 48. Oblig. pag. 187. t. Diploma tamen Pontificium suæ electionis datum est an. VIII. Bonifacii, id est 1397., exstat in tabulario Dat. Pontif.

NICOLAUS EPISC. SAPPATENSIS IV.

Nicolaus Ep. Sappatensis anno 1414.

Quem Præfectus ærarii pontificii hac vice *a præstatione communis servitii propter paupertatem* exemit; ut est in tabulis Vaticanis Arm. 34. Tomo 4. pag. 94., ad an. 1414. die 10. Decembris. Cætera Nicolai acta oblivione deperdita; obiisse tamen videtur ante an. 1422.

MICHAEL EP. SAPPATENSIS V.

Michael Ep. Sappatensis anno 1422.

Huic Canonico Ecclesiæ Sappatensis eamdem Ecclesiam gubernandam tradidit Martinus V. anno 1422. die Martii 2., ex lib. Provis. S. C. pag. 124. t., & Episcopus renuntiatus in Consistorio pridie nonas ejusdem mensis, ut docent Acta Consistorialia; *Anno 1422. pridie nonas Martii provisum est Ecclesiæ Zappaten. vacanti per mortem N. N.* (Nicolai) *de persona Michaelis ejusdem Ecclesiæ Canonici*. Eodem anno, & IX. Kal. Augusti; cum nondum episcopali consecratione insignitus esset, *obtulit pro comm. serv. fl. auri de cam.* 58. *ad quos dicta Ecclesia taxatur, per manus Andreæ Ab. Monasterii S. Alexandri de Moleudino Ord. S. Ben. Arbanen. diœc.*; ex libris Obl. Tomo 60. pag. 12. Triennnium præfuit.

PETRUS II. EP. SAPPATENSIS VI.

Petrus II. Ep. Sappatensis anno 1425.

Ex Ordine Benedictino præerat Monasterio SS. Sergii & Bacchi in diœcesi Scodrensi, cum Martinus V. Sappatensi Ectlesiæ illum præposuit 3. idus Julias anni 1425., ex lib. Provis. S. Coll. pag. 157. & in Actis Consistorialibus, *Provisum est Ecclesiæ Sappaten. vacanti per mortem de persona F. Petri Abbatis SS. Sergii & Bacchi diœc. Scodrensis*. Erat Romæ eodem anno; & V. Kal. Novembris *obtulit flor.* 58. itemque *flor.* 31. anno 1428. IX. Kal. Aprilis; in Tomo 60. Obl. pag. 118. Huic. Eugenium IV. Monasterium quoddam commendasse in Drivastensi diœcesi ferunt tabulæ Vaticanæ, quod reor idem esse ac Monasterium S. Joannis de Stivalio ab ipso Pontifice traditum Matthæo Petri successori. Anno, quam Episcopatum inierat, fere octavo e vivis excessit.

MAT.

Digitized by Google

MATTHÆUS EP. SAPPATENSIS VII.

Matthæus Ep. Sappatensis anno 1433.

Cui cognomen de Hermolais, quæ familia Arbi, ubi Matthæus natus est, in primis floruit generis nobilitate, & opum copia, sexque Arbensibus Antistites dedit, ex iisque Matthæum ipsum, uti inferius dicemus. Hunc & Matthiam, & perperam Hermolaum nominatum invenio in tabulis Vaticanis; eumdemque jam Presbyterum Arbensem Eugenius IV. Petro e vivis sublato in hanc Sedem pontificiam subrogavit pridie nonas Martias anni 1433. Cum autem proventus Ecclesiæ Sappatensis admodum tenues ad personam episcopalem sustinendam satis esse non viderentur, eidem Monasterium Benedictinum de Stivalio diœcesis Drivastensis idoneis vectigalibus instructum commendavit Pontifex, quod tamdiu retineret, quoad Episcopatum pinguiorem nancisceretur; ita ad eum annum Acta Consistorialia; *Provisum est Ecclesiæ Sappaten. per obitum b. mem. D. Petri Episcopi vacanti de persona D. Matthæi de Hermolais Presbyteri Arben. cui etiam commendatum fuit Monasterium S. Joannis de Stivalio Ord. Benedictini Drivastensis diœcesis, quoad sibi de meliori Ecclesia providebitur.* Romæ erat, & episcopali consecratione nondum inunctus *obtulit fier.* 58. *pro communi servitio* v. Kal. Apriles anni ejusdem; ut in Tomo 64. Oblig. pag. 141. t.

Nec dubitandi locus est, quin suam Ecclesiam adierit, cujus regimen pie prudenterque tenuit ad annum 1440. Verum anno ante in Italia & Florentiæ versabatur, ubi &

Interest Concilio Florentino, & transit ad Ecclesiam Arbensem.

actis Œcumenici Concilii Florentini interfuit, iisque rite subscripsit cum cæteris Latinis Præsulibus hac verborum forma; *Ego Matthæus Episcopus Zapatensis, me subscripsi.* Concilio absoluto, non arbitror Matthæum ad suam Ecclesiam rediisse, a qua ad Arbensem migrare jussus est ab Eugenio Pontifice III. idus Apriles anni 1440, eodemque anno legitur in libris Obligat. tomo 64. pag. 324. ei commendatum fuisse Monasterium SS. Sergii & Bacchi in diœcesi Scodrensi. Utrum vero & hujus Ecclesiæ administrationem habuerit, ut fert Eugenianum diploma in Archiv. Bull. Eugenii IV. anno XII. tomo 2. pag. 189., dubitari merito potest tum propter nimiam distantiam Scodrensis ab Arbensi Episcopatu, quem jam inierat an. 1440., tum quia is obiisse videtur anno 1442., qui est duodecimus Pontificatus Eugenii, vel insequenti, uti in Arbensibus Episcopis dictum. Verum neque diplomatis hujus veritas temere rejicienda est, neque certo constat, quo demum anno vitam finierit, cum nullæ tabulæ prodant, an Arbensem Ecclesiam usque ad obitum rexerit. Præterea, quæ tunc fierent in uno Antistite Episcopatuum etiam dissitorum conjunctiones, qui ab uno ad alium transitus, notissimum est ex historia ecclesiastica illius sæculi. Rem igitur in incerto relinquamus licet, dum certiora, clarioraque prodeant monumenta.

GEORGIUS EP. SAPPATENSIS VIII.

Georgius Ep. Sappatensis anno 1440.

Archipresbyter S. Michaelis de Plebe in diœcesi Patavina, Sappatensis Ecclesiæ Episcopus renuntiatus fuit ab Eugenio IV. idibus Juniis anni 1440. ex Tomo *66.* Oblig. pag. 52. t. idemque quatriduo post *obtulit personaliter flor.* 58. ut in Tomo *64.* Oblig. pag. 300. In tabulis Vaticanis exstat diploma Nicolai V. qui Georgio monasterium nescio quod commendat, idem fortasse S. Joannis de Stivalio diœcesis Drivastensis, Petro ac Matthæo antea commendatum. Ad hunc, tacito ejus nomine, exstat epistola Callisti III. data Kalendis Juniis an. 1457., qua eidem imperat, ut, de quibus accusatus fuerat Paullus Crainensis Archiepiscopus flagitiis sane gravissimis quæstionem haberet, eumque, si reum comperisset, pro gravitate delictorum, quibus dignus esset, pœnis ecclesiasticis afficeret. Eam hic exscribimus.

Ad eum literæ Callisti III. P.

Venerabili Fratri Episcopo Zappatensi, & dilecto filio Guillelmo de Lauro familiari nostro in Theologia Baccalario, salutem.

Plurimorum insinuatione lamentabili ad nostrum pervenit auditum, quod venerabilis Frater noster Paulus Archiepiscopus Crainensis, quem dudum nostrum & Apostolicæ Sedis Nuncium ad Albaniæ & Serviæ ac illis vicinas partes destinavimus, & concessimus sibi verbum Crucis populo prædicandi, ac Crucis hujusmodi signum cunctis Fidelibus adversus perfidum Machometum Turcarum Principem profecturis dandi, aliasque diversas facultates in nostris inde confectis literis tunc expressas, eisdem facultatibus, quibus confidebamus ipsum Fidelium salutem, & Fidei Catholicæ protectionem exquirere debuisse, abusus illas in perniciem vertit, ac in venerabilis Fratris nostri Nicolai Polacensis Episcopi ac plurimorum nobilium & gravium virorum præsentia publice prædicare veritus non fuit fidem Græcorum veriorem fore Fide, quam docet & tenet Sancta Romana Ecclesia, & eorumdem Græcorum ritum dictæ Romanæ Ecclesiæ ritui prævalere, quodque nos in omnes & singulos, qui Græcis & Rascianis Schismaticis & Infidelibus contradicerent, excommunicationis sententiam promulgaremus.

Præterea dilectum filium nobilem virum Paulum Ducaginum Catholicum Principem, & ejus subditos absque rationabili causa excommunicavit, & ipsis omnia ecclesiastica Sacramenta interdixit, unde maxima in Albania subsecuta sunt scandala. Impedivit etiam, prout impedit, ne Schismaticis & Rascianis verbum Dei prædicari, & Infideles converti & baptizari possint, sed Infideles & Hæreticos in eorum perfidia fovet & attollit. Præterea Crucem erectam ante se deferre facit, & se omni Papali potestate fungi asserens Romam venire prohibet eos, qui pro Apostolicæ Sedis gratiis consequendis Sedem ipsam accessuri forent; aliaque gravia & enormia commisit, ex quibus nisi super iis opportune provideatur per Sedem eamdem, pejora succedent, quæ

quæ in divini Nominis & dictæ Catholicæ Fidei magnam protendentur offensam. Nos itaque præmissa sub dissimulationis conniventia pertransire nequeuntes discretioni vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vocatis dicto Archiepiscopo & aliis, qui fuerint vocandi, vos vel alter vestrum super præmissis in dictis Albaniæ & Serviæ partibus inquiratis auctoritate nostra diligentius veritatem; & si per inquisitionem hujusmodi ea repereritis subniti veritati, eadem auctoritate prædicto Archiepiscopo tam prædicationis, quam pontificale interdicatis officium, ipsumque a regimine & administratione Ecclesiæ suæ suspendatis, sibique terminum statuatis competentem, infra quem personaliter se coram nobis repræsentet, super præmissis per nos adversus eum . . . . . facientes omnia & singula, quæ in præmissis decreveritis, per ipsum Archiepiscopum eadem auctoritate, appellatione postposita, firmiter observari &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno MCCCCLVII. Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno III.

Paulli acta, & hujus criminationis exitum habes in Episcopis Drivastensibus; siquidem hanc Ecclesiam Drivastensem primum rexit Paullus, deinde administravit. Nicolaus Episcopus, quem hic Pontifex innuit, Polacensis idem est ac Pullatensis.

EMMANUEL EP. SAPPATENSIS IX.

Emmanuel e Scodren. Episc. Sappaten. anno circa 1459.

Quem Pius II. e Scodrensi ad Sappatensem Ecclesiam migrare jussit anno 1459. quamdiu vero Antistes Sappatensis fuerit, omnino incompertum. Waddingus ad annum 1472. hæc scribit; *Ad Sapien. in partibus Infidelium longo tempore vacantem frater Joannes Martini Lusitanus sacræ Theologiæ Magister* XVI. *Kal. Augusti. Exercebat Pontificalia in diœcesi Ulyssiponensi*; & Petrus Antonius de Venetiis hunc nominat Episcopum Sappatensem. Ignoramus, quæ sit hæc Ecclesia Sapiensis apud Waddingum, & Sappatensis diu suo Antistite non caruit post Emmanuelem; quin verisimile non fit, Joannem, vix inito Episcopatu an. 1472., eodem anno ad alium transiisse. Quare illum e nostra serie expungendum putamus.

N. N. EPISCOPUS SAPPATENSIS X.

Qui post Emmanuelem huic Ecclesiæ præesse cœpit anno forte sexagesimo hujus sæculi, eamque alio translatus dimisit an. 1472.

MARINUS EPISC. SAPPATENSIS XI.

Marinus Ep. Sappaten. anno 1473.

Cui Summæ cognomen, ad hanc Sedem evectus a Sixto IV. anno 1473. VIII. Kal. Martias, ut docent litteræ pontificiæ ex tabulis Datar. Rom., eodemque anno x. Kal. Octobris per procuratorem pollicitus est octo supra quinquaginta florenos se soluturum ærario Pontificis, ea tamen ipsa die ab omni debitione exemptus, *ex eo quod præfata Ecclesia a Turchis devastata & destructa, & penitus fructibus & emolumentis caret*; ita Tomo 81. Oblig. pag. 176. t. Post sexennium in ejus demortui locum

GABRIEL EPISCOPUS SAPPATENSIS ELECTUS.

E familia Franciscana v. idus Martii anni 1479. *per obitum*, sc. Marini, *ad relationem Cardinalis S. Mariæ in Porticu*; Tomo 82. pag. 88. tomo 83. Oblig. pag. 59. t. Sed aut Episcopatum recusavit, aut alia ex caussa statim ab electione deposuit.

BLASIUS EPISC. SAPPATENSIS XII.

Blasius Ep. Sappatensis an. 1489.

Ab anno 1489. erat Episcopus Ecclesiæ Lissiensis sive Alexiensis, quam Innocentius VIII. cum Sappatensi ad tempus conjunxit, & hanc simul cum Lissiensi Blasio administrandam tradidit; *An.* 1489. 29. *Nov. univit Sappatensem Ecclesiam alias Zappatensem in Albania Lissiensi ad vitam R. P. Blasii Episcopi Lissiensis, vacante Sappatensi per obitum D. Marini*; ex Actis Consist. ad hunc annum pag. 9. t. Cum igitur Marini obitu & conjunctæ hic dicantur hæ duæ Ecclesiæ, et in lib. Oblig. *Gabriel electus Sappatensis* Antistes, satis id nobis est ut credamus Gabrielem aut sponte, aut invite electione se abdicasse. Sed an. 1490. conjunctio Ecclesiarum Lissiensis & Sappatensis dissoluta est.

EPISCOPI SARDENSES ET SAPPATENSES.

PROSDOCIMUS EPISC. SARDENSIS ET SAPPATENSIS I.

Prosdocimus Episc. Sarden. & Sappaten. an. 1490.

ANno 1490. 13. Kal. Januarias Sappatensis primum Antistes renuntiatus est ab Innocentio VIII., & anno 1491. Sardensis quoque Ecclesiæ administrationem suscepit; quo anno utriusque Ecclesiæ firma conjunctio decreta fuit ab eodem Pontifice, ac stabilita. Hujus conjunctionis diploma exstat in tabulis *Datariæ* Vaticanæ, uti nos monuit Cardinalis Garampius; & inde utroque titulo Sardensis & Sappatensis Episcopi tum Prosdocimus, tum qui ei successere ad hæc usque tempora, nominari cœperunt. De Prosdocimo nihil nobis innotescit, præter ejus obitum an. circ. 1500.

PETRUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS II.

Petrus Sarden. & Sappat. Episc. anno circ. 1500.

Prosdocimo suffectus ab Alexandro VI. anno circ. 1501. *per obitum* ejusdem Prosdocimi. Erat illi cognomen Strebbigna; & Romæ

Digitized by Google

næ degebat anno 1507., ac in templo Lateranensi sacra mysteria solemni ritu peregit mense Junio, ipso die festo D. Joannis Baptistæ, ut a Paride de Grassis memoriæ proditum est in suo Diario pag. 132. t., qui præsens ac testis hæc de Petro subdit; *Qui duobus coloribus paramentalibus indutus fuit, licet pessime dixit, quod non alia erant; & in Missa cantavit Credo, quod non debuit cantari, etiam in Ecclesia sua, quia alia die fit festum dedicationis ejusdem* (templi Lateranensis); *& dixit sic esse consuetum, & male.* Petrus ab urbe digressus paullo post vitam finivit sub finem anni ejusdem, aut insequentis initium.

DOMINICUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS III.

Dominicus Ep. Sarden. & Sappaten. an. 1508.

E familia Garcia, Dominicani instituti assecla, anno 1508. die 5. Julii utrique Ecclesiæ præpositus fuit a Julio II. Neque Fontana, neque Cavalerius, aliive Ordinis Prædicatorum Scriptores illius meminere præter Bremondum in Bull. Dominic. tomo 4. in quo exstant pontificiæ litteræ tum ad Dominicum ejus electionis testes, tum ad Clerum & populum Sardensis & Sappatensis diœceseos; sunt vero hujusmodi.

Julius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico Garciæ electo Zappaten. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

ad quem Julii II. P. litteræ,

Dudum siquidem bonæ memoriæ Petro Episcopo Zappaten. regimini Zappaten. & Sarden. Ecclesiarum invicem in perpetuo unitarum præsidente, nos cupientes eisdem Ecclesiis, cum vacarent &c. *provisionem ipsarum Ecclesiarum ordinationi & dispositioni nostræ duximus* &c. *reservandæ* &c. *Postmodum vero Ecclesiis prædictis per obitum ipsius Petri Episcopi, qui extra Romanam Curiam* &c. *nos, vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsarum Ecclesiarum in partibus Infidelium constitutarum pro parte, & in quibus complures Christiani existunt, celerem & felicem* &c. *ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum professorem, in presbyteratus Ordine, & ætate legitima constitutum, religionis zelo* &c. *direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis* &c. *iisdem Ecclesiis providemus, teque illis præficimus in Episcopum & Pastorem* &c. *Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octavo, Tertio Nonas Julii, Pontificatus nostri Anno quinto.*

& ad Clerum,

Julius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Clero civitatum, & diœcesis Zappaten. & Sarden. invicem perpetuo unitarum, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Hodie Zappaten. & Sarden. Ecclesiis invicem perpetuo unitis, tunc per obitum bonæ memoriæ Petri Episcopi Zappaten. extra Romanam Curiam defuncti pastoris regimine destitutis, de persona dilecti filii Dominici Ordinis Fratrum Prædicatorum professoris electi Zappaten., nobis & Fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica providimus, ipsumque illis præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem præfatarum Ecclesiarum sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem Dominicum electum, tamquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, ac exhibentes sibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas ejus salubria monita & mandata suscipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam, quam idem Dominicus electus rite tuleris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum &c. ut in superioribus.

Julius Episcopus Servus Servorum Dei, ac populum Sardensem & Sappaten. *dilectis filiis Populo civitatis & diœcesis Zappaten. & Sarden. invicem perpetuo unitarum, Salutem* &c.

Hodie &c., uti superius usque ad verbum *continetur. Quocirca Universitatem vestram rogamus & hortamur attente per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus eumdem Dominicum electum* &c. *ejus salubribus monitis & mandatis humiliter intendatis ita, quod ipse in vobis devotos filios, & vos in eo per consequens patrem invenisse benevolum gaudeatis. Datum* &c. ut supra.

Dominicus 7. Kal. Augusti ejusdem anni ab consueta solutione *floren.* 58. exemptus fuit, *quia docuit, quod dicta Ecclesia est in partibus Infidelium, & promisit solvere* &c. *quam primum venerit ad manus Christianorum;* Oblig. tomo 88. p. 156. Waddingus tom. 15. Annal. ad an. 1508. eum adscribit Franciscanæ familiæ; *Electus est Ep. Zapaten. & Sardanen. sive Sarden. Ecclesiarum unitarum sub Archiep. Antibaren. P. Dominicus Garsias per ob. Petri Sombriga die* XV. *Julii*. Sed quam falso hæc scribat, testantur pontificia diplomata mox prolata; & Petro cognomen fuisse *Strebbigne*, docent tabulæ Vaticanæ. Dominico post quadriennium demortuo suffectus fuit

AMBROSIUS EPISC. SARDENSIS ET SAPPATENSIS IV.

De cujus Episcopatu dubitare non sinunt literæ Julii II. datæ ad Ambrosium electum *Sardoensem* tertio Kal. Aug. anni 1512. & inter Romanæ Datariæ tabulas servatæ. *Montesinio* illi cognomentum fuit; & num idem sit, *qui Antonius a Montesono* Franciscani instituti electus dicitur Sardensis Antistes in Viridario Seraphico an. 1511., dijudicare non ausim. Et si alium esse velis ab Ambrosio, uti verisimilius videtur, nullus ei locus patet inter Episcopos nostros, neque Petro Tallonio, quem auctor Viridarii an. 1513. electum fuisse scribit Sardensem Antisti-

Ambrosius Ep. Sarden. & Sappatens. anno 1512.

Digitized by Google

tistitem. Forte tamen error aliquis chronologicus irrepere potuit; & alterutrius, non utriusque Episcopatus in an. 1516. rejicere commodum erit. Episcopus vero renuntiatus *per obitum* Dominici, XIV. Kal. Septembris *obtulit florenos* 10. *pro balista*; S. C. tomo 11. pag. 52. t. Quod vero *Sardonensis* solummodo Episcopus appelletur in diplomate Juliano, minime obest, quin post conjunctionem utriusque Ecclesiæ idem esset & Sappatensis; nam deinde usu venit, ut Ecclesia utraque alias sub titulo Sardensis, alias sub titulo Sappatensis, alias sub utroque conferri soleret. Vel alio translatus Ambrosius, vel illico morte præreptus vacuam successori Sedem episcopalem reliquit eodem anno, quo ad illam fuerat evectus.

GEORGIUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS V.

Georgius Episc. Sard. & Sappat. an. 1513.

Notus ex literis Leonis X., quas paullo inferius subjiciam. Episcopatum inierat anno circ. 1513., & paullo post cum vita dimisit.

DIDACUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS VI.

Didacus Ep. Sarden. & Sappatensis an. 1514.

Fernandez, aut Ernandez cognominatus, ex sanctissima D. Dominici familia. De illo hæc Bremondus in Append. Tomo 4. Bull. Dominic. pag. 400. *Mirum, quantum de hoc Episcopo laborent nostrates. Fontana in Theat. Domin. part.* 1. *cap.* 5. *tit.* 654. *ipsum constituit Zerdimiensem Episcopum in Anglia. Hac de re laudat Fernandez & Rodium. Cavalerius vero tom.* 1. *pag.* 348. *ipsum cognominat Ernandez, & Episcopum Sardiniæ, vel potius in Sardinia Italiæ insula fuisse docet.* Verum Bremondus ipse Sardensem illi Ecclesiam attribuit, quam Didacus jussu Leonis X. regendam suscepit an. 1514. XII. Kal. Decembres, datis ad eum literis, quas ex laudato Bull. exscripsimus.

Ad eum literæ Leonis X.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Didaco Fernandez Electo Sardonen. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Apostolatus officium &c. *Dudum siquidem bonæ memoriæ Georgio Episcopo Sardonen. regimini Sardonen. Ecclesiæ præsidente* &c. *postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Georgii, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit* &c. *nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta* &c. *demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ professorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, ac temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis* &c. *teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam, & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo* &c. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quartodecimo, Duodecimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno secundo.*

Vix Episcopus electus die nona Decembris solvit pontificio ærario *per procuratorem* nummos undecim aureos *de Camera*, & æreos Bononienses vigintiquinque, ex Rat. Cam. *tom. 766.* p. 60. t. & episcopali consecratione nondum suscepta idibus Januariis an. 1515. *obtulit flor.* $33.\frac{1}{2}$. ex Prov. S. C. tomo 12. pag. 72. Suam Ecclesiam an adierit diris Turcarum oppressionibus agitatam, in incerto est; ejus autem curam, & administrationem reliquerat anno eodem 1515. aut insequenti. Nam anno 1518. Joannes electus fuit Sardensis & Sappatensis. Antistes in locum postremi Episcopi vita functi; at Didacus in Hispania erat an. 1524., ut nos docent literæ Card. Garampii; interfuit die septima Februarii solemni cærimoniæ, qua Petrus Emanuel Episcopus Legionensis inunctus fuit & inauguratus ab Alvario Osorio Episcopo Asturicensi *in Capella S. Mariæ Ecclesiæ parochialis Oppidi de Villa Carlon Legionensis diœcesis*. Itaque inter Didacum & Joannem alius hisce Ecclesiis Episcopus præfuerit necesse est, quem anonymum Didaco subjicimus.

N. N. EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS VII.

Ab anno circiter 1516. ad annum 1518. has tenuit Ecclesias, morte sublatus. Forte aut Antonius de Montesono hic fuit, aut Petrus Tallorsius, qui in Viridario Seraphico alter an. 1511. alter an. 1513. chronologico, uti suspicari licet, errore Episcopi Sardenses nominantur; de quibus in Ambrosio dictum. Nihil tamen certi statuimus; atque alteruter, vel uterque e nostro catalogo est expungendus.

JOANNES BONAVENTURA EPISC. SARDEN. ET SAPPATEN. VIII.

Joannes Bonav. Ep. Sarden. & Sappaten. an. 1518.

De Valderama, ex Franciscano instituto. Anno 1518. die tertia Septembris *per obitum fit Episc. Sarden. in partibus Infidelium, ita tamen quod infra annum ad ipsam Ecclesiam se transferat cum animo ibi residendi. Reddit flor. an. de Cam.* 150. *taxata fl.* $33.\frac{1}{3}$. ex Actis Consist. tomo 108. pag. 35., ac die ejusdem mensis decima quinta *obtulit fl.* $35\frac{1}{3}$. ex Oblig. C. A. p. 116. t. Waddingus ad annum 1518. perperam consignat diem electionis vicesimam quintam Augusti, & *per obitum Didaci*. Joannes vix triennium præfuit; & hoc Episcopatu dimisso, in Hispaniam secessit, ubi anno 1534. die decima Januarii *consecravit Petrum Ægidium Ep. Tripollen. in Ecclesia Compostellana in Capella majori prope altare B. Jacobi Zebedei*; ita ad nos laudatus Garampius.

AL-

Digitized by Google

ALPHONSUS EPISC. SARDENSIS ET SAPPATENSIS IX.

Alphonsus Ep. Sarden. & Sappaten. an. 1521.

Et hic ex Franciscana familia ad regimen utriusque Ecclesiæ assumptus est mense Februario anni 1521. & octavo Idus Martias *solvit duc.* 10. *pro balista per procuratorem*; ex. R. C. tomo 773 pag. 115. & Obl. S.C. Tomo 37. p. 83. Cognomen illi fuit Cavaleirus, quem *Cavallierum*, *alias Cavallerium* Waddingus nominat; & *per obitum Bonaventuræ* in hujus locum successisse falso affirmat; vitam enim is agebat in Hispania, cum Alphonsus hisce Ecclesiis præpositus fuit. Hæc Waddingi verba: *Ad Sardensem Ecclesiam in Sclavonia sub Archiep. Antibaren. F. Alphonsus Cavallier, alias Cavallerius, Conventualis p. obitum Bonaventuræ 6. Februarii.* In Viridario Seraphico legimus *Alphonsum a Villa* an. 1526. *Episcopum Sappatensem*; Waddingus ad eum annum; *Alphonsus de Villa sanctæ regul. Observ. ad Sabulen. seu potius Scopulen. in Patriarchatu Constantinop. sub Archiep. Acriden.* & Suffraganeus Assanen. die 21. Februarii; quæ neque in Waddingo satis intelligi, neque cum auctore Viridarii componi queunt; sed Alphonsus in Viridario nominatus idem ac noster videtur, minimo vero Alphonsus alter apud Waddingum; hic enim severioris, ille autem moderatæ inter Franciscanos disciplinæ cultor fuit.

De Alphonsi Episcopatu, ejusque gestis vetera silent monumenta. Post hanc nullius neque Sardensis neque Sappatensis Episcopi mentio fit in tabulis Romanis, vel Scriptoribus sæculi decimi sexti usque ad annum ejusdem sæculi septuagesimum octavum.

TOSSOLUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS X.

Tossolus Ep. Sarden. & Sapp. an. circ. 1578.

Quo nomine in literis pontificiis appellatur, alias *Tosalus*, *Thebaldus* & *Theobaldus* dictus, cognomine Blancus. Ætate gravi annorum octoginta creatus Episcopus an. circiter 1578. a Gregorio XIII., cum ad suam Ecclesiam iter aggredi vellet multis licet incommodis ac periculis obnoxium, & diœcesim sibi creditam Presbyterorum ministerio plurimum indigere nosset, qui parœcias regerent, & incolis divini verbi & sacramentorum pabulum præberent, a Pontifice diploma obtinuit datum VI. Kal. Novembris illius anni, quo potestas ei concessa, ut per annum solummodo sacris Ordinibus quosque imperiret, nec ætatis nec temporis servata a Concilio Tridentino statuta, dummodo secundum supra vigesimum ætatis annum attigerint, & tanto muneri pares probentur esse virtutis & doctrinæ merito. Cumque finitimæ Sappatensi diœceses, Pullatensis præcipue, & Scodrensis, gravissimis criminibus essent oppleta, Pastorum aut incuria, aut absentia, vel etiam defectu, Pontifex episcopalem Tossoli curam in hæc præterea loca derivari mandat; ipsi vero Tossolo mobilis altaris usum, in quo tum is, tum sacerdos quisque coram Episcopo sacra mysteria queat peragere, in illius commodum, ejusque senectutis perpensa ratione, largitur. Exscriptum est diploma ex Archetyp. Brev. Gregorii XIII. tomo 36. num. 476.

Litteræ ad illum Gregorii XIII.

Ven. Fr. Toselo Episc. Sapaten. & Sarden. Gregorius P. P. XIII.

Ven. Fr. Salutem &c. Cum sicut exponi nobis nuper fecisti, tanta istic Presbiterorum penuria existat, & parroch. Ecclesiæ Rectoribus destitutæ remanent, & plurimæ, quod dolendum est, absque confessionis, & aliorum Sacramentorum Ecclesiastic. administratione ab humanis decedere contingat, nos tanto animarum periculo de celeri & opportuno remedio occurrere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati fraternitati tuæ, cum in octuagesimo tuæ ætatis anno constitutus, & solus in illis partibus Antistes impresentiarum existas, quascumque illarum partium personas, etiam in vigesimo secundo suæ ætatis anno sanum constitutas, aliàs tamen idoneas, extra tempora a jure servata & temporum interstitiis juxta formam Concilii Tridentini servandis minime servatis ad presbiteratus ordinem facultatem per annum tantum duraturam promovendi (nec non personis aliarum Civitatum & dioc. earumdem partium Sedibus Episc. vacantibus Sacramenta Eccl. administrandi. Et quia multi Civitatum & diœc. Pulaten. & Scutaren. in assassinii furti, concubinatus & alia gravia crimina & excessus propter eorum Pastorum defectum incidunt; illos ad se recurrentes ab hujusmodi delictis in utroque foro, iniunctis de eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint iniungenda, absolvendi) concedimus & impartimur. Et insuper commodis tuis consulere volentes tibi in quadam Capella domus tuæ altare portatile cum debitis reverentia & honore, super quo tu seu Sacerdos secularis vel cujusque ordinis regularis missas & alia divina officia in tua & familiarium tuorum domesticorum presentia celebrare possis seu possit, ita quod id nec tibi, nec dicto Sacerdoti taliter celebranti nequeat ad culpam imputari, licentiam & facultatem tenore presentium concedimus & indulgemus. Non obstantibus Lateranen. Concilii, & quibusvis aliis constitutionibus & ordinationibus apostol. ceterisque contrariis quibuscumque Dat. Rome apud Sanctum Petrum &c. die 27. Oct. 1578 Pontif. &c. an. sept.*

* Verba parenthesi inclusa tribus a summo ad imum superductis lineis videntur deleta in autographo Vaticano.

Ad hæc Pontifex de grandæva Tossoli ætate sollicitus, quæ adjutoris cujuspiam opem & præsens levamen poscebat, scripsit die eodem ad Joannem Mariam Barabbium Presbyterum Ragusiensem, virum ecclesiasticis doctrinis apprime excultum, jussitque, ut Tossolo sese comitem adjungeret, eique in quovis Episcopatus munere consilium atque operam suam sedulo porrigeret pontificia fultus auctoritate. Exstant literæ in tabul. Vatic. arm. 42. tom. 36. p. 102.

& ad Joannem Barabbium,

Cum ven. Fr. Tosolus Ep. Sapaten. & Sarden. propediem ad Eccl. suam Sap. & Sard. proficisci intendat, & multa inibi administranda sunt, quæ dictus Tosolus Episc. propter senium per se ipsum præstare non poterit, suaque opera & industria eidem Toselo Ep. in præmissis plurimum utilis sit & necessaria, tibi, qui Theologus existis, ac de cujus probitate & in rebus agendis experientia plurimum in Dom. confidimus, ut cum eodem Toselo Ep. ad Eccl. prædictam proficisci, & eundem Toselum Ep. tum in prædicando, tum in docendo, necnon quæ ad gregis dominici sibi commissi pertinent, procurando & administrando, qua in re poteris juvare, nullius ad hoc requisita licentia, libere & licite valeas, apost. auctoritate tenore præsentium concedimus & indulgemus. Non obstantibus &c.

Ubi ad suam Ecclesiam advenit Tossolus, confusa omnia & incomposita offendit; quare, senio licet confectus, nihil a se episcopalis sollicitudinis atque vigilantiæ prætermitti passus est, quod turbatis afflictisque Christianorum rebus juvamen afferret, atque animarum salutem. Sed labori curæque suæ exigui fructus cum redderentur, hac de re graviter dolens questus est apud Pontificem, qui statim piissimum senem peramanter solari voluit, & quodcumque præsidium pollicitus in iis curandis diœcesibus ad constantiam, animique fortitudinem adhortatus est hisce literis an. 1580. datis die vicesima Februarii,

ac rursum ad Tossulum.

Redditæ fuerunt nobis tuæ literæ, quibus nos certiores facis de rebus Eccl. tuæ. Dolemus, fructus tam tenues esse, quam scribis. Sed non debet Fraternitas tua animo cadere, neque munus tuum deserere, neque in Christi causa & animarum salute minus diligenter versari; nunquam enim servis suis defuit Deus. Nos, ubi facultas dabitur, efficiemus, ut re ipsa intelligas, te a nobis diligi, tuaque res nobis cordi esse. Ex arm. 44. tomo 24. p. 267.

Duos fere annos posthac suæ præfuit Ecclesiæ, & annorum æque, ac curarum pondere pressus, invicto tamen animo in obeundis Episcopatus muneribus, vita decessit annum agens quintum supra octogesimum, mense Octobris anni 1582.

GEORGIUS II. EPISC. SARDENSIS ET SAPPATENSIS XI.

Georgius II. Ep. Sardensis & Sappaten. an. 1583.

Ex familia Palma, Presbyter, Canonicus & Primicerius Metropolis Antibarensis, cui Gregorius XIII. an. 1583. Ecclesiam Sappatensem simul cum Sardensi decrevit; ex Actis Consistor. *An. 1583. 9. Septembris providit Ecclesiæ Sappaten. in Albania sub Turca per obitum Theobaldi vacanti de persona Georgii Palma Presbyteri, Canonici, Primicerii Ecclesiæ Antibarensis, cum dispensatione eo quod non sit Doctor, nec approbatus.* In iisdem Actis tomo 116. p. 169. legitur elogium, quo Julius Antonius Santorius Cardinalis S. Severinæ Georgium nominavit Episcopum Sappatensem, & hujus Ecclesiæ miserum sane statum describit sub sævo Turcarum imperio; hisce enim suam sententiam proposuit.

De eo elogium.

Ego Julius Antonius Card. S. Severinæ &c. proponam Eccl. Sabaten. seu Sapaten. per obitum b. m. Tosoli, seu Theobaldi Blanebi ultimi illius Ep. de mense Octobris 1582. defuncti pastoris solatio destitutam, providendo de persona R. D. Georgii Palmæ Can. ac Primicerii Antibaren. Civitas Sabaten. seu Sapaten. est in Prov. Albaniæ sub Turcarum tyrannide, & eam populi Christiani inhabitant. Eccl. Cathedralis Sabaten. B. Michaeli Arch. dicata est, & dudum ab infidelibus in parte destructa, quare in ea nunc Sacram. non administrantur, nec divina officia celebrantur, sed in Eccl. S. Georgii ejusdem civitatis.

Ipsa Eccl. est suffragan. Metrop. Eccl. Antibaren., & ipsi Eccl. Sabaten. dicitur unita Eccl. Sardaten. seu Zadrimen. in eadem Albaniæ prov. Nullas habet dignitates, aut Canonicatus, neque communem Sacristiam, sed deservitur a 5. vel 6. Presbyteris. Fructus mensæ Ep. dicuntur ascendere annuatim ad 50. ducatos auri de Cam. qui consistunt in frumento, quod in illis partibus est vilis pretii. In libris Cam. non reperiuntur taxati. Promovendus honestis ac Catholicis parentibus natus annum agit circiter L., literis præditus est, & a pluribus annis in sacris & Presbyteratus ordinibus constitutus, ac habet alias qualitates a sacris Canonibus &c. requisitas, nisi quod non est Doctor, neque Licentiatus in sacra Theologia, vel Jure Canonico &c. Quæ omnia ex processu ab Ep. Catarен. in partibus de mandato S. S. habito, & ad urbem transmisso &c. constant.

Post septennium vitam finivit.

NICOLAUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XII.

Nicolaus Ep. Sarden. & Sappaten. anno 1594.

Bonis parentibus & honesta familia Blanca natus est Sappæ anno 1541. Ingenuis artibus & liberalibus disciplinis primam ætatem excoluit, & ordine sacerdotali insignitus annos fere viginti cum Joanne fratre Episcopo Alexiensi transegit, cujus consuetudine atque doctrina eos imbibit animi sensus & pastoralis sollicitudinis, quibus ad pontificale officium sese perfecte planeque informabat. Igitur an. 1594., ut ferunt Acta Consistorialia Tomo 160. p. 84., die 7. Novembris Sappatensem Ecclesiam gubernandam suscepit; *Providit* (Clemens VIII.) *Eccl. Sappatensi & Sardensis invicem unitis in partibus infidelium de persona Nicolai cum dispensatione eo quod non sit graduatus* &c. Cardinalis Santorius, cujus erat munus, nominationem pro utraque Ecclesia exposuit hisce verbis:

Ego &c. proponam Eccl. Sapaten. & Sardaten. invicem unitas in partibus Infidelium a qua-

Digitized by Google

quatuor annis p. ob. b. m. Georgii ultimi illarum Ep. vacantes &c. Civitates Sapaten. & Sardan. Turcarum invasione & immanitate diruta sunt. Cathedr. Eccl. Sapaten. S. Michaeli Arch., Sardanen. vero Beatiss. semper Virgini Dei Genitrici Mariæ dicatæ erant, & invicem unitæ hactenus habitæ sunt, & pro majori parte una cum earum Civitatibus collapsæ & diruta sunt. Ep. autem pro tempore residere solet apud parocchialem Eccl. S. Georgii Sapaten. diœc. In ea est Sacristia sacris vasis, vestibus, ornamentis, præsertim pontificalibus, parum instructa. Dioceses sunt amplæ; in Sapaten. sunt villæ circiter 20. à Christianis inhabitatæ cum suis Eccl. parrochialibus & Parrochis; at in Sardanen. n. sunt Eccl. neque Clerus, quod a Turcis omnia desolata & eversa fuerint. Fructus in Lib. Cam. n. reperiuntur taxati; sed Ep. vivere solet ex Christi fidelium oblationibus ac decimis frumenti & milii, quæ sibi ab eis subministrari solent. Promovendus est de legit. matrim. natus ab honestis & catholicis parentibus annum agens 43. &c. non est doctor &c. Quæ omnia constant ex proces. ab Ep. Catharen. confecto &c. Quare supplico pro expeditione, & propter promovendi & Ecclesiarum paupertatem & inopiam ei jura Cam. Ap. & sacri Card. Collegii condonari. Ex Actis Consist. tomo 119. p. 249.

Illius acta.

Sacerdotio episcopali initiatus cum esset, totum se ad divinum cultum augendum, curandamque popularium suorum, qui illum sibi Episcopum expetiverant, salutem impendit; & utrumque Episcopatum per annos tres & viginti maximis difficultatibus, periculis & laboribus exercitum gessit. Sane vix suam Ecclesiam adierat, cum Albanensis natio, quæ durius in dies Turcarum imperium ferre amplius non poterat, in spem venisset recuperandæ libertatis, & seditiosi motus, quibus agitabatur Mehemetis regis potentia, faciliorem ardui facinoris exitum polliceri viderentur, anno 1602. legatos misit ad Senatum Venetum Episcopum Stephanemsem, & Nicolaum nostrum, ut ob oculos Patrum proposita gentium illarum teterrima calamitate, tum incerto ac labanti quodammodo Turcicæ tyrannidis statu, ac quæ viæ tanti consilii exsequendi tutiores paterent, Reipublicæ opem & auxilia ultro poscerent, & quovis studio obtinerent. Rem narrat Andreas Maurocenus lib. 16. Hist. Ven. ad hunc annum 1602. Verum opus periculi plenum Senatus sapientiam prudentiamque deterruit, & quamvis Albanensium ærumnis atque miseriis commotus fuisset, hoc tamen decreto legatis responsum; *irent; de propensa in Rempublicam voluntate suis gratias agerent; egregium in eos Senatus animum testentur. Verum non ejusmodi tempora arbitrari, ut temere quidquam moliantur, ne immaturæ libertatis specie capti in graviora servitia se præcipitent; si benignior aura eorum votis affulserit, eamdem, quæ erga majores illorum fuerat, in se Rempublicam experturos. Cum hoc responso dimissi legati, dona insuper addita, Stephanensi quinque, Zappatensi quatuor auri librarum.*

Anno 1609. dum diœcesim lustrabat, cum Scodram propius accederet, a Turcis captus, perinde quasi urbem ejusque munitiones explorandi caussa illuc se contulisset, non aliter, nisi numerata pecunia, vitam & libertatem redimere potuit. Marino Bizzio Archiepiscopo Antibarensi Ecclesias Albaniæ more rituque apostolico peragranti assiduum comitatum & laboriosam operam præbuit, seque illi discriminum & periculorum socium adjunxit. Sappam Archiepiscopus cum advenisset, parochos utriusque diœcesis illuc convocavit, quibus monita & præcepta saluberrima tradidit, quæ ad Christianam plebem erudiendam, ac divinis mysteriis impertiendam, munusque parochorum rite fungendum pertinebant. Marino in Serbliam profecturo ad Ecclesias illas invisendas se illi comitem præbere Nicolaus constituerat; sed, cum in morbum incidisset, Georgium fratris filium, & Vicarium generalem Episcopi Stephanensis in suum locum substituit, qui Marino ad illam difficillimam expeditionem adjumento esset; de periculis vero a Marino aditis, rerum jactura, incommodis & laboribus susceptis, rebusque præclare gestis in Albanensi peragratione duo perhonorifica testimonia eidem tribuit, quæ suo loco retulimus in Archiepiscopis Antibarensibus. Quo anno obierit, ignoramus.

SIMON EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XIII.

In tabulis Romanis etiam *Simeon* cognomento *Giecius* & *Jecius* ac *Grecius* dictus, natione Albanus, rerum divinarum scientia egregie instructus, quem vix sex mensium sacerdotio functum Paulus V. ad Sedem Episcopalem evexit, ut est in Actis Consistorialibus; *Anno 1620. 26. Oct. providit Ecclesiæ Sappatensi & Sardanensi simul unitis sub tyrannide Turcarum in provincia Albaniæ vacantibus per ob. D. Nicolai Blanchi de persona Simonis Græci presbyteri Albanensis a sex mensibus sacerdotis & theologi; ad relationem Card. Petri Aldobrandini*, qui hæc coram Pontifice in Simonis nominatione prælocutus est, in utraque nimirum urbe Sardensi & Sappatensi *nullum esse incolam*; Cathedralis vero Ecclesia *est in Civitate Sappatensi sub invocatione S. Georgii, parva cum uno altare tantum & paramentis necessariis pro uno sacerdote, Episcopus manutenetur ex piis Catholicorum contributionibus ascendentibus ad scuta 250. vel 300. circiter. Diocesis est honestæ amplitudinis, in eaque sunt 30. villæ, quas vocant Populationes, diversæque Ecclesiæ parvæ, in quorum aliquibus exercetur cura animarum. Populus est decem millium animarum circiter, catholicus, S. Sedi Apostolicæ devotus, sed ignarus doctrinæ Christianæ; & in eo pauci aut nulli sunt Infideles. Promovendus natus est ex le-*

Simon Ep. Sarden. & Sappatensis an. 1620.

Digitized by Google

gitimo matrimonio, & honestis & catholicis parentibus in diœcesi Albanensi; est Theologus, vir pius, integer, devotus, & exemplaris, & Sacerdos ante sex menses, ac Collegii Græci hujus almæ urbis alumnus, bonæque famæ & conversationis &c. Hæc ex iisdem Actis Tomo 129. pag. 202., & Tomo 157. pag. 18. t. legitur, episcopali consecratione inunctum illum fuisse Romæ die octava Novembris in Ecclesia Græcorum S. Athanasii nuncupata a Card. Ginnasio, adjutoribus Marino Bizzio Antibarensi, & Hercule Vaccario Bosanensi Archiepiscopis. Anno post susceptum Episcopatum nondum exacto, e vita migravit.

PETRUS II. EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XIV.

Petrus II. Ep. Sarden. & Sappaten. an. 1621.

Presbyter Albanensis, cui Budio aut Bulio cognomen, ut in suis schedis animadvertit Card. Garampius, & constat ex monumentis Collegii Illyrici Lauretani, ubi fuerat educatus, Procopiæ, quæ civitas est Serbliæ, curatoris animarum munere fungebatur, & Constitutionibus Petri Masarechii Vicarii Apostolici ac postea Archiepiscopi Antibarensis subscriptus legitur. Hinc gradum sibi fecit ad solium episcopale; quem in Consistorio nominavit Cardin. Ginnasius, ut ferunt Acta Consistor. tomo 129. p. 224. t. & in tomo 146. p. 184. hæc scripta comperimus; *Ecclesia* sedis scilicet episcopalis *est sub invocatione S. Georgii, mediocris structuræ, sita in castro seu villa nuncupata Saita; caret campanile, campanis, campanicatibus & præbendis; habet tamen duas campanelas, & supellectile ad cultum divinum necessarium, quod Episcopus retinet in propria domo propter metum Turcarum. In libris Cam. taxantur illius fructus ad flor.* 33⅓, *sed in effectu secundum communem valorem pasiunt ascendere ad scuta* 250. *Promovendus est ætatis LV. annorum circiter, & Presbyter Albanensis, qui officia Vicarii duorum Archiepiscoporum probe & laudabiliter per plures annos functus est, sed non est Doctor.* Itaque *an.* 1621. 20 *Julii provisum fuit Ecclesiæ Sappaten. & Sarden. in partibus Infidelium vacantibus per obitum Simonis Græcii de persona Petri Budii, Presbyteri Albanensis cum dispensatione, quia non est Doctor;* ex iisdem Actis. Card. Octavius Bandinius cum duobus Episcopis, altero Luca Alamannio antea Volaterrano, altero Antonio Sanctorio Policastrensi, consecratione episcopali illum impertit in Ecclesia S. Joannis Baptistæ Florentinorum nuncupata. Verum ne integrum quidem annum præfuit; in trajectu enim Drilonis amnis submersum fuisse scribit Dominicus Andreasius Episcopus Scodrensis in suis ad Sacram Congregationem litteris anni 1623.

Ejus obitus.

GEORGIUS III. EPISC. SARDENSIS ET SAPPATENSIS XV.

Georgius Ep. Sarden. & Sappaten. anno 1623.

Giccius aut etiam *Grillus* dictus, licet is tum in suis, tum in aliorum Antistitum Albaniæ scriptis appelletur *Georgius*. Natus est Sappæ ex familia Blança, filius fratris Nicolai Episcopi Sardensis & Sappatensis, de quo supra, in Collegio Illyrico Lauretano educatus. Fuit *Vicarius generalis Episcopi Stephanensis & Parochus in Epirotica Redonum provinciæ*, uti se ipse nominat in literis, quibus Marino Bizzio Archiepiscopo Antibarensi illustre rerum ab eo utiliter sancteque illis in locis gestarum testimonium tribuit; has habes in actis ejusdem Marini. Urbanus itaque VIII. illum episcopali dignitate ac munere ornavit an. 1623. & hanc Ecclesiam ei tradidit regendam, nominante Petro Valerio Cardinali. Hæc vero in Consistorio pronuntiata leguntur Tomo 129. Act. Cons. pag. 262. t. *Civitas Sappaten. ab antiquissimo tempore fere destructa* &c, *animas bis mille circiter continet, omnes fere ritu latino viventes; habet Ecclesiam Cathedralem sub invocatione B. Michaelis Archangeli mediocris structuræ, in qua celebrare soliti sunt nonnulli presbyteri ex piorum eleemosynis viventes; ultra Cathedralem Ecclesiam unica tantum parrochialis reperitur; per diœcesim autem, quæ satis ampla est, ac animas fere* 1800. *latini ritus continet, plures adsunt ecclesiæ parrochiales, in quibus cura animarum assidue per suos Parrochos exercetur. Fructus taxantur in libris Cam. ad flor.* 58. *Promovendus est annorum* 46. *& vicarii generalis dictæ Ecclesiæ officium per sexdecim annos laudabiliter exercuit, vitæ integritate, rerumque usu commendatus, sed non est doctor, neque graduatus.* Hinc 22. *Maji providit*, Urbanus, *Eccl. Sappaten. & Sardanen. invicem perpetuo unitis vac. per obitum Petri Budii de persona Grilli de Blanchis Presb. Sappaten. cum dispensatione Concilii Tridentini, eo quod non est doctor, neque graduatus*; in iisdem Actis. Suam itaque cum adiisset Ecclesiam, nihil ab eo prætermissum, quod in illius utilitatem, & animarum salutem cedere maxime posset; nam & diœcesim non sine ingenti labore & periculo invisit; proventus ecclesiasticos tum fundis & prædiis alienatis recuperandis, tum novis possessiunculis coemendis auxit; ad Clerum vero erudiendum, cujus inscitiam in suis ad Sacr. Congreg. literis deplorat, atque ad populum divinis præceptis ac mysteriis imbuendum duos operarios e familia Franciscana rigidioris disciplinæ adscivit, F. Bonaventuram de Palazzuolo Brixiensis & F. Cherubinum de Vallebona Tridentinæ diœcesis, viros eximiæ doctrinæ & apostolico spiritu ferventes. Ab illis initia Missionis Franciscanæ Albanensis, quæ Georgio nostro accepta referri debent; his deinde alii ex aliis verbi divini satores ejusdem religiosi instituti successerunt ad hanc vineam dominicam excolendam, quæ uberrimos

Ejus gesta.

Digitized by Google

mos & lætissimos Christianæ pietatis fructus ex eorum apostolicis laboribus perceptos edidit, quos habes copiose descriptos a P. Petro Antonio Veneto Ordinis ejusdem alumno in Hist. Seraf. Provinciæ Venet. S. Antonii pag. 315. & 636. unde etiam discimus anno primum 1634. hosce Patres in Albaniam ingressos, & a Georgio peramanter fuisse exceptos. Anno 1625. magnum periculum is adiit vitæ ac libertatis amittendæ, ut ipsemet narrat in laudatis superius literis suis; nam feria quinta majoris hebdomadæ post solemnem Oleorum consecrationem quam cum Episcopo Alexiensi confecerat, ecce tibi de improviso Turcæ efferati odio rabieque, qui cum gladiis & fustibus utrumque invadunt; propius nihil factum est, quam ut occiderentur aut caperentur; nec sine peculiari Dei præpotentis auxilio ex eorum manibus elabi potuissent. Georgium eximie laudat Petrus Massarechius Archiepiscopus Antibarensis suis ad sacram Congregationem literis an. 1629. & de ejus pastorali vigilantia ac sollicitudine gravissimum dedit testimonium; eumque ab Episcopo Alexiensi molestiis affectum fuisse dolet. Anno vero ante scripserat Georgius ad Præsides ejusdem Congregationis de controversia inter Antibarensem, & Alexiensem Antistites exorta, de qua in Ecclesia Antibarensi jam diximus; videtur autem in partes Antibarensis pendere, cujus laudes inserit, & de Alexiensi conqueritur, quippe qui in fines Sappatensis diœcesis jam temere irrepsent. Annos circiter duodecim nihilo utilius quam laboriosius Ecclesiæ utrique cum præfuisset, eum Urbanus VIII. ad Metropolim Antibarensem gubernandam migrare jussit, Kalendis Octobris an. 1635.

Fit Archiep. Antibarensis.

FRANCISCUS EPISC. SARDENSIS ET SAPPATENSIS XVI.

Franciscus Ep. Sarden. & Sappaten. an. 1635.

Consanguineus Nicolai & Georgii Antistitum, ex eadem Blancorum familia, & Sappatensi oppido oriundus; quod ipse confirmat in suo Opere inscripto, *Georgius Castriotus &c. suis & Patriæ restitutus*; hæc enim scribit; *Major pars Zadrimæ patriæ meæ fuit sub imperio magnanimorum Principum Ducagi-norum, & reliqua sub imperio Lecbæ Zacbariæ cum oppido Daino a majoribus suis condito, & per manus eorum suorum sibi tradito*; est autem Sappa Zadrimæ regionis oppidum non exiguum. Post exactam in Collegio urbano de Propaganda Fide adolescentiam, & virtutis doctrinæque præclara specimina hisce Ecclesiis regendis præpositus fuit; de quo in Actis Consistor. 1635. 17. *Decembris provisit*, Urbanus VIII., *Ecclesias Sappaten. & Sarden. unitis per translationem Georgii ad Eccles. Antibarens. vacantibus de persona Francisci Blanchi cum dispensatione super defectu Doctoratus & ætatis unius circiter anni, & cum indulto suscipiendæ consecrationis ab Archiep. Ragusino*; quam tamen Francisco impertivit Ciriacus Roccius Card. Romæ in Ecclesia B. Virginis Vallicellanæ, assistentibus Octavio Brolio Astensi, & Æmilio Alterio antea Camarinensi Episcopis 3. Kal. April. an. 1636. ex Actis Consistor. tomo 157. p. 190. t. & hoc anno, se *ob assumpturæ episcopalis dignitatis munus iter Roma in Epirum* instituisse scribit in laudato Opere, quod typis edidit Venetiis anno eodem. In epistola vero ad Ducem & Senatum Venetum operi præposita hæc de Blancorum gente, ejusque laudibus commemorat; „ Ut de me nunc taceam, cujus majores & „ sago & toga insignes præclarissimis apud „ vos fungentes muneribus semper sese studiosissimos in publicis negotiis exhibuere. „ Possem hic præter eos, qui præteritis ætatibus egregiam in Rempublicam vestram „ navarunt operam, numerare plurimos bellica virtute præclaros viros vestris sub vexillis militantes, ut Prene & Paullum, „ aliosque complures familiæ Blancæ notos „ in vestra militia duces..... Nec recenseere in animo est quinque meæ familiæ „ episcopali tiara insignes Præsules Senatui „ vestro addictissimos, Nicolaum præsertim „ Blancum Sappatensem & Sardanensem Episcopum; Georgium itidem Blancum, qui „ post diu a se laudabiliter administratum „ Sappatensem & Sardanensem Episcopatum „ nuper ad Antibarensis Ecclesiæ Archiepiscopatum evectus est &c. " Cum Sappam advenisset, fuit illi cum Alexiensi Episcopo molesta contentio de quibusdam locis, quæ uterque suæ diœcesi attribuenda putabat. Hujus vero controversiæ dirimendæ arbiter datus est a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Franciscus de Leonardis Archidiaconus Traguriensis, qui anno 1638. XIX. Kal. Januarias Merchignæ in oppido diœcesis Alexiensis rem ex æquo & bono composuit, & Episcopo Sappatensi adjudicavit *villam Bliniesi infra pontem a parte orientis & meridiei, & supra villam Trosciani Ecclesiam S. Nicolai de flumine Calami, & Ecclesias & villas terra Spassi inter flumen Gloska, & flumen Lumi, ita ut sint & intelligantur jurisdictionis ordinariæ Episcopi & Ecclesiæ Sappatensis* &c. ut ferunt literæ compositionis ab utroque Episcopo obsignatæ, quas hic subjicio, in Albana Synodo anni 1703. postea confirmatas.

Controversia cum Episcopo Alexiensi composita.

LITTERÆ INSTRUMENTALES

Decisivæ confinium inter Epicopatum Sappatensem, & Alexiensem.

„ In Christi nomine Amen, Anno a Nativitate ejusdem 1638. Indictione 6. die vero 20. Decembris Actum Sappæ in Ædibus Episcopalibus coram me Francisco de Leonardis Archidiacono Traguriense, & in hac causa Commissario Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, nec non coram admodum Reverendo Patre Fratre Hyacintho

a Ce-

a Cespitello Ordinis Minorum strictioris observantiæ Missionario Apostolico in Epiro, & coram infrascriptis testibus specialiter ad hoc vocatis, & rogatis: ibique personaliter constituti Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Fr. Benedictus Ursinus Ragusinus Episcopus Alexiensis ex una parte, ac Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Franciscus Blancus Episcopus Sappatensis ex altera, ob bonum pacis, & per modum pacificæ concordiæ, sponte &c. voluntarie &c. per se, & successores suos omni meliori modo &c. devenerunt ad infrascripta pacta, transactiones, & conventiones, salvo tamen semper, & quatenus opus fuerit, consensu, & beneplacito Sedis Apostolicæ, & præfatæ Sacræ Congregationis, videlicet: Cum diu controversum fuerit, & variæ lites, & dissidia intercesserint, tam inter supradictos Illustrissimos & Reverendissimos Episcopos Alexiensem, & Sappatensem, super fines & limites utriusque Ecclesiæ, & jura episcopalia in diversis Ecclesiis, tam parochialibus, quam simplicibus, intra eosdem terminos, seu fines existentibus: cumque tandem supradicta Sacra Congregatio per expressas litteras sub data 24. Aprilis 1638. quarum executionem mihi supradicto Archidiacono mandavit, ipsi Illustrissimo, ac Reverendissimo Episcopo Sappatensi commiserit, ut observaret fines, & terminos, in folio sibi transmisso descriptos, ac cederet Ecclesias in eodem folio enunciatas Curæ & Jurisdictioni Episcopi Alexiensis: tenor autem litterarum, & folii annexi sequitur. A tergo: All'Illustri, e Reverendissimi Signori come Fratelli Monsignori li Vescovi Sappatense, e d'Albania. Essendosi in questa Sagra Congregazione esaminata con diligenza la differenza de' confini, che hanno le Signorie vostre con Monsignor Fra Benedetto Vescovo d'Alessio, è parso a questi Eminentissimi Signori, che li confini notati nell'aggiunto foglio siano ben provati a favore del suddetto Vescovo d'Alessio, e che le Chiese nel medesimo foglio nominate appartenghino a quello. Però non essendo bene, che le Signorie vostre contendino più sopra li suddetti confini per lo scandalo, che possono ricevere non solo li Fedeli, ma gl'Infedeli ancora, e per molti gravi inconvenienti, che sogliono succeder da simili contese, e massime in coteste parti sotto del Turco, la medesima Sagra Congregazione desidera, che si quietino, & osservino li suddetti confini, e lascino alla detta Cura del Vescovo d'Alessio le Chiese nel detto foglio enunciate, sicure di far cosa gratissima all'istessa Sagra Congregazione, e per fine me le offero, e raccomando. Roma li 24. Aprile 1638. Delle Vostre Signorie come Fratello il Cardinal Antonio Barberrino; Francesco Ingoli Secretario. Ad latus vero: Vescovi d'Albania, e Sappatense. Foglio: Confini del Vescovato d'Alessio. Dalla parte orientale confina per parte del mare con le diocesi del Vescovato di Croja, mediante il fiume Matia, camminando per S. Giorgio di Cucula, tra il detto fiume Matia, e Fandi, per San Nicolò di Massagni, e S. Maria di Laviheghi, e deriva insino al fiume Drino per drittura. Dalla parte occidentale confina parimente con la Diocesi del Vescovato di Scuttari mediante il Pantano Casticuccia per mezzo la Villa di Cuculi, per foletta maggiore, cioè Albero grande, in nostra lingua detto Olmo, e di più con il Vescovato Sappatense, mediante il Ponte della Villa di Blinisti, e per luogo detto Stogh, cioè Sambuco, e per torrente detto Chisobla, e per Palumbo, e per S. Nicolò de Calameti, e a drittura al Ponte di Lecca, e pure a drittura al viaggio detto Sisaco, e deriva al fiume Drino, per la costa del Monte negro tra Balani, e Fandi picciolo, e Talia, al fiume Cosmi. Chiese, che appartengono alla Diocesi del Vescovato d'Alessio contenute dalli sopradetti confini. Sanctus Nicolaus Alexii Cathedralis, Sanctus Georgius, & Sancta Maria de Castello; Item Sancta Maria ultra flumen, Monasterium, Sanctus Joannes de Renesi, Sancta Veneranda de Baldreni, Sanctus Nicolaus de Cacarichi, Sancta Euphemia de Calameti, Sanctus Salvator de Velia, Sanctus Joannes de Merchigne, Sancti Cosma & Damianus de Matia, Sanctus Blasius de Salomundi, Sanctus Demetrius de Darda, Sanctus Alexander de Bochiano, & Gaibbi, Sanctus Nicolaus de Zoimeni, Sancta Barbara de Pedana, Sanctus Georgius de Fico, Sanctus Salvator de Rebico, Sanctus Georgius de Cucula, Sanctus Joannes de Bulgari, Sancta Maria de Nderfandina, e di Blesci, Sancta Veneranda, & Sanctus Marcus de Nchtella, Sanctus Alexander supra Montem Miriditarum, Abbatia, Sancta Maria, & Sanctus Marcus de Fandi Vogole, Sanctus Demetrius de Fandi Maxe, Sanctus Paulus, & Sanctus Stephanus de Blinisti, Sancta Maria de Sperdasa, Sanctus Georgius de Giunale, Sanctus Michael de Castagneti, Sancta Crux ad flumen Glomisichia, Sanctus Nicolaus de flumine Calami, Sancta Veneranda de Reeja, Sancta Trinitas de Schiesa, & Sancta Maria Magdalena de Barbiciori, & tandem aliæ quædam destructæ, aliæ vero parvi momenti inter supradictos terminos Diœcesis Alexiensis. „

„ Verum cum aliqua difficultas oriretur circa totalem executionem supradictæ commissionis, præcipue circa nonnullas Ecclesias, & Villas, quarum jura episcopalia prætendebat idem Reverendissimus Sappatensis suos Prædecessores habuisse per immemorabilem possessionem, habita etiam accurata consideratione locorum, & populorum, perpensis quoque incommodis facile emersuris, si ipsa adamussim executioni mandaretur, ad vitanda scandala multoties hac de causa orta, prædictus Reverendissimus Alexiensis per se, & successores suos sponte & libere cessit, & reliquit eidem Illustrissimo & Reverendis-

dissimo Episcopo Sappatensi omnia jura, rationes, & actiones, & prætensiones, quæ quomodocunque, aut qualitercumque habuit, & habere potuit supra Villam Bliniscti infra Pontem a parte Orientis & Meridiei, & supra Villam Trosciani Ecclesiam Sancti Nicolai de flumine Calami, & Ecclesias, & Villas terræ Spassi inter flumen Gloska & flumen Lumi, ita ut sint, & intelligantur jurisdictionis ordinariæ prædicti Reverendissimi Domini Episcopi, & Ecclesiæ Sappatensis, eisi perpetuo incorporatæ, & annexæ existant, ac præfatus Episcopus in eis omnia jura episcopalia, licite, libere, & pacifice exercere valeat, nec ullo unquam tempore, sub quovis quæsito colore, possit super his a quocumque molestari, seu inquietari. Ex altera vero parte ipse Illustrissimus, & Reverendissimus Episcopus Sappatensis, tanquam filius obedientiæ sciens se rem gratissimam facturum Sanctæ Sedi Apostolicæ, & Sacræ Congregationi supradictæ, virtute ejus commissionis per se, & successores ejus sponte, & libere, cessit, & reliquit Curæ & jurisdictioni Illustrissimi, & Reverendissimi Episcopi Alexiensis, & ejus Successoribus cæteras omnes Ecclesias in supradicto folio annotatas, & præcipue Villam de Bardagni nuncupatam in parochiali Ecclesia Calameti cum omnibus prædiis, possessionibus, juribus, & pertinentiis suis, ita ut in ipsis habeat, & exerceat per se vel per substitutos suos libere, & pacifice omnia, & quæcumque jura episcopalia, tanquam primus Episcopus & Ordinarius eorum, & ita promiserunt, & se in verbo veritatis adstrinxerunt exequi inposterum, & observare omnia, & singula præmissa sub obligatione in forma Cameræ Apostolicæ, non solum hoc, sed omni meliori modo, & jure, volentes, & intendentes, ut pro expressis, & nominatis habeantur omnia, & singula, quæ de jure, seu de stilo Curiæ ad majorem firmitatem, & validitatem hujus transactionis, & pacificæ conventionis, exprimenda essent. Ecclesiæ autem contentæ inter flumen Gloska, & flumen Lumi Terræ de Spassi sunt, Sanctus Elias de Pista, Sanctus Joannes de Medula, Sancta Maria de Sancta Maria, Sancta Crux de Cruce, Sanctus Sebastianus de Villa Datana, Sancta Barbara de Schieja, Sanctus Stefanus, & Sanctus Demetrius de Spassi, Sancta Ruema de Monte Rueno, & si quæ aliæ sunt inter dictos terminos. In quorum fidem propriis manibus se subscripserunt, die, mense, & anno, quibus supra. „

Ita est Nos Fr. Benedictus Ursinus Episcopus, qui supra &c.

Ita est Nos Franciscus Episcopus Sappatensis, qui supra &c.

Jo. Lecca Lumeri Chierico fui presente.

Jo. Marco Chierico fui presente.

Loco ✠ Sigilli.

Ego Franciscus de Leonardis Archidiaconus, & Commissarius, qui supra, auctoritate etiam supradictorum Illustrissimorum & Reverendissimorum Episcoporum, in hanc formam hoc publicum transactionis instrumentum redegi, manu mihi fida transcripsi, proprio sigillo munivi, & me subscripsi.

F. Hyacinthus a Cetpitello Missionarius Apostolicus Prosecretarius.

Elogium PP. Franciscan.

Postea quam dioecesim adierat, malevolorum quorumdam hominum improbitate iniquæ illi suspiciones fuerant injectæ adversus novos è Franciscano instituto evangelicæ vineæ operarios; quibus quia omni munere interdictum esse voluit, magna in offensa fuit apud Catholicorum plurimos, quippe qui illorum hominum sanctitatem reverebantur, & maximum rei Christianæ adjumentum ex iis senserant provenisse. Verum, haud multo post, commotus Episcopus tum piæ plebis desiderio, quæ operam opemque Patrum summis precibus contentisque vocibus palam efflagitabat, tum perspicua eorum innocentia, patientisque animi modestia atque demissione, assensus est, ut apostolici officii functiones quasque libertime exercerent. Quia cum turbæ sæpe adversus illos excitarentur Turcarum insidiis, eorumdem se assiduum defensorem ostendit. Ut autem in pago Pedana dioecesis Alexiensis, sic & in sua in oppido Bliniscti Christianas catecheses a Patribus institutas susceptamque ab iis puerorum educationem adeo probavit, ut ejus auctoritate objectæ in hæc religionis opera accusationes fuerint depulsæ. Nec silentio prætereundum est testimonium, quo Præsides Sacræ Congregationis invictissimam in subeundis laboribus, & vitæ periculis horum hominum constantiam ornarunt. Quippe cum Andreas Bogdanus vir æque religiosus ac prudens, qui postea Archiepiscopus Acridanus fuit, ad Sacram Congregationem testis ipse oculatus scripsisset de his laudabiliter, hoc ei responsum redditum.

Admodum Reverende Domine.

In conventu coram Pontifice habita lecta fuerunt tuæ literæ singulari cum illius, cum Eminentiss., qui mei Domini, Cardinalium cum consolatione; cum de horum Patrum constantia intellexerint & ad ipsum martyrium animi promptitudine, qui revera digni apostolico eorum munere operarii esse noscuntur. Hoc Sacræ Congregationis nomine iisdem significare poteris, tibique fausta omnia precor.

Romæ prid. Non. Aprilis 1639.

M. Antonius Barbarinus.

Hæc ex Hist. Seraphica Petri Antonii Veneti lib. 4. cap. 8.

Decreta de Baptismate.

Exstat reseriptum S. Congreg. S. Officii ad Franciscum Episcopum Sappatensem 3. Nonas Maji an. 1641. cum decreto S. Congreg. Universalis Inquisitionis, condito anno 1625. 8. Kus Septembris, de baptismo Turcis per simulationem non conferendo.

De-

Digitized by Google

Decretum Congreg. S. Officii ad Episcopum Sappatensem de non conferendo Turcis S. Baptisma, editum sub die 5. Maji an. 1641.

Abusus Sacramenti Baptismi, quem Turcæ pro abluendo fœtore puerorum, & pro defendendis illis a brutis nequissime introduxerunt, quemadmodum detestabilis est, ita Episcoporum munus erit eidem prospicere tam per animadversionem in ecclesiasticos presbyteros, quam per pastoralem admonitionem eisdem Turcis, Spiritum Sanctum, qui sine Ecclesiæ intentione non accipitur, non operari &c.

Quæsitum fuerat, an infans datus a Turcis ut baptizetur ad hoc, & liberetur a fœtore, possit ficte baptizari.

Alterum Decretum.

Die 6. Septembris 1625. S. Congregatio universalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo, delatis literis Archiepiscopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro solutione infrascripti dubii; an cum sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a fœtore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, & a lupis, an in tali casu possint eos ficte baptizare, adhibita baptismi materia sine debita forma; respondit negative, quia Baptismus est janua Sacramentorum ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest.

Cæterum Urbanus VIII. piam quamdam precationem approbavit certis & conceptis verbis compositam, quam Episcopi & Presbyteri, Turcis postulantibus, adhibere possent ad febrem abigendam, eorumque morbos curandos; est autem hujusmodi; *Precibus & meritis Dominæ nostræ semper immaculatæ Virginis Matris Dei & Domini nostri Jesu Christi Mariæ gloriosissimæ, beatorumque Fidelium, ipse Christus Jesus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, te illuminet & convertat, imperet febri & dimittat.* Annos circiter novem Franciscus utramque Ecclesiam pie ac laudabiliter gubernaverat, cum eum mors inopportuna utrique surripuit.

Francisci Ep. obitus.

GEORGIUS III. ITERUM EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XVII.

Georgius III. Episc. Sarden. & Sappatensis an. 1644.

Anno 1644. Innocentius X. Georgium Blancum, ipsomet postulante, Antibarensibus ademptum Ecclesiæ huic restituit. *Providit* siquidem eodem anno 24. *Novembris Ecclesiæ Antibarensi per translationem D. Georgii Blanchi ad Ecclesiam Sappatensem de persona Francisci de Leonardis* &c. Act. Consist. tomo 11. p. 8. & tomo 131. p. 4. t. Synodum habuit, in qua decreta quædam fecit sacris Franciscanorum missionibus sane incommoda, & quæ plurimum iisdem detrimenti afferrent; sed a Patribus commonefactus, rebusque maturius perpensis, ea jussit abrogari. Post triennium in morbum incidit, a quo plures menses afflictus fuit, lectoque affixus, ac demum in suo cubiculo solus repente exstinctus.

SIMEON EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XVIII.

Simeon Ep. Sardensis & Sappat. an. 1647.

In Collegio Illyrico Lauretano primam ætatem exegit, cui cognomen de Summis. Erat Minister Provinciadis Fratrum Minorum severioris disciplinæ, idemque concionator egregius, & salutis animarum procurandæ, ac divini cultus augendi studiosissimus. Ei propterea præclarum doctrinæ & virtutis testimonium tribuerat Marcus Scura Archiepiscopus Dyrrhachiensis, atque Administrator Ecclesiarum superioris Epiri; qui, cum Canoviensis Ecclesiæ curam dimisisset, datis literis ad Præsides Sacr. Congregationis de propaganda Fide, enixe egit, ut Simeon huic regendæ Ecclesiæ præficeretur.

Præclarum de Simeone testimonium,

„ F. Marcus Scura de Croja miseratione
„ divina Archiep. Dyrrhachiensis, ac omnium
„ Ecclesiarum superioris Epiri Administer
„ Apostolicus &c. Coram Eminentiss. ac Re-
„ verendiss. Cardinalibus Congregationi Pro-
„ pagandæ Fidei præpositis, & omnibus &
„ singulis aliis per præsentes litteras fidem
„ indubiam facio, & sincere in Domino at-
„ testor, Reverendissimum P. F. Simeonem
„ Summum Provincialem Ministrum, concio-
„ natorem in his partibus Albaniæ provin-
„ ciæ probe ac laudabiliter se gessisse, ma-
„ ximeque una cum zelo religionis salutem
„ animarum procurasse. Deinde testimonium
„ do certum, eumdem inprimis nulla pror-
„ sus ecclesiastica censura inustum esse, nec
„ non ex vero & legitimo matrimonio ca-
„ tholicorum parentum ortum esse confiteor;
„ his autem & aliis virtutibus insignitum ad
„ onera quæque, & ad quoscumque honores
„ spirituales promoveri posse, quantum in
„ me est, censeo; ob id igitur & justis aliis
„ de causis motus, ego F. Marcus Scura,
„ qui supra, coram D D. V V. Eminentiss.
„ & Reverendissimis præsenti chirographo
„ ubique valituro Ecclesiam Canoviensem ei-
„ dem P. Simeoni fideliter & fidenter re-
„ nuntio atque resigno, hoc tamen fœdere
„ servando, quod a monte S. Nicolai de Pe-
„ tra nuncupato ad civitatem Pechini usque
„ diœcesim Albanensem versus in nihilum
„ se ingerere valeat, nullumque jus omnino
„ possideat. Proinde DD. VV. Eminentis-
„ simas & Reverendissimas humiliter & ob-
„ nixe precor, ut indicatam resignationem
„ acceptare dignentur, & eundem P. Simeo-
„ nem Ecclesia Canoviensi decorare velint. In
„ quorum fidem &c. Dat. Corbinii die 22.
„ Xbris 1641.

„ F. Marcus Scura qui supra manu pro-
„ pria &c. „

Commendatio Archiepiscopi, quamvis tunc effectu caruerit, tamen post aliquot annos Simeoni profuit ad Ecclesiam Sappatensem &

Sa-

Digitized by Google

qui eligitur Sarden. & Sappaten. Episc. an. 1647.

Sardensem obtinendam; siquidem Innocentius X. *An.* 1647. 27. *Maji ad relationem Card.* (Federici) *Cornelii providit Ecclesiis Sappaten. & Sardens. simul unitis vacantibus per obitum Georgii Blanchi de persona Simeonis de Summis Ordin. Min. S. Franc. strictioris observantiæ*; Act. Consist. tomo 131. p. 51. t. Vix ad suas Ecclesias regendas accessit, cum ei discessus ab illis seu potius fuga necessaria fuit. Inter Venetos & Turcas bellum Creticum fervebat, quod an. 1646. Dalmatiam quoque pervaserat. Sappatenses & alios Albaniæ populos cupido incessit Turcicæ servitutis depellendæ, & Venetorum imperii accipiendi. Itaque res ad rebellionem spectabat, & motus illarum gentium ac tumultus fieri cœperunt. Sed quod illi moliebantur, Turcarum præfectos latere non potuit, qui, seditione compressa, causam culpamque concitatæ multitudinis tum in alios, tum in Episcopum Sappatensem contulerunt. Is igitur, ut suæ libertati & saluti consuleret, Catharum primum ac Buduam, celeri fuga elapsus ex oppido, totaque regione, una cum Episcopo Scodrensi ejusdem proditionis suspecto Venetias se recepit; ubi anno 1650. ad Ecclesiam Achridanam, vita functo Raphaele Levacovichio Episcopo, ut transferretur, rogasse innuit liber tax. Rom. 57. a. Verum anno 1652. Venetiis immemor sui gregis & officii pastoralis otiosus sedebat; cumque de illius absentia tam diuturna gravissimæ querimoniæ delatæ fuissent ad Sacr. Congreg. de Propaganda Fide, ab hac jussus est se Catharum sine ulla cunctatione transferre, ut inde tutum sibi ad suam Ecclesiam aditum patefaceret ac muniret. Huic mandato utrum paruerit, mihi non constat. Semel atque iterum postulavit, ut sibi Sappatensem & Sardensem cum alia Ecclesia tutiore Sacra Congregatio commutaret. Sed & Antibarensem Archiepiscopatum sibi conferri cupiit, ut innuunt literæ Pontificii ad Venetos Internuntii an. 1655. die 5. Aprilis datæ ad Sacr. Congreg. Interea administratio Ecclesiæ utriusque demandata fuit Benedicto Ursino Episcopo Alexiensi. Anno 1655. ex mandato ejusdem Sacr. Congreg. utrique Ecclesiæ nuntium remisit, & præscriptam juridicæ ac legitimæ cessionis formulam suo chirographo obsignavit: *F. Simeon Summa antea Ep. Sappatensis*. Anno proximo Sappatenses supplicibus ad Sacr. Congreg. litteris datis IV. Id. Februarii Episcopum sibi postularunt Nicolaum Leccam Abbatem S. Paulli diœcesis Sappatensis in regione Ducaginorum, & Sappatensis ac Sardensis Ecclesiæ Vicarium generalem, spectatæ probitatis ac doctrinæ virum, qui Ædem Paullinam a Turcis dirutam suo ære sumptuque reædificaverat; hæc ex litteris Antistitum Albaniæ. Interea post Ursinum hujus Episcopatus procuratio tradita fuit Marco Crisio Archiepiscopo Antibarensi anno 1656. quo & vita excessit; unde intelligi potest Sappatensium postulationem irritam fuisse. Verum Simeonem ad has Ecclesias gubernandas, annuente Pontifice, rediisse, probant Acta Consistor., in quibus anno 1673. 29. Maji dicitur Stephanus de Gasparis electus Sappatensis Antistes *per ob. Simeonis*; quin & tabulæ Collegii Illyrici Lauretani 1. Oct. 1665. nominant Simeonem Episcopum Sappatensem. Quam ob caussam, & rescissa harum Ecclesiarum dimissione, an suum Episcopatum receperit, mihi est incompertum. Is igitur est, qui prioris desidiæ pœnitens, omni metu depulso, & animos sumens Episcopo dignos anno 1659. diœcesim lustravit, ut docent ejus literæ ad Sacr. Congreg. missæ; idemque, de quo Dominicus Babichius Presbyter Buduensis, ac postea Scodrensis Episcopus, tacito nomine ad eamdem Congreg. XIV. Kal. April. an. 1661. scripsit a Turcis captum fuisse. Sed e Turcica servitute vel redemptus vel dimissus ante annum 1673. vita functus est. In laudatis tabulis Lauretanis comperio Paullum Blancum Episcopum Sappatensem, qui in oppido quodam Albanensi natus anno ætatis XII. in Collegio Lauretano literis & gravioribus disciplinis ad an. 1640. institutus fuit; sed locus ei superest nullus in serie horum Antistitum, quem propterea per errorem Sappatensem Episcopum dici putamus; nisi forte nominatus vel electus solummodo fuerit, moxque alteri Ecclesiæ præpositus.

Suam Ecclesiam dimittit,

et in ejus possessionem restituitur.

STEPHANUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XIX.

Stephanus Ep. Sarden. & Sappaten. an. 1673.

Cui cognomen de Gasparis fuit, patria Crojensis, alumnus primum Collegii Illyrici Lauretani, postea Romæ in Urbano Congregationis de propaganda Fide gravioribus disciplinis operam navavit. In Albaniam reversus Apostolici Visitatoris munere per illius provinciæ episcopales diœceses multa cum laude perfunctus est; & dum Dyrrhachii commorabatur, Clemens X. hisce Ecclesiis illum Episcopum præfecit, *ad relationem Card.* Petri *Ottoboni*, & *per ob. Georgii*, 4. Kal. Junii an. 1673. ex Act. Consist. tomo 133. p. 282. & tomo 38. p. 127. In præconio, ut ajunt, hæc dicta leguntur. „ Civitas Sappa-
„ ten. mille focularia, & 9000. animas, fe-
„ re omnes Christi cultores, constituit. Ha-
„ bet Ecclesiam Cathedralem sub invocatio-
„ ne S. Michaelis antiquæ structuræ aliqua
„ indigentem reparatione, & Archiep. Dyrrha-
„ chien. (lege *Antibarensi*) suffragatur, ubi
„ nulli Canonici &c. existunt, sed soli 14.
„ tum presbyteri, tum clerici in divinis in-
„ serviunt. Domus Episcopalis in ea existit
„ aliqua egens reparatione. Fructus ad præ-
„ sens nulli sunt, & Episcopus solet se ale-
„ re ex annuo subsidio scutorum 200. sibi
„ a Præfecto Congreg. de Propag. Fide im-
„ penso. Duodecim tantum in prædicta ci-
„ vitate adsunt Parrochiæ, & caret Monte
„ Pietatis, Seminario, Monasteriis ac Hos-
„ pitali. Diœcesis loca 14. complectitur, &
„ extenditur spatio 30. milliarium. In Epi-
„ sco-

Digitized by Google

„ scopum præficiendus est in civitate Dyr-
„ rhachien. de legitimo matrimonio & ca-
„ tholicis parentibus ortus, sexagenario ma-
„ jor, a 30. annis & ultra Presbyter, qui
„ in Collegio Urbano ejusdem Congreg. Phi-
„ losophiæ & Theologiæ operam navavit, &
„ monialium confessarius, & Ecclesiarum E-
„ piscop. provinc. Albaniæ Apostolicus Vi-
„ sitator exstitit, & laudabiliter se gessit,
„ vir gravis, prudens, in ecclesiasticis fun-
„ ctionibus versatus &c.„ Ex Miscell. arm. 3. Tomo 4. p. 408.

Ad Stephanum datæ sunt an. 1678. literæ Sacr. Congreg. quibus ipse ejusque Clerus monentur, ne citra Drinum in diœcesim Scodrensem se immittant. Obiit XVI. Kal. Martias an. 1680., ut de illius obitu Budua scripsit eodem anno Dominicus Babichius Episcopus Scodrensis, qui Antonium Illium ejus generalem Vicarium vehementer commendat.

MARTINUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XX.

Martinus Ep. Sarden. & Sappat. an. 1682.

Cognomento Jelichius, e pago Spizzensi, petente Card. Ginnetto, utrique Ecclesiæ præpositus fuit ab Innocentio XI. 4. Kal. Oct. an. 1682. ex Actis Consist. tomo 134. p. 143. & tomo 14. provis. Eccl. pag. 109. t. 28. *Sept.* 1682. *providit*, Innocentius, *Eccl. Sappaten. in part. Infid. vac. per ob. Stephani Gasparis de persona D. Martini Jelich presb. cum dispensatione super defectum gradus*. Interfuerat an. 1674. Synodo Antibarensi Andreæ Zmajevichii Archiepiscopi, a quo Perasti in Ecclesia S. Mariæ de Scalpello episcopali consecratione donatus fuit, & in Archiepiscopis Antibarensibus habes descripta prudentissima monita, quæ Andreas illi peramanter tradidit pro suæ Ecclesiæ regimine. Triennium præfuit.

GEORGIUS IV. EPISC. SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXI.

Georgius IV. Episc. Sarden. & Sappatensis an. 1685.

Erat Presbyter Ecclesiæ Sappatensis, cognomine Theodorus, *ad relationem Card.* Petri *Ottoboni* in hanc sedem conscendere jussus ab Innocentio XI. prid. id. Nov. anno 1685. ex Act. Consist. tomo 134. p. 192. t. In tomo 14. provis. Eccl. pag. 170. 12. *Nov.* 1685. *providit*, idem Pontifex, *Eccl. Sappat. vac. per ob. Martini Jelich. de persona Georgii Theodori presb. Sappaten.* Præsidebat adhuc anno 1703., & præsens subscripsit Concilio Nationali Albanensi in oppido Merchignæ Alexiensis diœcesis; *Ego Georgius Episcopus Sappatensis assentiens subscribo*. In hac Synodo part. 3. cap. 4. confirmata est compositio de finibus diœceseon an. 1638. facta inter Episcopum Sappatensem & Alexiensem, quam habes in Francisco Episcopo Sappatensi XVI. & cap. 6. attributæ fuerunt Ecclesiæ Sappatensi *villulæ Mescala, Masareeu, Scpori, Scelacu, & Gussa* in regione Postripensi, de quibus cum Scodrensi & Pullatensi Episcopis erat contentio. Georgius post administratam annis amplius triginta Ecclesiam utramque, laboribus fessus, dives meritis e vita migravit.

ÆGIDIUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXII.

Ægidius Episc. Sardensis & Sappatensis an. 1707.

Oriundus ex diœcesi Tricaricensi in Lucania sub Archiepiscopo Acheruntino, *Quintius* & *de Armento* cognominatus, alumnus egregius rigidioris disciplinæ Franciscanæ, præses Albanensium expeditionum apostolicarum, qui an. 1703. Concilio Albano interfuit, & post Episcopos nomen suum subscripsit; *F. Ægidius de Armento Præfectus Apostolicus Missionum Albaniæ meo & Patrum Missionariorum nomine assentior*. Clemens XI. virum insignem doctrina & virtute, ac de re Christiana optime meritum Georgio in utramque Ecclesiam subrogavit XII. Kal. Apriles an. 1707. ex Act. Consit. S. C. pag. 186. & Perasti ab Episcopo Catharensi solemni consecratione inauguratus fuit VI. Kal. Julii illius anni. Vir magni consilii a suo Metropolita appellatus, gravibus conficiendis negotiis aptissimus præ cunctis illius provinciæ Episcopis, undecim fere annos præfuit suo gregi, ab eodem Pontifice ad metropolim Antibarensem postea evectus an. 1719.

MARINUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXIII.

Marinus Episc. an. 1719.

De quo in Episcopis Pullatensibus. Majoribus. Ad hanc Sedem transiit IV. Kal. April. 1719. 29. *Martii idem P. ad Eccl. Sappaten. transtulit Marinum Gini, qui prius Polaten., vacan. per translationem Egidii ad Antibaren.* ex Act. Consist. Diem supremum egit anno post ab inito Episcopatu.

JOANNES EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXIV.

Joannes Episc. an. 1720.

Erat e diœcesi Dyrrhachiensi in oppido Corbini natus, cui cognomen Galata. Marino vita functo suffectus est prid. Kal. Sept. an. 1720., ex Actis Consist. S. C. p. 185. t. Octo fere post annos ad Alexiensem Ecclesiam translatus.

BASILIUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXV.

Basilius Ep. an. 1728.

Presbyter diœcesis Scordiensis, id est Pullatensis, e familia Lindia, XVIII. Kal. Januarias an. 1728. ex Act. Consist. S. C. p. 131. Huic successit

LA-

Digitized by Google

LAZARUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXVI.

Lazarus Episc. an. 1745.

Anno 1745., post triennium ad Antibarensem metropolim evectus. Vide jam dicta in Archiepiscopis Antibarensibus.

GEORGIUS V. EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXVII.

GeorgiusV. Episc. an. 1750.

Lazari frater, & ambo patria Scodrenses; e familia Vladagna geniti. Anno 1750. a Benedicto XIV. in locum fratris electus fuit; & in sua sede vita decessit.

NICOLAUS II. EPISCOPUS SARDEN. ET SAPPATENSIS XXVIII.

Nicolaus II. Episc. an. 1765.

Ejusdem ac Basilius cognominis Lindius, forte filius fratris, & Presbyter Sappatensis; de quo hæc in tabulis Rom. *Die 5. Augusti 1765. Sanctitate sua referente providit*, Clemens XIII., *Ecclesiæ Sappaten. vacanti per obitum &c. de persona D. Nicolai Lindi presbyteri Sappaten. &c.* Hunc excepit

JOANNES II. EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXIX.

Joannes II. Episc. an. 1791.

De illo in Episcopis Pullatensibus Majoribus. Anno 1791. Pullatensem cum Sappatensi Ecclesia commutavit; quam anno 1796. una cum vita dimisit.

ANTONIUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXX.

Antonius Episc. an. 1796.

Eodem anno utramque Ecclesiam suscepit regendam. Cognomen illi e familia Angela Radovana, unde ortum habuit Georgius Archiepiscopus Antibarensis, Antonii frater, aut patruus; patria vero pagus *Scirocco* dictus, diœcesis Scodrensis. De illo, & postremis hisce Episcopis, quos recensuimus, plura nobis desunt monumenta, quæ egregia eorum in Ecclesiam Sappatensem merita magis illustrent.

MARCUS EPISCOPUS SARDENSIS ET SAPPATENSIS XXXI.

Marcus Ep.

E familia Nigra Antonio suffectus; quo anno ignoramus; cum ante Pullatensem rexisset Ecclesiam.

EPISCOPI SVACIENSES.

Svacia postea,

SVacia civitas Dalmatiæ superioris antiquis Geographis sub hoc nomine ignota, & ecclesiasticis, quam prophanis, Scriptoribus notior, neque ulla re magis quam Episcopali sede illustrior, inter Scodram ab oriente, & Olcinium ab occasu, æquali fere spatio novem milliarium utrinque distans, collis declivis tergum meridiano soli obversum insidet ad lacum cognominem; abest a mari passuum millia circiter septem. Nunc *Sfacia* dicitur, longe diversa ab urbe *Sphecia* ad Epiri fines sita inter Dibram utramque, *Sfetigrado* ab Italis appellata. Ab adventu Slavorum & sæculo VII. Svacia regibus vel Dynastis Serbliæ paruit, ac varios sortita dominos usque ad sæculum XVI., anno demum 1571. in Turcarum potestatem venit. Exinde dirutis ædificiis, ab incolis deserta, mœnibus nudata cum esset, vix perexiguæ villæ nunc speciem retinet. Institutio Episcopatus Svaciensis ad Concilium Delmitanum sæculi noni videtur referendus esse; nulla quippe vetustiora monumenta suppetunt, e quibus antiquior ejus origo dignosci queat; qui post varias vices, quibus fuit obnoxius cum cæteris hujus provinciæ Ecclesiis, ut primum Diocletano, dein modo Spalatensi, modo Antibarensi, aut Ragusino Metropolitæ pareret, demum in possessione metropolis Antibarensis constitit. Vide jam dicta Tomo VI. in Archiepiscopis Ragusinis, tum hic in Antibarensibus.

& ejus Episcopatus initia;

Diœcesis Svaciensis finibus admodum exiguis circumscribitur; ab occasu Antibarensem, a septemtrione & ab oriente Scodrensem, a meridie Olchiniensem diœcesim attingit. Hujus Ecclesiæ Episcopi alias *Svaciuenses*, alias *Soacienses*, & *Svatiuenses* ac *Svacienses*, aliisque consimilibus vocabulis appellantur. Vetustiorem sæculo decimo nullum invenio, cujus acta proferre possim; inde ad sæculum duodecimum ingens lacuna interjecta est; nam, qui fuerunt, Antistitum nomina resque gestas abolevit oblivio; ab sæculo vero duodecimo series episcopalis sæpissime interrupta parum materiæ nobis ad scribendum suppeditat. Itaque hi sunt, quos nimia vetustas, & veterum monumentorum jactura reliquos fecit.

& fines.

I. N. N. Episcopus Svaciensis an. circ. 1030.
II. Basilius an. circ. 1141.
III. Petrus an. 1166.
IV. Dominicus an. 1199.
V. G. an. 1200.
VI. N. N. an. 1250.
VII. Gregorius an. 1303.
VIII. Benedictus an. 1308.

Digitized by Google

IX. Catharius, seu Zacharias an. 1318.
X. Sergius an. incerto.
XI. Paullus an. 1345.
XII. Petrus II. an. circ. 1360.
XIII. Petrus III. an. 1402.
XIV. Antonius an. 1418.
XV. Petrus IV. an. 1420.
XVI. Sergius II. an. 1439.
XVII. Paullus II. an. 1440.
XVIII. Antonius II. an. 1446.
XIX. Stephanus an. 1510.
XX. Nicolaus an. 1517.
XXI. Joannes an. 1520.
XXII. Thomas an. 1530. idemque postremus.

N. N. EPISCOPUS SVACIENSIS I.

N. N. Ep. Svacien. an. circ. 1030.

Qui an. circ. 1030. naufragio periit, cum Spalatum ad Nationale Concilium maritimo itinere proficisceretur. V. Tomum 3. in Debrali Archiepiscopo Spalatensi.

BASILIUS EPISCOPUS SVACIENSIS II.

Basilius Ep. Svacien. an. circ. 1141.

Ex Mauro Orbino pag. 247. qui Basilium æqualem facit Andreæ Lucensi Archiepiscopo Ragusino; hic autem ab an. 1142. usque ad an. 1153. suæ metropoli præfuit. Basilius cum Episcopo Olciniensi administer atque adjutor fuit eidem Andreæ ad solemnem consecrationem Martini primi Antistitis Phariensis; de quo in Tomo IV. hujus Operis.

PETRUS EPISCOPUS SVACIENSIS III.

Petrus Ep. Svacien. an. 1166.

Electi titulo nominatur in tabulis Catharensibus an. 1166., in quibus *Petrus Soacinensis electus* dicitur interfuisse consecrationi Ædis cathedralis eo anno peractæ XIII. Kal. Julias; habes eas tabulas Tomo VI. Op. nostri in Episcopis Catharensibus.

DOMINICUS EPISC. SVACIENSIS IV.

Dominicus Episc. Svaciensis an. 1199.

Anno 1199. interfuit Concilio Diocletano sub Joanne Metropolita Antibarensi, cui subscriptus legitur, *Dominicus Svacinensis Episcopus*. Hic est, qui in una, atque altera Innocentii III. epistola ad eumdem Joannem de homicidio accusatus fuisse dicitur; id autem facinoris illatum illi & objectum fuerit oportet, Concilio jam absoluto, ad quod homicidii seu vere, seu falso reus admitti non potuisset. Res ita se habuisse videtur. Post dimissum Concilium plerique tum e clero, tum e populo oppidi Svaciensis Dominicum Episcopum homicidii reum fecerunt atque vulgarunt. Crimen hujusmodi, quod episcopalem ordinem turpissima macula summoque dedecore afficiebat, non modo in urbe vulgi sermonibus, sed longe lateque perlatum ad aures pervenit Joannis & Simonis, quorum alter Capellanus, alter Pontificis Subdiaconus & Concilio præfuerant, & legatione apostolica in illis regionibus fungebantur, qui de facinore tam atroci & pervulgato quæstionem ex juris formula instituendam esse censuerunt. Itaque Svaciam profecti Clerum & populum convocarunt; siquid haberent criminis, quod Antistiti suo objicerent, palam enuntiarent. Quidam e civibus, cujus nomen litera S designatur, de homicidio per illum patrato libellum dedit; idque testibus ad fidem faciendam idoneis se probaturum affirmavit. Contra Episcopus tabulas protulit, in quibus scriptum erat, ipsum se de quolibet cæde jurejurando purgasse, idque etiam duos Episcopos sacramenti religione interposita affirmasse, eum videlicet neque homicidium fecisse, neque illius hominis interficiendi auctorem cuiquam fuisse. Sed tabulæ illæ falsæ compertæ sunt; & duo illi Episcopi nullum ad ejus innocentiam testificandam jusjurandum se dedisse ajebant; idque Archiepiscopus ipse Antibarensis confirmavit. Quare Legati Apostolici, cum de crimine homicidii non satis liqueret, causam Dominici in Concilio provinciali, vocatis auditisque in utramque partem testibus, rite cognoscendam ac dijudicandam esse existimarunt. Hoc Concilium a superiore distingui oportere Joannes Dominicus Mansius in tomo 2. Supplem. Concil. luculenter ostendit, *cum ad id tantummodo*, inquit *coactum ab Apostolicæ Sedis Legatis videatur, ut de causa Svaciensis Episcopi, quem homicidii reum postulaverant, cognosceretur*. Itaque eodem anno 1199. vel sequenti provinciales Episcopi Antibarim convocati sunt. In augustissimo illo Patrum consessu comparuit Dominicus, & Deum Superosque testatus nullum ab se neque patratum, neque imperatum fuisse homicidium firmissime asseveravit; accusatores ac testes, qui contra se stabant, audiendos non esse, quippe inimici sibi erant, infensique; ejus autem cædis, de qua ipse accusabatur, duos Presbyteros I. & T. reos fuisse. Cum autem sibi criminis daretur, alterum ex illis Presbyteris, a quo homicidium factum fuisse ignorare non poterat, cum illi familiares essent, ab ipso sacris ordinibus & sacerdotio initiatum, id non negavit, & in eo graviter se peccasse confessus est. Postero autem die cum ob sacrilegam consecrationem loco & gradu, quem tenebat, se indignum esse fateretur, coram Legatis Pontificiis, qui ad Synodum convenerant, insignia episcopalia deposuit. Verum post paucos dies facti pœnitens eadem repetiit, seque Romam iturum dixit, ut ab Sede Apostolica errati veniam suppliciter peteret. Itaque Romam adiit, & ab Innocentio perbenigne acceptus misericordiam imploravit. Sapientissimus Pontifex antequam de illo quidquam statueret, ab suis Legatis, ad quos scripsit, de ordine serieque totius facti doceri voluit. Illi vero, quæ a nobis modo enarrata sunt, suis ad Pontificem literis exposuerunt; quibus acceptis intellectisque, Innocentius supplici veniam dedit, sed neque illi ornamenta pontificalia reddenda, neque illum in Sedem episcopalem restituendum cen-

homicidii reus accusatur,

quod a se factum negat in Concilio Provinciali Antibarensi;

tum ob illicitam Clerici homicidæ consecrationem de Episcopatu deponitur a Pontifice;

Digitized by Google

censuit, nequa labes ex illicita Clerici homicidæ consecratione nomini ac dignitati episcopali adhæresceret. Illum tamen commendavit Archiepiscopo Antibarensi, ut ex vectigalibus Ecclesiæ Svaciensis, quantum in victum cultumque sit satis, eis suppeditandum curaret, ne per summum dedecus ordinis episcopalis mendicare cogeretur; præterea illi, quæ ablata fuerant, restitui juberet; & qui manus sacrilegas in eumdem injecerant, eos anathematum vinculis obstrictos publice denuntiaret, a quibus non antea exsolvendi essent, quam eidem pro illatis injuriis satisfacerent. Hæc ex epistola Innocentii III., quam subjicio; in ea vero animadvertas velim, nomen Episcopi, de quo agitur, per literam B. corrupte designari tum apud Baluzium lib. 2. ep. 180. tum apud Mansium tomo 2. Supplem. Concil. pag. 780. nam, ut nos monuit eruditissimus Cardin. Garampius, *in Regesto autographo Innocentii III. reperitur B. sed forma parum absimili a litera D.*, quæ *Dominici* nomen indicat; idque confirmatur altera ejusdem Innocentii epistola inferius describenda, in qua expressis literis Episcopus ille Svaciensis nominatur *Dominicus*; ac de uno eodemque Episcopo in utraque sermonem esse, connexio seriesque rerum, quæ in una itemque altera epistola narrantur, satis aperte declarat; atque hæc prima est.

qui tamen Antibaren. Archiep. illum commendat;

„ Cum accessisset nuper ad Sedem Apo„ stolicam Venerab. Frater noster B. Soasen„ sis Episcopus super eo, quod dicebatur de „ homicidii crimine infamatus, coram no„ bis & Fratribus nostris misericordiam Se„ dis Apostolicæ suppliciter implorabat. Cum „ autem nobis de facti serie non constaret, „ de processu ipsius a dilectis filiis J. Ca„ pellano, & S. Subdiacono nostris, qui rei „ veritatem penitus cognoverunt, dum in „ partibus Diocliæ legationis officio funge„ rentur, inquisivimus diligenter; ex quorum „ assertione tenuimus, quod, cum ingressi „ provinciam Dalmatiæ superioris fuissent, „ a majore parte Cleri & populi Soacien. de „ reatu homicidii dilectum invenerunt Epi„ scopum infamatum. Cum autem ad ipsius „ Ecclesiam accessissent, in præsentia ejus „ Cleri & populi Soacen. infra Missarum so„ lemnia quidam de civibus S nomine libel„ lum ipsis accusationis porrexit asserens se „ testibus probaturum quod Episcopus reus „ esset homicidii perpetrati. Episcopus vero „ per instrumentum purgationis oblatum, „ quo jurasse cum duobus Episcopis dicebatur, se nec fecisse homicidium illud, nec „ fieri præcepisse, innocentiam suam osten„ dere satagebat; quod tam tua, quam illo„ rum Episcoporum assertione, qui compur„ gatores fuisse dicebantur, falsum penitus „ repererunt, cum nullum a compurgatoribus „ exhibitum fuerit juramentum; unde cau„ sam ipsam, ut populi scandalum sedare„ tur, duxerunt juris ordine pertractandam, „ & per receptionem testium in Concilio „ apud Antibarum congregato voluerunt per „ confessionem ipsius intelligere plenius ve„ ritatem; cujus fuit tale responsum; quod „ nec fecerat, nec præceperat fieri homici„ dium perpetratum, & tam accusatores quam „ testes inimicos suos existere capitales; & „ cum humicidium illud a T. & I. presby„ teris assereret perpetratum, objectum ei ab „ accusatore prædicto fuit, quod præscriptum „ T. in presbyterum ordinarat; in quo se „ confessus est peccavisse. Verum cum dicti Le„ gati pariter pertractarent super his, quæ co„ ram eis fuerant actitata, die sequenti mitram „ eis & annulum in tua & Episcoporum præ„ sentia, qui convenerant ad Concilium, re„ signavit, quæ ab iisdem post aliquot dies „ repetiit asserens se ob hoc velle ad Sedem „ Apostolicam proficisci; cui & adversariis „ pariter datis dimissoriis, certus fuit a „ jam dictis Legatis terminus assignatus. „ Cæterum inter illa, quæ dictus Episcopus „ in nostra & Fratrum nostrorum præsentia „ recognovit, confessus est & non negavit, „ se præfatum T. in presbyterum ordinasse, „ postquam ipsum reatum homicidii audierat, „ & crediderat commisisse, cujus factum, cum „ familiaris esset ipsius, non poterat ignorare. „ Cum ergo secundum Apostolum Episcopus „ bonum testimonium debeat ab his, qui „ sunt intus & foris, habere, qui ad curam „ positus aliorum in se ipso debet ostende„ re, qualiter alios in domo Dei oporteat „ conversari, nec perferens memorandi cri„ minis labem lucidam gerat sacerdotii di„ gnitatem, nos attendentes, quod satius sit „ Domino inferiori ministerio deservire, „ quam graduum sublimitatem appetere cum „ scandalo aliorum, Episcopum ipsum mo„ nuimus diligenter, ut, postquam episco„ palia insignia resignarat, citra pontificale „ fastigium Creatori suo devotum impende„ ret famulatum, quod in humilitatis spiri„ tu & contrito animo visus est acceptasse. „ Unde ipsius propositum dignis laudibus „ commendamus. Cæterum quoniam non si„ ne nostro & Cleri possit opprobrio men„ dicare, cum de provisione ipsius propter „ locorum incertitudinem deliberare provide „ non possimus, ad petitionem ipsius Fra„ ternitati tuæ duximus apostolicas literas „ destinare præcipiendo mandantes, quatenus „ de Soacensis Episcopatus proventibus ei „ competenter faciat in necessaris provideri, „ ne pro defectu temporalium rerum propo„ situm ejus valeat impediri. Et quoniam „ quidam coram te propriis nominibus de„ signandi eum dicantur rebus propriis con„ tra justitiam spoliasse, alii vero manus „ in eum sacrilegas injecisse, volumus & man„ damus, ut, si rem inveneris ita se habere, „ & primos ad ablata in integrum reddenda, ap„ pellatione remota, compellas, & alios excom„ municatos publice nunties, & sicut excom„ municatos tamdiu facias evitari, donec passo „ &c. Datum Laterani VII. Id. Septembris.

Has litteras ipsimet Dominico ad Joannem Archiepiscopum perferendas dedit, quibus dies qui-

quidem septimus Septembris adscriptus est, non item annus Innocentiani Pontificatus, quem tertium fuisse arbitror, æræ vulgaris 1200., eumdem plane, qui alteris litteris Innocentii ad eumdem Joannem Archiepiscopum adscriptus est, appositusque dies Nonarum Decembrium. Post discessum Dominici, interea dum ille in urbe morabatur, Joannes Archiepiscopus G. Ecclesiæ Svaciensi Episcopum præfecit & consecravit. Porro Dominicus Roma digressus non eas litteras, quas ab Innocentio acceperat, sed alias, quas ipse per summam temeritatem ac perfidiam confinxerat, ad Joannem Archiepiscopum detulit, quarum caput erat, Dominicum ab Innocentio non modo absolutum, sed etiam pontificalem illi Sedem ac dignitatem redditam fuisse. Joannes de falsitate hujusmodi litterarum vel ex ipsa inscriptione admoneri potuerat; in hac siquidem *dilectus in Christo filius* vocabatur, contra quam consuevit Sedes Apostolica & Pontifex Romanus, qui Episcopos omnes non *Filios*, sed *Fratres* appellat. Sed ille neque hoc animadvertit, neque alia indicia, e quibus falsæ & suppositæ internosci possent. Itaque nihil fraudis subesse iis censuit, & amoto G. Episcopo, quem ipse consecraverat, Dominicum in Sedem Svaciensem restituit. Sed literæ illæ suspicionem regis Vulcani non effugerunt, neque se adduci passus est, ut illis fidem haberet; atque ut quid veri, quid falsi esset, dignosceret, Episcopum utrumque Dominicum & G. Romam adire jussit cum suis ad Innocentium literis orans obsecransque, ut quid de utroque illo Episcopo statuendum esset, suo ipse rescripto apostolico significaret. Et G. quidem Episcopus regis mandato paruit, Romamque profectus litteras regis Summo Pontifici reddidit; Dominicus vero sibi male conscius, veritusque conspectum meritamque indignationem Innocentii, per simulationem Romanæ profectionis alio iter intendit, atque in partes Hungariæ secessit. Ex literis Vulcani regis, itemque ex literis, quas Joannes Archiepiscopus cum adulterinis Dominici literis ad Joannem Legatum Apostolicum Dyrrhachii commorantem miserat, is vero utrasque ad Innocentium perferendas curaverat, Pontifex temeritatem & malitiam Dominici falsarii cognovit; & ad Joannem Archiepiscopum alteram scripsit epistolam, qua de nequitia & fraude Dominici se intellexisse ait, eaque singillatim exposuit, tum ejus nimiam credulitatem & inscitiam arguit, qui falsitatem earum litterarum non animadverterit; quidquid vero secundum has litteras decretum ab illo est, & factum, jubet rescindere atque irritum facere; Ecclesiam Svaciensem G. collatam, deinde ablatam, tamquam legitimo Episcopo restituat; ac Dominicum, si forte redierit, in monasterium aliquod detrudat, in quo pro sua fallacia & improbitate Deo & Ecclesiæ debitam meritamque pœnam persolvat. Innocentii literas hasce ex tomo 2. Regest anni III. epist. 35. hic subjicimus.

& ob confictas a se Pontificis literas

„ Innocentius Episcopus, Servus Servorum „ Dei Ven. Fratri.... Antivaren. Archie„ piscopo Salutem & Apostolicam Benedi„ ctionem.

ab Innocentio in monasterium detrudi jubetur.

„ Quam gravi pene subjaceant, qui litе„ ras apostolicas falsare non timent, & ve„ ras a nobis impetratas literas occultantes „ falsis uti literis non verentur, fraternita„ tem tuam credimus non latere. Ad au„ dientiam siquidem nostram ex literis ka„ rissimi in Christo filii nostri Vulcani Dio„ clie Regis illustris, nec non & tenore li„ terarum tuarum, quas dilecto filio fratri „ Johanni Capellano nostro apud Duratium „ direxisti, noveris pervenisse, quod cum „ Dominicus q. Suacen. Episcopus, qui co„ ram eodem Capellano & dil. filio S. Subd. „ nostro tunc in partibus illis gerentibus Le„ gationis officium, fuerat de homicidio ac„ cusatus, & in Concilio apud Antivarum „ pontificalem resignaverat dignitatem, ad „ nostram olim præsentiam accessisset, a no„ bis rediens quasdam tibi literas presenta„ vit, quas de verbo ad verbum in literis „ jam dicto Capellano nostro ex parte tua „ directis prospeximus contineri, quibus si„ bi asserebat a nobis pontificale officium „ restitutum: Tu vero literis illis fidem ad„ hibens Ven. fratrem nostrum G. quem in „ Svacen. Episcopum electum canonice diceris „ consecrasse, ab eadem Ecclesia removisti, „ prefato Dominico occasione literarum fal„ sarum in ipsa Ecclesia restituto. Prefatus „ autem Rex, sicut nobis suis literis intima„ vit, non credens literas illas ex nostra „ conscientia emanasse, tam ipsum Domini„ cum, quam prefatum Episcopum nostro „ precepit conspectui presentari, humiliter „ petens, rescripto apostolico edoceri, quid„ quid duceremus de ipso negotio statuen„ dum. Nos vero rescriptum literarum fal„ sarum diligentius intuentes, in eis tam in „ contientia, quam in dictamine manifeste „ deprehendimus falsitatem, ac in hoc fui„ mus non mediocriter ammirati, quod tu „ tales literas a nobis credideris emanasse, „ cum presertim scire debeas Sedem Apostо„ licam in suis literis consuetudinem hanc „ tenere, ut universos Patriarchas, Archie„ piscopos & Episcopos fratres, ceteros ve„ ro sive Reges sunt sive Principes, vel alios „ homines cujuscumque ordinis filios in no„ stris literis appellemus, & cum uni tan„ tum persone litere apostolice dirigantur, „ nunquam ei loquimur in plurali, ut vos „ sive vester, vel his similia in nostris li„ teris apponantur. In falsis autem tibi li„ teris presentatis in salutatione dilectus in „ Christo filius vocabaris, cum in omnibus „ literis, quas aliquando tibi transmisimus, „ te videre potueris a nobis fratrem venera„ bilem appellatum; propter quod sic esse „ te volumus in consimilibus circumspectum, „ ut per falsas literas denuo nequeas circum-

„ ve-

Digitized by Google

„ veniri vel falli, sed sic literas apostoli„ cas studeas diligentius intueri tam in Bul„ la, quam filo, tam etiam in carta, quam „ stilo, quod veras pro falsis, vel falsas pro „ veris aliquomodo non admittas. Scire nam„ que te volumus, quod cum sepefatus Do„ minicus olim ad Apostolicam Sedem ac„ cessit, nos cum fratribus nostris exami„ nantes diligentius causam ipsius eum ad te „ duximus cum nostris literis remittendum, „ querum rescriptum nunc tibi sub Bulla no„ stra mittimus intercusum; sed ipse tam„ quam homo iniquus, sicut ejus opera ma„ nifestant, veras literas supprimens, quas „ ex benignitate Sedis Apostolicæ concesse„ ramus eidem, falsas tibi non timuit lite„ ras presentare. Ceterum, quia dignum „ est, ut qui noluit benedictionem, pro„ longetur ab ea, & prefatus Suacen. Epi„ scopus non sine labore maximo se curavit „ nostro conspectui presentare, jam dicto „ Dominico, tanquam qui de sua justitia „ diffidebat, & remordebat eum prospicere „ conscientia falsitatis, minime veniente, imo „ licet, ut dicitur, iter arripuerit veniendi, „ ac promiserit se venturum, ad partes Un„ garie se transtulit, ut nostram presentiam „ declinaret, volentes & illam de sua pre„ sumptione punire, & sepenominato Epi„ scopo paterna succurrere pietate, fraterni„ tati tue per apostolica scripta mandamus, „ & districte precipimus, quatenus, si forte „ occasione literarum illarum in aliquo pro„ cessisti, irritum denuncians penitus & „ inane, jam dictum Dominicum, si denuo „ venire ad partes illas presumpserit, omni „ dilatione, occasione & appellatione post„ posita, in aliquo facias monasterio distri„ cti Ordinis ad agendam penitentiam arte„ retrudi; prenominatum autem G. Episco„ pum, si premissis veritas suffragatur, in „ suo loco & dignitate, sublato contradictio„ nis & appellationis obstaculo, restituas & „ facias in Episcopatu suo pacifice permane„ re, illos ecclesiastica districtione compe„ scens, qui se tibi duxerint temeritate qua„ libet opponendos. Dat. Laterani Non. „ Dec. Pontificatus nostri anno III. „ id est 1200.

G. EPISCOPUS SVACIENSIS V.

G. Ep. Svacien. anno 1200.

Hunc habemus in epistola secunda Innocentii III. ad Joannem Archiepiscopum Antibarensem modo descripta, in qua ejus nomen unica litera G. designatur. Anno 1200. in locum Dominici Episcopali Sede, qua se indignum præbuerat, dejecti subrogatus est ad regendam Ecclesiam Svaciensem, ut eadem epistola docet. Episcopatum an. 1200. susceptum perducere simul cum vita potuit usque ad annum fere quinquagesimum hujus sæculi, nisi siquis alius inter hunc & proximum ejus successorem interjectus fuerit; quod est verisimilius.

N. N. EPISCOPUS SVACIENSIS VI.

N. N. Ep. Svacien. an. 1250.

Hujus anonymi Episcopatus Svaciensis nobis innotuit ex epistola Innocentii IV. *Venerab. Fratribus Dulcinen. & Suacinen.* Episcopis inscripta, & *Dat. Lugduni Kal. Maji Pontificatus an VII.* id est 1250. Jubet utrumque omni ope operaque eniti, ut bona Ecclesiæ Antibarensis alio distracta & alienata recuperent; ut in Joanne II. Metropolita Antibarensi jam diximus. Unus is est ex iis Episcopis, qui imperium detrectarunt Archiepiscopi Ragusini, cum inter hunc & Antibarensem controversia maxime ferveret de provincialibus Episcopis, & ad Curiam Lugdunensem ut se sisteret jussus fuit ab eodem Innocentio Pontifice per Salvium Antistitem Tribuniensem; Narrationem hujus controversiæ, & Innocentianas epistolas habes in actis Joannis II. Antibarensis & Joannis III. Ragusini Metropolitæ.

GREGORIUS EP. SVACIENSIS VII.

Gregorius Ep. Svacien. anno 1303.

Ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, qui anno 1303. hanc Ecclesiam regebat, uti ex Waddingo liquet in tomo 6. Annal. & ex Reg. Epist. Benedicti XI. ep. 136. dat. XIV. Kal. Septemb. an. 1. qui est 1303. Suæ Ecclesiæ aliquot annos graviter & laboriose præfuerat, cum eum pristinæ religiosæ vitæ repetendæ cupiditas cepit; &. a Benedicto XI. postulavit, ut sibi liceret Ecclesiæ sibi concreditæ nuntium remittere, atque ad prioris vitæ institutum redire. Annuit Pontifex, & Marino Archiepiscopo Antibarensi mandavit, ut abdicationem Gregorii rite & ex juris formula reciperet, eumque auctoritate apostolica a vinculo dissolveret, quo Ecclesiæ Svaciensi erat obstrictus; uti in actis ejusdem Marini dictum a nobis jam est. Verum nescio quid caussæ intercesşit, cur Gregorius facultate sibi tradita dimittendi Episcopatus uti noluerit, quem adhuc quatuor annos retinuit. Anno 1307. Canonici Antibarenses a Clemente V. postularunt, ut Gregorium Svaciensem Episcopum Metropoli Antibarensi præficeret, sibique Archiepiscopum daret; sed Gregorius non solum obstitit huic postulationi, sed etiam Episcopatui Svaciensi se abdicavit, ut est in literis Clementis anni ejusdem, quas habes in Andrea Archiepiscopo Antibarensi.

Episcopatum dimittit.

BENEDICTUS EP. SVACIENSIS VIII.

Benedictus Ep. Svacien. anno 1308.

Erat Canonicus Ecclesiæ Antibarensis, quem Clemens V. an. 1308. in hanc Sedem Episcopalem voluntaria Gregorii cessione vacuam subrogavit IX. Kal. Jan. Ex Reg. Clem. V. an. III. ep. 252. & 400. Idem confirmat Lucas Waddingus ad an. 1307. *F. Gregorius resignavit Ecclesiam Suatinen. in Dalmatia sub Archiep. Antibaren., in ejus locum assumptus est Benedictus Canonicus Antibaren., ut habetur in epist. ad Regem Rasciæ;* qui

tunc

Digitized by Google

tunc erat Uroscius, & adhuc Latinis Catholicis favebat; sed post annos non ita multos, cogitatione omni catholicæ religionis, & Romanæ communionis amplectendæ abjecta, quam antea non obscuris indiciis ostenderat, Romani Latinique dogmatis cultores acerbissime divexare cœpit, ut dictum est in Andrea Archiep. Antibarensi. Hanc itaque causam fuisse arbitror, quæ Benedictum ab sua Ecclesia coegit abscedere, alioque profugere. Cum Benedictus Guichardus Ecclesiam Bosnensem per hæc tempora dimisisset translatus ad Transilvaniensem, illius administratio tradita fuit Benedicto Antistiti Svaciensi, ut ex tabulis Avenion. diximus in Episcopis Bosnensibus; quam ad an. 1317. retinuit, cum Sedem Ragusinam conscendit. Georgius Prayus in Specimine Eccl. Hungar. pag. 430. unum eumdemque Benedictum ab an. 1312. ad an. 1317. Bosnensi Ecclesiæ præfuisse scribit; sed non unum in errorem incidit; nam Benedictus Bosnensis Episcopus an. 1309. hanc Ecclesiam regendam suscepit post Gregorium, quod docet diploma pontificium in Bull. Dominic.; deinde Benedictus Svaciensis curam ejusdem Ecclesiæ, & administrationem gessit ad eum annum, qui primus est Pontificatus Joannis XXII., & anno secundo, id est 1318., electus dicitur Petrus Antistes Bosnensis in tabulis laudatis, tomo 6. fol. 10. *Provisio Episcopatus Ecclesiæ Bosnensis alias vacantis per resignationem Guichardi tunc temporis Episcopi, & cujus Ecclesiæ data fuerat administratio ad tempus Benedicto olim Svaciensi Episcopo, nunc vero in Archiepiscopum Ragusinum electo, pro Petro, cum mandato Episcopi Hostiensis ad effectum illum consecrandi. Joannis anno* 2. Equidem fatetur ipse Prayus, se *nimis longe* Episcopatum Bosnensem Benedicti *produxisse*; si vero alter Benedictus, quem is pag. 257. inter Episcopos Transilvanienses ponit ad an. 1310., idem est atque Bosnensis, quemque tabulæ Avenionenses suum Episcopatum *resignasse* dicunt, & Scriptores Dominicani ad Ecclesiam Transilvaniæ transisse, tum anno vix uno Bosniæ Episcopus fuit, contra ac de illo dictum a nobis est Tomo 4. Operis nostri pag. 56., quem vide, uti & Tomo 6. pag. 124.

Anno 1417. Benedictus erat Avenione, & cum Bartholomæo Archiepiscopo Ragusino, aliisque Archiepiscopis & Episcopis templo S. Joannis Evangelistæ certam delictorum veniam affixit, quam perciperent quicumque statis quibusdam & solemnibus diebus sacram illam Ædem a B. Humilitate Antistita Collegii virginum Ordinis Vallumbrosani conditam religiose inviserent. Datæ sunt hæ literæ quaternis vicibus eo anno, & in primis quidem VII. Kal. Aprilis nominatur *Bartholomæus Suaciniensis*, in reliquis mensis Aprilis subscriptus legitur *Benedictus Suacinensis*; uti refert Papebrochius tomo V. ac die 22. Maji Bolland. in actis B. Humilitatis. Benedictus per annos circiter decem in gubernanda Ecclesia Svaciensi tanta prudentia se gessit, ut dignum se præbuerit, quem Joannes XXII. ad Sedem Metropoliticam Ragusinam eveheret idibus Juliis ejusdem anni 1317. de quo in Archiep. Ragusinis Tomo VI. Operis nostri.

CATHARIUS SIVE ZACHARIAS EPISC. SVACIENSIS IX.

Zacharias Ep. Svacien. an. 1318.

Alumnus & cultor eximius disciplinæ Dominicanæ, quem Joannes XXII. Benedicto ad Metropolim Ragusinam translato in hanc Sedem Episcopalem substituit; *Provisio Ecclesiæ Svatinen. per translationem b. m. Benedicti Svatinen. Episcopi ad Archiepiscopatum Ragusinum vacantis pro Catbario Ord. FF. Præd. professo. Dat. Aven.* 17. *Cal. Aug. an.* 2. *Joannis XXII.* id est 1318. ex tab. Consist.; in aliis tabulis Romanis *Zacharias* nominatur, veluti in epistola Joannis XXII. *Zacharias Ord. Prædic.* 17. *Kal. Augusti an.* 2. *designatur Ep. Svatinen. per translationem* &c. Reg. Joan. XXII. an. 11. part. 2. epist. 1735. itemque in libris Expens. Cam. Apost. tomo 62. p. 95. t. *An.* 1320. *die* 18. *Junii soluti fuere Ven. Patribus Dom. Fratribus Nicolao Archiep. Achriden. & Andreæ Croen. & Zachariæ Suassinen. florenі* 100. *auri*, ad eorum scilicet paupertatem sublevandam. Quo anno & mense Julio Zacharias degebat Avenione, & cum Archiepiscopis quatuor, & decem Episcopis diploma *Indulgentiarum* elargitus est pro Ecclesia Bononiensi S. Martini Ord. Carmel. In eo nominatur *Zacharias Suacienen.*, datumque est *Avinione Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo, die decima mensis Julii, Pontificatus Sanctissimi Patris ac D. N. D. Joannis divina Provid. Papæ XXII. Anno quarto*; ex tomo I. Bull. Carm. pag. 60. Pontificatus Zachariæ incidit in ea tempora calamitosa, cum Uroscius ex fautore infensissimus dogmatis ritusque Latini hostis adhuc apud Serblos regnabat; quo exstincto in regnum successit Vladislavus filius Stephani fratris Uroscii; eoque ob nimiam in fratrem Constantinum sævitiam expulso, Stephanus ex thoro non legitimo Uroscii filius regnum Serbliæ sive Rasciæ adeptus, licet schismaticus, nullam Catholicis molestiam exhibuit. Exinde Zachariam paratis rebus ac temporibus ad Ecclesiam Svaciensem rediisse credendum est. Ejus annus emortualis ignotus est.

SERGIUS EPISC. SVACIENSIS X.

Sergius Ep. Svacien. an. inc.

Hunc & plures alios Episcopos Ecclesiæ Svaciensis doctissimo Cardinali Garampio acceptos referre debemus, qui eos nobis ex tabulis Romanis suppeditavit. At Sergius quidem ex Reg. Clem: VI. an. IV. lib. 2. p. 45. t. ubi dicitur Paullus *per obitum Sergii* præpositum fuisse Ecclesiæ Svaciensi. Is ad annum fere 1345. hunc Episcopatum gessit, dum rerum in Serblia adhuc potiebatur Stepha-

Digitized by Google

phanus cognomento Duscianus, Catholicis & Latinis nec infestus omnino, nec propitius.

PAULLUS EPISC. SVACIENSIS XI.

Paullus Ep. Svacien. an. 1345.

Erat e sacra familia Carmelitana, ignotus auctori Bibliothecæ Carmelitanæ, propterea-que prætermissus in Catalogo Episcoporum, quos ex ea Sodalitate ad regendas Ecclesias assumptos recenset tomo 2. Hunc Clemens VI. diserte asserit, *qui erat Ord. Carmel. Suacensi Eccl. vacanti per obitum Sergii Ep.* præfecisse *IV. non. Julii an.* 1345. ex Reg. an. IV. lib. 2. p. 45. t. Idem *Suassen. Ep. in previn. Antibaren. fuit a præstatione communis servitii propter paupertatem liberatus* 2. *Decemb.* ejusdem anni; lib. 22. Obl. Cam. pag. 3. Exstant præterea in Bull. Carmel. tomo 3. pag. 46. literæ pontificiæ de Svaciensi Paulli Episcopatu, quarum hæc summa est.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Paulo Episcopo Suaciensi salutem & apostolicam benedictionem.

Inter sollicitudines varias &c. *Dudum siquidem bon. mem. Sergio Episcopo Suacensi regimini Suacensis Ecclesiæ præsidente* &c. *Postmodum præfata Ecclesia per obitum ipsius Sergii, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta* &c. *Nos ad provisionem ipsius celerem & felicem* &c. *paternis & sollicitis studiis intendentes* &c. *ad te Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo Professorem & in Sacerdotio constitutum* &c. *direximus oculos nostræ mentis* &c. *teque illi præfecimus in Episcopum & pastorem* &c. *ac deinde tibi fecimus apud Sedem Apostolicam per Ven. fratrem Bertrandum Episcopum Ostiensem munus consecrationis impendi* &c. *Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam Suacensem Ecclesiam cum gratia nostræ benedictionis accedens, ejusdem Suacensis Ecclesiæ sollicitam curam geras* &c. *ita quod eadem Suacensis Ecclesia gubernatori circumspecto, & fructuoso administratori gaudeat se commissam* &c.

Datum apud Villam Novam Avinionensis diœcesis quarta Nonas Julii Pontificatus nostri Anno quarto, id est 1345.

Initia hujus Episcopatus satis tranquilla fuere; progressus pleni curarum & molestiarum, præsertim post interitum Stephani Dusciani; cum Helena ejus vidua Catholicos Latinos, quos pessime oderat, acerbissime divexabat, uti diximus in Dominico Archiepiscopo Antibarensi.

PETRUS II. EP. SVACIENSIS XII.

Petrus II. Ep. Svacien. anno circ. 1360.

Erat Avenione anno 1363. apud Curiam pontificiam; & Ædem S. Mariæ vulgo de Ellendigher diœcesis Cameracensis caste pieque visentibus, & subsidii aliquid ad ejus cultum ornatumque conferentibus, certam delictorum indulgentiam cum duobus Archiepiscopis & pluribus Episcopis largitus est. Literæ, in queis nominatur Petrus Svaciensis, datæ sunt *Avenione anno millesimo trecentesimo sexagesimo tertio Indict. vigesima, octava die mensis Januarii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris Urbani an.* 1., ut est in tomo 3. die 18. Junii Bolland. Cum suam Ecclesiam adiisset, & Ægidius Episcopus Sabinensis procurationes seu pensiones pro quatuor annis jam transactis suæ legationis in Dalmatia exigeret, Joannes IV. Archiep. Antibarensis tum pro se, tum pro suis provincialibus Episcopis, inter quos *Ep. Svacinen.*, florenos centum persolvit an. 1364. ex lib. 405. Introit. & Exit. Cam. Apost.

Hoc tempore tres egregii fratres Strasimirus, Georgius, & Balsa, Comites sive Jupani Zentæ, quam provinciam cum Balsa parente & auctore nobilissimæ gentis Balsichiæ in suam potestatem redegerant, & post cædem Uroscii postremi e stirpe Neemanica regis Serbliæ, postque obitum parentis retinebant, divino Spiritu afflati consilium cœpere ejurandi schismatis, cujus labe erant infecti, atque in sinum Ecclesiæ se conferendi. Ideo Petrum Episcopum Svaciensem Romam miserunt, qui suam Urbano V. Pontifici voluntatem declararet. Lætus eo nuntio Urbanus eis præcepit, ut, si voti compotes esse revera cuperent, a molestiis aliquando, injuriisque se abstinerent, quas Catholicis per ea loca Ecclesiis, & Catharensi in primis civitati gravissimas inferebant; tum Petro obtemperarent, cui, quid iis agendum esset in hoc reconciliationis cum Romana Ecclesia negotio, mandata se dedisse scribit. Exstant eæ litteræ in Annal. Eccl. Odorici Raynaldi ad an. 1368. datæ Kalendis Juniis anni ejusdem, quas inde huc referimus.

missus a Balsisoratore ad Pontificem.

Nobilibus viris Strazimiro & Georgio ac Balse fratribus Zupanis Zente gratiam in presenti, per quam obtineant gratiam in futuro.

Hujus ad Balsas literæ,

Spiritus noster exultavit in Domino, qui sicut ex relatione venerabilis fratris nostri Petri Episcopi Svacinensis lateris præsentium per vos super hoc ad nostram præsentiam destinati percepimus, misericorditer dignatus est vobis tribuere intellectum, ut relictis schismatis & errorum tenebris & umbra mortis æternæ, in quibus hue usque mansistis, incipiatis animabus vestris & subditorum vestrorum prudenter consulere, & lumen agnoscere veritatis, intendentes ad obedientiam & devotionem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris & magistræ cunctorum fidelium reverenter & cordibus sinceris accedere, in eisque perpetuo remanere, ac a nobis, qui licet immeriti sumus in terris Christi Vicarius, instrui qualiter debeatis in via Domini ambulare. De iis igitur laudandis principiis Deo, qui vos sua gratia prævenit, & (si pura intentio in vestris mentibus vigeat) sequetur indubie, devotas gratias agimus & commendamus intendentes vos, si nostris & dictæ Ecclesiæ mandatis devote parebitis, in filios spirituales recipere & tenere ac prosequi favoribus opportunis. Ut autem mercamini ad gratiam reconciliationis

Digitized by Google

admitti, ac obtinere Sedis Apostolicæ benevolentiam & favores, a molestiis ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum, aliorumque catholicarum obedientium dictæ Romanæ Ecclesiæ, ac præsertim civitatis Catharensis, quam jamdiu a vobis, seu, te, Georgi, hostiliter molestari percepimus, curetis penitus abstinere, ut in his & aliis vestram intentionem puriſſimam ostendatis. Super quibus & aliis per vos agendis in dictæ vestræ reconciliationis negotio, præfatum Episcopum duximus informandum, cui super iis, quæ vobis ex parte nostra retulerit, velitis fidem indubiam adhibere. Dat. apud Montemflasconem Balneoregiensis diœcesis VIII. Kal. Junii anno VI.

qui coram Petro schisma ejurant.

Petrus in Albaniam attulit Balsis pontificias literas, quibus cum illico paruissent, ut in Episcopis etiam Catharensibus dictum est Tomo VI. pag. 452., a Petro edocti, quæ ad Fidem catholicam recte profitendam necessaria erant, demum Scodræ, quæ urbs illorum dominio suberat, & in Æde Cathedrali ad Pontificis jussa publice ejurato schismate, sese Romanæ Ecclesiæ dogmatibus legibusque obstrinxere coram eodem Petro, a quo schismatici erroris absoluti in gratiam & communionem Sedis Apostolicæ sunt recepti. Exstant in tabulis Rom. tom. 4. epist. secret. Urbani VI. pag. 104. aliæ ejusdem literæ, quibus præstitam ab iis Christi Vicario obedientiam gratulatur.

Petrus ad annum fortasse 1372. vitam & Episcopatum produxit, & idem esse *Svatinen. Episcopus* videtur, qui eo anno similiter, ut cæteri Episcopi provinciæ Antibarensis, nihil pro decimis solvisse dicitur in tabulis Romanis; *pauperes enim sunt & in miseria vivunt*.

PETRUS III. EP. SVACIENSIS XIII.

Petrus III. Episc. Svacien. anno 1402.

Cui Bonifacius IX. anno XIII. Pontificatus, Christi 1402., Ecclesiam Svaciensem decrevit. *Petrus Kirten* legitur in Ind. Archivi Bullarum tomo V. anno XIII. Bonifacii IX. p. 271. *Suacin. Episc. a Bonif. IX. creatur per obitum prædecess. sui*. Idem an. 1404. dicitur, *Petrus Suacin. Electus propter paupertatem a præstatione communis servitii liberatus*; ex Obl. Cam. tomo 57. p. 68. t. Præfuit annos fere sexdecim.

ANTONIUS EPISC. SVACIENSIS XIV.

Antonius Ep. Svacien. anno 1418.

Patria Florentinus, religiosæ vitæ instituto Dominicanus, quem Martinus V. anno primo Pontificatus Episcopum Svaciensibus dedit; ita tabulæ Rom. 1418. 2. *Id. Augusti provisum est Ecclesiæ Svanen. vacanti per mortem de persona* F. *Antonii de Florentia Ord. Prædicatorum*. Abest tum a Bullario Dominicano, tum a Scriptoribus sui Ordinis. Nec vero appellatio *Svanensis Ecclesiæ* Svaciensem Antonii Episcopatum in dubium revocare potest; quæ modo *Soaciensis*, modo *Svatinensis*, modo *Svasiensis* eadem Ecclesia dicitur, appellari etiam *Svanensis* potuit. Est quidem in Etruria sub Metropolita Senensi Ecclesia episcopalis *Svanensis* sive *Svanensis*; sed in Episcopis Sonnensibus apud Ughellum nullum invenio nomine Antonium, qui per eos annos Etruscæ huic Ecclesiæ præfuerit. Antonius post biennium a suscepto Episcopatu Sedem Svaciensem vacuam successori reliquit.

PETRUS IV. EPISC. SVACIENSIS XV.

Petrus IV. Ep. Svacien. anno circ. 1420.

Anno circiter 1420. ad hanc Ecclesiam regendam accessit, cui & administratio bonorum Mensæ Archiepiscopalis Antibarensis commissa fuit, dum ea metropolis interregno suberat; idque patet ex literis, quibus *Petro Ep. Svacensi administratori bonorum Ecclesiæ Antibaren. pridem auctoritate apostolica deputato significatur a Camerario Apost. provisio facta a Martino V. dictæ Ecclesiæ in persona Petri Spani tunc Canonici Drivasten. Dat. 8. Jan. an. 1423.* ex Divers. Camer. tomo 7. p. 125. t. Vide & in Joanne VI. Archiep. Antibarensi. Anno XV. post administrationem Ecclesiæ Svaciensis ad regimen Olciniensis jussu Eugenii IV. migravit. Ejus loco Marinum Contarenum e Catharensi Sede ad hanc Svaciensem nominatum comperio in quibusdam schedis anno 1436. ipsum vero abnuisse; sed nullis id probatur monumentis; & de Marino vide Tomum VI. in Ecclesia Catharensi.

SERGIUS II. EP. SVACIENSIS XVI.

Sergius II. Episc. Svacien. anno 1439.

Anno 1439., cum Episcopus Svaciensis esset electus, *obligavit pro communi servitio floren.* $33\frac{1}{3}$. Tomo 64. Oblig. p. 283. t. & pag. 284. *item pro monasterio S. Johannis de Stuvalio*, lege *Stivalio*, *Ord. S. Bened. Drivasten. diœc. alios florenos* $33\frac{1}{3}$. illi enim monasterium commendatum erat ad sublevandam e proventibus mensæ episcopalis egestatem.

PAULLUS II. EP. SVACIENSIS XVII.

Paullus II. Episc. Svacien. anno 1440.

Cum parœcia & ecclesia Tarvisina S. Augustini in duas portiones divisa esset, alteri Paullus Dussius præerat parochi munere, quem anno 1440. XVI. Kal. Decembris Eugenius IV. ad Ecclesiam Svaciensem evexit; *Paullus Dussi Rector alterius portionis parroch. Eccl. S. August. de Tervisio fit Episc. Suacen. per obitum Sergii extra Romanam Curiam*; tomo 65. Obl. Cam. p. 54. Exstat in Reg. Eugen. IV. tomo 8. p. 157. hujus Pontificis diploma, quo *Fantino Dandulo Protonot. Apost. cognoscendam in partibus commisit* Eugenius *causam inter Petrum Ep. Suacen. & Prosdocimum Basclacii Beneficiatum in Eccl. S. Angeli de Venetiis, quæ olim commissa fuerat Ep. Lucerino in Rom. curia existenti. Dat. Senis 26. Aug. an. XIII.* id est 1443. Verum hoc anno Paullus suam Ecclesiam regebat; & nisi existimare velimus, du-

Digitized by Google

duplici *Petri Paulli* vocabulo appellatum fuisse, diploma illud ad Petrum III. referendum videtur, qui voluntaria cessione Episcopatum deposuerit, & retento titulo, adhuc eo anno superstes esset. Anno 1445. Paullus hanc Ecclesiam cum Drivastensi commutavit ex mandato Eugenii Pontificis; tomo 72. Obl. Cam. p. 13. *An.* 1445. 11. *Cal. Jan. Paulus Ep. Suacen. transfertur ad Eccl. Drivasten.*

ANTONIUS II. EP. SVACIENSIS XVIII.

Antonius II. Ep. Svacien. anno 1446.

Alumnus disciplinæ Franciscanæ, cui ab natali solo *de Fabriano* cognomen fuit; de quo Lucas Vaddingus in Annal. ad an. 1446. *Institutus est Episcopus Svacinen. sub Archiepiscopo Antibaren. F. Antonius de Fabriano per translationem Pauli ad Ecclesiam Drivastensem* 15. *cal. Augusti an.* 1446.; & in tabulis Rom. tomo 72. Obl. p. 14. t. *F. Antonius de Fabriano fit Ep. Suacen. per translationem Pauli supradictam*, iisdem anno & mense ac die. Plerumque abfuit. Nam regio illa plena periculis, armis ac terroribus propter internecina bella, quæ Scanderbegus assidue cum Turcis gerebat, ut plerosque Albaniæ Episcopos, sic Antonium ad loca tutiora compulerat; quin triennio post Episcopatum susceptum urbs in Turcarum potestatem proditione tradita est, uti initio diximus. Itaque circuitione fere perpetua ex aliis in alias Italiæ urbes commigrans variis Ecclesiis & Episcopis vicariam atque adjutricem operam præbuit. Et anno primum 1451. videtur Vicetiæ constitisse, si fides Barbarano adhibenda, qui lib. 5. hist. eccl. Vicet. pag. 202. narrat, *Episcopum S. Eleutherii* vices Vicetini Antistitis gerentem primos solemni ritu posuisse lapides Ecclesiæ S. Bernardini VIII. Kal. Februarii illius anni, & a S. Eleutherio Episcopum nuncupatum, quia penes Eleutherianum templum degebat. Equidem Antonius anno tantum 1458. paræciam S. Eleutherii Vicetiæ obtinuit, uti paullo inferius dicendum; ac tum *S. Eleutherii Episcopus* vulgo nominari potuit congruente minus vocabulo. Verum idem Barbaranus lib. 2. in vita B. Joannis a Capistrano, qui Ecclesiæ S. Bernardini ædificandæ auctor fuit, & ipse, cæremoniæ interfuit, *Episcopum* nihil addens innuit, unde Vicetinum Antistitem Franciscum Maripetrum fas est intelligere, qui eodem anno dicitur obiisse. Ast monumenta Ecclesiæ S. Bernardini fortasse fuerunt serius descripta, cum Antonius ab Eleutheriano sacerdotio apud vulgus eo titulo jam vocitaretur. Nec est veri dissimile, post vicarii aut adjutoris munus in Vicetina Ecclesia eum ad Aquilejensem transisse, & inde ad Vicetinam reversum, de quo postea. Pompam facti pro Ecclesia S. Bernardini fundamenti hisce describit in lib. 4. laudato Barbaranus. Indicta jam publica supplicatione, & rite ordinata, præibat Episcopus S. Eleutherii manu primum lapidem reverenter præferens, gestabat alterum Joannes a Capistrano, tertium Franciscus Maurocenus Archidiaconus templi cathedralis; sequebantur Matthæus Barbarus urbis Prætor, ac Benedictus Maurocenus Præfectus, tum Belpetrus Manelmus Vicetinus, & ipsi suum quique ferentes lapidem. Cumque ad designatum Ecclesiæ locum ventum esset, Episcopus, sumptis ab unoquoque lapidibus, solemnique formula bene precatus singulos in fovea apte composuit junxitque. Hæc Barbaranus. Anno 1453. *Antonius de Fabriano Episcopus Svacen. in Dalm. Vic. generalis* Ludovici Scarampi Patriarchæ Aquilejensis legitur in monum. Eccl. Aquilejens. tomo 2. cap. III., cumque idem Scarampus commendatum sibi regeret monasterium Vangaticiense Ordinis Camaldulensis in diœcesi Rhodigina, ejus jussu eam Ecclesiam consecravit an. 1455. ut ad hunc annum testantur Annales Camaldul. tomo 7. p. 245. Interea, ut Nicolaus V. ei concesserat propter exiguos mensæ episcopalis reditus, qui 20. *flor. auri de Cam.* non excedebant, & necessariam ab sua Ecclesia absentiam *ob Infidelium & Teucrorum* in eam diœcesim *incursus*, ut vel parœciam, vel sacerdotium, siquod obveniret, adipisci aliquod posset, *non obstante quod Ord. Min. esset professus*; Pius II., *vacante Capella S. Eleutherii Vicentini cum adnexis*, illam Antonio contulit administrandam, quo ex ejusdem proventibus & suæ egestati provideret, & episcopali dignitati. Hæc ex diplomate Pii II. in tomo 1. Reg. p. 94. *dat.* 4. *Cal. Oct.* 1458. Capella Eleutheriana Vicetiæ est ipsa Ecclesia & parœcia S. Eleutherii, de qua in lib. Visitat. Episc. apud Riccardum de Episcopis Vicet. pag. 167. *Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo Ind. XV. die Martis XI. Januarii. Reverendiss.* Petrus Barbus *Ecclesiam parochialem S. Eleutherii Vincentiæ, cujus ad præsens rector existit Rev. in Christo Pater & D. D. Frater Antonius de Fabriano Dei & apostolicæ Sedis gratia Episcopus Sontensis, solemniter visitavit*. Hisce verbis vocabulum *ad præsens* ad an. 1458. aut insequentes referri oportet, non vero ad an. 1452., quo Petrus jure rituque episcopali eam parœciam invisit; neque enim ante pontificium diploma Antonio licuit ejus possessionem adire, quæ præterea suo jam rectore carebat; & qui episcopales lustrationes in unum volumen redigere exorsus est ab anno 1452., ut monet Riccardus, eas descripsisse certum est, cum Antonius huic præerat parœciæ. Cæterum Riccardus, qui sæpe Ughellium producit, aut erudite corrigit, id ex ipso Ughellio animadvertere poterat, Antonium male *Sontensem* Episcopum dici in lib. Visit., quippe & nulla exstat in catalogis hujus nominis Episcopalis Ecclesia, & in tabulis publicis de solemni Marci Barbi ingressu in Vicetinum Episcopatum ab Ughellio allatis perspicue *Antonius de Fabriano Episcopus Suacensis* nominatur. Sed & alius in eodem libro error inest, cum Antonius di-

in Italia continue commoratur,

Digitized by Google

citur *Eugubinus Episcopus*, qui nunquam Eugubinæ præfuit Ecclesiæ; ejus nomen abest certe tum ab Ughelliano catalogo Antistitum Eugubinorum, tum ab eo, quem diligentiori studio confecit, typisque edidit P. Maurus Sartius monachus & Abbas Camaldulensis; hinc & P. Riccardus in suis Episcopis Vicetinis eodem errore decipi se passus est pag. 168. Per idem tempus videtur Antonius constitisse Vicetiæ, & dimisso Aquilejensis Vicarii munere, suam operam curamque impendit in Petri Barbi adjumentum, cujus a Riccardo dicitur *Suffraganeus*; exstat vero apud eumdem Riccardum pag. 175. hoc monumentum an. 1459. ex tabulis Cancell. Episcop. Vicent. *Ind. VII. die Dominico 25. Martii presentibus* &c. *R. D. Antonius de Fabriano Episc. Soacen. Reverendissimi D. Cardinalis Episc. Vicent. suffraganeus ordinavit Jacobum filium Baptiste Joannis de Bregranciis Civem Vicentinum ad primam tonsuram*. Hoc titulo Antonium nominat & Barbaranus lib. 4. hist. Eccl. Vicent. pag. 90. qui errat, cum illum Caprulensem primo Episcopum sub Petro Barbo, deinde sub Marco Svaciensem efficit; contra enim est, ut paullo inferius dicam, ipsius Barbarani testimonium, cujus aut typographi alius error inest pag. 68. ubi Antonius *Laocensis* Episcopus appellatur. Barbi ejusdem Ecclesiæ Episcopi adjutor exstitit, ut ex tabulis mox proferendis perspicuum est, & a Barbarano confirmatur lib. 4. hist. Eccl. Vicent. pag. 68. Anno tamen 1460. Bellunum profectus est, ut in ea diœcesi Ecclesiam S. Joannis Baptistæ de Canali nescio quo scelere pollutam in sacrorum mysteriorum officiorumque usum ecclesiastico ritu mundaret; *Dom. Antonius de Fabriano*, uti legitur in Cod. Indulgent. ejusdem Ecclesiæ, *Ep. Suacensis de licentia Dom. Petripauli de Leonissa Vic. Gen. Dom. Francisci Bellun. & Feltren. Ep. Ecclesiam reconciliavit S. Jo. Bapt. de Canali diœcesis Bellunensis* &c. *an.* 1460. *die* 24. *Septemb.* Sed, licet absens, Svaciensis gregis sibi crediti pastoralem sollicitudinem, quoad ei licere poterat, non omnino abjecerat; nam, *vacante olim parochiali Ecclesia S. Marie de Goritia Svacin. diœc. Antonius Ep. eam jure ordinario contulit Vito Jonima Can. Scutaren. Pius II. provisionem eam confirmavit, non obstante quod, ut asserebatur, fortasse pertinuisset ad Archiep. Antibaren., velut Capella mensæ Archiep.*. Diploma *dat. An.* 1463. *Idib. Junii*; ex Reg. Pii II. tomo 42. pag. 103. Verum hujus Ecclesiæ nulla mentio in Attavanto, a quo plures enumerantur adnexæ Antibarensi Archiepiscopatui; vide prolegom. ad Ecclesiam Antibarensem pag. 12.

Anno 1465. cum Angelus Faseolus Feltrensis Antistes Marci Barbi nomine & mandato Vicetinæ Ecclesiæ possessionem iniret solemni pompa, & frequentissimo civium concursu, eidem adfuit Antonius; & testis profertur in publicis tabulis, queis ad posterorum memoriam hujusmodi apparatus descriptus est; & exstant apud Ughellium tomo 5. Ital. Sacr. pag. 1062.

In Christi nomine Amen.

Anno ab ipsius nativitate 1465. *Ind.* 13. *die Sabbati* 27. *mensis Aprilis super via publica ex opposito ecclesie S. Catharine site extra, & prope portam civitatis Vicentie ad portum navium, presentibus magnifico & generoso viro D. Petro Mauroceno pro Illustrissimo Duc. Dom. Venetiarum Honorando Cap... Vicentie, Reverendis Patribus D. Antonio de Fabriano Episcopo Suacensi, R. D. Episcopi Vicentini Suffraganeo, D. Antonio Monaldi Abbate S. Petri de Villanova Vicentine diœcesis, spectabili & generoso Dom. Antonio Boldù Camerario Vicentiæ, spectabilibus, & generosis militibus D. Gulielmo Pojello, & D. Baptista de Trissino civibus Vicentiæ, & aliis quamplurimis civibus associantibus infra dictum D. Episcopum* &c.

Verum Svaciensem Episcopatum diu posthac non retinuit; nam a Paullo II., cui suam operam in Ecclesia Vicetina præbuerat; & studium in pontificalibus muneribus exercendis tum ipsi, tum Marco Paulli ex fratre nepotis probaverat, facile impetravit, ut hanc Sedem cum Caprulensi commutaret an. circ. 1467. Abest ejus nomen in Episcopis Caprulensibus apud Ughellium tomo V., sed Barbarano teste lib. 4. pag. 91. & lib. 5. pag. 197. in Ædc S. Eleutherii visitur lapis; cui episcopalis mitra imposita est, hisce verbis inscriptus. & ad Ecclesiam Caprulensem transit.

F. Ant. de Fabriano Episcopus Caprulens. R. D. D. Card. S. M. Suffrag. Vinc. 1469.

Et huic similis alter in Ædc S. Faustini.

F. Anton. de Fabriano Epis. Caprulens.

R.D.D.Card.S.M.Episc.suff.Vic.MCDLXIX.

Hinc certum omnino est, Antonium eo anno ad Caprulensem Ecclesiam jam transiisse, servato quidem sibi tum parochi jure in Eleutheriana parœcia, tum Vicarii officio, & adjutoris Marci Barbi, quem Paullus Pontifex in Cardinalium collegium titulo S. Marci cooptaverat. P. Joannes Thomas Facciolius in suo Musæo Lapidario Vicetino part. 1. memoriam Antonii in Ædc Faustiniana omisit; & pag. 185. Eleutheriano ejusdem Antonii monumento subjicit, ignotum sibi esse Ordinem, cui is nomen dederat; at illum Franciscanæ familiæ Vaddingus haud dubius attribuit; Ecclesia vero Svaciensis tum suos habuit Antistites, qui moram sedemque quandoque Svaciæ tenuere, neque *Titularis* tantum erat, ut Facciolius affirmat, vir cæteroquin omni laude dignissimus pro ea, qua pollet, doctrina atque ecclesiastica & civili eruditione, cuique plurimum me debere confiteor in historia nostra concinnanda.

Dimissa itaque ab Antonio Svaciensi Ecclesia, Simon Archiepiscopus Antibarensis ex mandato Pontificio administrationem suscepit; 1467. 6. *Id. Junii Simoni Archiep. Antibarensi commendatur Ecclesia Svacen. vacans per translationem Episcopi*; in Tomo 4. Oblig. Sacr. Coll. p. 146. Hanc deinceps per mul- Ecclesia Svaciensis commendatur Archiep. Antibarensi.

Digitized by Google

multos annos Antibarenses Metropolitæ gubernarunt, perinde ac si cum sua Ecclesia conjuncta esset; neque ullum Svaciensem Episcopum invenio ante initium sæculi decimi sexti, intra cujus priores viginti annos duos habeo Episcopos, qui titulum quidem absentes, non item administrationem Svaciensis Ecclesiæ gesserunt, a qua longissime aberant. Hi tamen, quamvis titulo tenus Episcopi Svacienses, consueta tamen visendi per suos procuratores, colendique statis temporibus sacra limina Apostolorum officia non prætermisere.

STEPHANUS EP. SVACIENSIS XIX.

Stephanus Episc. Svacien. anno 1510.

In Hungaria & in civitate Quinqueclesiensi commorari solebat, Episcopo illi ad plebem Christianam regendam, & munera pontificalia peragenda fortasse inserviens; de quo in tabulis Rom. 1510. *Stephanus Ep. Svacinen. in civit. Quinqueccl. residens visitavit pro biennio incepturo die* 20. *Aug. limina Apostol. per procuratorem a se constitutum*. Div. Cam. tom. 58. p. 91. t.

NICOLAUS EPISC. SVACIENSIS XX.

Nicolaus Ep. Svac. an. 1517.

Et hic titulo Svaciensis Episcopatus, & alicujus fortasse Episcopi aut Ecclesiæ ministerio addictus *an.* 1517. 8. *April. visitavit limina Apostol. per procuratorem suum, sicut tenetur singulis bienniis*. Ex tom. 65. Divers. Cam. p. 228. t.

JOANNES EPISC. SVACIENSIS XXI.

Joannes Ep. Svac. an. 1520.

Leo X. an. 1520. Svaciensem Ecclesiam a Metropoli Antibarensi disjunxit, eique præfecit Joannem Rosam; sic enim in actis Consist. 1520. 27. *Junii SS. D. N. dissolvit unionem Eccl. Suacen. Eccl. Antibaren. perpetuæ unitæ, & eidem providit de persona Johannis Rosæ Can. Suacen. Redditus flor.* 8. *Taxæ flor.* 33. 1⅓. Quatuor annos jam præfuerat, cum Clemens VII. ad Ecclesiam Scardonensem eum transire jussit.

THOMAS EPISC. SVACIENSIS XXII. ET POSTREMUS.

Thomas Ep. Svacien. an. 1530.

Anno 1530. 1. *Julii SS. D. N.* Clemens VII. *dissolvit Eccl. Suacen. ab Antibaren. cui perpetuo unita erat, consentiente Archiep. Antibaren., & dictæ Eccl. Suacen. dismembratæ ad vitam provisum fuit de persona Thomæ Cam. Reg. hac lege quod teneatur residere in dicta Eccl. Suacen.*; ex Act. Consist. pag. 68. Hic postremus fuit Episcopus Ecclesiæ Svaciensis, quæ post obitum ejus in posterum Episcopo caruit. Anno 1571., cum Dalmatia quoque bello Cyprio ferveret, Svaciam in Turcarum potestatem cum Antibari & Olcinio jam cecidisse certum est. Incuria, barbaries, avaritia Turcarum eamdem huic civitati, quam plerisque aliis, cladem & vastationem intulit; quæ eo demum redacta est, vix ut exigui oppiduli speciem retineat. Anno 1610. Marinus Bizzius Archiepiscopus Antibarensis, cum ex mandato Pontificis Ecclesias Albaniæ & Serbliæ apostolica peragratione lustraret, Svaciam accessit, urbemque mœnibus nudatam, ædificiorum ruinis ac ruderibus stratam, illuvie, pedore ac situ squallentem, paucis Christianis ritus latini habitatam reperit. Adhuc stabat Ædes Cathedralis sub titulo S. Joannis Baptistæ, ampla illa quidem & spatiosa, sed male materiata, & prorsus incompta, sine baptisterio, ullove ornamento. Episcopi Svacienses jamdudum creari desierunt, & hujus diœcesis administratio Episcopo Scodrensi commissa est, ut nobis per literas significavit Lazarus Vladagnus Archiepiscopus Antibarensis.

Status misérandus civitatis Svaciensis.

ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI SCODRENSES.

Scodræ situs.

SCodra, nunc vulgo *Scutari*, civitas pertantiqua passuum millia circiter quinque ac viginti abest a mari, arduo & præcelso loco imposita; ad ripam orientalem Barbanæ, nunc Bollianæ fluminis assidet, quod ab occasu haud procul supra urbem ex Labeatide palude emittitur. Hanc latere in orientem obverso Drinassus amnis, quem Livius Clausulam vocat, præterfluit, nec ita longe infra in Barbanam delabitur. *Duo eingunt* urbem *flumina*, ait Livius Dec. V. lib. 4., *Clausula latere urbis, quod in orientem patet, præterfluens, Barbana ab regione occidentis ex Labeatide palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundo fluminis, quod ortum ex monte Scodre multis & aliis auctum aquis mari Adriatico infertur*. Clausulam, seu Drinassum, a Drino & Drilone fluminibus distingui oportere satis dictum est in Tomo 1. Operis nostri pag. 141. contra atque alii sentiunt Scriptores. Oriundi vero Liviani neque apud veteres Geographos, neque in tabulis geographicis vestigium ullum invenio. Quare sic existimo, eumdem fluvium, antequam cum Clausula seu Drinasso confluat, dici Barbanam, infra vero confluentis utriusque Oriundum appellari. Barbana autem amnis Livianus, cum Meracia amne & Zer-

Digitized by Google

& Zerno in Labeatidem lacum influens, ex eo cum egreditur, Barbanæ nomen acquirit, & post receptum Clausulam fluvium Oriundus esse incipit. Idcirco autem Oriundus e monte Scodro oriri dicitur, quia aquæ ex Moracia per paludem Labeatidem primum in Barbanam, deinde in Oriundum devectæ, inde usque a monte Scodro derivantur. Itaque idem fluvius, priusquam in paludem delabitur, Moracia ab incolis, egressus e palude & Scodram cingens Barbana a Livio, paullo post cum Clausula seu Drinasso confluens Oriundus apud eumdem Livium appellatur, uno eodemque alveo in mare Adriaticum delatus, quem cum Drilone ab Ortelio & Henrico Valesio confundi recte animadvertit Joannes Doujatius in notis Livianis. A tergo urbis mons assurgit, quem Livius Scodrum, alii Scardum vocant, ab occasu ad ortum & meridiem porrectus, a quo Scodram denominatam ferunt. Ex antiquis Geographis Plinius & Ptolemeus inter civitates Illyrici sitas in Dalmatia Scodram adnumerant.

Eius vices usque ad præsentem sub imperio Turcarum statum.

Hanc urbem, olim Illyrici primariam fuisse, & sedem Gentii postremi Illyriorum regis, tum, Gentio devicto, vectigalem Romanis factam, eoque deductam Romanorum coloniam fuse jam enarravimus ex Polybio, Livio & Appiano in 1. Tomo hujus Operis pag. 39. 49. & 160. Sed error hic corrigendus, qui pag. 39. ibi excidit invite e corruptis Appiani verbis tum in Græco contextu, tum in latina interpretatione. Cum enim Appianus lib. V. de bellis civilibus Romanum imperium inter Cæsarem & Antonium divisum fuisse scribat, utriusque partis fines ita distinguit; Ὅρον μὲν εἶναι σφίσι Κοδρόπολιν τῆς Ἰλλυρίδος ἐν μέσῳ τῷ Ἰονίῳ μυχῷ μάλιστα δοκοῦσαν εἶναι. Hæc vero latinus interpres in hunc sensum retulit; *Feceruntque terminum utriusque ditionis Codropolim oppidum Illyricum, quod videbatur situm in intimo sinu Adriatico.* At Appianus Jonium sinum nominat, non Adriaticum; neque ad illius oram Codropolis, quod *Codroipo* haud ita magnum Fori Julii oppidum esse nonnulli censent, situm certe fuit; hinc Palmerius in suis Exercit. pro Κοδρόπολιν substituit Σκόδραν πόλιν, ejusque sententiam recte secutus est Tollius in nova Appiani operum editione anni 1760. Scodra enim Jonii maris litus respicit, quod *Minus* appellant, fere ad fauces Adriatici, eademque terminus erat inter Cæsaris Antoniique ditionem; nam & ipse Appianus testatur, *ab hoc*, Codropolis oppido, *versus Orientem omnes Antonium habuisse tam insulas quam provincias usque flumen Euphratem, versus Occidentem vero Cæsarem usque Oceanum*; certum autem est, Cæsaris imperio & Dalmatiam obtigisse. Hinc Plutarchus in vita M. Antonii Orientem ad fauces usque Jonii maris eidem attribuit. Quid ergo hic Codropolis Forojuliense oppidum cum Jonio mari? Verum idem oppidum, Appiano auctore, Antonianum a Cæsariano imperio disjungit, quare manifestus error deprehenditur æque in illius loci nomine, qui Scodra civitas est, atque in latino interprete, qui Adriaticum mare pro Jonio obtrudit; præterquam quod Græca verba ἐν μέσῳ τῷ Ἰονίῳ μυχῷ verti latine debuerant, *in medio*, non *intimo*, *Jonii sinu* seu *recessu*; & Scodra pæne in Jonii minoris conspectu, ubi mare Adriaticum prope desinit, in tabulis geographicis commode collocatur. Propterea hæc Appiani auctoritas pro statuendis Illyrici finibus nullum habet pondus. Anno 1779. Franciscus Neumannus in egregio opere de veteribus nummis populorum & gentium nunquam in lucem publicam editis duos protulit pag. 157. Scodrensium nummos, cujusmodi nulli unquam e terra eruti. Uterque in agro Scodrensi repertus est; ac uterque vultum exhibet barbati hominis, ex adverso vero navigii effigiem cum græca epigraphe Σκοδρινον. Nostrum non est de horum vetustate inquirere, & num ante cusi, quam Scodra potirentur Romani, an vero sub eorum imperio, esto eruditorum judicium. Romanum nummum coloniæ Scodrensis protulimus ex Ligorio in tomo 1. pag. 160., sed verus ne sit, subdubitare videtur Vessellingius in notis ad Itinerar. Antonini. Plinius certe Scodram *Oppidum civium Romanorum* appellavit. Post constitutam monarchiam Romanam, post imperium bipartito divisum paruit Scodra Græcis Imperatoribus. Sæculo quarto labente, contributa fuit provinciæ Prævalitanæ, quæ pars Dalmatiæ erat postrema ad orientem Dardaniæ & Macedoniæ finitima, & cum parte Macedoniæ Salutaris unam constituens provinciam diœcesis Daciæ ad Illyricum *Orientale* pertinebat. Hinc non est, cur Carolus a S. Paullo erroris arguatur a Binghamo Tomo 3. de Orig. Eccles. l. 9. c. 4. §. 13. 16., quippe in Dalmatia Scodram posuerit; nam & Dalmatiæ & provinciæ Prævalitanæ hanc urbem attribuit, cum Prævalitana regio pars esset, uti diximus, postrema Dalmatiæ, & in hac tum Geographi antiqui, tum alii Scriptores Scodram collocarunt. Cum Ostroillus sive Ostrovojus genere Gothus, frater Totilæ, qui in Italiam discessit, intra finem sæculi quinti in regione Prævalitana regni sui sedem constituisset, Selimirus ejus nepos Scodram ad suam ditionem adjunxit, ut scribit Luccarus lib. 1. Annal. pag. 3. nec tamen ab Justiniano, qui Gothis expulsis, Salonam & Dalmatiam recuperavit, impetrare potuit, ut titulum regis retineret, sed Comitis Zentæ titulo debuit esse contentus. Sæculo septimo, cum Serbli partem mediterraneam Dalmatiæ superioris concessu Heraclii Imperatoris occuparunt, tunc etiam Scodra sub eorum dominatu migraverit necne, mihi non liquet; nam Constantinus Porphyrogenitus, qui quidquid terrarum Serbli obtinebant in Dalmatia, quatuor in Toparchias divisit, ad nullam earum Scodram adscripsit. Dubitari tamen non potest, quin reges Serblorum, si non primo statim adventu, postea tamen Scodræ

dræ principatum adepti sint; nam ex historia Regum Serbliæ, sive Rasciæ satis constat eos Scodræ dominatos fuisse; regno autem Serbliano, prorsus extincto anno 1368., quidam e Dynastis Serblianis, cui nomen Balsæ, Zentam utramque cum Scodra, Drivasto & aliis ejus regionis oppidis in suam potestatem redegit. Post interitum gentis Balsichiæ Scodrenses, cum sibi a Turcis metuerent, qui latius in dies imperii fines propagabant, una cum Antibarensibus & Drivastensibus voluntaria deditione in potestatem tutelamque Venetorum anno 1440. transierunt; sed Marinus Barletius Presbyter Scodrensis lib. 1. de obsid. Scodren. auctor est, a Georgio Balsichio Scodram Venetis oppignoratam fuisse, a quibus deinde nunquam, reddito pretio, illam repetiit. Apostolus Zenus tomo 2. dissert. Vossian. pag. 408. Scodram a Turcis occupatam primo fuisse anno 1392. refert ex libro ms. de rebus Venetis, quem Bartholomæus Zamberti vir a secretis Reipublicæ confecit; postea Venetis traditam an. 1396. a Georgio Strazimiro, qui & *Balsisius* dicitur in Codice de Præturis Reipublicæ, eodemque anno Prætorem ac Præfectum Scodram missum Joannem Capellum. Haud multo post urbs Venetis adempta est, ab iisdemque recepta an. 1404., cui Prætor datus Fantinus Marcellus. Verum mitissimo Venetorum imperio frui Scodrensibus ne integro quidem sæculo licuit. Civitas post annos fere tres ac septuaginta a Turcis semel atque iterum obsessa, & vehementissime oppugnata sub servitutem barbaricam cecidit anno 1477. cum ante quadriennium hostes non sine ingenti clade atque ignominia repulisset.

Descriptio urbis & agri Scodrensis.

Urbis & agri Scodrensis descriptionem Marinus Barletius modo laudatus his verbis exposuit. „ In monte saxeo posita est, qui „ fere undique latissimis campis & feracissimis cingitur. Est civitas ipsa egregie „ natura & manu munita, in immensum edita, circuitu nunc mediocri; nam ab urbe condita murorum ambitus amplius duo „ millia passuum quadrati forma in planum „ usque excedebat. Hujus partem, quæ in „ plano erat, Drinus (*id est Drinassus „ seu Clausula Livianus*) fluvius per medium secabat, super quo ingens pulcherrimus pons lapideus exstructus erat tantæ „ longitudinis, ut extrema parte Bollianam „ pertingeret; cujus vestigia his quoque temporibus exstant; & locus, ubi arx tantummodo posita erat, nunc totam urbem complectitur. Quæ quanta fuerit, illud certissimo argumento esse potest; nam, cum „ ingens barbarorum multitudo ejus fines invaderet, ex universa fere juventute ad sonum, ut ajunt, campanæ quinque millia „ equitum ex urbe in aciem obviam prodibant; quæ, cum prope flumen Drinum, „ quod ab urbe octo millibus nunc distat, „ cum hoste congressa essent, stragem quam „ maximam plerumque edidisset. Verum „ quia Scodrensis miles numero longe inferior erat, tandem magno continuatoque „ bello defessus cladem insignem accepit. „ Qui ex eo superfuerunt, una cum familiis in arcem confugerunt; hostis vero facto impetu in urbem irruit; & cum eam „ destitutam reperisset, sævissimo incendio „ eam exussit, atque evertit. Deinde oppugnare arcem coactus est, quam cum oppugnare non valuisset, inde discessit. Scodrensis porro urbis reficiendæ & instaurandæ curam omisit; & quoniam arx ipsa „ tutior locus esset, ibi totam urbem ponere cœpit; quæ quidem undique natura præceps est, nisi ex parte, qua septemtrionem spectat, aditum admodum declivem „ habet, a quo collis quidam intra jactum „ sagittæ distat totus vineis olivisque consitus, super quo Præfectus novæ Romæ, „ quem Bassam Turcæ vocant; priori obsidione tabernaculum suum collocaverat; ex „ quo postea Bassæ nomen semper obtinuit. „ Hæc præclara & nobilissima civitas aeris „ salubritate præpollet, agro facili negotio „ bene culto & omnium feracissimo, aquis „ satis abundans. Despicit per universum „ fere agrum, nihilque est, quod ex urbe „ prospicienti impedimento sit; quin omnes „ tractus spatiosos & latos campos intueatur, „ singulaque oculis percurrat. Inde enim „ cultores aspicit, qui agros colunt, messores, qui fruges maturas metunt, inde „ molas frumentarias, piscatores, qui hinc „ fluminibus, inde lacu amœnissimo piscium „ capturam faciunt; præterea vineas, hortos, undique mare, flumina, fontes, lacus, quæ ad oblectandos sensus a natura „ procreata sunt. Cujus quidem urbis radices ab oriente nunc tantum rivulus quidam Drini alluit, ab occasu autem Bolliana flumen, quod piscium cujuslibet generis est abundans, ac jugi lenique cursu „ urbem præterfluens ad duodeviginti millia „ passuum in mare egreditur. Oritur autem „ ex illo celeberrimo lacu, quem omnes recentem esse norunt, (*imo antiquissimum „ esse constat ex uno Tito Livio,*) ab urbe „ sexdecim stadiis distans, qui quidem altissimus pulcherrimusque exstat, cujus circuitus centum & viginti millia passuum & „ amplius complectitur, varietate, magnitudine piscium omni tempore abundans, prædia feracissima, oppida egregia, vicos complures proximos habet. In eo varii scopuli exstant, in quibus cœnobia pulcherrima exstructa sunt, quæ sacerdotes Græcanicorum frequentes incolunt. „ Hactenus Barletius.

Institutio Episcopatus Scodrensis ignota est. Ante sæculum quartum nulla ejus notitia literis tradita reperitur; si qui antea fuerunt Episcopi hujus præclarissimæ civitatis, eorum nomina & acta omnino periere, nec videtur dubitari posse, quin tribus prioribus sæculis æræ Christianæ ad provinciam Salonitanam pertineret, unus quippe tunc erat

rat in Dalmatia late sumpta Metropolita Salonitanus; de quo vide secundam & tertiam partem prolegomenon in Tomo I. hujus Operis. Sæculo quarto pars extrema Dalmatiæ ad orientem ab eo divulsa in provinciæ unius corpus coaluit, quæ dicta est Prævalis sive Prævalitana, ab Drilone fluvio usque ad lacum Labeatidem ultraque introrsum a mari porrecta, & tres præcipuas urbes complectebatur Scodram, Diocleam, Drivastum. Tunc Prævalis, Metropolitæ Salonitano adempta cum esset, jus nomenque obtinuit provinciæ ecclesiasticæ, cujus metropolim Scodram fuisse tradunt Carolus a S. Paulo, & Aubertus Miræus, idemque confirmat Lequienius in suo Oriente Christiano; *Prævalis provinciæ*, inquit, *metropolis fuit urbs Scodra; licet in notitia Leonis Imp. Episcopatus sit ordine sextus sub Dyrrhachii Metropolita. Id infra constabit ex epistola S. Gregorii PP. ad Metropolitas per Illyricum* &c.

Archiepiscopatus Scodrensis

Metropolita Scodrensis primum subjectus fuit Antistiti Thessalonicensi Primati totius Illyrici Orientalis; deinde vero, cum Imperator Justinianus sæculo sexto Præfecturam Illyricam tum civilem, tum ecclesiasticam, transtulit Achridam in patriam suam, quam Justinianam primam appellari voluit, in hujus novi Primatis Illyrici jus ditionemque migravit. Eodem sæculo sexto ad exitum vergente, Scodrensis Antistes adhuc titulum potestatemque Metropolitæ retinebat, ut Carolus a S. Paulo & Lucas Holstenius docent ex epistola S. Gregorii ad Constantium Episcopum Scodrensem, eaque dignitate præditam fuisse ajunt ante conditam Justinianam primam, eique Diocletanam Ecclesiam subjiciunt, & alias, quæ tum erant in provincia Prævalitana, veluti Drivastensem. Sæculo nono, cum in Concilio Delmitano instituta fuit Metropolis Diocletana, Ecclesia Scodrensis e Metropolitico in ordinem Episcopalium Ecclesiarum redacta est, & novo Archiepiscopo Diocletano attributa; a Diocleа enim solius Labeatidis paludis interjectu Scodra distat; & duæ Metropoles in tanta propinquitate locorum esse non poterant. Dioclea eversa sæculo decimo, & illius ecclesiastica dignitate cum jure metropolitico Antibarim translata proximo sæculo, Episcopatus Scodrensis cum aliis provinciæ Diocleensis Ecclesiis in potestatem Archiepiscopi Antibarensis concessit, uti epistola Alexandri II. testatur anno 1063. inscripta Petro Diocleensi atque Antibarensi Archiepiscopo, in qua Pontifex nominatim Scodram ei subjicit. Exinde fere omnes tum antiqui, tum recentiores catalogi Ecclesiarum, quos *Notitias* vocant, Scodrensem cum aliis ejus regionis Ecclesiis in provinciam Antibarensem conjiciunt; quæ, ut cæteræ, variis vicibus modo Antibarensi, modo Ragusinæ adscripta post sæculum decimum tertium, omni contentione sublata, cum aliis in potestate stetit, statque adhuc Archiepiscopi Antibarensis. Vide historiam nostram Ecclesiæ utriusque tum Ragusinæ, tum Antibarensis. Ab eo sæculo in tabulis ecclesiasticis Scodrensis Antistes passim *Scutarensis* dicitur, ut apte ab Episcopatu Pullatensi minori distingui queat, qui non raro *Scordiensis* nomine appellatur.

in ordinem Episcopatus redigitur

sub Metropolita Antibarensi.

Diœcesis Scodrensis ab septemtrione Drivastensis, ab occasu & meridie Antibarensis, Olciniensis, Svaciensis finibus circumscripta est; ab oriente latius patet, diœcesi Alexiensi confinis, & fere usque ad Drilonem fluvium protenditur. Plurimæ olim in urbe & diœcesi Scodrensi sacræ Ædes exstitere, quarum pars maxima aut eversa ac diruta, aut in Turcica fana conversa est; Cathedralis in pago Barbuluscio titulo & auspiciis S. Stephani Protomartyris Deo dedicata est. Antequam urbs sub imperio Turcarum caderet, & collegium Canonicorum insigne, & Presbyteros secundi ordinis, Clericosque satis frequentes habebat, qui nocturnæ diurnæque psalmodiæ, & sacris functionibus jugiter pieque vacabant. Nullum modo Christianæ Fidei vestigium superest; ipsisque Catholicis, qui in urbe morantur, vix licet occulte in Dei suæque professionis cultu sese exercere. Erant & Monasteria, ac Cœnobia, in quibus e Benedictina, Franciscana, ac Dominicana familia plures piissimi alumni rei Christianæ curandæ assiduam, sollertemque navabant operam. Nunc huic operi apostolico præcipue incumbunt Patres Franciscani arctioris disciplinæ; eorumque sex fere numerantur hospitia, unde in agrum Scodrensem ingenti cum animarum utilitate excurrunt; præsertim vero Grudæ, Selcæ, & apud populos Clementes, Hottos, atque Castratos degunt, in præruptis, arduisque montium jugis, quæ uno vocabulo Clementes nominantur; incolæ gens agrestis, at viribus prepotens, & Catholicæ religionis studiosissima. Sed ad seriem Antistitum Scodrensium texendam accedamus.

Illius diœcesis.

ARCHIEPISCOPI SCODRENSES.

I. Bassus an. circ. 387.
II. Senecio an. 431.
III. Andreas an. 519.
IV. Stephanus an. 590.
V. Joannes an. 598.
VI. Constantius an. 601.

EPISCOPI SCODRENSES.

I. Georgius an. circ. 1141.
II. Petrus an. 1199.
III. N. N. an. 1251.
IV. Stephanus an. incerto.
V. Miroslavus an. 1307.
VI. Petrus II. an. circ. 1320.
VII. Marcus an. 1346.
VIII. Marinus an. circ. 1360.
IX. Antonius an. 1367.
X. Franciscus an. 1388.
XI. Henricus an. circ. 1390.

XII.

Digitized by Google

XII. Andruinus an. circ. 1396.
XIII. Christophorus an. 1401.
XIV. Meliorinus an. 1401.
XV. Proganus an. circ. 1402.
XVI. Joannes an. 1407.
XVII. Emanuel an. 1451.
XVIII. Emanuel II. an. 1458.
XIX. Thadæus an. 1465.
XX. Bartholomæus an. 1467.
XXI. Franciscus II. an. 1471.
XXII. Nicolaus an. 1492.
XXIII. Nicolaus II. an. 1496.
XXIV. Jacobus an. 1511.
XXV. Petrus III. an. 1518.
XXVI. Hieronymus an. 1522.
XXVII. Antonius II. an. 1524.
XXVIII. Theodorus an. 1575.
XXIX. Paullus an. 1582.
XXX. Ducas an. 1590.
XXXI Andreas an. incerto.
XXXII. Dominicus an. 1622.
XXXIII. Franciscus III. an. 1640.
XXXIV. Gregorius an. 1646.
XXXV. Petrus IV. an. 1656.
XXXVI. Dominicus II. an. 1677.
XXXVII. Andreas II. an. 1686.
XXXVIII. Antonius III. an. 1693.
XXXIX. Antonius IV. an. 1702.
XL. Antonius V. an. 1729.
XLI. Paullus II. an. 1742.
XLII. Georgius II. an. 1771.
XLIII. Franciscus IV. an. 1787.
XLIV. Marcus II. an. 1791.
XLV. Antonius VI.

ARCHIEPISCOPI SCODRENSES.

BASSUS ARCHIEP. SCODRENSIS I.

Bassus Archiep. Scodrensis an. circ. 387.

PRimus est, cujus nomen & Pontificatus Scodrensis ad notitiam posteritatis pervenit. Æqualis fuit Siricio Papæ, qui ab anno 381. ad an. 398. Ecclesiæ universali præfuit. Hic in Epistola *Dilectissimis Fratribus Anysio & cæteris Episcopis per Illyricum constitutis* inscripta, quæque an. saltem 387. data est, ut in Episcopis Naissitanis dicemus Tomo 8., asserit, Senecionem, qui certe fuit postea Scodrensis Antistes, Basso socium & consortem episcopalis regiminis datum fuisse; *Legimus etiam & omnia percurrimus vel de eo quod Fratri nostro & Coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestræ normæ expectamus sententiam.* Hinc Lucas Holstenius in suis notis ad Carolum a S. Paullo scite animadvertit Bassum ante Senecionem fuisse Episcopum Scodræ. Cum vero id videretur non satis congruere cum ecclesiastica illorum temporum disciplina, quæ vetabat duos in eadem civitate Episcopos esse, & alterum alteri, antequam e vivis excederet, successorem dari, idcirco Episcopi Orientalis Illyrici, inter quos & Scodrensis tum censebatur, subjectus Primati Thessalonicensi, forsan sententiam Siricii vel approbationem hac super re requirebant; at is nihil in alterutram partem respondere voluit, & omnia illorum judicio permisit.

SENECIO ARCHIEP. SCODRENSIS II.

Senecio Archiep. Scodrensis an. 431. interest Concilio Ephesino.

Anno 431. Concilio Ephesino interfuit; in catalogo Episcoporum, qui Actioni primæ adfuere, eidem præfixo legitur, *Senecione Codrorum*, in margine *Scodrensis*. In ipsa vero prima Actione epistolam Cyrilli ad Nestorium, in qua doctrinam Catholicam de divinitate & humanitate Christi exposuit, suo chirographo approbavit; *Senecio Codriæ dixit; Fidem a trecentis decem & octo sanctis Patribus nostris Spiritu Sancto afflatis in civitate Nicæna definitam, tum juxta epistolam quoque sanctissimi Deoque devotissimi Patris nostri Cyrilli modo recitatam credo & subscribo.* Sub finem Actionis ejusdem ratam habuit damnationem Nestorii episcopali dignitate privati, & ab universo sacerdotum consortio ac cœtu expulsi; *Senecion civitatis Codrinæ*, in margine *Codrorum*, *Episcopus subscripsi* &c. Demum Actione sexta acta decretaque omnia Concilii cum cæteris Ephesinis Patribus sua subscriptione confirmavit; *Senecio episcopus Codrinæ*, aliter *Chodriensis, civitatis subscripsi*. Lucas Holstenius in notis ad epistolam S. Leonis M., quæ inscribitur Metropolitanis Achajæ an. 446. existimat, Senecionem ibi nominatum Scodrensem fuisse metropolitam, de quo hic dictum. Verum ecclesiastica Achajæ provincia nunquam ad Prævalitanam regionem sese extendit; utque recte monet Carolus a S. Paullo, Achaja in notitiis ecclesiasticis cum Peloponeso cunjungitur. Alius igitur a nostro fuerit Senecio, ad quem literas Leo Pontifex dedit. Verum quidem est, Scodrensem Ecclesiam paruisse Thessalonicensi Primati, de quo scribit Leo ad Metropolitas Achajæ; & utraque Epirus non ante sæculum IV. divisa in novam & veterem, quandoque etiam Græciæ provinciis adnumerata fuit; quin Prævalitana ipsa regio alias Græciæ, alias Achajæ vocabulo comprehenditur a vetustis Scriptoribus; vide Tomum I. pag. 70. & 234. Hinc probabilis conjectura, S. Pontificem ad veterem provinciarum nomenclationem, conjunctionemque, & Senecioni Scodrensi Metropolitæ scripsisse, ut Thessalonicensis Primatis revereretur imperium. Post Senecionem per annos circiter nonaginta nullum invenio, qui huic Ecclesiæ præfuerit.

ANDREAS ARCHIEP. SCODRENSIS III.

Andreas Archiepisc. Scodrensis an. 519.

Anno 519. hanc Metropolim regebat. Exstat ejus epistola ad Hormisdam Pontificem data eodem anno, quæ *Relatio* dicitur in Tomo V. Collect. Concilior. Labbeanæ Venetæ, cujus hæc caussa fuit. Cum Acacianum schisma tum maxime ferveret, Hormisdas post inanes aliorum Pontificum curas & conatus id demum perfecit, piissimo etiam Imperatore Justino totis viribus adnitente,

Digitized by Google

ut, Acacii nomine e sacris dyptichis expuncto, & Eutychianis proscriptis, omnino tolleretur. Nam hoc anno 519. Germanum Capuæ Episcopum, Joannem itidem Episcopum, Felicem & Dioscorum diaconum, tum Blandum Presbyterum Legatos Sedis Apostolicæ Constantinopolim misit hisce monitis instructos, ut Episcopos illarum civitatum, quas peragrarent, itemque Joannem Episcopum Constantinopolitanum in Ecclesiæ communionem admitterent, si quidem libellum catholicæ professionis testem ex formula ab ipso Pontifice proposita reciperent, simulque Acacium & hæreticos omnes exsecrarentur. Interea Episcopi Epiri novæ, qui utraque labe schismatica & hæretica infecti erant, Synodum simulate fraudulenterque coegerant, ubi damnasse se ex hæreticis quosdam finxerunt, ut Prævalitanos Antistites facilius in eorum ecclesiasticam communionem allicerent; qua fraude ab Andrea detecta, is quidem egit studiosissime cum illorum Metropolita, ut suos agnoscerent errores, & Catholicam secum & cum Romano Pontifice conjunctionem amplecterentur, sed frustra, & irrito prorsus labore. Itaque Andreas, qui in hac epistola suæ provinciæ nomine *Prævalitanus* inscribitur, de Synodo illa Epirotica Hormisdam admonuit, & de adventu Legatorum in Epirum certiorem fecit; qua gratulatione, quibusque honoribus excepti fuerint tum Scampis, tum Lignidi Epiri novæ civitatibus; ac demum lætissimum nuntium Constantinopoli venisse de Acacio ab ecclesiasticis tabulis deleto, & communi exsecratione damnato.

„ Exempium Relationis Andreæ Episcopi „ Prævalitani.

Ejus epistola ad Hormisdam P.

„ Domino semper meo beatissimo, & apostolica sede intima veneratione præferendo, „ atque angelicis meritis coæquando patri „ patrum papæ Hormisdæ Andreas. Commendans me humillime vestigiis vestris „ piissimis, indico propter Synodum Epiri „ novi, quoniam finxerunt anathematizare „ intra semetipsos aliquas personas. Hoc „ tantummodo ingenio usi sunt, ut nos in „ sua malitia caperent; quibus restitit divina „ Trinitas per vestras sanctas preces; & cum „ deprehensi fuissent in sua malitia, nunquam potuimus archiepiscopo persuadere, „ ut ad viam veritatis & ad vestra præcepta „ verteretur. Sed modo cum advenerunt beatissimi atque sanctissimi domini episcopi „ vel diaconi directi a sancta corona vestra, „ occurrerunt illis Scampinus episcopus vir „ beatissimus Trojus cum omni gaudio & luminaribus; & porrecto libello secundum „ vestram præceptionem, statim recepti sunt „ in pace Christi, & missas celebravere cum „ episcopo in Scampina civitate. Et videntes Lignidonenses, quod fecit Scampinus, „ simili modo & ipsi secuti sunt. Nunc „ dum istas literas ordinaremus, supervenit „ Magistrianus de urbe Constantinopolitana, „ qui nunciavit, quia Deo propitio preci„ bus sanctis vestris & Constantinopolitani „ miserunt anathema Acacio, & cum pace „ pascha celebraverunt. Jam quod sequatur, „ vestra intercessio apud Deum laboret, ut „ ad perfectum servi sedis apostolicæ inveniamur. Epistolas vero, quas destinaverunt „ ad humilitatem meam supra memorati vi„ ri beatissimi Episcopi, pietati vestræ junctas transmisi. Accepta die quo supta. „

Utrum Andreas unus fuerit ex quadraginta Episcopis, qui, omni Imperatoris metu abjecto, suum Primatem Thessalonicensem, utpote Acacianum Schismaticum, detestati in quodam Illyriciano Concilio anni 515. constanter Romani Pontificis partibus adhæsere, non est veri dissimile. De his hæc Anastasius Bibliothecarius in hist. Eccl. *Sane Thessalonicensi Episcopo communicante ob metum Imperatoris cum Timotheo Constantinopolitano Episcopo, quadraginta Episcopi Illyrici & Græciæ convenientes in unam per professionem in scriptis factam, ut a proprio Metropolitano, discesserunt ab eo, & Romam mittentes Romano communicare in scriptis professi sunt.* Vide Tom. V. Concil. pag. 695. Venet. edit. Post Andream usque ad annos fere postremos hujus sæculi sexti nullius Scodrensis Antistitis superest memoria. Interea Illyrica Præfectura tum civili, tum ecclesiastica, ex urbe Thessalonicensi translata ab Imperatore Justiniano in patriam suam, quam Justinianam primam appellari voluit, in hujus novi Primatis jus ditionemque & Scodra cum Prævalitana provincia transivit.

STEPHANUS ARCHIEP. SCODRENSIS IV.

Stephanus Archiep. Scodren. an. 590.

Hunc habemus ex epistola S. Gregorii M. ad Malchum Episcopum Dalmatiæ, id est Delmitanum, qui postea Dumnensis dictus est. Controversiæ & litigia nescio quæ erant Stephano cum Joanne, qui erat a consiliis Georgii Præfecti Italiæ; huic vero tum & Dalmatia suberat; cumque Joannes a Gregorio petisset, ut sibi judicium reddi juberet, Pontifex in hanc sententiam ad Malchum scripsit.

Gregorius Malcho Episcopo Dalmatiæ.

Gregorii M. in cum epistola.

Joannes vir eloquentissimus, consiliarius viri excellentissimi domini Georgii Præfecti per Italiam, insinuavit nobis contra Stephanum Episcopum Scodrensis civitatis, quorumdam se negotiorum habere controversias, & petiit inter eum & se judicium debere consistere: Propterea Fraternitatem tuam præsenti præceptione curavimus admonendam, ut prædictum Episcopum ad eligendum compellas venire judicium. Et quidquid inter prædictum Joannem virum magnificum & sæpe fatum Episcopum electorum fuerit sententia definitum, ad effectum perducere non omittat, ut & actor de consecuta justitia gratias referat, & pulsatus, cum ad cognitionem deducitur, nihil contra se de illata justitia conqueratur.

Est hæc epistola XXXVIII. lib. 1. apud Maurinos Editores; nullæ ei subjectæ sunt no-

Digitized by Google

notæ chronologicæ; sed cum in Collection. Concil. Labbeana interjecta sit literis Gregorianis, quibus adscripta est Indictio nona, satis apparet hanc quoque ad eamdem Indictionem referendam esse, quam Maurini etiam Editores illi affigunt; Indictio autem nona congruit cum anno primo Pontificatus Gregorii, id est 590.

JOANNES ARCHIEP. SCODRENSIS V.

Joannes Archiep. Scodrensis an. 598. ad quem Gregorii M. literæ.

Ex inscriptione epistolæ S. Gregorii, quæ est quinta lib. VIII. apud Maurinos Tomo II. Opp. Data est Indictione prima mense Decembri ad plurimos Metropolitas & Episcopos, inter quos nominatur Dyrrhachiensis Antistes, & *Joannes Cretensis Scoritanus*; & huic notam hujusmodi apponunt Maurini; *Num potius scribendum* Scodritano *ex urbe Scodra olim Dalmatiæ Episcopali, quæ nunc Albaniæ caput est? at nulla favent mss.* Cum inter *Scodritanum* & *Scoritanum* nihil intersit, nisi unius literæ D additio vel detractio, Episcopatus Scodrensis vel Scodritanus Joannis, fortasse patria vel cognomento *Cretensis*, in dubium revocari posse non videtur; præsertim cum eadem epistola & Dyrrhachiensi Metropolitæ Scodrensi finitimo fuerit inscripta. Huic Monachi Maurini hunc titulum præfigunt; *Publicis rationibus obligatos neque in Clero, neque in Monasterio suscipiendos; milites vero per triennium probandos prinsquam Monachicum habitum induant*; ex quo conjicerem, Ordinem S. Benedicti, qui eo vel maxime tempore sanctitate & doctrina conspicuus late per Occidentem diffundi cœperat, in Dalmatiæ provinciis, & in ipsa Scodrensi diœcesi aliqua jecisse fundamenta, ex quibus illustria passim monasteria crevere, Scodrense in primis SS. Sergii & Bacchi. Eidem epistolæ subjicitur Indictio prima, quæ incidit in Decembrem anni 598.

CONSTANTIUS ARCHIEPISCOPUS SCODRENSIS VI.

Constantius Archiep. Scodrensis an. 601.

Et hic innotescit ex epistola S. Gregorii M. XXXIV. lib. X. in vet. Edit. ex qua cum Carolo a S. Paullo, & Luca Holstenio animadvertimus, dignitatem & jurisdictionem metropoliticam Ecclesiæ Scodrensis maxime comprobari. Argumentum epistolæ hoc est. Quæ de flagitiis Paulli Episcopi Dioclez ad se delata fuerant a Nemesione, quem, Paullo dejecto, in Sedem Diocletanam de sententia Joannis Primatis Justinianæ primæ, tum Episcoporum provincialium, substitutum fuisse ait, ea deferri debuisse asserit ad ipsum Constantium Metropolitam provinciæ Prævalitanæ; quamvis omnia illi cognita & perspecta sint, tabulas tamen de Paulli sceleribus rite confectas, quas ad Primatem perferendas Nemesioni dederat, ipse Constantius diligenter perpendat, & secundum eas per se ipse, & *ex nostra*, inquit, *auctoritate* exsequatur ac perficiat, quæ Pontifex eidem Primati mandaverat; siqua vero caussa gravior obstiterit, quominus id præstare queat absque magna difficultate, tabulas actaque omnia ad Primatem transmittat, cum quo & ipse Constantius judicium exsequendum curet, quod Pontifex de Paullo jam tulerat. Cum igitur Gregorius cognitionem caussæ Paullinæ, & suæ in illum sententiæ exsecutionem primum quidem Constantio, deinde, si forte ipse nequeat, Joanni Primati ita injungat, ut velit pontificia mandata ab utroque confici, perspicuum est, jus potestatemque metropoliticam Constantii in Dioclensem Episcopum agnosci a Gregorio & confirmari. Data est epistola Indictione quinta, quæ cohæret cum anno 601.

Ad eum Gregorii M. epistola in Episcopum Diocl.

„ Gregorius Constantio Episcopo Scodritano.
„ Quæ dilectissimus nobis lator præsen-
„ tium Neemesion, qui se dicit Docleatinæ
„ civitatis esse Antistitem, de facinore Pau-
„ li Docleatini, ut ipse asserit, quondam
„ Episcopi, questus est, Fraternitati tuæ
„ fuerant subtilius indicanda, nisi scire te
„ omnia testaretur; quippe quem & com-
„ passum sibi, & voluisse subvenire perhi-
„ bet, sed minime potuisse. Et quia visa
„ tanti flagitii causa negligi vel transiri non
„ debet impunita, ne ejus imitatione scele-
„ sta ab aliis, quod absit, sumatur audacia,
„ Fraternitas tua exemplaria scriptorum his
„ subdita, quæ ad Reverendissimum Fratrem
„ nostrum Joannem primæ Justinianæ civita-
„ tis Episcopum servantem vices nostras di-
„ reximus, diligenter relegat. Et si secun-
„ dum earum seriem explere te cuncta pos-
„ se cognoscit, ea, quæ illi mandavimus,
„ ipse omnia ex nostra auctoritate exequatur
„ & faciat. Si vero hoc tibi, quibusdam
„ forte adversantibus obstaculis, videt esse
„ difficile, studendum est, ut eidem scripta
„ nostra ad ante dictum Fratrem nostrum
„ sine excusatione perveniant. Cui etiam &
„ te convenit imminere, ut ea, quæ ei a
„ nobis mandata sunt, districtius exequi, &
„ nulla debeant occasione lentari; sed ita
„ quæ nequiter acta sunt, emendatione con-
„ grua corrigantur, quatenus una res & ul-
„ tio competens delinquentis, & formido sit
„ aliis in eodem ordine constitutis. „

Scodrensis Metropolis in ordinem Episcopatus redigitur.

De Paullo, ejusque sceleribus vide jam dicta in Episcopis Dioclensibus. Hic vero in Constantio series deficit Archiepiscoporum Scodrensium. Et cum anno 811. in Delmitano Concilio Dioclea ad metropoliticam dignitatem & jurisdictionem fuisset erecta, Scodrensis Metropolis in ordinem episcopalem redacta, Dioclensi primum Archiepiscopo subjici cœpit; postea Antibarensi, cum anno 926. Dioclea eversa perit, ejusque metropoliticum jus, decusque Antibarim translatum est; quæ in hoc Tomo fuse tractata sunt, ubi de Metropoli Antibarensi ejusque subjectis Ecclesiis disseruimus; uti etiam in Tomo VI. de Ecclesia Ragusina. His temporibus principatum Scodræ reges Serbiæ obtinebant, & usque ad interitum regni Ser-

Digitized by Google

bliani sive Rasciani retinuerunt alii hostes, alii fautores Romanæ Catholicæ religionis.

EPICOPI SCODRENSES,

GEORGIUS EPISC. SCODRENSIS I.

Georgius Ep. Scodrensis an. circ. 1141.

HUnc habemus ex Mauro Orbino in Comment. de regno Slavorum pag. 247. qui eum facit æqualem Andreæ Archiepiscopo Ragusino, qui ad hanc Metropolim regendam accessit anno 1141. Erat per ea tempora Interregnum Archiepiscopale Antibarense, & hæc Metropolis juncta fuerat cum Ragusina, cui Georgius, & cæteri provinciæ Antibarensis Episcopi parebant. Sed anno circiter 1180. Gregorius electus Antibarensis sibi suæque Ecclesiæ jus metropoliticum, & quas amiserat, provinciales Ecclesias recuperavit. Vide dicta ad hunc annum in Gregorio Metropolita Antibarensi,

PETRUS EPISC. SCODRENSIS II.

Petrus Ep. Scodren. interest Concilio Dioclen. anno 1199.

Anno 1199. interfuit Synodo provinciali Diocletanæ, & cum aliis provinciæ Antibarensis Episcopis subscriptus legitur *Petrus Scuariensis Episcopus*,

N. N. EPISC. SCODRENSIS III.

N. N. Ep. Scodrensis, citari jussus ad Curiam Pontificiam anno 1251.

Anno 1251. hanc Ecclesiam regebat, cum duo illi Metropolitæ Antibarensis & Ragusinus de jure metropolitico & Ecclesiis provincialibus acerrime decertabant. Innocentius IV. rogatu Joannis Archiepiscopi Ragusini mandatum dedit Salvio Episcopo Tribuniensi, ut Episcopos provinciæ Antibarensis in Curiam Lugdunensem ad Pontificem citari juberet, quo se intra menses octo conferrent rationem reddituri, quare Metropolitæ Ragusini imperium detrectarent. Salvius Episcopo Scodrensi per Designam Presbyterum denuntiari profectionem Lugdunensem, eumque conceptis verbis in jus vocari jussit,

„ Anno ab Incarnatione Domini nostri „ Jesu Christi MCCLI. XXVII. die mensis Aprilis Indictione VIII. in eorum præsentia, quorum nomina inferius conscribentur, Presbyter Designa Nuncius Domini Salvii Episcopi Tribunensis præsentavit „ literas ex parte ejusdem Episcopi Scodrien. „ Episcopo hunc tenorem habentes,

„ Vener. in Christo Patri Dei gratia Scodrien. Episcopo Salvius eadem gratia Tribun. „ Episcopus salutem in Domino, Noverit „ Paternitas vestra nos a Summo Pontifice „ tales literas recepisse,

„ Innocentius &c.

„ Cum igitur mandatum apostolicum præterire non possumus, nec debemus, auctoritate nobis injuncta vobis præcipiendo „ mandamus, quatenus infra octo mensium „ spatium juxta mandatum apostolicum a „ die vobis citationis factæ vobis terminum „ duximus præfigendum, ut personaliter per „ vos, vel per sufficientem Procuratorem „ cum actis, privilegiis &c. munimentis, „ juribus & rationibus omnibus Sanctæ Pontificiæ conspectui præsentetis responsuri legitime memorato Archiep. Ragusino, vel „ ejus Procuratori.

„ Actum est hoc in domo Episcopi Scodrien. præsentibus Archipresbytero Andrea, „ Presbytero Vito, Presbytero Tryphone, & „ Presbytero Theodoro. Et ego Bonaccursus „ Notarius supradictis omnibus interfui, atque scripsi, complevi & roboravi, anno, „ die, mense, Indictione prætitulatis.

De hac controversia inter Ragusinum, & Antibarensem Archiepiscopum satis est dictum in historia utriusque Metropolis. Scodrensis vero Ecclesia per alterum intervallum annorum circiter quadraginta nullam suorum Antistitum memoriam retinet usque ad annum 1290.

De templo SS. Sergii & Bacchi,

Exstat in diœcesi Scodrensi templum & cœnobium perantiquum SS. Martyrum Sergii & Bacchi ad ripam occidentalem Bollianæ fluminis assidens, ab urbe millia passuum circiter quinque ad meridiem distans, in quo tres Serbliæ reges conditos ferunt, Michaëliam sive Michaelem patrem, & Bodinum filium, itemque Draghinam. Sæculo decimo tertio vergente, idem templum Helena e stirpe regia Francorum uxor Stephani, sive Urosii regis Rasciæ, seu Serbliæ, cum filio Urosio & Stephano itidem regibus ædificavit, & magnifice restituit. In ipsa Ædis fronte duplex inscriptio, altera ab dextero, altera ab sinistro latere marmoreæ tabulæ incisa visitur; & utraque quidem templi ab Helena ejusque filiis rursum exstructi monumentum præfert hisce verbis,

* *In Nomine Dni Amen, Eximiæ Virginis Filii anno M*XVIII, Magnificus Dnus Dnas Urosius Divina gratia Russiæ Rex Illustris Magnifici Regis Utasii Nat * Dominæq. Helenæ Reginæ edificavit hanc Ecclesiam in honorem SS. Martyrum Sergj & Bacbi a fundamentis usque ad finem * Assistente Abbate Petrb Dochne Scuttarensi,*

Interjecta signa indicant lapidem in iis locis diffractum & mancum esse; & nota chronologica ita est explenda, *Anno MCCLXXXVIII.*, quo tempore Helena mater cum filiis in Serblia regnabat. Secunda autem inscriptio biennio post posita præcipuam Helenæ memoriam exhibet, *Memento Domine famulæ tuæ Helenæ Reginæ Servie Dioclie Albanie Chilmie Dalmatie & Maritimæ Regionis, quæ una cum filiis suis Regibus Urosio & Stephano de novo ædificavit istam Ecclesiam ad honorem BB. Martyrum Sergii & Bacchi & ad finem usque complevit, Anno Domini MCCLXXXX.*

Franciscus Borzius Antibarensis modo Archiepiscopus, cum Scodrensi præesset Ecclesiæ, testatus est literis ad eruditissimum virum Joannem Baptistam Paulovichium Lucci-

Digitized by Google

cichium datis anno 1790. die Januarii XVI, nullum in Albania universa, nedum in Scodrensi diœcesi templum exstare hoc Sergiano nobilius architecturæ opere, ac magnitudine; quod nunc dirutum ac pæne eversum in cœmeterii usum sibi vindicant quatuor, qui circum sunt, pagorum incolæ, & nonnulli supersunt lapides inscripti, abrasis tamen aut fractis characteribus. Helena regina, ut alia aliis in civitatibus, sic in ipsa urbe Scodrensi templum & cœnobium S. Mariæ erigi jussit, perfecitque Fratribus S. Francisci *ab Observantia* nuncupatis anno 1288., quod tabulæ declarant in eorum cœnobio Cathari asservatæ.

STEPHANUS EPISC. SCODRENSIS IV.

Stephanus Ep. Scodren. anno incerto.

Sæculo decimo tertio exeunte regimen episcopale hujus Ecclesiæ suscepit; qui pertæsus curarum episcopalium voluntariam Episcopatus abdicationem in manu Marini Metropolitæ Antibarensis tradidit jussu Benedicti XI. anno 1303. ex Regest. hujus Pontificis ep. 136. ad eumdem Marinum.

MICHAEL SEU MIROSLAVUS EPISC. SCODRENSIS V.

Miroslavus Ep. Scodren. anno 1307.

Testis adscriptus privilegio ab Urosio rege concesso Monachis Praquizensibus anno 1307., dicitur enim *Miroslavus Episcopus Zentæ*, Zentam vero fere utramque complectebatur diœcesis Scodrensis. Vide privilegium illud in Marino Archiep. Antibarensi. Ibidem aliud privilegium exscripsimus ab eodem Urosio eodemque anno, & mense, & die, donatum Monachis Rotaciensibus, cui nomen insertum *Episcopi Zentæ Michaelis*; sed mendum in alterutro privilegio facile deprenditur, & aut *Michaelis* aut *Miroslavi* appellatio corrupta est; Michaelis tamen retinendum potius nomen monuimus in nota alteri privilegio subjecta. In nostris schedis ad annum 1314. nominatum comperio F. Joannem Russiam Friburgensem inter Scodrenses Antistites; verum cum nullo prorsus monumento ejus Episcopatus probetur, illum omittendum censeo.

PETRUS II. EPISC. SCODRENSIS VI.

Petrus II. Ep. Scodren. anno circ. 1320.

Hunc habemus ex ep. 669. Benedicti XII. data XVI. Kal. Sept. an. 2. Pontificatus, id est 1336. Cum enim Joannes XXII. jussisset, cives Catharenses omnibus, quibus ob illatas Sergio eorum Episcopo injurias illigati erant, anathematum vinculis exsolvi a Joanne Cardinale S. Theodori, & Apostolico in Etruria Legato, hicque pontificium mandatum dedisset exsequendum Episcopo Scodrensi, Benedictus XII. Joanni in Romanam Sedem suffectus eidem Cardinali imperavit laudata epistola anni 1336., ut absolutionem ab Antistite Scodrensi Catharensibus impertitam revocaret; ex Reg. Benedicti XII. num. 2. pag. 2. ubi nomen Episcopi hujus non exprimitur; *Petrum* autem nominatum fuisse affirmat Card. Garampus in monumentis, quæ de Scodrensibus Episcopis nobis suppeditavit; & legebatur quidem in archetypo illius epistolæ, quod servatur inter *Instrum. miscella anni 1336. num. 4.*, at deletum perspicue apparet. De tempore initi a Petro Episcopatus Scodrensis hoc statui posse videtur; Sergio nimirum e Catharensi ad Polensem Ecclesiam translato an. 1331., eodemque anno electo Raymundo Antistite Catharensi, Petrus jam suæ Ecclesiæ præerat, quippe hoc ipso anno Joannes Cardinalis mandatum a Pontifice acceperat absolvendi Communis Catharensis; igitur ante illum annum 1331. Scodrensem adiit Episcopatum, forsasse inter annos vicesimum ac tricesimum sæculi decimi quarti. In Episcopis Catharensibus hæc, quæ de Petro, & revocata Catharensium absolutione diximus, omissa sunt, & illuc ad Raymundi Episcopatum referenda.

Joannes Pascallus e serie Antistitum Scodren. expungitur.

Scriptores Carmelitæ tradunt, Joannem Paschallum Ordinis Carmelitici, antequam Episcopus Landavensis in Anglia fieret, Ecclesiæ Scodrensi præpositum fuisse a Benedicto XII. simulque designatum ad functiones episcopales obeundas in Ecclesia Norvicensi provinciæ Cantuariensis; ex Bibl. Carmel. t. 2., idque affirmant Pitseus in libr. de Script. Anglic. & Godvinus in opere de Præsul. Angl. Sed cum Clemens VI. Joannem Episcopum Landavensem renuntiavit anno 1344. XIV. Kal. Martias, neque eum nominat Episcopum Scutarensem, seu Scodrensem, neque e Scutarensi ad Landavensem Ecclesiam ab se transferri ait; quod fieri omnino debuit, & est solemnis formula in hujusmodi Romanorum Pontificum literis. Tantum autem abest, ut Joannes vel Scodrensem, vel alium tunc gereret Episcopatum, ut in gradu secundi sacerdotii constitutus adhuc esset; & propterea jussus fuit apud Sedem Apostolicam ab Episcopo Portuensi consecratione episcopali inaugurari; uti constat ex Reg. Clem. VI. an. II. Tom. 5. pag. 65. & an. III. pag. 72. Et hinc satis perspicue apparet, hunc e catalogo Antistitum Scodrensium rejici oportere.

MARCUS EPISC. SCODRENSIS VII.

Marcus Ep. Scodrensis an. 1346.

Post obitum Petri Canonici Scodrenses, cum ex antiqua consuetudine comitiorum caussa convenissent, Marcum Presbyterum & Canonicum Antibarensem cunctis suffragiis in Episcopum sibi elegerunt. Sed Clemens VI. exemplo & auctoritate suorum decessorum jus eligendi creandique Episcopos ad se revocaverat; quare Marcus delatum sibi sacerdotium in potestatem & arbitrium Pontificis permisit, qui, electione Canonicorum rescissa, ipsummet Marcum, quem volebant, iis Episcopum dedit, & a Petro Antistite Cæsaraugustano apud Sedem Apostolicam consecrandum curavit; ut docet ejus epistola dat. XIII. Kal. Septemb. an. 1346. in Tomo 1. Reg. part.

Digitized by Google

part. 1. pag. 16. eidemque Marco potestatem fecit sacerdotia, quæ ante consecrationem obtinebat, cum eorum reditibus tamdiu retinendi ac fruendi, quoad bona Ecclesiæ Scodrensis, quæ magna ex parte aut amissa per incuriam, aut per fraudem distracta fuerant, recuperare posset; ex Tomo 2. Reg. part. 2. pag. 182. præterea Basilicæ Cathedrali indulgentiam perpetuam quadraginta dierum affixit pro iis, qui statis quibusdam ac solemnibus diebus illam suppliciter invisèrent; ut in literis Clementis datis XI. Kal. Februar. anno V. id est 1347. Cum vero Clemens triennalem decimam Episcopis imperasset, qui huic exigendæ & colligendæ præpositus fuerat, recepit anno 1351. 26. Decembris *a Marco Episcopo Scutarensi* 116. *solidos grossos de Rascia, & novem grosses, de quibus* 55. *valent unum florenum. Capit summa* 25. *floren. & grossos de Rascia* 25.; ita ad hunc annum *Ration. Cam. Apost.*

His temporibus Stephanus cognomento Duscianus regnabat in Rascia & Serblia, tumque Scodræ, & Cathari, atque aliis Dalmatiæ superioribus civitatibus dominabatur, ut colligitur ex diplomate Clementis VI. anni 1346., qui *Vicario Generali & Fratribus Ordinis Prædicatorum* potestatem concedit recipiendi ac ædificandi duo Cœnobia, *unum in Kataro, & aliud in Scutaro civitatibus provinciæ*, Dominicanæ, *Hungaricæ sub dominio regis Rasciæ*. Diploma hoc in Episcopis Catharensibus descriptum est. Anno vero eodem Stephanus Legatum misit Avenionem ad Clementem VI. Marcum Scodræ Episcopum, qui de communione jungenda cum Ecclesia Romana apud Pontificem ageret; qui suo munere probe perfunctus, est, ut Clementis ad Stephanum epistola testatur *dat. Avenione VI. Non. Martii an. V.*, id est 1347., qua, *refesente venerabili fratre nostro Marco Episcopo Scutarensi*, de pia illius voluntate plurimum se lætari scribit; sed ejusdem Stephani vafritie ac scelere irritus omnino effectus legationis fuit; quæ vide fusius tractata in Joanne III. & Dominico Archiepiscopis Antibasensibus. Quamdiu Marcus huic Ecclesiæ præfuerit, nos latet.

Legatus ad Pontificem nomine Stephani Dusciani Rasciæ regis.

MARINUS EPISC. SCODRENSIS VIII.

Marinus Episc. Scodrensis.

Hic Marco in Sedem Scodrensem, incertum quo anno, successit, eamque tenuit usque ad an. 1367., ut colligitur ex epistola Urbani V. qui post obitum Marini F. Antonium de Solutis ex Ordine Prædicatorum Ecclesiæ Scodrensi Episcopum præfecit anno Pontific. VI. id est 1367.

ANTONIUS EPISC. SCODRENSIS IX.

Antonius Episc. Scodrensis an. 1367.

Vix Marinus obierat, cum Georgius Summa Presbyter Drivastensis, nescio quorum impulsu vel præsidio fretus in Sedem Scodrensem invasit, eamque pertinaciter tenebat. Sed Urbanus V. F. Antonium ex Ordine Dominicano assumptum ad hunc Episcopatum evexit, simulque *ob paupertatem a communis servitii solutione hac vice* liberavit, ut est in tabulis Romanis Obl. tomo 36. pag. 146. Suis vero literis expelli jubet Georgium, in hujusque Ecclesiæ possessionem Antonium immitti, ex Reg. Urbani V. Ind.... an. VI. part. 3. De Antonio Episcopo Scodræ hæc Fontana in Theat. Domin. *Antibarensi Ecclesiæ metropolitanæ subjacet Scutarensis Ecclesia in Sclavonia, cui ab Urbano V. præfectus est Episcopus* IX. *Kal. Martii anno VI. sui Pontificatus, qui fuit* 1367. *P. F. Antonius de Solutis, de quo nullus ex Scriptoribus nostris tractat.* Antonii meminit & Bremondus tomo 2. Bull. Domin. pag. 266.

FRANCISCUS EPISC. SCODRENSIS X.

Franciscus Episc. Scodrensis an. 1388.

Quem Urbanus VI. anno 1388. pridie id. Majas Episcopum Scodrensem renuntiavit, cum *hac vice duntaxat propter paupertatem Ecclesiæ prædictæ a præstatione sui communis servitii* illum absolvisset; ex Obl. Urb. VI. tomo 48. p. 68.

HENRICUS EPISC. SCODRENSIS XI.

Henricus Episc. Scodrensis.

Sæculo XIV. ad exitum vergente huic Ecclesiæ præpositus usque ad postremos fere ejusdem sæculi annos præfuit; idque colligitur ex tabulis Romanis annorum insequentium, in quibus semel, iterum ac tertio nominatur.

ANDRUINUS EPISC. SCODRENSIS XII.

Andruinus Episc. Scodrensis.

Egregius Decretorum Doctor sæculo XIV. exeunte Scodrensem Episcopatum suscepit, quem nominatum invenio in tabulis Romanis *Obligationum*, in quibus neglectam ab eo solutionem *pro communi servitio* successores ejus se facturos pollicentur. Anno 1398. erat Venetiis, uti discimus ex monumentis Cœnobii S. Hieronymi apud Cornelium tomo 2. de Eccles. Venet. pag. 127., in quibus testis legitur pro confirmatione diplomatis, quo Leonardus Delphinus Episcopus Castellanus & electam Cœnobii Antistitam in sua dignitate confirmat, & jubet in illius possessionem immitti. Diploma *datum & actum Venetiis in nostro Palatio Castellano præsentibus Rev. P. D. Andruino Episcopo Scutarensi egregio Decretorum Doctore &c. Anno Nativitatis Dominicæ* 1398. *Indict. sexta, mensis Junii die vicesimo, Pontificatus Bonifatii Papæ Noni anno nono.*

CHRISTOPHORUS EPISCOPUS SCODRENSIS XIII.

Christophorus Episc. Scodrensis an. 1401.

De quo tabulæ Romanæ; 1401. 10. *Junii D. Christophorus electus in Episcopum Scutarensem in Sclavonia personaliter promisit Camere & Collegio pro suo communi servitio trigin-*

ginta tres florenos auri de Camera, & quinque servitia consueta; item pro ... Prædecess. suo, scilicet Andruino, *item pro Henrico prædecess. suo*; ex Obl. Bonif. IX. tomo 57. p. 19. Intra fines ejusdem anni vel morte præreptus, vel cessione voluntaria Ecclesiam sibi decretam dimisit.

MELIORINUS EPISC. SCODRENSIS XIV.

Meliorinus Episc. Scodrensis an. 1401.

Eodem anno, id est 1401. *die* 13. *Decembris Meliorius Episcopus Scutarensis personaliter recognovit Cameræ & Collegio pro communi servitio D. Christophori prædecess. sui* 33. *florenos auri de Camera, & tertiam partem similiter floreni, & quinque servitia consueta; non promisit pro se, quia facta fuit promotio bis in anno. Item pro Andruino prædeces. suo, item pro Henrico prædecessore suo*; in lib. Oblig. Bonifacii IX. t. 57. p. 28. t. Hunc distingui oportet a Vigliarino Ordinis Franciscani, de quo Waddingus t. 9. p. 256. an. 1402. *Scutarensis in litore Asiatico sub Patriarcha Hierosolymitano F. Vigliarinus Manfredi de Fontana per translationem Christophori ad Ecclesiam Polignanensem* (in Apulia sub Archiepiscopo Bariensi) 19. *Kal. Januarii*. Ecclesia illa Scutarena Asiatica sub Patriarcha Hierosolymitano, quæcumque fuerit, longissime abest a Dalmatia, & Scodra nostra Illyrica. Est quidem Scutaris, olim Chrysopolis, ad fretum Bosphori Thracii contra Constantinopolim, sed longo distans terrarum tractu a finibus Patriarchatus Hierosolymitani. Vghellus tomo 7. inter Episcopos Polymnianenses ex lib. Oblig. meminit Christophori Scuterensis ad Sedem Polymnianensem translati 19. Kal. Januarias anno 1401. Meliorinus ad aliam Ecclesiam paullo post migrasse videtur ex iis, quæ subjicio:

PROGANUS EPISC. SCODRENSIS XV.

Proganus Episc. Scodrensis an. circ. 1402.

Ex tabulis Romanis: *AB. Bonif. IX. An. XII. tomo* 13. *p.* 273. *Borganus* (idem qui & mox Proganus) *Pinzenago fit Ep. Scutarensis per translationem*. Cum vero annus XII. Bonifacii Pontificis annum etiam attingat 1402. censendum est, Meliorinum, vix Scodrensem Episcopatum adeptum, ad aliam Sedem transiisse. Rursum *an.* 1403. 8. *Octob. D. Proganus Episcopus Scutarensis, personaliter promisit Cameræ & Collegio pro communi servitio* 33. *flor. auri de Camera, & tertiam partem similis floreni & quinque servitia consueta. Item pro D. Meliorino Prædec. suo. Item pro D. Andruino eciam Prædec. suo. Item pro D. Henrico præante Prædec. suo*; Oblig. Bonifacii IX. tomo 57. p. 59. Post biennium promisso suo ex parte satisfecit; 1405. 27. *Febr. Proganus Ep. Scutarensis solvit florenos* 12. *pro parte communis servitii*; Obl. tomo 59. p. 160. Sedem Scodrensem tenuit annos fere quinque. E catalogo Antistitum Scodrensium expungi oportet Bartholomæum, quem Ferdinandus Ughellus tom. 10. Ital. Sacr. in Addit. pag. 240. e Calvensi Ecclesia provinciæ Capuanæ translatum fuisse ait ad Ecclesiam Scutarensem an. 1403. ex lib. Obl. Cam. Bonifacii IX. Sed hujus translationis Scodrensis ne verbum quidem in eo libro reperit Card. Garampius. Præterea cum ab anno 1403. usque ad an. 1407. Proganus Episcopatum Scodrensem retinuerit, inter Episcopos Scodræ nihil loci Bartholomæo relictum est.

JOANNES EPISC. SCODRENSIS XVI.

Joannes Ep. Scodren. an. 1407.

Anno 1407. Progano in Sedem Scodrensem successit, uti ferunt tabulæ Romanæ; *Anno* 1407. 19. *Martii an. I. Gregorii D. Johannes electus in Ep. Scutaren. promisit Cameræ & Collegio pro suo communi servitio* 33. *flor. auri de Camera, & 5. servitia consueta. Item pro D. Progano Prædecess. suo. Item pro D. Meliorino prædecess. suo. Item pro D. Andruino prædecess. suo. Item pro D. Henrico prædecess. suo*. Obl. tom. 57. p. 118. In iisdem tabulis Romanis sub Martino V. & sub Eugenio IV. nomen Joannis Episcopi Scodrensis sæpe reperitur usque ad an. 1440. Unusne, an duo fuerint Episcopi, quibus idem nomen Joannis esset, addubitare cogit diuturnitas Episcopatus. Anno 1427. cum ab sua Ecclesia abesset, Martinus V. F. Marinum Teldi ex Ordine S. Dominici Administratorem ejusdem præfecit. Exstant in Bullario Dominicano tomo 2. pag. 284. binæ Martini literæ, alteræ ad Marinum, cui Pontifex Scodrensem Ecclesiam commendat propter Joannis absentiam, alteræ ad ipsum Joannem, quem de administratione suæ Ecclesiæ Marino tradita admonet, ipsique Joanni annuam pensionem aureorum triginta ex proventibus Ecclesiæ Scodrensis assignat. Causæ vero, cur Joannes abesse cogeretur, mihi sunt ignotæ, nisi forte referendæ sint ad Balsichios dominos Scodræ & Zentæ utriusque, qui Joanni essent infesti.

Eo absente, Marinus Teldi fit Administrator Scodrensis.

„ Martinus Episc. Servus Serv. Dei, dilecto „ Filio Marino Teldi de Venetiis Ord. Fr. „ Prædic. Professori, Baccalaureo in Theo„ logia, Administratori Ecclesiæ Scutaren. „ in spiritualibus & temporalibus auctoritate „ Apostolica deputato salut. &c.

„ Inter solliciſudines varias, quibus assi„ due premimur, illa continue pulsat & ex„ citat mentem nostram, ut circa statum Ec„ clesiarum omnium, maxime Cathedralium, „ ne in spiritualibus & temporalibus detri„ menta sustineant, quantum nobis ex alto „ conceditur, providere curemus. Hinc est, „ quod nos cupientes, ne Ecclesia Scuta„ rensis propter absentiam Ven. F. nostri „ Joannis Episcopi Scutaren. qui jam tribus „ annis elapsis in dicta Ecclesia non resedit, „ & ex certis causis nobis notis nequit apud „ dictam Ecclesiam residere, detrimenta su„ stineat, sed in iisdem spiritualibus & tem„ poralibus regatur utiliter & prospere gu„ ber-

Digitized by Google

„ bernetur, & sperantes, quod tu regimini „ & administrationi dictæ Ecclesiæ esse po„ teris multipliciter proficuus, te Admini„ stratorem præfatæ Ecclesiæ in spiritualibus „ & temporalibus generalem usque ad bene„ placitum nostrum auctoritate apostolica te„ nore præsentium facimus, constituimus, „ & etiam deputamus, curam, regimen, ad„ ministrationem ejusdem Ecclesiæ in eisdem „ spir. & temp. tibi plenarie committentes, „ tibique omnia & singula, quæ ad regimen „ & administrationem præfatæ Ecclesiæ pro„ ficua esse cognoveris, per te vel alium „ faciendi, mandandi, ordinandi potestatem „ plenariam concedentes, alienatione tamen „ quorumcumque bonorum immobilium & „ pretiosorum, & aliorum ornamentorum ad „ cultum divinum deputatorum ipsius Ec„ clesiæ tibi penitus interdicta; ac mandan„ tes dilectis filiis Capitulo dictæ Ecclesiæ „ & Clero & populo Civitatis & diœcesis „ Scutarensis, & aliis, ad quos spectat, „ quatenus, hujusmodi beneplacito durante, „ tibi in omnibus, quæ ad hujusmodi ad„ ministrationis officium, ejusque liberum „ exercitium pertinere noscuntur, plene pa„ reant, & intendant; alioquin sententias, „ sive pœnas, quas rite tuleris seu statue„ ris in rebelles, ratas & gratas hab.bimus, „ illasque faciemus, auctore Domino, usque „ ad satisfactionem condignam inviolabiliter „ observari. Volumus autem, quod propter „ administrationem hujusmodi cultus divinus „ in dicta Ecclesia nullatenus minuatur, „ quodque, debitis & consuetis ejusdem Ec„ clesiæ supportatis oneribus, de residuis il„ lius redditibus, fructibus & proventibus „ libere disponere, & ordinare valeas, sicut „ Episcopi Scutarenses, qui fuerunt pro„ tempore, de illis disponere & ordinare po„ tuerunt. Non obstantibus &c. Quocirca di„ scretioni tuæ per apostolica scripta man„ damus, quatenus curam, regimen, admi„ nistrationem hujusmodi per te vel alium seu „ alios sic geras sollicite, fideliter, & pru„ denter, quod præfata Ecclesia, hujusmodi „ beneplacito durante, utili gubernatori, & „ fructuoso Admnistratori gaudeat se com„ missam; tuque propter æternæ retributionis „ præmium nostram & Apostolicæ Sedis bene„ dictionem & gratiam exinde uberius conse„ qui merearis. Dat. Romæ apud SS. Apo„ stolos X. Kal. Januarii, Pontificatus no„ stri anno undecimo „ id est 1427.

Marinum hunc, ad quem Martini Pontificis litteræ, eumdem esse quis fortassis autumet, qui ab Echardo in Tomo 1. Script. Ord. Prædic. dicitur *Marinus Venetus*. Illum vero *versioni sacrorum bibliorum Italicæ Nicolai Malberbi vel Malermi iterato imprimendæ invigilasse, & summaria capitum, seu rubricas adjecisse*, & Echardus affirmat, & le Longus in Biblioth. Sacra. Duobus tomis constat integrum opus; & in fine primi hæc leguntur in Latinum sermonem versa; *Completa sunt Biblia rubricata per me Marinum Venetum*; alter vero tomus typis editus & absolutus est an. 1477. quo tempore octogesimum ætatis annum excesserat Marinus, si triginta fere annos ei tribuas, cum Scodrensis administratio eidem tradita fuit. Nunc alteras subjicio Martini litteras.

Annua pensio eidem Joanni assignatur.

„ Martinus Episcopus Servus Serv. Dei „ Vener. F. Johanni Episcopo Scutarensi „ Sal. & Apost. Benedict.

„ Personam tuam nobis & Apostolicæ Se„ di devotam, tuis exigentibus meritis, pa„ terna benedictione prosequentes illa tibi „ libenter concedimus, quæ tuis commodita„ tibus fore conspicimus opportuna. Nuper „ siquidem per nos accepto, quod jam tri„ bus annis elapsis, in Ecclesia Scutarensi, „ cui præesse dignosceris, non resederas, & „ ex certis causis nobis expositis apud di„ ctam Ecclesiam residere non poteras, nos, „ ne dicta Ecclesia propter absentiam tuam „ detrimenta pateretur, dilectum filium Ma„ rinum Teldi de Venetiis Ord. Frat. Præ„ dicat. professorem, Bacealaureum in Theo„ logia, Administratorem dictæ Ecclesiæ in „ spir. & tempor. generalem usque ad be„ neplacitum nostrum constituimus, & etiam „ deputamus, prout in literis nostris inde „ confectis plenius continetur. Nos tibi, ne „ propter deputationem hujusmodi nimium „ dispendium patiaris, & ut statum tuum „ juxta episcopalis dignitatis decentiam com„ modius tenere valeas, de alicujus subven„ tionis auxilio providere, specialemque gra„ tiam facere volentes, pensionem annuam „ triginta florenorum auri de Camera super „ fructibus, redditibus & proventibus dictæ „ Ecclesiæ per ipsum Marinum & alios ip„ sius Ecclesiæ Administratores, quos forsan „ deputari contigerit, tibi vel procuratori „ tuo ad hoc a te speciale mandatum haben„ ti, quoad vixeris in Romana Curia, in Fe„ sto Omnium Sanctorum annis singulis in„ tegre persolvendam, ad id etiam præfati „ Marini accedente assensu, auctoritate apo„ stolica tenore præsentium reservamus, con„ stituimus & etiam assignamus, statuentes „ & etiam decernentes, eosdem Marinum & „ Administratores ad solutionem seu præsta„ tionem pensionis ejusdem juxta reservatio„ nis, constitutionis & assignationis hujusmo„ di tenorem exjstere efficaciter obligatos; „ quodque, si Marinus vel Administratores „ prædicti in dicto termino, vel saltem in„ fra triginta dies eundem terminum imme„ diate sequentes, tibi vel procuratori prædi„ cto pensionem hujusmodi non solverint in „ effectu, lapsis eisdem diebus, sententiam „ excommunicationis incurrant, a qua, do„ nec tibi de pensione prædicta integraliter „ satisfactum, aut alias tecum, vel cum eo„ dem procuratore super hoc amicabiliter „ concordatum fuerit, seu alias tuo, vel di„ cti procuratoris expresse accedente consen„ su, præterquam in mortis articulo consti„ tuti, nequeant absolutionis beneficium ob„ tinere. Quod si forsan iidem Marinus &

„ Ad-

Digitized by Google

„ Administratores sententiam hujusmodi per „ sex menses a fine dictorum dierum in an- „ tea computandos, animo, quod absit, su- „ stinuerint indurato, dictis mensibus elapsis, „ administratio expiret. Non obstantibus &c. „ Siquis autem &c. Dat. Romæ apud San- „ ctos Apostolos x. Kal. Januarii, Pontifi- „ catus nostri anno undecimo. „

Sed Marinus vix annuam administrationem gesserat, cum eum Martinus revocavit, ut intelligi posse videtur ex lib. Provis. Sacr. Coll. p. 183. anno 1431.

Quidam Joannis Ep. acta.

Anno 1435. Idibus Novembris Joannes versabatur Florentiæ, & suum ministerium præbuit ad consecrationem Antonii Episcopi Catacensis, quæ civitas est & Ecclesia magnæ Græciæ sive Calabriæ ulterioris sub Archiepiscopo Rheginô; ex Div. Cam. tom. 19. p. 123. Cum ad augendos proventus mensæ episcopalis Ecclesia & parœcia S. Stephani de Barbariscis conjuncta fuisset cum Ecclesia Cathedrali anno 1. Martini V. id est 1418. hanc conjunctionem rogatu Joannis Episcopi Eugenius IV. confirmavit anno 1440. *A. B. Eugenii IV. an. X.* tomo 10. p. 175. Ex tomo 2. Bull. Eugenii IV. p. 189. ad an. XII. id est 1442. videtur Matthæus primum Sappatensis, dein hoc tempore Arbensis Episcopus, factus fuisse Administrator Ecclesiæ Scodrensis; qua de re in Episcopis Sappatensibus diximus, uti de Scodrensi monasterio SS. Sergii & Bacchi eidem commendato. Hujus Cœnobii inter Albanensia celeberrimi nonnullos Abbates, qui illud sibi commendatum tenuere, nobis exhibent schedæ Garampianæ, quos hic nominasse haud inutile futurum existimo. Equidem in libris Rom. Oblig. ad an. 1425. legitur Andreas quidam Abbas, qui *pro eodem Monasterio se obligavit*; sed incertum, esset ne tunc juri commendationis obnoxium. Itaque qui titulo *Abbatis Commendatarii* illi præfuit, primus dicitur

Abbates Commendatarii Cœnobii Sergiani.

An. 1440. Matthæus de Hermolais Episcopus Arbensis; huic successit

An. 1442. Laurentius Michaelius Venetus, qui 5. *Decembris* ejusdem anni *promisit pro communi servitio Monasterii S. Sergii Scutaren. diœc. flor.* 33½. ex Tomo 64. Oblig. p. 324.

An. 1452. Hieronymus Lando is, qui Cretensem Archiepiscopatum regebat an. 1450. & Venetum Monasterium S. Gregorii sibi commendatum habuit, & postea Patriarcha Constantinopolitanus renuntiatus est.

An. 1453. Marcus Barbus Paulli II. Pontificis consobrinus. Hic an. 1465. Episcopus Vicetinus, ad Aquilejensem Ecclesiam regendam paullo post transiit in Cardinalium Collegium cooptatus.

An. 1465. Urbanus Vignacus Venetus Episcopus Sibenicensis, vita functus an. 1468.

An. 1469. rursum Marcus Barbus Cardinalis titulo S. Marci, & post administratam Aquilejensem Ecclesiam Episcopus Prænestinus.

An. 1489. Joannes de Milota civis Venetus.

Post obitum Joannis *extra Curiam* hujus Ecclesiæ regimen suscepit

EMANUEL EPISC. SCODRENSIS XVII.

Emanuel Episc. Scodrensis anno 1451.

De Candia cognominatus, alumnus & cultor disciplinæ Dominicanæ, quem Nicolaus V. huic Ecclesiæ Antistitem præposuit; 1451. *V. Id. Januarii F. Emanuel Ord. Præd. fit Ep. Scodren. per obitum Joannis extra Curiam Rom.* ex Tomo 72. Oblig. p. 44. & tomo 75. p. 44. De Emanuele hæc Bremondus in Bull. Dominic. tomo 3. *F. Manuel de Candia, Emmanuel nempe Cretensis, an. 1451. die 8. Januarii successit Johanni, ut ex hoc diplomate constat. Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Manueli de Candia Electo Scutaren. salutem & apostolicam benedictionem. Apostolatus officium* &c. *Dudum siquidem bonæ memoriæ Johanne Episcopo Scutaren.* &c. *Demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Professorem* &c. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ* 1450. (stylo Bullarum æræ communis 1451.) *sexto Idus Januarii, Pontificatus nostri anno quarto.* A quo Pontifice anno sui Pontificatus VI. id est 1452. non. Octobr. monasterium Benedictinum, olim celeberrimum SS. Sergii & Bacchi, a Monachis fere desertum, unitum fuit mensæ episcopali, ut Episcopi tum indigentiæ, tum dignitati ex illius reditibus provideret; licet *Abbates Commendatarii* ad annum certe 1489., uti paullo superius dictum, creari non desierint, quibus annui proventus aliqua portio erat persolvenda. Sed *Abbatiæ* titulus adhuc superest, & *Abbates* in Romana Curia nominatos comperio sæculo decimo septimo, uti dicemus inferius. In tabulis vero Romanis iterum ac sæpius mentio Emanuelis reperitur; 30. *Oct.* 1452. *idem se obligavit pro communi servitio*; tomo 76. Oblig. p. 75. Anno 1454. 27. *Nov. soluti fuere flor.* 103. *D. Manueli Ep. Scutaren. Venetiis pro certis libris Græcis pro Sanctiss. D. N. emptis.* Tomo 638. Rat. Cam. p. 104. anno 1455. *mensibus Aprilis, Maji, Junii soluti fuere Ep. Scutaren. floren.* 10. *singulis mensibus pro sua provisione.* Cum Joannes Bellussius Rector Ecclesiæ S. Nicolai, cui nulla erat annexa procuratio animarum, eam voluntaria cessione dimisisset in manus Stephani Canonici Scodrensis & generalis Vicarii, Callistus III. imperavit per literas Martino, Nicolao, & Marco Canonicis Scodrensibus, ut Stephanum eidem Ecclesiæ præficiendum curarent; *Literæ Callisti III. Martino de Martinis, Nicolao Malousi, Marco Hungaro Canonicis Ecclesiæ Scutaren. de provisione Ecclesiæ S. Nicolai sine cura supra portam civitatis Scutaren. quam Johannes Bellussii ejus Rector resignaverat in manibus Stephani Sglatar Can. Scutaren. pro Vicario Manuelis Ep. Scutaren. tunc se gerentis. Dat. 6. id. Maji* 1455. Reg. Callisti III. tomo 19. p. 67. Idem Pontifex Emanuelem literis fidei publicæ munivit, queis ab omni pericu-

Digitized by Google

lo tutus iter suum, nescio quo, conficeret; *Callisti 3. litera passus pro Emanuele Ep. Scutaren. id. Sept.* 1456. ex eodem Reg. tomo 23. p. 176. Forte Emanuel hoc anno & superiore Scodra absens Romæ versabatur, qui post triennium vel morte sublatus, vel voluntaria abdicatione Sedem Scodrensem reliquit.

Scodra sub Venetorum dominio.

Anno circiter 1440. Scodra cum aliis Albaniæ civitatibus imperium Venetorum accepit. Uroscio postremo e stirpe Neemanica rege Serblorum sive Imperatore Rasciano exstincto, Dynastæ & Proceres Albaniæ & Rasciæ regnum illud vastissimum in plures partes discerptum dilacerarunt, & alii alias provincias occuparunt. Utraque Zenta, quæ regio est Albaniæ, cum civitate Scodra in potestatem devenit gentis Balsichiæ, quæ tunc armis atque opibus pollebat. Veneti cum Balsichiis sæpe pugnarunt; & semel atque iterum Scodra a Venetis capta & amissa. Post interitum stirpis & gentis Balsichiæ Scodra cum aliis illarum partium oppidis sibi a Turcis metuens in jus tutelamque Venetorum se contulit. Nec defuit Scodrensibus suæ erga Venetos fidei & egregiæ voluntatis declarandæ occasio. Nam cum propter quasdam offensiones bellum exortum esset inter Venetos & Georgium Castriotum vulgo Scanderbegum, Scodrenses Balesium castrum, quod Georgius construxerat, & præclare munierat, Venetis maxime infestum diruerunt. Cæterum paullo post composita pax fuit, & juncta inter utrosque amicitia adeo fida & constans, ut nunquam deinde aut Georgio a Venetis, aut Venetis a Georgio ad Turcas oppugnandos auxilia defuerint; & Castriotus ejusque posteri in ordinem patritium a Senatu cooptati sunt.

EMANUEL II. EPISC. SCODRENSIS XVIII.

Emanuel II. Episc. Scodrensis an. 1458.

Quem a superiore ejusdem nominis Episcopo distingui oportet; prior siquidem anno 1451., alter vero anno 1459. ad Ecclesiam Scodrensem regendam jam accesserat, ut docent tabulæ Rom. 1459. *19. Jan. Emmanuel Ep. Scutaren. se obligavit pro communi servitio;* tomo 76. Obl. p. 165. Eidem de monasterio Drivastensi S. Joannis de Stivalio mandatum dedisse hoc anno & mense Pium II., legitur tomo 7. Pii II. p. 174. in tabulis eisdem; *Manuelli Ep. Scutaren. commissio super provisione monasterii S. Johan. de Stivalio Drivasten. diæc.* Ac paullo post jussu ejusdem Pontificis Scodrensem cum Sappatensi Episcopatu commutavit; A. B. Pii II. an. I. tomo 13. p. 38.

THADÆUS EPISC. SCODRENSIS XIX.

Thadæus Ep. Scod. an. 1465.

E patritia Veneta familia Paschalica, qui an. 1465. prid. non. Martias creatus est Episcopus Scodrensis; ex lib. 4. Oblig. S. C. p. 98. Post biennium e vivis sublato suffectus est

BARTHOLOMÆUS EPISCOPUS SCODRENSIS XX.

Bartholomæus Ep. Scodrensis an. 1467.

Patritius Venetus ex antiquissima & illustri gente Barbadica, quem Paullus II. civem suum ad Episcopatum Scodrensem evexit; 1467. *9. Febr. Bartholomæus Barbadico fit Ep. Scutaren. per obitum;* ex Tomo 83. Obl. pag. 5. Cum ad suam Ecclesiam nunquam accessisse videatur, eam per suos Vicarios gubernavit. Nam anno proximo post consecrationem susceptam adhuc Romæ versabatur, utque perhibent tabulæ Romanæ Tomo 6. Instrum. Cam. pag. 59. *die 26. Junii Bessarion Card. tradidit Petro Mauroceno Oratori Reip. Venetiarum Biblioth. librorum suorum tam Græcorum, quam Latinorum ap. SS. Apost. existentem, præsente Bartholomæo Barbarigo Ep. Scutaren.* Aberat itidem an. 1469. quo *die 7. Oct. fit Castellanus arcis Narniensis*, quod legitur Tomo 21. Paulli II. p. 181. & rursum an. 1471. 14. *Oct. Castellanus arcis Urbisveteris;* ex Div. Cam. Arm. 29. tomo 37. p. 4. & 5.; eodemque anno & mense, relicta Scodrensi, ad Parentinam Ecclesiam, Pontificis jussu, se transtulit; T. 83. Obl. C. p. 21. Scodrensis Bartholomæi Episcopatus ignotus fuit Ughellio T. 5. Ital. Sac. in Episc. Parentinis, & auctori Numismatum Gentis Barbadicæ, quæ magnifico opere sumptuque edita sunt Patavii typis Seminarii.

FRANCISCUS II. EP. SCODRENSIS XXI.

Franciscus II. Episc. Scodrensis an. 1471.

Patavii natus e familia de Sanctis, & in Franciscanum Ordinem adscitus graviorum disciplinarum cursum summa cum laude peregit. Nam anno 1462. in Patavino Theologorum Collegio *Baccalaurei*, anno insequenti *Licentiati*, ut ajunt, gradum consecutus est. Triennio post Theologicorum studiorum *Regens*, seu Præses exstitit; atque altero triennio elapso, iterum *Regens* præfuit *Cathedræ Episcopatus*, quæ princeps inter Theologicas Patavini Lycæi; ut nobis constat ex actis mss. *Universitatis Theologicæ* Patavinæ, quæ in Bibliotheca Patrum Prædicatorum Patavii servabantur. Hisce igitur doctrinæ præsidiis instructus, & ob animi virtutes charus in primis Sixto IV. Pontifici, quocum in Franciscana familia amicissime vixerat, ab eodem Sixto Scodrensis Episcopus renuntiatus est; *An.* 1471. 11. *Octob. Scutaren. Eccl. confertur Magistro Francisco de Sanctis Ord. Minorum*; ex tomo 83. Obl. p. 21. Biennio post Sixtus Pontifex duo sacerdotia eidem contulit in Tarvisina diœcesi, e quarum annuis proventibus mensæ episcopalis egestatem sublevaret; quod innuitur tomo 1. Brev. Sixti IV. p. 327. & 314.; 1473. 17. *Jul. Sixtus IV. confert Parochiales Eccl. S. Liberalis de Castrofranco*, inquiunt pontificiæ literæ, *& S. Mariæ de Cavas Tarvisinæ diœces. F. Francisco Ep. Scutaren. domestico suo, quem ob doctrinam & probitatem ejus in minoribus constituti diu dileximus.* Ex hisce intelligi potest, Franciscum tum Romæ versa-

Digitized by Google

satum inter familiares Pontificis, cum Scodra eo anno primum a Turcis oppugnari cœpisset. Post mortem etenim Georgii Scanderbeghi an. 1467. exstincti, cujus egregia virtus & fortitudo incumbenti in orbis Christiani perniciem Amurathis & Mehemethis potentiæ frænum injecit, remque Christianam in Albania sustinuit, hoc obice insuperabili amoto, Turcarum effrænata dominandi libido, viribus omnibus effusis, imperium longe lateque propagavit.

Prima Scodræ obsessio,

Anno 1474. Mehemetus Rex Turcarum totius Albaniæ potiundæ cupidus Solimanum principem Visiriorum cum ingenti exercitu, octoginta millia hominum fuisse ferunt, omnique bellico apparatu ad Scodram urbem munitissimam illius regionis oppugnandam misit. Satis constat, obstinatius nec oppugnari, nec defendi urbem potuisse; tres jam menses acerrima oppugnatio & defensio tenuerat; cum Solimanus, spe omni civitatis capiundæ amissa, plenus cladis & ignominiæ copias abduxit. Scodræ primo obsessæ ac defensæ historiam accurate scripsit Georgius Merula, ediditque Venetiis an. 1474. De hac breviter commemoravit Marinus Barletius Presbyter Scodrensis lib. 2. de, altera scilicet, obsidione Scodrensi; quod opus Venetis typis vulgatum fuit an. 1504. *Itaque*, inquit, *ingentes copias ad illam*, Scodram, *oppugnandam mittere decrevit* Mahometes; *expectatoque tempore veris, quod expeditionibus commodum & aptum est, præparatis rebus omnibus bellicis, delectuque quam maximo habito, Solimanum novæ Romæ Præfectum toti exercitui præposuit, qui Idibus Maji, præmissis speculatoribus & levis armaturæ equitibus, ut eorum moris est; ipse deinceps cum reliquo exercitu maxima pompa incedens subsecutus est, ipsamque urbem & mœnia undique circumvallavit; & e vestigio ingenti terrore formidineque obsessos undique copiis atque omni genere tormentorum urgere ac opprimere conatus est; & eversis muris, omni vi apparatuque tum machinarum militarium, tum ferocissimorum militum urbis oppugnationem tentavit. Longum esset commemorare, quot millium Turcarum turpiter amiserit; utque cives Scodrenses se, patriam, uxores, liberos acerrime pugnando protexerint. Quare, cum incassum elaborasset, retrocedens quam maxima ignominia atque clade ab oppidanis repulsus est. Demum, cum omnia ut urbe potiretur frustra expertus esset, tribus post mensibus eam obsidionem reliquit. Ex quo Scodrenses ob tam egregiam & præclarissimam victoriam, duce vectoreque Antonio Lauretano, æternum sibi nomen & gloriam adepti sunt.*

Defensio Scodræ, depulsio Turcarum, ut Scodrensibus, & Antonio Lauretano urbis Præfecto magnam peperit gloriam, sic Ducem, Senatum populumque Venetiarum ingenti affecit lætitia, atque ut victoriæ Scodrensis perpetuum exstaret apud posteros monumentum, Venetiis in Aula majoris Consilii egregio Paulli Veronensis penicillo expressa fuit, & hæc inscriptio apposita,

SCODRA BELLICO OMNI APPARATU
DIU VEHEMETERQUE
A TURCIS OPPUGNATA
ACERRIMA PROPUGNATIONE RETINETUR.

Porro in facinore tam illustri parem bellicæ virtutis laudem promeriti sunt Nicolaus Marcellus, Triadanus Grittus, & Petrus Mocenicus, strenuissimi Venetorum duces, eorumque tumulis præter cætera ab iis fortiter ac præclare gesta Scodræ etiam servatæ memoria inscripta legitur; primi quidem in Æde D. Marinæ sacra, *Scodra acerrima Teucrorum obsidione liberata;* & alterius in D. Francisci templo, *post superatos ad amnem Bolianam Turcas & solutam Scodræ obsidionem;* tertii vero in templo Divorum Fratrum Joannis & Paulli, *Scodra ductu & auspiciis tuis obsidione liberata;* qui biennio post & ad summum Reipublicæ principatum ascendit. Antonius Gratianus lib. 1. *de scriptis invita Minerva* duos commemorat patria Burgenses, cives suos, Simonem scilicet Bajardum, & Benedictum ejus fratrem, qui, eum in bello Epirotico Venetis militarent, in hac Scodræ obsidione magnum virtutis ac fortitudinis nomen adepti sunt.

Ex infelici exitu irritæ obsidionis & rei apud Scodram male gestæ, immane quantum ira rabieque exarserit Mahometes; atque ad cladem Scodrensem ulciscendam & ignominiam abolendam omnes cogitationes curasque convertit. Quatuor ipsos annos ad comparationem novi belli contulit, atque ad conficiendum triplo majorem quam ante quadriennium in primam expeditionem Scodrensem; certum quippe ac deliberatum illi erat viribus omnibus eniti, ut Scodræ potiretur; qua urbe capta facile fore sperabat tum Dalmariam omnem subigere, tum classe ad invadendam Italiam trajicere. Delectibus igitur in Europa & Asia indictis habitisque, copias undique collegit, quas anno 1477. cum ducibus & præfectis ex omni Bassarum numero rei bellicæ in primis peritis præmisit; ipse cum Prætorianis militibus, quos Jannizaros vocant, postquam civitas obsideri oppugnarique cœperat, subsecutus VI. Non Julias in conspectum urbis venit, atque unde propius per hostes licebat, mœnia situmque equo circumvectus speculatur. Exercitus Turcarum circumsidens oppidum immensum obtinebat loci spatium; fuisse tradunt millia hominum amplius tercenta præter calones lixasque, & omnes circum campos & montes per milliaria circiter quadraginta tentoriis refertos exstitisse. Excitatis aggeribus, dispositisque tormentis cujusque generis, quorum vim secum adduxerant ingentem, nulla dies intermissa est, quin globis igniferis, & quovis telorum atque machinarum modo urbem vehementissime impeterent; & sæpe diurnam oppugnatio nocturna excipiebat. Scodrenses, quibus & Prætoris & Legati nomine præerat Antonius

ex alter

Legius, ad omnia militaria munera obeunda parati instructique, quo plus ostendebatur periculi, eo pertinacius obsistebant; nec eminus solum majoribus balistis depugnando nihil tutum esse hostibus patiebantur, sed etiam nunc in opera, nunc in stationes irrumpentes munimenta diruebant, & obvios quosque cædebant. Bis Turcæ periculum impressionis universæ facere aggressi cum essent, & e castris undique effusi, totis viribus obnixi, urgente præsentia Mehemetis, ingenti clamore, & summo impetu oppidum adorirentur, oppidani maxima vi & corporibus oppositis obstitere. Utrinque magno pugnatum est ardore, ita tamen ut barbaris nunquam cœptum procederet, & ex utraque aggressione cum ingenti suorum jactura recesserint; atque in priore quidem Turcarum duodecim millia cæsa fuisse dicuntur. Quare Mehemetes tam difficultate urbis expugnandæ, quam virtute & constantia Scodrensium deterritus, tertio, quam venerat, mense plenus irarum & dedecoris abscessit. Partem tamen copiarum haud exiguam reliquit, quæ Scodram arctissime obsessam tenerent, & ab omni commeatu ac subsidio intercluderent. Quadraginta millia Turcarum urbem undique circumvallasse perhibent septem jam menses; at tum oppugnationem primum acerrimam, tum arctissimam deinde obsidionem invicto animo Scodrenses sustinuerunt. Cum rerum omnium inopia laborare demum cœperunt, quæ eo crevit, ut ad vitam sustentandam illis rebus vesci cogerentur, a quibus natura summopere abhorret. In hac summa egestate menses præterea quatuor perseverarunt, obstinati ingentibus animis fame potius aut ferro interire, quam patriam barbaris tradere; neque unquam adduci potuissent, ut urbe cederent, nisi pax inter Venetos & Turcas ita convenisset prid. non. Apriles an. 1478., ut Scodra Turcis dederetur, salvis civibus & omnibus eorum bonis; liberum vero esset Scodrensibus vel in patria manere, vel quocumque vellent abire, & quidquid rerum suarum possent secum efferre. Lacrymabilem Scodrensium e patria discessum Barletius æqualis ac testis rerum gestarum, his verbis exposuit. „ Scodrenses, urbe patriaque relicta, omnes „ una cum sarcinulis suis & supellectile ad „ classem Venetorum, quæ ab urbe ad quinque millia passuum aberat, se tuti recepe„ runt; qui rebus omnibus, quæ illis ad hu„ jusmodi navigationem opus erant, se præ„ munierunt; & omnes pariter in Latium „ tetenderunt, & in sinum clementissimum „ sapientissimumque Veneti Senatus perfuge„ runt; pro cujus dignitate sanctissimoque „ imperio tamdiu acerrime pugnaverant, opes „ sanguinem, parentes, liberos, patriam vi„ tamque devoverant, cujus auspicio infensis„ simum hostem devicerant, sub cujus umbra ad mortem usque dies faustos lætosque „ ducerent, apudque illos tandem laudabilem „ pro viribus suis vitam finirent „. Sed præstat, Marini Becichemi narrationem afferre, qua in sua ad Leonardum Lauretanum Ducem oratione describit, quot numero Scodrenses, amissa patria, Venetias appulerint, quantisque pietatis ac beneficentiæ significationibus fuerint a Senatu excepti: *Exterres*, inquit, *Venetias venimus septingenti viri, mille & trecenti pueri, totidemque mulieres. Tot quidem ex tanto populo superstites fuimus.* Cum vero ex iis plures in Curia introducti sese ad Ducis Patrumque pedes abjecissent, *Vultu*, subdit, *incomposito jacebamus ad pedes principalis solii*. „ Vidimus Principem, Patresque „ conscriptos vultus serenitatem obumbrare, „ lacrymisque ora rigare, quæ nobis salutares, illis decoræ fuerunt, utpote pietatis, „ non doloris indices essent. E vestigio nos „ attollunt, clementissimoque affectu solantes „ misericorditer complectuntur; vulnera nostra videre & tangere leniter volunt; atque optimi medici, quæ nos celabamus in „ profundissimo ulcere, investigantes detegunt. Multa remedia adhibent pro tempore opportuna, & siqua alia optamus, percontando suggerunt. O divinam divinæ reipublicæ medicinam! Quis non dico reminiscitur, sed quis non adhuc quodammodo videt, ut nos invicem jam dolore discusso flebamus gaudio, cujus vis major „ erat, quam omnis luctus fuerat? eo quod „ post diuturnam ægritudinem atque mœstitiam, caluit supra spem, præter exspectationem, ultra vires nostras animus „ cujusque nostrum ad repentinam lætitiam. „ Et hæc quidem ad consolationem & necessitatem nostram sufficere potuissent. Sed „ tam prompta est in Venetis beneficentiæ „ natura, tam aperta sunt misericordiæ viscera, ut & omnium remediorum, quæ ad „ salutem nostram facerent, spem differre, „ aut quibus opibus nos levaturi essent, in „ dubio relinquere noluerunt. Quia non civitate donarunt Scodrenses, sed omnibus „ civibus præferendos statuerunt. Quæsturas „ plures, arcium aliorumque locorum præfecturas, scribarum beneficia, perpetua salaria, militares dignitates cum amplo stipendio pro conditione cuique decreverunt, „ ita ut nullus esset ex omni populo & stirpe Scodrensium, qui publico non sublevaretur beneficio. Addiderunt & viduis ex „ publico victum, & item puellis ac pueris „ usque ad pubertatem; qua ætate his locus „ daretur pro meritis prout viris, & illis „ dos ex physco pro fortuna pristina nubentibus.

Marini Becichemi narratio.

Scodræ deditio.

Hieronymus de Rubeis lib. 7. hist. Raven. scribit, e familiis Scodrensibus coloniam deductam a Venetis Ravennam fuisse, quas inter ditior Dulcichia cognomento Bancheria. Nonnullæ, nimirum Zaccaria, Nigra, Martinia, tum Calarzia, Spania, & quæ nobiliores, Zoima, Ducagina, Begana, cum Matthæis, Milutiis, ac Angelinis Venetiis constiterunt; aliæ vero Patavii, aliæ Tervisii perfugium sibi, requiemque quæsivere. Interea Turcæ Scodram adepti urbem nobilissimam

Digitized by Google

mam ac nitidissimam fœda barbarie infuscarunt; in utroque palatio Prætorio & Episcopali magistratus Turcici sedem collocarunt; Ædem Cathedralem in fanum Mahumeticum conversam impiis superstitionibus polluerunt; templa minora, e quibus eminebat Franciscanum, hujusque argentea plurima supellex Catharum jam fuerat asportata, vel diruerunt, vel prophanis usibus addixerunt; Christianæ religionis vix aliquod vestigium reliquerunt; nec tamen post urbem amissam Episcopi Scodrenses creari desiere, qui tum Christianis in patria reliquis aut eo reversis, tum cæteris per agros & vicos diœcesis dispersis curam operamque pastoralem impenderent.

Francisci Ep. acta.

Neutri obsidioni Franciscum Episcopum interfuisse facile mihi persuadeo, cum nullam ejus mentionem neque a Georgio Merula in prima, neque a Marino Barletio in secunda obsidione factam invenio; anno autem 1475. nominatur in actis *Univers. Theol. Patavinæ* superius laudatis; *Ep. Scutar. Ord. Min. Patavinus*; & anno 1479. in oppido Ateste degebat, ubi solemni ritu consecravit Ecclesiam Patrum Prædicatorum; quod testatur lapis super ostium Sacrarii hisce verbis inscriptus.

Consecrata fuit Ecclesia ab Ill. & Rev. D. D. Franc. Xanti Dei & Apost. Sed. gratia Episc. Scutaren. annuente Ill. ac R. D. D. Jacobo Zeno Episc. Pat. quæ quidem Ecclesia & Cœmeterium fuerat prius domus, sive Patium Magnif. D. D. Thaddei & Bertoldi Marchionum Estensium ex eadem familia oriundi. An. MCCCCLXXVIIII. Festum cum Consecr. celebratur Dominica prima Februarii.

Sed cum nullos proventus quamdiu utraque obsidio & oppugnatio tenuit, ex agris & fundis mensæ episcopalis percipere posset, ad vitam sustentandam, domesticam supellectilem, & quidquid rerum mobilium habebat, coactus fuit Judæis oppignorare; nam reditus duplicis sacerdotii Tarvisini, quod ei a Sixto IV. collatum diximus, satis non erant ad victum cultumque episcopalem. Itaque pro sua egestate sublevanda supplex confugit ad Joannem Mocenicum Ducem Venetorum, qui vicem ejus miserans suis ad Prætorem eumdemque Præfectum Tarvisii literis huic imperavit, ut sacerdotium aliquod, quod primum vacaret, ab Episcopo Tarvisino, cæteris omnibus competitoribus posthabitis, Francisco conferendum curaret; exstant litteræ Ducales in hæc verba.

Joannes Mocenigo Dei gratia Dux Venet. &c. Nobb. & Sapp. Viris Nicolao Trivisano de suo mandato Pot. & Capit. Tarvisii & Successor. ejus fidel. & dilectis salutem & dilectionis affectum.

Litteræ Ducis Venet. pro illo commendatitiæ.

Venit ad nostram Dominium fidelissimus Venetus noster reverendus dom. Franciscus de Sanctis Ep. olim Sensanensis exponens per obsidionem Civitatis ipsius multo tempore nihil proventuum illius exigere potuisse, compulsum properare fuisse pro sustentatione vitæ suæ omnia ferme bona sua pignorare Judæis, sperans de proventibus ipsis illa redimere posse; quæ spes ipsum fefellit, cum civitas ipsa in aliam pervenit manum &c. humiliter proinde supplicavit, ut calamitatis suæ misereri dignemur sibique de aliquo beneficio prospicere, ne de Episc. mendicus fieri cogatur. Supplicatio cujus cum nostro Dominio pia honestaque videatur, volumus vobisque mandamus efficaciter, ut, vacante beneficio aliquo, cum R. D. Episc. istius civitatis nostræ esse debeatis, illiusque Rev. de nostri Dominii nomine rogare, hortari ac requirere debeatis, ut in nostri Dominii singularem complacentiam illud ei conferri faciat, quo miseram vitam degere queat; & omnibus aliis, qui impetrandorum beneficiorum literas a nostro Dominio haberent, præferatur, partim quia auctoritate dignitatis illius omnibus aliis jure præferendus est, partim quia in tanta calamitate constitutus est, ut, ni adjutus fuerit, inopia & fame mendicando perire facile posset; facientes has in actis Cancellariæ istius ad successorum memoriam scribi, & scriptas restitui.

Data in nost. Ducali Palatio die XXVI. Febr. indict. XII. 1479.

A tergo: *Nobb. & Sapp. viris Nicolao Trivisano Potest. & Capit. Tarv. & successoribus suis.*

Recepta die 11. *mens. Martii* 1479.

Ex registro litterarum Ducalium an. 1479. more Veneto, id est 1480. existentium in Cancellaria inferiori Tarvisina.

Verum Franciscus eodem anno erat Venetiis cum Episcopo Crojensi, qui eo profugerat sua Ecclesia amissa, & in Turcarum potestatem redacta. Porro uterque in Veneta diœcesi sibi jus Clericos sacris Ordinibus initiandi usurpabat; idque eos facere vetuit ex mandato Sixti IV. Maphæus Gerardus Patriarcha, ut ex Brev. Sixti IV. plut. 39. tomo 13. pag. 173. 1480. 12. *Novembris Breve M. Patriarchæ Venetiarum, ut compescat Scutaren. & Crojsten. Ep. qui in civitate & diœcesi Veneta Clericos ad sacros Ordines promovere non verentur.* Et forte id sibi licere audentius, & contra jus fasque putabant hi Episcopi, quod tum non pauci e Clero, extortis per fraudem privilegiis, subjici renuebant Patriarchæ; qua de re ante aliquot annos Senatus Venetus conquestus fuerat apud Pontificem, oravitque, ut ne hujusmodi concessus dari in posterum, neve jam datis abuti quemquam permitteret, eosque pro sua potestate irritos omnino esse juberet. Vide monumenta Ecclesiæ Venetæ tomo 13. pag. 153. a Flaminio Cornelio edita, quem hasce ad Maphæum pontificias literas omnino latuit. Anno 1483. Patavium jam secesserat Franciscus, eaque in urbe, cum in Theologicum Collegium adscitus jam ante Episcopatum fuisset, ix. Kal. Octobris in idem Collegium cooptavit Joannem Marchum Veglensem, ut est in laudatis Univ. Theol. Patav. actis. *Rev. magister Franciscus de Padua & Ep. Scutarinus de licentia totius Univer-*

Digitized by Google

versitatis licentiavit factis vesperis atque aulavis Vener. Baccalaurum D. Johannem Marchum de Vegla Ord. S. Petri, atque ad emolumentum sacri Collegii habilem fecit eum die 23. *Sept.* 1483. Illic postea eum constitisse ex iisdem actis intelligimus; nam *anno* 1485. *exercuit magisterium in Patavina Universitate;* & anno tandem 1492. vel superiore, ibidem fortasse, diem supremum obiit.

Marini Barletii & Marini Becichemi Elogium.

Haud abs re autem esse existimo, si nonnulla hic breviter adtexam de Marino Barletio, & Marino Becichemo, civibus Scodrensibus, qui in tanta urbis calamitate patriam ornarunt nominis splendore, atque ingenii ac scientiæ laude, & hactenus editis libris clarescunt. Joannes Gerardus Vossius lib. 3. de hist. Lat. cap. 6. unum eumdemque fuisse scribit Barletium & Becichemum deceptus nominis similitudine, aut si mavis rerum nostrarum ignoratione, qua fit, ut exsteri scriptores, cum de Italis viris, vel de iis, qui in Italia diu & ad obitum usque versati sunt, disserunt, sæpe errent, & falsa venditent ineruditis imperitisque. Sed paullo inferius alterum Marinum ab altero distinguit, non sibi satis cohærens, & Jovium reprehendit, qui ex duobus unum effecit Scriptorem; integrum vero Vossii testimonium exscripsit David Cuittingerius in suo *Specimine Hungariæ lister.* edito anno 1711. Hinc Jovii potius, quam Vossii errorem arguisse videtur Apostolus Zenus in tomo 2. dissert. Vossian. pag. 404. vir quavis eruditione præstantissimus, ex quo hæc de Barletio & Becichemo summatim contracta subjicio. Itaque de Barletio certa hæc sunt, ecclesiasticæ illum vitæ addictum, & sacerdotis munere Scodræ esse perfunctum ad an. 1477. quo, capta a Turcis urbe, in Italiam secessit. Inde vero Romam se contulit, quæ urbs aptius sibi visa domicilium, ubi & sacris occupari ministeriis, & studiis animum intendere quiete ac libere posset. Et Romæ quidem libros edidit latina lingua non inconcinnos, quibus de patriæ rebus diligenter, utpote testis ipse, est elocutus. Nam obsidionis primum Scodrensis urbisque sub Turcarum tyrannidem casus an. 1477. historiam composuit, tum vitam & res gestas Scanderbegii Epirotarum principis; quæ eruditorum hominum laudes promerita sunt, & adhuc voluptate capiunt, dum leguntur, quippe addiscendæ eorum temporum ac locorum notitiæ plurimum utilia. Idem scripsit *Compendium vitarum Summorum Pontificum, & Imperatorum Romanorum*, quod ad Marcellum usque II. ab alio Scriptore productum editumque fuit an. 1555.; ejusque nomine vulgatæ, *Conciones variæ a Mahumethe Turcarum principe, ab aliis militiæ præfectis artificiose* compositæ, libris de obsidione Scodrensi adnectuntur in prima Veneta editione anni 1504. Quo autem anno e vita excesserit, quoque in loco sepultura donatus sit, nulli est compertum.

Marino Barletio aliquanto tempore inferior, sed humanioribus literis, latini sermonis elegantia ac nitore, dicendi vi & copia, multa eruditione, ingenii vero subtilitate ac æstu longe superior alter Marinus Becichemus patriæ decus summopere auxit. E Marino patre & Blanca Pagnana Mediolanensi Scodræ ortus est an. 1468., ac in secunda urbis obsidione Olcinium abductus adhuc puer, inde Brixiam in Italiam venit cum Paulo & Balzarino Pagnanis avunculis, qui Marinum latina lingua & eloquentia instituendum curarunt a Christophoro Barzizio, & Joanne Calphurnio magnæ celebritatis magistris. Olcinium cum rediisset, Catharinam Dabro lectissimam virginem sibi uxorem junxit; nec multo post a Ragusinis ad regendas in ea urbe scholas S. C. invitatus est, quo in munere summa cum laude annos fere decem insumpsit. Quare Melchior Trivisanus Venetæ classis imperator Marini fama in ejus amorem ac desiderium exarsit, egitque cum Senatu Ragusino, ut sibi liceret Venetias illum deducere. Hic in eorum ordinem adscitus, qui sunt reipublicæ a secretis, binas legationes, alteram ad Neapolis, alteram ad Galliæ regem laudabiliter obiit. Tum Venetæ civitatis munere a Leonardo Lauredano Duce accepto, Patavium recessit, ac privatum ludum selectis adolescentibus aperuit; unde ejus ingenii & doctrinæ existimatio adeo sese diffudit, ut plures Italiæ urbes Marinum studiorum moderatorem, ac liberalium disciplinarum magistrum certatim concupierint. Valuit tamen apud illum Brixiensium invitatio, atque in ea urbe annos fere sexdecim literas humaniores docuit, & pleraque scripsit, perfecitque suorum operum, quæ partam sibi eloquentissimi viri famam comprobavere. Anno 1519. Patavium reverti a Senatu jussus est, ut in publico Gymnasio oratoriam artem traderet; dumque hoc munere perfungebatur frequentissimo discipulorum auditorumque concursu, ante annum 1526. diem obiit supremum. Vir sua ætate scientiis omnibus doctissimus claruit etiam literatorum hominum amicitiis, præsertim e Venetis Hieronymi Donati, Marci Danduli, Antonii Condulmerii, Georgii Emi, Ludovici Naugerii, Bernardi Superantii; nec minor illi e discipulis gloria, qui propius præceptorem imitati sunt, cujusmodi exstitere præ cæteris Victor Capellus, Joannes Ludovicus Naugerius, Marcus Antonius Contarenus, Philippus Donatus, Augustinus Beatianus. Inerat in homine tanta dicendi facultas, ut, queis vellet, affectibus animos commoveret; nam cum in Cœnobio S. Stephani pro se Venetiis in maximo virorum conventu perorasset adversus Raphaelem Regium, quem habebat studiorum suorum maledicum obtrectatorem, vehemens concitata est omnium indignatio in Regium, qui præsens fuit, & insigni dedecore oppressus sese e conspectu subduxit. Patavii vero, dum Joannis Calphurnii præceptoris sui funebrem laudationem recitaret coram Antistite Petro Baroccio, & urbis Rectoribus, ac co-

Digitized by Google

copiosa populi multitudine, nemo fuit, quin doloris signa ediderit; ipseque Baroccius lacrymas cohibere non potuit. Plurimæ feruntur in vulgus ejus orationes sane luculentæ, & ornatæ, de celeberrimis per ea tempora aut dignitate, aut doctrina viris, & ad Venetorum Duces, Antonium Grimanum, Andream Grittum, Augustinum Barbadicum, & Leonardum Lauretanum. Latinos Scriptores veteres accuratis atque eruditis animadversionibus plurimum illustravit, ediditque de nonnullis scribendi generibus præcepta instituendæ juventuti aptissima; nullæ fuere humanitatis artes, quibus non excelluerit, ac doctorum testimonio in iis tractandis, seu exercendis tradendisve facile omnium princeps habitus fuerit. Ejus opera, vel suo, vel amicorum studio Brixiæ & Venetiis vulgata hactenus pretium laudis servant, quod primo promeruerunt; & in iis habent profecto Scodrenses, quo in miserrima servitute de tanto cive ingenio, ac liberalibus doctrinis illustri, sibimetipsis plaudant atque glorientur.

NICOLAUS EPISC. SCODRENSIS XXII.

Nicolaus Episc. Scodrensis an. 1492.

Quem anno 1492., decimo fere post Scodram antissam, Innocentius VIII. hujus Ecclesiæ Episcopum nominavit; 1492. 19. *Martii Titularis Ecclesiæ Senaren. in partibus Infidelium providetur de Nicolao Lupo per obitum Francisci*; ex Prov. S. C. p. 36. Circa hujus sæculi finem aliqua spes affulsit Scodræ recuperandæ; etenim quidam F. Bernardinus e Franciscana familia Scodrensis, qui tum Cœnobio S. Mariæ sui Ordinis Alexii præerat, per litteras an. 1499. die 4. Junii monuit Senatum Venetum, a Scanderbego Georgii filio & Ducaginis exercitum comparari, quo, munita Alexio, Scodram Crojamque aggrederentur; ut scribit Marinus Sanutus in annal. mss. sed spem fefellit ducum sive dissensio, seu metus, & de copiarum paucitate diffidentia, quæ pares non essent hostium vi superandæ.

NICOLAUS II. EP. SCODRENSIS XXIII.

Nicolaus II. Episc. Scodren. anno 1495.

E familia Gravina, & juris canonici scientia illustris, erat Scodrensis Episcopus anno 1495., cumque suam Ecclesiam adire non posset Turcarum tyrannide oppressam, in Italia, & in Veneta præsertim ditione constitit, suam operam pro dignitate in aliorum Episcoporum levamen & adjumentum impendens. Nam eo anno vices gerebat Baptistæ Zeni Cardinalis & Episcopi Vicetini; ejusque *Locumtenentis* nomine Ecclesiam & in ea principem aram consecravit titulo S. Petri Apostoli in oppido Arcejani diœcesis Vicetinæ, uti præfert inscriptio, quam edidit vir eruditissimus Joannes Thomas Facciolius Ord. Prædic. part. 3. Musei Lapidar. Vicetini pag. 15.

D. O. M. XVII. Mensis Sept. MCCCCXCV. R. D. Nicolaus de Gravina Decr. Doctor E. per Scordensis, corrige *Scodrensis*, *Rmi. D. D. Baptistæ Zeni Episc. Tusc. Card. B. M. in Portu, & Episc. Vicent. Locumtenens consecravit Ecclesiam hanc, & Altare hoc majus in hon. Dei, & nomen S. Petri Apostoli.*

Eodem nomine anno 1496. eademque in diœcesi XIV. Kal. Augusti Petro Eremitæ Montis Summani in Vicetina diœcesi concessit, ut e piorum hominum ope stipem quæreret, & quæ ad exstruendam ibidem Ecclesiam Deiparæ sacram necessaria forent, per diœcesim corrogaret; idque ejusdem litteræ testantur in tomo 2. monum. histor. Congreg. B. Petri de Pisis pag. 536. Initio sæculi XVI. munere Vicarii generalis perfunctus est penes Episcopum Cenetensem, cujus & adjutor, seu *Suffraganeus*, exstitit in episcopali officio; hisce nominibus appellatur in Diario ms. Joannis Baptistæ Alexandri Cardinalis, qui hæc de se sua manu scripsit: *Pro Domino Jo. Bapt. Alexandro Mutensi Clerico Cenet. diœc. qui 1505. die 21. Maji habuit primam tonsuram a R. D. Nic. Ep. Scodren. Suffraganeo R. D. Fr. Brevit.... Ep. Cenet. & ejus Vic. Gener.*

Ep. Scodrensis vocabatur Nicolaus de Gravina Decretorum Doctor.

Post biennium ad Bernardum de Rubeis Antistitem Tarvisinum se contulit, ut easdem in ejus diœcesi functiones exerceret; id ex monumentis Tarvisinis affirmat P. Affò tomo 3. Biblioth. Parmensis, & anno 1507. Ecclesiam Zenighi, quæ parœcia est campestris, ritu solemni consecravit, teste ad altare majus lapide his verbis inscripto.

M. D. VII.

Indict. X. Die Jovis XXV. Martii Ecclesia hæc consecrata fuit in honorem Dedicationis Basilicæ Salvatoris a Revmo D. Nicolao de Gravina Ep. Scodrensi Suffraganeo & Vic. Gen. Ep. Tarvisini.

In sacrario vero hoc legitur monumentum in appensa tabula exaratum;

M. D. VII.

Ego Nicolaus de Gravina Decret. Doctor. Dei & Apost. Sedis gratia Ep. Scodrensis Revmi D. Bernardi de Rubeis eadem gratia Ep. Tarvisini & Comitis Bercetti Suffraganeus & Vic. in Spiritualibus Generalis consecravi Ecclesiam hanc, & Altare hoc in honorem Dedicationis Basilicæ Salvatoris, & Reliquias Sanctorum Juliani & Clementis Martyrum, & Barbaræ Virginis & Martyris in eo inclusi, singulis Kristi Fidelibus omni Anniversario Consecrationis hujusmodi ipsam Ecclesiam visitantibus XL. dies de vera Indulgentia in forma Eccl. consueta concedens.

Franc. Novellus Nod. Ep. Tarvisini M.

De reliquis Nicolai gestis nihil habeo quod proferam; anno certe 1511. vel vitam, vel Episcopatum jam dimiserat.

JA-

Digitized by Google

JACOBUS EPISC. SCODRENSIS XXIV.

Jacobus Episc. Scodren. anno 1511.

Jacobus Humanus anno 1511. titulum & administrationem Ecclesiæ Scodrensis suscepit, de quo eodem anno in *Rat. Cam. Rom.* tomo 762. p. 25. dicitur; 2. *Aprilis Jacobus Electus Scutren. solvit pro balista dictæ Eccl. ducatos decem*. Natus est Neti, quod oppidum est frequens ac nobile diœcesis Syracusanæ, & disciplinis omnibus apprime cultus prudentia maxime, & comitate excelluit. Ante vero adeptam episcopalem dignitatem Abbas S. Spiritus Calataniseætæ in diœcesi Agrigentina nominatus fuit ab hujus Sacerdotii patrono an. 1493.; illiusque possessionem literis Alexandri VI. adivit; quod confirmant tabulæ Romanæ; *An.* 1511. 17. *Jun. Jacobus Electus Scutaren. solvit ducatos 10. pro communi servitio Monasterii S. Spiritus..... Ord. S. August. Agrigentinæ diœces.* ex laudato Rat. p. 34. & in Monasterii ejusdem Ecclesia testis suæ munificentiæ exstat calix argenteus affabre elaboratus cum hac epigraphe, *Jacobus Humana*. Hæc Amicus in additam. ad Sicil. Sacr. Rocchi Pirri tomo 2. p. 1327. & Mongitorius in Bibl. Sic. tomo 1. p. 299.; uterque tamen graviter errat, cum dicit Jacobum *Episcopum Scutarensem in Chalcedonia*; est quidem Chalcedonia nobilissimæ urbis nomen, non vero provinciæ; hæc autem a proximo sibi Chrysopolis promontorio, quod *Scutar* appellatur, eodem cognomine a nonnullis vocata est, teste Ferrario in Lexico Geogr. Cæterum Chrysopolis episcopalem nunquam dignitatem obtinuit; & Chalcedonia urbs est Archiepiscopalis, cujus titulares Antistites minime *Scutarenses*, sed *Archiepiscopi Chalcedonenses* semper in Romanis tabulis nominantur; hinc recte Henschenius in actis B. Conradi, de quibus inferius, Episcopatum Jacobi Scodræ constituit.

Ejus acta.

Post susceptam Ecclesiæ Scodrensis curam Jacobus nunquam adiisse videtur; sed in Sicilia cum constitisset, duobus Syracusanis Episcopis vicariam operam navavit; nam Dalmatius, cujus Vicarius ab Amico Jacobus dicitur, Januario mense anni 1511. jam obierat, ante quam is episcopali honore donaretur, & hunc Pirrus inter Dalmatii Vicarios omnino silentio præterit. Primus igitur Guillelmus Raimundus Centelles, vix Syracusanæ Ecclesiæ præpositus fuit, cum absens in Hispania degeret, eam Jacobo Vicarii generalis munere gubernandam commisit. Quo tempore Netum advenit anno 1513., & Kal. Martiis, inquit Pirrus in Episc. Syracus., *templum S. Claræ consecravit, rem urgente Antonio Caruso Ispicensi Barone, & illius monasterii Abbatissa sororis Albiræ pave*. Cum Leo X. rogatus a civibus Neri mandasset Episcopo Syracusano, vel ejus Vicario generali, ut alterius de vita, gestisque rebus Conradi Eremitæ Netini ex tertio Ordine S. Francisci, tum de cultu eidem hactenus adhibito, habitis ex juris formula quæstionibus, & factorum veritate in omnibus, quæ ad eximias illius virtutes & patrata supra vires naturæ divinitus opera spectarent, comperta atque probata, potestatem faceret oppidanis illis, & quibuscumque Christi cultoribus deferendi B. Conrado publicos solemnesque Divorum honores & cultus; munus utrumque Jacobo contigit, qui mandatis pontificiis diligentissime satisfecit, idque suis literis testificatus est, quas ex Waddingo & Raynaldo in tomo III. & in diem Februarii decimam nonam ab Henschenio relatas hic exscribimus.

Cultum B. Conradi instituit Neti.

„ Jacobus Humanus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scutarensis, Abbas S. „ Spiritus prope Calathanizettam, Guilliel„ mi Raimundi Episcopi Syracusani Vicarius „ generalis &c. Volentes mandatis apostoli„ cis, prout tenemur, humiliter obedire &c." Postquam verò summatim exposuit, quæ de vita, sanctitate, miraculis ex plurimis idoneis & juratis testibus explorata evidenter habuerat, „ Hæc omnia, inquit, agnoscentes „ noluimus in hac re diutius immorari; vo„ luimus tandem veritati eique manifestissi„ mæ &c. Cognovimus, vidimus, & ipsa ex„ perientia perspeximus vitæ sanctimoniam, „ virtutem & prærogativam tanti viri. Un„ de mandata apostolica prosequi volentes, „ ac non minus voluimus, quæ debemus, ci„ ves, incolas, & habitatores hujus ingenio„ sæ civitatis Neti in majori Ecclesia S. Ni„ colai congregatos, ac eorum singulos utri„ usque sexus, qui sine auctoritate Sedis A„ postolicæ Corpus ejusdem Conradi, licet „ Beati, venerantes in censuras ecclesiasti„ cas incidissent, ab omnibus hujusmodi ex„ cessibus auctoritate apostolica, qua in hac „ parte fungimur, in forma Ecclesiæ consue„ ta absolvimus.

„ Exinde cum Clero & populo processio„ naliter ad Capsam, in qua Corpus ipsius „ Conradi supra centesimum & sexagesimum „ annum repositum fuerat, accedentes, Cap„ sam ipsam aperiri jussimus; qua reserata, „ tanta odoris fragrantia per totum templum „ illud diffusa est, ut omnium aromatum o„ doramenta ibi recondita viderentur. Vidi„ mus & manibus nostris contrectavimus ca„ put & brachium unum duntaxat a corpore „ separatum (quod quidem brachium theca „ argentea coopertum in ejus honorem popu„ lo ostendi religiose consueverat), reliquum „ vero Corpus cum cæteris membris suis in„ tegris ad invicem cohærentibus & annexis „ carne vestitum a die depositionis & obi„ tus ipsius Conradi supra centesimum & se„ xagesimum annum, ut superius dictum „ est. Has itaque beatas reliquias in Capsa „ iterum reconditas cum Clero & omni po„ pulo processionaliter efferri jussimus, & „ honorifice conduci ad templum Sanctissimi „ Crucifixi, ubi Salvator noster Jesus Chri„ stus miracula evidentissime ostendere di„ gnatus est. Nam nonnulli, qui fracturas & „ viscerum dissolutiones in inguine patiē-

„ ban-

Digitized by Google

„ bantur, sub Capsa Reliquiarum devote o-
„ rantes statim sanitatum beneficia recepe-
„ runt.

„ Nos itaque apostolica auctoritate, qua
„ in hac parte fungimur, tam ipsis habitato-
„ ribus prælibatæ civitatis Neti, quam omni-
„ bus quibuscumque Fidelibus utriusque se-
„ xus, ut eundem B. Conradum prout cæ-
„ teros Beatos Confessores nondum canoni-
„ zatos, venerari, illiusque festum diem XIX.
„ mensis Februarii, in quo die hinc migra-
„ vit ad Dominum, per nos deputatum ce-
„ lebrare, & omnia & singula alia in præ-
„ missis & circa præmissa necessaria, seu
„ quomodolibet opportuna facere libere &
„ licite possint & valeant, licentiam & fa-
„ cultatem perpetuo concessimus, ac etiam,
„ quod dictum B. Conradum efferri, & pro-
„ cessionaliter per civitatem ipsam Neti con-
„ duci possit quandocumque & quotiescum-
„ que necessarium seu opportunum Vicario
„ cum Clero, & Magistratui cum populo
„ civitatis ipsius pro tempore videbitur.
„ Non obstantibus &c. Datum in civitate
„ ingeniosa Neti 28. die mensis Augusti 3.
„ Indict. 1515.

Anno post e vivis excessit Panormi Guillelmus Episcopus Syracusanus, dum ad suam Ecclesiam capessendam proficisceretur redux ex Hispania; cui eodem anno suffectus est Petrus Urries. Hic vero *possessionem Præsulatus Syracusani adeptus*, inquit Pirrus, *die 6. Februarii* anni 1517. *post Syracusis recedens Vicarium constituit Jacobum Humanam Netinum Episcopum Scutarensem, qui diœcesim lustrans obiit Calatabieroni die* 10. *Augusti* anni ejusdem; idque confirmant Amicus & Mongitorius in locis laudatis. Scripsit Jacobus miracula S. Conradi; quod opus a Mongitorio memoratur in Biblioth. Sicula, & ab Octavio Cajetano tum in tomo 2. Sanct. Sicul. pag. 249. tum in animadversionibus pag. 86. num. 16.

PETRUS III. EPISC. SCODRENSIS XXV.

Petrus III. Episc. Scodren. anno 1518.

De quo in Actis Consistor. 26. *Februarii* 1518. *Provisum Petro de Cardona de Ecclesia Scutarensi in Albania provincia Illyrici sub Metropoli Antibaren., & quod teneatur accedere, & personaliter residere in Ecclesia sua Scutarensi. Reddit. flor.* 1. *taxa flor.* 66. & in Indice recentiore Taxarum; *Scutaren. seu Scodren. in Albania Prov. Antibar. sub Turcis die* 17. *Apr.* 1519. *fuit taxata de mandato SSmi. flor.* 66. *Sergii & Bacchi*, monasterium, *O. S. Bened. flor.* 66. Ex his intelligi potest, etiam post Scodram sub potestatem Turcarum redactam aliquid loci ad commorandum aut clam, aut precario in urbe vel diœcesi Episcopo relictum fuisse, ad quam accedere & in qua residere jubetur, itemque fundos aliquos mensæ episcopalis manus & rapacitatem Turcarum subterfugisse, ex quibus proventus annuos, licet admodum exiguos, Episcopus percipere posset.

HIERONYMUS EPISCOPUS SCODRENSIS XXVI.

Hieronymus Episc. Scodren. anno 1522.

Ex Ordine Franciscano, ut est in Viridario Seraph. Hunc Adrianus VI. Episcopum Ecclesiæ Scodrensi præposuit; eique commorationem in urbe vel diœcesi imperavit; 3. *Octobris* 1522, *providit Ecclesiæ Scutarensi in Dalmatia de persona Hieronymi de Carpo, & quod teneatur facere residentiam. Reddit. flor.* 300., ex Actis Consist. Post biennium jussus fuit migrare ad regendam Ecclesiam Guardiensem sub Archiepiscopo Beneventano. Hunc anonymum dicit Ughellius tomo 8. Ital. Sacr., nulla Scodrensis Episcopatus facta mentione.

ANTONIUS II. EPISCOPUS SCODRENSIS XXVII.

Antonius Episc. Scodrensis an. 1524.

E nobilissima inter Ferrarienses familia Beccaria, sive *de Beccariis*, qui tamen & *Bechari* & *de Baccbariis* cognominatur. In patria ad Sodalitatem Dominicanam aggregatus cum esset, ita doctrinam cum pietate conjunxit, ut totum se religioni, sacrarumque disciplinarum studiis dediderit; *Ut Musei, sic solitudinis amans*, inquit Echardus tomo 2. de Script. sui Ord. pag. 120., *semper aliquid magni ponderans & animo proponens, quo S. Thomam triumphantem aliqua nova inventione ornaret*. Hinc ante annum 1516. septemdecim jam volumina in lucem ediderat, quorum pars commentaria in nonnullos e divinis libris & in Summam D. Thomæ complectitur, pars de philosophicis rebus agit; reliqui vero ad morum doctrinam spectant, ad Christianæ vitæ perfectionem, aut homilias continent & sacras conciones. Hosce libros enumerat Echardus singillatim; ipsius tamen, seu potius Leandri Alberti, cujus testimonio innititur, diligentiam effugiit Codex ejusdem Antonii manu descriptus hac temporis nota 3. *Non. Maii* 1531. dicatusque Ludovico Clericato Archiepiscopo Antibarensi. Latebat liber in Cœnobio Montisgaldæ Patrum Tertii Ord. S. Francisci, teste Francisco Barbarano lib. 6. Hist. Eccl. Vicet. pag. 164., qui libri argumentum silentio præterit; huic vero adjectus est ipsius Antonii, *De communi Sacramentorum, & traditionis Christianorum institutione adversus quasdam Lutherana figmenta tractatus*, inscriptus Clementi VII. Pontifici; tum tractatus alter, *de Primatu Summi Pontificis & Romanæ Ecclesiæ*; quam notitiam debeo erudito viro P. Thomæ Facciolio Ord. Præd. de re litteraria Vicetina optime merito.

Eximiis itaque virtutibus, & excellenti doctrina instructus Antonius munus Inquisitoris in hæreticos Ferrariæ gessit, atque sui Ordinis Cœnobio ibidem præfuit an. 1515., ac demum aliis officiis Procuratoris & Vicarii generalis egregie functum Clemens VII. Episcopum Scodrensibus dedit x. Kal. Oct. an. 1524. *Providit*, Clemens, *Ecclesiæ Scu-*

Digitized by Google

sorensi per translationem Episcopi Scutarin, ad Eccl. Gardien. de persona F. Antonii Ferrariensis Ord. Prædic. ita in Actis Consist., & ex iisdem Fontana in Theatro Dominic, qui eum Antoninum appellat, Post mensem vix elapsum idem Pontifex indulsit Antonio, *ne teneatur ad suam Eccl. accedere, quæ est in ditione Turcarum, & ut valeat exercere Pontificalia in civit. Veron.* ex tomo 3. Brev. an. 1524. 27. Oct. num. 485. tum *ut possis deputare in Eccl. sua Vicarios Fratres Ord. Præd,* tomo 10. an. 1525. 24. Jan. num. 22. Veronæ cum constitisset, Matthæo Giberto illius civitatis æque doctissimo ac sanctissimo Antistiti Episcopi adjutoris operam navavit; cujus mandato Ædem suburbanam sacrarum Virginum S. Martini XVII. Kal. Majas an. 1526. cum consecrasse testatur inscriptio tabulæ marmoreæ supra januam ejusdem templi intrinsecus incisa.

adjutor Ep. Veronensis,

HANC ECCLESIAM
VETERI EX TEMPLO
REPARATAM
D. MARTINO PATRONO
DIE 5. MARTII 1323.
MATRES
P.
ANTONIVS VERO BECHARI
SCODRENSIS EPISCOPUS
DIE 15. APRILIS 1526.
C.

Præterea in archivo earumdem Virginum hæ tabulæ asservantur,

YHS

Notum sit omnibus præsentem paginam inspecturis, quod anno a nativitate Dom. millesimo quingentesimo vigesimo sexto Indictione quartadecima die quintodecimo mensis Aprilis in Dominico die Rev. in Christo Pater Dom. Antonius de Becharis Episcopus Scutarensis, & pro Rev. in Christo Patre Dom. Matheo Giberto Episcopo Veronensi Suffraganeus consecravit hanc Ecclesiam & hoc Altare in honorem S. Martini Episcopi & Confessoris, & imposuit in dicto Altari de Reliquiis suprascripti S. Martini & S. Bartholomei Apostoli & S. Zenonis Episcopi & Confessoris & aliorum &c. Et suprascriptus Dom. Episcopus concessit cuilibet devoto visitanti suprascriptam Ecclesiam in die Consecrationis ejusdem indulgentiam quadraginta dierum perpetuis temporibus duraturam, & in ipso die Consecrationis unum annum in forma Ecclesiæ consueta.

Presbyter Franciscus Albertinus in Ecclesia Cathedrali Capellanus mandato.

Eodem anno, & VI. Kal. Majas Callistus de Amadeis Vicarius generalis Episcopi Giberti, cum ad componendam monasticam disciplinam sacras Virgines inviseret, quæ partim ex suburbano Monasterio S. Mariæ de Gratia, partim ex Monasterio S. Mariæ de Angelis Quinctiani in pago diœcesis Veronensis in unam domum seu Monasterium S. Benedicti prope Campum Martium Veronæ convenerant, socium præ aliis sibi adjunxit Antonium Episcopum Scodrensem; ut ex tabulis patet in Monasterio S. Mariæ ad Campum Martium asservatis.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis Dominicæ Millesimo quingentesimo vigesimo sexto, Indictione XIII., die Jovis mane vigesimo sexto mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Clementis divina providentia Papæ VII. Anno tertio.

Reverendus Pater Dominus Calistus de Amadeis Protbonotarius Apostolicus, ac Reverendissimi in Christo Patris Domini Joannis Matbei Giberti Sanctissimi Domini nostri Datarii & Episcopi Veronensis Vicarius generalis, una cum Reverendis Patribus Dominis Antonio de Beccariis Episcopo Scutarensi Suffraganeo, & Baptista Galletto Archipresbytero Pisano &c. se contulerunt primo ad Monasterium sive Domum S. Benedicti positam prope Campum Martium &c.

Postridie vero adfuit Antonius ad aliud invisendum Monasterium S. Mariæ ab Angelis de Villa, seu domum Virginum, quæ inde in urbem sese receperant; de quibus vide Joannem Baptistam Biancolinum in Notit. hist. Eccles. Veron. lib. 4. pag. 365. & 698. tum lib. 6. pag. 169.

et Vicarius Archiepisc. Hydruntini.

Quamdiu Veronæ commoratus fuerit, ne levis quidem est conjectura. Anno 1539. versabatur Hydrunti Vicarium agens generalem Petri Antonii de Capua Archiepiscopi Hydruntini, ejusque mandato quæstionem habuit de Martyribus Hydruntinis an. 1480. ab Acmeto immanissimo Turcarum præfecto in ea urbe ob Christi religionem interfectis; quod narrat Franciscus Ambrosii in Specim. hist. de Hydrunto a Turcis capta pag. 147. & acta quæstionum leguntur in Summ. hujus causæ de cultu Martyr. Hydrunt. edito an. 1771. Ad annum postea 1543. Episcopatum & vitam produxit, quo, auctore Echardo, Anconæ decessit, sepultusque est in Ecclesia S. Dominici. Monet autem idem Echardus, Andream Rovettam in sua Biblioth. duos ejusdem nominis ac familiæ viros perperam distinxisse, alterum qui an. 1527., alterum qui obierit an. 1543., cum unus omnino sit Antonius hic Scodrensis Antistes. Sed & Echardus aliorum certe testimonio deceptus est; quippe inter eos, qui de Antonio scripsere, enumerat Cæsarem Engenium in parte 1. Neap. Sacr. pag. 282. hoc enim in loco de Hippolyto Maria Beccaria Pedemontano, ac totius Ord. Præd. summo moderatore inest mentio. Hic vero integrum Antonii operum catalogum adtexere non omnino inutile existimamus.

Hydruntini.

Ejus obitus, & opera.

Glossemata super Psalmos secundum quatuor sensus tam latino quam vernaculo sermone.

Ex-

Digitized by Google

Expositio per modum lectionum super Job.

Quinquaginta Homiliæ elegantissimo stylo super epistolas canonicas Petri.

Quadraginta item Homiliæ altiori stylo super *Beati immaculati*.

Commentaria in primam partem S. Thomæ bifariam divisa in primam partem primæ, & secundam partem ejusdem.

Commentaria super metaphysicam, physicam, libros de anima, posteriorum, perihermenias, prædicamentorum, de cœlo & mundo, prædicabilia Porphyrii, in logicen, & edita logica, in sphæram.

Quodlibeta quædam, in quibus nonnullæ quæstiones difficillimæ physicales, metaphysicalesque prolixiores continentur, scilicet de subjecto metaphysico, de analogia entis, de maximo & minimo &c. Item prolixa materia de intentionibus.

Nonnulla Consilia ad diversas materias pertinentia.

Declarationes quorumdam casuum conscientiæ, & multa alia.

Item quoddam opus per modum lectionum & quæstionum, in quo prolixe materies *Defecerunt* Archiepiscopi S. Antonini declarat.

Interrogatorium prolixum pro introductione Inquisitorum hæreticæ pravitatis.

Pulcherrimus Tractatus tam latino quam materno sermone de Corpore Christi.

Duo Quadragesimalia pro Prædicatoribus, unum videlicet de legibus, & nonnulli sermones tam de Tempore, quam de Sanctis.

Triginta Homiliæ de B. Virgine, qui liber *Mariale* appellatur.

Quadraginta Orationes emunctæ & tersæ pro diversis materiis.

Quidam libellus, qui *Scala spiritualis profectus* nuncupatur, pro simplicibus personis vernaculo sermone editus.

Tractatus, an in Adam vel in Abel ecclesia incœperit.

Ab obitu Antonii duo ac triginta fere anni intercessere ante novi Episcopi creationem; quo tempore crebris bellorum motibus Epirus agitata fuit; cum vero Turcæ adversus Venetos acrius arma iterum sumpsissent, & Cyprum insulam validissime oppugnarent, idem belli ignis in Epiro exarsit, ac vario marte utrinque pugnatum est. Anno autem 1570. in spem Scodræ recuperandæ venere Veneti, quæ tamen irrito conatu elusa est; rem narrat Andreas Mauroceus lib. 9. hist. Ven. hisce verbis: *Alexander Donatus Antibaris Prætor subsidia ab Senatu urgebat, magna spe Scodræ civitatis potiundæ subnixus, in qua nonnullorum sibi conciliatis atque in defectionem proclinatis animis haud difficile occupare urbem posse sibi persuaserat; licet Bernardus Contarenus Ascrivii Prætor, cui ea cura quoque delata fuerat, ignorare rescriberet, quo consilio ac viribus Scodræ oppugnationem moliri Donatus vellet, quæ situ & arte munita nisi magnis copiis ac bellico apparatu invadi posset. Verum cum Aulonæ Præfectus militum manu septus Scodram venisset, incolas omnes ingenti metu perterritos a rebus novandis avertit, atque in aliud tempus negotium Donatus distulit.*

THEODORUS EPISCOPUS SCODRENSIS XXVIII.

Theodorus Episc. Scodren. anno 1575.

Erat Presbyter & Canonicus Olciniensis, eumdemque titulum retinebat post Olcinium ante quadriennium a Turcis captum, & clericos atque Canonicos exsulare coactos. Gregorius XIII. ei hanc Ecclesiam decrevit post triginta eoque amplius annorum episcopale interregnum, cum Albaniæ regio gravissimis quassata bellorum turbis nullum in re Christiana habere posset adjumentum nec solatium; simulque administratio Ecclesiæ Alexiensis Theodoro commendata fuit, cujus Episcopus in captivitatem Turcarum inciderat; jusque præterea eidem donatum post hujus obitum succedendi in Episcopatum Alexiensem. De hisce ad sacrum Cardinalium Collegium referre ad hunc modum statuit Cardinalis Alciatus.

„ Proponetur per me Franciscum Cardin. „ Alciatum in proximo Consistorio Eccle„ sia Scodrensis in partibus infidelium, va„ cans jamdiu per obitum N. de Beccariis „ Ferrariensis olim ejus Episcopi pro perso„ na R. D. Theodori Calompsi Canonici „ Dulcinensis, qui deinde constituatur ad„ ministrator Ecclesiæ Alexiensis, cujus E„ piscopus Joannes Crassinga nunc est apud „ Turcas captivus.

„ In regno Albaniæ est Civitas Alexien„ sis, quæ plena est Christiano populo, & „ in ea est Ecclesia Cathedralis sub invoca„ tione S. Nicolai, quæ fuit superioribus „ annis combusta, sola remanente Sacristia, „ in qua celebratur, & per Episcopum cura „ animarum exerceri potest & solet.

„ Est suffraganea Archiepiscopi Antiba„ rensis.

„ Fructus Ecclesiæ ascendunt ad 30. au„ reos annuos, & Episcopus exigit a quali„ libet familia illius civitatis singulis annis „ certam pecuniam, quæ sufficit honestæ su„ stentationi suæ, & reperiuntur taxati in „ libris Cameræ.

„ Præfatus R. D. Theodorus, ut ex pro„ cessu coram me facto, & ab Illustrissimis „ Dominis meis primoribus Ordinum subscri„ pto constat, est de legitimo matrimonio „ natus annorum 40. Presbyter sufficientis li„ teraturæ, & per aliquot annos egit Vicarium „ Archiepiscopi Antibarensis in regno Serviæ.

„ Emisit professionem fidei juxta formam „ præscriptam in manibus meis.

„ Suppliciter pro expeditione, & gratis.

Annuit Pontifex, & 1575. 26. *Octobris providit Ecclesiæ Scutarensi in partibus infidelium existenti, jampridem vacanti, de persona R. D. Theodori Calompsi Presb. & Canonici Dulcinen. eumque deputavit Administratorem & Coadjutorem, cum futura successione, in Eccl. Alexiensi in Albania, cujus Episcopus Joannes Crassinga nunc est in captivitate Turcarum, & cum decreto, quod faciat*

fructus suos. Annos ipse fere quinque sedulam ac laboriosam utrique Ecclesiæ operam navavit, vita functus an circ. 1578. Biennio post 20. *Februarii Marino Episcopo Alessiensi administratio Eccl. Scutaren. per biennium* commissa fuit. Brev. an. 1580. tom. I. p. 211.

PAULLUS EPISC. SCODRENSIS XXIX.

Paullus Ep. Scodrensis an. 1582.

Civis Jadertinus, alumnus cultorque eximius disciplinæ Dominicanæ, idemque Sacræ Theologiæ magister, quem Gregorius XIII. Episcopum præfecit Christianis illis, qui sane plurimi erant tum in suburbio, tum in diœcesi Scodrensi, ne præsidio ac solatio pastoris destituti a recta in Deum fide, pieque vivendi ratione desciscerent: *Anno* 1582. 5. *Martii providit Ecclesiæ Scutarensi in Albania sub Turca, in cujus suburbio & diœcesi plurimi sunt Christifideles, per obitum Theodori Episcopi, ac etiam deinde per cessationem commendæ Episcopi Alexiensis vacanti, de persona F. Pauli Jadren. Ord. Prædic. in Sacra Theologia Magistri;* Act. Consist. Post Paullum anno 1585. exstinctum Ecclesia Scodrensis annos ipsos quinque Episcopo caruit.

DUCAS EPISC. SCODRENSIS XXX.

Ducas Ep. Scodrensis an. 1590.

Scodræ nobili genere ortus, cognomento Armanus, alumnus Collegii Illyrici Lauretani, Presbyter Scodrensis, & Parochi munere egregie functus; de quo Card. Santorius 15. Julii an. 1590. itemque de statu Ecclesiæ Scodrensis hæc retulit in Cardinalium Consilio,

„ Vacante a quinque annis jam elapsis Ecclesia Scodrensi in partibus infidelium per obitum bonæ memoriæ Pauli ultimi illius Episcopi, Sanctitas vestra, ne ex diuturna vacatione amplius & gravius dispendium patiatur, designavit illi præficere in Episcopum & pastorem R. D. Ducam Armanum Presbyterum Scodrensis diœcesis, ac mihi mandavit, ut processum desuper conficerem, atque in hoc sacro loco referrem.

„ Ex eo autem a me confecto, & a Reverendiss. Dominis Cardinalibus Capitibus ordinum probato atque subscripto constat quod

„ Scodra civitas est in Provincia Albaniæ in vertice montis sita, a Turcis, qui eam jamdiu vi, armis, & gravi obsidione expugnarunt, & occuparunt, tantum inhabitata, Ecclesiis omnibus in ea existentibus sacrilege violatis & profanatis.

„ In ea est Cathedralis Ecclesia sub invocatione S. Stephani Protomartyris, quæ quoniam Turcarum impietate eorum Moschæa effecta est, ac nulli Christiano urbem incolere permittit, quod munitissima sit, & validum præsidium ibi habeatur, Episcopus pro tempore extra eam ad radicem montis residet apud Monasterium SS. Martyrum Sergii & Bacchi Ord. S. Bened. eidem Cathedrali Ecclesiæ olim unitum, in „ cujus quidem Ecclesia nunc exercetur cura animarum per Presbyteros sæculares.

„ Sacristiam minus instructam habet præsertim pontificalibus paramentis, sed sacerdotales vestes, & altaris pallia, atque alia ornamenta ad celebrandum necessaria in ea pro loci conditione non desunt.

„ Diœcesim habet competentem, in qua sunt complures villæ a plurimis Christianis, atque ab aliquibus etiam Turcis permixtim inhabitatæ, ac in eis parochiales Ecclesiæ cum suis parochis.

„ Ipsa Ecclesia Suffraganea est Metropolitanæ Antibarensis.

„ Fructus in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiuntur ad florenos *66.* cum duobus tertiis; hodie tamen Episcopus non habet certos redditus, neque alia bona stabilia, sed quasdam quartas seu decimas frumenti, milii, aliarumque frugum, vini, lini & similium rerum; sed & ex aliis Christifidelium oblationibus & eleemosynis honeste sustentatur,

„ Prædictus D. promovendus est de legitimo matrimonio, ac nobilibus & Catholicis parentibus natus, annum agens circiter trigesimum primum, alumnus Collegii Illyrici Sanctitatis vestræ apud S. Ecclesiam Lauretanam, jam a septem annis in sacris etiam presbyteratus Ordinibus constitutus, atque in animarum cura in illis partibus versatus, quippe qui eam in parochia S. Georgii de Bogana ejusdem diœcesis exercuerit, & Vicariatum Sabojanæ & Suasii prædictæ Scodrensis diœcesis laudabiliter administraverit. Cæterum doctrina, vitæ honestate, morum probitate, atque erga animarum salutem zelo, Prælatorum, & aliorum fide dignorum testimonio commendatur, ac præditus est cæteris qualitatibus a Sacris Canonibus, & decretis Sacri Generalis Concilii Tridentini requisitis, nisi quod non est Doctor, neque Licentiatus in Sacra Theologia, neque in Jure Canonico; sed cum alioquin in sacris literis & casibus conscientiæ sit eruditus, & Verbi Dei in illis partibus fuerit prædicator, supplicatur Sanctitati vestræ, ut super hoc cum eo, attenta præsertim loci qualitate, & idonearum penuria personarum, dispensare dignetur.

„ Professionem quoque hortodoxæ fidei juxta formulam ab hac S. Sede præscriptam in manibus meis publice emisit.

„ Quare supplicatur eidem Sanctitati vestræ, ut prædictum D. Ducam eidem Ecclesiæ Scodrensi præficiat in Episcopum & pastorem, ac ei jura Cameræ Apostolicæ & Sacri Collegii, attenta ipsius promovendi & Ecclesiæ paupertate, condonet atque remittat. "

Sæculo decimosexto exeunte, vel ineunte proximo, Ducas vel morte, vel decessu voluntario hanc Sedem vacuam successori reliquit.

AN-

Digitized by Google

ANDREAS EPISC. SCODRENSIS XXXI.

Andreas Episc. Scodrensis.

Hujus Episcopatus fidem faciunt Acta Consistorialia, in quibus ejus nomen & obitus sub anno 1622. commemoratur, eique vita functo suffectus fuisse dicitur

DOMINICUS EP. SCODRENSIS XXXII.

Dominicus Episc. Scodren. anno 1622.

Theologus insignis e schola & disciplina S. Francisci, quem Andreæ in Sedem Scodrensem subrogavit Gregorius XV., ut est in Actis Consistor. *An.* 1622. 23. *Maii providit Eccl. Scutaren. in Macedonia vacanti per obitum Andreæ de persona F. Dominici Andriassii Ord. S. Francisci min. de Observantia Theologi* &c. Vocabulum Macedoniæ ex Epiro nova finitima, quæ habita fuit pars Macedoniæ, in hanc extremæ Dalmatiæ partem per errorem irrepsit. Cæterum ipsa Epirus nova, quæ posterioribus ætatibus a populis Albanis Asiaticis illuc translatis Albania dicta est, cum hac regione sibi contermina, ut Albaniæ, sic Macedoniæ communicare potuit.

Diœcesim lustrat,

Dominicus, suscepto Episcopatu, cum in hanc regionem venisset, nihil prius sibi faciendum censuit, quam ut traditam sibi diœcesim lustraret. Episcopalis peragrationis initium duxit a pago, ac monasterio & templo SS. Sergii & Bacchi; quæ loca millia passuum fere quinque ab urbe distant. Reperit familias latini nominis ac ritus omnino ad tercentas, quibus omnia, quæ sunt Episcopi, officia præstitit, riteque expiatas divinis mysteriis impertivit. Adhuc exstabat Basilica SS. Martyrum antiquo & eleganti opere constructa, foris quidem ad aspectum præclara, sed intus non solum neglecta & inculta, sed situ, sordibus, illuvie deformata, quæ potius quam templum, videbatur esse spelunca latronum. Cœnobium & templum olim e suis fundis nummos argenteos ad quindecim mille percipiebat, a quibus fere nihil reliqui fecit rapacitas Turcarum. Alios deinde ex aliis vicos peragravit; Christianos septem mille & quingentos sacro Chrismate inunxit; Schismaticos pæne ad tercentos Ecclesiæ reconciliavit; multa matrimonia, irrita cum essent, ex tradita sibi potestate rata fecit; aliquas etiam possessiones ecclesiasticas per vim aut fraudem interversas recuperavit; non pauca templa & sacella eversa & semiruta invenit, quæ reficere neque per incolarum inopiam, neque per Turcas licebat. Ædes quædam S. Mariæ integris quidem muris, sed sine januis & tecto erat; & summo parieti, cui adhærebat altare, crux ferrea visebatur infixa, quam Turcæ cum iterum ac sæpius creberrimis jaculis & igneis globis impeterent, numquam tamen dejicere potuerunt, vi divina omnes ictus retundente. In hac Æde multos Præsules & insignes viros sepultos tum epitaphia docent, tum seniores ex fama vulgari a majoribus accepta confirmant. Sed optimo Præsuli summa contentione conatuque laborandum & decertandum fuit cum quibusdam Presbyteris vagis, profugis, multiplici anathematum nota inustis, qui non solum depravatæ corruptæquæ vitæ sordidis exemplis, sed etiam doctrinarum pravitate Christianam plebem inficiebant, præsertim vero cum duobus fratribus, iisque Parochis inter se non magis consanguinitate, quam morum similitudine, & vitiorum fœditate conjunctis, quos Thomas Ursinus Archiepiscopus Antibarensis loco moverat, & sacrorum communione, omnique ecclesiastica jurisdictione interdixerat. Cum post obitum Archiepiscopi redissent, in easdem, unde expulsi fuerant, parœcias se intruserant; duas uni viro uxores permittebant; canonica impedimenta, quæ legitimis matrimoniis obstabant, pro suo arbitratu amovebant; contra Episcopos ac bene moratos Presbyteros falsis criminationibus inferendis incolas instigabant. E clericis ac Presbyteris licentioris vitæ aliquos Dominicus sua lenitate ac patientia, blandisque adhortationibus ad bonam frugem ac disciplinam revocavit; cæteros vero in malitia & pertinacia obfirmatos, implorato auxilio Turcici magistratus, e tota diœcesi ejecit. Hæc ex literis ejusdem Dominici Episcopi ad Sacram Congregationem datis anno 1624.

Ex hac episcopali apostolica peragratione æque utili ac laboriosa uberes quidem animarum fructus, sed sibi minime lætos, & magna acerbitate permixtos tulit; id quod bonis Episcopis in vinea dominica laborantibus sæpe contingere solet; hosque ajebant veteres esse proventus Episcopatus Christiani. Optimus Præsul circumventus calumniis iniquorum Presbyterorum, quos ipse loco ejecerat, & quibus digni erant, ecclesiasticis pœnis affecerat, accusatusque cum esset perduellionis apud Turcicos magistratus, urbe totoque territorio Scodrensi exsulare jussus est. Sed non ea, qua oportuerat, animi æquitate exilium tulit. Amissa Ecclesia ac diœcesi, cum vitam privatim degere, omnique potestatis ac jurisdictionis vacuam usu ei esset molestissimum, ad aliquam aliam Ecclesiam aspirare cœpit. Nulla tunc erat in illis partibus, quæ proprium non haberet pastorem; itaque animum adjecit ad Episcopatum Naroniensem, quem *Stephanensem* appellandum contendit, quique jam inde a pluribus annis, seu potius sæculis jam fuerat abolitus, ac ejus parœcias inter se sortiti Maccarensis & Tribuniensis Episcopi administrabant; Andreasius, precibus Naronensium interpositis Episcopum, quo tamdiu carebant, postulantium, a Sacra Congregatione se impetrasse ajebat, ut sibi Scodrensis cum Naroniensi Episcopatu commutaretur; jamque hujus titulum gerebat, & in parœcias antiquæ illius Ecclesiæ invaserat, invitis & repugnantibus æque Maccarensi Antistite, ac Tribuniensi. Horum propterea literæ, & querimoniæ sane graves de Dominico Andreasio cum ad Sacram Congregationem perlatæ essent, hæc controversiam hujusmodi dirimendam dedit

Et per calumnias exsulare coactus,

titulum Naroniensis Episcopi sumit;

Ab-

hinc in judicium adductus, remissa causa,

Abbati Fasaneo Archidiacono Ecclesiæ Phariensis, qui censuit utrumque Episcopum retinendum esse in possessione omnium locorum, quæ obtinebant, & restituendas utrique parœcias, quas Scodrensis occupaverat, Sacra Congregatio approbavit quidem sententiam Archidiaconi Phariensis, sed de Naroniensi seu Stephanensi Episcopatu nihil in alterutram partem statuendum putavit, ac totius rei disquisitionem in aliud tempus rejecit; Dominicum vero, qui ad suam caussam agendam Romam se transtulerat, & propter suam importunitatem duobus illis Episcopis plurimum molestiæ exhibebat, multaque rerum novandarum studio turbabat, Romæ manere, & in aliquo Fratrum Minorum cœnobio retineri jussit, atque omnia ei, quæ ad victum necessaria forent, suppeditari. *Stephanensis Episcopus Romæ retineatur, & in aliquo Conventu Fratrum Minorum de Observantia collocetur; itemque de victu pro se & Fratre Converso, quæ illi inserviant, provideatur* &c. ex Decr. Sacr. Congreg. an. 1629. De hac controversia vide quæ fusius dicta sunt Tomo IV. in Bartholomæo Episcopo Maccarensi, & Tomo VI. in Chrysostomo Episcopo Tribuniensi.

Romæ detinetur.

Episcopus Alexiensis administrat Ecclesiam Scodrensem.

Dum Dominicus in urbe detinebatur, anno 1636. administrationem diœcesis Scodrensis ab Sede Apostolica sibi commissam suscepit Benedictus Ursinus Episcopus Alexiensis, qui statim Clerum & populum in templum S. Georgii, quod locum tenebat Ædis Cathedralis, convocavit, eosque traditæ sibi procurationis admonuit, hortatusque est, ut se, dum aut pristinus illis restitueretur, aut novus daretur Episcopus, tamquam pastorem & patrem agnosceret, suis monitis ac præceptis obtemperarent, si qua re indigerent, nullum ab se illis episcopalis vigilantiæ & charitatis officium defuturum. Quod &. præstitit, cum adducta Scodrensi diœcesi in summum discrimen amittendi parœcias fere omnes ad occidentalem Bollianæ fluminis partem sitas, quas Archiepiscopus Antibarensis sibi vindicare conabatur, egit ipse adeo strenue ac fortiter, ut, periculo amoto, suæ diœcesis fines juraque omnia Scodrensis Ecclesiæ servaverit. Hæc ille in suis ad Sacram Congregationem literis de statu Ecclesiæ & diœcesis Scodrensis, quam partim montosam & alpestrem esse ait, partim æquo & plano loco ad mare usque longe lateque distendi, ab ortu Alexiensi, ab occidente Antibarensi diœcesi conjunctam. Is an. 1637. commendatam sibi SS. Sergii & Bacchi Abbatiam abdicavit, & datis litteris in jus ac possessionem transtulit Georgii Vuscovichii Presbyteri Antibarensis, modo utrique actioni Pontifex assentiret.

Abbatiam SS. Sergii & Bacchi resignat Georgio Vuscovichio.

In Dei nomine. Amen.

Fr. Benedictus Ursinus Dei & Sedis Apostolicæ gratia Ep. Lesiensis & Administrator Scutar. ac Abbas Sanctor. Sergii & Bacchi. Dilecto nobis in Christo Illust. & Rev. D. D. Georgio Vuscovichio Presbytero Antibaren. ac Commiss. Apostolico in Epiro salutem & benedictionem. Quoniam innumeris ac crebris occupationibus distenti, & aliis multiplicibus negotiis præpediti, quæ nostrum episcopale onus comitantur, Ecclesiæ Sanctorum Sergii & Bacchi ad flumen Bojanam non possumus semper adesse ac prodesse, & qua par est diligentia eam gubernare & regere, virum virtute idoneum meritisque conspicuum, cui Abbatiale onus præfatæ Ecclesiæ resignare possemus, plurimum peroptavimus; tandem vitæ tuæ sanctimonia, tuorum honestate, cæterarumque virtutum tuarum meritis, & in agendis dexteritate inducimur, si SS. D. N. Papæ Urbano feliciter nunc regnanti ita placuerit, præfatæ Abbatiæ onus tibi resignaro, atque de facto his nostris resignamus & renuntiamus cum omnibus juribus, actionibus & onere ejus, injungentes tibi, ut quamprimum te conferas ad pedes Sanctitatis suæ petiturus ab eo gratiam & benedictionem. In quorum fidem præsentes fieri propriæ manus subscriptione, ac sigilli minoris impressione roboratas voluimus. Dat. Lissi die 2. Julii 1637.

Nos Fr. Benedictus qui supra manu propria.

His acceptis, scripsit Vuscovichius ad Sacram Congregationem, se, quamvis exigui reditus sint, libenter hoc munus acceptu rum ad Pontificis voluntatem, inde sperans fore, ut non modicus animarum fructus obveniat, si templum illud Divorum Sergii & Bacchi, sane speciosissimum, sartum tectumque servetur vicinis pagis, qui eo confluunt religionis causa, & ubi ministeria quæque sacri cultus ritusque commode possunt exerceri; tum Præsides Cardinales enixe rogat, ut aliquid subsidii in rem adeo utilem ac necessariam conferre ne denegent. Itaque coram Urbano Pontifice mature actum de proposita Episcopi Alexiensis cessione, & ejusdem sententia atque auctoritate hoc decretum editum est a Sacra Congregatione XVIII. Kal. Decembris an. 1637.

Referente Em. D. Card. Capponio litteras Georgii Vuscovich Missionarii in Albania, instantis, ut admitteretur renuntiatio Abbatiæ SS. Sergii & Bacchi prope fluvium Bojanam in Albania, quam ei fecit sub beneplacito Illustriss. Fr. Benedictus Ep. Alexien. in eadem Albaniæ provincia, S. D. N. inclinans ad gratiam jussit agi cum R. P. D. Datario.

Franciscus Ingolus Secr.

Benedictum ad annum usque 1637. hanc administrationem tenuisse illius litteræ anni ejusdem testantur ad Georgium Vuscovichium, in quibus se Administratorem Scutaren. inscribit; quo tempore accidit, ut in summum vitæ periculum adduceretur. Cum enim per solemnes Paschatis dies sacris functionibus coram adesset, quæ a Patribus Franciscanis in pago Trunsio diœcesis Scutarensis peragebantur ingenti populi concursu, impetu a Turcis repente in eum facto, parum abfuit, quin comprehenderetur; vixque fuga ex eorum manibus sese proripuit; uti narrat in Hist.

Digitized by Google

Hist. Seraph. provinciæ Venetæ S. Antonii Petrus Antonius Venetus pag. 341. Sed de Dominico quid factum proinde fuerit, nulla habeo, quæ indicent, monumenta. Hujus Episcopatum celebrem fecit invicta in oppetenda morte pro Christi religione constantia Marci a Chisagnio appellati, quod oppidum est Scodrensis diœcesis, ubi & Parochi munere fungebatur. Vir doctus, & de animarum salute vehementer sollicitus invidiam subiit, odiumque Turcarum, a quibus per calumnias oppressus, & morti addictus, nisi a Christiana fide descisceret, pluribus confossus est vulneribus anno 1624., cum quadragesimum ageret ætatis annum. Ejus corpus pecunia redemptum in sua parœcia honeste conditum fuit a Christianis, quos illius opem in rebus adversis sæpe experiri testatur laudatus paullo superius Ursinus in brevi de hujus martyrio narratione.

Marci a Chisagnio martyrium.

FRANCISCUS III. EPISCOPUS SCODRENSIS XXXIII.

Civis & Presbyter Buduensis e familia Cruta, cui bona quædam, vineas & oliveta, quæ Christophorus Baronus & Christina Stagnevichia Ædi Cathedrali Buduensi olim legaverant, cum Procuratores ejusdem Ædis contulissent, Marinus Bizzius Archiepiscopus Antibarensis, dum erat Romæ, Francisco ea retinendi potestatem fecit, iisque, quoad viveret, fruendi, ut constat ex ejus literis ad eumdem datis *Romæ die* 5. *mensis Februarii* 1620. Post annos fere viginti creatus fuit Episcopus Scodrensis ab Urbano VIII.; ita in Act. Consistor. *Franciscus Cruta fit Episc. Scutaren. per translationem* 10. *Sept.* 1640. Tomo 130. p. 285. Cum *per translationem* factus fuisse dicatur, aliquem inter Dominicum & Franciscum intelligi oportet Episcopum, qui Dominico suffectus post annum 1637. quo Benedictus Ursinus Scodrensem Ecclesiam adhuc administrabat, ab hac Sede fuerit alio translatus; verum illius nomen siletur in Actis Consistor., quod fieri non assolet; & Dominicum in gratiam Pontificis restitutum ad alium transisse Episcopatum regendum, aut Scodrensem cum titulari aliqua Ecclesia commutasse non ausim affirmare. Franciscus cum Episcopatu Scodrensi curam vicariam Ecclesiæ Buduensis conjunxit, ut jam dictum in historia Buduensis Ecclesiæ. Annos quinque vigilantissime præfuit, & vita functus in Æde Cathedrali Buduensi honorem sepulturæ obtinuit.

Franciscus Episc. Scodren. anno 1640.

& Vicarius Buduensis.

GREGORIUS EPISCOPUS SCODRENSIS XXXIV.

E familia Frasinia Novariensi nomen dedit Ordini Franciscano severioris disciplinæ. Cumque in virtutibus profectus jam obeundo apostolico muneri par esset, in Albaniam venit, additusque comes P. Cherubino de Vallebona plurimum in excolendis Serbliæ Catholicis laboravit, præsertim inter Gassios & Castranichios ad fines diœcesis Pullatensis majoris. Deinde anno 1640. vice Præfecti totius Franciscanæ Missionis curam omnem omnemque cogitationem ad eam regendam impigre pieque convertit, ita ut ejus opera summe probaretur a Sacra Congregatione Fidei Propagandæ, dignusque habitus fuerit, quem Pontifex hujus Ecclesiæ Antistitem renuntiaret. Itaque, ut est in tabulis Consistorialibus, *1646 2. Septemb. providit*, Innocentius X., *Ecclesiæ Scutarensi vacanti per obitum Francisci Crutæ de persona F. Gregorii de Novara Ord. min. S. Francisci de Observ. cum resignatione Ducatorum annuorum 70. pro ejus congrua sustentatione juxta decretum Sac. Congreg. de Propag.* Designatus fuit Vicarius Apostolicus Ecclesiæ Buduensis; sed ne hujus temporalem, ut ajunt, possessionem statim adiret, nescio quid impedimenti objectum fuit, quo remoto sedem suam Buduæ collocavit.

Gregorius Episc. Scodrensis an. 1646.

Dum bello Cretico Dalmatia etiam ardebat, primores Scodrensium, qui pronam in Venetos veteres dominos voluntatem retinebant, inter se conjurarunt de portis oppidi noctu aperiendis Veneto militi statim atque Leonardus Fosculus, ad quem legati de tradenda urbe miserant, cum exercitu in conspectum venisset. Sed, quod parabant, Præfectus urbis jam senserat; & collectis undique copiis Venetos accessu absterruit; ac deinde urbem intentiore cura & vigilantia custodire, validiori præsidio munire, graviori servitute, & acerbioribus exactionibus opprimere cœpit. Gregorius, cum iis in locis nihil sibi a metu & periculo tutum esse cerneret, Venetias una cum Episcopo Sappatensi se recepit; dumque is abesset, duo ejusdem Franciscani Instituti asseclæ, Ferdinandus ex Albisola, & Jacobus e Sarnano, viri omni virtute eximii, Turcarum crudelitatem & odium in Christianum nomen, felici tamen ipsorum sorte, experti sunt. Cum enim sacris concionibus & Sacramentorum præsidio Scodrenses cives in catholicæ religionis cultu confirmare ferventius eniterentur, Præfectus jussit eos comprehendi, & ad se adductos quavis arte ad ejurandam Christi fidem impellere contendit; cujus impia verba & crudeles minas ut ipsi, qua oportebat, animi fortitudine contempsere, statim uterque præacuto palo infixus nobilissimam pro Christo mortem oppetiit. Horum martyrium fuse describit Petrus Antonius Venetus in sua hist. Seraph. pag. 381. Interea Gregorius a Sacra Congregatione postulavit, ut cum Buduensi parum prodesse posset, & Scodrensi Ecclesiæ prorsus esset inutilis, liceret sibi ab utraque discedere, & operam suam episcopalem Ernesto Adalberto Cardinali Episcopo Tridentino navare, a quo expetitum se atque invitatum esse ajebat adjutorem ecclesiasticæ administrationis; quod non esse eum consecutum certo constat; quippe anno fere decimo post Episcopatum susceptum & hunc & vitam simul reliquit.

Venetias se recipit.

PE-

Digitized by Google

PETRUS IV. EPISC. SCODRENSIS XXXV.

Petrus IV. Episc. Scodrensis an. 1656.

Hunc Alexander VII. in locum Gregorii demortui ad regendam Ecclesiam Scodrensem substituit; *An. 1656. 6. Martii providit Ecclesiæ Scutarensi per obitum Gregorii Frasini vacanti de persona Petri Bogdani.* In act. Consist. Is patria Prisvensis in Serblia ex illustri familia Bogdana, & Collegii Illyrici Lauretani alumnus doctrina librisque a se editis plurimum claruit. Eo ipso anno, cum suam Ecclesiam vix adiisset, munus a Pontifice illi injunctum fuit imponendi Pallii Archiepiscopo Scopiensi Andreæ Bogdano patruo suo. In pago Barbuluscio plerumque commorari solitus fuit, ubi sacram Ædem in ornatiorem speciem restituit; indeque pulsus vi præpotentis cujusdam Turcæ penes Riolii montes sese recepit, nec tamen variis molestiis desiit exagitari. Post obitum Marci Crisii Archiepiscopi Antibarensis administrationem hujus Metropolis, quæ & ante Crisium Archiepiscopum ei nondum Episcopo tradita fuerat, ex mandato Sedis Apostolicæ susceptam gessit ad an. 1671., & dicœcesim utramque episcopali peragratione lustravit. Cum anno 1660. Romam se contulisset, ut de statu utriusque Ecclesiæ Sacram Congregationem doceret, ab ea petiit, ut sibi Ecclesiæ Buduensis cura traderetur, in qua residere posset, sibique tandem quieto ac securo esse liceret; neque id eum obtinuisse comperio. Hinc in Albaniam regrediens Uscopiam ad patruum suum Andream frequens itabat, ibique tamquam in portu ac perfugio sollicitudinum & laborum episcopalium paullisper quiescebat; dum voluntaria Andreæ patrui abdicatione, ipse in ejus Sedem metropoliticam successit, relicta post sexennium Ecclesia Scodrensi.

DOMINICUS II. EPISCOPUS SCODRENSIS XXXVI.

Dominicus Babichius

Natus est Buduæ ex Babichiorum familia, quæ non solum suæ patriæ, sed etiam civitatis Catharensis nobilitate patritia clarebat. In tabulis domus Babichiæ hoc Dominico elogium adscriptum invenio; *Nobilis civitatis Buduæ & Catbari in Dalmatia, vir scientia, moribus, ingenio doctrina studiisque præclarus, qui assiduis vigiliis multis abbinc annis Philosophiæ & Juri Canonico operam impendit. Scriptum an. 1658. 22. Aug.* Alumnus fuit Collegii Illyrici Lauretani; jamque Juris utriusque Doctor, & Vicarius Archiepiscopi Antibarensis cum esset, de eo Ecclesiæ Scodrensi præficiendo Franciscus Cardinalis Albitius in Consilio Cardinalium hæc referre statuit.

„ Ego Franciscus Cardin. Albitius in pro„ ximo Consistorio, si Sanctiss. placuerit, „ præconium faciam Ecclesiæ Scutarensis, „ quæ vacavit per translationem R. P. D. „ Bogdani illius Episcopi ad Ecclesiam Sco„ piensem, & in sequenti referam illius sta„ tum & qualitatem R. D. Dominici Ba„ bich presbyteri Buduensis ad illam juxta „ decretum Congreg. de Propaganda Fide pro„ movendi.

„ Civitas Scutarensis est in Regno Serviæ „ sub dominio Turcico, in cujus tota dioe„ cesi, quæ suffraganea est Archiepiscopo „ Antibarensi, quindecim millia animarum „ ritus Catholici inhabitant, cujus Episco„ pus habet domum episcopalem in Terra „ Arioldi, & cura animarum exercetur per „ Parochos; in reliquis ejus status est potius „ deplorandus, quam recensendus.

„ In Episcopum præficiendus natus est in „ civitate Buduæ de legitimo matrimonio „ de Catholicis parentibus, ætatis suæ an„ norum 58. a pluribus annis Presbyter, J. „ U. D. Archiepiscopi Antibarensis Vica„ rius generalis, Sacræ Congregationis Mis„ sionarius, vir innocentia vitæ, & optimis „ moribus præditus, & dignus habitus pro „ hujusmodi promotione.

„ Hæc omnia constant ex processu coram „ me formato a RR. DD. Capitibus Ordi„ num, & a me de more subscribendo.

„ Supplicatur pro expeditione cum decre„ to emittendi fidei professionem, ac alias „ juxta decretum dictæ Congregationis, & „ clausulis opportunis, & Indultum susci„ piendi munus consecrationis ab uno Episco„ po cum assistentia duarum Dignitatum.„

Ep. Scodrensis an. 1677.

His annuit Pontifex Innocentius XI. & *anno 1677. 2. Novembris providit Eccl. Scutaren. &c. de persona D. Dominici Babich Presbyteri &c.*, in Act. Consist. cum annos fere sex suo Episcopo caruisset, & postremo biennio ejus curam gessisset Petrus Charagichius Archiepiscopus Scopiensis Petro Bogdano demortuo suffectus. Postquam suæ Ecclesiæ possessionem inierat, Andreas Archiepiscopus Antibarensis propter senectutem & incommodam valetudinem postulavit a Sacra Congregatione, ut ad suam dicœcesim regendam lustrandamque adjutor sibi daretur Dominicus, in quem etiam rejiceret onus administrationis Buduensis. Ejus postulatis annuit Sacra Congregatio, ut constat ex literis Cardin. Alterii datis ad Dominicum VIII. Kal. Decemb. an. 1680. Itaque tres unus dicœceses regebat; & vir plane laboriosus atque industrius nulli earum partem aliquam suæ vigilantiæ atque curæ episcopalis deesse passus est.

Synodum convocat,

Suscepto Episcopatu, id primum sibi faciendum duxit, ut Synodum dicœcesanam convocaret, quo Ecclesiæ suæ commodis Parochorum consilio prospiceret; & diem Aprilis vicesimam quintam anni 1678. iis ad conveniendum edixit. Hujus Synodi locum traditum non invenio; Synodi tamen acta hujusmodi accepi ex mss. monumentis familiæ Babichiæ.

& has sanctiones edicit.

„ In Dei Nomine. Amen.

„ Proprii muneris & pastoralis curæ stu„ dio impulsus D. Dominicus Babichius Epi„ scopus Scodrensis, ut gregis sibi concre„ diti

Digitized by Google

„ diti bono ac saluti consuleret, tum ut „ certam rectæ vitæ formam Presbyteris pro„ poneret sectandam, Christi nomine voca„ to, a quo omne bonum procedit, Paro„ chos omnes ad Synodum diœcesanam con„ vocare decrevit die Aprilis 25.

„ Itaque hac die anni hujusce „ Coacto conventu coram D. Episcopo ha„ bitu ornatuque pontificali induto, ac im„ plorato, ut moris est, numine Divini Spi„ ritus, has ipe canonicas sanctiones edixit.

„ I. Presbyteri omnes & Clerici ne alant „ cæsariem promissam, & artificiose crispa„ tam; sed capillos decenter tonsos et com„ positos, coronamque clericalem in vertice „ capitis descriptam gerant, ut ab laicis ho„ minibus internosci possint.

„ II. A nimia familiaritate & consuetu„ dine cum Turcis & Schismaticis absti„ neant.

„ III. Ad Parœcias & Sacerdotia obtinen„ da, ne sibi patrocinium aut favorem a Ma„ gistratibus & primoribus Turcarum adsci„ scant; idque sub pœna anathematis volu„ mus. Siquid velint ac petant, ad nos a„ deant; benigne a nobis eorum preces exci„ pientur; & quod cupiant, prout cujusque „ meritum erit, & virtus & doctrina, se „ relaturos esse confidant.

„ IV. Nemo sacramentalem absolutionem „ illis mulierculis impertiat, quæ sub eodem „ tecto cum Turcis habitant, & impuri cum „ illis commercii suspicione laborant.

„ V. A sacra Communione omnino ar„ ceantur, qui post Christianam Fidem pu„ blice abjuratam se tamen eam animo reti„ nuisse, ab omni superstitione alienos esse, „ clam & occulte Christum colere profiten„ tur.

„ VI. Parochi omnes singulis Dominicis „ diebus jejunia & annua festa, quæ in he„ bdomadam proximam incident, populo de„ nuncient, dentque operam, ut pueros & „ adultos de Christianis mysteriis ac præce„ ptis erudiant.

„ VII. Nemo audeat se in aliorum pa„ rœcias intrudere, & in alienis Ecclesiis „ injussu Præsidis aut Parochi confessiones „ excipere, & quaslibet sacras functiones obi„ re, & divinam Eucharistiam impertire.

„ VIII. Caveant omnino, ne baptismo „ abluant infantes Turcarum, apud quos va„ na & superstitiosa opinio invaluit, fœto„ rem quendam pueris ingenitum hujusmodi „ ablutione abigi posse.

„ Hæc omnia omnes una voce approbarunt, „ nemine discrepante, & singuli polliciti sunt „ se quam accuratissime servaturos. Deinde „ quinque delecti sunt, qui majori cum pote„ state confessionibus audiendis præessent, „ quos Pœnitentiarios vocant, videlicet Jaco„ bus Columpsius Archidiaconus, Stephanus „ Obbotus, Nicolaus Vladagnus, Marinus „ Pinus, Paullus Drancius,

„ Trium capitalium criminum reos sibi suæ„ que jurisdictioni absolvendos reservavit Epi„ scopus, usurpantes bona Ecclesiæ, homici„ das voluntarios, veneficos & maleficos.

„ Interfuerunt, &, ut quisquis ætate an„ tecedebat, ita ex ordine his decretis sub„ scripserunt.

„ Petrus Trumpius.
„ Jacobus Columpsius Archidiaconus.
„ Petrus Drusius Parochus.
„ Antonius Vladagnus Parochus Scodrensis.
„ Petrus Valmius Parochus.
„ Paullus Drancius Parochus.
„ Joannes Ginus Parochus.
„ Marinus Ginus Parochus.
„ Georgius Mesia Parochus,
„ Basilius Crisius Parochus.
„ Stephanus Obbotus Parochus.

„ Nicolaus Vladagnus Cancell. Episc. „

Cum anno superiori de statu Ecclesiæ ac diœcesis Scodrensis Sacram Congregationem per literas docuisset, quædam postulaverat, quæ ad ejus inopiam sublevandam, vel incommoda avertenda pertinebant; cui in hæc verba rescripsit Cardin. Alterius,

[Litteræ Sac. Congreg. ad Dominicum.]

„ Lectis in Congregatione habita coram „ Pontifice literis tuis, quibus nos de statu „ istius Diœceseos commonuisti, decretum est, „ ut sacræ supellectiles pro Ecclesiis, quæ „ iisdem indigent, comparentur; eæque ut „ opportuno tempore ad te mittantur, cura„ bimus. Quod ad subsidia attinet a Turcis „ in Catholicorum opem ac levamen impe„ tranda, summi Pontificis nomine scribere „ constituimus ad Imperatoris, & Galliarum „ Regis, & Venetæ Reipublicæ apud Tur„ cas Legatos, quibuscum ea communicare „ poteris, quæ utiliora videntur. De alie„ nis vero Presbyteris, quorum scandalis „ perturbationes in tua Diœcesi exoriuntur, „ imperatum jam est Sappatensi & Alexiensi „ Episcopo, & Clero utriusque, ne citra „ Drinum se illorum quisquam immittat. „ Dat. Romæ XVII. Kal. Februarii an. 1679.

Quo ipso anno alteram Synodum habuit Idibus Maji in Æde SS. Sergii & Bacchi in pago Trumpsio ad ripam Bollianæ, cujus decreta hic subjicimus cum brevi, quam ipse prælocutus est, oratione,

[Altera Synodus Scodrensis.]

„ *Pasce oves meas.* Dominus noster Jesus „ Christus oves suas, ne pereant, S. Petro „ commendavit, ac vigilantissime curaret, „ nequam ex illis lupus raperet, ac dilania„ ret. Nos igitur, quibus cura pastoralis „ hujus Diœcesis commissa est, & procura„ tionis nobis traditæ rationem Principi Pa„ storum ac supremo Judici reddere debe„ mus, nihil studii operæque prætermitten„ dum esse ducimus, ut pravæ & pernicio„ sæ consuetudines atque corruptelæ, quæ in „ Ordinem clericalem irrepserunt, & omnia „ zizania ex agro dominico evellantur. Vos „ ergo, Fratres carissimi, in hanc Ædem „ Abbatialem Sanctorum Martyrum ad ri„ pam Bollianæ fluminis congregavimus, ut „ caste pieque vivendi leges quasdam vobis„ cum sanciamus, Sacerdotibus in sortem „ Domini vocatis ad omnem vituperationem

Digitized by Google

„ vitandam, ad sacerdotale munus rite fun-
„ gendum necessarias ac perutiles, ut nemi-
„ ni ullam offensionem dantes plebi Chri-
„ stianæ verbis & exemplis ad pietatem ac
„ virtutem colendam, vitamque æternam pro-
„ merendam adjumento esse possitis. Omnes
„ igitur Clericos & Presbyteros, & præser-
„ tim Curatores animarum in visceribus Chri-
„ sti hortamur & rogamus, ut omnia, quæ
„ in nomine Christi, & Sancti Spiritus
„ lumine implorato, præcipimus, sancimus
„ & jubemus, diligentissime observare & ex-
„ sequi studeatis.

„ I. Nemo Sacerdotum ante Sacrificium so-
„ lemne, quod festis diebus decantari debet,
„ aquam ex vino distillato confectam bibat,
„ aut potu nimio se ingurgitet, cum ebrie-
„ tas, dignitati sacerdotali dedecus, populo
„ scandalum præbeat.

„ II. Caput prorsus radere vetamus, sed,
„ capillis decenter tonsis, coronam clerica-
„ lem gestare jubemus, ut ejus character ec-
„ clesiasticus appareat, & quæ illi debetur,
„ ab laicis reverentia deferatur.

„ III. Nemo choreis publicis intersit, ac
„ multo minus, deposito habitu clericali,
„ ipse choreas ducat, & pedibus plaudat.

„ IV. Cultri & pugiones nimium quantum
„ dedecent virum Christianum, a quibus fe-
„ rendis omnino abstineant.

„ V. Anathematis pœna proposita, inter-
„ dicimus, nequis, antequam Sacrum faciat,
„ fumum tabaci ore hauriat.

„ VI. Siquis intra ferias paschales pro-
„ prio Parocho peccata sua confessus non
„ fuerit, ejus confessiones excipere nemo au-
„ deat.

„ VII. Publici concubini & concubinæ,
„ si forte confitendi caussa accesserint, omni-
„ no repellantur.

„ VIII. Nemo baptizet, vel simulet ab
„ se baptizari pueros Turcarum, sive fœto-
„ ris sive morbi alicujus abigendi caussa,
„ nisi forte in extremum vitæ periculum ad-
„ ducti paullo post morituri viderentur.

„ IX. Nemo confessiones eorum excipiat,
„ qui ad alienam Diœcesim pertinent, nisi
„ facultatem cuilibet Sacerdoti approbato con-
„ fitendi a proprio Episcopo concessam, scri-
„ ptoque traditam ostenderint.

„ X. Parochi ne permittant Presbyteris a-
„ lienigenis confessiones audire in nostra Diœ-
„ cesi, nisi a nobis vel a nostro Vicario ap-
„ probati fuerint.

„ XI. Nemo sinat Sacerdotes extraneos in-
„ tra fines nostræ jurisdictionis injussu no-
„ stro aut mendicare, aut pro sacrificiis fa-
„ ciendis pecunias colligere.

„ XII. Nemo audeat sine permissu Paro-
„ chi maribus & fœminis matrimonio jun-
„ gendis præesse, vel Sacramenta impertiri.

„ XIII. Cum aliquis e Presbyteris & ipse
„ Episcopus diem obierit, jubemus quina
„ pro singulis ab omnibus Presbyteris sacri-
„ ficia fieri.

„ XIV. Meminerint Parochi dies festos &
„ jejunia diebus Dominicis populo denun-
„ ciare.

„ XV. Curatores animarum a sua parœ-
„ cia ne abscedant, nisi ad breve tempus.

„ XVI. Parochi omnes feria quinta majo-
„ ris hebdomadæ intersint solemni Oleorum
„ consecrationi; qui abfuerint, functionum
„ ecclesiasticarum interdictione mulctentur.

„ XVII. Siquis per se vel per alios ad
„ Sacerdotia obtinenda patrocinium vel com-
„ mendationem Magistratus Turcici interpo-
„ suerit, hunc sacrorum omnium communio-
„ ne, omnique sacerdotali officio & benefi-
„ cio privatum esse volumus.

„ XVIII. Omnes Presbyteri & Clerici a
„ nimia cum laicis, & multo magis cum
„ Turcis familiaritate abstineant.

„ Dominicus Babich Episcopus Scodræ.
„ Petrus Trumpius Vicarius generalis.
„ Jacobus Columpsius Archidiaconus.
„ Thomas Romanus.
„ Nicolaus Samtisius.
„ Nicolaus Vladagnus.
„ Petrus Brunus.
„ Paullus Drancius.
„ Petrus Valmius.
„ Joannes Ginus.
„ Marinus Ginus.
„ Basilius Crisius.
„ Georgius Mesia.

„ Trumpsii Idibus Majis an. 1679. „

Anno proximo, quidquid ad Ecclesiarum ornatum & cultum divinum sibi opus erat, Roma Dominicus accepit; tum aliis Alterii literis jussus fuit, quosdam Dominicæ vineæ operarios otio & vitæ licentiori deditos amovere, qui plus detrimenti, quam utilitatis ac subsidii rei Christianæ afferebant.

Alia Sacr. Congn. litteræ.

Ut gravibus incommodis remedium adhibeatur, quæ in tuam diœcesim quotidie inferunt operarii quidam, qui sua munera negligentes scandalis præterea, ac dissolutis moribus Christiano gregi maxime officiunt, jubent Sacræ Congregationis Cardinales, eos omnes e ministerio depelli, qui hactenus illud obierint; quorum in locum alios substitues paginæ subjectæ inscriptos. Dat. Romæ XV. Kal. Aprilis 1680.

Diœcesis lustratio.

Hæc inter diœcesi more rituque episcopali lustrandæ operam dabat; cujus lustrationis initium fecerat anno 1678. ab ipsa civitate, ejusque suburbio, in quo septuaginta familias partim Christianas, Turcicas partim inhabitari is scribit ad Sacram Congregationem, & pulcherrimam Virginis Deiparæ Ædem superesse in fanum Mahumeticum impie immutatam. Deinde per diœcesim totam Parœcias & Ecclesias quasque invisit, quas in suis literis nominatim percenset; nimirum Ædes SS. Sergii & Bacchi ad ripam, & S. Nicolai ad ostia Bollianæ, utraque vetusto Abbatiæ titulo ac jure insignis, Hujus posterioris altare princeps præfert effigiem S. Nicolai; tectum vitium fecerat, prope collabens; turris sacra campanis vacua; nullus ei Parochus, quia Præfectus Turcicus parœciam, ton-

Digitized by Google

constituta auctione, plus pecuniæ tribuenti obtinendam proposuit; hæ vero reliquæ Ecclesiæ, S. Georgii & S. Mariæ de Gorizza, S. Nicolai & S. Georgii apud Duicos colli præcelso impositæ, S. Venerandæ in monte Saldia, S. Joannis de Lazzia, ubi rudera & vestigia oppidi perantiqui conspiciuntur &c. Præterea alpestres incolas adiit Clementes, Schirochos, Chrisagnas, aliosque plures. Apud Castratos & Hottos, quam nullam habebant, ære suo Ecclesiam exstruxit, & adjunctam Parochi ædiculam; atque a Sacra Congregatione Operarium, qui Christianæ Hottorum institutioni præesset, tum supellectilem rebus divinis necessariam petiit & impetravit; quod patet ex aliis Alterii Card. literis ad eum scriptis XV. Kal. Augusti an. 1682.

Tertia Synodus Scodrensis.

Hisce perfunctus laboribus, & episcopalis officii curis tertiam Synodum convocavit eo anno 1682. in Ædem sacram oppidi Trumpsii, quod medium fere est in diœcesi Scodrensi. Parochi omnino undecim convenerunt. Nihil fere novi decretum fuit, sed decreta utriusque Synodi superiorum annorum renovata & confirmata sunt, quæ a plerisque negligi & violari optimus Præsul querebatur; pauca quædam adjecta, illudque in primis graviter severeque Parochis imperatum est, ut Clericos literis & bonis moribus imbuendos curent, jubeantque singulis primis cujusque mensis Dominicis diebus sacra confessione animum expiare, atque ad mensam eucharisticam accedere; nisi Sacerdotes, qui confessiones eorum exceperint, utriusque Sacramenti statutis diebus percepti fidem jurati fecerint, eamque scripto consignatam Clerici attulerint, accessu ad superiores Ordines illis plane interdictum fore.

Controversia de finibus cum Ep. Alexiensi.

De finibus diœcesis litem intulit Episcopo Alexiensi, & veterem controversiam redintegravit, quam ante aliquot annos Archiepiscopus Ragusinus & Antibarensis composuerant, cum de consensu utriusque partis arbitri fuissent delecti. Hi siquidem Drilonem fluvium utriusque diœcesis confinium esse statuerant; & eorum sententiam Sacra Congregatio confirmavit. Admonitus est Dominicus per literas Card. Alterii Romæ datas Idibus Aprilis an. 1682. in hæc verba. *Cum jussu Sacræ hujus Congregationis de Propaganda Fide dissidia sublata jam sint, quæ de Parœciis quibusdam ultra Drinum sitis tibi cum Episcopo Alexiensi intercedebant, idque Archiepiscopi Ragusinus & Antibarensis antea præstiterint an. 1638. quorum sententiam eadem Congregatio confirmavit an. 1679., egre intulerunt Eminentissimi hujus Congregationis Cardinales, te adhuc aliquam ei molestiam afferre. Quapropter monitum te esse jubent, ut Congregationis decretis acquiescas, neve illos ad graviora statuenda compellas. A Deo tibi bene precamur. Dat. Romæ Idibus Aprilis 1682.* Admonitioni paruit; cumque Vicarius Apostolicus esset Ecclesiæ Buduensis, aliam ab eodem Cardinali excepit epistolam an. 1683. qui ei summopere vigilem ac diligentem illius Ecclesiæ administrationem commendavit; hanc epistolam historiæ Buduensis Ecclesiæ inseruimus. Novem fere annos Scodrensi cum præfuisset Ecclesiæ, vivere desiit an. 1686. vir de Scodrensi Ecclesia optime meritus, dignusque, quem Andreas Zmajevichius Archiepiscopus Antibarensis in suis monitis ad Martinum Gellichium Antistitem Sappatensem proponeret, ut in Episcopali regimine ejus consilio uteretur; *Familiares sibi habeat Episcopos Corbinensem & Alexiensem, sed præsertim Scodrensem, qui, cum admodum gratiosus sit apud Turcas, multis in rebus utilis illi & adjumento esse poterit.*

Dominici Ep. obitus.

ANDREAS II. EPISCOPUS SCODRENSIS XXXVII.

Andreas II. Episc. Scodrensis An. 1686.

Quem Innocentius XI. ad hanc Sedem evexit; 16. *Septembris an. 1686. providit Ecclesiæ Scodrensi vacanti per obitum Dominici Babich de persona Andreæ Galatæ Presbyteri omnia habentis requisita;* in Act. Consist. Jamque obierat an. 1690., ut in iisdem Actis tomo 130. p. 156. testatur epistola Internuntii Pontificii apud Rempublicam Venetam, qui Scodrensem Ecclesiam suo Episcopo caruisse significat. Quare Alexander VIII. III. Id. Februarias ejusdem anni curam Scodrensis Episcopatus commisit Marino Drago Antistiti Catharensi; a quo prid. Non. Octobris præfectus fuit suæ administrationis Vicarius generalis Paullus Drancius parœciæ Trumpianæ præses. Is III. Kal. Aug. literas dederat, queis Scodrensem diœcesim per Parœcias & Ecclesias describit; ejusque descriptionem hic inserere e re nostra ducimus opportunum.

Diœcesis Scodrensis descriptio.

Parœcia S. Nicolai ad mare, & S. Georgii ad ripam Bellianæ. Tum hæ; Frascanichia, Pindetaria, alia S. Georgii, Precalia, Cheregia, Suarisia, Rezzia magna, Pistolia, Segagnia Olchinium usque. Sequitur Sassia, urbs olim, nunc eversa, in qua plures Ecclesiæ; princeps vero titulo D. Joannis Baptistæ sacra, eique parochus præest Marinus Ginus alumnus Collegii Firmani, & apostolicis peregrinationibus clarus; Buchemiria, Sarsia, Sarsina, Bria, Chelessinia, Cruzza-mizza, Summa, Braisa &c. Præterea Ecclesia Deiparæ ab Angelo salutatæ ad ripam Bellianæ, Santissium utrumque, superius & inferius, Rusculium, Sestozzerium, Lessenia, Succlebina, Murignanium, Cruverium, Mobbotum, Bracittium, Spettagnium; parœciæ S. Nicolai subsunt Musendium, Grambsia, Daicium & Bellagnium; & alteri S. Bacchi ad Bellianam Obertium ac Sereggium. Eadem munere præstant pagus S. Sergii, cujus Ecclesia inter Albanenses magnitudine excellit, Trumpsianus & Deracchiarius; pago S. Stephani ad Drinum tres parœciæ subjectæ & villæ plures; Georgianus vero ad Drinum suo parocho obtemperat, qui plures itidem parœcias ac villas

Digitized by Google

las regit; tum alius S. Venerandæ ibidem situs; demum ad Scodræ suburbium paræcia D. Mariæ Magdalenæ. Hæc ex litteris Drancii.

Paulli Drancii mors.

Anno post susceptum Vicarii munus Paulus, de quo eligendo Scodrensi Episcopo Pontifex cogitabat, a Turcis exquisitus est ad necem. Hi enim in Christianum nomen efferati ob clades in Austria & Hungaria paullo ante acceptas, & ereptam jam a Venetis Peloponnesum, nullam sæviendi occasionem sibi elabi sinebant, præsertim adversus Presbyteros, & divinarum rerum curatores atque administros. Jussu itaque Solimani Begagniorum præfecti is comprehensus religionis causa, uti par est credere, fortissime obstitit tyranni minis, atque furori, & Idibus Julii anni 1691. suspendio occubuit; quo supplicio, eamdemque ob caussam paucos post dies XIII. Kal. Aug. Antonius Vladagnus Parochus Scodrensis interemptus est.

ANTONIUS III. EPISCOPUS SCODRENSIS XXXVIII.

Antonius Episc. Scodrensis an. 1693.

Natus est ex piis & nobilibus parentibus in oppido diœcesis Sappatensis; huic nomen *Dajci*, familiæ, unde ortus, cognomen *de Nigris*. Ab incunabulis in sinu optimorum parentum educatus pueritiam egit ex eorum sanctissima disciplina. Domi primoribus literis & bonis moribus imbutus seu missu seu ductu patris Corcyram in urbem atque insulam maris Jonii trajecit, qua in civitate Ecclesiæ illi metropolitanæ tunc præerat M. Antonius Barbadicus haud genere ac doctrina, quam sanctitate clarior. Erat in Antonio rara indoles animi, magnum & acre ingenium, bonarum artium addiscendarum summa cupiditas; quibus rebus mirifice delectatus præstantissimus Archiepiscopus illum inter suos alumnos Seminarii Archiepiscopalis recepit; humanis dein, divinisque doctrinis egregie instructum, & sacerdotio initiatum in patriam remisit. Redeuntem singulari benevolentia complexus est Georgius Theodorus Episcopus Sappatensis, qui postquam ejus eximiam in muneribus ecclesiasticis aliis atque aliis obeundis scientiam, industriam, sollertiam satis expertus fuisset, cum Vicarium generalem sibi constituit; quo in munere ita se gessit, ut dignum esse censuerit, quem suis literis commendatitiis ad Innocentium XII. Ecclesiæ Scodrensi ob mortem Andreæ pastoris præsidio ac solatio destitutæ præficiendum curaret. Itaque 22. *Xbris* 1693. *providit*, idem Pontifex, *Ecclesiæ Scutarensi vacanti per obitum Andreæ Galatæ de persona Antonii Nigri Presbyteri, cum indulto suscipiendi munus consecrationis ab uno Episcopo, assistentibus illi duabus Dignitatibus cum dispensatione gradus* &c. ex tab. Consist. Annos fere novem Ecclesiam Scodrensem gubernavit, in pago Jubano, qui mille passus fere quatuor abest Scodra, plerumque commoratus. Nulla in re sibi parcens, ut gregis suæ curæ commissi utilitati ac saluti consuleret, plures coegit synodos, quorum acta hactenus vim obtinent in diœcesi Scodrensi, & magnam existimationem. In his Clericorum præsertim disciplinæ tuendæ augendæque studuit, & licet effræni quorumdam licentia gravibus quandoque incommodis atque molestiis affectus fuerit, nihil aut constantiæ in conservandis ecclesiasticis legibus imminuit, aut in improbis hominibus modo reprehendendis justæ severitatis, modo admonendis prudentis mansuetudinis. Ejus autem animi fortitudo tum præcipue enituit, cum mulierem quamdam Christianam, cujus turpissima erat cum præpotenti Turca consuetudo, qua minis, qua precibus omnique contentione atque patientia, impurissimi hominis iram ac furorem haud pertimescens, ab illicita familiaritate absterruit, abstraxitque; quod egregium facinus & necis & illustris martyrii ei causam attulit. Nam efferatus Turca in Antonium, quem intellexerat abruptæ turpitudinis auctorem fuisse, mortem ei consciscendam per calumnias juravit. Die itaque condicta, dum is inter concionandum in sectam Mahumeticam ejusque auctorem liberius fortasse, quam cautius inveheretur, ingens equitum ac peditum manus repente immissa sanctissimum Præsulem comprehendit, & verberibus cæsum vinctumque Scodram perduxit, ubi a Prætore illico capitis damnatus est. Sententiam iniquam non æquo solum, sed hilari etiam animo excepit; & dum ad supplicium trahebatur, de Christi laudibus ejusque religione prædicare non desinebat; & quo magis, ut taceret, pugnis & saxis os illi contundebant, eo pleniores voces suæ fidei, & divinæ veritatis testes attollebat. In suburbano foro a pomis nuncupato ex arbore suspensus est, ibique triduo pendens ludibrium barbarorum fuit. Constans vero fama, & probatissimorum testium jurejurando fulta ad hæc usque tempora pervenit, ejus corpus splendidissima luce circumfundi visum singulis noctibus ita ut solis veluti speciem exhiberet; quod ingenti pretio redemptum a Catholicis, multisque cum fletu prosequentibus elatum, funere, quantis maximis inter hostes Christiani nominis studiis potuit fieri, celebrato, in templo SS. Martyrum Sergii & Bacchi tertio ab urbe lapide tumulatum fuit. Post annos non ita multos Vincentius Zmajevichius Archiepiscopus Antibarensis, cum Albaniam & Serbliam peragratione apostolica lustraret, tumulum aperiri jussit; sed corpus, cujus visendi venerandique desiderio flagrabat, non invenit; per quem ablatum, quove delatum fuerit, non constat; fama tamen est, Venetiis conditum occulto in loco quiescere.

Ejus acta, & martyrium.

ANTONIUS IV. EPISCOPUS SCODRENSIS XXXIX.

Antonius IV. Episc. Scodrensis an. 1702.

Presbyter Sappatensis ex familia Babbia, quem Clemens XI. in Sedem Scodrensem Antonio Nigro suffecit; 25. *Decembr.* 1702. *providit* Ec-

Ecclesiæ Scutarensi vacanti per obitum Antonii Nigri de persona Antonii Rabbii Presbyteri Sappatensis. Eodem anno ante episcopalem consecrationem susceptam interfuit Concilio provinciali Albanensi sub Vincentio Zmajevichio Archiepiscopo Antibarensi & Primate totius Serbliæ, cujus decretis & subscripsit; *Ego Antonius Rabbi electus Episcopus Scodrensis assentiens subscribo;* eoque certe curante, diœcesis Scodrensis aucta fuit tertia parte regionis Postripensis, cum de terra illa diutinæ contentiones fuissent Scodrensibus Episcopis adversus Sappatenses & Pullatenses; quare ejusdem Concilii auctoritate, Sappatensi Ecclesiæ & Pullatensi sua cuique attributa portione, de Scodrensi ita definitum est, ut *villulæ Scheldia, Garasci & Gagnola a Parocho Jubbani Scodrensis diœcesis curatæ, ab illo etiam deinceps curentur.* Post initam sui Episcopatus possessionem in id potissimum incubuit, ut Concilii decreta per diœcesim stabilita integre ab omnibus servarentur. Plures in suo munere peragendo curas ac molestias perpessus est, quas forti animo ad extremum spiritum depulit, vicitque; & admodum senex vita decedens in templo Sergiano sepulturæ traditus fuit.

Martyrium P. Antonii Sorani.

Antonii Episcopatum & Scodrensem Ecclesiam anno 1718. gloriosissima morte nobilitavit P. Antonius Soranus severioris Franciscanæ disciplinæ alumnus; cujus gesta pro Catholica religione, & illustre martyrium hic summatim describenda ducimus ex narratione, quam de illo Venetis typis biennio post edidit P. Hilarius de Monte Fortino ejusdem Ordinis, & in Albania sacrarum Missionum Præfectus, & ex literis ad nos Sora datis a Paschale Mattheuccio Antonii fratre an. 1722. Is itaque Soræ in Campania anno 1674. natus honestis ac piis parentibus Petro Mattheuccio & Fulvia Gemitia primis pietatis ac literarum rudimentis imbutus fuit apud Patres Societatis Jesu; inde virtute, ac scientia adeo profecit adolescens, ut haud minus ob ingenii excellentiam, quam morum castimoniam atque sanctitatem in Franciscanam rigidioris instituti familiam cooptari meruerit. In ea divinis rebus ac doctrinis addiscendis studium omne impendit; ac superno incensus ardore post sacerdotium susceptum mentem animumque ad propagandam inter Turcas Christi religionem intendit. Cum a moderatoribus Ordinis munus evangelici in Albania operarii ei fuisset delatum, dici vix potest, qua alacritate, quo gestiens gaudio ad ea loca evolaverit, quæ sibi a Deo veluti latissimum pro illius gloria dimicandi campum destinata existimabat. Annos omnino quatuordecim illic exegit æque laboribus ærumnisque plenos, ac copiosissimo animarum fructu, quem invicta patientia & sedulo charitatis affectu excolebat; hinc illius nomen omnium ore ferebatur etiam apud Turcas, apud quos ejus virtutis adeo fama percrebuit, ut nonnullos e primoribus Scodrensium livor incesserit, & rabies in insontem virum, tamquam in infensum Mahometicæ superstitionis hostem, eumque e medio tollendum statuerint, uti proditum reipsa est. Nam VII. idus Maji illius anni 1718., dum Antonius e pago Leporoscio, qui tria passuum millia abest Scodra, Scialam versus ad suum hospitium pergeret cum comitibus aliquot, repente viginti equites Turcæ, quorum dux Ussenus quidam unus e præfectis militiæ, illum adoriuntur, ac furiosa & immani barbarie comprehendunt. Mox ejus sociis ultro dimissis, & truci adspectu in lenem ac blandum simulate converso, hortantur & orant, ut Christum abnuat, magnam ei honorum ac divitiarum mercedem paratam, si Mahometis sectam sequatur; secus, certo sciat, se crudelissima morte interiturum. Is nec minis territus, nec illectus blanditiis illuc in Turcicas regiones se venisse respondit, ut Jesu Christi fidem latius augeret, non ut proderet; ac testatus supplicium quodvis malle millies oppetere, quam ab ea retrahi ac disjungi, Mahometicam impietatem satellitibus exprobravit, a qua utinam desciscere vellent, & Christianam religionem amplexi veras cœlestis ac æternæ vitæ divitias promereri. Hisce verbis in furorem acti, nulla mora, funem ejus collo intorquent, & arbori admotum, ut suspenderent, rursum tentare conantur, atque dimovere a proposito. At ille eadem animi fortitudine obsistens, & ad mortem promptissimus parum temporis petiit, quo sese Deo in extremo agone commendaret. Eo elapso, jam appensum laqueo in aera levaverant, ut pæne mortuus videretur; cum subito ex arbore deponunt, iterumque instant & urgent martyris constantiam flecti nesciam; qui moribundus ac prope exanimis quanta potuit vi & Deum Christum confessus, & Mahometem impium exseeratus est. Quod cum secundo ac tertio crudeli ludibrio pertentassent frustra, demum invictissimam animam efflantem reliquerunt. Triduo inhumatus fuit, nemo quippe audebat ob Turcarum metum nec sacrum illius corpus attingere; verum e Catholicis quidam pii viri intempesta nocte, & ope divina freti, quam celerrime e suspendio demissum humi eo ipso in loco sepeliendum curarunt, donec absque discrimine liceret ad propinquiorem aliquam Ecclesiam illud transferri, & justis exequiis ac merita sepultura donari. Interea, anno elapso, nulla spes erat hujus consilii exsequendi, quin Turcæ vi, armis, Christianorum quoque cædi obstarent, nisi Deus, qui mira providentia vel unum beatorum præsertim in cœlis hominum capillum servat, prodigii in modum sui martyris exuvias tuto inde auferri monuisset. Nam Antonius per visum se objiciens P. Angelo de Bucciliano, quo suæ conscientiæ moderatore usus fuerat, suavi alloquio excitavit, ut qui animæ olim curam habuisset, eamdem de sepeliendo rite corpore alacer adhiberet. Hac monitione metus omnis depulsus; illico missi homines, qui noctu corpus An-

to-

tonii effoderent. Integrum illud inventum est; facies eadem ac cum viveret, membra omnia humidi soli situ ne leviter quidem læsa. Mox sacco inclusum, humerisque impositum, nihil tamen oneris experti, in villam Plantiam, & ad Ecclesiam securi & hilares deferunt; ibique exceptum Patres sui Ordinis in capsa lignea condidere qua reverentia decebat. Tum hoc nuntio permoti incolæ, & late ad vicinos pagos effuso, exteri etiam ad sepulchrum concurrere, martyris nomen inclamare, vota offerre precesque, opem deposcere, quam Deus elargiri pluries dignatus est, in eos præcipue, quorum corpora dæmonum sævitie obsessa noscuntur. Sed ut hæc clariora fierent, & publica fide magis testata ad augendam Antonii gloriam, Petrus Scura Episcopus Pullatensis, cœlesti certe ductus instinctu, beatum corpus ut ipse suis oculis viseret, cum ad Plantianam Ædem venisset, jussit tumulum aperiri, detectisque piis exuviis, miratus est perfectam hominis formam, & sana ac flexibilia quovis modo membra manibus contrectavit; eoque magis crevit admiratio, quod ligneus loculus, in quo jacebat, totus pæne marcuerat. Qua de re adhibitis testibus, & de iis, quæ ad sepulchrum sanctissimi viri acciderant, facta consueto ritu quæstione, publicis tabulis consignari acta omnia præcepit, & testes literas dedit ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, cujus maxime interest plurimos in Dominica vinea hujusmodi habere operarios, eorumque nomen & gesta posterorum tradi memoriæ, atque exemplo.

ANTONIUS V. EPISCOPUS SCODRENSIS XL.

Antonius V. Ep. Scodrensis an. 1729.

E nobili familia Vladagnia Scodrensi, quem Benedictus XIII. huic Ecclesiæ præfecit. In Actis Consist. legitur; *An.* 1729. 23. *Dec. Antonius Uladagni Presbyter Scodren. Diœc. fit Ep. Scodren. per obitum Antonii Babbi.* Suscepta anno insequenti episcopali consecratione, domicilium sibi delegit in pago Barbuluscio, cujus Ecclesiam Cathedralis titulo & honore insignivit. Undecim fere annos Episcopatum gessit in coercendis corrigendisque improborum vitiis, & tuenda ecclesiastica disciplina severus æque ac prudens, & constans, præsertim in cujusdam Presbyteri suis jussibus obsistentis contumaciam. In Æde Cathedrali subtus altare princeps tumulatus quiescit.

PAULLUS II. EPISC. SCODRENSIS XLI.

Paullus II. Episc. Scodrensis an. 1742.

Cognomento Campsius, VIII. Kal. Junias an. 1742. Sedem hanc conscendere jussus a Benedicto XIV., qui ob præclaras animi dotes inter domesticos aulæ pontificiæ Præsules illum cooptavit, Vir pro Ecclesiæ honore ac libertate flagrantissimus gravia ac diutina incomoda passus est; adeoque contentiones & odia Cleri suæ diœcesis in eum exarsere, ut Romam adire ipsi necesse fuerit, quo Pontificis auctoritate ac præsidio malevolorum improbitas frangeretur. Incredibilis in eo patientia enituit, vitæ vero tanta fuit innocentia ac gravitate morum, ut inter civilia Scodrensium bella & intestinas discordias, licet Turcarum modo, modo Christianorum molestiis appeteretur, nemo Turca eum lædere ausus est, cum vel inviti hominis sanctitatem venerari cogerentur. Plerumque Scodræ commoratus est; Antibarensem Ecclesiam aliquanto tempore administravit. Demum novem supra viginti annorum peracto integerrime episcopali cursu, ad Castratos in hospitio Patrum Franciscanorum e vita decessit XVIII. Kal. Majas an. 1771. & in eorum Ecclesia conditus est.

GEORGIUS II. EPISC. SCODRENSIS XLII.

Georgius II. Episc. Scodrensis an. 1771.

Erat Episcopus Alexiensis, & Vicarius Apostolicus Sophiæ an. 1767.; & in Sacro Consistorio ad hanc Ecclesiam nominatus fuit IV. Kal. Augusti an. 1771. De illo satis in Ecclesia Metropolitana Antibarensi, quam anno 1787. regendam suscepit IX. Kal. Majas. Huic anno ac mense eodem ac die suffectus est

FRANCISCUS IV. EPISCOPUS SCODRENSIS XLIII.

Franciscus IV. Episc. Scodrensis an. 1787.

Qui an. 1791. ad Metropolim Antibarensem evectus est, ubi de illo abunde dictum.

MARCUS II. EPISC. SCODRENSIS XLIV.

Marcus II. Episc. Scodrensis an. 1791.

Scodrensis patria, cognomine Crescesius, ad hanc Sedem evectus III. idus Aprilis an. 1791. Nihil habeo, quod dicam de illius vita gestisque.

ANTONIUS VI. EPISCOPUS SCODRENSIS XLV.

Dodmasseius cognomine; cætera nobis incomperta.

EC-

Digitized by Google

ECCLESIA DYRRHACHIENSIS.

EPISCOPI ET ARCHIEPISCOPI DYRRHACHIENSES.

Dyrrhachii conditores & coloni.

DYrrhachium civitas est perantiqua & nobilissima, tum veterum, tum recentiorum Geographorum atque Historicorum Scriptorum omnium & Græcis literis celebrata & latinis. Antea Epidamnum dictam ferunt ab Epidamno viro illustri, sive a quodam, ut ait Appianus lib. 2. de bello civ., Barbarorum rege hujus urbis conditore, deinde ab Dyrrhacho Epidamni ex filia nepote, qui portum urbi adjecit, Dyrrhachium appellatam. Epidamnum a Corcyræis, colonia illuc missa, ædificatam fuisse docet Thucydides l. 1. *Epidamnus est urbs sita ad dexteram navigantibus, Jonium sinum versus, cui finitimi sunt Taulantii barbari, gens Illyrica. Hanc habitatum venerunt Corcyrenses; coloni a Phalio Corinthio deducti.* Idem confirmat Strabo lib. 7. *Epidamnus a Corcyræis condita, quæ nunc a peninsula, cui imposita est, nomen Dyrrhachii tenet.* Peninsulam hanc Ramnusius lib. 1. de bello Constant. *Chersonesum* appellat, quasi promontorium continenti litori adjunctum quadam terræ manu. Deductam vero coloniam a Corcyrensibus probant veteres nummi; & hac de re vide Josephum Eckelium in suis nummis anecdotis pag. *96.*, qui vetustissimum ibidem exhibet nummum Monunii Dyrrhachiensium regis hactenus in veteri historia ignoti. Hunc Khevenulletius in lib. de veter. num. pag. *46.* Honanum esse autumat regem Dardanorum a Livio memoratum lib. 44.; corrigendum vero *Monunium*. Equidem Athenæus lib. 10. Menunium Dardanorum principem nominat ex Polybio, sed Eckelius alium esse censet a Monunio Dardano, & fortasse e Dyrrhachinis popularibus aliquem, qui urbis dominatum sibi arripuerit. Uberius Dio Cassius lib. 41. hæc de Epidamno scribit; *Dyrrhachium in terra Illyriorum Parthinorum, ita enim primum vocabatur, nunc ut isto quoque tempore Macedoniæ adnumeratur, positum est admodum opportuno situ, sive ea Epidamnus Corcyrensium sit, sive alia quædam. Qui enim Dyrrhachium ab Epidamno diversam faciunt urbem, si conditam nomenque duxisse a Dyrrhacho quodam heroe asserunt; alii auctores sunt, mutato nomine hanc urbem a Romanis Dyrrhachium esse vocatam, quod ibi dificilia sint littera; rachia enim Græcis littus est; quia ipsis Epidamni vocabulum, quum detrimentum adeoque damnum ipsorum lingua significet, eo trajicientibus sinistro omini fore visum sit;* quod & a Plinio dictum lib. 3. cap. 23. Hinc illud Plautinum in Menæchmis act. 2. sc. 1. *Ne mihi damnum in Epidamno duis;* ac paullo ante; *propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est, quia nemo ferme huc sine damno divertitur.* Cæterum Appianus in loco laudato Epidamnum a Dyrrhachio diserte distinguit, & hoc in ora maritima navale urbis fuisse a Dyrrhacho conditum, ejusque nomine appellatum, illud a mari paullo remotius situm ait. Δωράκιον etiam græce, *Doracion* latine scriptum invenies, unde *Doracenses* Episcopi sæpe appellati. Hierocles in Synecdemo duplex Dyrrhachium distinxisse videtur; alterum *Dyrrhachium* simpliciter in nova Epiro, alterum *Doracion metropolim* in provincia Prævalitana novæ Epiro contermina. Eamdem distinctionem legimus in notitia civilis Imperii Constant., quæ Hierocli tribuitur apud Carolum a S. Paullo in Geog. Sacra. Verum aut mendum subest huic Hieroclis loco; Prævalitanæ enim regionis metropolis ecclesiastica Scodra erat ad initium usque sæculi VII., & nulla ibi *Dyrrhachii*, vel *Doracii* nomine civitas in aliis Geographiæ Scriptoribus reperitur; aut pro *Doracio Docleam* seu *Diocleam* oportet intelligas, uti Vesselingius suspicatur in notis, quæ urbs Prævalitanæ provinciæ apprime celebris metropolitica dignitate fulgebat sæculo nono ad finem vergente. Sed cum, ipso Vesselingio auctore, Hierocles Synecdemum scripserit ante Justiniani imperium, ejus conjectura nequit probari, quippe sæculo VI. Scodrenses metropolitæ, Doracienses nulli, Prævalim administravere. De Dioclensi & Scodrensi Ecclesia vide jam dicta. Potius dixerim Hieroclis opus tum hic, tum aliis in locis, quod idem Vesselingius fatetur, fuisse ab imperito aliquo

Scri-

Digitized by Google

Scriptore hac illac corruptum & immutatum.

Ejus situs & descriptio.

Infra sinum Illyricum ad meridiem e regione Apuliæ Peucetiæ, in ea Macedoniæ parte, quæ dicta est Epirus nova, mari adjacet Dyrrhachium, prope ostia fluminis Argeptari mœnia præterlabentis, qui Palamnus dicitur a Scylace in Periplo; *Fluvius urbem præterfluit, cui nomen Palamnus*, idem fortasse, subdit Vossius in notis, ac *Paniasis* apud Ptolemæum. Civitas olim pulchritudine & frequentia ædificiorum, commercio, divitiis, advenarum & incolarum numero nulli illustriorum Illyrici urbium inferior fuit. Arx supereminebat arduo & sublimi loco imposita, natura & arte munita; unde *vel situs* urbem *inexpugnabilem faceret*, scribit Florus lib. 4. cap. 2. cujus verbis male subjicit in notis Anna Tanaquilli Fabri filia, *Epidaurum* dictam primum urbem fuisse, & ad oram maris Adriatici sitam, quod Jonium verius appellatur. Subest civitas declivi & aprico in loco explicata, in solem fere meridianum obversa, mœnibus ac turribus antiqui operis cincta, portum habens tutissimum, aditu facillimum, & navigiorum cujusque generis capacissimum. Nunc talis ac tanta civitas e veteri forma, amplitudine, opulentia, nitore longe multumque dissimilis squallet, Turcarum barbarie, cultuque sordido infuscata. Marinus Barletius lib. 13. de vita & rebus gestis Scanderbegi urbis magnificentiam, venustatem, & florentissimum statum, quem sæculo XV., dum ipse scripsit, adhuc retinebat ante Turcarum tyrannidem, hisce enarrat. *Hujus laudes & præconia magna, multaque exstant; nam, ut inquit Lucanus* lib. 6. de bello Phars. *Dyrrhachium opus non manufactum, sed natura munitum in rupibus adeo altissimis positum, ut, qui navigant, suspicientes mœnium altitudinem non solum admiratione quadam, sed periculi timore attoniti fiant; ea enim mari circumdata præruptis rupibus ab una parte, qua collis est, continenti terræ conjungitur. Hinc portum habet tutissimum, commodissimumque, illinc campos latissimos amœnissimosque, agrum fertilem, & omnibus rebus copiosum. In ea sunt Ædes sacræ, templa augusta atque magnifica, ibique conspiciuntur imagines Regum, & Imperatorum, ibi visuntur antiquissima Principum monumenta, ibi statua Hadriani Cæsaris, seu potius colossus ingens ex metallo conflatus in editum locum erectus est ad portam Caballinam septemtrionem versus, Arena præterea sive Amphitheatrum mira arte ingenioque constructum. Muri urbis munitissimi, turribus aliisque insignibus operibus ornati decoratique. Spectanda quoque ea civitas est in maritimarum rerum specie, salinarum & mercium commoditate. Hæc est civitas illa, quæ Romanum vidit Senatum, ac perbenigne suscepit, civili sanguine, quæque intestinis bellis non tam insignis, quam infelix; quæ demum qualis quantaque fuerit, ipsæ ruinæ docent.* Hactenus Barletius.

Dyrrhachiensium vices variæ, & varius status.

Cum Regum Illyriorum imperium usque ad montes Acroceraunios prolatum fuisset, subacta etiam ea Macedoniæ parte, quæ postea Epirus nova dicta est, duæ tamen florentissimæ civitates Dyrrhachium & Apollonia pristinam libertatem retinuere. Deinde utraque sub potestatem Illyrici regni redacta est, cujus dominationi parendum iis fuit, donec, trajecto primum a Romana classe Adriatico, aliæ urbes, ac Dyrrhachium præsertim in fidem & amicitiam populi Romani concessit, & usque ad Reipublicæ interitum Dyrrhachini non solum liberi, sed etiam onere ac tributo exempti permanserunt. Quæ fusius habes tractata in Tomo 1. Illyr. Sacr. parte 1. Prolegom.

Sub Romanis,

Hæc civitas a Romanis magni semper habita fuit, præsertim post coloniam illuc Plinio teste l. 3. cap. 23. deductam, & summopere culta, aucta & ornata, in eaque urbe M. Tullius lege Clodia expulsus sibi suoque exilio locum delegit; ut ipse innuit in epistola ad Terentiam prima lib. 14. epist. famil. *Dyrrhachium veni, quod & libera civitas est, & in me officiosa & proxima Italiæ; sed si me offendet loci celebritas, alio me conferam.* In hanc urbem Pompejus post suum ex Italia discessum cum primoribus Senatorum se receperat; & cum totius belli civilis moles in Epirum incubuisset, binis prœliis apud Dyrrhachium Cæsarem vicit; ut ipse Cæsar scribit lib. 3. Commentar. de bello civ. Cyriacus Anconitanus in suo Itiner. pag. 21. & seq. *Ad* IIII. *Kal. Jul. venimus*, inquit, *ad nobilem murum extra Dyrrhachium civitatem ad* IIII. *mil. quem C. Cæsar in causa belli civilis fecerat ad coercendum Pompejanum exercitum in objecto monte. Est ex cocto latere ingentis longitudinis, habens latitudinis p. XIII. Et vidimus eum una cum nobili Fabricio Loredano apud Dyrrhachium pro Venetis Prætore, & Antonio Longo Camerario amico optimo nostro.* Verum operis tanti ne ulla quidem apud Cæsarem mentio, qui *ex castello in castellum perducta munitione*, id est vallo, circumvallatum a se Pompejum describit, ut ab urbe arceret & pabulatione prohiberet; neque molis adeo ingentis structuram siluisset ad incrementum sui nominis, cum in lib. 1. de bell. Gall. *murum a lacu Lemano ad montem Juram* a se *millia passuum novem decem* perductum memorat *in altitudinem pedum sedecim*. Mihi fit multo verisimilius, grande hoc opus a Romanis aut Græcis Imperatoribus exstructum fuisse, ut munitissimum urbi, qua montes respicit, propugnaculum foret adversus barbarorum incursus. Cyriacus nonnullas etiam profert Romanas Inscriptiones a se visas Dyrrhachii; eas hic exscribimus. *Ad* VII. *Kal. Jul ad Epidamnum Dyrrhachium venimus. Ubi antiqua mœnia ex cocto latere magna ex parte conlapsa vetustate conspexi;*

Inscriptiones Dyrrhachienses.

Ad

Digitized by Google

Ad portam orientalem.

D. M. S.
P. CLODIO. P. F. VALERIANO
Q. V. A. VIIL.
ET. VALERIAE. SECUND
MATRI. EIVS. OPT. CONI
Q. V. A. XXXIIII.
P. CLODIVS. P. LIBER.
PATER. INFELICISSIM
ET. CONIVGI. KARISSIM
POSVIT

Ad sinistrum portæ latus.

C. IVLIO. C. F.
ARRVNTINO
Q. V. AN. XI
MENS. VIIII
C. IVLIVS. TRYGET

Reliqua muro occupata.

Ad septemtrionalem portam ad quamdam Equestris statuam ex ære fabrefactam.

L. TAVRO. L. F. AEM
SVLPICIANO. PONTIF
PRAEF. PRO. II. VIR
ET. II. VIR. QVINQ. TR. MIL.
ET. TR. MIL. PROLEGATO
ET. PRAEF. QVINQ. T. STA
TILI. TAVRI. PATRI.

In alio marmoreo lapide.

DIS. MANIBVS. SACR
MEMMIO. EVPORIONI. VIBIA.
BENEDICTA. CONIVGI. SVO.
BENE. DE. SE. MERITO
POSVIT

Ad mœnia orientalia.

CALOGAERO. GVBERNI
NICARVS. CONIVNX. PO
VALERIVS. SECVNDVS
CASSIA. EVRYDICA. MEMORIAE
AMICI. PRODENDAE
IMPENS. OMNEM. DE. SVO
TRIBVERVNT
ORTVS. IN. ALIA. EPHYRA.....

Reliqua delera vetustate.

Neque vacat plura hujusmodi Dyrrhachiensia monumenta afferre, quæ quispiam facile in Gruterianis & Muratorianis collectionibus inspicere potest.

Post exstinctam Rempublicam cum universum imperium Romanum, & summa rerum omnium ad unum pervenisset, Dyrrhachium libertatis & immunitatis privilegio magna ex parte amisso, eadem conditione, & eodem jure, quo cæteræ provinciæ ac civitates, Imperatoribus Romanis subjectum se atque obnoxium præbere debuit. Post vero bipartitam Imperii Orientalis & Occidentalis divisionem, Dyrrhachium provinciis Orientis attributum Græcis Imperatoribus paruit, qui hanc urbem in sua potestate habere tum ad decus & utilitatem Imperii permagni interesse putabant, inde enim brevis erat & facilis transmissio in Apuliam, quam tunc Græci obtinebant; tum ad naves piraticas, quæ mare Adriaticum infestum habebant, arcendas ac repellendas. Arcem itaque natura & loco inexpugnabilem, ipsamque urbem firmissimo præsidio munierunt. Huic præ cæteris Primatum Illyrici contulerant, eamque Nicephorus Briennius & alii Græci Scriptores Metropolim Illyrici vocant, & clavem seu propugnaculum Imperii Orientalis. Dyrrhachii Præfecturam & custodiam primariis Aulæ Imperatoriæ proceribus demandare solebant, quos Duces Dyrrhachii appellabant. Inter hos præcipue adnumerandi Nicephorus Briennius Briennii superius laudati parens, quem inter conatus Imperii occupandi Nicephorus Botoniates præoccupavit; Alexius Comnenus, qui proxime post Botoniatem imperavit; Georgius Monomachates, Georgius Palæologus, Joannes Comnenus, Joannes Ducas, Isaacii Sebastocratoris filius, & alii primariæ nobilitatis viri; ex quo perspici potest, quanti hæc civitas ab Imperatoribus fieret, & quam illis cordi esset ejus possessio ac defensio, cum ad eam regendam ac tuendam nullos, nisi summi generis ac expertæ fidei ac virtutis, duces deligerent.

& Imperatoribus Græcis,

Dum Alexius Comnenus Imperium Orientis tenebat, Robertus Vuiscardus Dux Northmannorum, Apulia Græcis adempta, anno 1081. cum millibus armatorum quindecim mare trajecit, Dyrrhachium terra marique obsedit, ac vehementissime oppugnavit. Tum Alexio Imperatore, qui, Venetis in societa-

tum sub Northmannis,

Digitized by Google

tem adscitis, cum ingenti exercitu ad ferendum auxilium venerat, cæso & fugato, Dyrrhachienses ad urbem dedendam compulit, eique Bajamundum filium præfecit, quem Ducem Illyrici & Dyrrhachii appellavit. Post obitum Roberti, quem alii secundo, alii tertio ab hac transmarina expeditione anno exstinctum tradunt, Dyrrhachini, expulsis militibus ad præsidium urbis relictis, sub potestatem Alexii redierunt; & usque ad captam a Latinis Constantinopolim in fide perstitere, licet Bajamundus, maxima ornata classe, urbem aggredi, & rursum occupare irrito conatu tentasset. Narrat Orbinus de regn. Slav. pag. 233. urbem a Bodino Serbliæ Rege occupatam primum, & ab eo, pace cum Græco Imperatore inita, in hujus potestatem fuisse traditam.

sub Theodoro Angelo,

Cum anno circiter 1204. Latini Imperium Orientis, ipsamque Constantinopolim adepti essent, ex Augustalibus Græcorum familiis alii alias provincias titulo vel Imperatorum, vel Ducum & Dynastarum sibi usurparunt; & Theodorus Angelus Comnenus Isaacii & Alexii Imperatorum patruelis Dyrrhachium invasit; ibique, postquam Petrum Antisiodorensem, qui Henrico Balduini fratri in imperium suffectus Constantinopolim an. 1216. proficiscebatur, dolo captum per summam perfidiam interficiendum curasset, de restituendo Græcorum Imperio cogitavit; sed, dum ad regiæ urbis mœnia exercitum admoveret, ab Asano Bulgariæ Rege prælio victus, effossis oculis, privatam vitam finivit. Ex eo Dyrrhachiensis principatus jura in familiam Angelorum dicuntur derivata, cujus tamen possessionem nunquam obtinuere; de his satis dictum in Ecclesia Drivastensi. Verum anno 1205. Veneti urbe potiti sunt, cum *Thomas Mauroceno*, inquit Dandulus in Chronico, *ab Innocentio* (tertio) *Patriarcha* (Constant.) *effectus & cum literis Papæ Venetias rediit, & cum parato stolo portum exiit, Durachium impugnavit, cæpit, & munivit, & Cpolim inde pervenit*, ut Patriarchatus possessionem adiret. Eam certe retinebant anno 1211., uti constat ex actis Manfredi Archiepiscopi Dyrrhachiensis, unde dicuntur paullo post expulsi ante an. 1216. Anno 1303. Dyrrhachium erat in ditione Andronici Imp. Michaelis filii; quod indicant litteræ Benedicti XI. in Archiepiscopis Antibarensibus allatæ pag. 54. Deinde vero ad Francos transivit eodem sæculo decimo quarto; postquam enim Carolus e stirpe Gallicana Andegavensi & S. Ludovici regis Galliarum frater an. 1263. utriusque Siciliæ regnum adeptus jam fuerat,

sub Dynastis Andegavensibus,

ex ejus genere plures Dyrrhachii duces sive principes exstiterunt, qui urbis dominatum acquisierunt, & ab ea titulum sibi adoptarunt. Ex hisce

I. Joannes filius Caroli II. regis Neapolitani, qui obiit an. 1335., & Neapoli in Æde S. Dominici sepultus est, cujus hæc epigraphes sepulchralis ex Engenio in Neapoli Sacra pag. 280.

Dux Duracensis regali de stirpe Joannes
Atque Comes dignus Gravinæ mente benignus
Ac Albanorum Dominus correptor & harum
Angelici montis sancti dominator honoris
Princeps discretus mira pietate repletus
Francia cui patrem confert Hungaria matrem
Sancta de gente generatus utroque parente
Hic jacet illustris vitæ clausis sibi lustris
Anno millum quo Christus corde sereno
Et tricenteno perfulsit ter quoque deno
Quinto migravit cœlestia qui properavit
Tertia præstabat indictio quæ numerabat
Oramus Christe cœli Dux inclytus iste
Vivat in æternum Patrem speculando supernum.

II. Carolus Joannis filius, cui Maria soror Joannæ I. reginæ Neapolis nupsit, ut est in Chronico Suessano; verum Maria notha filia erat Sanciæ Majoricensis, secundæ Roberti regis uxoris, ex illicito, uti perhibetur, concubitu cum Carolo Calabriæ Duce, & filio Roberti fratris Joannis Dyrrhachiensis & patris Joannæ ex prima conjuge Violanta Aragonensi. Vita functus anno 1347. & ipse Neapoli in templo D. Laurentii jacet, cujus tumulo hæc inscripta leguntur.

Hic jacet corpus Serenissimi Principis & D. D. Caroli Ducis Duracii qui obiit anno Dom. 1347. *die* 25. *mens. Januar. primæ Ind. Jacet hic tumulatus Dux Duracii virtutibus ornatus.* Apud Engenium pag. 175., qui pag. 243. inscriptiones profert sepulchris incisas tum Mariæ, ut ipse ait, uxoris Caroli, tum filiorum Ludovici, Agnetis & Clementiæ, quæ visuntur in Ecclesia D. Claræ.

III. Carolus II. Caroli filius, quem Ludovicus Hungariæ rex suspectum de nece illata Andreæ fratri & Joannæ I. reginæ Neapolitanæ conjugi occidi jussit.

IV. Ludovicus Caroli interempti frater, & Comes Gravinæ.

V. Carolus III. filius Ludovici, qui ex Hungaria redux, quo fuerat abductus, regno Neapolitano potitus est an. 1381. mox ad Hungaricum evocatus Budæ miserrime periit Kal. Januariis an. 1386. Huic conjux fuit Margarita Dyrrhachiensis ejus consobrina, ex qua Mariam genuit an. 1371. morte sublatam, & in D. Laurentii Æde conditam cum hoc titulo, quem affert Engenius pag. 115.

Hic jacet corpus Illustris puellæ D. Mariæ de Duracio filiæ regis Caroli III. quæ obiit anno Domini 1371. 4. *Ind.*

Ubi Engenius & Joannam Ducissam Duracii Roberto Artesio nuptam nominat, quæ an. 1387. exstincta est.

VI. Ladislavus Caroli III. filius, Hungariæ Rex & Siciliæ utriusque; vitam finivit an. 1414.

VII. Joanna Ladislavi soror, cui & in regnum Neapolitanum & in principatum Dyrrhachinum successit. Sed hujus morte anno 1435. familia quoque Andegavensis Prin-

ci-

Digitized by Google

sub Venetis, eipum Dyrrhachiensium interiit. Orbinus pag. 292. Dyrrhachium a Balsis, quæ gens in Serbliæ & Epiri locis potens armis dominabatur, statim ac nuntiatum est de morte Ladislavi, captum fuisse scribit; sed & ab iis paullo post amissum. Et anno quidem 1386. Veneti, cum gravi injuria affecti fuissent a Margarita Neapolis regina, quæ, violato gentium jure, onerariam eorum navim mercibus ditissimam in conspectu urbis retineri jusserat, & congestis opibus spoliari, ornata ingenti classe Dyrrhachium aggressi sunt, & Andegavensibus armorum vi ereptum ad suum imperium cum aliis oppidis Epiri novæ adjunxerunt sub exitu sæc. XIV. Hæc Summontius lib. 4. hist. Neapol. Sed cum annos amplius centum urbem validissimis præsidiis munitam in sua potestate tenuissent, anno demum 1501., cedere coacti sunt immani Turcarum dominio, a quibus etiamnum oppressa tenetur, opibus exhaustà, vulgaribus tectis habitata, incolarum numero diminuta, & antiqua magnificentia, pristino cultu ac splendore prorsus exspoliata.

demum sub Turcarum tyrannide.

Ecclesiæ Dyrrachiensis initia, Primordia Christianæ religionis apud Dyrrhachinos inde usque a temporibus Apostolicis repetamus licet, nec videtur dubitari posse, quin Paullus Apostolus, qui ab Hierusalem usque ad Illyricum replevit Evangelium Christi, ut est in ep. ad Rom. cap. XV. & Macedoniam atque Græciam evangelica luce collustravit, eam quoque partem Macedoniæ peragraverit, quæ postea dicta est Epirus nova, & Dyrrhachium nobilissimam ea tempestate civitatem adierit, & non paucos e civibus ad Christi cultum traduxerit. Quocirca Paullus hujus Ecclesiæ auctor primus putandus est; & si fides habenda Menologiis Græcis, Apollo quidam, aut Cæsar, de septuaginta Christi Discipulis ambo, primus itidem fuit Dyrrhachii Episcopus; de quibus postea. Episcopatum Dyrrhachinum antiquissimum esse ne in dubium quidem vocari potest. An vero hæc Ecclesia simul Episcopalem & Metropoliticam dignitatem adepta fuerit, vel quo tempore Metropolis esse cœperit incompertum habeo. Sæculo quinto jure ac titulo metropolitico præditam fuisse ex Conciliis & monumentis illius ætatis non obscure perspicitur. Principio provincia Dyrrhachiensis ecclesiastica iisdem ferme, ac Epirus nova, terminis circumscripta erat; & eodem sæculo quinto has urbes episcopales ex epist. Lucæ Metropolitæ Dyrrhachiensi ad Leonem Imp. complectebatur; *Scampem*, *Lychnidum*, *Villidum* seu Bullidum, *Apolloniam*, *Aulonam*, *Prinam*, seu Prisnam aut Prinistam. His adde *Amantiam* ex Carolo a S. Paullo, qui eosdem, ac Lucas, Episcopatus enumerat cum *Listro* seu *Hellistro*, fortasse *Lisso*, in Geogr. Sacra. Lequienius in suo Oriente Christ. varia recensione Episcopatus enumerat huic metropoli subjectos; nam tomo 2. eidem subjicit, *Scampensem*, *Apollonienſem*, *Bullidensem*, *Amantianum*, *Decaterensem*, *Aulonensem*, *Letranensem*, *Drivastenum*, *Stephaniacensem*; mox tomo eodem Leonis VI. Imp., cui Sapienti cognomen fuit, divisionem & nomenclationem Ecclesiarum describit constitutam sæculo IX., qui *Thronum Dyrrhachii* Romano ademptum subdit Patriarchæ Constan. cum hisce Ecclesiis, *Stephaniacensi*, *Chonubiensi*, *Crojensi*, *Elissensi*, *Diocleensi*, *Scodrensi*, *Drivastensi*, *Palathensi*, *Glabinitzensi seu Acroceraunia*, *Aulonensi*, *Lychnidensi*, *Antibarensi*, *Tzernicensi*, *Polycheropolitana seu Pulcheriopolitana & Graditziensi*. Inter has & superius descriptas Dioclensis & Antibarensis unam modo efficiunt metropolim, cui Scodrenses, Drivastenses, Palathenses seu Balleacenses subsunt Episcopi; Catharensis ad Bariensem metropolim spectat; e reliquis aliæ, dum stetere, Dyrrhachino paruerunt, aliæ etiam nunt parent metropolitæ. *Graditziensis* & *Tzernicensis* urbis & Episcopatus nulla vestigia, nulla exstant monumenta, unde earum positio queat dignosci, neque ullius Episcopi nomen superest. Tertio demum tomo provinciam novam Dyrrhachiensem ritus Latini ex his Episcopalibus Ecclesiis Lequienius constituit, *Kernicensi nimirum*, *Priscensi*, *Crojensi*, *Lissiensi*, *Candariensi*; sed Kernicensis ipsi Lequienio ignota est, & Achajæ potius tribuenda, uti indicat ep. Innocentii III. 98. lib. XVI. Aubertus Miræus Leonis hierarchicam descriptionem refert; in novo autem Codice provinciali ab eo prolato hæ solum Ecclesiæ videntur attributæ Dyrrhachino Archiepiscopo, *Benden. Crojen. Lissien. Albanen. Canovien.* In libro, cui titulus, *Numerus & tituli Cardinalium*, *Archiepisc.* &c. *Parisiis an.* 1545. pag. 34. *Archiepiscop. Duracensis nullum* habere dicitur *Suffraganeum*; forte quia, cum tota provincia jam Turcarum tyrannide premeretur, & teterrimis bellorum motibus sæpissime esset agitata hoc sæculo decimo sexto, sui non crearentur Episcopi, vel cogerentur abesse. Sed & *Albanensis* in Cod. Provinciali Miræano restituenda est suo Metropolitæ Antibarensi. Verum errat gravissime Orbinus, cum pag. 247. Ecclesiam Dyrrhachiensem Metropolitæ primum Diocleensi, deinde Ragusino subjectam fuisse affimat; quæ archiepiscopali dignitate & metropolitico jure caruit nunquam a quinto æræ Christianæ sæculo, cum neque Dioclea, neque Ragusium seu Epidaurus metropoleos honore nondum prædita erant. Nunc hæ Ecclesiæ subsunt Dyrrhachiensi Archiepiscopo, *Alexiensis*, *Crojensis*, *Bendensis*, *Stephaniensis*, *Canoviensis*, *& Pricensis*; verum pleræque carent Episcopo, & vel inter se conjungi, vel finitimis Episcopis commendari solent. In subscriptionibus Episcoporum per provincias distinctis subjectisque actioni XV. Concilii Chalcedonensis an. 451. unius Episcopi nomen legitur in provincia Epiri novæ, cujus Ecclesia hic certe locum non habet; is est *Petrus Ecimiensis*, al. *Ecbimiensis*; ubi error facile deprehenditur; & *Ecimiensis* vocabulo substitui debet *Ecbinensis*; *Petrus* vero *Ecbinensis* seu *Ecbinæorum* eidem Concilio interfuit, ex

& jus metropoliticum.

Ecclesiæ eidem subjectæ,

Echino Achajæ urbe vel Thessaliæ. Equidem actione IV. ejusdem Concilii *Petrus Echinæorum Episcopus* conjungitur cum Episcopis Epiri novæ, qui Synodi Ephesinæ Œcumenicæ acta & epistolam S. Leonis in Nestorium & Eutychem cunctis suffragiis approbavere. At hic etiam mendum licet suspicari; nam præter Echinum Thessaliæ confinem & Achajæ, & in Acarnania forte, seu Doride positum ad limites veteris Epiri, de quo Plinius lib. 4. cap. 7., aliam urbem cognominem non invenies apud Geographos; & a Hierocle tribuitur Echinus civili provinciæ Thessaliæ. De Ecclesiis cæteris, *Acroceraunia* scilicet, *Amantiana*, *Apolloniensi*, *Aulonensi*, *Bullidensi*, *Pulcheriopolitana*, *Lestronensi* & *Scampensi*, licet perierint, suo loco agemus cum superioribus, omissa Lychnidensi, de qua in historia Justinianæ primæ & Achridanæ metropolis disserendum.

Provincia Dyrrhachina cum omnibus Ecclesiis Illyrici Orientalis suberat Primati Thessalonicensi, Vicario Apostolico Pontificis Romani; sæculo autem sexto sub potestatem Archiepiscopi & Primatis Justinianæ primæ itidem Vicarii Apostolici migravit. Diœcesis Dyrrhachiensis fines antiqui confusi sunt & incerti propter vetustatem temporum, & conversionem rerum ac perturbationem a Turcis invectam. Tribus olim erat ornata amplissimis Monasteriis Ordinis Benedictini, unum S. Mariæ de Berma, alterum S. Nicolai de Battason, tertium S. Bernardi nuncupatum, quorum ne reliquiæ quidem supersunt. Duo item in urbe Cœnobia, alterum Dominicani, alterum Franciscani severioris instituti, exstructa fuerant, unde illustres prodiere virtute ac doctrina viri, qui Albanum nomen decusque auxerunt. Cathedralis Ecclesia exstitit Deiparæ Virginis titulo sacra, funditus a Turcis excisa. Nunc diœcesis tota ab oriente Crojensem, a septemtrione Alexiensem diœcesim attingit, ab occasu mari terminatur. Sæculo XVII. in finem labente diœcesis Dyrrhachina sexcentas supra mille Catholicorum familias complectebatur; ex his millia hominum fere quatuordecim numerat. At ex literis Archiepiscopi Antibarensis anno 1798. datis ad Petrum Bassichium Ragusiensem, eruditum virum nobis amicissimum, intelleximus, tres tantum Catholici ritus familias Dyrrhachii degere, passim per agros paucissimas, maximum Catholicorum hominum numerum in montibus esse diffusum; at plurimi Græcanici schismatis cultores regionem incolunt, & a suo reguntur Episcopo. Archiepiscopi Sedes plerumque Corbinum est, haud exiguus in amœno colle pagus, qui unius ac dimidiæ diei iter abest Dyrrhachio. Nunc ordienda series Antistitum Dyrrhachiensium, quam dolemus pluribus sæpe, pluriumque annorum lacunis esse interruptam ad sæculum ferme XI. aut XII. Nihil vero diligentissimæ perquisitionis prætermissum est, ut e vetustis monumentis eruemus quidquid illustrandæ nobilissimæ huic Ecclesiæ adjumentum afferret, rerum veritate bene perspecta, & justo rationis judicio, ac historiæ legibus comprobata.

&d pœsis.

Antistitum Dyrrhachiensium Series.

EPISCOPI DYRRHACHIENSES.

I. S. Cæsar an. circ. 58.
II. S. Astius an. circ. 100.
III. Eucharius an. 431.

ARCHIEPISCOPI.

I. Lucas an. 449.
II. N. N. an. 519.
III. Marinianus an. circ. 550.
IV. Urbicius an. 598.
V. Sisinnius an. 690.
VI. Nicephorus an. 787.
VII. Antonius an. circ. 810.
VIII. Lucianus an. 879.
IX. N. N. an. circ. 1030.
X. Laurentius an. 1040.
XI. Gregorius an. 1141.
XII. Eustachius an. 1156.
XIII. Michael an. 1166.
XIV. Manfredus an. circ. 1201.
XV. N. N. an. 1211.
XVI. Antonius II. an. 1296.
XVII. Petrus an. 1303.
XVIII. Antonius III. an. 1305.
XIX. Matthæus an. 1320.
XX. Petrus II. an. 1340.
XXI. Angelus an. incerto.
XXII. Antonius IV. an. 1349.
XXIII. N. N. an. 1370.
XXIV. Joannes an. circ. 1383.
XXV. Stephanus an. 1394.
XXVI. Minor an. incerto.
XXVII. Joannes II. an. 1412.
XXVIII. Nicolaus an. 1422.
XXIX. Joannes III. an. 1428.
XXX. Stephanus II. an. circ. 1458.
XXXI. Paullus an. circ. 1459.
XXXII. Marcus an. 1462.
XXXIII. Martinus an. circ. 1488.
XXXIV. Franciscus an. 1499.
XXXV. Nicolaus II. an. 1505.
XXXVI. Gabriel an. 1510.
XXXVII. Gregorius II. an. 1535.
XXXVIII. Ludovicus an. 1540.
XXXIX. Decius an. circ. 1608.
XL. Antonius V. an. 1625.
XLI. Marcus II. an. 1640.
XLII. Nicolaus III. an. 1657.
XLIII. Gerardus an. 1670.
XLIV. Petrus III. an. 1700.
XLV. Petrus IV. an. 1720.
XLVI. Joannes IV. an. 1738.
XLVII. Nicolaus IV. an. 1752.
XLVIII. Thomas an. 1774.
XLIX. Paullus II.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI DYRRHACHIENSES.

S. CÆSAR EPISC. DYRRHACHIENSIS I.

S. Cæsar Episc. Dyrrhachiensis.

DE Dyrrhachino Cæsaris Episcopatu, & de controversia instituta, idem ne fuerit qui nominatur a D. Paullo in epistola extrema ad Philippenses, huc revoca quæ in Tomo I. Operis nostri pag. 263. copiose disseruimus. Fuit unus de septuaginta Christi Discipulis & primus Dyrrhachii Episcopus, ut est in Menæis & Menologiis Græcorum, tum in Synopsi Dorothei de Discipulis Domini; *Cæsar, cujus meminit Paullus, qui Dyrrhachii Episcopus fuit;* & iisdem fere verbis apud Primum Cabillonensem Episcopum in Topographia SS. Christi Martyrum, Petrum de Natalibus in Catal. SS. l. 6. cap. 103. aliosque Scriptores. Sed cum Baronius acri sane censura Dorotheum confixerit, quia Cæsarem eumdem esse scribit atque commemoratum a Paullo, assentiar ipsum, eumque secutos Hagiographos in hoc errasse, salvo tamen Episcopatu Dyrrhachiensi Cæsaris, salva ejus sanctitate, & disciplina e schola Christi accepta, quæ cur in dubium vocentur, nulla subest caussa. Quare Philippus Ferrarius in Catal. Gener. SS. negat quidem Cæsarem illum esse, cujus meminit Apostolus Paullus, sed non arguit & discipulum Christi fuisse, & Episcopum Dyrrhachinum; scribit enim ad diem xv. Maji; *Dyrrhachii in Macedonia S. Cæsaris discipuli Christi & Episcopi;* & in notis subdit; *De eo Dorotheus in Synopsi & Petrus in Catalogo, ubi scribit ejus mentionem ab Apostolo Paullo in ep. ad Philippenses fieri, cum Cæsar ibi memoratus non hic, sed Imperator sit.* Cæterum Baronius ipse non multa quidem, sed *nonnulla tantum* in Synopsi Dorotheana se reperisse dicit in notis ad Martyrol. v. Jun. *quæ castigatione digna sunt;* ex quo fit, quod siquid falsi in ipsa legas, aut minus certum & exploratum, continuo omnia, quæ ab eo scripta sint, repudiare minime oportet, præsertim cum neque sacræ, neque ecclesiasticæ historiæ repugnent; in his autem, de quibus Dorotheo non temere credi potest, habendum censeo Episcopatum Dyrrhachiensem Cæsaris, cui nulla veterum auctoritas adversatur. Certe de Dorotheo, cujus apud plurimos irfirmum adeo & inbecillum testimonium est, hoc habes elogium in Menologio Græcorum ad diem XVIII. Kalendas Maji, ubi de quibusdam Paulli discipulis præclara quædam commemorant. *Qui beatissimus Dorotheus, cum Romæ esset, Romana lingua scripta reliquit; non solum autem de his, sed & de reliquis Apostolis, & sanctis viris & sacris Prophetis historiam accurate conscripsit; fuit enim vir ille multarum rerum scientia insignis, ut quivis alius;* erat autem Tyri Episcopus tertio Ecclesiæ sæculo, & Diocletiano imperante, illustris martyrii palmam adeptus est.

Porro verisimile est, Cæsarem post Christi mortem, ejusque in cælum ad Patrem reditum, se in Paulli societatem & disciplinam contulisse, & a Paullo, dum Romæ in vinculis erat, post epistolam ad Philippenses datam an circ. 57. aut 58. ex urbe dimissum, & Episcopum præpositum Dyrrhachinis, quibus ipse antea, ut superius dictum, Evangelii lucent attulerat, cum Macedoniam & Illyricum peragrabat. Vide Tomum I. part. 3. prolegom. Is apud Græcos cum SS. Sosthene, Apollo, Cepha & Epaphrodito XXIX. & XXX. Martii, itemque VII. VIII. & IX. Decembris repetita commemoratione colitur; & de illo Bollandiani in prætermissis & rejectis a XV. Maji in alios dies; *S. Cæsar ex 70. Christi Discipulis Episcopus Dyrrhachii indicatur in Catalogo generali Ferrarii ex Græcorum Menologio; quale hoc sit nescimus. Solet is citare Menologium Sirleti, in quo deest. Refertur die 19. Martii, sed tunc remisimus ad diem, quo & dicto Menologio & Menæis celebratur cum aliis Discipulis Christi, 8. & 9. Decembris.* Verum in Menologio Sirleti edito a Basnagio Tomo 3. Thesauri Canisiani Cæsaris mentio inest die 7. Decembris, omisso *Episcopi* titulo. Etiamsi vero quis dubitare velit de hoc Cæsaris Episcopatu, mihi quidem improbabile videtur, nobilissimam civitatem, cujusmodi Dyrrhachium erat, primo æræ Christianæ sæculo Episcopo caruisse; & cum alterius cujuspiam nomen non exstet, qui primus huic Ecclesiæ præfuerit, cur Cæsarem rejiciamus, de quo probabilia monumenta loquuntur? an. circ. 58.

Num S. Apollo fuerit Episc. Dyrrhachii.

In laudato Menologio Sirleti eadem, qua Cæsar, die colitur S. Apollo memoria, *Episcopi Dyrrhachii, cujus Apostolus mentionem fecit*, nempe in ep. 1. ad Cor. cap. 1. & in ep. ad Titum cap. 3. Is est, quem S. Lucas in Act. Apost. cap. 18. diserte commendat tum ob sacrorum librorum doctrinam, tum ob eloquentiam sermonis, qua Evangelium per varia Græciæ præsertim loca ferventi animo disseminavit; & hujus caussa, eo tamen inscio & invito, gravis illa contentio exorta est Corinthi inter Christianos, de qua Corinthios reprehendit Apostolus Paullus in illa priore epistola. Verum præter Sirletianum Menologium nullus est auctor, qui Dyrrhachiensem Episcopatum illi attribuat. Ferrarius in Catal. die 22. Julii illum *Conensem*, forte *Iconiensem* in Phrygia Episcopum dicit; sunt vero, qui *Colophoniæ* in Asia, qui *Cæsareensi*, nescio cui, Ecclesiæ præficiant, apud Calmetum in Dict. Bibl. verbo *Apollo*. Porro S. Hieronymus in Comment. Paullinæ epistolæ ad Titum cap. 3. hæc de Apollo memoriæ prodidit; Iste *est Apollo, de quo & ad Corinthios scribitur, Unusquisque vestrum dicit, Ego sum Paulli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ. Fuit autem vir Alexandrinus ex Judæis valde eloquens, & perfectus in lege, Episcopus Corinthiorum, quem propter dissensiones, quæ in Corintho erant, ad vicinam insulam Cretam*

cum

cum Zena legis doctore putandum est transfretasse, & Paulli epistola dissensionibus, quæ Corinthi ortæ fuerant, temperatis, rursum Corinthum revertisse. In hac igitur opinionum varietate nulla est major ratio, propter quam ea sit præferenda, quæ Apollo in Dyrrhachiensi Episcopatu constituit, unde illum expungere licet; & verisimilius est, quod Hieronymus vir summe eruditus affirmat absque ulla dubitatione, eumdem Corinthi Episcopum exstitisse. Post Cæsarem nullum invenio, qui ante secundum ab ortu Christi sæculum Dyrrhachinam Ecclesiam gubernaverit.

S. ASTIUS EPISCOPUS DYRRHACHIENSIS II.

S. Astius Ep. Dyrrhachien. an. circ. 100.

Dum Ulpius Trajanus anno duodecentesimo imperium adeptus rerum potiebatur, Astius, sive Astejus Dyrrhachii rei Christianæ præsidebat; cumque Imperator tertiam adversus Christi cultores persecutionem edixisset, hæc tempestas, ut in alias orbis terrarum Ecclesias, etiam in Dyrrhachinam incubuit; ubi sanctissimus Episcopus ab Agricolao urbis præside comprehensus invicto animo gloriosam pro Christiana religione mortem oppetiit. Ejus martyrium hisce describitur in Menologio Basiliano apud Hagiographos Antuerpienses Tomo 2. ac die sexta mensis Julii. *Certamen sacrosancti Martyris Asteii episcopi Dyrrhachii. Astejus sanctus Martyr vixit sub Trajano Imperatore. Ab idololatris captus Agricolao Præsidi traditus est. Cumque jussus esset Christum negare, & idolis sacrificare, neque eo adduci posset, in carcerem missus est. Porro priusquam comprehenderetur, tale habuit somnium. Vidit seipsum supra petram stare unctum pice & oleo; & expergefactus dixit Clericis suis; Fratres, oportet me pati propter Christum. Cæterum unusquisque vestrum discedat, ubi salvus esse possit. Hæc locutus comprehensus est, uti dictum; & stans coram Agricolao, Christumque confessus in carcere conclusus fuit. Unde dimissus plumbatis cæsus, dein melle unctus suspensus fuit in ligno tempore æstivo, ut a vespis & muscis depastus e vita excederet. Hoc facto, gratanter cruciatum perferens animam Christo tradidit.* Hæc de Astio repetita fere leguntur in eodem Menologio die septima Julii, qua septem sanctissimi Martyres coluntur, qui metu persecutionis Trajaneæ perterriti ex Italia Dyrrhachium appulerunt, cum Astius adeo crudeliter excruciaretur, ejusque admirati constantiam in perferendo supplicio palam aperteque illum beatum prædicare cœperunt. Quare a satellitibus comprehensi, ceu inanium Deorum contemptores, jussu Præsidis vinculis adstricti, & in mare demersi sunt. Eorum hæc nomina in Martyrologio Romano, in quo ipsa die VII. Julii S. Astii fit mentio, cum a Græcis dies VI. ejus cultui sit dicata. *Dyrrhachii in Macedonia sanctorum Martyrum Peregrini, Luciani, Pompeji, Hesychii, Papii, Saturnini & Germani, qui natione Itali in persecutione Trajani ad eam urbem confugientes, cum S. Astium Episcopum ibi pro fide Christi in cruce pendentem viderent, Christianos se esse palam confessi, jussu Præsidis tenti, atque in mare demersi sunt.* In Menologio laudato *Papias* pro *Papius* scribitur, & eorum corpora *ab Archiepiscopo Alexandrino patefacta honorifice reposita* dicuntur. Sed verendum ne Archiepiscopus Alexandrinus longe a mari Adriatico & Dyrrhachio distans per errorem irrepserit; & vel Dyrrhachiensis, vel propinquior alius Antistes forte substitui debet. Uti & in tabulis quibusdam Græcorum mendum inesse suspicatur Ferrarius in suo Catalogo; in iis enim die VI. Julii *S. Aberistum Episcopum & Martyrem Dyrrhachinum* concelebrant, qui alius ab Astio esse nequit, probantibus ipsis Bollandianis; & pro *Astio* e calamo cujuspiam *Aberistus* primo exciderit, unde cæteri *Aberistum* exscripsere. Cardinalis Baronius in Tomo 2. Annal. Astii, *alias*, inquit ipse, *Antistius*, & cæterorum martyrium affixit anno decimo supra centesimum ab Christi ortu, & undecimo Trajani Imp. in illo autem enarrando tum Latini, tum Græci Hagiologi omnino ferme consentiunt.

Ejus martyrium.

Martyres Dyrrhachienses.

S. Ignatius Dyrrhachium Venit.

Sub initium tertiæ persecutionis an. 108. Dyrrhachinam Ecclesiam & civitatem suo adventu, suaque præsentia illustravit S. Ignatius, qui cum vinctus Antiochia Romam perduceretur, ex itinere terrestri Epidamnum sive Dyrrhachium adiit, qua in urbe, ut verisimile est, Christianos ad constantiam & quælibet pro Christo perferenda supplicia cohortatus præclara suæ sapientiæ & sanctitatis vestigia reliquit. Ita in Actis selectis Martyrum apud Ruinartium, ubi de S. Ignatii martyrio; *Pertransivit Macedoniam pedes & terram, quæ ad Epidamnum est;* unde, navigio conscenso, in Italiam appulit & Romam pervenit. Qua de re in Prolegom. Operis nostri Tomo I. pag. 265. copiosius actum est; & quamvis non sit nobis propositum adversus scriptores quosdam disserere, Davidem nimirum Blondellum, & Villhelmum Loidium, qui Centuriatorum Magdeburgensium dubitationes fortasse secuti terrestrem Ignatii iter per Macedoniam & Epirum denegant, libet tamen animadvertere nostram sententiam probari ab eruditissimis viris P. Halloixio cap. 6. apolog. pro scriptis Ignatianis, Isaaco Vossio in suis ad Rivetum literis contra Blondellum, ac Jacobo Usserio in notis ad Acta S. Martyris; de quibus vide Cotelerium, qui nobiscum sentit, tomo 2. Patrum Apostolic. In cæteris septem persecutionibus, ac præsertim decima a Diocletiano indicta toto terrarum orbe, & omnium atrocissima, dubitari non potest, quin Ecclesia Dyrrhachiensis Martyres quam plurimos ad cœlum transmiserit. In ea siquidem urbe celeberrima adeo Christi cultus & religio florebat, ut Magistratuum & Præsidum in Christianis vestigandis & puniendis

sa-

Digitized by Google

SS. Cosmas & Rufus martyrium non sunt passi Dyrrhachii.

sagacitatem & sævitiam neque Clerici neque laici effugere possent. Sed vel defuerunt, qui horum Martyrum acta describerent, vel si qua literis tradita fuerunt, urbe sæpius capta & direpta, & tabulariis incensis, aut ob niniam vetustatem periere. In Tomo II. hujus Operis Catalogus editus est Martyrum Illyricorum sub Diocletiano, Galerio & Licinio, ac pag. 445. in iis, qui ex Epiro & Macedonia censentur, *Dyrrhachii SS. Cosmas & Rufus Mm. XV. Kal. Januarii an. incerto.* Sed falso hæc esse scripta deprehendimus, tum quia in nullo prorsus vel optimæ notæ Hagiologio, nec ulla totius anni die horum Martyrum memoriam conjunctim licet reperire, & quotquot aut *Cosmæ*, aut *Rufi* nomine Martyres sunt, aliis in locis dicuntur pro Christo passi, nemo Dyrrhachii; tum quia qui XV. Kal. Januarii, id est die decima octava Decembris in Romano cæterisque Martyrologiis coluntur Zosimus & Rufus, Philippis, quæ urbs longe Dyrrhachio abest, mortem subierunt. Atque hos esse, quos S. Polycarpus in ep. ad Philippenses maxime commendat his verbis; *Rogo vos omnes, ut omnem patientiam exerceatis, quam oculis ipsis vidistis in beatis Ignatio, & Zosimo, & Rufo;* Baronius in tomo 2. Annal. ad an. 109. aliique affirmant, proindeque illustre illorum certamen in hunc annum rejicias oportet, & ad tempus persequutionis Trajani. Quamquam de ipso loco martyrii dubitare videtur Solierius in Observat. ad Martyrologium Usuardi hac die Decembris XVIII. Nam in Romano parvo Martyrologio cæteris vetustiore nulla exstat mentio urbis vel loci, ubi *aut passi aut depositi sunt*. Ado vero illud exscribens, & ex ep. Polycarpi ad Philippenses perperam conjiciens, Zosimum & Rufum Philippis obiisse, Martyrologio ad suum arbitrium adjecit; *Hi requiescunt apud civitatem Macedonum Philippis. Quæ mihi valde incerta videntur*, subdit Sollerius; & hinc *a præfata positione exorsus est Usuardus reliquum Adonis elogium describens*. Utque sæpe accidit, qui post Usuardum martyrologia texuere, illius & Adonis testimonium bona fide sunt secuti, quod acriori judicio examinare debuissent. Si igitur nec de urbe satis certo constat, quam Zosimus & Rufus martyrio nobilitarunt, licet Ado, Usuardus, cæterique post illos *Philippos* nominent, neque Dyrrhachinæ civitati & Ecclesiæ hi Martyres adscribendi erunt, de qua scriptor nullus meminit in eorum actis.

Post S. Astium memoria omnis evanuit aliorum Episcoporum, qui huic Ecclesiæ præfuerint, per annos amplius tercentos; & ad sæculum quintum usque Episcopatus Dyrrhachini mentio in ecclesiasticis monumentis vix aliqua, aut ne vix quidem reperitur.

EUCHARIUS EPISCOPUS DYRRHACHIENSIS III.

Eucharius Episc. Dyrrhachiensis anno 431. interest Conc. Ephes.

Anno 431. interfuit Concilio Ephesino, & Actione prima ejus nomen ita legitur: *Considentibus in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis & sanctissimis Episcopis, Cyrillo &c. Eucharo Dyrrhachii Epiri novæ*, in Græco, Δωραχίς Ηπειρος νεας. Tum in eadem Actione epistolam Cyrilli Episcopi Alexandrini ad Nestorium his verbis approbavit. *Eucharius Doracii Episcopus dixit: Sanctissimi, Deoque dilectissimi Archiepiscopi & patris nostri Cyrilli epistolam ad religiosissimum Nestorium scriptam justa trutina examinavi fidei a sanctis patribus nostris Niceæ quondam congregatis explanatæ respondere comperi: quare & ego quoque sic teneo & credo: atque ad eumdem modum comparatus in Domino vivere & mori exopto.* Ac sententiam a Patribus Ephesinis in Nestorium prolatam cum cæteris Episcopis suo chirographo confirmavit; *Eucharius Dyrrhachii Episcopus decernens subscripsi* &c. in Græco, ἐπίσκοπος Δυρραχίς. Actione V. subscripsit etiam Synodi decreto adversus Joannem Antiochenum Antistitem aliosque Episcopos, qui facta a Concilio secessione, in Cyrilli & Memnonis Episcopi Ephesini impiam damnationem coierant; *Eucharius Episcopus Dyrrhachii subscripsi*; ex antiqua versione in Cod. 524. Bibl. regiæ Parisiensis. Demum Actione VI. Synodico de Fide decreto cum omnibus omnino Patribus assensus est ita; *Eucharius Episcopus civitatis Dyrrhachii subscripsi*; & ex versione Marii Mercatoris; *Eucharius Episcopus civitatis Dyrrhecii subscripsi*. In Actione prima Concilii Chalcedonensis, cum acta quædam Ephesinæ Synodi Œcumenicæ legerentur, Eucharii nomen hisce exprimitur; *Eucharii Dyrrhachenо novæ Epiri*.

ARCHIEPISCOPI DYRRHACHIENSES.

LUCAS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS I.

Lucas Archiep. Dyrrhachiensis anno circ. 449.

IN hoc primum apparere cœpit & splendescere dignitas metropolitica Ecclesiæ Dyrrhachinæ, quam Lucas tum in Conciliabulo Ephesino, tum in Synodo Chalcedonensi, tum denique in sua epistola ad Leonem Imp. apertissime explicuit. Primum enim interfuit Ephesino conventui, quod majores nostri Ephesinum Latrocinium, seu prædatoriam Synodum, appellarunt, quodque Theodosius Junior Imp., injussu S. Leonis Romani Pontificis, an. 449. coegerat pro restituendo Eutychete Archimandrita, cum jam in Concilio Constantin. anni superioris ob nefariam hæresim in duplicem Christi naturam damnatus fuisset. Sed cum Dioscorus Alexandrinus Episcopus, idemque Eutychetis fautor Synodo

Digitized by Google

do præesset, & per vim ac fraudem omnia indigna ageret, & ab Episcopis vel invitis extorqueret, Lucas & cum eo Antonius Episcopus Lychnidiensis metu ac minis coacti sententiam pro restitutione Eutychetis dixere. In Actis Latrocinii Ephesini, quæ coram Patribus Chalcedonensibus actione prima lecta sunt, & a S. Leone, ac ab iisdem rescissa ac reprobata, *Lucas Dyrrhachii* cum aliis, qui adfuerant, Episcopis nominatur; & ejus pro Eutychete concepta formula recitata est in hæc verba; *Lucas Episcopus Dyrrhachii dixit: Reverendissimus Presbyter & archimandrita Eutyches per oblationem libellorum & gestorum docuit sanctam & magnam Synodum, sobrium se esse in Christo, & confiteri decenter expositam fidem tam a sanctis patribus & doctoribus, quam a sancto Nicæno Concilio, & confirmatam in Ephesina urbe, congregata magna & universali synodo, & a collectis nunc in eadem metropoli sanctissimis & beatissimis Episcopis, & per probationem reddentibus memorato reverendissimo Presbytero & archimandritæ sanctam Presbyterii communionem, & primatum monasterii. Et ego hæc eadem profiteor, & pari definio.* Cum Luca hisce verbis assensus est & Antonius; *Antonius Episcopus Lychnidiensis dixit: Et ego consona iis quæ ante me sanctissimus Episcopus Lucas metropolitanus confessus est, adæque sapiens approbavi.* Deinde proposita a Dioscoro damnatione Flaviani Constantin. & Eusebii Dorilæi Antistitum, quorum præcipue opera ferventibusque studiis Eutychianum dogma proscriptum, illiusque auctor fuerat ab Ecclesiæ communione ejectus in Synodo Constant., *Lucas Episcopus Dyrrhachenæ civitatis dixit similiter*, ac cæteri Episcopi, *in damnatione Flaviani & Eusebii*; tum conciliabuli acta confirmavit; *Lucas Episcopus Dyrrhachii, definiens subscripsi*; ipsumque secutus Antonius; *Antonius Episcopus Lychnidensis, definiens subscripsi*. Hæc cum impie violenterque Ephesi perpetrata fuissent, Leo Pontifex Marcianum Imp. sua auctoritate impulit, ut Concilium Chalcedone convocaret, quo totius Ecclesiæ sententia Ephesini Latrocinii acta rescinderentur, & adversus Eutychetis insaniam Catholica Fides firmiter sanciretur. Anno igitur 451. cum Legatis pontificiis convenere Chalcedonem Episcopi omnino sexcenti & triginta. In his Actione prima nominatur *Lucas Dyrrhachii, metropolis novæ Epiri*, qui, dum acta Ephesina legerentur, facti pœnitens cum aliis Patribus, quorum prolatæ fuerunt subscriptiones, vexationes minasque Dioscori testatus est, quare ejus se arbitrio ac voluntati accommodaverit, veniamque erroris petivit. Itaque secundæ Actioni interfuit iterum *Lucas Dyrrhachii*, in tertia in Dioscori condemnationem consensit; *Lucas Episcopus Dyrrhachenæ civitatis, metropolitanus provinciæ novæ Epiri, subscripsi*; in quarta S. Leonis epistolam, ejus Fidei regulam adversus Eutychetis deliramenta sua subscriptione probavit; *Lucas reverendissimus Episcopus Dyrrhachii, metropolis novæ Epiri*. Actione sexta & nomen *Lucæ Dyrrhachii*, & ejus subscriptio legitur, qua statuta a Concilio dogmata, illiusque decreta plenissime confirmantur; *Lucas Episcopus Dyrrhachii metropolis, definiens subscripsi*. In octava quoque unus fuit ex iis, a quibus causa judicata fuit Theodoreti Episcopi Cyrensis & a *Luca*, scilicet, *reverendissimo Episcopo Dyrrhachenorum*; & in decima quinta *Lucas Doriacensis* dicitur canones Synodi pro ecclesiastica disciplina confirmasse; ab ultima demum Actione abfuisse omnino videtur.

subscribit Conciliabulo Ephesino.

Et facti pœnitens Chalcedonensis Concilii decreta approbat.

Dyrrhachium reversus cum esset, nova ei oblata occasio suæ Fidei apertius profitendæ, quam Chalcedone & voce & calamo haud ficte sanciverat. Leo Imperator in locum Marciani suffectus literas dedit ad singulos Metropolitas, quibus eorum sententiam petebat de nece S. Proterio Episcopo Alexandrino illata ab Timotheo Æluro Concilii Chalcedonensis hoste infensissimo, tum de hujus ad occupandam Proterii sedem audacia, quæ eo usque processerat, ut cædibus ac rapinis omnia compleret, & a Leone Concilii abrogationem extorquere conatus sit. Lucas igitur anno 458. provinciales Episcopos ad Synodum convocavit, ut, explorata uniuscujusque sententia, & integritati Fidei orthodoxæ, & defensioni Chalcedonensis Synodi prospiceret, tum ut Imperatoris petitioni satisfaceret, ejusque mentem incenderet, augeretque animos ad tuenda Christianæ religionis dogmata; habito autem cum suis Episcopis consilio, hanc Leoni epistolam reddidit, cui singuli subscripsere.

Ejus epistola Synodica ad Leonem Imp.

„ Piissimo & Christi amantissimo, a Deo
„ principi constituto, victori, triumphato-
„ ri, semper Augusto Leoni, Lucas 1 Epi- 1
„ scopus, Artemius, Antonius, Philocaris,
„ Eusebius, Nazarius & Paullus Episcopi 2 2
„ Epiri.

„ Relegentes ea quæ nobis a vestra tran-
„ quillitate sunt scripta, & agnoscentes mox
„ inter ipsa principia non solum pro fide
„ catholica sanctarum ecclesiarum, sed 3 pro 3
„ civitate quæ sub vestri imperii sceptro di-
„ numeratur, tantam vos habere sollicitudi-
„ nem, quantam oportet gerere divino nutu
„ Romana imperia conscendentem, ut undi-
„ que totius orbis terrarum inconcussa & si-
„ ne fluctu sit navis; maximas gratias sal-
„ vatori nostro Jesu Christo debere nos con-
„ fitemur, orantes pariter, ut Christianum
„ nobis 4 vestrum imperium multis tempo- 4
„ ribus conservetur, quod nobis & singulis
„ utique, & pariter universis spes maxima &
„ demonstrat & donat. Decet enim & simul &
„ singulatim universos, quasi de quodam pe-
„ ctoris nostri cubiculo bona vestra profer-
„ re, quorum prima & maxima est, pacis
„ utilitas. Relegentes igitur oblatas vobis
„ preces ab Alexandrinis, in malorum tem-
„ pestate maxima constitutis, & agnoscentes
„ scelera a dæmone ibi commissa, amarissi-
„ me in his ingemiscentes, & propria mem-

bra

Digitized by Google

„ bra lugentes, quæ tali calamitate noscuntur afflicta: paululumque respirantes, & communem de his rebus tractatum habentes omnes Episcopi in vestra Epiro constituti, secundum ea quæ a vestra tranquillitate sancita sunt, hæc vestris piis auribus indicamus: gratias primitus etiam in hoc agentes, quoniam parcentes nostris infirmitatibus atque laboribus, & maximam propter hyemis vehementiam nostri solemniter curam habentes, præcipitis ut singuli nostrum in (5) regione nostra de præsentibus rebus suam debeant proferre sententiam. Quapropter dicimus, quod si ea quæ ab Alexandrinis in accusatione deducta sunt, cum veritate concordant, (non enim ex una parte verba suscipienda sunt), nec ordinatio Timothei firma consistit, & ab episcopatu, quem arripuisse dicitur, est penitus alienus. Si autem oportet (6) eum sermonem satisfactionis in præsentia vocatum præbere pro his quæ commisit, sicut & convenit, & justum simul & pium est, si etiam vestræ tranquillitati complacet, ut secundum petitiones supplicum nihil ab eo in medio tempore adversus fidem catholicam penitus innovetur, cum præcipue Imperator piæ memoriæ Marcianus deponendos esse sanciverit etiam recte factos Episcopos, siquid mutilare aut commovere ex his quæ Chalcedone a sancto & universali concilio sunt constituta, tenuerint, sicut ipsa monimenta ibi confecta testantur, in quibus quoddam signaculum definitionibus, memorati principis sanctio supposita est. Ea vero quæ Chalcedone constituta sunt a sancto & universali concilio de fide catholica, in quantum doctrinas & expositiones & interpretationes perfectorum patrum nostrorum sequi valuimus, esse consona judicavimus his quæ Nicææ a sanctis trecentis decem & octo patribus definita sunt, & postea in regia civitate a centum quinquaginta patribus explanata, in quibus etiam perduramus. Et licet plurimis sermonibus extendatur expositio fidei catholicæ Chalcedone celebrata, tamen ad illas respicit, quarum in præcedentibus probatur fuisse memoria, & veluti paucarum illarum est interpretatio syllabarum. Siquis igitur sobrie ac fideliter, & non contentiose de his voluerit cogitare, in tantorum decretis consentit, quorum etiam multus numerus ad satisfactionis sufficit rationem. Non enim in verbo fidei omnium unanimiter potuit sententia convenire, nisi sanctus Spiritus illic pro causa veritatis interfuisset. Cum ergo grandia sint hæc quæ mota noscuntur, & egeant vestræ Christianitatis auxilio, supplicamus tantis malis resistere, & rebus inoptabilibus repugnare. Dignumque vestra pietate trophæum cum superno solatio contra diabolum erigite, flammam hanc, antequam in sublime conscendat, extinguite: languorem-

„ que, priusquam velut morbus inficiat universa, curate. Nam medicorum ægritudines curantium illos potius admiramur, „ qui neque ad ægritudinem venire permittunt. Non patiaris horum scelerum cumulum fieri posteris in exemplum: habeant „ loca sancta proprium (7) cultum, ecclesiæ 7
„ inviolabile securitatis jus, pontificisque „ cautela baptisteria purgentur a nece. Dele jam venerabilis Imperator, impietatis „ monumenta: doceantur omnes pietatis exercere culturam.

„ Lucas Episcopus Dyrrhachenus. Incolumem semper in omnibus modis pium vestræ serenitatis principatum multis in pace temporibus dominus Christus conservare dignetur, Deo amabilis, victor & triumphator Auguste.

„ Artemius episcopus Escampenus, similiter.

„ Antonius Episcopus Lychnidii, similiter.

„ Philocharis Episcopus (8) Vallidi, simi- 8
liter.

„ Eusebius Episcopus Apolloniadis, similiter.

„ Nazarius Episcopus Aulonæ, similiter.

„ Paulus Episcopus (9) Prinatenus, simili- 9
ter. „

NOTÆ.

1 *Lucas Archiepiscopus*; ita veteres libri & editiones. Baluz. in notis Tomo 4. Concil. Venet. edit. pag. 1927.

2 Melius veteres libri, *Episcopi novæ Epiri*; nam Epistola Episcoporum veteris Epiri exstat in capite superiori. Id.

3 Veteres libri, *sed pro omni civitate*. Id.

4 Veteres libri, *vestræ pietatis imperium*. Id.

5 Iidem libri, *in regione propria residentes*. Id. Videtur consilium fuisse Imperatori Concilii generalis convocandi, forte Constantinopolim, sed tum propter hyemis asperitatem, quæ Episcoporum iter plurimum retardasset, eorum præsertim, qui longissime aberant ab urbe regia, tum ne res summi momenti nimium protraheretur, cum turbæ Alexandrinæ remedii celeritatem expetebant, Imperator satius esse duxit per literas encyclicas de negotio consulere singulos Metropolitas.

6 Iidem libri, *sicut & ei oportet sermonem satisfactionis in præsentia vocato præbere*. Id.

7 Innuunt Patres impia Timothei facinora in loca sacra, hominesque Deo dicatos, & sacrilegam necem Proterio illatam in ipso Ecclesiæ baptisterio; ad quæ expianda scelera Imperatorem hortantur.

8 Lege *Bullidis*; de singulis hisce Episcopis, earumque Ecclesiis, quæ olim Dyrrhachiensi Metropolitæ paruere, & antiquatæ jam sunt, agemus in Appendice.

9 *Paullus Prinatenus, cujus civitatis fue-*

Digitized by Google

rit Episcopus non constat, ait Carolus a S. Paullo in Geogr. Sacra. *Ego mendum in subscriptionibus esse arbitror, cum nullam urbem, a qua nomen istud acceperit, in hac regione repererim*; subdit Holstenius, *Prisna civitas episcopalis sub Achridensi Archiepiscopo*; sed tunc certe suberat Dyrrhachino. De Prisnensi urbe dicendum in Ecclesia Achridana. Lequienius in tomo 2. Orient. Christ. pag. 202. autumat, *Paullum Drivastenum* fuisse Episcopum, & corrupte legi *Prinatenum*; sed Drivastum inter novæ Epiri urbes minime censenda est; & ejus opinionem in Episcopis Drivastensibus satis superque refellimus.

Epistola S. Leonis ad Achajæ Episcopos.

Est Epistola S. Leonis an. 446. inscripta *Dilectissimis fratribus Senecioni, Caroso, Theodulo, Lucæ* &c. *Metropolitanis per Achajam provinciam constitutis* &c. Ex hisce autem Episcopis *Senecionem Scodrensem*, *Lucam Dyrrhachenum* esse Antistitem conjicit Lucas Holstenius; sed neuter Achajæ provinciæ attribui potest; nam ut de Senecione diximus in Episcopis Scodrensibus, Achaja in Notitiis Ecclesiasticis cum Peloponneso quidem legitur conjuncta, nullam vero regiminis saltem sacri societatem habuit vel cum Prævalitana regione ubi Scodra, vel cum nova Epiro, ubi Dyrrhachium. Neque suspicari fas est, ecclesiasticæ politiæ peritissimum Pontificem ignorasse distinctas easque diversas harum provinciarum positiones, & quibus unaquæque finibus circumscriberetur; præsertim cum non ita longo intervallo ab Italia abessent. Sed, si probabili conjecturæ locus est, etiam Lucas Dyrrhachiensis potuit cum Achajæ Metropolitis conjungi; nam & Lucas subetat Primati Thessalonicensi, & utraque Epirus, quæ sæculo saltem IV. duplici vocabulo veteris & novæ sejuncta fuit, apud illorum temporum scriptores alias Græciæ, alias sub Achajæ nomine comprehenditur. Vide Tomum I. pag. 70. & 254. & supra pag. 305. in Senecione Metropolita Scodrensi.

Qui Lucæ in Sedem hanc proxime successerit, literis proditum non invenio; neque ullum ante initia sæculi sequentis monumenta suppeditant Archiepiscopum Dyrrhachiensem.

N. N. ARCHIEP. DYRRHACHIENSIS II.

N. N. Archiep. Dyrrachiensis an. 519.

De quo Andreas Episcopus Prævalitanus, seu Scodrensis Archiepiscopus in suis literis ad Hormisdam Pontificem datis an. 519.; vide supra pag. 306. in Ecclesia Scodrensi; sed nomen Archiepiscopi silentio prætermissum est. Schisma Acacii Episcopi Constant., & hæresis Eutychianæ fautoris, quæ in Chalcedonensi Concilio damnata fuerat, tum Henoticon Zenonis Imp., & subdola Fidei formula ab eo promulgata, quæ tacite ejusdem Concilii dogmata & decreta abrogabant, cuique Acacius subscripserat, Episcopos etiam Epiri novæ cum suo Metropolita ab Ecclesia Romana disjunxerant. Eorum defectioni fomes additus & vires ab Anastasio hæretico perditissimo, qui patria Dyrrhachinus & post Zenonem imperium adeptus an. 491. potestatem cuique fecit quam vellet sectam profitendi; & cum Catholicos Antistites sane multos, præsertim Illyricos, ad suam impietatem abduxisset, facilius Metropolitæ Dyrrhachii, eique subjectis Episcopis persuasit, quippe cives & populares sui, ut aversi a Romano Pontifice ejus voluntati morem gererent. Anastasio e vivis sublato, Justinus vir pietate clarus, & acerrimus catholicæ religionis propugnator in imperium successit an. 518. quocum Hormisda Pontifex Romanus studiosissime egit, ut Orientales Episcopi, ejurato Zenonis Henotico, & nomine Acacii, ab Nestorii & Eutychetis erroribus ad veritatem, ac fidem rectam revocarentur; misitque quinque Legatos Constantinopolim ad Justinum, queis tanti negotii conficiendi cura omnis injuncta & potestas tributa. Ante hanc legationem Illyrici & Dardani Antistites e schismate in gratiam & communionem Sedis Apostolicæ jam redierant; idque efficere se velle videbantur Archiepiscopus Dyrrhachinus & Episcopi novi Epiri, qui coacta Synodo provinciali, ficte tamen & simulate, Nestorium & Eutychem condemnaverant. Sed detecta eorum malitia est, nec defuerunt interea, qui eos coarguerent; sed Archiepiscopus nullis argumentis & rationibus adduci potuit, ut sincere & ex animo Fidem catholicam profiteretur. Hæc ad Hormisdam scripsit Andreas Prævalitanus, cum Pontificii Legati in Epirum venissent Constantinopolim profecturi; *Commendans*, inquit, *me humillime vestigiis vestris piissimis indico propter Synodum Epiri novæ, quoniam finxerunt anathematizare intra semetipsos aliquas personas. Hoc tantummodo ingenio usi sunt, ut nos in sua malitia caperent, quibus restitit divina Trinitas per vestras sanctas preces; & cum deprehensi fuissent in sua malitia, nunquam potuimus Archiepiscopo persuadere, ut ad viam veritatis & ad vestra præcepta verteretur.* Cæterum duos Dyrrhachinæ provinciæ Episcopos paullo post resipuisse testatur idem Andreas, Scampensem scilicet & Lychnidensem. Cum vero Hormisdæ Legati essent Aulone, Pontifici primas literas dedere, quibus spem se habere inquiebant fore, ut Episcopus Aulonensis, ejusque, uti pollicebatur, *Metropolitanus suus*, Dyrrhachiensis scilicet, Catholicæ Fidei formulæ ab Hormida propositæ, & Acacii damnationi subscriberent. Id innuunt Legati in alteris literis, priores enim perierunt, Romam missis, quarum hoc initium est; *In civitate Aulonitana quo ordine cum Dei adjutorio pervenimus, & quomodo sumus suscepti ab episcopo civitatis ipsius, & quid est actum, vel quale responsum dederunt, & quia hæc promisit, ut cum metropolitano suo faceret libellum, in alia epistola beatitudini vestræ significavimus.* Sed cum hæc scripserint eodem fere tempore, quo Andreas in sua ad Pontificem epistola de pœnitenti mutatione Metropolitæ Dyrrhachini pæne despe-

schismati Acaciano adhæret.

speraverat, iique tum de hoc, tum de Antistite Aulonensi sileant, cum in iisdem literis ea lætissima nuntient, quæ Scampis & Lychnidi ab iis Episcopis evenerant ad Hormisdæ voluntatem, subdubitare fortasse possumus, an Archiepiscopus ad sanam mentem redierit, & a Legatis in Romanæ Ecclesiæ communionem fuerit receptus. De Schismate Acaciano summatim dictum est etiam in Tomo II. hujus Operis pag. 129. Sed miror, Synodi provincialis, quam a schismaticis Episcopis in Epiro nova, & forte in ipsa urbe Dyrrhachii habitam narrat Andreas Prævalitanus, quamque *Dyrrhachiensem* appellare recte possemus, nullam injectam esse mentionem in Labbeana Conciliorum collectione.

Dyrrhachium terræ motu eversum.

Post hunc anonymum Archiepiscopum Ecclesia Dyrrhachiensis ad dimidium ferme hujus sæculi Præsule caruisse videtur; & anno 525., cum crebris & horrificis terræ motibus totus Oriens quateretur, multæque urbes diruerentur; & in Græcia Corinthus, & in nova Epiro civitas Dyrrhachii vehementissimo illo concussu a fundamentis evulsæ corruerunt; ut auctor est Evagrius lib. 4. cap. 8. Jacobus Gotofredus in Expositione totius mundi &c. uti est apud Schelstratium tomo 2. Antiquit. Eccles. *Dyrrhachium*, inquit, *propter malitiam inhabitantium a Deo, id enim verosimilius dicitur, absorptum evanuisse*. Hasce vero urbes ingenti pecuniæ vi, & effusissima in cives largitate a Justino Imp. reædificatas fuisse narrat Nicephorus Callistus lib. 17. cap. 3.

MARIANUS SEU MARINIANUS ARCHIEP. DYRRHACHIENSIS III.

Marinianus Archiepisc. Dyrrhachiensis anno circ. 550.

Notus ex libro Facundi Hermianensis contra Mucianum Scholasticum inter Opera Sirmondiana tomo 2. Venet. edit. pag. 598., ubi fide Codicis Veron. multo correctioris, quam ille, quo usus est Sirmondus, dicitur *Maninianus*. Præerat huic Ecclesiæ sæculo VI., cum exorta est celeberrima illa controversia de tribus Capitulis, nimirum de scriptis Theodori Mopsuesteni, Iræ Edesseni & Theodoreti Cyrensis Episcopi, quæ partim Nestorianam hæresim sapiebant, partim Cyrillo adversabantur fortissimo Catholicæ Fidei propugnatori in Nestorium, ejusque nefariam doctrinam; unde pertinax schisma exarsit inter Orientales Episcopos & Occidentales, præsertim Illyrici & novæ Epiri,

Schisma Trium Capitulorum,

cum hi pro defensione, illi vero pro damnatione trium Capitulorum acerrime pugnarent. Et anno quidem 553. in Concilio Œcumenico V. & Constantinop. II., cui neque Vigilius Pontifex, neque Occidentis Episcopi interesse voluerunt, tria Capitula a centum & quinquaginta Orientalibus Episcopis rejecta proscriptaque fuerunt. Nihilo tamen secius in iis defendendis tum Epiri novæ Antistites, tum ex Illyrico fere omnes, & Africani, & Occidentales plerique firmiter perstitere; quin, cum Vigilius anno insequenti 554 decretum edidisset, quo, salva auctoritate Concilii Chalcedonensis, in eorumdem Capitulorum damnationem & ipse consensit, illi a Sede Apostolica, cæterisque Episcopis, qui contra sentiebant, segregari maluerunt, quam de suscepta causa, propositaque sententia decedere; verebantur enim, ne per quintam Synodum, & Capitulorum condemnationem vel plurimum de fide & reverentia erga Patres Chalcedonenses esset imminutum, a quibus Iba & Theodoretus Nestorii impietatem exsecrantes in communionem recepti, & nulla vel eorum, vel Theodori jam mortui scriptis censura fuerat inflicta. Hac de re vide quæ copiosius narrantur Tomo II. Operis nostri pag. 195.

Hisce igitur necessario præmissis, intelligi facile potest ex Facundo Marinianum Archiepiscopum Dyrrhachiensem fuisse in arrepta trium Capitulorum defensione constantem. Facundus enim Hermianensis in Africa Episcopus, qui ob eamdem causam a Romano Pontifice sese disjunxerat, in laudato libro Mucianum insectatur, quia Africanorum Antistitum a Romana Ecclesia secessionem improbaverat; & quod, Constantinopoli cum esset, ut gratiam sibi eorum acuperatur, qui tribus Capitulis erant infensi, jactaverat horum fautores aliquot vita functos, in primis *Maninianum Dyrracenum*, *in gehennam abiisse*. E contra respondet Facundus in extrema libri parte, controversiam hanc de trium Episcoporum, Theodori præcipue, scriptis in detrimentum & offensionem Concilii Chalcedonensis suscitatam fuisse ac dirempta in Synodo Constantinopolitana; Marinianum, aliosque jure ac recte noluisse una cum hujusmodi consiliis communicare, & hac non ad inferos iter esse, sed ad cælum, illud iter, quod sanctissimi Ecclesiæ Patres jam confecerant pro religione ac Fide tuenda. *Nunc*, inquit Facundus, *in præjudicium magnæ Synodi Chalcedonensis resuscitatur ejus quæstio*, de Theodoro scilicet Mopsuesteno, *ante centum & viginti annos finita, & oblivioni jam tradita. Cui præjudicio quoniam communicare timuerunt beatæ memoriæ Marianus*, al. *Marinianus*, *Datracenus*, *& Basiliscus Sardicensis Episcopi*, *sed & Lampridius Presbyter & abbas Hierosolymitani monasterii*, *Mucianus eos Constant.*, *ut se commendaret*, *in gehennam abiisse dicebat. Sed non hac via pergitur in gehennam*, *quam Hilarius cum suis collegis*, *quam Hieronymus tenuit in causa Nicæni Concilii* &c. Dum hæc scriberet Facundus, jam Vigilii decretum, seu ut appellant *Judicatum*, in vulgus exierat anno post quintam Synodum id est 554. Hinc Marinianum qui *beatæ memoriæ* dicitur a Facundo, per id temporis abiisse oportet, postquam Episcopi Occidentales, ipsique Epirotæ & Illyrici cum Africanis a Vigilio defecerant, ut hisce Mucianus exprobravit; ex quo colligimus, ipsum Ecclesiam Dyrrhachinam rexisse dimidio circiter sæculo VI., & schismati firmiter addictus ante vitam finivit, quam o-

quibus favet Marinianus.

ptata rerum conversione, dissidentes Episcopi, etiam qui novæ Epiri, in Vigilii partes & Romani Pontificis societatem redirent; qua de re paullo inferius dicendum.

Interea ad exitum ferme hujus sæculi VI. & initium VII. vel nulli ob turbatum schismate Ecclesiæ statum creati sunt Dyrrhachii Archiepiscopi, vel qui fuerunt, in oblivione posteritatis delitescunt.

URBICIUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS IV.

Urbicius Archiepisc. Dyrrhachiensis anno cic. 598.

Cum paullatim schismaticæ de tribus Capitulis turbæ & contentiones, de quibus in Mariniano dictum, jam deferbuissent, & vel ipse Vigilius, vel certe hujus successores Synodi V. acta & decreta confirmassent, cum plerisque Occidentalibus ipsi quoque novæ Epiri Episcopi & Macedoniæ, relictis partibus schismaticorum, resipuerunt, & in gratiam Sedis Apostolicæ sunt restituti. Quod de Urbicio Metropolita certe declarant binæ ad illum epistolæ S. Gregorii Magni, quarum hæc est inscriptio; *Gregorius Eusebio Thessalonicensi, Urbicio Dyrrhachitano, Constantio Mediolanensi* &c. Et in prima ad eos mittit exemplar legis, qua Mauricius Imp. sancivit, ne milites aliive laici publicis rationibus impliciti sive in Clericorum ordinem, sive in monachorum cœtum reciperentur, qui vel manifestis criminibus convicti, vel ære alieno obstricti fori sæcularis judicia ac pœnas evitandi caussa in alterutrum peterent admitti. Decernit autem Pontifex, hujusmodi homines & sacris Ordinibus initiari, & monastico habitu indui posse, si a gestione militarium ac civilium munerum dimissi, aut persoluta debitione, anteactæ vitæ maculas per triennium idonea pœnitentia eluerint; idque etiam a Mauricio comprobari affirmat. In altera vero epistola omnino vetat, ne Antistiti Constantinopolitano titulum *Episcopi universalis*, quem ipse sibi per summam temeritatem & superbiam arrogabat, unquam attribuant. Hæc data est Indictione I. mense Decembri, id est an. 598., prior Indictione II. mense Junio, quæ nota congruit cum anno æræ vulgaris 600. Itaque Urbicius anno jam 598. hanc regebat Ecclesiam. Urbicio e vivis sublato, quid in Ecclesia Dyrrhachina gestum fuerit, quidve acciderit, nulla produnt monumenta; rursum enim series Archiepiscoporum interrupta est ad exitum ferme sæculi VII. & in civilibus rebus status urbis non videtur ulli aut perturbationi aut mutationi fuisse obnoxius.

Binæ ad eum literæ S. Gregorii M.

SISINNIUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS V.

Sisinnius Arch. Dyrrhachiensis anno circ. 690.

Unice notus ex subscriptionibus Episcoporum, qui Synodo Trullanæ seu Quinisextæ Constantinopoli interfuerunt an. 692. Cum enim Patres Concilii Constantinopolitani secundi & tertii, Œcumenici quinti & sexti, nullos edidissent Canones, qui ecclesiasticæ disciplinæ vel conservandæ vel corrigendæ prodessent, hoc anno septem ac viginti supra ducentos Episcopi eo consilio Constantinopolim convenere, ut novi constituerentur Canones, & in Trullo, qui locus erat Palatii Imperatorii, duo ac centum decreta ab iis promulgata sunt de politia Ecclesiæ; hinc Trullana Synodus dicta, & Quinisexta, quia quintæ & sextæ Canonum supplementum addiderit. Sed a Romanis Pontificibus optimo jure nec probatæ unquam fuere, nec confirmatæ Trullanæ sanctiones, in quibus insunt & quæ Romanæ Sedis dignitatem ac auctoritatem lædant, & quæ cum recta Fidei norma non congruant, & cum ecclesiæ catholicæ antiquis doctrinis atque constitutionibus. Adfuit tamen huic conventui & Sisinnius, eique his verbis subscripsit; *Sisinnius gratia Christi Dei nostri Episcopus Dyrrhachii metropolis definiens subscripsi.* Ignavo ne, an malo animo, & in Romanum Pontificem iniquo id effecerit, ego non definiam.

NICEPHORUS ARCHIEP. DYRRHACHIENSIS VI.

Nicephorus Archiepisc. Dyrrhach. an. 787. interest Conc. Nicæno II.

Ab Sisinnii excessu lacuna annorum plus quam septuaginta, in qua nulli apparent Dyrrhachienses Antistites, interjecta est usque ad Nicephorum, qui nobis emergit ex historia Concilii Nicæni II. & Œcumenici VII. vir strenuus religionis & Catholicæ Fidei propugnator. Nicænum Concilium ab Hadriano Pontifice indictum habitumque est an. 787. ad profligandam Iconomachorum impietatem, qui sacrarum Imaginum cultum prorsus evertebant. Convenere Episcopi ad trecentos & quinquaginta. Actione prima *Joannes monachus* vice functus est *Nicephori Episcopi Dyrrhachii*, qui interfuit secundæ; & literas Hadriani ad Constantinum Imp. ejusque matrem Irenem, & ad Tarasium Patriarcham Constantinop. de reverentia erga sacras Imagines, quæ in Concilio lectæ fuerant, cum cæteris Episcopis in hæc verba suscepit; *Nicephorus Episcopus Dyrrhachii dixit: Secundum relationem quæ missa est ab Hadriano sanctissimo papa senioris Romæ ad pios Imperatores nostros, & ad sanctissimum & universalem patriarcham Tarasium, quin & secundum ejus sanctissimi Tarasii archiepiscopi doctrinam, fidem & confessionem, sapio & teneo, & cum hoc confessione mea brevis vitæ meæ tempus finiam, & terribili tribunali Christi assistam.* Mirum sane, a Nicephoro in hac prima subscriptione titulum *Patriarchæ universalis* tribui Tarasio, quod & alii tres solummodo Episcopi in suis subscriptionibus præstitere, cum ab eo vocabulo abstinendum esse monuisset S. Gregorius M. in epistola ad Urbicium Nicephori decessorem. Actione tertia assensum præbuit epistolis Episcoporum Orientalium ad Tarasium pro Imaginibus sanctis; *Nicephorus sanctissimus Episcopus Dyrrhachii di-*

Digitized by Google

dixit: Destinatis ab orientis summis sacerdotibus orthodoxis literis ad Tarasium sanctissimum patriarcham assentior & concordo, & eorum quæ confessi sunt, expositionem recipio: & eos qui ita non sentiunt, anathematizo. Actione quarta, cum de iis dictum esset, qui in Imagines sacras juraverant, & perjurio se peccare verebantur, si eas colerent, Nicephorus in hanc vocem exclamavit; *Nicephorus sanctissimus Episcopus Dyrrhachii dixit: Pavore multo detinemur Domine, quia plurima mala egimus, & compendiosam pœnitentiam & confessionem precamur;* eademque Actione subscripsit iis omnibus, quæ de Imaginum cultu fuerant in Concilio approbata: *Nicephorus indignus Episcopus Dyrrhachienensium provinciæ, Illyricianensium regionis, libenter omnia quæ prescripta sunt, suscipiens, subscripsi.* Actione V., lecta in Synodo ex scriptis S. Amphilochii Episcopi Iconiensis hæreticorum fraude, qui suis libris Apostolorum nomina inscribunt, ut latenter incautos decipiant, & iis hæresis venenum infundant, & postea cujusdam Iconomachi, ut videtur, Codicem falso titulo inscriptum cum percurrissent Scribæ, *Nicephorus sanctissimus Episcopus Dyrrhachii dixit: Oportebat Domine hoc legi ad satisfactionem omnium*, nempe opus Amphilochii, *& non illud: polluit enim aures nostras.* Actione demum VII. & cum aliis Episcopis nominatur Nicephorus *Episcopus Dyrrhachii*, & Synodicæ Fidei definitioni subscripsit; *Nicephorus indignus Episcopus Dyrrhachii.*

Nicephorus fortasse haud multis annis huic Concilio superstes fuit; brevis enim vitæ suæ tempus dixerat Actione II. quippe qui jam consenuerat.

ANTONIUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS VII.

Antonius Archiepisc. Dyrrhachiensis anno circ. 810.

Ad quem S. Theodori Studitæ epistola 157. libri 2. epist., quæ cum aliis Studitæ operibus editæ sunt Tomo V. Opp. Sirmondi Venet. Edit. Claruit vir hic pietate insignis, & perpetuus Iconomachorum hostis exeunte sæculo VIII., & post plurium ærumnarum gravissimas perpessiones pæne martyr occubuit an. 826. Porro epistolarum seriem ita censent Editores eruditi esse dispositam, ut quas liber secundus complectitur, fuerint conscriptæ ab an. 813., quo Leo Armenus imperio potitus est, & Iconomachi crudeliorem in Catholicos persecutionem instaurarunt, ad obitum Theodori, id est ad an. 826. pleræque enim hujus libri epistolæ nefariam illam hæresim acrius oppugnant; *Hinc satis probabile videtur*, inquiunt illi, *alios quoque alterius argumenti*, quæ insunt libro secundo, *ad eadem & ipsas tempora esse referendas.* Cumque in hoc numero ea sit, quæ Antonio inscribitur, hujus Episcopatus tempus consignari potest paullo post initum sæculum IX. & in annum saltem rejici 810. Scripserat itaque Antonius ad Theodorum accusans Monachi cujusdam Erasti nomine quædam errata, præsertim temeritatem, qui minime initiatus sacris ordinibus puero cuipiam baptismatis sacramentum impertivisset, cum Presbyteri adessent, quos in hoc ministerio revereri, sibique præferre debebat, ut Canones ecclesiastici jubent. Forte id evenerat in diœcesi aut provincia Dyrrhachina, & Erastus fuisse videtur Theodori discipulus, ejusque monasticæ disciplinæ alumnus; quare Antonius hunc Monachum canonicis pœnis mulctandum esse contendebat, atque illius coercendam audaciam. Reddidit Theodorus responsum; & postquam Antonii suavissimam indolem, morumque egregiam probitatem laudavit, de Erasti caussa hæc scribit, habere se testes gravissimos, qui planum faciunt, baptisma ab Erasto fuisse collatum non sua sponte, sed alieno impulsu, & premente necessitate, ne puer absque hoc sacramento decederet cum certo animæ exitio, quod alias contigerat; non deesse exempla, quæ probent, baptisma vim suam divinam exserere, vel si puerorum ministerio daretur; sin vero de Erasti ambitione, & in sacerdotes contemptu vera sint testimonia, pollicetur, a se nunquam permissum iri, ut is, meritis prætera pœnis castigatus, ad sacerdotii dignitatem provehatur; hoc tamen judicium Episcopi auctoritati atque sententiæ subjici debere, quando de vi Erasto illata certo constiterit, & justa necessitatis excusatione. Epistolæ exemplar est hujusmodi, quod hic subjicio.

„ Antonio Dyrrhachii. (1)

1 Ad quem epistola S. Theodori Studitæ.

„ Sero quidem, quia tamen dudum scri-
„ ptam sanctissimi Patris nostri epistolam
„ accepimus, valde nos humiles gavisi sumus. Nihil enim adeo caritatem colligare, indissolubilemque conservare solet, ac
„ reciproca communicatio. Sed quid ita nos,
„ Domine, qui omnino nihil boni habemus,
„ encomiasticis peritissimæ tuæ linguæ verbis extulisti? An causa est prorsus caritas
„ vera supprimens, & quæ non sunt, ac si
„ essent, amicis adaptans. Nisi quod habemus & nos istud certe (dicendum est enim), quod, si non fallimur, fratres patresque amamus & diligimus, eos præsertim qui similes sunt tui, qui egregia
„ morum probitate in amorem trahas etiam
„ agrestis ingenii hominem. Atque hæc de
„ utroque nostrum sacro vertici tuo pauca,
„ ad prolixam & locupletem epistolam breviter respondentes. Quæ vero ad fratris
„ Erasti, quem accusant, defensionem habemus, hæc sunt. Nos, vir sacratissime,
„ etsi viles alioqui sumus, non tamen adeo
„ imperiti, aut divinarum constitutionum
„ contemptores, ut discipulo nostro, extra
„ sacerdotium constituto, præciperemus, ut
„ quæ sacerdotis sunt, aggredi auderet, ac
„ proinde parvulos baptizare; hæc enim est
„ accusatio. Quod si necessitatis ratio id e-
„ xigebat iis diebus, in quibus (2) hæresis po- 2
„ pulum seducens grassabatur, maximeque in
„ præteritis depræda tionibus, quando ei qui
sibi

„ sibi cautum vellet, nec extra domunculæ
„ latebras prospicere licebat; non possum,
„ pro exigua mea intelligentia, neque hunc
„ monachum, neque alium damnare; quan-
„ doquidem ex necessitate, legis quoque mu-
„ tatio. Et quidem priscis temporibus talia
3 „ facta cernimus; atque hunc (3) arena infu-
„ sum, in deserto, eo quod mors instaret,
„ baptizasse & baptizatum esse, & alium a-
„ liter: nec vero perfectionem tuam latent,
„ quæ ad sanctum spectant Athanasium. Atta-
4 „ men puerilis actio (4) a beatissimo Alexan-
„ dro conspecta, recepta est tamquam divi-
„ nitus facta: & qui initiavit, habitus pro
„ sacerdote, & qui initiatus, pro regenera-
„ to, quamquam nulla tunc erat necessitas.
5 „ Sed & sexta Synodus (5) in divinis Canoni-
„ bus permittit, ut laicus ex necessitate, si
„ non adsit sacerdos, sibi ipsi porrigat sa-
„ cramenta: quod quidem citra urgentem ra-
„ tionem non est recipiendum. Quare si hoc
„ modo res gesta est, ignosce vir honoratis-
„ sime, non audemus præter ea quæ divini-
„ tus a Patribus monstrata sunt, dicere quic-
„ quam aut reprehendere. Comprobat au-
„ tem fratrem sic fecisse, idque magno cum
„ animi angore, primum quidem ipse qui
„ coegit, vir inter insignes pietate ac pru-
„ dentia, atque inter illustres, Thomas Con-
„ sul & Chartularius; deinde Jacobus reli-
„ giosissimus monachus, cui nulla pars cum
„ hæresi: tum Euthymius, venerandus alter
„ monachus & persecutionem passus. In duo-
„ bus vel tribus testibus stabit, inquit (Deu-
„ ter. XIX. 15.) omne verbum. Ais, Domi-
„ ne, non ita rem habere; tu quidem omni-
„ bus haud dubie illustrior. Quid igitur fa-
„ ciam, in medio tantorum testium consti-
„ tutus? Si ita res habet ut dicis, atque ille
„ astantibus Presbyteris, dominandi studio
„ sacerdotium sibi despondens hoc egit, nun-
„ quam apud nos ad dignitatem sacerdotii
„ provehetur, præter alias pœnas. Hoc enim
„ justum. Sin autem coactus, ut testes &
„ ipse narrant, & cum duo proposita essent,
„ aut infantem non initiatum mori, quod in
„ duobus antea pueris, quia obtemperare no-
6 „ luit, acciderat; aut hæreticis objici (6) eos,
„ qui pietatem observabant; nihil ausim ego
„ peccator injungere, quoad beatissimus sa-
„ crorum Antistes noster re considerata pro-
„ ferat sententiam. Tu vero vilitatem meam,
„ Patrum amicissime, ne deplores: sed po-
„ tius ora, ut intra modulum nostrum con-
„ sistamus, mendosamque vitam corrigamus.
„ De aliis autem erratis, quorum indicium
„ nobis religio tua & significationem dedit,
„ nullo modo inique illum gessisse existima-
„ vimus: sed rem laude dignam, si, quos-
„ dam mœchari audiens, veritus non est rem
„ denuntiare iis qui inhibere poterant im-
„ pietatem; aut, cum uti laqueo vellet Co-
„ mitissa, videre quid facto opus esset. Hæc
„ enim officii fuisse novit, & non aliud;
„ & magnas a viris supra memoratis, ut ipse
„ audivi, laudes retulit frater Erastus. Non
„ igitur, vir sancte, quod discordiæ (7) illis 7
„ in locis ipse auctor fuerit, sed propter per-
„ versa scandala, vetui ne frater palinodiam
„ caneret; ut & accusatus absolvatur crimi-
„ nibus, & quiescant qui criminationes a-
„ mant, & vitia vendunt. Tuque beatissi-
„ mus pater noster his auditis preces tuas
„ Deum inflectentes largiaris nobis, & fra-
„ tri veniam. „

NOTÆ.

1 Id est *Archiepiscopo*; cujusmodi aliæ sunt in epistolis S. Theodori inscriptiones; *Petro Nicææ*, *Theophilo Ephesi*, scilicet *Episcopis*.

2 Hæresim intelligit Iconomachorum, quæ Leonis Armeni Imp. aucta favore ac potentia anno 813. late dominabatur, in Oriente præsertim, & quovis crudelitatis genere in Catholicos sacrarum Imaginum cultores desæviit. Credibile vero est, per ea quoque loca Macedoniæ, Græciæ, ipsiusque novæ Epiri, quæ propius aberant Constantinopoli, hæreticorum furorem vehementius exarsisse; quod ex alia Theodori epistola mox subjicienda conjicere possumus. Ait igitur hoc in loco Theodorus, Erastum justa necessitatis causa baptizandi pueri munus suscepisse, cum Catholici ob Iconomachorum insolentes aggressiones & impetus ne domo quidem egredi poterant, ut Presbyterum accersirent.

3 *Dubium non videtur*, inquiunt Editores Tomo V. Opp. P. Sirmondi in præfat., *quin* Theodorus *respexerit ad historiam, quæ in Prato spirituali cap. 176. narratur: Juvenem Hebræum per deserta & aridæ loca versi proximum postulavisse a sociis, qui Christiani erant, ne mori absque baptismo sinerent; eumque hi respondissent, neque aquam ibi, neque sacerdotem adesse, quemdam nomine Industrium arenam in ejus caput ter infudisse cum his verbis; Baptizatur Theodorus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; sed Dionysium Episcopum de consensu cleri jussisse, ut Judæus ille aqua baptizaretur.* Sed *verba hæc* Studitæ, baptizare & baptizatum esse, *idem videntur esse ac si dicat, vere baptizatum hominem fuisse. Si ita sentit, fatendum est, omnino erravisse.* Et recte quidem; nam ex necessitate legis mutatio fieri potest in iis, quæ vim non efficiunt, & efficacitatem baptismi, cujusmodi est minister hujus sacramenti; minime vero in baptismatis aqua, quæ ad illud perficiendum prorsus est necessaria.

4 In rem suam valet hoc S. Athanasii exemplum, qui puer rite quosdam pueros baptizaverat, nec Alexander Episcopus Alexandrinus icoirco irritum atque inane judicavit collatum baptisma; ut probet Theodorus hoc sacramentum etiam a laicis hominibus peragi posse, & a Monachis in vitæ discrimine, si Presbyter desit, aut alius e Clero administer, ut sacri Canones docent.

5 Sexta Synodus Œcumenica, & tertia Can-

Constantin. nullos sancivit Canones ecclesiasticos; qui autem a Theodoro laudantur, in Trullano conventu, quem Quinisextam Synodum appellant, Constantinopoli editi fuere, hique nunquam Romani Pontificis auctoritate probati; v. Bar. an. 692. Hinc, cum Theodorus de iis perhonorifice tum hic, tum in aliis epistolis, ac libris ab se scriptis loquitur, procul dubio eos canones ab eo dicimus admissos, qui doctrinæ Catholicæ non adversantur; nam & hujus generis nonnulli leguntur in ea Synodo constituti; qua de re pluribus disserit auctor Præfationis in Tomo V. Opp. Sirmondi. Canon vero hic a Theodoro laudatus est quinquagesimus octavus; *Nemo eorum, qui sunt in ordine laicorum, divina sibi mysteria impertiat, præsente Episcopo vel Presbytero vel Diacono*; quibus unice divinam Eucharistiam porrigendi laicis Fidelibus jus est & facultas; quamquam in Diaconis id vulgo jam desueverit, in Latina saltem Ecclesia. Caussam condendi hujus Canonis fuisse ait Card. Bona lib. 2. Rer. Liturg. cap. 17. §. 7. quia *etiam intra Ecclesiam publicam sibi Eucharistiæ administrationem laici homines usurpabant*. Verum Patribus Trullanis hoc erat propositum, ut ne laici divina tangerent sumerentque ore mysteria, cum seu Episcopus adesset, sive sacerdos aut diaconus, a quibus præberentur, quorum tamen si nullus præsto foret, susceptio Eucharistiæ non interdicebatur; & hic mos, quo Fidelibus licuit ipsos sibi in os inferre hoc Sacramentum, diu viguisse apud Græcos videtur tum ex Canone Trullano, tum e re gesta in vita S. Lucæ junioris cognomento Thaumaturgi, cui sciscitanti a quodam Episcopo, quo modo is suique Monachi de sacra Eucharistia communicare deberent, respondit Episcopus, per sacerdotis ministerium fieri hoc oportere; qui si desit, *Tunc*, inquit, *explicato linteolo propones in eo sacras particulas, accensoque thymiamate, trinaque genuflexione adorans, absque contactu manus, ore pretiosum Christi & Dei nostri Corpus sumes, dicendo, Amen*. Vide Bollandum tomo 2. die 7. Februarii. Hinc igitur S. Theodorus, eo Canone proposito, determinat, multo magis licuisse Erasto, necessitate urgente, baptismum conficere, si principales ministri hujus Sacramenti abfuerint.

6 Maximo enim studio Catholici cavebant, nequam sacrorum communionem haberent cum quibusvis hæreticis; quod non effugissent parentes illius pueri baptismate abluti ab Erasto, quo abnuente, ministerium cujuspiam Iconomachi expetendum forte fuisset, ne infans Sacramento illotus de vita decederet.

7 Ubi Erastus degebat, quæ loca in Dyrrhachiensi provincia fuisse videntur, vel illi finitima, præsertim cum Theodorus Antonium oret, ut *Fratri*, scilicet Erasto, *veniam largiatur*, veluti sibi vicinitas cum eo aliqua esset, & consuetudo

Est & alia Epistola S. Theodori ad *Antonium Episcopum*, nulla loci subjecta mentione, quem eumdem ac nostrum Antistitem Dyrrhachinum suspicari possemus. Varia enim legitur inscriptio in ejus epistolis; & qui in una solummodo *Archiepiscopus*, is in altera *Archiepiscopus Thessalonicæ* nominatur; in quibusdam dignitas & locus, in aliis nomen & dignitas & locus præponitur; quin Episcopi titulum præferunt aliquæ, cum ad Metropolitam & Archiepiscopum missæ fuerint, ut quæ *ad Theophylactum Nicomediæ Episcopum*; nam Nicomedia erat metropolis Bythiniæ. Proinde hæc in inscriptionibus mutatio, uti non obest, ne unus sit, cui duæ tresve literæ diverse inscribuntur, ita neque nobis officit, ut quasi conjiciendo putemus in utraque epistola & *Antonio Dyrrhachii*, & *Antonio Episcopo* data, eumdem Antonium designari. Lubet igitur & alteram hic exscribere, de qua, fuerit necne ad Antonium missa, eorum, qui legerint, esto judicium; ex ea certe nonnulla cognoscimus, quæ Antonii acta, ejusque Pontificatum illustrent.

Altera Theodori ad Antonium epistola.

„ Antonio Episcopo. (1) 1
„ Decenti compellatione nunc usa est sanctitas tua, (2) non propter nos humiles, absit: novimus enim ipsi quales simus, utpote miseriores iis qui postremum virtutis gradum sortiti sunt; sed propter omnes divinos patres & (3) confessores, velut bonus quidam nuncius alloquia deferens, nosque omnes caritatis affectu devinciens. Hoc certe justum & conveniens, eos qui alio dispersi (4) sunt propter verbum Dei, & testificationem unigeniti ejus filii Domini nostri Jesu Christi, colloqui mutuo per literas, & spiritualiter per commonitiones colligari; nec ullatenus per silentium tanquam mortuos reputari. Sic enim scimus beatum Paulum Apostolum cum sociis eminus inter se locutos, & per commercium sermonis una conspirantes, Evangelium regni Dei annunciasse universo mundo: in quo nos etiam Spiritus Sanctus, etsi audacius est dicere, constituens, mandat: Loquere, inquit, & ne sileas: quia populus meus multus hic. Et alibi: Si subtraxerit se, non placebit sibi anima mea in illo (Heb. X. 38.). Quocirca formidabile est judicium silentii, in hac præsertim maligna surditate hæretizantium. Quod quidem sanctitas tua, quemadmodum scripsit, sedulo (5) riteque dum exequitur, molestias plurimas ab iis sustinet, qui sacrum verbum audire nolunt; sed a Deo pictam Christi, Deiparæ, vel cujusvis servorum ejus imaginem rejiciunt. Perge autem, desideratissime, qui super candelabrum verbi, evangelica voce es positus, lucens omnibus qui in domo sunt (Matth. V. 15.): ut qui oculos aperiunt, lumen excipiant: qui vero sensus occludunt, cæcitatis suæ fructus colligant. Et ora utique, ut hoc & nos præstemus, culpaque vacuum præfecturæ (6) donum reportemus. 6
„ Scire porro te volumus, unum de luminari-
„ bus

Digitized by Google

„ bus ad Dominum avolasse; is est sanctis-
7 „ simus Metropolita (7) Synadorum; ac prius
„ etiam præclaros fratres & patres, Athana-
8 „ sium Paulopetrii (8) moderatorem, & Joan-
9 „ nem rectorem (9) Chalcitæ. Et putant qui-
„ dem hæretici, numerum succidi confesso-
„ rum Christi; ignorant autem, æmulatione
„ præeuntium athletarum augeri potius ag-
„ men convolantium, cœtumque alas expli-
„ cantium: Christum vero adhuc dormire,
„ atque aliis quidem januam aperire bonita-
„ te ineffabili; aliorum explorare studium
„ proposita patientiæ corona; alios, tamquam
„ probatum aurum, ubique semper assumere
„ ad diadema decoris gloriæ suæ. Hæc tibi
„ a nobis, o beate. Tu vero perge Deum
„ exorare, ut pacem Ecclesiæ suæ largiatur,
„ mala omnia evellens de medio, & nos,
„ qui residui sumus, dignos censeat, qui ad
10 „ intuitus congressum (10) veniamus, sicut
„ optare te significasti.

NOTÆ.

1 Est hæc octava supra ducentesimam epistola libri secundi, qui, uti diximus, complectitur literas a S. Theodoro scriptas ab anno 813. ad an. 826. quo vita excessit.

2 Iisdem fere animi sensibus incipit prima epistola. Videtur vero Antonius literas caritatis & consolationis plenas ad Theodorum ejusque sodales misisse, in quos vehementer sæviebat Iconomachorum procella. Vix enim Leo Armenus imperio potitus est an. 813., bellum denuo in sacras Imagines intulit calamitosissimum, & Catholicos earumdem cultores, ac propugnatores, præcipue Monachos, minarum terrore, bonorum spoliatione, exilio, quovis suppliciorum genere insectatus est, ipsum Theodorum in Pontum relegari jussit, & in custodiam arctissimam includi prope Apolloniam an. 814.

3 Archimandritas scilicet monasteriorum, aliosque e Monachorumtu cœtu, qui cum Episcopis plerisque Imperatoriis edictis parere abnuebant, & propter Catholicum dogma de Imaginum religione mala plurima fortiter perpessi fuerant.

4 Qui vel alio se subduxerant Nicephori Imp. impietati, vel ab eo in exsilium fuerant ejecti ob eamdem religionis causam. Eo in prælio adversus Bulgaros cæso anno 811., Michael Curopalates Imperium adeptus Catholicos exsules libertate donavit; sed nondum ad sua quique loca, aut Constantinopolim redierant, cum a Leone Armeno plerique iterum exsulare coguntur. Inter hos eminuit S. Josephus Theodori frater, & Archiepiscopus Thessalonicensis; nam e sua Ecclesia ab hæreticis Iconomachis pulsus fortissime eorum effræni audaciæ, & nefariæ doctrinæ, tum voce, tum scriptis obstitit, sibique traditum Catholicorum gregem vel absens & exsul in Fide orthodoxa retinere, in ærumnis solari, adhortarique ad extrema quæque damna toleranda enisus est, quoad licuit. Hinc conjicere fas est, Dyrrhachiensis provinciæ cum Thessalonicensi confinium hæreticæ pesti viam aperuisse, qua Epirum novam pervaderet, & fœda errorum contagione pollueret. Ea vero inter Dyrrhachium & Thessalonicam distantia intercedit, ut Antonius Metropolita Dyrrhachinus facili, & haud incommoda amicitiæ, & mutua literarum conjunctione cum Josepho obstringi potuerit in negotio præcipue religionis; unde caussa consuetudinis ab Antonio initæ cum Theodoro, quem cæteroquin præclara in rem Christianam merita toto in orbe illustrabant, & cælesti sapientia ac doctrina præditum Catholici Episcopi consulebant assidue, ut in illa temporum perversitate suas ipsi Ecclesias ab hæretica lue servarent incolumes, aut ea corruptas curare satagerent.

5 Laudat Theodorus Antonium, qui scripserat, se crebris sermonibus solitum esse vel privatim, vel publice hæresim refellere, & coarguere illius sectatores, quo, erroribus iis abjectis atque damnatis, in rectam veritatis semitam, & Catholicam societatem reverterentur; eumque monet & hortatur, ne ob eorum, qui contradicunt, proterviam, & obstinati animi duritiem episcopali sermocinandi muneri desit. Existimo ego, hunc epistolæ locum ad Leonis edictum respicere, quo severissime vetuit an. 814., ne quis deinceps de Fide, ac de religionis argumento, de quo tantæ erant adversus Iconomachos contentiones, ullo modo colloqui, ac disputare auderet; & huic decreto palam restitit Theodorus nefas esse affirmans in causa Fidei timide ignaviterque silere; quare eidem anno affigi potest hæc epistola. Et quod ad Antonium attinet, & Dyrrhachiensem Ecclesiam, hinc perspicuum fit, Iconomachorum sectam etiam in novam Epirum irrepsisse; quam oppugnare Antonius conabatur invicta animi fortitudine, & e suæ diœcesis ac provinciæ finibus procul expellere.

6 Præerat tum Theodorus Studii monasterio, qui locus erat amplissimus Constantinopoli, & Monachorum frequentia ac sanctitate celebris, unde Theodoro Studitæ cognomen additum.

7 Michael Metropolita Synnadensis, qui interfuit Concilio Nicæno II. an. 787., & Iconomachorum condemnationi subscripsit.

8 Cœnobii cujusdam nomen, aut Constantinopoli aut in proxima urbi regione.

9 Chalcitæ monasterium in Chalcitide, uti suspicor, insula in conspectu prope Chalcedonis, quam Stephanus *Chalcitidem*, & *Demonesum* appellat.

10 Optabat Antonius coram Theodorum alloqui, ejusque frui præsentia & consuetudine; id ut a Deo precibus impetret, ille respondit; sed fortasse hoc nunquam solatium iis concessum. Nam Theodorus hoc anno 814. relegatus est, neque ante an. 821. Constantinopolim revocatus, ubi quinquennio post sanctissime obiit. Ac de reliquis Antonii gestis nihil omnino scribendum superest.

Post Antonium ad an. circ. septuagesimum hu-

Digitized by Google

hujus sæculi magnum est de Ecclesia Dyrrhachina ejusque Archiepiscopis silentium in ecclesiastica historia. Miserrima certe Imperii conditio, quod in dies corruere manifesto apparebat, continui pæne barbarorum terra marique in Illyricum incursus, Dalmaticarum urbium a Græcis Imperatoribus defectio per hæc tempora, plurimam tum sacris, tum civilibus Dyrrhachiensium rebus perniciem attulerint necesse est; sed monumenta oblivione obruta adhuc sunt.

LUCIANUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS VIII.

Lucianus Archiepisc. Dyrrhach. an. 879.

Hunc habemus ex actis Pseudosynodi Photianæ, cui ipse quoque interfuisse dicitur an. 879. cum Photius e sede Constantin. Patriarchatus jam depulsus ab Œcumenica Synodo VIII., post obitum S. Ignatii Patriarchæ, subdolis artibus & fallaciis iterum eam conscendere molitus est. Itaque coacta Synodo tercentorum amplius Episcoporum Constantinopoli, Photii in Patriarchatum restitutio confirmata fuit, & multa præterea inique decreta in contemptum Sedis Apostolicæ, & abrogationem Synodi VIII. In prima autem Actione cum cæteris Episcopis nominatur *Lucianus Dyrrhachii*. Verum Joannes VIII. Pontifex certior factus de iis, quæ per vim & fraudem fuerant impudentissime a Photio acta, hanc Synodum, quæ VIII. Œcumenica falso dicta est, ipsumque Photium damnavit.

Inito jam sæculo decimo Bulgari late invaserant Græcum imperium, & per Daciam, Mœsias, ipsamque Macedoniam irrumpentes in Epiro nova, ipsaque urbe Dyrrhachii stationem fixere; dum Constantinus Porphyrogenitus regnaret. Huic vero barbarorum jugo subesse coacta fuit ad an. 975. ingenti certe cum religionis discrimine; sed hoc anno victis Bulgaris atque fugatis a Basilio II. Imp., Asotius quidam Tarsita, cui Samuel Rex Bulgarorum & filiam nupsui & urbem administrandam tradiderat, ope procerum Dyrrhachiensium, eam Græcis restituit. Paullo post a Joanne Samuelis fratris filio oppugnata rursum fuit, & statim obsidione soluta, cum Joannes commisso ad mœnia prælio interemptus occubuisset. Basilio extincto Constantinus VII. Imperator suffectus est anno 1025., cui triennio post successit Romanus Argyrus; & res Dyrrhachiensium quievere.

N.N. ARCHIEP. DYRRHACHIENSIS IX.

N. N. Arch. Dyrrh. an. circ. 1030.

De quo Joannes Curopalates in Basilio II. & Constantino VII. Imp. Græcis. Mortuo Constantino, cum Romanus Argyrus, cui Zoe illius filia nupterat, bellum in Syriam intulisset adversus Saracenos, eo absente, Theodora Zoæ soror, quæ per vim in monasterium fuerat conjecta, in suspicionem venit, velle se, conscio Dyrrhachiensi Archiepiscopo, fugam in Illyricum capessere cum Constantino Diogene viro patricio, quasi novas res in Romanum & Zoen sororem molitura. Quo a Zoe comperto, conjuratos comprehendi jussit, ipsumque Archiepiscopum, qui cum alio Episcopo de eodem crimine suspecto ad Romanum cum custodia missus, ejus etiam sententia fuit cum collega absolutus; quæ contigisse videntur anno 1033., aut etiam an. 1030., Romanus enim hoc anno saltem Syriacam expeditionem susceperat, & post annos fere quatuor uxoris machinatione strangulatus periit. Præstat tamen ipsa Joannis verba hic exscribere: *Cum iterum in Syriam cum exercitu invasurus esset Imperator, profectus ad Mesanactia; ubi cum commoraretur, regina Zoe per Theophanem Thessalonicensem indicatur, Constantinum Diogenem, conspiratione facta cum ejus sorore Theodora, ad Illyricum fugam meditari, conscio Metropolitano Dyrrhachii, & Episcopo Peritheorio; statimque corripiuntur & Episcopi, & Diogenes, & Constantinus examinatus in Palatio Blachernarum per Joannem præpositum, qui postea fuit pupillorum curator, & Michaelis (Paphlagonis) Imperatoris frater, seipsum de muro præcipitans fracta cervice mortuus est & cum iis, qui sibi mortem conscis sunt, projectus. Episcopi vero ad Imperatorem in Mesanactia missi liberati sunt.* Hactenus Curopalates. Post Romanum crudeliter exstinctum cum Zoe imperium in adulterum Michaelem Paphlagonem contulisset an. 1034., quem sibi maritum copulavit, novi bellorum motus Dyrrhachiensem provinciam & Ecclesiam turbavere. Nam Petrus quidam Deleanus, arrepto sibi Bulgarorum imperio, in novam Epirum arma vertit adversus Græcos; & quamvis Basilius Synadenus, mox vero Dermocattas Dyrrhachii præfecti, omni ope hostium impetum propulsare niterentur, urbs a Bulgaris capta est; verum a Græcis recepta in eorum rediit potestatem ante annum 1042., quo Constantinus VIII. Monomachus Imperator est renuntiatus; ac denuo Bulgarorum minis, atque excursionibus tentatam Stephanus Dyrrhachii præses, itemque Michael patritius defendit.

conjurationis in Imp. suspectus absolvitur.

LAURENTIUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS X.

Laurentius Arch. Dyrrachien. an. circ. 1040.

Præerat huic Ecclesiæ, cum Alexius Patriarcha Constantinopolitanus Synodum coegit, in qua ipse, aliique Metropolitæ, & *Laurentius Dyrrhachii* decrevere, ne qui septimo consanguinitatis gradu essent conjuncti, matrimonia inter se inirent; & siqua in posterum hujusmodi contraherentur, legitima quidem habenda esse, conjuges vero ecclesiasticis pœnis subjiciendos. Hujus synodi meminit Leunclavius lib. 3. Juris Græco-Romani pag. 204., incertum tamen, quo anno habita fuerit. Alexius ab an. 1025. vitam cum Patriarchatu produxit ad an. 1043. cui eodem anno suffectus Michael cognomento Cerularius. Is Romano Pontifici infensus, quam qui maxime, & Photianis erroribus

Digitized by Google

impense addictus a Leone IX. fuerat anathemate percussus per eos, quos Constantinopolim Legatos miserat Humbertum Episcopum Sylvæ Candidæ, Petrum Amalphitanum Archiepiscopum, & Fridericum diaconum anno 1053. aut etiam 1054. cum imperaret Theodora Augusta Zoæ sorore, vivo adhuc Constantino. Verum Michael furiis actus vehementius in Romanam Ecclesiam synodum eo anno ex quatuordecim suarum partium Metropolitis & Archiepiscopis conflavit, utque inustam sibi ignominiæ notam ulcisceretur, in Legatos, & in sententiam, quam scripto consignatam reliquerant Constantinopoli, anathema retorsit. Huic autem Conciliabulo interfuit, & subscripsit *Laurentius Dyrrhachii*, *& Syncellus*, iniqua sane cum Michaele coitione turpiter notandus; qua de re & Allatius dissertat. 2. de libris Eccles. Græc.

subscribit Conciliabulo Constantinopolitano an. 1054.

Ab Laurentio anni fere octoginta interjiciuntur ad restituendam seriem Antistitum Dyrrhachiensium; quo temporis cursu Normanni post duplicem cladem, qua eorum classis soluta fusaque a Venetis fuit, Dyrrhachium cepere an. 1081; nec nisi triennio post insigni Venetorum victoria urbs in potestatem Græcorum rediit, Alexio Comneno Imperatore. Narrat Petrus Diaconus in Chron. Cassin. l. 4. cap. 46. Alexium, cum Romam proficisci in animo haberet, ut solemni more rituque a Romano Pontifice imperatoriis ornaretur insignibus, scripsisse an. 1110. ad Girardum Abbatem Monasterii Cassinensis, quem singulari affectu colebat ob præstita suis Legatis hospitii omnisque humanitatis munera, *ut cum ipse Romam coronandus veniret, obviam eique Dirachium exiret, atque cum eo usque ad urbem in ejus servitio permaneret*. Res irrita cessit; quin Alexii potissimum causa adeo crevere inter Græcos & Latinos simultates, ut augendo etiam fovendoque Græcæ Ecclesiæ a Latina schismati uberior materia addita fuerit. Alexio Joannes Comnenus filius in imperium successit; huic vero ejus item filius Manuel an. 1143., quo tempore Dyrrhachinam Ecclesiam regebat

GREGORIUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XI.

Gregorius Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1141.

Maurus Orbinus in lib. de regno Slav. pag. 247. initia ejus Pontificatus retulit in annum 1141. & Dyrrhachiensem Ecclesiam subjicit Metropolitæ Ragusino, quod falsum omnino esse docuimus in Tomo VI., ubi de Archiepiscopis Ragusiensibus ad hunc annum; in nullis equidem Catalogis provinciarum eccles. Dyrrhachium subesse dicitur Metropoli Ragusinæ; & error aliquis in eum Orbini locum irrepsit sine ulla dubitatione; quin & Lequienius errasse videtur, cum Orbinum arguit, tamquam scripserit Gregorium Græcum hominem ab Archiepiscopo Ragusiensi ritus latini suscepisse consecrationem episcopalem, quod vetant leges ecclesiasticæ; nihil enim hujusmodi innuit Orbinus. Gregorius is est, qui anno 1143. interfuit Concilio Constant., in quo Clemens Sasimorum, & Leontius Balbissæ Pseudo-Episcopi, & Bogomilorum hæresi infecti plurium Episcoporum sententia condemnati sunt & e Sede Episcopali depulsi. Cum iis subscripsit *Dyrrhacenus*, cujus nomen silent acta Concilii in tomo 12. Concil., & hic rursum falli Lequienium patet, qui de Gregorio disserens hanc Synodum coactam ait sub Michaele Stypiota Patriarcha Constantinopolitano, cui Oxitæ cognomen fuit, & qui eum præcessit, Leo Stypiota appellatur a Græcis historicis, uti est in Hist. Chronol. Patriarch. Constant. a Cupero edita in Tomo I. Augusti Bolland.

interest Conc. Constantinopolitano anni 1143.

EUSTATHIUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XII.

Eustathius Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1156.

Qui forsitan Gregorio proxime successit. Anno 1156. interfuit Concilio Constantinopolitano, quod imperante Manuele Comneno, & Luca Chrysoberge Patriarcha cum aliis Metropolitis præsidente, habitum est in Thomaite, quo nomine Triclinium Patriarchalis Palatii intelligitur, adversus Soterichum Antiochiæ in Syria electum Episcopum, aliosque nonnullos; ii enim docebant, soli Deo Patri & Spiritui Sancto, non etiam Filio esse offerendum eucharisticum sacrificium. Et hæc controversia, an verum illud de Christo dictum, *Tu es qui offers, & oblatus & acceptus*, diu multumque eruditis in utramque partem disputationibus agitata fuit; alii quippe, & ex his Eustathius doctrinæ fama valde illustris, si ita esset, ex necessaria consecutione confici ajebant, duas esse in Christo personas, contra quam Concilium Ephesinum definierat adversus Nestorium; plerique autem affirmabant, sacrificium a Christo institutum Patri Filioque & Spiritui Sancto referri, cum eadem sit in tribus Personis divinitas, uno, eodem, æquali honore conjunctim in sacrificiis colenda. Verum Metropolita Russiæ e subsellio assurgens quid suæ sententiæ esset declaravit; verum scilicet se profiteri illud de Christi sacrificio propositum, quod & *ipsi Verbo incarnato* deberi offerri, uti & *a principio*, quando *a Christo Salvatore peractum fuit; neque Spiritum Sanctum Deo addecente hoc honore privari; & ad eum, quæ in Triade insidet, & una agnoscitur, divinitatem Personarum mysteriorum oblationem facta esse, & fieri, quæ quotidie a perficiente Triade perficitur*; subditque, id *perquam certissime a sacris didicisse Scripturis, & simul una cum hoc dogmate vitam obire paratum esse*. Inde cæteri Patres in Russiani Metropolitæ sententiam ivere; at rogatus Eustathius, ut suffragium ferret, *respondit, de rebus magnis non posse se ex facili decernere; propterea ut alias sæpe, ita & nunc rogabat Patres, ut scripta sibi traderentur, de quibus dubitabatur, quæque Patres ipsi probarent, ut diligenter illis examinatis collatisque cum antiquorum Patrum sen-*

interest Concilio Constantinopolitano hujus anni;

Digitized by Google

sententiis, si consonæ reperisset, se ipsum a dubiis liberaret; si vero aliter res se haberet, rogasset iterum, & addiscendo proficeret; neque enim verebatur de hoc, cum & Gregorius, cui e Theologia cognomen erat, scripserit; Volo per vitam puer esse & discipulus. Itaque variis Patrum testimoniis palam lectis, quæ Synodi dogma confirmarent, rursum Eustathius stans, *Verum est*, inquit, *me ad similia dijudicanda tempus expostulasse; sed nunc auditis prolatis testimoniis, nullum de cætero examen requiro, & assensum præbeo, recipioque quidquid ab hac sancta Synodo determinatum est; ideoque aperto ore deprædico & confiteor credere, vere non soli Patri, sed etiam Filio & sanctissimæ Triadi vivificum corpus & sanguinem Christi Salvatoris & primum in Dominica passione oblatum fuisse, & ex eo tempore quæ fiunt quotidie mystica sacrificia inter missarum solemnia Deitati tribus hypostasibus subsistenti ab iis qui celebrant offerri.* Hæc ex Leone Allatio in Vindiciis Concilii Ephesini cap. 73., quæ in Tomo XVII. Collect. Concil. Venetæ edit. relata sunt. Attamen Eustathii assertioni Synodus non acquievit; utque Sotericho damnati erroris antesignano, licet illum in Concilio ejurasset, sacris obeundis interdictum esse decrevit, eumque episcopali dignitate exutum, ita Eustathium Dyrrhachinum, aliosque Soterichi asseclas, qui contra episcopalis muneris fidem & sacramentum prava de religione senserant, atque docuerant, iisdem pœnis perpetuo mulctavit; quod Nicetas Choniates retulit lib. 6. Annal. Manuelis Imp., eosque Manuelis jussu e regia urbe pulsos narrat Allatius lib. 2. de consens. Eccl. Græc. & Lat. cap. 12.

illique assentitur,

sed e Sede dejicitur.

MICHAEL ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XIII.

Michael Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1166.

Proximus Eustathii successor, uti est verisimile, qui anno 1166. in Synodum Constantinopolitanam cum pluribus Episcopis convenit, ut exorta controversia de iis Christi verbis, *Pater major me est*, Patrum sententiis & auctoritate tolleretur. Nam Demetrius quidam ex Asiæ vico Lampe, unde erat oriundus, cognomento Lampenus, pluribus in Occidente legationibus functus, Latinos per animi quidem malitiam, ac arrogantiam quoque, & mentis inscitiam reos impietatis accusabat, quasi de natura divina prave sentirent & loquerentur, qui Jesum Christum *minorem & parem Deo, qui genuit, dicere sustinerent.* Quo sensu Christi dictum Demetrius interpretaretur, quidve objiceret contra veram & Catholicam Latinorum sententiam, qua fatemur Dominum Jesum Christum in humana natura esse Patre minorem, eique æqualem in divina, satis nequit cognosci ex historicorum scriptis. Cum Demetrio alii plures sensere adversus Latinos; sed cum graviores in dies turbæ commoverentur Constantinopoli, Manuel Imperator, qui Latinorum doctrinam tuebatur, Synodum cogi jussit; & in frequentissimo ac nobilissimo Episcoporum ac Procerum conventu, cui adfuit *Dyrrhachii Michael*, præerat vero Lucas Patriarcha Constantinopolitanus, damnati fuere, ipso Imperatore præsente, Demetrius Lampenus, Episcopi duo Joannes Corcyrensis, Constantinus Bulgaræ, & Joannes Irenicus monachus, suisque dignitatibus exuti, & in exilium pulsi; *cum falso Alemannos*, id est *Latinos*, *tamquam de natura divina male sentientes*, *incusarent*; inquiunt Concilii acta penes Allatium l. 2. de consens. Græc. & Lat. Eccl. cap. 12. & Tomo 13. Concil. Rem fusius narrat Cinnamus l. 4. & Nicetas Choniata lib. 7. Annal. qui in Lampeni partem pendere videtur.

interest Conc. Constantinopolitano adversus Demetrium Lampenum.

Exstat Epistola Alexandri III. Pontificis data an. 1168. ad Clerum & Cives Dyrrhachienses ritus Latini, in qua nec Michaelis, neque ullius Dyrrhachini Antistitis inest mentio; sed utrisque commendat Pontifex Tribunium II. Archiepiscopum Ragusiensem, utque illum honorifice excipiant, ejusque monitis ac jussionibus obtemperent, hortatur; quem ad eos invisendos, & ad procuranda quæ Christianæ religioni, quæque ecclesiasticæ prosint disciplinæ, ab se missum intelligent; tum jubet, nequid commercii habeant cum Episcopis Olchinensi & Antibarensi, dum anathemati subsunt iis propter eorum contumaciam inflicto a Tribunio. In hac Epistola paullo inferius describenda, quam & in Tomo VI. protulimus pag. 81., nonnulla opus est animadvertere, queis Dyrrhachiensis Ecclesiæ hoc tempore status dilucidius queat cognosci. Nam Pontificis silentium de Michaele, si adhuc vita superstes fuit, indicat satis, eum ab Romana communione sejunctum Græco schismati penitus adhæsisse. Hoc anno certe 1168. in Conciliabulo Constantinopolitano Græcæ a Latina Ecclesia divisio, quam per annos fere tercentos mutuæ contentiones fovebant, & magna Græcorum Antistitum odia, & aculeis, dentatisque chartis ac maledictis & calumniis referta scripta in Romanos Pontifices, decreta demum ac stabilita fuit, tamquam Græcanicæ religionis fundamentum, & dogma firmissimum. Manuel Comnenus Imp. pacis inter utramque Ecclesiam conciliandæ studiosissimus Concilium indixit Constantinopoli, ut in quæstionem adductis controversiis, quæ utrinque agitabantur quotidie, & objectis hinc & illinc sublatis optata diu concordia stabili constantique nexu sanciretur. Convenere Græci Antistites, & multi Latini; a quibus hæc tria unice in Concilio proposita; ut Romanæ Sedis in Catholica Ecclesia Primatum confiterentur Græci, & colerent qua æquum erat reverentia; tum ut ad illam ejusque supremum judicium ecclesiasticæ appellationes undequaque possent libere deferri; denique ut nomina Pontificum Romanorum dyptycis, e quibus fuerant deleta, iterum inscriberentur, eorumque fieret solemnis commemoratio in divinis mysteriis. Sed æquis adeo Latinorum postu-

Ecclesiæ Dyrrhachinæ status.

Digitized by Google

latis obstitere Græci, in primis Michael Anchialus Patriarcha Constantinopolitanus, licet sub exitum an. 1168. aut insequentis initio hanc Sedem conscenderit, uti affirmat Cuperus in hist. chronol. Patriarch. Constantinopolitanorum; potuit enim quapiam dignitate præditus, aut alias ob caussas Concilio interesse. Ipse certe in suo dialogo, cujus meminit Allatius lib. 2. cap. 12. de Consens. utriusque Eccl., ait se Imperatorem dehortando conatum esse, ne optata concordia iniretur; vir violenti animi & feri, cujus hæc fertur sententia, & digna homine doctrina, *Græcum quemcumque, qui suæ gentis decem homines voluntaria occisione sustulisset, facilem a Deo veniam impetraturum, si e Latinis centum occideret*; quæ impia verba ab eo palam in templo Sophiano prolata testatur Fridericus I. Imp. in litteris ad Henricum filium ex Oriente datis an. 1178. quas edidit Martenius tomo. 1. veter. monum. Tantum vero valuit Michaelis auctoritas, & iniqui consilii vis permixta minis & fallacibus blanditiis, ut Græcos Antistites ipsumque Imperatorem in suas partes pertraxerit; & dimisso conventu, bellum in Romanam Ecclesiam instaurare aggressus est, & flagitiosis ac maledicis scriptis per orientales provincias incendere; vide in Tomo 1. Augusti Bolland. historiam chronol. Patriarch. Constant. num. 837. Ita funestissimum illud schisma, quod & nunc dissipare, & alias posthac maxima charitatis contentione curarunt Romani Pontifices, invidia & odio Græcæ nationis obstinate perseverat, præcipue Præsulum regiæ urbis ambitione & fastu. Itaque cum Dyrrhachienses Archiepiscopi moram sæpe traherent Constantinopoli, uti in superioribus patet, & familiari uterentur consuetudine cum Patriarchis, cæterisve aut dubiæ aut schismaticæ Fidei Episcopis, qui eo frequentissimi convenichant, facile suspicandum est, Michaelem & illi Conciliabulo adfuisset, & in Patriarchæ concessisse sententiam. Equidem sæculo jam octavo provinciarum, quæ sive in Oriente, sive in Occidente ad Imperium Constantinopolitanum pertinebant, facies valde fuerat in ecclesiasticis rebus immutata, cum Leo Isauricus sacrarum imaginum osor & hostis impiissimus, eas a Romano Patriarchatu avulsas Patriarchæ Constantinopolitano attribuit; sæculo vero nono etiam Dalmatia, Photio præsertim auctore, a Latina ad Græcam Ecclesiam desciverat; hinc Romanorum Pontificum querelæ & literæ ad Imperatores Constantinopolitanos, in primis Nicolai I. qui ad Michaelem III. scribens an. 860. hoc postulat, petitque, ut jurisdictionem Sedis Apostolicæ, cui antiquitus suberant provinciæ Illyrici Orientalis, inter quas *Epirus nova*, in integrum restitui jubeat; vide Tomum III. hujus Operis pag. 71. Nihil itaque mirum, si lues schismatica, quæ hæc loca inficere antea cœperat, novis aucta in dies fomentis, Dyrrhachinæ Ecclesiæ & provinciæ demum inhæserit; primamque hujus defectionis a Romana Ecclesia caussam haud temere putamus in Michaelem Archiepiscopum esse rejiciendam.

Michaelis lapsus in schisma Græcanicum.

Verum Michaelis perfidia adeo non obfuit Clero & populo suæ diœcesis, ut gregem totum e sinu & complexu summi Pastoris divelleret. Facta igitur inter Dyrrhachienses Græcanicæ & Latinæ partis divisione, qui in fide & conjunctione Romana perstitere, opem Alexandri III. Pontificis videntur implorasse, ut labenti jam Catholicæ religioni subsidium afferret, eumque sibi Antistitem præficeret, cujus pietas, doctrina ac vigilantia eorum Ecclesiam a gravioribus grassantis schismatis detrimentis tueretur, & infecti partim pecoris lethalem ægritudinem curaret. Sive igitur Cleri Dyrrhachiensis precibus commotus Pontifex, sive aliunde certior factus, quo in discrimine hæc Ecclesia versaretur, solari illam non diu distulit, & promptiori, quo licuit, modo ejus regimini providere, hisce litteris Benevento datis.

Litteræ Alexandri III. ad Dyrrhachienses.

„ Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. „ Dilectis filiis Abbatibus (1) & cæteris „ Latinis tam Clericis quam laicis apud 1
„ Durachium commorantibus Sal. & Apost. „ Ben.

„ Ne cura dominicæ ovis his, qui in di„ versis mundi partibus sunt constituti, pos„ set deesse, Romanus Pontifex alios in par„ tem commissæ sibi administrationis voca„ vit, ut sollicitudinem & curam, quam præ„ sens non potest omnibus simul impendere, „ per ipsos studeat diligentius ministrare. Un„ de quia vos non possumus corporali præsen„ tia visitare, nec Fratres nostri (2) Cardina- 2
„ les, qui ad illustrem Constantinopolitanum „ Imperatorem per ..... destinantur, ibi „ possunt apud vos diuturniorem moram ha„ bere, per Ven. Fratrem nostrum & Ragu„ sinum (3) Archiepiscopum, virum hone- 3
„ stum providum pariter, & discretum, vos „ tanquam dilectos filios duximus visitandos, „ ut vice nostra ea, quæ invenerit inter vos „ evellenda, evellat, & plantet, quæ nove„ rit complantanda. Ideoque universitatis „ vestræ prudentiam per apostolica scripta „ monemus, atque mandamus, quatinus præ„ dictum Archiepiscopum ad vos venientem „ benigne recipiatis, & monitis, & manda„ tis ipsius in his, quæ ad animarum ve„ strarum spectant salutem, humiliter annuere „ & obedire curetis, nec excommunicatis „ suis, præsertim Antivar. & Dulchinen. „ Episcopis, donec in excommunicatione per„ stiterint, communicare præsumatis, ita „ quod nos devotionem vestram commendare „ possimus, & ipse in vobis bonam valeat „ sementem plantare. Dat. Beneventi (4) 4
„ tertio nonas Januarii. „

NOTÆ.

1 Hæc pontificiæ epistolæ inscriptio perspicue ostendit Græcorum in Dyrrhachina Ecclesia a Latinis disjunctionem, ipsumque Archie-

chiepiscopum cum potioribus e Clero Patriarchæ Constantinopolitano se subdidisse. Latinorum vero cura erat penes Abbates præcipue Ordinis S. Benedicti, qui tum monasteriorum celebritate, tum monachorum suorum doctrina & pietate plurimum auctoritatis & adjumenti afferebant ad retinendos Catholicos in obedientia & obsequio erga Romanum Pontificem.

2 Legatio, de qua hic sermo, decreta fuit ab Alexandro an. 1166., uti scribit Baronius; Legati vero nondum Roma discesserant, cum Pontifex literas Benevento dedit ad Dyrrhachienses; in eam vero urbem profugerat sub exitum anni ejusdem, aut insequentis initium, quod indicant Baronius & Pagius; hinc epistola huic anno 1167. affigenda videtur. Si enim illam rejicias in diem tertium an. 1168., non est verisimile Pontificios Legatos tamdiu distulisse iter Constantinopolitanum, qui hoc anno exeunte in Italiam redierant, ipso Baronio teste; eodemque anno habitum fuisse diximus Conciliabulum Constantinopolitanum. Quamquam in consignandis hisce annis video multum inter se dissidere Scriptores; idque unum nobis certum & satis est, hanc epistolam ab Alexandro scriptam, cum Beneventi degeret, ubi ab anno 1167. ad insequentem commoratus est, & per hæc tempora Dyrrhachiensem Ecclesiam Græcanico schismate fuisse discissam.

3 Tribunius is est, qui Ragusinum Pontificatum gessit ad an. fere 1188., & administrationem Ecclesiæ Dyrrhachinæ, uti videtur; neque alii cuipiam Episcopo traditam fuisse scio usque ad hujus sæculi finem, cum Latini Archiepiscopi creari cœperunt; & ab ea Tribunii pro Dyrrhachiensibus episcopali cura ortus profecto Orbini error, qui Metropolitæ Ragusienei hanc Ecclesiam subjecit.

4 Anno scilicet 1167. aut 1168.

Quamdiu Michael post suam a Romana Ecclesia defectionem hanc Sedem tenuerit, nihil refert inquirere. Michael Lequienius seriem Græcorum Antistitum Dyrrhachiensium perduxit ad annum 1351., qui omnes noscuntur schismatis tenacissimi; & in Synodo Constantinopolitana anni 1185. Metropolita Cæsareensis conquestus est, nec se nec alios Episcopos, qui tum erant in urbe regia, ad electionem Archiepiscopi Dyrrhachiensis invitatos fuisse; quare cautum est imperatorio decreto, nequi in posterum crearentur Episcopi absque præsentia & assensu cæterorum Antistitum, qui Constantinopoli essent; vide Leunclavium lib. 2. Juris Græco-Rom. pag. 172., & l. 4. pag. 285. affert epistolam Joannis Constantinopolitani Patriarchæ an. 1198. ad *Dilectum in Domino Fratrem & Comministrum sanctissimum Dyrrhachii Metropolitanum & hypertimum*; e quibus verbis hominem vides cum suo Patriarcha plane schismaticum.

Interea, dum Tribunius Dyrrhachiensem Ecclesiam administrat, urbs capta fuit a Guillelmo Siciliæ rege an. 1185., qui, ut Latinorum cædes crudelissime a Græcis patratas Constantinopoli an. 1183. ulcisceretur, ingenti classe cum Dyrrhachium expugnasset, ferro & igni Epirum & Macedoniam vastavit, ac Thessalonicam depopulatus est, pæneque evertit. Verum paullo post victus navali prælio ab Isaacio II. Angelo Imp. in Siciliam sese recepit; quo tempore Dyrrhachium in potestatem Græcorum rediisse arbitror. Verum ancipiti hinc inde agitatum fortuna paullisper sub imperio Venetorum conquievit initio sæculi insequentis, cum, conjunctis Gallorum copiis, Constantinopoli potitus est Henricus Dandulus Venetæ Dux Reipublicæ anno 1203., & constituto in urbe Latinorum imperio anno 1204., Thomas Maurocenus electus Patriarcha Constantinopolitanus Dyrrhachium vi & armis subegit subjecitque Venetis, qui ante annos plusquam centum *magnis immobilium largitionibus Dyrrhachii* donati fuerant ab Alexio Comneno eorum ope in imperium restituto, uti Anna Comnena enarrat lib. 6. hist., & in Chrysobulo Isaacii Angeli, de quo Cornelius tomo X. monum. Eccl. Ven. inter munera, quæ is Venetorum Duci antea concessit ob plurima ab eo accepta beneficia, & opem sibi collatam, id legimus; *Item largitus est eis & Ecclesiam S. Andreæ, quæ est Duracbii, cum ibidem existentibus personalibus imperialibus, sine tamen apparatu, qui in eis est repositus, quasi debeas ad cholandia dari; cholandium* navigii genus tam Græcis usitatum. Paullus vero Rammusius lib. 4. de bello Constantinopolitano ait, Venetis in partitione provinciarum, de qua cum Gallis convenerant post urbem captam, *provinciam Dyrrhachii* obtigisse, *quod olim Epidamnum fuit ad occiduam Macedoniæ frontem*; idque confirmat Villharduini testimonio æqualis illorum temporum historici. Sed quæ fuerint *magnæ immobilium largitiones* in Venetos effusæ ab Alexio Comneno, indicat Laurentius de Monacis in Chron. lib. 8. *Michael*, inquit, *Conimo filius quondam Sevasto, qui despotatum tenebat, juravit fidelitatem & legalitatem B. Marco patrone Venetiarum, & Petro Ziani Duci*, qui ineunte sæc. XIII. Reipublicæ præerat, *& successoribus, promittens observare omnia, quæ continebantur in concessione sibi facta per ipsum Ducem sub aurea bulla, in qua sibi conceditur de Ducatu Duracbii a flumine, qui dicitur Urebus usque Neopatum, inter quæ sunt Ducatus de Nicopoli cum pertinentiis de Larta, de Achilo, de Natolio, alieque multæ provinciæ cum certis suis oneribus, censo annuali, & prærogativis aliis Venetorum, ut cavetur in dicta concessione*. Quæ loca Venetis dono data, & Michaelis regimini ab iis tradita, utramque Epirum, & Achajam usque ad sinum Corinthiacum complectebantur. Natolii nomine & Achili intellige Ætoliam, & Acheloi fluvii regionem, quæ olim Acarnania.

Alia Dyrrhachii vices.

Hinc

Hinc vero ab initio circiter hujus sæculi decimi tertii series incipit Latinorum Antistitum, qui continuato temporum ordine ad hanc ætatem a Romanis Pontificibus creati Ecclesiam Dyrrhachiensem gubernarunt vigilantissime, ejusque cum Apostolica Sede conjunctionem strenuo fortique animo servavere. Quamquam Patriarchæ Constantinopolitani, ut Schismaticos, qui plurimi erant in iis locis & in ipsa civitate ante deletum Græcorum imperium, in obsequio retinerent, & ipsi Dyrrhachienses Archiepiscopos ex eorum secta nominare perstiterunt, quos post Michaelem enumerat Lequienius ad annum usque 1351. Sed his omnino e nostra descriptione rejectis, ejectisque, historiæ Dyrrhachinæ cursum cum Catholicis Archiepiscopis prosequamur.

MANFREDUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XIV.

Post annorum circiter quadraginta archiepiscopale interregnum, cujus perniciem graviter dolent Canonici Dyrrhachienses in epistola anno 1211. ad Innocentium III. de qua inferius, & post traditam ab Alexandro III. hujus Ecclesiæ administrationem Tribunio Archiepiscopo Ragusino, qui anno 1188. jam decesserat, cum celebris adeo Metropolis diu quidem suo Antistite carere non posset, nec tristes Græci imperii, cui erat obnoxia, vicissitudines, aut Schismaticorum potentia, & odium in Catholicos Romani ritus cultores sinerent, ut quieti tutique essent Latini Archiepiscopi, demum Canonici Dyrrhachienses, inito jam sæculo decimo tertio, sive vetusta consuetudine, vel jure quodam Cleri Dyrrhachini, aut Pontificis permissu in electionem Manfredi Archiepiscopi consensere, qui Canonicus erat Tarvisinus. Canonicorum suffragia & vota probavit, confirmavitque Thomas Maurocenus Patriarcha Constantinopolitanus; illi enim Innocentius III. Pontifex suo diplomate anni 1206. præter alia munera hanc etiam potestatem delegaverat creandi, quos opus foret, tum in Græcis tum in Latinis Ecclesiis idoneos Antistites cum Apostolica Sede conjunctos, ubicumque late patebat jurisdictio Patriarchatus Latini Constantinopolitani, iisque impertiendæ consecrationis, & episcopalia insignia tradendi; quæ in antiquis gestis Innocentii III. leges editis a Baluzio in Tomo 1. epistolarum hujus Pontificis. Porro Thomas patriarchalis dignitatis possessionem anno 1206. jam adiisse videtur, licet ob excitatas a Francis turbas fuerit paullisper impeditus, de quibus fuse Cuperus in Hist. Chronol. Patrtarch. Const. Tomo 1. Aug. Bolland. Innocentius vero anno eodem sui Pontificatus nono laudatum diploma dederat; hinc Manfredi electio, sin minus hoc, certe anno insequenti tuto potest consignari.

Manfredus Archiepisc. Dyrrhachiensis anno circ. 1207.

Vix Manfredus ad suam Ecclesiam accesserat, cum ab urbis ingressu Rectoris Veneti jussu prohibitus est, imo a toto Dyrrhachiensi agro expulsus, omnibus prætereas reditibus bonisque archiepiscopalibus, ac quibusvis pretiosis rebus sacri thesauri nomine Rectoris ejusdem occupatis. Accidit etiam, ut dum per urbem clam & mutatis vestibus ambularet, satellites eum deprehensum vi extra portas ejicerent. Quare his injuriis graviter commotus Venetias venit ad Ducem Petrum Zianum, quocum de Rectoris violentia modeste conquestus cum esset, petiit etiam, ut suæ Ecclesiæ libere adeundæ, ac administrandæ sibi potestas fieret. Verum rejectæ in Consilio preces fuere, vetitumque insuper, nequis illum Archiepiscopum nominaret; datum etiam responsum, neminem, nisi Venetum civem, posse in ditione Reipublicæ ecclesiasticas assequi dignitates iisque solummodo concessum aliquando, licet extraneis, in quorum electionem Dux ejusque consilium consensissent. Itaque Manfredus sua spe frustratus Pontificem de re tota admonendum censuit, ac, dum deliberatio haberetur, Tarvisium secessit, ubi anno 1209. Canonicorum comitiis interfuit, & suffragium tulit pro novi Episcopi creatione. Habeo comitiorum acta *ex archivo Capellanor. civit. Tarvis. processus* 120. *col.* 11. *n. n. A.*, quæ non injucunda lectu, & illustrandis Manfredi rebus necessaria hic sunt exscribenda.

Ab urbe, & a sua Ecclesia depulsus

Pontificis opem implorat.

Interest electioni Episcopi Tarvisini.

Anno Domini MCCVIIII. Ind. XII. die Jovis, tertio exeunte octobri. Cum omnes Canonici Tarv. qui presentialiter deserviebant eidem Ecclesie, in suo essent Capitulo constituti, & forent cum eis pariter congregati qui adesse consueverunt electioni Episcoporum faciende. videlicet propositus de Asylo cum duobus concanonicis suis Andrea & Alberto Presbyteris. Primicerius Capellanorum Civitatis cum duobus aliis sociis suis Johanne de S. Augustino & Trivisio de Sancto Andrea Presbiteris. Archipresbiter de Putico cum duobus sociis suis. Presbit. Normanno de Lorlia. & Albrigeto subdiacono. Archipresbitero de Midranis similiter cum duobus sociis suis. & Presb. Henricus de Carbonaria & Magister Gerardus de Braida Clerici illius Archipresbiteratus, cujus curam & amministrationem gerit Presbiter Henricus canonicus tarv. pro electione facienda de Episc. & inter se deliberassent de eligendo Pastore atque tractassent. & cum placuisset omnibus ut singulorum voluntates deberent inquiri. de assensu omnium facta inquisitione ad singulos p. magistrum Gallum canonicum vota & voluntates omnium canonicorum exceptis Archiepiscopo duracensi & tribus Canonicis Gualfredino Tolberto & Presbitero Michaele. & similiter vota & voluntates majoris partis electorum in dom. Tysenem Decanum Ecclesie Tarv. concordes fuerunt & convenerunt, cumque vota omnium qui primo concordes fuerunt in Decanum in eundem voluntate permanerent. Archiepisc. cum tribus prefatis Canonicis ceperunt contumaciter exire de Capitulo. Aliis Canonicis & electoribus clamantibus post illos ne recederent ab eis. sed permanerent ad faciendam electionem, & cum

eis

Digitized by Google

eis non aquievissent sed exinde exissent, in presentia Presbiteri donati de pezano. henrigeti clerici & plebani de cornuta. Henrigeti Clerici de paisio. Imici plebani de disio. & aliorum plurium. Presbyter Guarnerius canonicus de assensu & voluntate prefatorum scilicet Tysonis Thesaurarii. Martini. Henrici. Hengolfredi. & Johannis Presbiterorum & canonicorum. Melii & Magistri Galli diaconorum & canonicorum. Jeremie & Johannis subdiaconorum & canonicorum. prepositi de Asylo & duorum concanonicorum suorum. Primicerii & duorum sociorum. Archipresb. de Gutico & duorum sociorum ejus. Presbit. henrici de Carbonaria. & Magistri Gerardi de Brayda clericorum Archipresbyteratus cujus curam gerit Presb. Henricus Canonicus Tarvisinus. invocata gratia Spiritus Sancti prefatum Decanum elegit solemniter in Episc. & ejus electionem pronunciavit. quam electionem laudaverunt & subscripserunt in continenti omnes prenominati de quorum voluntate & assensu facta fuit. Actum Tarvisii in refectorio canonicorum. ubi congregati erant ad electionem faciendam de Episc. omnes supradicti.

Ego Jordanus Sacri palatii not. interfui. & rogatus scripsi.

Innocentius Pontifex certior a Manfredo factus de iis, quibus ejus dignitas & jurisdictio archiepiscopalis, ac Ecclesiæ suæ jura fuerant a Rectore Dyrrhachiensi lacessita, tum detrimenta animadvertens, quæ inde & ex Venetorum consiliis proventura essent ecclesiasticæ libertati, litteras dedit & mandata Episcopis Patavino ac Cenetensi, & Abbati S. Martini de Colle diœcesis Cenetensis, queis, narrata rerum adversus Manfredum gestarum serie, præcipit, ut coram Duce se sistant, moneantque, ut Archiepiscopus in integram suæ Ecclesiæ, suorumque bonorum possessionem quamprimum suo jussu restituatur; si vero absque justa causa obstiterit, inflictis ecclesiasticis pœnis ad parendum compellant. Neque is contentus scripsit etiam Pontifex ad Episcopum Albanensem in Epiro, jussitque, ut eadem mandata in Dyrrhachiensem Rectorem protinus exsequeretur. Litteræ datæ sunt die Augusti XVIII. anni 1209. cum Manfredus Tarvisii commorabatur; & quæ Episcopo Albanensi missæ, habes descriptas suo loco in Ecclesia Albanensi; hic priores subjicio.

Ejus pro Manfredo litterm.

„ Paduano & Cenetensi Episcopis & Ab. „ S. Martini de Colle Cenetens. diœc.

„ Ex literis venerabilis fratris nostri Du„ raciensis Archiepiscopi nostris est auribus „ intimatum, quod cum Ecclesiæ Duraciensis Canonici eundem in Archiepiscopum „ elegissent, & venerabilis frater noster Con„ stantinopolitanus Patriarcha electionem con„ firmasset ipsius & in Episcopum consecras„ set eumque direxisset ad regimen Ecclesiæ „ memoratæ.... Rector Venetorum, qui do„ mos, possessiones, thesaurum & alia bo„ na dictæ Ecclesiæ occupaverat, non per„ misit eundem Duraciensem ingredi civita„ tem, nec in ejusdem territorio commora„ ri, & cum quadam vice tamquam extra„ neus eandem civitatem intraret, ipsum per „ suos satellites recedere coegit ab illa; pro„ pter quod accedens Venetias a nobili vi„ ro Duce Venetiarum & Consiliariis ejus „ humiliter petiit ut Archiepiscopatum præ„ dictum ipsum permitterent libere possi„ dere; sed iidem non solum preces nor ad„ miserunt ipsius, verum etiam noluerunt „ aliquatenus sustinere quod ipsum quisquam „ Archiepiscopum nominarent, asserentes ni„ mirum in suo districtu nisi Venetum de„ bere esse vel posse perfrui ecclesiastica di„ gnitate, nisi forsitan de ipsorum consensu „ extiterit ordinatus. Cum igitur hæc, si „ vera sunt, in præjudicium sint ecclesiasti„ cæ libertatis attentata, discretioni vestræ „ per apostolica scripta mandamus, quatenus „ prædictos Ducem & populum Venetorum, „ ut in prædicto Archiepiscopatu ipsum, „ prout ad ejus officium pertinet, permittant „ libere ministrare, præcipientes Rectori & „ Venetis apud Duracium commorantibus, ut „ restitutis bonis Duraciensis Ecclesiæ uni„ versis, eidem super Archiepiscopatu præ„ fato & pertinentiis ejus nullam inferant „ molestiam vel gravamen, monantis pru„ denter & efficaciter inducatis, ipsos ad„ hoc, nisi aliquod rationabile quare id fieri „ non debeat objectum fuerit, & ostensum, „ per censuram ecclesiasticam sublato cujus„ libet contradictionis & appellationis obsta„ culo compellentes. Quod si non omnes &c. „ duo vestrum &c. Dat. Viterbii XV. Kal. „ Septembris Pontificatus nostri anno duode„ cimo „ id est 1209.

Manfredus suæ Ecclesiæ redditur.

Paruisse Venetos monitionibus Pontificis testis est Chirographum an. 1210. a Manfredo oblatum Petro Ziani Duci, quo se illi tamquam patrono cujusdam fundi clientelaris fidem dedisse ait certæ pecuniæ solvendæ, & præscriptis formulis confirmat jusjurandum fidelitatis, quod erga Rempublicam Venetam antea juraverat; unde constat fuisse illum in gratiam Ducis receptum, & suæ Ecclesiæ restitutum; cujus Chirographi exemplar profero, non integre quidem exscriptum, & mancum in ipsa fronte, sed nec ulla, quæ appareat, falsi nota adspersum.

Quia præsentibus viris nobilibus Joanne Barocio, Marco Visturi, Bartholomæo de Canali, Marco quoque Venero, Marino Dandulo & Marino Præ Marino Consiliariis vestris, præsentibus etiam D. D. Joanne Albeico, & Dominico Canonicis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Charitate, & Magistro Bernardo Canonico Dyrrhachino, & Jacobo de Maline & aliis pluribus vos Petrus Ziani Dei gratia Dux &c. die octava exeunte suprascripto mense in Palatio vestro investistis nos Manphredum eadem gratia Archiepiscopum Dyrrhachinum nomine vestro & Ecclesiæ nostræ ad nomen pheudi de duabus libris (1) *Emanuelatorum, illarum scilicet librarum XII. Emanuelatorum veterum, quas Ecclesia nostra Dyrrhachina Urbi & Du-*

1

2 *Ducatui vestro debet propter* (2) *villas domesii, existimus manifesti præsentis scripti continentia, quod ad Evangelia juravimus sancta Dei, quod vobis amodo in antea & vestris Successoribus erimus fideles usque dum vixerimus, & debimus operam* (3) *sine vestris expensis fideliter, sine fraude, quod Communitas hominum civitatis Dyrrhachii, & ipsa civitas cum omnibus pertinentiis debeat semper stare ad fidelitatem vestram & Successorum vestrorum & Venetæ..... (4) Et quandocumque a Duce* (5) *Dyrrhachii, vel eo qui Dyrrhachii regimen per vos vel Successores vestros habuerit, vocati fuerimus ad consiliandum eum, consiliabimus ipsum bona fide ad honorem vestrum vel successorum vestrorum & Venetæ & Communitatis Dyrrhachii; & quod credentias* (6) *tenebimus, quas servandas nobis dixerint, donec ab eo fuerimus de credentiis ipsis soluti. Juravimus quod vobis & Successoribus vestris laudem* (7) *omni anno quinquies faciemus levari, in Pascha videlicet, Natali, Epiphania, & in festo B. Marci, & in festa Sancti* (8) *Yssary, & quod ad recipiendum vos & Successores vestros cum Clero, Cruce præcedente, veniemus ad ripam, usque ad ecclesiam vobiscum euntes solemni cantico, si quando vos vel Successores vestros illuc venire contigerit. Hæc omnia juravimus præsentibus testibus subscriptis.*

Ego Manphredus Archiepiscopus m. m. p.
Ego Andreas Geno Presbyter rogatus.
Ego Sebastianus Barbadico testis.
Ego Nicolaus Girardus complevi & roboravi Rivoalti indict. (9) 14. *die ut supra*, 1210.

NOTÆ.

1 *Emanuelati*, monetæ genus, ita a Manuele Comneno Imp. appellati, cujus nomine & effigie cusi; argentei fuisse videntur, & unius unciæ ponderis.

2 De quibus Laurentius de Monacis in Chron., cujus verba mox referemus.

3 Legendum puto *sine vestris expensis*.

4 *Venetæ Communitatis*, ut paullo inferius.

5 Hoc nomine aliquando distincti erant apud Venetos nonnulli Magistratus in provinciis transmarinis. In epistola Innocentiana superius allata dicitur *Rector Dyrrhachii*.

6 *Credentiæ* sunt mutuationes quæcumque, quas rerum publicarum causa Rectoribus Manfredus pollicetur se & Dyrrhachienses servaturos.

7 *Acclamationes* intellige, quibus clerus & populus composita verborum vocumque modulatione fausta omnia precari solebat Reipublicæ statis anni festis diebus.

8 Corrupte pro *Cæsaris* nomine, quem primum Dyrrhachii Episcopum fuisse diximus; hunc enim anniversaria celebritate Dyrrhachienses colebant præcipuum urbis patronum.

9 Indictio XIV. congruit cum an. 1211. quare librarii error hic irrepsit; & cum annus 1210. sit certe retinendus, corrige *indictione XIII.*

Probat hæc gesta Laurentii de Monacis testimonium in Chron., ait enim lib. 8. *Archiepiscopus Durachii juravit fidelitatem Communi Venetiarum anno Domini* 1210. *investitusque a Duce de Billis*, villis, *de Mosii*, (*domasii* in chirographo Manfredi laudato,) *decantare laude Duci pollicitus est*. Verum Manfredus hoc ipso anno vita decessit, ut mox patebit.

N. N. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XV.

M. M. Archiep. Dyrrachien. an. 1211.

Quem nobis prodant litteræ Innocentii III. ad Patriarcham Gradensem, & ad Episcopum Castellanum datæ IV. nonas Augusti anno sui Pontificatus XIV. id est anno 1211. Mortuo Manfredo superiore anno, Canonici Dyrrhachienses cunctis suffragiis sibi Archiepiscopum delegerunt Præpositum Ecclesiæ Latinæ Constantinopolitanæ, qui tum Venetiis degebat; quia vero, Thoma Mauroceno exstincto, nullus tum erat Constantinopoli Patriarcha Latinus, qui, uti diximus, confirmandi, consecrandique Archiepiscopos Dyrrhachienses delegata auctoritate potiretur, Pontificem supplicibus literis oravere, ut electionem ratam haberet, atque firmam, novumque Antistitem consecrationis munere impertiri juberet. Præstitit utrumque Innocentius, & in hanc sententiam scripsit.

Innocentius III. ejus electionem confirmat.

Patriarchæ Gradensi & Ep. Castellano.

Ex literis dilectorum filiorum Capituli Durachiensis accepimus, quod bonæ memoriæ M. ipsorum Archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, iidem, ne dicta Ecclesia, quæ jamdudum per tempora ex defectu pastoris ipsum gravem senserat & ruinam, patris absentiam diutius deploraret, convenientes in unum, & Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium A. Constantinopolitanum Præpositum Venetiis existentem sibi elegerunt concorditer in pastorem, nobis humiliter supplicantes ut quia Constantinopolitana Ecclesia nosciter nunc vacare, a qua fuerat confirmationis gratia expetenda, & ipsam electionem confirmare auctoritate apostolica dignaremur, & electo faceremus munus consecrationis impendi. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus inquiratis de ipsa electione diligentius veritatem, & si eam inveneritis canonice de persona idonea celebratam, ipsam auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, confirmetis, electo consecrationis munus postmodum impendentes. Dat. Later. IV. non. Augusti an. XIV.

Idem hic fortasis est, qui an. 1221. die 21. Junii cum Gradensi Patriarcha, aliisque Episcopis interfuit solemni consecrationi Ecclesiæ S. Michaelis in insula prope Murianum Petro Ziano Duce præsente, ab Ugolino Ostiensi & Velitrensi Episcopo Card. & Apostolicæ Sedis Legato; uti est in tomo 4. Dissert. Eccl. Patavinæ ex tab. Capit. Patav. Præter hæc nihil nobis addendum suppetit ex veteribus monumentis; nec

Digitized by Google

Cœnobium Dominicanum Dyrrhachiense.

nec quamdiu hic Archiepiscopus Sedem Dyrrhachinam tenuerit, exploratum habemus. Anno autem 1224. quo fortasse is adhuc superstes erat, ingens huic Ecclesiæ subsidium allatum est, & decus additum ab Dominicanis Cœnobitis, exstructo in urbe amplissimo eorum domicilio, uti narrat Malvenda in Annalib. sui Ord. *Conventus Dyrrhachiensis fuit ædificatus circ. an. Dom.* 1224. *in quo fuerunt Fratres circa nonaginta vel centum; erant enim novem Magistri in Theologia.* Sed Cœnobium in tantam crevisse puto amplitudinem sæc. circiter XIV. Nam novi temporum casus, Dyrrhachiensium tristissimæ calamitates, & archiepiscopale interregnum ad annum usque 1296. obesse plurimum potuere, nihil prodesse ecclesiasticis rebus ac cœnobiticis. Igitur sive incuria Patriarcharum, qui ex Latinis Thomæ Mauroceno in Sedem Constantinopolitanam successere, ut ex laudata alias historia chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum deprehendimus; sive, quia labente paullatim Constantinopolitano Latino Imperio, Græcorum vis & conatus rursus in Latinam Ecclesiam attolli jam cœperant, etiam Dyrrhachinus Archiepiscopatus plurimum detrimenti subiisse hoc tempore videtur. Erant in urbe schismatici Antistites, qui cleri & ministrorum copia pollebant, & apud Leunclavium lib. 6. pag. 407. nominatur *magnus Dyrrhachii Sacellarius* e Schismaticorum grege, qui hoc munus obibat an. circ. 1258. nec urbs ipsa a bellorum metu minisque quiescebat. Hanc Venetis ereptam ferunt ante an. 1216. a Michaele Angelo Comneno, aut ejus fratre Theodoro; a quibus provinciæ plures finitimæ Græcis redditæ fuere. Ipso anno 1216. Petrus de Courtenaio Comes Antissiodorensis, sumptis ab Honorio III. Imperii Constantinopolitani insignibus v. Idus Apriles, Venetias profectus est, & Reipublicæ fretus auxiliis, quibus Constantinopoli potiretur, Dyrrhachium recuperandi in Venetorum potestatem spem magnam fecit. Conscensa itaque eorum classe, urbem quidem aggressus est, & acerrime oppugnavit, irritis tamen conatibus; ipse vero biennio post adeptum imperium Theodori Angeli perfidia, quocum pacem inierat, miserrime obtruncatus interiit. Variis deinde vicibus actæ sunt res Latinorum, & Venetorum præcipue, cum anno demum 1261. Michael Palæologus, Latinis Constantinopoli expulsis, Græcum imperium restituit, & amissas utriusque etiam Epiri provincias suæ ditioni subegit; diro postea anathemate ab Arsenio Patriarcha confixus, & Schismaticorum odiis ad tumulum usque insectatus, quia in Concilio Lugdunensi an. 1274., missa legatione, in concordiam & communionem Romanæ Ecclesiæ rediisset.

Novæ Ecclesiæ & urbis Dyrrhachinæ vices;

& terræmotus.

His Dyrrhachiensium calamitatibus alia omnium gravissima accessit, terræmotus nempe horribilis, quo anno circ. 1273. tota urbs ingenti ædificiorum ruina, & funestissima civium clade penitus solo æquata est; atque ad hoc Dyrrhachii excidium spectat fortasse Gotefredi sententia superius ad an. 519. allata, nimirum ob scelerum multitudinem & immanitatem Deo ultore absorptam urbem evanuisse. Tristissimi casus narrationem distincte exponit Georgius Pachimeres lib. 5. hist. cap. 7., æqualis hujus temporis scriptor, eamque huc referre e latina versione prorsus necessarium duco, etiam ad rei ecclesiasticæ statum melius inde dignoscendum. „ Circa „ hoc tempus aut paullo post contigit misc- „ rabilis & omnium digna lacrymis Dyrrha- „ chiensis clades hunc ferme in modum. Men- „ se ineunte Martio sonori e terra fragores „ increbuere in strepitum fere continuum, „ quales boasmos, sive boatus cum vulgo quis „ dixerit. Hi nimirum clare denuntiabant „ immiaens malum. Cum sic aliquandiu in- „ ferne tenuisset, repente die quadam acutius „ & continentius insonuere cœpta tonitrua, „ quo eorum augmento moti quidam in for- „ midinem acriorem tectis excesserunt, di- „ versorio extra urbem quæsito, ut siquid „ inde funestius ingrueret, salutem in tuto „ haberent. Nocte porro superveniente diur- „ nis hujusmodi tumultibus terræ motus in- „ cidit gravis, & omnibus, de quibus est „ fando auditum, vehementior. Non enim is „ erat tremor quasi quis dixerit terræ in ob- „ liquum natantis, sed reciprocus validissi- „ mus impulsus, nunc veluti contrahentis se- „ se, nunc impetu contrario se dilatantis & „ ejicientis soli. Quo ex alterno succussu „ contigit universam illam momento a fun- „ damentis everti, concidereque civitatem. „ Domus enim, quæ illam conflabant, & il- „ la quantavis extructa firmitudine exagge- „ rataque ædificia, haud paria resistendo „ prostrata sunt, deprehensis intus homini- „ bus misere oppressis, nemine quo aut qua „ effugeret, habente. Nam erumpentibus e „ proprio domicilio domuum undique aliarum „ ruinæ occurrebant, ut sperabilior salus sub „ tecto manentibus quam prodeuntibus vide- „ retur. Sed & siqua pars domuum terræ as- „ sultibus obsisteret, nulla autem fuit domus „ quæ non saltem ex parte iis dejiceretur; „ si cujus, inquam, ædificii membrum fir- „ mius non labefactaretur concussu terræ, „ superne tamen obterebatur altiorum in vi- „ cinia murorum casu. Alia quippe super „ aliam cadendo cumulabatur domus. Ita ut „ siquem in prima succussione fortuna ser- „ vasset quædam, non longum id beneficium „ esset; alia enim mox superincidens domus, „ exitium frustra servato repræsentabat. Quam „ ergo subitum ac vehemens, tam ineluctа- „ bile ulla vi, ulla fuga vitabile malum e- „ rat. Ut commodissima sors plerorumque „ videri potuerit, quod dormientes velut tri- „ ste somnium mors invasit. Lucrifecerunt „ enim angustias præcessuri, si vigilarent, „ fatum extremum, metus, & desperationis „ sævissimos horrores; qui calamitate im- „ provisa citra sensum hausti sese perire ne- „ scierunt. Quæ præcipua felicitas lactentium, „ aut

„ ant nondum per ætatem rationis compotum „ puerulorum fuit, Tales enim obtriti suffo„ cative unam experiebantur miseriam corpo„ rum nullo prævio exacerbatam angore ani„ morum. Inter hæc cum ad sonitum ruen„ tium tectorum, ad clamores & gemitus pe„ reuntium hominum accederet horribilis fre„ mitus insolito quoque simul æstu efferve„ scentis maris, qui adhuc supererant, hæc „ tam atrocium initia dolorum non uni quan„ tovis inusitato infortunio rerum humana„ rum, sed ultimæ consummationi naturæ ac „ mundi universi præludere putabant. Cum „ enim ad mare tumultuosius tum quam an„ tea unquam intumescens sita urbs Dyrrha„ chiensis esset, cumque ex urbis universæ „ varia ruina, ex collisione caducarum mo„ lium, ex ejulatibus consternatorum aut „ morientium, concentus horrifice mixtus „ immanium sonorum fragorumque aerem „ compleret, qui extra Dyrrhachium illa „ nocte fuerunt accipientes attonitis auribus „ tumultuosissimam illam confusionem vocum „ & strepituum horribilissimorum, nihil sa„ ne suspicari minus poterant, quam adve„ nisse diem extremum rerum humanarum, „ & fatalem cœli ac terræ destructioni diem. „ Hac violentia per spatium temporis non e„ xiguum grassatus in urbe terræmotus nihil „ ibi jam in quod pergeret sævire reliquum „ fecerat præter arcem, quæ una illæsa ste„ tit, omnia ædificia collapsa omnes in iis „ repertos homines communi sepulchro tu„ mulaverant. Eam tragicam ubi late osten„ dit oculis speciem ortus diei, quæ tam di„ ram excepit noctem, concurrerunt ex agris „ undique quam maximo numero, sumptis „ in manibus ligonibus & marris, omnique „ terræ movendæ apto instrumento, quod „ cuique in manum quærenti venerat. Cum „ his acervum illum immanem ruinarum, qui „ pridie urbs fuerat, undique aggressi fode„ re cœperunt, sive urgente caritate, siquem „ forte miserum adhuc spirantem inter ruta „ & cæsa dirutarum ædium vindicare ab in„ teritu possent; sive, quæ pars maxima e„ rat, instinctu avaræ cupiditatis, ut tot „ divitias ibi cum possessoribus sepultas, nec „ alium jam habentes legitimum hæredem, „ dominis cum sobole, & cognatione univer„ sa pariter occumbentibus, in suos ipsi u„ sus auferrent securi forensium tricarum, „ nec metuentes interdictum *unde vi*. Hic „ aliquot dierum labor fuit, quo illa ver„ sando scrutandoque evoluta congeries, & „ in unam utcumque æquatam complanata su„ perficiem est. Ex eo multi campo mes„ suere segetem auream ligonibus usi vice „ falcium Albanitæ cæterique circum habi„ tantes, demumque cum præda recedentes pla„ ne desertam reliquerunt illam olim urbem, „ ubi fuerit signis nunc tantum exilibus mon„ stranrem; in urbibus numeratam dicis tan„ tum causa & nomine tenus; cum modo „ urbs non sit „. Hactenus Pachymeres, qui subdit inter ruinas urbis exanimem pæne, & pluribus in membris saucium repertum fuisse Nicetam Archiepiscopum Græci dogmatis Dyrrachiensem.

Verum urbs hæc non diu in tanto excidio sepulta jacuit. Nam post annos fere decem Illyrii quidam, inquit idem Pachymeres lib. 6. cap. 32., qui partes secuti Caroli Siciliæ regis, cum is adversus Græcos arma movisset, ab Michaele Imp. defecerant, e squallore & miserrimo infortunio Dyrrhachium erigere aggressi sunt, totisque viribus reædificatam urbem, & incolis auctam sibi occuparunt freti ejusdem Caroli auxilio, qui proximum Caninæ oppidum præsidiariis copiis tenebat. At mox bello Carolus victus a Græcis in Italiam se recipere coactus est; rursumque urbs in eorum ditionem concessit. Milo æqualis hujus sæculi XIII. qui notitiam Episcopatuum sui temporis descripsit a Schelstratio evulgatam tomo 2. Antiq. Eccles., ait Dyrrhachinæ metropoli nullum fuisse Episcopum subjectum. Nec mirum; cum illius provinciæ Ecclesiæ pastoribus carebant iisdem jactatæ calamitatibus, queis metropolis ipsa premebatur diu vidua ac pæne deserta ab catholicæ religionis cultura.

ANTONIUS II. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XVI.

Antonius Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1296.

Siqui forte per integrum fere sæculum Antistites latini huic Ecclesiæ præfuerunt, horum nomen & gesta urbis ruina penitus absorpsit; nec habeo, quem proferam, nisi Antonium hunc ex tabulis Monasterii Veneti S. Georgii Majoris, uti leguntur tomo 8. monum. Eccl. Ven. pag. 162. Anno quippe 1296. VII. Kal. Septemb. dicitur Antonius Archiepiscopus Duracensis adfuisse cum Gradensi Patriarcha, & Episcopo Caprulano celebri pompæ, qua brachium S. Georgii martyris e templo S. Zachariæ ad Georgianum delatum est, ibique sancte riteque depositum. Bonifacius Pontifex an. 1298. in literis *ad Ministrum Provincialem Ordinis Fratrum Minorum in Sclavonia*, quas ad hunc annum attulimus in Archiepiscopis Antibarensibus, jubet, ut is *in Archiepiscopatu* etiam *Duracien.* Sacrorum Quæsitorum in hæreticos homines munus per suos sodales exerceri satagat & firmiter stabiliri; siquidem *in detrimentum Fidei Catholicæ perversa* errorum *germina* in iis locis *persenserat succrevisse*. Quod Dyrrhachiensi diœcesi facilius potuit accidere tum Schismaticorum perversitate, qui in urbe dominabantur, tum Antistitum suorum privatione, qui aut nulli erant, aut aberant plerumque. Antonius certe an. 1299. & 1304. aut Venetiis, aut Patavii commorabatur, cum canonicæ pœnæ veniam suo ipse diplomate elargitus est iis, qui criminibus rite expiati sacra Divorum lipsana in Patavino S. Antonii templo condita venerarentur. Primum hujusmodi est e tabulis Antoniani Cœnobii exscriptum.

Duo ejus diplomata.

Antonius permissione divina Duracensis Archie-

Digitized by Google

chiepiscopus universis Christi fidelibus tam Clericis quam laicis præsentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Sanctorum meritis felicia gaudia fideles Christi assequi minime dubitamus, qui eorum patrocinia per condignæ devotionis obsequia promerentur. Illum quoque venerantur in ipsis, quorum gloria ipse est, & retributio meritorum. Nos igitur ad consequenda prædicta gaudia causam dare fidelibus cupientes omnibus & singulis utriusque sexus vere pœnitentibus & confessis, qui ad Ecclesiam S. Antonii Confessoris de Padua accedentes reliquias multorum Sanctorum, Apostolorum videlicet, Martyrum & Confessorum & Virginum in quodam venerabili anchona ipsius Ecclesiæ recondisas, ex speciali devotione ac reverentia visitare curaverint, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli ac B. Antonii omniumque Sanctorum patrocinio confidentes, & de voluntate & consensu venerabilis Patris nostri Domini Episcopi Paduani, quadraginta dierum veniam peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, misericorditer in Domino indulgemus. In cujus rei testimonium & evidentiam pleniorem præsentes litteras fieri fecimus & nostri sigilli munimine roborari.

Sub anno Nativit. Dom. mill. duc. nonag. nono Indictione duodecima.

Alterum datum est una cum *F. Zilio Patriarcha Gradensi, Tolberto Ep. Tarvisino, Guillelmo Ep. Esuli, & Fr. Jobannino Ep. Caurolano, habito D. Otbonis Ep. Paduani consensu, Venet. in vigilia S. Michaelis anno Dom. mill. CCC. primo.*

Antonius paulio post vacuam successori sedem reliquit.

PETRUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XVII.

Petrus Archiepiscop. Dyrrhachiensis anno 1303.

Qui hanc Ecclesiam tenebat an. 1303., & Patavii anno eodem interfuit dedicationi Ecclesiæ S. Augustini, quam solemni ritu peregit Benedictus XI. tum Episcopus Ostiensis. In tomo 2. Bull. Domin. exstant hujus Pontificis literæ XVI. Kal. Martias an. 1304. datæ, queis templi Augustiniani consecrationem memorat, & veniam & ecclesiasticæ pœnæ liberationem *tum per Nos, tum per Vener. Fratres nostros Leonardum Constantinopolitanum, & Ægidium Gradensem Patriarchas, Petrum Archiepiscopum Ducacensem* &c. cunctis concessam, qui pie casteque illud inviserent. Idem Pontifex statim atque Romanam Sedem conscendit, binis literis, altera ad Marinum Antibarensem Archiepiscopum XIV. Kal. Decembris anno 1303. missa, altera X. Kal. Martii an. 1304. *ad Provincialem Fratrum Prædicatorum in Hungaria*, miserum nedum Antibarensis, etiam Dyrrhachiensis provinciæ statum describit, in qua ecclesiastici æque ac laici homines, omni lege ac disciplina contempta, vitiis diffluebant, simoniaca illi labe præsertim, hi vero turpissimis sceleribus fœde conspersi; quia plures e clero illicite a schismaticis Episcopis, & subverso ecclesiastico ordine, pactoque pretio, veritа etiam a sacris Canonibus ætate in sacerdotium fuerant cooptati. Tum utrumque monet, ut hisce malis remedium quantocius afferant, suaque munit apostolica potestate, quanta opus erat, ut tutius faciliusque rei Christianæ jam jam labenti prospicerent. Habes has litteras in laudato Marino. Hinc verisimile fit, Petrum suam Ecclesiam nunquam adiisse, qui antè annum 1305. aut vitam, aut Episcopatum, vel utrumque etiam dimisit. Hicne, an e superioribus Archiepiscopis alius, sit, qui in veteri S. Salvatoris Ecclesia Venetiis conditus jacet, omnino incertum. Nam in Chronico pervetusto hujus cœnobii scriptum comperio pag. 74. *MCCCLX.* Cœnobii Præses *fecit statim ampliare sacristiam quantum potuit, & elevare sepulcbrum priorum quia primo stabat in muro, sicut stant alie due sepulture archiepiscoporum Jadrensis & Diracbini.* Sed novo templo ac cœnobio magnifice exstructis sæculo XVI., periere prorsus duo tumuli, nec ulla penes Canonicos cœnobitas eorum superest memoria. Qui sequuntur post Petrum Antistites alibi diem supremum obiere, aliis in locis sepultura donati.

ANTONIUS III. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XVIII.

Antonius III. Archiepisc. Dyrrhachiensis an. 1305.

Cui cognomen de Banstro. Natione Dalmata fuit, & Franciscanæ disciplinæ alumnus, qui anno 1305. huic Ecclesiæ, licet invitus, a Clemente V. præpositus fuit; eodemque anno, Venetiis cum esset, Ecclesiam S. Pantaleonis cum Castellano aliisque Episcopis pompa rituque solemni consecravit. Cornelius tomo 2. monum. Eccl. Ven. exhibet inscriptionem religiosi hujusce actus testem, quam hic exscribo.

1305. *Mense Julii die XIV. exeunte consecrata fuit Ecclesia S. Pantaleonis per Venerabiles Patres Dominos Fratrem Rambertum Episcopum Castellanum, Antonium Banstro Archiep. Duracb., Petrum Archiepiscopum de Nazareth, Fratrem Augustinum Episcopum Civitatis nove, Joannem Episcopum Caprulanum; & Albricum Episcopum Valen. qui omnes Pontifices indulgentiam fecerunt omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui singulis annis ipsam Ecclesiam visitabunt eo die, & per ejus octavam an. VI. & XL* DI.

Deinde Dyrrhachium venit, nihilque veritus Schismaticorum potentiam, & quas metuere par erat, insidias atque insectationes, vigili intrepidoque animo sui gregis utilitati ac defensioni prospexit, ut ab hæresis & schismatis venenato pabulo illum arceret. Sanctissimi hujus viri memoriam summis laudibus extulere Scriptores fere omnes Franciscani, a quibus *Beati* titulo plerumque nominatur. Ex his Tossinianus lib. 1. Hist. Seraph. *Pluribus annis*, inquit, *Saracenis prædicavit*, ante scilicet susceptum munus archie- ejus elogium & obitus.

chiepiscopale; *multosque ad Fidem Christi perduxit. Spiritu prophetico clarus; multa enim prædixit, & præsertim diem & horam obitus sui. De quo insigne illud memoratur; mortuo jam, atque, ut fieri solet, induto episcopalibus indumentis, ita cadaver ejus cœpit desudare, ut omnes adstantes in admirationem adducerentur; quod miraculi loco adscribi debet. Obiit Dyrrhachii, sepulchri tamen ejus nullum apparet vestigium.* Addit Vaddingus in Annal. ad an. 1305. *apparuisse ad caput ejus* in feretro positi *adolescentem decorum aspectu, qui pro concione universam ejus vitam & gesta recitavit, statimque disparuit.* Plures annos huic Ecclesiæ præfuit; ejusque obitus in martyrologio Franciscano consignatur Idibus Martiis. Hoc tempore alius D. Francisci ejusque disciplinæ socius & Antonii comes in apostolicis excursionibus Dyrrhachii degebat Adam, de quo idem Vaddingus. *Duratii in Custodia Ragusina miraculis coruscat frater Adam, primus socius prædicti fratris Antonii, eidem ministerio prædicandi Infidelibus totus addictus, qui similiter mortis suæ diem prænunciavit. Jacet Catharæ miraculorum gloriæ insignis.* Sed urbem, suamque patriam præcipue B. Franciscus Dyrrhachinus collustravit virtutum suarum & probatæ sanctitatis splendore, quamvis magnam vitæ partem Uriæ in Italia egerit, ubi ejus corpus perhonorifico cultu cives venerantur, tamquam præcipui urbis patroni, qui conspicua ejus prece a Deo patrata miracula admirati, & præsentem in suis calamitatibus illius opem experti sunt. Sæculo XVII. Pontificis auctoritate dies certus celebrandæ Francisci memoriæ decretus est tertium Paschatis festum, cum antea nullo Romanæ Sedis solemni judicio, sed pia tantum & inveterata plurium sæculorum religione divos honores obtineret. *Cum dies mortis ignoretur*, inquit Carolus Cozalinus Episcopus Uritanus in literis III. Kal. Junias an. 1686. scriptis & in calce tomi IV. Maji Bolland. prolatis, „ festum B. „ Francisci Dyrrhachini in hac civitate, quæ „ eum inter primos suos patronos veneratur, „ recoli solet feria tertia Paschatis, quia tali die factum ex traditione creditur, quod „ aperientibus sese parietibus tribus, procul „ ab Ecclesia in culina positus vidit sub „ Missa majori elevari sanctissimam Eucharistiam. Ad festivitatem autem illam magnus fit undique ex oppidis vicinis confluxus populi, quo etiam die sacri corporis „ arca processionaliter circumfertur, comitantibus non solum Clero toto religioso ac „ sæculari cum Episcopo suo, sed etiam Magistratu & cunctis, qui publicum aliquod „ munus gerunt; in casu vero communis alicujus necessitatis similiter & exponi & „ circumferri consuevit. Reliquo omni tempore habetur arca illa, quæ ex ligno inaurato est fabricata cum chrystallis specularibus visum intro locati corporis permittentibus, habetur, inquam, arca sub altari ejus capellæ, quam ipsi propriam Uriensis Communitas ære publico ædificavit in „ Ecclesia Minorum Conventualium, habeturque sub tribus clavibus, quarum una penes Capitulum est Cathedralis Ecclesiæ, „ altera apud Syndicum civitatis servatur, „ tertia manet in potestate Guardiani.„

Acta B. Francisci Dyrrachini.

Arturus in Martyrologio Franciscano in diem Maji decimam septimam rejicit memoriam B. Francisci, uti & Antuerpienses Hagiographi, qui cum Vaddingo censent initio sæculi XIV. eum sanctitatis fama claruisse. Præter vero testimonia, quæ ii de Francisci gestis exscribunt e Franciscanis historicis, illius vitæ summam afferunt ex oratione Q. Marii Corradi Uritani ad patriæ suæ cives an. 1570. habita *de D. Francisci Dyrrachini divinis honoribus*, cujus restaurandi augendique cultus studiosissimus fuit. Porro historiæ nostræ ratio, & Dyrrhachiensis Ecclesiæ decus postulat, ut inde sancti viri acta hic descripta subjiciantur.

„ Dyrrhachii natus Franciscus, quæ civi„ tas est in Epiro, non generis nobilitatem, „ non ea quæ summa & præclara habentur „ in vita, cogitavit unquam; honores au„ tem, ambitiones & gloriam imperandi (1) 1
„ aliis sui loci hominibus, summum sibi es„ se periculum & summum nefas putabat at„ tingere; sapientiæ vero tantum coluit, „ quantum humanæ, & sui ipsius imbecilli„ tati divinisque beneficiis cognoscendis sa„ tis esse videretur. A prima adolescentia in „ Francisci Assisiatis (2) familia sodalis fuit; 2
„ quocirca nomen sibi quoque imponi vo„ luit, quo ad cœli vias omnes perquiren„ das duce uteretur. Summum esse imperium „ putabat aliis obtemperare, summam glo„ riam omnibus inservire..... Audierat id „ quod erat, Collegii locum extra portam „ Brundusinam Francisco Assisiati magistro „ suo a civitate nostra donatum fuisse, & „ in eo quosdam hujus familiæ admiranda „ pietate homines victu asperam, sed cogi„ tationibus suavem vitam agere. Dyrrhachio „ igitur, ubi primis annis sanctissime vixe„ rat, Uriam venit, & in Collegio, quod „ non multo ante Franciscus ipse condiderat, „ augenda quotidie religione, laboribus & „ rerum cogitatione cœlestium egit quod re„ liquum erat ætatis. Exultabat mehercule „ vir sanctissimus gaudio, gestiebat lætitia, „ cum lustraret oculis domum partesque o„ mnes perquireret, omnia deosculans & la„ biis terram lambens. Hic, hic, inquit, „ locus est; hoc Magister meus limen suis „ illis pedibus trivit, hunc fontem bibit, „ hic sæpius vota fecit, hanc aram frequen„ tavit. Taceo hic verbera, quibus macie & „ inedia confectum illud corpus assidue cæ„ debat; nec sanguinem dico hamatis flagris „ arefacto jam de corpore exhaustum. Atque „ ut alia non dicam, propter continentiam „ victus admirationi cunctis mortalibus fuit. „ Tantis enim laboribus, quos vel noctu su„ scipiebat ad preces atque vota Deo facien„ da, vel interdiu ad commoda sociis & of-

„ ficia

„ ficia præstanda, illud etiam addidit, ut „ vitam semper aqua & pane sustentaret. „ Ad hanc tenuitatem victus cum se diu e- „ xercuisset, & ope divina res adjuta feli- „ cissime succederet, cogitavit etiam fierine „ posset, ut usu quoque panis careret. Cœ- „ pit igitur pedetentim experiri. Quod cum „ vix ferret natura humani corporis, consi- „ lium tamen susceptum tenuit, & expers „ rerum omnium, quibus vesci homines con- „ suevere, totis septem annis, quibus postea „ vixit, oleribus tantum & aqua duravit..... „ Quodam tempore Uriæ in Collegio, quod „ antea jam dixi, conventus agebatur homi- „ num Franciscanorum, quo, tanquam ad co- „ mitia quædam, communibus de rebus, di- „ vino cultu, Rectoribus Collegiorum consu- 3 „ lendi causa undique venerat. Die festo (3) „ solismane, cum in templo hujus Collegii „ pro summa religione Sacrum fieret, hic „ Dyrrhachinus, ut si Christi ipsius res es- „ set, ita officia & summam domus omnem „ sustinebat. Ecce a templo tintinnabuli si- „ gnum datur; Christi corpus ostendi popu- „ lo intelligit. Ad id statim accurrens, dum „ præsenti ex mole rerum plurimarum expli- „ care se non potest, posito genu mentem „ & oculos intendit, suspiria & lacrymas „ movet, dureque pectus cædit. O miram „ illius certissimæ fidei & pietatis vim, quæ „ omnium hominum linguis prædicari debeat! „ Apertis enim sponte nutuque divino tri- „ bus muris, qui interjecti erant, nullo ap- „ parente motu, nullo audito sono, via san- „ ctissimi viri oculis ad aram facta est, un- „ de sacrum populo ostendebatur.

„ Cum rite suoque more supplicavisset, „ ac Deo gratulabundus tota domo curaret „ ea, quæ religiosorum hominum tantæ mul- „ titudini oportuerant, hunc illi favorem & „ monstrata divinitus furiæ inviderunt. Quam- „ obrem ita se & dolorem suum ulciscun- „ tur, ut quæ in penu, quæ in cella vinaria, „ quæ in foco & in popinis erant, ex corrogata „ undique a bonis viris stipe, ea diriperent, & „ quæ ad ejus ipsius diei cœnam parabantur, „ nequid vir sanctissimus ex eo labore a „ Deo vel a sociis mereretur, omnia, con- „ fractis etiam vasis omnibus, effunderent. „ Subitus rerum fragor omnium tantus fuit, „ ut sibi motus quidam terræ in domo fieri „ videretur. Re cognita, Deo solum gratias „ agit ab illo consilium expectans quid facto „ opus esset. Non multo post, cum adhuc „ Socii in sacris, quibus jam dixi, & in „ comitiis diem consumerent, adest ad ja- „ nuam humana facie & vestitu juvenum „ manus cum vasis, canistris & regio da- „ pium varii generis apparatu, qui jussu do- „ mini sui principis cujusdam Uritani viri „ ea se Francisco Dyrrhachino & sociis fer- „ re dixerunt. Hærere homo, mirari ac stu- „ pere unde magnificentia tanta muneris; & „ profecto ex juvenum quoque vultu immor- „ tale nescio quid sibi in animum spirare „ videbatur. Illi vero, Satis, inquiunt, Pa- „ ter; hæc vestra sunt; illis utimini, ad va- „ sa (4) recipienda mox redibimus. Hic di- 4 „ cere cum studeret aliquod, eosque statim „ abeuntes ad januam sequeretur, illorum „ aspectum subito ex oculis amisit. Ad cœ- „ nam vero cum ventum esset, tantus fuit „ odor & suavitas inusitata rerum omnium, „ ut boni viri & sancti cœlestia sibi a Dyr- „ rhachino cibaria illo die apposita esse co- „ gnoscerent. Itaque res una ex alia cum in „ tanta hominum frequentia rescita esset, „ quæ diu ab illo celari vix poterat, admi- „ rabilis vita ejus ac sanctitas ex eo facto „ cœpit esse illustrior. Vides quanta uno „ die sit expertus..... quid putandum ergo „ reliqua in vita illi accidisse?..... Recens „ memoria est, cum id accidit, quod pos- „ set quisque vestrum recordari. Duo qui- „ dam hospites hic in Francisci Collegio diu „ fuere usi liberalitate, quantam facultates „ hominum atque loci ferre potuerunt. Unus „ ex iis per dies aliquot secum male cogi- „ tans, altero nihil suspicante, clam de cor- „ pore Francisci Dyrrhachini mandibulam „ furatus est. Cum denique Lupias discede- „ rent, aliis cum rebus multis & vilibus in „ manticam illud ossum conjecit; hanc in „ jumentum imponit; id corruit statim; & „ seu vera mors illa fuit, seu morti simile „ quiddam, cognosci non potuit; sensus cer- „ te & vita nulla amplius visa est. Onus „ cum esset expositum, & jumento corium „ detrahi deberet, sanitate integra subito ap- „ paruit. Hospes qui aderat, sibi conscius „ patrati sceleris monstra hæc divinitus sibi „ fieri intelligit. Rapta igitur, ut clam & „ celerius potuit, mantica, furtim se a tur- „ ba subtraxit, & jumento amplius uti no- „ luit, & quantum onus fuit rerum suarum „ sibi in scapulas imposuit; consceleratus po- „ stea jurabat donec (5) mandibulam ferret, 5 „ semper toto corpore tremuisse. „ Hacte- nus Corradus.

NOTÆ.

1 Hinc conjici potest Franciscum nobili genere ortum esse & e divite familia, atque humanis literis satis excultum.

2 Ex his, quæ Godefridus Henschenius disserit de B. Francisco cap. 1., & Franciscanum Cœnobium Dyrrhachii ante sæc. XIV. constitutum discimus, & Franciscum, postquam huic Ordini in patria nomen dedit, severioris disciplinæ studio, atque perfectioris vitæ, Uriæ Clarenis se adjunxisse; hi enim ab Angelo de Clareno ita appellati primævam D. Francisci institutionem eo duce sequebantur.

3 Uno e tribus Paschatis festis hoc portentum evenisse dictum est superius.

4 Sæculo XVI. ex hisce vasis unum adhuc Brundusii penes F. Angelum Mundinam in Franciscano Cœnobio reverenter servabatur, Corrado teste in laudata oratione.

5 Narrat Vaddingus nullo fretus auctore man-

Digitized by Google

mandibulam a sacrilego fure fuisse restitutam contra atque Corradus testatur, magicas ad artes impie ab eo adhibitam, nec uspiam repertam.

Verum Corradianæ orationis vis tota atque eloquentia eo spectat, ut Uritanos ad restituendum augendumque B. Francisci cultum hortetur, atque incendat, cujus neglectu maximas iisdem calamitates accidisse graviter exprobrat, & ingratum in cœlestis viri uberrimam beneficentiam animum reprehendit. Hinc multa silet de illius gestis, quorum suo tempore memoria exstitisse videtur, sed nunc periisse nullis tradita monumentis dolemus. Habent porro Dyrrhachienses incolæ, de quo summopere glorientur, sibique plaudant de civis sui sanctitate; eumque existiment multo gratiosiorem futurum magisque Ecclesiæ Dyrrhachiensi propitium, si velint, queis licet, honoribus illum colere, illiusque consequi pro patriis rebus & miserrima captivitate solvenda efficax patrocinium. Vaddingus ad eumdem annum 1305. alium Dyrrhachiensem civem, & Franciscani Ordinis virum celebrat Philippum *virtutibus & miraculis insignem, qui annis septem crudas herbas absque ullo pane comedit*, & Oriæ obiit; verum septennis hujusmodi abstinentiæ & domicilii similitudo, quæ Philippo est cum B. Francisco, suspicionem injicit, ne unus idemque sit Franciscus, qui a quopiam Scriptore Philippus fuerit appellatus.

Antonio, uti reor, adhuc Antistite & an. 1318. Collegium Canonicorum Dyrrhachiensium ex antiqua consuetudine Archidiaconum sibi elegerat; quem, ne Pontificem adiret, & collati muneris approbationem posceret, Schismatici in urbe domini vetabant. Quare Joannes XXII. Crojensi & Albanensi Episcopis potestatem tribuit hujus electionis confirmandæ, quod docent tabulæ Avenionenses; *Mandatum Crojensi & Albanensi Episcopis, quatenus confirment apostolico nomine electionem factam a Capitulo Ecclesiæ Dyrrhachiensis de Archidiaconatu dictæ Ecclesiæ tunc vacanti, ad quod de antiqua & approbata & hactenus pacifice observata consuetudine dicta electio pertinet, de persona cujusdam Costæ, attento quod Schismatici dominium temporale in dicta civitate Dyrrhachien..... & dictus Costa non possit ad dictam Sedem Apostolicam accedere ad effectum obtinendi dictam confirmationem electionis prædictæ. Anno II. Joannis XXII.* Idem Pontifex anno 1324. cuidam Drogoni Canonici dignitatem aut aliud sacerdotium in Ecclesia Cathedrali contulit, ut est in tabulis laudatis; *Collatio Canonicatus sub expectatione præbendæ Eccl. Duracen. latinæ pro Drogone de Bal.* forte *de Balso; dat. Aven. prid. Kal. Febr.* Narrat Cantacuzenus lib. 2. hist. cap. 32. per hæc tempora agrestium Albanorum multitudinem rebellasse, qui e Thessaliæ montibus in utramque Epirum facta irruptione diu ea loca rapinis ac cædibus vexarunt; sed post commissa ancipiti marte aliquot prælia adversus Andronici II. Imper. copias, in agro demum Dyrrhachiensi victi ac penitus deleti fuere.

Archidiaconi Dyrrhachien. electio.

MATTHÆUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XIX.

Matthæus Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1320.

Hanc Ecclesiam regebat an. 1320. ejusque nomen inscriptum est diplomati dato Avenione, qua in urbe versabatur, pro Ecclesia Bononiensi S. Martini Ordin. Carmel. *Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo, die decima mensis Julii* &c. Ex tomo 1. Bull. Carmel. pag. 60., dicitur *Matthæus Dureneen.*, eique adjuncti leguntur tres Archiepiscopi & Episcopi decem, quos inter *Andreas Crojensis* e provincia Dyrrhachina. Matthæum nominant etiam litteræ Benedicti XII., quas paullo inferius proferam; ex his videtur Dyrrhachii obiisse anno circ. 1340. sed archiepiscopalis ejus regiminis tam diuturni nulla habemus monumenta.

PETRUS II. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XX.

Petrus II. Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1340.

Exstincto Matthæo, convenit illico Collegium Canonicorum, ut sibi Archiepiscopum deligerent; verum inter se discordes, cuinam e competitoribus suffragio faverent, compromissum interposuere, quo Augerius quidam Franciscani instituti assecla cæteris prælatus est, & Archiepiscopus dictus. Is, cum a sui cœnobii Præside consensum in electionem obtinuisset, Avenionem cum electorum legatis venit, ut collatæ dignitatis pontificiam poscerent confirmationem. Sed justis de causis Benedictus XII. Augerium electum rejecit, & Petrum de Gironsa ejusdem, ut Augerius, Franciscanæ disciplinæ alumnum Ecclesiæ Dyrrhachinæ Antistitem dedit apostolica auctoritate, & consecratione archiepiscopali inungi jussit ab Anibaldo Episcopo Tusculano. Tabulæ Avenionenses tomo 7. Benedicti XII. an. VI., id est 1340. *Petrus de Gironsa præficitur in Ep. Ecclesiæ Duracien.* Tum ibidem, *Testimoniales consecrationis Petri Duracien. Archiep. & assignationis Pallei; dat. Avenione X. Kal. Maji an. VI.* Nunc integrum de re tota Benedicti diploma proferamus ex Vaddingo ad hunc annum.

„ Dilecto filio Petro de Gironsa Electo
„ Duratien.

diploma Benedicti XII.

„ Militanti Ecclesiæ, disponente Domi-
„ no &c. Dudum siquidem Ecclesia Dura-
„ tien. per obitum bon. mem. Matthæi Ar-
„ chiep. Duratiensis qui in illis partibus
„ diem &c. Pastoris solatio destituta &c.
„ dilecti filii Capitulum ipsius Ecclesiæ di-
„ lectum filium Augerium Gratiani Ordinis
„ Fratrum Minorum in Archiep. Duratien.
„ per viam compromissi concorditer elege-
„ runt; cumque postmodum præfatus Auge-
„ rius electioni hujusmodi de se factæ, de
„ licentia sui Superioris consentiens, ad Se-
„ dem Apostolicam personaliter accessisset,
„ & tam

Digitized by Google

„ & tam ipse, quam illi, qui eum elege-
„ runt, per certos eorum procuratores &
„ nuncios speciales ad dictam Sedem propter-
„ ea destinatos, nobis cum instantia sup-
„ plicassent, ut electionem hujusmodi, illius
„ nobis præsentato decreto, confirmare de
„ benignitate apostolica dignaremur, in his
„ omnibus statutis a jure temporibus obser-
„ vatis, nos deliberatione cum Fratribus no-
„ stris super his habita diligenti, prædictam
„ electionem ex certis rationabilibus causis
„ de ipsorum Fratrum consilio cassamus,
„ eamque decernimus irritam & inanem:
„ & tamen ad provisionem ipsius Eccle-
„ siæ Duratien. celerem & felicem, de qua
„ nullus præter nos hac vice &c. pro eo
„ quod nos diu ante &c. omnes Archiepi-
„ scopales & Episcopales Ecclesias tunc per
„ cassationes quorumlibet electorum ad illas,
„ & eligendorum in posterum, quas per nos
„ cassari contingeret, apud dictam Sedem
„ tunc vacantes, & in antea vacaturas, di-
„ spositioni nostræ specialiter reservantes de-
„ crevimus ex tunc irritum & inane si se-
„ cus &c. attentari; paternis ac sollicitis stu-
„ diis intendentes, post deliberationem quam
„ ad præficiendum eidem Ecclesiæ personam
„ utilem ac fructuosam cum eisdem Fratri-
„ bus nostris &c. diligentem, demum ad te
„ dicti Ordinis Minorum Professorem in sacer-
„ dotio constitutum, cui de religionis zelo,
„ literarum &c. & aliis multiplicium virtu-
„ tum meritis apud nos fide digna testimo-
„ nia perhibentur, convertimus oculos no-
„ stræ mentis. Quibus omnibus &c. pensatis
„ de persona tua nobis & eisdem Fratribus
„ ob hujusmodi tuorum exigentiam merito-
„ rum accepta dictæ Duratien. Ecclesiæ de
„ dictorum Fratrum &c. providemus, teque
„ illi præficimus in Archiepiscopum & Pa-
„ storem, curam &c. committendo, ac dein-
„ de per venerabilem fratrem nostrum Ani-
„ baldum Ep. Tusculan. tibi fecimus munus
„ consecrationis impendi, in illo qui dat
„ gratias &c. confidentes, quod eadem Du-
„ ratien. Ecclesia sub tuo &c. dirigetur, &
„ salubria suscipiet incrementa. Jugum igitur
„ Domini &c. Dat. Avenione x. Kalend. A-
„ prilis anno VI. „

Eodem fere sensu scripsit Benedictus Pontifex ad Episcopos provinciæ Dyrrhachinæ, ad Dyrrhachiensem Clerum, & Robertum Regem Siciliæ, qui tum per Andegavenses suæ stirpis Duces urbe potiebatur aliquot ante annos Græcis erepta; quare Catholicæ religionis cultus, pulso Schismaticorum dominatu, augeri jam Dyrrhachii cœperat, & liberior erat Archiepiscopis Ecclesiæ ac provinciæ administrandæ potestas. Dolendum vero, de Petri gestis nihil nobis innotescere, qui paullo post episcopale munus, forte cum ipsa vita, dimisisse videtur. Nam ante annum 1349. ei successit

ANGELUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXI.

Angelus Archiepisc. Dyrrhach.

Innotescit ex diplomate Clementis VI., de quo paullo inferius, & unde discimus, eum in Romana Curia Avenione obiisse.

ANTONIUS IV. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXII.

Antonius IV. Archiepiscopus,

Italus Alexandriæ natus in Insubria. Adolescens Franciscano Ordini sese adjunxit, & sanctissimis ejus legibus totum vitæ cursum regere enixe studuit ita, ut præ cæteris præclara, constantique omnium virtutum exercitatione excelluerit. Hunc ab altero Antonio Archiepiscopo Dyrrhachiensi initio hujus sæculi non distinxit auctor Martyrologii Franciscani, qui eum vixisse affirmat an. circ. 1380., cum hujus temporis nota neutri conveniat. Antonii itaque eximia religio cum doctrina conjuncta Benedictum XII. Pontificem impulit, ut Hierapolitanæ in Phrygia metropoli eum præficeret an. 1336., ubi difficili admodum, & laborioso perfunctus est Episcopatu. Verum Clemens VI. utiliorem ejus operam futuram ratus, si inde in propiorem Italiæ Ecclesiam transferretur, & perspectis, quæ tum Albaniæ ab hæreticis hominibus impendebant pericula ac detrimenta, Antonium ad Dyrrhachiensem Archiepiscopatum gerendum migrare voluit an. 1349. dato perhonorifico diplomate, quod est hujusmodi penes Vaddingum in Annal.

primum Hierapolitanus,

ad Dyrrhachiensia an. 1349.

Diploma Clem. VI.

Venerabili fratri Antonio olim Archiepiscopo Hierapolitano in Archiepiscopum Duracen. Electo.

Prudentia Regis æterni, cujus inscrutabili altitudine in regno mundi ordinationem suscipiunt universa, supremæ dignitatis fastigio licet immeriti præsidentes ad universas Orbis ecclesias aciem nostræ considerationis extendimus &c.

Nuper siquidem Ecclesia Duracen. per obitum bon. mem. Angeli Archiep. Duracen. qui apud Sedem Apostolicam diem &c. *pastoris regimine destituta; Nos attendentes quod nullus præter nos de ipsius Ecclesiæ ordinatione se hac vice* &c. *pro eo quod nos diu ante* &c. *provisiones omnium* &c. *tunc apud dictam Sedem vacantium* &c. *ordinationi* &c. *reservantes decrevimus ex tunc irritum* &c. *contingeret attentari, & ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem* &c. *ne longæ* &c. *incommoda, paternis* &c. *intendentes, cupientes quoque ipsi Ecclesiæ Duracien. talem præesse personam, quæ sciret* &c. *a noxiis & adversis ac in suis* &c. *ac etiam adaugere; post deliberationem quam* &c. *diligentem, demum ad te nunc Hierapolitanum Archiepiscopum, consideratis grandium* &c. *quibus personam tuam Altissimus insignivit, & quod Hierapolitanæ Ecclesiæ adhuc laudabiliter præfuisti, convertimus oculos* &c. *Quibus omnibus* &c. *te a vinculo, quo ipsi Hierapolitanæ Ecclesiæ, cui tunc præerat, tenebaris* &c. *absolventes te ad præfatam Duracen.*

Ec-

Digitized by Google

Ecclesiam transferimus, teque illi præficimus in Archiepiscopum &c. *firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino gressus tuos præfata Duracen. Ecclesia per tuæ industriæ* &c. *fructuosum studium* &c. *grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipies incrementa* &c. *Dat. Avenione VIII. Kal. Junii anno VIII.*

Antonius igitur, dimissa Hierapolitana Ecclesia, statim ad Dyrrhachiensem se contulit, in qua latus ei patuit campus & opima messe plenus quam colligeret, & tristi lolio infectus, quod evellere oportebat. Nam e finitimis provinciis plures in Epirum irrepserant partim hæretica, partim schismatica labe pollutos, queis una mens & unum erat consilium, ut a Catholica Ecclesia simplices animos, aut incautos averterent, pravisque dogmatibus Christiana sacra commacularent, præcipue in baptismi & divinæ Eucharistiæ sacramentis. Quare an. 1351. Clemens Pontifex ad Antonium æque ac ad Eliam Archiepiscopum Ragusinum & Bartholomæum Traguriensem Antistitem litteras dedit, eosque adhortatus est vehementer, ut huic malo occurrerent totis viribus, & non ab Albaniæ tantum, sed & Rasciæ & Serbliæ provinciis hæreticam, ac schismaticam pestem arcerent. Id Antonium continuo præstitisse non est dubitandum; & ad eum literæ quoque Innocentii VI. fortasse spectant, quibus an. 1354. *Universis Archiepiscopis & Episcopis per Rassiæ, Serviæ & Albaniæ regna constitutis* commendavit Pontifex Bartholomæum Traguriensem, & Petrum Pactensem Episcopos, suos ad Regem Serbliæ Legatos. De his vide historiam Ragusinæ Eccl. pag. 127. Antibarensis pag. 75. & Traguriensis pag. 382.

& ejusdem litteræ ad Antonium.

Archiepiscopalis Antonii regiminis certum terminum statuere non possumus; & quo tandem anno obierit, gravissimum ac sanctissimum pietatis nomen reliquit. Errasse tamen Vaddingus hic animadvertimus, qui de hujus Antonii virtutibus alio in loco, ad an. scilicet 1305. se scripsisse ait; cum alter an. 1305. Antonius Dyrrhachiensis Antistes ab hoc sit prorsus distinguendus; idque probant tum diversa utriusque acta, tum inter utrumque interjecti Archiepiscopi Dyrrhachini.

N. N. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXIII.

N. N. Archiep. Dyrrhachiensis an. 1370.

Nominatus a Raynaldo ad an. 1370. num. 8., nulla adjecta nota, ex qua clarius queat dignosci. Ad hunc missæ hoc anno ab Urbano V. literæ commendatitiæ, ut quatuor Episcopis e Franciscana familia, qui studio incensi disseminandæ latius religionis per has iisque finitimas regiones in Albaniam proficiscebantur, opem præberet, & necessariis juvaret subsidiis. *Quatuor Episcopi*, scribit idem Raynaldus, missi a Pontifice *religionis latius proferendæ cupidissimi paratique ad fundendum pro Christo sanguinem in Albaniam aliasque vicinas provincias, ut Schismaticos ad gregem dominicum adducerent, quos Archiepiscopo Dyrrhachiensi* &c. *tum universis Albaniæ Episcopis commendavit;* de qua episcopali missione Vaddingus silet. Equidem Albana provincia hinc Serbliæ, illinc Macedoniæ & Græciæ circumsepta limitibus sese tueri adeo non poterat, ut schismaticum venenum, quod proximas regiones prorsus infecerat, aliqui ex incolis non ebiberent; nec satis erat ad illud repellendum vigiles Episcoporum curæ, & impensi ab evangelicis operariis labores, præsertim cum, ut diximus in Ecclesia Antibarensi, Serbliani in apertam a Romana Ecclesia defectionem jam ruere cœpissent. Per idem tempus apostolica legatione fungebatur in Dyrrhachina provincia Paulus Palæologus. Patriarcha latini dogmatis ac ritus Constantinopolitanus; queis dignitatis ac honoris titulis sese ipse appellat in diplomate an. 1380., quo Anconitanam Ecclesiam quibusdam sacris lipsanis ab se donatam testatur. Exstat illud in hist. Anconit. Saraceni pag. 233. hoc verborum initio, *Paulus Palæologus miseratione divina & Apostolicæ Sedis gratia Sedis Constantinopolitanæ Patriarcha in partibus Romaniæ a Durazzo ultra & per omnem orientalem partem SS. in Christo Patris & Domini nostri D. Urbani divina providentia P. VI. Legatus a latere* &c. Cujus legationis mittendæ ea unice Urbano Pontifici causa erat, ut Græci ad conjunctionem cum Romano Pontifice revocarentur, & qui per eas provincias Catholici Schismaticorum circumventi fallaciis ne in eorum partes desciscerent. Verum civilibus Dyrrhachii motibus paullo post exortis, parum abfuit, quin tota civitas & provincia alio schismate esset implicita, quod, uti narrabimus, Romanam deinde Ecclesiam diutissime afflixit, & catholicam societatem per universas occidentis regiones miserum in modum discerpsit.

JOANNES ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXIV.

Joannes Archiep. Dyrrhachiensis anno circ. 1383.

Filius Bonifacii de Panella Neapolitanus hanc sedem obtinuisse videtur an. circ. 1383. Cum Ludovicus Andegavensis hoc anno in Italiam venisset adversus Carolum III. Dyrrhachiensem dictum, & Neapolis ac Siciliæ regem, favore fretus ac potentia pseudopontificis Clementis VII., qui in Romanum Pontificatum, vivo adhuc Urbano VI., sese intruserat, ab eo Regis Neapolitani titulum & insignia accepit ipso anno 1383., & cum exercitu regni fines ingressus magnam partem Carolo ademit. Sed Ludovico & Carolo intra triennium exstinctis, Ladislavus hujus filius regnum inivit an. 1386. eodemque tempore e Galliis Ludovicus alter e priore genitus in Italiam evocatus est, & Clementis VII. ac rebellium præsidio & armis Neapolim aliaque regni loca suo imperio subjecit an. 1390. Nec dubium est, quin & in Dyrrha-

Digitized by Google

rhachiensem ditionem, quæ Ladislavo suberat, jus sibi vindicaverit, eaque per suos fautores astu aliquo, sin minus armis, potiri conatus sit. Revera Georgius quidam Caroli Tobiæ filius, seu verum id esset, seu dolose effictum, nomine Ludovici urbem occupaverat, a quo patri suo traditam fuisse ajebat; utque Ludovici, sic etiam Clementis factioni addictus in utriusque partem cives ipsumque Clerum pertraxit. Interea an. 1390. Bonifacius IX. legitime suffectus est Urbano VI. Pontifici, & fere quadriennio post Benedictus XII., renovato schismate, in Clementis VII. locum se Pontificem extulit Cardinalium suorum suffragiis. Quare Bonifacius æque Dyrrhachiensem, atque alias, quæ Clementi adhæserant, Ecclesias sibi adjungendi sollicitus, tamquam vero Romanæ Sedis Antistite, & Christi Vicario, scripsit an. 1391. ad Georgium Balsam Zentæ in Epiro Dynastam, hortatusque est, ut Georgio Tobia ab iniqua urbis possessione depulso, de civibus ad obedientiam erga legitimum Pontificem revocandis ageret studiosissime. Bonifacii literas, e quibus rem totam didicimus, a Raynaldo ad eum annum prolatas subjicio.

Litteræ Bonifacii IX.

Dilecto filio, nobili viro Georgio Stratimiro de Balsa domino & principi Zentæ (1) *in regno Rasciæ, salutem.*

Cum, sicut accepimus, iniquitatis filius Georgius quondam Caroli Tobiæ natus domicellus (2) *Duracensis civitatem Duracensem prætextu concessionis de illa sibi seu dicto quondam Carolo ejus patri facta per iniquitatis alumnum* (3) *Ludovicum, qui se gerit pro duce Andegavensi, detineat, prout eam dictus pater ejus nomine dicti Ludovici per nonnulla* (4) *tempora detinuit occupatam, dictique Ludovicus & Georgius notorie adhæserint & faverint & adhærere ac favere perditionis alumno Roberto* (5) *olim Basilicæ XII. Apostolorum Presbytero Cardinali nunc Antipapæ, qui se Clementem VII. ausu temerario nominare præsumis etiam post & contra processus per felicis recordationis Urbanum Papam VI. prædecessorem nostrum contra ipsum Robertum ac ejus fautores, sequaces & adhærentes eidem factos & solemniter publicatos. per quos idem prædecessor dictum Robertum velut hæreticum & schismaticum puniendum sententialiter condemnavit, præsumpserunt & præsumant; Nos cupientes, quod dicta civitas & ejus cives & incolæ ad obedientiam & devotionem nostram & Ecclesiæ Romanæ reducantur, de tua prudentia & strenuitate specialem in Domino fiduciam obtinentes, nobilitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus omnibus viis & modis, quibus commode poteris, des opem & operam efficaces, ut prædicta civitas, & ejus cives, incolæ & habitatores ab obedientia & subjectione Ludovici & Georgii prædictorum, & quorumlibet aliorum schismaticorum resiliant & totaliter liberentur, & ad nostram & Ecclesiæ Romanæ prædictæ devotionem & obedientiam, prout tenentur, libere convertantur; tenens indubie, quod præter æternæ retributionis præmium & humanæ laudis præconium, quæ proinde mereberis, nostram & Apostolicæ Sedis gratiam peramplius consequeris. Dat. Romæ idibus Aprilis, Pontificatus nostri an. II.*

NOTÆ.

1 Duplex Zenta, utraque in Epiro & in diœcesi Scodrensi, Balsichiorum imperio parebat, qui an. 1383. aut 1384. Serblianum schisma ejurarunt, uti in Episcopis Svaciensibus dictum. Serbliæ vero, nomine Rasciæ appellatæ, regnum in ipsam Epirum protensum fuit.

2 Domicelli vulgo hac ætate dicebantur regum seu principum virorum filii, quasi domnicelli, seu parvi domini, dum parentum potestati erant subjecti; quem titulum Georgius, mortuo etiam patre, obtinebat. Tobia seu Topia in Epiro familia exstitit nobilitate & opibus illustris inter Dynastas Epiro-tas, & ab ea Crojam urbem exstructam narrat Barletius in vita Scanderbeghi, uti in Crojensibus Episcopis disseremus.

3 Ludovicus scilicet Andegavensis, qui an. 1386. arma jam moverat in Ladislavum Neapolis ac Siciliæ regem, cuique Bonifacius Andegavensem stirpem denegat & jura in regnum utrumque.

4 Hinc consequitur, Ludovicum ab ipso in Italiam adventu de Dyrrhachiensi Dynastia cogitasse, aut eos certe, qui ejus parti favebant, Thomam in primis Sanseverinum, qui urbis Neapolitanæ regimen illico Ludovici nomine sibi arripuerat.

5 Robertus is est e Comitibus Gebennensibus, Presbyter Cardinalis titulo SS. XII. Apostolorum, qui perversis Gallorum Cardinalium & Joannæ Neapolis reginæ molitionibus adversus Urbanum VI. Pontifex creatus est nomine Clementis VII. an. 1378. unde fatale in Ecclesia schisma erupit annorum XXVII.

Ne suspicari quidem licet, Georgium pontificiis hortationibus non esse obsecutum; multumque ad ejiciendos ex urbe rei Christianæ & publicæ hostes, ac ad civitatem pacandam valuisse reor Venetorum classem, qui, cum ab Andegavensibus injuria lacessiti fuissent, Dyrrhachii obsidionem decreverant; illudque in sui tandem potestatem redactum stabili ac firma possessione tenuere; hinc pax secuta, & religionis tranquillitas.

Veneti Dyrrhachium armis acquirunt.

Inter hasce turbas quid consilii ceperit Joannes Archiepiscopus, quidve gesserit, horum temporum monumenta silent. Anno certe 1386. aut paullo post, sua Ecclesia relicta, in Italiam venerat, & in partem schismaticam deficiens Clementis VII. auctoritate in Caputaquensem Episcopatum se intrusit, uti constat ex additamentis a Nicolao Coleti subjectis tomo VII. Ital. Sacræ. Quamvis non levis mihi suspicio injiciantur Joannem jam Clementi adhæsisse, cum adhuc Dyrrhachii esset; & si ab ipso Clemente

Joannes Archiepisc. schismaticus hanc Ecclesiam relinquit.

Digitized by Google

huic Ecclesiæ fuisset præpositus, quod nec probare possumus, nec abest a similitudine veri, profecto illum e numero Dyrrhachiensium Antistitum expungere debuissemus.

STEPHANUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXV.

Stephanus Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1394.

Appellatus *Stephanus Guillelmi*, patria Neapolitanus, e sacra Carmelitarum familia, cum munere *Pœnitentiarii Apostolici* fungeretur, a Bonifacio IX. hanc Ecclesiam regendam accepit an. 1394. ex lib. Provis. Bonifacii IX. an. V. fol. 84. Haud multo post hanc cum Potentina Sede commutavit; *Idem promotus est ad Ecclesiam Potentinam in regno Neapolitano ab eodem Bonifacio IX., sed quia neglexit litteras suæ translationis infra tempus expedire, in ejus locum alter institutus est Ep. Potentinus VII. id. Februarii an. 1399.* ex lib. laudato, anno X. fol. 16. Eadem habet Ughellius tomo 7. Ital. Sacræ in Episcopis Potentinis. Stephani meminere Biblioth. Carmel. Scriptor. tomo 2. in Catal. Episcoporum sui Ordinis, Speculum Carmel. & P. Vintimilia in Carmelo Sacro lib. 3. cap. 2.

MINOR ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXVI.

Minor Episcopus Dirrhachiensis.

Hunc nomine tenus cognoscimus ex diplomate Joannis XXIII. de electione Joannis II, Archiepiscopi Dyrrhachiensis an. 1412., quo Minori vita functo suffectus est

JOANNES II. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXVII.

Joannes II. Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1412.

Cognominatus *de Duranel* a Fontana in Theatro Dominic. Verum Bremondus in tomo 2. Bull. Dominic. pag. 528. eum *de Duracio* appellat, quod confirmant Acta Consist. Sacro D. Dominici instituto adolescens nomen dedit, forte Dyrrhachii, unde illi cognomen, in patrio cœnobio, cujus mentio est in comitiis sui Ordinis an. 1378. Carcassonæ celebratis; cœnobia enim nominantur *Dyracen. Sutaren. Dulcinen.* Ingenii ac doctrinæ laude Theologiæ doctor dictus, ac suarum virtutum merito Ordinis præfectura in provincia Dalmatiæ ornatus est. Hunc itaque Joannes Pontifex dignum censuit, qui Ecclesiæ Dyrrhachiensi præficeretur. *An. 1412. Kal. Octobris provisum est Eccl. Duracen. Metropol. in provincia Albaniæ per mortem Minoris de persona Magistri Johannis de Duratio Ord. Præd. magistri in Theol. & Provincialis Dalmatiæ.* Habeo ex Bullar. Dominic. tomo 2. pag. 515. pontificium diploma ad Joannem *Electum Duracen.* in hæc verba.

Diploma P. Joannis XXIII.

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Johanni de Duracio Electo Duracen. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Divina disponente clementia &c. *Dudum siquidem Minore Archiep. Duracen. regimini Ecclesiæ Duracen. præsidente* &c. *Postmodum vero eadem Ecclesia per ob. ipsius Minoris Archiep., qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, Nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem & felicem* &c. *paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem* &c. *demum ad te Ordinis Fratrum Prædic. professorem, in sacra Theologia Magistrum, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, literarum scientia, vitæ munditia, honestate morum* &c. *fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos mentis nostræ* &c. *de persona tua præfatæ Ecclesiæ providimus, teque illi præficimus in Archiepiscopum & Pastorem* &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum, Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.*

Joanni plures Pontificatus annos tribuit Fontana, qui tamen vix nonum excessere; nam is anno circ. 1422. Dyrrhachii, ut reor, vita decessit. Cave autem, ne illum confundas cum Joanne de Duracio Ordinis Dominicani & Episcopo, qui an. 1392. Venetias venerat, abdicato Episcopatu, uti narrat Thomas Senensis in tract. de reformat. penes Cornelium tomo 7. monum. Eccl. Venet. Licet enim Bremondus unum eumdemque Joannem esse suspicetur, recte animadvertit P. Bernardus de Rubeis laudato superius in loco, Joannem nostrum in pontificiis literis *sacerdotem* dici, & sacræ Theologiæ magistrum, nulla prioris Episcopatus mentione injecta. In catalogo Canonicorum Patavinæ Ecclesiæ mentio inest Dimitrii de Dyrrhachio qu. Joh. de Munta in eorum collegium cooptatus an. 1400. idemque Patavinæ parœciæ S. Andreæ ob præclara merita præpositus an. 1411.

NICOLAUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXVIII.

Nicolaus Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1422.

Cosmæ cognomen habuit, & post diu exactam ac integerrime vitam sub Franciscano instituto datus est Dyrrhachinis Antistes a Martino V. an. 1422. rescissis primum Actis, quibus Canonici Dyrrhachienses in electionem ejusdem Nicolai consenserant. In tabulis Rom. *Prid. non Julii provisum est Eccl. Metrop. Duracbien. per mortem de persona Nicolai Cosmæ magistri in Theol. Ord. Min.* Ita & Vaddingus ad hunc annum: *Creavit Martinus hoc anno Archiepiscopum Dyrrhachinum in Macedonia*, Epiro seu Albania, *e regione Brundusii in regno Neapolitano, fratrem Nicolaum Cosmæ sacræ Theologiæ magistrum per obitum Joannis.* Diploma Pontificis hoc est.

diploma Martini V.

„ Dilecto filio Nicolao Cosmæ Electo
„ Duracen.

„ Apostolatus officium &c. Dudum siqui-
„ dem bon. mem. Joanne Archiep. Duracen.
„ regimini Duracen. Ecclesiæ præsidente,
„ nos cupientes eidem Ecclesiæ cum vaca-
„ ret &c. Postmodum vero præfata Ecclesia
„ per ob. ipsius Joannis Archiep. qui ex-
„ tra &c. debitum naturæ persolvit, pasto-
„ ris

Digitized by Google

„ ris solatio destituta, dilecti filii Capitu-
„ lum ejusdem Ecclesiæ reservationis & de-
„ creti prædictorum forsan ignari, te Ordi-
„ nis Fratrum Minorum professorem &c. in
„ eorum & dictæ Duracen. Ecclesiæ Archiep.
„ concorditer elegerunt, licet de facto, tu-
„ que reservationis & decreti eorumdem si-
„ militer inscius, electioni hujusmodi, illius
„ tibi præsentato decreto, consensisti etiam
„ de facto; ac demum reservatione & decre-
„ to prædictis ad tuam deductis notitiam,
„ electionis hujusmodi negotium proponi fe-
„ cisti in Consistorio coram nobis. Nos igi-
„ tur electionem ipsam & quæcumque inde
„ secuta, utpote post & contra reservatio-
„ nem & decretum prædicta de facto, ut
„ præmittitur, attentata, irrita ut erant &
„ inania reputantes & ad provisionem ipsius
„ Ecclesiæ &c. Demum ad te, cui de reli-
„ gionis, literarum scientia, vitæ mundi-
„ tia &c. direximus oculos mentis nostræ.
„ De persona tua nobis & eisdem Fratribus
„ nostris ob dictorum tuorum exigentiam
„ meritorum accepta, eidem Ecclesiæ de i-
„ psorum Fratrum nostrorum consilio, au-
„ ctoritate apostolica providemus teque illi
„ præficimus in Archiep. & Pastorem &c.
„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
„ II. Nonas Julii anno V. „

Nicolaus vix septennium præfuit; eique

JOANNES III. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXIX.

Joannes III. Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1428.

Suffectus ab Eugenio IV. an. 1428., cum Archidiaconi munus gereret in ipsa Dyrrhachina Cathedrali Ecclesia; 12. *Kal. Novembris provisum est Eccl. Duracen. vacanti per ob. D. Nicolai Cosmæ de persona D. Joannis de Monte Archidiaconi dictæ Eccl.* Ex Actis Consist. Quamdiu suam Ecclesiam administraverit, certo nequit constitui, censeo tamen huc referendas literas Eugenii IV. Pontificis, queis an. 1438. Archiepiscopis & Episcopis Albanensibus utriusque provinciæ Antibarensis & Dyrrhachiensis impense commendat alumnos Dominicanæ familiæ, quorum opera & labores plurimum adjumenti ac præsidii afferebant ad servandam augendamque in iis regionibus catholicam religionem; tum alias an. 1441. ad eosdem datas, ut Nicolaum a S. Severino ejusdem familiæ, qui in Albaniam & Serbliam iter habebat cum sociis & adjutoribus apostolicæ excursionis ab iis susceptæ, quovis favore & subsidio prosequerentur; has habes in Ecclesia Antibarensi pag. 87. & 88.

Acta Petri Dyrrhachiensis.

Ad hæc etiam tempora spectant sanctissima gesta Petri Blanci Dyrrhachiensis, cujus cum laude meminere historici Forilivienses, quique tanta increbuit pietatis ac virtutis fama tum Forilivii, tum per finitima loca, ut *Beati* titulum fuerit consecutus. Anno 1450. Dyrrhachio in Italiam appulit, cum antea, uti fertur, piraticam fecisset; & Forumlivii divino certe nutu adveniens ad urbis mœnia vitam instituit heremiticam. Unica lanea veste ac vili utebatur, nudo semper pede ejus incessus, nullaque deterritus cœli inclementia, vel asperrima hyeme brevem sub dio somnum carpebat ligneo in lectulo; plerumque vero noctes ducebat insomnes cœlestium rerum contemplatione defixus, & corpus jejuniis confectum flagello sæpissime cruentans. Hanc vivendi rationem ad extremum spiritum constantissime tenuit; & post haud diuturnam prope urbem commorationem Forum novum inde brevi itinere dissitum secessit. Singulari in Deiparam Virginem religione ut erat incensus, plura ejus ope & beneficia dicitur sibi & incolis promeritus & patrasse miracula; valuitque adeo tum dicendi vi & gratia, tum eximiæ sanctitatis existimatione, ut oppidanorum opera atque impensis magnificum Mariæ titulo templum exstrui cœperit, & ante fuerit absolutum, instructumque quavis sacra, eaque pretiosa supellectile, quam e vita migraret. Septem ac viginti continuos annos in Foriliviensi diœcesi peregit; & VIII. Id. Apriles, ipso Paschatis die, hora duodecima piissime obiit an. 1477. Ejus corpus solemni pompa ad urbem delatum est jussu Pini Ordelaffii Dynastæ Foriliviensis; cumque biduo inhumatum jacuisset in feretro ad tugurioli fores, quod pridem incoluerat, ut civium, & advenarum erga Petrum reverentiæ ejusque visendi studio fieret satis, in Cathedrali Ecclesia, & ipsa Æde B. Virginis ab Igne nuncupatæ conditum fuit. Post biennium idem Pinus, qui Marianum templum Forinovi colendum tradiderat Canonicis Regularibus S. Salvatoris, eo Petri cineres transferri voluit; tum idibus Aprilis indicta Cleri, piarum sodalitatum, totiusque populi religiosa æque ac splendidissima supplicatione, ipso Pino cum civitatis proceribus pompam prosequente, Forum novum delati fuere, ac in marmoreum sepulchrum illati; quod hactenus in eodem templo visitur, & antiqui cultus aliqua retinet vestigia.

Quo anno obierit Joannes Archiepiscopus incertum; atque is fortasse est, quem Biemmius in vita Scanderbegi lib. 2. ait legatos Eugenii IV. & Alphonsi regis Neapolis ad Scanderbegum Dyrrhachii excepisse an. 1446. cum illuc ex Italia appulissent, eosque Crojam usque fuisse prosequutum; nec ante annum 1457. aut 1458. quemquam reperio in ejus locum suffectum.

STEPHANUS II. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXX.

Stephanus II. Archiep. Dyrrhachiensis anno circ. 1458.

Ex familia Birella honestissima ortus est Venetiis, & domi optimis præceptis institutus. Adolescens Ordini Servorum B. Mariæ Virginis sese addixit perpetuo religionis voto; ac in tyrocinio ea virtutum decora, in scholis, sacrisque studiis colendis ea doctrinæ præsidia sibi comparavit, ut cum illustrioribus ejusdem Ordinis viris pietate ac sapientia certa-

Digitized by Google

ret; quibuscum etiam an. 1431. Concilio Basileensi interfuit. Anno 1433. Præses Veneti cœnobii invisit XIV. Kal. Octobris officii causa D. Laurentium Justinianum Castellanum Antistitem, eique suam dignitatem gratulatus est, uti narrat Cornelius tomo 2. monum. Eccl. Ven. Cum vero Eugenius IV. Concilium Florentinum indixisset an. 1438., adfuit Stephanus cum præstantioribus e suo cœtu Theologis, a quibus docte valideque adversus Græcorum schisma & prava dogmata disputatum fuit. P. Gasparinus Borrus in suis de Sphæra Commentariis Stephanum appellat *doctrina & morum sanctitate Archiepiscopum Dyrrhachiensem Spiritus Sancti gratia dilectum*; & Gianius in Annal. Ord. Serv. pag. 420. *Frater Stephanus*, inquit, *non Illyricus sed patria Venetus, qui & ipse suis virtutibus ac moribus paullo post ab Eugenio IV. quod Sacrorum Canonum & divinæ Theologiæ esset eruditissimus interpres, postquam Basileensi & Florentino Concilio interfuisset, ut suo loco dicendum superest, Archiepiscopus Ascrivianus, vel ut alii malunt, Spalati seu Dyrrhachii creatus est.* Stephanum eum esse, ad quem Cassandra Fidelis lectissima hoc ævo fœmina, & a laudato Gasparino liberalibus disciplinis exculta, scripsit epistolam latinam profecto elegantem, affirmat P. Joseph Maria Bergantinius in suis de Stephano monumentis, quæ penes me sunt. Verum, si Philippo Thomasinio fides habenda, qui Cassandræ vitam & literas edidit an. *1636.*, illa in lucem prodit an. 1465. cum Stephanus an. 1459. jam e vita exierat. Equidem Cassandra annos amplius nonaginta nata obiit an. 1558. ut est in Necrologio Veneti Cœnobii S. Dominici; *Anno* 1558. 26. *Martii sepulta fuit D. Cassandra Fidelis in prima parte Claustri prope sepulturam de Albergbetis*; quæ annorum ratio recte congruit cum anno natalitio 1465. Anno 1458. Kal. Februariis Stephanus erat Archiepiscopus Dyrrhachiensis electus, quod docent tabulæ quædam eo anno confectæ a Patribus Cœnobii Veneti Servorum cum familia Donata patritia, in quibus dicitur *Dominus Magister Stephanus Archiepiscopus Dyrrhachiensis electus*; non certe ab Eugenio IV., uti Gianius asserit; cui enim verisimile videatur, decem & octo circiter annis eum *Electi* Antistitis titulo nunquam de episcopali consecratione cogitasse, nunquam adiisse suam Ecclesiam satis securam ac quietam, si paullo post Synodum Florentinam huic Ecclesiæ fuerat præpositus? De Dyrrhachino autem Stephani Archiepiscopatu, minime Spalatensi, multoque minus Ascriviano, Ascrivium enim metropolitica dignitate nunquam enituit, hæc subdit Garbius in additamentis ad Gianii Annales: *De Stephano autem Veneto, quod Venetus, non Illyricus sit, & Archiepiscopus non Episcopus Dyrrhachii, constat e quadam ipsius Stephani schedula inventa in lapide ab eo sacrato Venetiis die* 4. *Octobris anni* 1458. *pro Ecclesia S. Juvenalis, in qua talem se nominat.* Hinc conjicio ante mensem Octobrem hujus anni pontificalis consecrationis munus ei fuisse collatum; quo accepto, Dyrrhachium se contulit. Venetiis certe discessit propediem moriturus; quod accidit an. 1459. quippe in tabulis menstrui expensi pro Cœnobio laudato *mense Januario anni* 1459. *more Veneto*, scilicet an. 1460. notatum legitur; *Hæc est supellex reperta in cubiculo bonæ memoriæ Magistri Stephani Archiepiscopi Dyrrhachini*; ac paulo inferius descripta sunt expensa in litteras pontificias, queis concessum Patribus, *ut supellectilem exigant D. Stephani Archiepiscopi Dyrrhachiensis*, inde nimirum, ubi obiit, & ab iis, quos penes ea servabatur. Ejus obitus.

PAULLUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXXI.

Ortus est, Andrea patre, e nobilissima Angelorum familia inter Epiroticas vetustate, potentia, honoribus opibusque sane principe, de qua satis in Ecclesia Drivastensi, ubi & Paullum hunc a Paullo Angelo Episcopo Drivasti diximus distinguendum. Constantinopoli adolescentiam transegit, omnibusque disciplinis imbutus est, quæ talem juvenem decere maxime videbantur, & in quas addiscendas magnam contulerat præstantis acerrimique ingenii vim. Capta a Turcis urbe an. 1453. in Epirum secessit, tantumque valuit sui nominis existimatio, ut Pio II. dignus visus sit præ cæteris metropolis Dyrrhachinæ regendæ, quippe quem præterea Pontifex intelligeret aptissimum esse, ut sui generis auctoritate, & doctrinæ ac eloquentiæ robore Dynastas Epiri ad tuendos patrios fines animaret adversus Turcarum impetus immanes, a quibus religio, resque publica Epirotarum in summum discrimen adducebantur. Hujus Archiepiscopatus initia in annum circiter 1459. sunt rejicienda. Non defuit Paullus sui, quam excitaverat, exspectationi. Dum Scanderbegus unicum Epiri columen & præsidium fortiter retundebat prepotentes ausus & minas regis Turcici, Lechas Ducaginus, cui capitales erant inimicitiæ cum Scanderbego, iniqua coitione facta, barbaros hostes impulerat ad hujus ditionem depopulandam; quod ingens crimen & sacrilegum ut Pontifex resciit, quantumque detrimenti afferret Christianorum defensioni ac saluti, animadvertit, absque mora literas dedit ad Antibarensem & Dyrrhachiensem Metropolitas, eosque jussit, anathema Lechæ ejusque sociis ac fautoribus denuntiare, a quo neque in ancipiti mortis discrimine essent liberandi, nisi intra quindecim dies, impio fœdere abrupto, suumque facinus exsecrati ab omni in Scanderbegum injuria ac maleficio inferendo cessarent. Has literas exscripsimus in Laurentio II. Archiepiscopo Antibarensi; datæ vero sunt IV. idus Februarias an. 1460. Verum Paulli dignitas & auctoritas cum eximia prudentia & eloquendi gratia con-

Paullus Archiepiscop. Dyrrhachiensis anno circ. 1459.

auctor pacis inter Scanderbegum & Ducaginos,

conjuncta Ducaginos ad sanam mentem ante perduxit, quam opus esset anathematis fulmine eos percellere; commovit animos, absterruit ab inceptis sceleribus, & in concordiam & amicitiam cum Scanderbego revocavit. Narrat Barletius lib. 10. de vita Scanderbegi, Paullum Archiepiscopum, *qui omnium laborum, periculorum atque consiliorum socius atque particeps Scanderbegi* erat, cum eo Ragusium venisse, dum classem in Italiam parabat, ejusque nomine Senatum ac populum fuisse allocutum, gratiis Reipublicæ redditis pro benevolentia, & splendidissimis honoribus, quibus Castriotum cumulaverant; cumque e portu esset solvendum, *Archiepiscopum rem divinam fecisse*. Hæc gesta anno 1461., mihique persuasum est, Paullum & Scanderbegi comitem in Apuliam, & Romam fuisse profectum, ubi Pii II. Pontificis gratiam sibi sua sapientia auxerit, & partam antea de se existimationem, Sed ejus virtus & mira eloquentia clarius emicuit an. 1463. coram Scanderbego. Hic v. Kal. Majas hujus anni pacem inierat invitus cum Mahomete Turcarum tyranno, eodemque tempore Veneti ab iis lacessiti totum barbarici furoris & belli pondus in se conversum iri præsenserant. Quare Scanderbegi animum tentare adorti sunt, & quem noverant sua sponte pronum, in arma rursus impellere. Legationis munus Gabrieli Trevisano delatum, qui male exceptus in conventu procerum Albanensium Paullum adiit, eique negotium, de quo agebatur, exposuit; tum fidens oravit, ut rei bene gerendæ onus ipse susciperet, Reipublicæ gratiam, gloriam ingentem sibi comparaturus, si mala, quæ graviora hoc fœdere imminebant ipsi Epiro, avertere a Christianis provinciis studuisset suasione sua atque auctoritate. At Paullus, quo flagrabat, religionis ac patriæ tuendæ ardore ratus id fore utrisque non minus utile quam necessarium, tum ut arcana Scanderbegi consilia jam habebat explorata, gratissimum Duci hujusmodi alloquium eventurum, suam fidem suamque operam Trevisano spopondit, statimque Principis concilium ingressus, cui Albaniæ proceres intererant, tanta sententiarum ac verborum vi pro bello peroravit, ut bellum inclamaverint universi, & bellum in Turcas decreverint renovandum. Hisce gestis, quæ in maximum rei Christianæ ac publicæ commodum vertebantur, crevit Paulli nomen & decus non solum apud suos, sed apud Venetos etiam, quorum Duces Paschalis Maripetrus & Christophorus Maurus eum multa laude per literas cumularunt, præsertim vero Pius Pontifex singulari benevolentia Paullum complexus est; fuitque fama, cum is Anconam advenisset inde in Epirum adversus Turcas trajecturus cum validissima fœderatorum classe, propositum sibi fuisse, ut Scanderbegum ad regiam dignitatem eveheret, Paullum vero in Cardinalium collegium adsciscceret. Pontificis consilium mors abrupit; nullos tamen hujus rei testes habemus præter Barletium, qui in vita Scanderbegi lib. XI. *Pius*, inquit, *P. M. contractis undique viribus & copiis omnium Christianorum in unum coactis propediem adversus Ottomanum egressurus erat; qui ut primum in Epirum & Albaniam trajecisset, in urbe Dyrrhachina post rem divinam factam Paullum Angelum ejus urbis Archiepiscopum in culmine Præsulatus & secunda a summo Præsule & P. M. dignitate, quam nunc Cardinalatum vocant, insigniret atque sublimaret, Scanderbegum vero in regem Albanorum & Epirotarum declararet*. Inter Cardinales a Pio II. adlectos Paulli nomen non reperio; & profecto falluntur, qui eum hac dignitate ornatum affirmant. Anno 1466. Mehemethes II. Turca Imperator *ad urbem Dyrrhachinam expugnandam profectus est*, uti Barletius narrat libro 13. de vita Scanderbegi, *putans illam ex improviso immunitam imparatamque adoriri, sed eum sua fefellit opinio. Nam tum Veneti ipsi, tum Scanderbegus princeps tam terrestri, quam maritimo milite omnique præsidio eam munierant, a qua Ottomanus princeps cum multa cæde suorum turpiter repulsus atque rejectus est*.

et belli in Turcas renovandi.

Quantum vero de re publica Albana Paullus studuit benemereri, non dubitamus quin æque utilitati & commodis Ecclesiæ Dyrrhachinæ prospexerit; cætera ejus gesta illorum temporum incuria ignorari dolemus; id unice constat, ante annum 1462. vacuam ab eo hanc Metropolim fuisse relictam.

MARCUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXXII.

Marcus Archiepiscop. Dyrrhachiensis anno 1462.

E familia Cathanea Veneta ortum habuit an. 1408. Civilis & Canonici Juris doctor renuntiatus præfuit an. 1459. parœciæ SS. Simonis & Judæ; & an. 1462. die 5. Julii erat Archipresbyter Congregationis sacerdotum a Sancta Maria Matre Domini nuncupatæ, uti ferunt monumenta Cleri & Colleg. IX. Congreg. Venet. p. 26. in quibus dicitur *Episcopus*, lege *Archiepiscopus, Dyrrhachiensis electus*. Igitur hoc anno, vel superiori huic Ecclesiæ fuit præpositus a Sixto IV. aut a Paullo II. Pontifice; & Archipresbyteri munus retinuit, imo usque ad obitum & ipsam parœciam sibi commendatam administravit. Sed cum moram Venetiis traheret, jussus est a Pontifice suam Ecclesiam adire datis litteris XII. Kal. Sept. an. 1462. Sed egit Senatus, ut in urbe maneret; quod & a Sixto IV. obtinuit, nam an. 1463., immo & 1465. Marcus vicariam operam navabat Veneto Patriarchæ. Cum dissidia quædam essent exorta inter Virgines Cœnobii Veneti Corporis Domini, & aliarum Virginum iis vicinam sodalitatem, Marcus Archiepiscopus & Paullus Canonicus Cerviensis compositionis arbitri delegati sunt a Sixto IV., datis literis III. Kal. Apriles an. 1476. quæ exstant tomo 3. Bull. Domin. & tomo 8. monum. Eccl. Ven. Harum initium est: *Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili F. Marco Archiepiscopo Durachiensi, & dilecto filio Paulo*

Digitized by Google

lo de Ruschenibus Canonico Cerviensi in civitate Venetiarum commorantibus &c. Quindecim fere annos vixit in Dyrrhachiensi Sede, præsens quandoque, ut arbitror, plerumque absens; Veronæ certe *Locumtenentis* & Vicarii generalis munere perfunctus est pro Joanne Michaelio Cardinali illiusque urbis Episcopo, cum Veronenses Canonici ejus opera detegi, dignoscique curarunt sacra ossa S. Theodori Episcopi; idque actum, *Mille quadringentis novem & octoginta sub annis*, uti tumulo inscriptum legitur. Verum Marcus biennio ante obierat, teste sepulchrali ejus epigraphe; quare suspicor, epocham in tumulo insculptam in annum esse rejiciendam, quo rei gestæ memoria in lapide fuerit expressa; nisi velis cœlatoris culpa mendum irrepsisse in Marci sepulchrum; de cujus vicario munere Veronensi dubitare non sinit vir eruditissimus Joannes Jacobus Dionisius Canonicus Veronensis, qui suæ Ecclesiæ, suique Collegii vetera monumenta exploratissima habuit, quique hoc affirmat in opella *de funereis blandimentis* pag. 125. Marcus anno ætatis nono supra septuagesimum Venetiis obiit, ac in sacello, & sepulchro, quæ ipse in Ecclesia S. Simonis & Judæ exstruxerat, humari se jussit. Hæc ex laudatis monumentis tomo 6. e quibus sepulchri epigraphen exscribo.

Ejus obitus.

Marcus Catanеus hujus Ecclesiæ Plebanus, & Archiepiscopus Dyrrhachiensis, & Rev. Congregationis S. Mariæ Matris Domini Archipresbyter, Juris Canonici peritissimus, Monumentum, Capellamque posuit. Vixit ann. LXXIX. Ob. MCCCCLXXXVII. Augusti.

MARTINUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXXIII.

Martinus Archiepisc. Dyrrhachiensis anno circ. 1488.

Natione Epirota, cognomine Firmianus. Huic metropolim Dyrrhachiensem regendam tradidit Innocentius VIII. an. 1488. & contulit sacerdotium Ecclesiæ Borsianæ Patavinæ diœcesis in agro Tarvisino, uti docent tabulæ, quas inferius proferam in Francisco Archiepiscopo. Suam Ecclesiam cum adiisset, sese Clero & populo maxime probavit morum innocentia, affabilitate sermonis, studio religionis augendæ, & gregis curandi solandique flagrantissimo, iis nimirum temporibus, quibus, Scanderbego exstincto, magna Epiri pars Turcarum armis cesserat, eorumque molitiones omnes ad Venetorum oppida spectabant, cum ab iis unice regionis salus atque præsidium penderet. Anno tamen 1493. Venetias reversus erat; & ab Alexandro VI. Pontifice mandatum habuit dirimendæ cujusdam controversiæ, quæ erat Cœnobitis S. Sebastiani cum Parocho D. Raphaelis; Pontificis litteræ descriptæ sunt in Bullar. Ord. Hieronym. B. Petri de Pisis. Martinus modo Venetiis, modo Dyrrhachii videtur interea constitisse; sed an. 1495. erat Neapoli; cumque Carolus VIII. Galliarum rex, qui tum ea urbe potiebatur, consilia foveret belli in Turcas inferendi, ab Epirotis præsertim actus, quorum plures e proceribus sæpe regem adibant, is Martinum in Epirum misit, cujus opera tentarentur incolarum animi, si primo Caroli cum selecto exercitu in eas regiones adventu arma capere parati essent, & facinori opem viresque adjungere validiores. Nec irrita missio cessit; quinque hominum millia clam in fœdus coivere; & Martinus quantocius Venetias rediit, ut necessaria militibus instruendis, & ornando exercitui compararet. Sed, dum moras trahit, nuntiatum est de morte Zizimi, qui Bajazethis Turcarum regis frater natu major, e jure regni a prætorianis rejectus, in Italia sibi perfugium & salutem quæsiverat. Senatus vero, ut prior celeri hoc nuntio Bajazethi gratificaretur, cui Zizimus suspectus maxime erat, atque invisus, cavit edicto, nequod navigium ante e portu solveret, quam publicæ literæ præmitterentur. Interea Martinus ratus posse se excubias effugere, nocte tacitisque remis cum abeundi sollicitudine processisset ad portum, repente interceptus est; ac detectis armis, quæ una vehebantur, apertisque literis, quas deferebat, Galli regis animus patuit; & Martinum in arcis custodia detineri jussum a Patribus, qui illico, nequa in Rempublicam suspicio caderet factæ ab Epirotis conjurationis, Bajazethem de re tota monitum voluere. Hæc narrat Philippus de Comines lib. 7. monum. de rebus Ludovici XI. & Caroli VIII. regum Galliarum, qui Venetiis erat Caroli legatus, & Martinum Albanensem genere levis ingenii virum, sibique familiarem fuisse scribit, solitumque in colloquiis incaute effari, *grande opus sibi propositum, de quo multus foret hominum sermo*; neque adversi quidquam ei accidisset, si Philippo obsecundasset discessionem urgenti. Quamdiu in custodia perstiterit, ignoramus; & forte Dyrrhachio non abfuit anno 1497., cum teterrima pestis tum Albaniam, tum duas urbes in primis Aulonem & Dyrrhachium infecit, ut in hac calamitate animarum, quæ sibi erant concreditæ, saluti & solatio opportune provideret. At Venetiis denuo moras trahebat an. 1499., dum bellum Thracium in Venetos jam exarserat, & in Epirum proxime erat erupturum. Sane, ut comperi in annalibus Venetis Marini Sanuti, qui in Decemvirum archivo servabantur ipsius Sanuti manu descripti, III. Kal. Julias illius anni allati nuntii a Vito Diedo Prætore Dyrrhachii, & datæ idibus ejusdem mensis litteræ ad Præsides Decemvirum, Turcicas copias ad urbem admoveri, milite opus esse, & Archiepiscopi præsentia, cujus apud cives gratia & auctoritas plurimum defensioni urbis fuisset profutura. Igitur missa illico subsidia, & Martinus a Decemviris jussus, conscensa triremi, Dyrrhachium appulit. Verum morbo statim correptus est in pago proximo; & ad Senatum e lecto scripsit nonis Augusti, se quidem infirma valetudine ab ingressu urbis arceri, oppidanos tamen, omnesque provinciæ Dyrrhachiensis incolas ad obsistendum hosti esse paratissimos, quo die & Prætor Se-

Digitized by Google

Senatum monuit, agricolas sua & Archiepiscopi opera in dies magis pro re publica tuenda animari. Hisce literis vix Venetias delatis, nova a Martino nuntia venere VIII. id. Augusti scripta, queis morti proximus se suaque Senatui officiosissime commendavit; tum supplex petiit, ut, si occumberet, Joannem Mariam fratris filium in suum locum Archiepiscopum Patres nominarent. Postrema hæc fuere Martini acta; nam eodem, quo hæc scripserat, die vita decessit; ejusque obitus ingentem luctum, & gravius detrimentum attulit civitati universæ; quod Vitus Prætor testatus est aliis ad Senatum literis biduo post Martini funus; in iis vero Theodorum quemdam Dyrrhachiensem Ordinis Dominicani impense laudat, qui expetitus a Clero, diœcesi charus, huic temporum conditioni perquam utilis videtur sibi Patrum suffragiis in Archiepiscopatu substituendus. Hæc ex Sanuto. Nec Marini tamen, nec Prætoris valuit commendatio; nam tribus vix mensibus elapsis, novus Dyrrhachiensibus Antistes datus est

Ejus mors.

FRANCISCUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXXIV.

Franciscus Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1499.

Venetus e familia Quirina patritia, ac Episcopus primum Sibenicensis, cujus priora gesta descripsimus tomo IV. hujus Operis. Eo Episcopatu dimisso an. 1495., Crainensis Archiepiscopus electus fuit, quo munere cum fungeretur, nonis Septembris anni 1497. aliquorum suffragia in Senatu Veneto cum postularunt Patriarcham Aquilejensem, uti narrat Sanutus; ac post biennium Alexander VI. a Crainensi ad metropolim Dyrrhachiensem migrare jussit; *An.* 1499. 27. *Novembris absolvit R. D. P. Franciscum Archiepisc. Crainens. a vinculo quo d. Ecclesiæ tenebatur, & eum ad Dyrrhachien. Ecclesiam per ob. D. .... illius ultimi Archiepisc. transtulit ex eo sacerdotio & promovit*; ita in tabulis Consist. Atque hic corrige quæ tomo 4. hujus Operis dicta sunt, ubi Antibarensis unus cum Crainense Archiepiscopatus effictus est; nam quo tempore Franciscus Crainensi, Philippus Gajus præerat Antibarensi. Idem Pontifex Franciscum donavit pensione, qua potiebatur Martinus; sed anno insequenti illam reliquit; idque discimus ex tabulis, quæ in Cœnobio Franciscano Belluni asservantur; *Anno a nativitate Xpi Domini* 1500. *die septimo mensis maji Reverendissimus in Christo Pater Dom. Franciscus Quirino Archiep. Dirachiensis renunciat favori pensionis Ducat. VIII. auri quam Rev. Magister Fr. Andreas de Civitate Belluni Ord. Min. annuatim solvere tenebatur pro beneficio de Barsio diœcesis Patavinæ ab ipso Fr. Andrea recto, eidem Quirino Archiepisc. per resignationem de dicta Ecclesia factam per b. m. Dom. Martinum Firmianum olim Archiepiscopum Dirachiensem & ipsius Ecclesiæ rectorem* &c.

Venetiis in ædibus residentiæ ipsius Domini Archiepiscopi in confinio S. Pantaleonis; Passinus de Gratardis Not. &c. *scripsi* &c. Anno tamen 1504. lato Senatusconsulto VIII. idus Januarias aliud ei sacerdotium collatum est S. Mariæ de Garda Abbatiæ olim titulo insignitum, uti est in mss. annalibus Sanuti.

Tristia sui Archiepiscopatus habuit initia; nam hoc ipso anno, quod notavit Apostolus Zeno sua manu in historia Veneta Petri Bembi, aut si mavis insequentis æstate Dyrrhachium diu a Turcis tentatum, seu aliquorum proditione, seu Magistratuum, qui præerant urbi tuendæ, negligentia atque socordia in eorum incidit potestatem. Urbis casum, ut accidit, breviter narrat Bembus lib. 5. Dum enim Benedictus Pisaurus dux Venetæ classis Corcyræ, unde commodius auxilium ferri potuisset Dyrrhachinis periclitantibus, classem regis Galliæ, itemque regis Lusitaniæ exspectabat, *Magistratus reipublicæ, inquit Bembus, qui Dyrrhachio præerat, morbo affectus ut valetudinem curaret Olcinium se contulit cœli salubrioris gratia. Eam occasionem nacti hostes nocte Dyrrhachium furtim aggressi scalis ad murum positis se in oppidum intulerunt, interfectisque paucis somno expergefactis, oppido sunt potiti.* Quas cædes hostes patraverint, qua sævitie in miseros cives, qua impietate in sacra omnia debacchati sint, indicio sunt infelicissimæ urbis, quæ supersunt, vestigia, in qua nihil suæ magnitudinis suique decoris, nihil religionis reliquum esse voluere. Verum in hac tanta sacrorum clade Patres Dominicani, qui proximum urbis excidium præsenserant animo, quidquid de Divorum lipsanis, & ecclesiastica supellectile in templo servabatur, aliquanto ante Brundusium, quæ urbs Venetis parebat, transferendum curavere; ex his vero, qui barbarorum manus effugere, cum Venetias appulissent incolumes, ut sacra munera huc Brundusio mitterentur, agere cœperunt apud Senatum. Datæ idcirco a Decemviris literæ ad Antonium Canalium Brundusii Prætorem VII. ac III. idus Majas anno 1503. jussumque, ut quidquid Dyrrhachiensis Dominicani Cœnobii sepositum in urbe foret, Venetias nulla mora interjecta deveheretur; addita etiam pontificii ad Rempublicam Legati mandata, queis præceptum est, ut quisquis ex incolis Brundusinis, quos penes Dyrrhachiensium sacrorum quidquam esset, ea traderet Fratribus hanc ob causam, illue missis Senatus nomine & auctoritate. Neque absre arbitror integrum Legati diploma hic exscribere ex Mmo 7. monum. Eccl. Ven. pag. 348.

Dyrrhachium a Turcis capitur.

Litteræ Pontificii apud Venetos Legati de rebus sacris Dyrrhachiensibus.

„ Angelus Leonissus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Tyburtinus Legatus „ Apostolicus cum potestate Legati de Latere per universum Venetorum Dominium. „ Universis & singulis inspecturis salutem „ in Domino & nostris hujusmodi similibus „ obedire mandatis.

„ Intelleximus quod ante captionem Dyr-

„ rha-

„ rhachii ab Infidelibus..... quædam Reli-
„ quiæ, & vasa sacra, aurea, & argentea,
„ cum quibusdam aliis rebus ejusdem metal-
„ li, & forte etiam de serico, ad cultum
„ divinum pertinentibus, inventario deposi-
„ tata fuerint per FF. Prædicatores S. Do-
„ minici de Dyrrhachio in sacristia Archie-
„ piscopatus Brundusii tenentes, & ne sacra
„ hujusmodi in prædam Infidelium deveni-
„ rent, quod tandem perveniens ad notitiam
„ hujus Illustrissimi Dominii, ut Reliquiæ,
„ vasa sacra, & alia bona præfata in loco
„ convenientiori, ac securiori collocarentur,
„ sic etiam exigente pia devotione sua sta-
„ tuit idem Illustrissimum Dominium mit-
„ tere istuc duos Ven. Patres & Fra-
„ tres dicti Ord. Prædic. præsentium exhi-
„ bitores ad ipsas Reliquias, sacra vasa, ac
„ alia bona accipiendum, & deferendum Ve-
„ netias repositanda ibi secundum dispositio-
„ nem ejusdem Illustriss. Dominii. Unde ne
„ forte per aliquem vestrum retardetur execu-
„ tio voluntatis dictæ Illustriss. Dominatio-
„ nis, faventes nos pro pro nostra consue-
„ tudine & debito piis votis Principum ac
„ Dominiorum Catholicorum consideratis pia
„ devotione ac rationibus prædictis..... ad
„ vestras Fraternitates destinare decrevimus,
„ quibus ipsas Fraternitates vestras requiri-
„ mus, ac auctoritate nostræ Legationis,
„ quatenus ad vos etiam se extendit, man-
„ damus, ac districte præcipimus, ut remo-
„ ta omni penitus difficultate, seu contra-
„ dictione ex quavis causa, detis & consi-
„ gnetis in manus suprascriptorum Nuncio-
„ rum Illustriss. Dominii antedicti sub in-
„ ventario omnes & singulas Reliquias, va-
„ sa sacra, aurea, argentea, & alias res e-
„ jusdem metalli, ac quæcumque paramenta
„ & alia bona, quæ, ut præmissum est,
„ depositata fuere in sacristia Cathedralis
„ Ecclesiæ Brundusiensis, vel forte in toto,
„ vel in parte apud aliquam personam ec-
„ clesiasticam illius civitatis per Fratres
„ Prædicatores Conventus S. Dominici, vel
„ forte alio nomine intitulati de Dyrrha-
„ chio ante captionem dictæ urbis, prout
„ ample de consueta vestra benignitate ac
„ prompta obedientia confidimus ac speramus.
„ In quorum fidem has præsentes fieri, no-
„ strique sigilli annularis impressione jussi-
„ mus communiri. Datum Venetiis apud
„ S. Samuelem, die 13. Maji 1503. Ponti-
„ ficatus Sanctissimi Domini nostri Alexan-
„ dri VI. anno XI. „

Sacra lipsana Dyrrhachio allata Venetias.

De lipsanis hisce narrat laudatus Sanutus fuisse Venetias allata die 3. Maji ejusdem anni; sed mendum subest in codice huic notæ mensis Maji, & corrigendum puto, *die vicesima tertia*; neque enim Decemviri & Legatus III. Idus Majas jussa dedissent per literas Brundusium mittendas, si ea sacra erant Venetiis v. nonas mensis ejusdem; quot autem, & qualia exstiterint, ipse prodit, scilicet

Brachium S. Matthæi Apostoli argenteo brachio ocelusum.

Digitus S. Dominici in pede argenteo, & annulo gemmis distincte ornatus.

Os S. Nicolai in theca ex argento elaborato confecta.

Dens S. Dominici, & reliquiæ S. Venerandæ in arca argentea.

Spina D. N. J. Christi in theca chrystallina.

Reliquiæ SS. Innocentium in theca lignea elaborata.

Crux & Calix.

De reliqua supellectile nihil additum. Hæc vero Paullo Barbo D. Marci Procuratori primum a Decemviris tradita, ab eo deinde VII. Kal. Junias dono data fuerunt P. Antonio Dominicanæ provinciæ in Albania Præsidi, qui supplicatione indicta, eadem in templo S. Dominici religiosissime collocavit, ubi hactenus coluntur. Ex iis duo postea adempta, *Digitus S. Dominici*, & *Reliquiæ SS. Innocentium*, quæ desunt in chirographo & ordine de iisdem confecto an. 1588. ab Elisæo de Cappis cœnobii S. Dominici moderatore, qui aliter ac Sanutus *brachium S. Matthiæ Apostoli* enumerat, & diem consignat XI. Kal. Junias, cum ad D. Dominici Antonius ea pertulit. Vide tomum 7. monum. Eccl. Ven. pag. 334. Post biennium & digitus D. Mariæ Magdalenæ Dyrrhachio delatus est a pio quodam viro, uti perhibet Sanutus; hunc accepit Paullus ipse Barbus; & nuncupato voto Marcianæ Basilicæ obtulit XI. Kal. Augusti insigni supplicationis pompa, ubi post peracta præsente Duce ac Senatu divina mysteria in regio Cimelio conditus est.

Franciscus Archiepiscopus, sua Metropoli amissa, quam fortasse inviserat nunquam, an. 1504. Episcopatum Faventinum a Senatu petiit pridie idus Septembris; sed irrita cessit nominatio, teste Sanuto; & III. nonas Novembris adfuit Veronæ Cardinali Cornelio, cum solemnem illius Ecclesiæ possessionem iniret. Anno post vivere desiit Kal. Augusti in castro S. Petri, quod est oppidum agri Patavini, ibique apud Fratres Franciscanos conditus est in æde S. Joannis Baptistæ penes sacellum S. Catharinæ, epigraphe monumento inscripta a Matthæo & Antonio filiis, quos ante susceperat, quam in Clerum cooptaretur.

Francisci Archiepisc. obitus.

Francisco Quirino Sibinicensi Episc. ac Durac. Archiep. digniss. Patr. Venet. omnibus notiss. Matthæus & Antonius filii pientiss. ære suo posu. Ob. An. Sal. MDV. Kal. Aug.

NICOLAUS II. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXXV.

Nicolaus Foresius

Augustiniana familia inter cæteras de re Christiana optime merita hunc dedit Antistitem Dyrrhachinum. Erat ei cognomen Foresio, & ad Aquas Taurinas, seu Aquulæ, vulgo Aquapendente, ortum habuit in pontificia

Digitized by Google

ficia ditione. In Ordinem Eremitarum S. Augustini adscitus cum esset, exquisitam doctrinam cum ingenita quadam animi lenitate ac modestia ita conjunxit, ut omnes æque morum suavitatem diligerent, ac mirabantur ingenii vim, & scientiam singularem. Præcipua vero religionis in eo virtus effulsit, & in Deiparam Virginem pietas. Hisce dotibus ornatus gratiam iniit apud Julium II. Pontificem, qui ejus consuetudine oblectari solebat; quare, cum Zacharias Savonensis præpositus pontificio sacello confectus diuturno morbo diem supremum obiisset XIII. Kal. Novembris an. 1504., & qui ejus vices gerebat, Ventura Episcopus Massensis hoc se munere abdicasset, Julius illud administrandum tradidit Nicolao VI. idus Novembres ejusdem anni. Collati in eum honoris & officii testes habeo Pontificis litteras, quæ sunt hujusmodi descriptæ ex Chronistoria Sacrarii Apostolici in tomo I. Opp. Angeli Rocca, pag. 343.

Præpositus Pontificio Sacello a Julio II.

„ Julius Episcopus Servus Servorum Dei „ Dilecto filio Nicolæ de Aquapendente „ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augusti„ ni Professori, Sacristæ Capellæ nostræ, „ salutem & apostolicam benedictionem.

„ Religionis zelus, vitæ ac morum hones„ tas, aliaque laudabilia probitatis & vir„ tutum merita, super quibus apud nos fide „ digno commendaris testimonio, nos indu„ cunt, ut te specialibus favoribus & gratiis „ prosequamur. Cum itaque officium Sacris„ tæ Capellæ nostræ per liberam resignatio„ nem Ven. Fratris nostri Venturæ Episc. „ Massanensis de illo, quod tunc obtinebat, „ in manibus nostris sponte factam, & per „ nos admissam, vacaverit & vacet ad præ„ sens, nos volentes te præmissorum merito„ rum tuorum intuitu favore prosequi gra„ tioso, teque e quibusvis excommunicatio„ nis, supensionis & interdicti aliisque ec„ clesiasticis sententiis, censuris & pœnis a „ jure vel ab homine quavis occasione vel „ causa latis, siquibus quomodolibet innoda„ tus existis, ad effectum præsentium dum„ taxat consequendum, harum serie absolven„ tes & absolutum fore censentes, officium „ prædictum, quod ad vitam concedi, & per „ unum ex Professoribus Ordinis Fratrum „ Eremitarum S. Augustini teneri consue„ vit, sic vacans cum omnibus illius hono„ ribus, oneribus, salariis, juribus & emolu„ mentis consuetis apostolica tibi auctorita„ te ad vitam tuam concedimus & assigna„ mus, teque ad illud videlicet in ipsius Ven„ turæ locum substituimus, & etiam surro„ gamus decernentes te ex nunc ad dictum „ officium ejusque liberum exercitium, hono„ res, onera, salaria, jura & emolumenta „ hujusmodi recipiendum fore, pariter & ad„ mittendum. Et nihilominus tibi, ut omni„ bus & singulis prærogativis, præeminen„ tiis, privilegiis, gratiis, concessionibus & „ indultis, quibus alii dictæ Capellæ Sacris„ tæ, qui pro tempore fuerunt, utebantur, „ potiebantur & gaudebant, uti potiri & „ gaudere possis & debeas eisdem, auctorita„ te & tenore præsentium de specialis dono „ gratiæ indulgemus. Quocirca Ven. Fratri „ Raphaeli Episc. Albanensi Camerario no„ stro per apostolica scripta mandamus, qua„ tenus ipse per se vel alium seu alios te „ de auctoritate nostra ad officium prædi„ ctum ejusque liberum exercitium, necnon „ honores, onera, salaria, jura & emolumen„ ta prædicta in locum dicti Venturæ Episc. „ recipi & admitti faciat, ut est moris, „ contradictores auctoritate nostra, appella„ tione postposita, compescendo. Non ob„ stantibus &c. Nulli ergo &c.

„ Datum Romæ apud S. Petrum Anno In„ carnationis Dominicæ millesimo quingen„ tesimo quinto, sexto Idus Novembris, „ Pontificatus nostri anno primo. „

Et Archiep. Dyrrhachiensis electus anno 1505.

Anno autem nondum elapso idem Pontifex Nicolaum Archiepiscopum Dyrrhachiensem renuntiavit, quod discimus ex Diario Burchardi Cæremon. Mag. *MDV. die luna prima Septembris in Consistorio secreto fuit pronunciatus F. Nicolaus de Aquapendente Ordinis Eremitarum S. Augustini Archiepiscopus Dyrrhachiensis, & factus Sacrista Papæ;* sed errat Burchardus, qui *Sacristæ* munus illi hoc anno delatum scribit.

Romæ plerumque vitam egit partim suo munere pontificii sacelli, partim scribendis libris occupatus, cum Turcarum feritas & odium in Christianum nomen illum ab invisenda sua Ecclesia prohiberet. In libro Cæremon. Paridis de Grassis hæc de Nicolao scripta legi; *Anno* 1508. *in Dominica secunda Adventus, absente Papa, missam cantavit R. P. D. Sacrista Archiep. Dyrrhachiensis pro R. P. D. Achille de Grassis Episc. Civitatis Castelli fratre meo; & an.* 1509. *in Dominica secunda Adventus missam cantavit Sacrista Archiep. Dyrrhachiensis pro Archiepiscop. Sipontino.* Sui ingenii suæque doctrinæ hæc feruntur monumenta, nimirum

Ejus scripta & obitus.

De baptismo lib. I. *de peccato originali lib.* I. *de pœnitentia lib.* I. *de limbo, inferno & purgatorio lib.* 3. *de mercatura & negotiatione lib.* I. *de sortilegiis & vanis persuasionibus lib.* I. *de ingratitudine vitanda lib.* I. *de festis Sanctorum sermones lib.* I. *Quadragesimale sermonum variorum lib.* I.

Anno 1510. Romæ obiit; ejusque corpus in patriam delatum in ecclesia sui Ordinis honorifice conditum est. Nicolaum eximie laudant Crescentius in Præsidio Romano, & Augustiniani Scriptores.

GABRIEL ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXXVI.

Gabriel Archiepiscop. Dyrrhachiensis anno 1510.

Anconæ natus est, quem familiæ inter Anconitanas illustri attribuit Saracenus in hist. Anconit. pag. 312., at ipse animadvertit, in exemplari Bullarii Augustiniani, quod exstat penes hujusce Ordinis Patres in Anconitano Cœnobio, nomini Gabrielis hanc no-

Digitized by Google

notam fuisse manu adscriptam, *Fuscus non Masciolus ut apparet ex ejus testamento*; & sane in cenotaphii ejus epigraphe & is *Fuscus* appellatur, & qui monumentum posuit, *Gabriel Fuscus* hujus Gabrielis consanguineus. Adolescens præstanti ingenio præditus, & pietatis sollertissimus cultor in Augustiniana sodalitate se Deo devovit, in qua præter morum sanctimoniam Theologiæ scientiam pæne admirabilem cum Doctoris insignibus consecutus est, eamque publice docuit Bononiæ ac Perusii an. 1499. & an. 1501. Matelicæ etiam Dynastam, Ranuccium, inquit Saracenus, liberalibus imbuit disciplinis. Anno 1503. Anconitanam sui Ordinis provinciam cum suscepisset regendam, integro ei triennio præesse jussus est, quo in munere adeo excelluit, ut Ægidius Viterbiensis vir summus illum sibi postea socium adjunxerit in suprema ejusdem Ordinis præfectura, qua functus & ipse est post Archiepiscopatum adeptum. Sacello deinde pontificio præpositus, non equidem anno 1507., uti Saracenus affirmat, tum enim hanc dignitatem gerebat Nicolaus superius laudatus, verum exeunte an. 1510., aut posterioris initio, paullo post, vel uno eodemque tempore Archiepiscopus Dyrrhachiensis a Julio II. creatus est. Certum habeo rei testimonium ex lib. Cærem. Paridis de Grassis, qui præsens ipse memoriæ prodit, Gabrielem Archiepiscopum & *Sacristam* Ravennæ fuisse, ubi & Pontifex aderat, mense Martio an. 1511., ibique consecrationis munus impertiisse Episcopo Archadiensi; *An. 1511. mense martio die 13. electus Archadiensis consecratus fuit per R. P. D. Gabrielem Archiep. Dyrrhachiensem Sacristam Papæ in Eccl. S. Nicolai Ravennæ, ubi tum Pontifex aderat, assistentibus R. P. D. Episc. Papiensi, & Buduacensi inter Missarum solemnia*. Duobus post annis & Ecclesiam Castrensem in pontificia ditione ei administrandam contulit Julius II. ac ex monasterio Spalatensi S. Joannis de Pina annuam pensionem. Verum utramque dimisit an. 1518. quod perhibent tabulæ Romanæ; 2. *Aprilis* 1518. *Gabriel A. Dyrrhach. resignat Eccl. Castren. in Patrimon. D. Petri, coditque pensioni annuæ XXIII. Ducatorum super fructibus Monast. S. Stephani de Pina Spalaten. Redditus S. Stephani flor.* 200. *taxa* 34. Ughellius in Episcopis Castrensibus tomo I. Ital. Sacr. pag. 581. Gabrielem *Archiepiscopum Dyrrhachiensem ex titulo ad Ecclesiam Castrensem translatum ait an. 1511. postrema die mensis Aprilis. Quam quidem Ecclesiam semper administravit per an. septem, ac deinceps cum regressu tamen eo munere se exsolvit*. Sed non unus hic error Ughellii. Bernardinus, qui Gabrieli antecessit in Sede Castrensi, interfuit an. 1513. sessioni V. Concilii Lateranensis; igitur hoc anno tantummodo, si is obierat, Castrensis Ecclesia tradita fuit Gabrieli, uti Coletus & Mandosius advertunt in notis Ughellianis; quare vix quinquennem administrationem tenuit Castrensis Episcopatus. Præterea usquam comperio Archiepiscopos Dyrrhachienses *Titulares*, ut ajunt, exstitisse, licet ab aditu urbis & diœcesis Dyrrhachinæ quandoque arcerentur, nec libera esset exercendi pontificalia munera potestas ob Turcarum vexationes; hinc minime censeo Gabrielem ad Castrensem translatum fuisse ex Dyrrhachiensi Ecclesia, quam ad exitum vitæ retinuit; Castrensis vero gubernatione sese omnino abdicavit, ut ex tabulis allatis constat,

Et Administrator Ecclesiæ Castrensis.

Hisce auctus ornatusque dignitatibus Gabriel, & inter Præsules adscitus, qui sollio Pontificis adstant, cum his, Julio primum II., deinde Leoni X. præsens convenit in cunctas Concilii Lateranensis sessiones, quod Julius indixerat an. 1512., & Leo absolvit an. 1517.; in quinta vero, cum Pontifex abesset, ejus nomen inter Archiepiscopos adscriptum est; præterea in septima, octava, nona & undecima coram Patribus divina mysteria peregit, & ex his unus duobus conventibus adfuit, qui de rebus in undecima sessione agendis, aliisque negotiis habiti sunt XVIII. Kal. Januarias an. 1515., & III. nonas Majas anno 1517. In diario sæpe laudato Paridis de Grassis dicitur Gabriel 1. *die Novembris an.* 1513. *in Vesperis Defunct.* Leoni X. *de libro* inserviisse, scilicet apertum tenens sub Pontificis oculis liturgicum librum precum, quas solemne est eo die proferre, ac plerumque sacra ab eo litata pulcherrime in ejusdem Leonis conspectu, quippe qui esset ecclesiasticorum rituum, & cerœmoniarum, quæ ad pontificiam personam ac dignitatem spectant, peritissimus. Cum pluribus distineretur occupationibus, petiit an. 1518., ut quis ejus vices gereret in pontificio sacello, eique datus *Vice-Sacrista*, ut ajunt, Episcopus Nepesinus, isque primus sententiam dixit, cum Leo Pontifex in Patrum consilio retulisset an. 1519. de adsciscendo inter Divos Francisco Paulano. Qua apud Julium & Leonem Pontifices gratia & existimatione fruebatur, iisdem valuit ad afficiendos Hadriani VI. & Clementis VII. animos. Anno 1529. postquam XV. Kal. Augusti Romæ in sacello Pontificum consecravit Defendentem de Valvasoriis Antistitem Justinopolitanum administris Nepesino & Veglensi Episcopis, Clementem, qui eum inter domesticos Præsules cooptaverat, Bononiam versus secutus est, quo Pontifex profectus erat conveniendi alloquendique causa Caroli V. Imperatoris. Hac in urbe quatuor Venetæ Reipublicæ Oratores jussu Clementis excepit obviam progressus; *Quoniam vero*, inquit Blasius Cæsenas in suo Diario, *tres ex quatuor Oratores Bononiam ingredientes ob adversam valetudinem & senectutem lecticis vehebantur, quartus inter Sacristam A. Dyrrhachiensem, & Archiepiscopum Jadrensem urbis Romæ Gubernatorem medius equitabat. Hos autem Prælati multi & Oratores Principum sequebantur*. Aliud Gabrieli munus eo tempore injunctum a Pontifice, ut cum tribus Cardinalibus ad id delectis

Digitized by Google

&tis apparatus instrueret, quantum fieri posset magnificentissimos ad imponendum Carolo Imperatori augustale diadema, quique huic pompæ cum pontificia ae regia dignitate celebrandæ forent necessarii; *An.* 1530. *die* 4. *Febr.*, inquit Blasius, *in Consist. secreto decretum fuit Bononiæ, ut ex tribus S. R. E. Cardinalium Ordinibus Primarii, quos Capita Ordinum appellant, Magistris Cæremoniarum & Sacrista sibi adhibitis, decernerent ea omnia, quæ Coronationi Caroli V. Imp. necessaria videbantur.* Ut erat sui Ordinis amantissimus, Cœnobium Anconitanum quibusdam redditibus liberaliter auxit; exstant tabulæ testes donationis agri & domus eidem factæ, quæ consignatæ sunt VIII. idus Julias anni 1529. In iis nominatur, *Reverendiss. in Christo P. & Dom. Gabriel A. Dyrrhach. prælib. SS. D. N. Papæ Sacrista & Præl. Dom. & Miles S. Petri*; unde errorem Saraceni deprehendimus, qui illum hujus sacræ militiæ titulo ornatum scribit an. 1533., & in tabulario Cœnobii Anconitani servatur pontificium diploma hac super re datum XIII. Kal. Junias anni 1529., quo anno etiam substitutus ei fuit in cura pontificii sacelli Alphonsus ab Aquapendente; munus tamen post Gabrielem vita defunctum suscepit. Nunquam otiosus in theologica studia impendit quidquid ei supererat temporis, ac septem composuit libros varii argumenti, quos Saracenus recenset; sunt vero, *de inferno, de limbo, de pœnitentia, de sacrilegiis & vanis persuasionibus, de mercatura, de evitanda ingratitudine, sermones de Sanctis*. Inter libros manu descriptos Bibliothecæ Capponianæ, quam Alexander Gregorius Capponius testamento legatam Vaticanæ Bibliothecæ reliquit, hi numerantur a Gabriele compositi cum hoc titulo.

Gabriel Anconitanus, Archiepiscopus Dyrrhachien. & Sacrista Apostolicus usque ad an. 1529. *De ritu, & cæremoniis in Capella Pontificia. Cod. num.* 187.

Acta in adventu, & coronatione Caroli V. in civitate Bononiæ. Ibid.

Acta quædam cæremonialia ab an. 1508. *cum supplemento usque ad an.* 1550. *Ibid.*

Hæc vero postrema a Nicolao Foresio ab Aquapendente, de quo paullo superius dictum, incœpta primum, dein a Gabriele ad annum 1534., quo obiit, continuata, ab alio quopiam ad eum an. 1550. perducta fuisse dicendum omnino est; nam Nicolaus Sacello pontificio præfuit ad an. usque 1510.

Obitus & elogium.

Gabriel demum senio confectus e vivis migravit Romæ VIII. Kal. Novembris an. 1534. ejusque cadaver Anconam delatum est, & in templo Augustiniano, sacris funebribus honorifice persolutis, sepultum. Post annos fere centum Gabriel Fuscus meritissimi consanguinei memoriæ cenotaphium posuit ex albo lapide affabre & eleganti artificio factum, quo super eminet Gabrielis effigies Doctoris insignibus distincta, ac titulum inscripsit.

„ D. O. M.
„ Hoc Cenotaphio honoratur M. F. Ga-
„ briel Foscus Anconitanus Ord. S. Augusti-
„ ni Sacrarii Pontificii Præfectus Julio II.
„ Leone X. Adriano VI. & Clemente VII.
„ Pontificibus Archiep. Dyrrhach. & mox
„ Castren. Episc. creatus est, Ac Pontifica-
„ le Sacrificium coram Leone X. celebravit.
„ Idem in Consist. sententiam suam inter
„ PP. De referendo inter Divos B. Franci-
„ sco de Paula primus dixit. Excipien. Orat.
„ Ven. a Clemente VII. Carolum V. Coron.
„ Destin. Unaque cum tribus S. R. E. Car-
„ dinalibus Coronationi ejusdem Caroli Cæ-
„ saris Apparatum decrevit. Suavissimis mo-
„ ribus parem habuit pietatem, doctr. & e-
„ ximiam Ecclesiastic. Cæremon. peritiam.
„ Bono senio confectus obiit Anno Salutis
„ MDXXXIV. Gabriel Foscus Anconit. Do-
„ minici F. Eminentiss. DD. Card. S. Onu-
„ frii Famil. & Cancellariæ de Urbe Pro-
„ curator Minoris Gratiæ Illustriss. Præsu-
„ lis & Religiosissimi Consanguinei Memo-
„ riæ hunc Lapidem assentientibus hujus
„ Conventus PP. erexit
„ Anno Domini MDCXXXVII. „

GREGORIUS II. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXXVII.

Gregorius II. Archiep. Dyrrhachiensis anno 1535.

Qui & Georgius nominatur, in locum Gabrielis suffectus a Paullo III. 21. *Junii* 1335. *Providit*, Paullus Pontifex, *de Eccl. Dyrrhachien. metrop. Gregorio Stemagu cum facultate exercendi Pontificalia in valle Celita nuncupata, & in vito Muncaros dicto, vel alterius diœcesis, & quod in dicta Eccl. Dyrrhachien. residere minime teneatur*; ex Actis Consist. corrupte quidem; nam quæ loca sint in iis descripta, divinare non ausim. Miserrima hoc tempore diœcesis Dyrrhachiensis conditio; belli terra marique apparatus, queis Solimanus rex Turcarum Italiæ exitium minabatur, aditum intercludebant ad Epirum, nec esse poterat libera munerum episcopalium exercitatio, ubi periculis & impedimentis erant omnia circumsepta. Gregorium itaque Pontificis permissu, ne otiosam vitam traduceret, alibi quidquid ei licuit sacerdotalis operæ in aliorum utilitatem convertit; & anno fere quinto ab collato sibi Dyrrhachiensi Archiepiscopatu vitam finivit.

LUDOVICUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXXVIII.

Ludovicus Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1540.

Et Acta Consist. & Vaddingus Ludovici meminere, quem patria Venetum, cognomine Blancum, ad Sedem Metropolis Dyrrhachinæ evectum fuisse tradunt an. 1540. Sed Vaddingus Franciscanæ disciplinæ severioris alumnis, Acta mitioris, seu *Conventualium*, ut ajunt, eum addicunt; 16. *Aprilis* 1540. *providit* Paullus III. *Eccl. Dyrrhachien. per obitum Georgii Stemagu de persona Fr. Ludovici Ord. S. Francisci Conventualium. Red-*

Digitized by Google

ditus ignorantur. Taxa Florenorum quinquaginta; hæc in Actis. Vaddingus ad hunc annum; *Promotus est ad Ecclesiam Archiepisc. Dyrrhachien. in Macedonia Fr. Ludovicus Biancus Venetus Reg. Observ. per ob. N. die 16. Aprilis an.* 1540. Nihil de illo reliquum est; & quod superest dimidium hujus sæculi XVI. neminem nobis exhibet Archiepiscopum Dyrrhachiensem, Elias Amatus in Pantopologia Calabra pag. *196.* mentionem injicit Joannis Chrysostomi, Geminiacensis, Ord. S. Benedicti, qui *in Theologia, in utraque lingua maxime enituit, & obiit Archiepiscopus Dyrrhachinus meritis nunquam obiturus.* Sed fallitur Amatus; is enim est Chrysostomus Calvinus non Dyrrhachiensis, sed Ragusinus Archiepiscopus, quem Joannes Fiore tomo 1. Calabriæ illustr. pag. *197. Archiepiscopum Ragusinum* nominat inter celebriores Gemiliani cives; vide tomum *6.* Operis nostri pag. 242. Non est autem, cur ea repetam, quæ de calamitatibus illa tempestate in has provincias illatis immanitate Turcarum dicta jam sunt in Ecclesia Antibarensi; plures Episcopatus eversi, rari creati Episcopi in iis qui remanserant, vexati Catholici & a religione palam exercenda prohibiti, sacerdotes cæterique sacrorum ministri injuriis appetiti, suppliciis affecti; ut mirum non sit, si & Dyrrhachina diœcesis eosdem perpessa casus suis Archiepiscopis caruerit, quorum irriti labores futuri erant & inutilis cura ob inexpugnabiles rerum ac temporum difficultates. Anno tamen 1571., cum Cyprio bello Veneti omnem, quæ sese offerret, Turcas insectandi, lacessendique terra marique occasionem arriperent, Sebastianus Venerius Venetæ classis imperator Dyrrhachium adoriri statuit mense Aprili, & tripartito agmine divisis triremibus, VII. Kal. Majas summo mane ingenti cum impetu oppidum bellicis tormentis quati cœptum; sed Venerii conatibus obstitit propugnatorum numerus ac virtus; & cum satis militum non esset, ut admotis scalis mœnia conscenderent, post quinque horarum irritum certamen discedere coactus est. Felicius res gesta ab Hispanis an. *1606.* sed minimi momenti; nam sex ac viginti triremibus instructi nonis Augusti prima noctis vigilia Brundusio Dyrrhachium contendere; Turcas inopinantes, paucos, imparatosque adorti, portis prostratis, irruperunt in urbem, qua direpta atque incensa ex Turcis centum ac quinquaginta in vinculis abductis, Christianos ducentos in libertatem vindicarunt. Verum cum Hispana classis paullo post abiisset, oppidum denuo a Turcis occupatum est, & validiori instauratum munitumque præsidio. Ad solandos vero per ea loca Christianorum animos adfuit an. *1610.* Marinus Bizzius Archiepiscopus Antibarensis, qui cum apostolica legatione fungeretur per Serbliam & Epirum, partem etiam agri & diœcesis Dyrrhachiensis invisit, & finitimos Redones, e quibus gravissimos evulsit errores atque abusus, a superstitione in eam gentem invectos, Interregnum Archiepiscopale.

Hanc Marini peragrationem fuse suo loco exposuimus.

DECIUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XXXIX.

Decius Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1608.

E nobilissima gente Carafa Neapolitana, quam *de Statera* cognominant, ortus, parentibus Octaviano Carafa *Cerræ parvæ* domino, & Martia Mormilia, ecclesiasticæ professioni se addixit, institutore Mario Carafa ejus affine & Archiepiscopo Neapolitano. Eo mortuo Romam venit, ubi ob perspectas ejus virtutes a Clemente VIII. Pontifice dignitate & munere *Referendarii*, uti vocant, *utriusque Signaturæ* ornatus, inde in Lusitaniam missus est Internuntii Pontificii nomine ac potestate an. 1598. Interea, cum Alphonsus Gesualdus vita & Neapolitano Archiepiscopatu decessisset, Clemens in ejus locum Decium nominavit. Quare e Lusitania ad Urbem revocatus est; ante vero quam examen obiret juxta canonicas leges, Clemente defuncto an. 1605., Leo XI. Ecclesiæ Neapolitanæ præfecit Octavium Aquavivam Cardinalem; at mox Paulus V. post Leonem creatus Pontifex maximus Decium pro illius meritorum amplitudine & Archiepiscopum Dyrrhachiensem renuntiavit, & suum Internuntium in Belgium misit an. 1608. ad Albertum Austriæ Archiducem, inde in Hispaniam ad Philippum III. regem. Hisce muneribus egregie perfunctus ab eodem Paulo in Collegium Cardinalium cooptatus est an. *1611.* & biennio post, abdicato Archiepiscopatus Dyrrhachiensis titulo, ad regendam Ecclesiam Neapolitanam, mortuo jam Aquaviva, jussu Pauli migravit. Ex Tomo 2. Hist. Geneal. familiæ Carafæ, auctore Blasio Aldimario. Hinc patet Decium nunquam suam Ecclesiam adiisse; erat tamen per id temporis Vicarius Dyrrhachiensis Andreas Lopez; isque an. *1610.* suo testimonio obsignavit, probavitque literas Vicarii Stephanensis, quibus Marini Bizzii Archiepiscopi Antibarensis virtus & apostolici labores commendantur.

ANTONIUS V. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XL.

Antonius V. Archiep. Dyrrhach. an. 1625.

Taurini nobilissimum genus duxit e familia Provana, patre Joanne Francisco, qui summum *Cancellarii* in Allobrogibus magistratum gessit. Antonius ipse virtute magis, quam generis nobilitate ab adolescentia clarus Carolo Emmanueli Allobrogum Duci fuit intime addictus; abdicatis vero humanis curis, ut Deo ac religioni impensius vacaret, sese clericali ordini obstrinxit. Hinc duobus sacerdotiis insignitus est, Novalicensis Abbatiæ & Secutiani Prioratus S. Mariæ, quorum reditus in levandas egenorum necessitates large effundebat. In solitudine & recessu vitam plerumque agere solitus, abstinentia crebrisque jejuniis exercere corpus, animum

piis

Digitized by Google

piis rerum divinarum meditationibus; effugere tamen non potuit, quin Emmanuelis Ducis jussu & nomine legationem apud Venetos obiret, qua sapientissime perfunctus Romam se contulit, ubi familiariter cum Mauritio e regia Ducum Allobrogum familia Cardinali versatus est. Adeoque morum innocentia, ac prudentiæ & doctrinæ laude omnium in se admirationem convertit, ut Urbanus VIII. dignitate episcopali ornandum censuerit, & an. 1625. Archiepiscopum Dyrrhachiensem jusserit consecrari. Verum ea adhuc tempora erant, quibus optimo Antistiti non licebat coram suo gregi adesse, eumque solari, & recreare pascuis salubribus, quibus maxime indigebat. Verisimile tamen videtur, non defuisse Antonium suæ in Catholicos Dyrrhachienses sollicitudini quibus poterat modis, dum hoc munus retinuit. Nam anno 1631. licet invitus ad Taurinensem Metropolim gubernandam se transtulit Pontificis jussu, quam semel atque iterum insigni animi modestia abnuerat. Novem omnino annos ei sanctissime præfuit, moriensque anno 1640. cunctis hominum ordinibus tristissimum sui desiderium reliquit.

deinde Taurinensis an. 1631.

MARCUS II. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XLI.

Marcus II. Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1640.

Post adeptum Albanensem Episcopatum, cujus Ecclesiæ fuit ultimus Antistes, Dyrrhachiensem Metropolim suscepit administrandam an. 1640. Patria Crojensis, cognomine Scura, vitæ instituto erat Franciscanus; & in Episcopis Albanensibus, quæ de hujus actis eo spectant, satis jam dicta. Statim atque huic Ecclesiæ præfectus est, diœcesis ac provinciæ lustrationem indixit, diligenterque peregit; tum literis de statu rerum Dyrrhachiensium Sacram Congregationem admonuit. In his, *Templum*, inquit, *Cathedrale funditus a Turcis eversum est; Dyrrhachiensis civitas parvi nunc oppidi figurem exhibet ad mare siti. Testantur Turcæ, visa sæpe lumina, & auditos æris campani sonitus fuisse, ubi olim templum illud exstiterat. In oppido sacerdotes nulli, neque Canonici, imo ne Christiani quidem, e quibus sexaginta ferme degunt in suburbano; ecclesiasticorum redituum superest nihil. In Bolaguio superiori exstat parœcia & ædes e lapidibus structa S. Joannis Baptistæ, cui unus inservit Presbyter, prædiolo ei attributo; in inferiori S. Eliæ parœcia, unusque Presbyter, & aliquot agri fructus; & altera ejusdem tituli in villa Sporagnia, iisdemque fulta præsidiis. Sunt & aliæ parœciæ, nec paucæ numero; olim multo plures exstitere; ex iis una S. Mariæ Redemptum cum Cœnobio Franciscano, quod Turcæ hisce belli tumultibus depopulati sunt: aliud vero visitur in pago Muselio; in Deralvia pæne diruta ac deserta Ecclesia S. Blasii, in qua ferunt ejus sacrum corpus diu conditum fuisse; in Briscano S. Mauritii integra quidem constat e lapide, nullo tamen cultu, illustris quondam Abbatiæ dignitate; in Numeminio parœcia S. Hilarionis prorsus antiquata; & in Derrario Ecclesia Deiparæ lapidea structura, politissimo sacri marmoris pavimento, turre itidem lapidea, sed innumeris ope Virginis patratis miraculis longe celeberrima; nunc squallet; hic autem Dyrrhachini Antistites rusticari solebant. Hæc loca ante annos quinquaginta nobilissima ecclesiasticorum reditum copia, & Catholicorum frequentia, soli Turcæ obtinent.* Hactenus Marcus Archiepiscopus. Crojensis Ecclesiæ procurationem Pontificis jussu suscepit, & aliis deinde lustrationibus modo diœcesim, modo Dyrrhachiensem provinciam sæpe invisit nullis unquam fatigatus incommodis, quo commissum sibi gregem quibusque posset, adjumentis reficeret ac solaretur. Ut autem fervens animo erat & constans, nonnullorum aliquando subiit invidiam, & passus est obtrectationes. Cum e suis quidam, seditione Crojæ facta, quindecim e Turcarum primoribus interfecissent, ac viginti ferme inferioris ordinis sauciassent, ipse in montanis Alexiensium locis tamdiu latuit, dum quievere turbæ, & suæ vitæ securitati satis est consultum. Clericis Dyrrhachiensibus alendis, instituendisque sumptus & operam sollicite impendebat; nec minor erat in egenos ejus beneficentia; quare consumptis interdum, & exhaustis reditibus, Romana petere subsidia coactus est, ea saltem, quæ superioribus Archiepiscopis Pontifices largiri consueverant. In sua diœcesi curanda adjutorem habuit Nicolaum Carpinium virum impigrum, & animarum salutis flagrantissimum, qui etiam illi in Archiepiscopatum successit. Anno 1656. Romanum iter aggressus est ad sacra Apostolorum limina; diuque in urbe degit ad annum insequentem, quo etiam vita ibidem excessit quartum fere annum agens supra sexagesimum; cujus diœcesis, de qua optime meritus fuerat, Presbyteris tribus ac quadraginta, duobus præter triginta Clericis instructa, cum moreretur, millia quatuordecim Catholicorum complexa est.

Dyrrhachinæ diœcesis descriptio.

Marci Archiepiscopi acta,

& obitus.

NICOLAUS III. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XLII.

Nicolaus III. Archiepisc. Dyrrhachiensis an. 1637.

Crojæ ex honestissima Carpinia, seu Carpenia familia ortus post exactam domi puritiam anno ætatis decimo nono, & hujus sæculi 1645. inter alumnos Collegii Lauretani per biennium literarum studio animum exercuit. In patriam rediens, & in ordinem sacerdotalem cooptatus quidquid sui muneris erat, pie ac naviter in animarum cura & incolumitate ita præstitit, ut a Marco Archiepiscopo dignus haberetur, qui sibi socius & adjutor esset in procuratione Dyrrhachinæ diœcesis. Hisce meritis amplissimum archiepiscopalis dignitatis gradum conscendit; & ab Alexandro VII. Pontifice huic Ecclesiæ præpositus est an. 1657. 27. die Augusti, uti ferunt Acta Consist. *Providit*, Alexander,

Ec-

Digitized by Google

Ecclesiæ Dyrrhachien. in partibus Infid. per ob. Marci Scurræ apud Sedem Apostolicam de persona Nicolai Carpenii. Annos fere trede-cim laudabiliter præfuit. Datis ad Sacram Congreg. literis eam de statu suæ Metropo-lis certiorem fecit; huic Episcopatus quin-que subesse scribit Canoviensem, Albanen-sem, Bendensem, Crojensem, Lyssensem, quorum fines adeo confusi, ut dignosci, ac discerni nequeant. Præest iis Archiepiscopus Dyrrhachiensis, qui Corbini degit; campis, vineis, atque pecoribus constant Ecclesiæ re-ditus; tria in diœcesi Franciscanæ familiæ Cœnobia exstant exigua sane ac pauperrima, quartum Alexii, quæ unam efficiunt sub Præside provinciam ejusdem Ordinis; hæc Nicolaus. Verum Ecclesia Albanensis ad Me-tropolitam Dyrrhachiensem suo jure minime, sed Antibarensi Archiepiscopo, uti supra est dictum, subjecta erat, dum suos ha-buit Antistites, qui creari desierunt dimidio fere hoc sæculo decimo septimo; tumque ea diœcesis procurationi Dyrrhachiensis Archie-piscopi plerumque tradita fuit.

Per hæc tempora spes aliqua visa est af-fulgere revocandi a Græco schismate ad com-munionem Romanæ Ecclesiæ incolas fere o-mnes, qui in hac provincia & finitimis locis Dyrrhachiensi, aliisque schismaticis Præsuli-bus parent. Simou quidam, cognomento La-scaris, homo Græcus, & Monachi institutum professus, Archimandrita primum sui cœno-bii exstitit, & Exarchi munere Patriarchæ Constantinopolitano operam tribuit. Venetiis cum esset, patrios errores, & falsa dogmata ejuravit; ac inde Romam profectus est an. 1658. ut in urbe veræ religionis magistra iis studiis, doctrinisque animum imbueret, queis & is in Catholica fide firmior, & a-ptus ad suæ gentis conversionem administer efficeretur. Interea Athanasius Græcanici dog-matis cultor & Archiepiscopus Achridanus Romanæ Ecclesiæ sese reconciliavit; cumque Simon reditum in Albaniam pararet, man-datum habuit a Sacra Congregatione de Pro-paganda Fide, ut Albanæ gentis adolescentes Romam mitteret catholicis disciplinis institu-endos, litteras etiam, & munera sane ma-gnifica, quæ ad Achridanum Antistitem de-ferret, veluti pignora pontificiæ communio-nis & gratiæ, datusque ei itineris comes lu-di magister, qui illius provinciæ pueros mo-ribus ac litteris informaret in uberiorem sa-næ religionis profectum. Nec multo post re-nuntiatus est Dyrrhachinus Archiepiscopus Græci ritus, & ab Athanasio collatum ei fuit consecrationis munus. Hisce ita consti-tutis, major in dies aucta spes alliciendi tra-hendique in gremium orthodoxæ fidei incolas regionis fere universos. Et sæpe datæ quidem litteræ a Simone ad Congregationis Præsides, queis multa narrat læta in speciem, majora pollicetur, præsertim de Cimariotis, quorum provinciam describens triginta enumerat ac quinque oppida, eorum Ecclesias fundis in-structas, Episcopalem mille nummis argenteis censeri, Catholicos Græcum sequi ritum, Episcopum Seraphinum nomine schismate ait esse implicatum. Verum ne res felicius pro-grederentur, obstitere schismatici potentio-res, atque obstinatiores, Turcarum metus, qui tum cum Venetis bellum gerebant, & utrorumque suspiciones; nam illis Christiani cultus amplificatio odiosa erat, & periculi in eorum perniciem plena; hi vero cavebant maxime, ne Senatus opera rem promoveri hostes putarent, & acrius in Rempublicam incenderentur. Jannina etiam, & Constanti-nopolitanus Patriarcha totis viribus impedi-menta objecere, & Cimariotarum Episcopus. Ad hæc Athanasius Achridanæ Sedi nuntio remisso, sive coactus, sive quietis desiderio illectus Corcyram venit cum Simone, qui deinde Aletium in Italiam se contulit an-no 1663. Ast vel ejus fides Sacræ Congrega-tioni suspecta jam foret, vel male de com-misso negotio ob culpam aliquam meritus es-set, susceptæ missionis munus illi ademptum est, & omnis auctoritas sacræ Congregatio-nis decreto, prohibitusque ab urbis ingressu Messanam secessit; & inde factum, ut seu dolo malo, seu hominum ac temporum per-versitate oblata occasio tot animarum conse-quendæ salutis nullo, aut exiguo fructu pe-riret. Quæ ex monumentis Sacræ Congr. ac-cepta hic retulimus.

Nicolaus, cui nullæ partes fuere cum Si-mone, curandis suæ diœcesis Catholicis uni-ce intentus nihil vigilantiæ, ac sollicitudi-nis pastoralis prætermisit ad extremum vitæ cursum, eaque defunctus est an. 1669. Ejus obitus.

GERARDUS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XLIII.

Quem duplic icognomine Balesii & Galatæ distinctum lego in schedis nostris. In oppi-do Corbini, ac in Dyrrhachiensi diœcesi or-tum habuit; & in Lauretano Collegio ado-lescentiam transegit optimis studiis, piisque moribus excultus, queis egregium se præbuit dominicæ vineæ cultorem, studuitque de Catholica religione apud Albanenses suos bene mereri. Hinc illi via ad Dyrrhachiensis Ec-clesiæ regimen, quam adire jussus est a Cle-mente X. 19. *Maji* 1670. *provisit*, Clemens, *Ecclesiæ Dyrrhachiensi vacanti per ob. Nico-lai Corpeni de persona Gherardi Galatæ*, uti ferunt Acta Consist. Laboriosum annorum quatuor supra viginti Archiepiscopatum ges-sit, cum Turcæ bello Cretico primum, de-inde Peloponnesiaco adversus Venetos immanius Christianos, Latinos præsertim, exagi-tarent. Perasti anno 1671. v. Idus Augusti solemni consecratione impertiit Andream Zma-jevichium Archiepiscopum Antibarensem, qui Gerardi virtutem, ac doctrinam suo testimo-nio maxime commendavit; scribens enim ad Martinum Gellichium Antistitem Sappaten-sem cum hortatur, ut familiarem sibi habeat Episcopum Corbinensem, cujus consiliis tu-to, utiliterque in episcopali officio se suam-

Gerardus Archiepisc. Dyrrhachi-ensis anno 1670.

que

Digitized by Google

que regat Ecclesiam; quo titulo *Corbinensis Episcopi* vocitari quandoque soliti Archiepiscopi Dyrrhachini e Corbini oppido, ubi sita aedes archiepiscopalis; vide supra pag. 133. in Andrea Zmajevichio Archiep. Antibarensi. Hoc Antistite, familiæ Catholicorum sexcentæ supra mille numeratæ sunt in diœcesi Dyrrhachina universa. Gerardus anno 1696. jam obierat; eique schedæ nostræ e monumentis Collegii Lauretani descriptæ in Archiepiscopatum sufficiunt Danielem Duranti ejusdem Collegii alumnum. Verum, uti ego reor, nominatus solummodo Archiepiscopus Dyrrhachinus aut hanc dignitatem morte præreptus nunquam adivit, aut voluntaria abdicatione recusavit; nam III. Kal. Junias anni 1696. Innocentius XII. Archiepiscopum Dyrrhachiensem titularem, ut ajunt, creaverat Philotheum Zassium Basiliani instituti, & Græci ritus hominem, sed Catholici dogmatis; eidemque ipso anno VIII. Idus Junii munus Apostolici Vicarii commissum per Chimæræ, seu Cimariæ provinciam. Id nobis constat ex tabulis Sacræ Congreg. de Propaganda Fide, nosque perhumaniter docuit eruditissimus Card. Stephanus Borgia nostri operis fautor & patronus, cui plura debeo Illyricarum Ecclesiarum monumenta studio manuque descripta egregii viri Vincentii Constanzii tabulario ejusdem Congregationis præfecti. Itaque, ut ex tabulæ præferunt, in locum Gerardi successit

obiit anno 1696.

PETRUS III. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XLIV.

Petrus III. Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1700.

E familia Zumia Dyrrhachiensis diœcesis, quem Clemens XI. huic Ecclesiæ præposuit III. Kal. Apriles anni 1700. & VII. idus Maji pallii archiepiscopalis munere ornavit. Unus fuit e Patribus Concilii Albani, cui interfuit an. 1703. ejusque decreta subscriptione firmavit; auctor vero fuit in primis, ut in sua Sede Corbinensi utiliori forma scholæ restituerentur Concilii auctoritate, quæ visæ maxime necessariæ, ut Albana juventus Catholicas præsertim doctrinas ac mores ediscceret religiosos; exstat de his decretum in Actis Concilii, quæ habes supra pag. 142. Cum vero Ecclesiæ Albanensis cura ei tradita fuisset, & veteres ferverent lites de finibus hujus Episcopatus inter Sappatensem & Alexiensem Antistites, paruit is Concilii decreto, quo jubent Patres, ut latæ de iis sententiæ an. 1638. a Francisco de Leonardis Archidiacono Traguriensi a Sacra Congregatione delegato acquiescerent ambo, & intra præstitutos limites suam quisque jurisdictionem contineret; vide Albanum Concilium in Archiep. Antibar. & Albanensis Ecclesiæ ac Sappatensis historiam supra pag. 161. & 276. Nec defuit Petro cura omnis ac sollicitudo erga adolescentes, qui Corbinum in ejus pæne adspectum conveniebant; est enim frequens oppidum, frugibus copiosum, & in amœno ac salubri loco belle ædificatum; eminet Cœnobium Franciscanum nobilis structuræ, ac peramplæ, quod a Patribus illius Ordinis multo ante derelictum nunc ab Archiepiscopis commode decenterque habitatur; reliquæ vero ædes pro incolarum ingenio non contemnendæ.

Concilio absoluto, huc Petrus secessit. Et ingenti dudum cupiditate flagrabat invisendæ coram suæ Metropolis, ab cujus aditu post urbem a Turcis captam Archiepiscopi omnesque ritus latini administri severissime arcebantur; nec ulli unquam patuerat ingressus. Petri desiderium fovit aliquandiu inani spe Gallus mercaturæ præses, qui sui regis nomine Gallicæ gentis mercatores ac mercimonia Dyrrhachii tuetur apud Turcarum Præfectos; sed inita jam inter Venetos ac Turcas pace, eo appulit Antonius Rosa, qui eodem munere pro Republica fungeretur. De ejus adventu mirum in modum illi gratulatus est Archiepiscopus, quippe ad hoc ministerium nemo hactenus e latinis hominibus fuerat a Senatu Dyrrhachium missus; plerique omnes natione cultuque Græci. Itaque cum Rosa enixe agere cœpit, ut, quo fieri modo posset, sibi ingrediendæ urbis facultatem a Turcis impetraret. Nec is defuit Petri precibus; qua officiis, qua largitionibus sibi devinctos procerum animos demum impulit ad assensum, & liber, tutusque in urbem ingressus Archiepiscopo permissus est. Statuta die Dyrrhachium venit Petrus, & multa sacerdotum stipatus turba, ipse archiepiscopali habitu in urbem intravit, quem Turcæ domum Rosæ summa cum reverentia deduxere. Ingemuit primo adspectu Antistes, & miseratus tot hominum sexaginta fere millium perditissimam sortem, qui postremis iis temporibus a Catholica fide ad mahomethicas superstitiones desciverant, ac a lacrymis se abstinere non potuit, cum præterea verendum erat, ne quod reliquum Christiani gregis adhuc avita sacra retinebat, priorum exempo seductum, & Turcica immanitate pressum in idem prolaberetur exitium. Octo dies Dyrrhachii constitit, Venetis Gallisque certantibus, quo ab iis sumptuosius atque honorificentius haberetur, unde aucta in illum Græcorum atque Turcarum veneratio; is vero suos, quibus licuit, religionis muneribus, sanctisque monitis, atque adhortationibus consolatus discessit mœrens; iisdemque, queis exceperant, honoris significationibus Turcæ prosecuti sunt.

Dyrrhachium invisit.

Annos prope viginti suam Ecclesiam provide vigilanterque administravit; & opera vicaria usus est Petri Scurræ prudentissimi viri, qui illi in hanc Sedem suffectus; & ætate gravis, fessus curis, meritis dives vitam an. 1720. piissime finivit.

Obiit anno 1720.

PETRUS IV. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XLV.

Petrus IV Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1720.

Post sapientissimam Pullatensis Ecclesiæ administrationem dignus habitus, qui ad fasti-

stigium Dyrrhachiensis Metropolis ascenderet pridie Kal. Octobris an. 1720. Nec dubium est, quin partes omnes tanti muneris æque impleverit, ac in Pullatum diœcesi, decem & septem annorum cursu, quo hanc provinciam rexit; nulla enim habeo, quæ de illius gestis in Archiepiscopatu proferam, monumenta. Vivere desiit an. 1737.

JOANNES IV. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XLVI.

Joannes IV. Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1738.

Ab Alexiensi Episcopatu ad Dyrrhachinam Sedem migravit VII. Kal. Februarii anni 1738. filius fratris Gerardi Galatæ Archiepiscopi, de quo superius. Quadriennio post Pallii insigne a Pontifice consecutus est, IV. scilicet Kal. Februarias an. 1742., & ad an. 1752. vitam produxit, ac de tribus in Albania Ecclesiis optime meritus est, Sappatensi, Alexiensi ac Dyrrhachiensi, piissimi patrui exempla secutus. Quo tempore Joseph Scirò Græcis Catholicis præerat Archiepiscopus in Dyrrhachina, & in Chimeriana provincia Vicarius Apostolicus.

NICOLAUS IV. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XLVII.

Nicolaus IV. Archiepisc. Dyrrhachiensis anno 1752.

E familia Angela Radovana Scodrensis diœcesis, & oppidi, cui Scirocco nomen. Generis nobilitatem suis ipse virtutibus illustriorem reddidit, & decora ecclesiastica in eam intulit. Nam Sophiensis primum Archiepiscopus creatus est ob multa in rem Christianam merita; & hoc munere perfunctus in ea provincia sane difficili, pluribusque plena periculis, transiit ad Dyrrhachiensem jussu Benedicti XIV. xv. Kal. Januarias 1752., ab eoque Pallii archiepiscopalis honorem accepit x. Kal. Augusti anni insequentis. Longum gessit Archiepiscopatum annorum fere viginti, sed tranquillum, quem cum vita dimisit an. circ. 1774.

THOMAS ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XLVIII.

Thomas Archiepiscop. Dyrrhachiensis anno 1774.

Anno 1736. IV. nonas Majas in lucem editus e familia Mariagnia in pago Tofanæ Scodrensis diœcesis satis honesta, Bonis moribus, sacrisque literis animum cum imbuisset, totum se ecclesiasticæ militiæ, cui nomem dederat, ferventer addixit; & post impensos plures annos in animarum utilitatem Metropoli Dyrrhachiensi præpositus fuit a Pontifice Pio VI. an. 1774. VII. Kalendas Julias, ac postridie Pallii munere ornatus, deinde Vicarii etiam Apostolici auctoritate, Adhuc huic Ecclesiæ præerat annum agens octavum supra sexagesimum, & impigre sui gregis commoda curabat, atque incolumitatem; præsertim cum diœcesis incrementa ex vicinis Ecclesiis ferme antiquâtis operosiorem requirant gubernationem; quo anno obierit, ignoramus. Titulum Archiepiscopatus Dyrrhachini gessit Joannes Chrysostomus Franciscanæ familiæ alumnus, vir quam qui maxime studiosus servandi augendique per Albaniæ provincias & Orientis apostolicos sui Ordinis excursus & missiones saluberrimas, queis assidue laborant Franciscani operarii cum ingenti Albanæ nationis fructu. Romæ degens ad Pontificalia Græci ritus constitutus in Athanasiano Collegio ibidem obiit an. 1795. Ejus memoriam, & egregia merita anno insequente ac die Januarii 19. solemni funeris pompa ornari voluerunt Patres Franciscani, qui Peræ sunt in Constantinopolitano suburbio, deque illius laudibus oratio recitata est a P. Nicolao Fiorano, cui vicaria missionum præfectura commissa.

PAULLUS II. ARCHIEPISCOPUS DYRRHACHIENSIS XLIX.

De quo nihil præter cognomen Gallata.

EPISCOPI LISSENSES SEU ALEXIENSES.

Lissi descriptio, & varii casus.

LIssum urbem olim munitissimam apud Drilonis ostia in ora Illyrica conditam a Dionysio Syracusarum Tyranno diximus in Tomo I. hujus Operis pag. 16. Hujus meminere tum veteres, tum recentiores Geographi; ejusdemque amplitudinem, & potentiam describit Diodorus Siculus lib. 15., cum enim Dionysius Syracusiorum coloniam eo deduxisset, non solum publicis ædificiis, gymnasiis, Deorumque fanis illam ornare studuit, sed egregio etiam portu, ingentique navali, & tantæ magnitudini muro communivit, ut Græcarum urbium vires & magnificentiam æquaret. In potestatem deinde cessit regum Illyriorum, iisque erepta a Philippo Macedonum rege postea sub Gentii imperium rediit, qui regni sedem ibi constituit, donec eo a Romanis devicto anno ante Christianam epocham 168., Lissus aut fœderata urbs, aut vectigalis in dominationem populi Romani adscripta est. Hæc fusius narrata leges in parte I. prolegom. Operis nostri, & parte 2. pag. 151. *Oppidum civium Romanorum* dicitur a Plinio lib. 3. cap. 22. cujusmodi

Digitized by Google

di eæ urbes erant, in quibus frequentissimi morabantur cives Romani, & publicos conventus agere solebant. Hinc Cæsar lib. 3. belli civ. cap. 40. Lissum defensum fuisse scribit a Romanis, *qui ejus conventus erant*, Λίσσος, & alio vocabulo ab arce munitissima sumpto, quæ urbi imminet, Ἀκρολίσσος, dicitur a Græcis Scriptoribus; a Constantino Imper. lib. de administr. Imp. cap. 30. Ἐλίσσος, unde corruptum fortasse nomen *Alexium*, quod vulgo hactenus usurpatur. Sunt qui vetus Lyssum ab Alexio distinguant, illiusque rudera mille passus triginta a nova urbe abesse ajunt. Quod, etiamsi verum putemus, nihil obstat, quo minus affirmare liceat, Lissenses, mutatis sedibus, ob temporum calamitates huc commigrasse, in locum condendæ paullatim urbi aptiorem, cum & Græci imperii fortuna in deterius labi cœpit, & a Barbaris per has provincias pessime jactari.

Post divisum Romanum imperium Lissenses Orientis Imperatoribus paruere, & Græcis, eamdem, ac aliæ Epiri novæ civitates, modo tristem, modo lætam fortunam experti, & incertum, nec diu stabilem multorum dominatum. Cum Veneti an. 1386. Dyrrhachium Andegavensibus ademptum suæ ditioni adjecissent, & Lissus in eorum cessit potestatem, quam anno 1467. adhuc retinebant, cum Georgius Castriotus ea in urbe diem obiit supremum. Anno 1487. sub Turcarum imperium cecidit; ac anno 1501. rursum *Alexiani*, inquit Bembus lib. 5. hist. Venet., *sponte se* Venetis *dediderunt*, fervente tum Thracio bello in Rempublicam; at pace composita, & anno 1506. *petente ab Senatu arroganter Bajasete rege*, ait is lib. 7., *ut Alexium in Illyrico insulam bello Thracio captam sibi restitueret, obstinatis ejus atque assiduis postulationibus Patres victi, ne is pacem, quam cum illo fecerant, si rejiceretur, frangeret, ab Alexio incolis omnibus emigrare jussis, aliisque in locis collocatis, rebus asportatis, arce diruta, eam inanem atque vacuam importuno regi relinquendam censuerunt.*

Ejus situs. *Est* itaque *Alexium in Drino fluvio*, uti eam describit Bembus lib. 5., *quod vado transiri non potest, insula triquetra, mare ab uno latere attingens, ab reliquis flumen, quod ipsa dirimit. Eorum quodque laterum tria millia passuum efficit; ipsa vallo circummunita.* Cæterum pars urbis colli etiam insidet, cujus summo in vertice arx eminebat. *Hodie*, subdit Auctor Topographiæ magni regni Hungariæ, *civitatis potius cadaver, quam civitas una cum arcis quondam in sublimi adjectæ ruderibus ad memoratum Drinum amnem duobus circiter a litore milliaribus visitur.* Cyriacus Anconitanus, cum ea loca lustraret Venetorum tum subjecta imperio, vidisse se scribit in suis Inscript. pag. 22. Lissi *ingentia mœnia magnis condita lapidibus & diversa architectorum arte conspicua, in quibus Epigramma hoc magno in lapide consculptum inveni.*

L. CAVIAR. NN. AVG
II. VIR. QVINQ. DEC
DECR. MVR. REF
IDEM. Q. PROB. CORQ

Quæ partim Romanæ, partim Græcæ antiquitatis vestigia fortasse fuere. Ager Lissiensis qua amœnis collibus assurgit, qua nemoribus consitus est, præcipue vero ampla planitie distenditur tritici feracissima; aeris temperies parum salubris; incolæ tamen vetustam retinent animi corporisque fortitudinem, militiæ bellisque aptissimi.

Ecclesiæ Alexiensis initia, quamvis ignota, ad idem fere tempus referri possunt, quo Dyrrhachium Christiana religio invecta est, & Evangelii luce tota Epirus divinitus cœpit illustrari. Sedes tamen Episcopalis non ante sæculum VI. in historia ecclesiastica primum innotuit Gregorio Magno Pontifice, quamquam verisimile est fuisse antea institutam. Sunt vero, qui conjiciant, sæculo IV. aliquem exstitisse Lissensem seu Alexiensem Episcopum, Valentem scilicet, qui subscriptus est decretis Synodi Sardicensis an. 347. *Valens a Decia Ripensi de Scio*, uti refert Lequienius in Ecclesia Lissiensi, unde pro vocabulo *de Scio* aliud *de Lisso* autumant subjiciendum. Sed præterquam quod Epirus nova, ubi Lissus, longissime a Dacia Ripensi abest, nihilque inter provinciam utramque erat commune, horum error facile deprehenditur ex ipsis subscriptionibus Synodi Canonibus subjectis; *Valens* enim *a Dacia Ripensi Scythopolitanus* dicitur, id est Episcopus, quem sequitur *Palladius a Macedonia de Dio*, in margine Labbeanæ Concil. collect. *de Scio*; neque ratio ulla suppetit, qua hunc *de Lisso*, & Lissensem Antistitem fuisse putemus. Diœcesis Alexiensis satis ampla in orientem solem vergit Crojensi conjuncta; inter Occidentem & Septemtrionem Scodrensi adhæret ac Sappatensi, & late montes Miriditarum complectitur; de hisce tamen finibus nonnullæ aliquando contentiones exortæ sunt cum finitimis Episcopis, quas suo loco narrabimus. In pluribus Epiri novæ, seu Albaniæ ejusque Episcopatuum descriptionibus identidem ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide missis, quarum habeo exempla summatim collecta, multa insunt de Ecclesia Alexiensi; atque ex iis tum veteris, tum præsentis illius status notitia porrigitur, quæ satis esse potest ad eam dignoscendam & illustrandam.

Ecclesiæ ac Episcopatus Alexiensis primordia.

Ejus diœcesis descriptio.

Quinque olim templa in urbe exstitere, Cathedrale D. Nicolai titulo insigne, a Turcis in fanum Mahumeticum conversum, nunc ab iisdem desertum, posteaquam malo omine tres eorum sectæ Dervisii e templi turre in præceps ruentes periere. Tum Georgianum miræ artis structura nobilissimum, at prope dirutum; tertium S. Sebastiani, ac duo

Digitized by Google

Deiparæ Virginis, alterum a Nivibus dictum, quod Turcico armamentario inservit, alterum ab Angeli salutatione. Superest ædes episcopalis, cujus possessionem Episcopi retinent, cum exigua domo Patrum Franciscani rigidioris instituti, eique sacra ædicula adjecta, ubi divina mysteria libere celebrantur. Extra urbem erat Ecclesia S. Margaritæ, cui proximum cœnobium, cujus nescio religiosi Ordinis, modo eversum, & altera B. Virginis Mariæ olim a Patribus Franciscanis culta. Nunc Ecclesia Cathedralis S. Mariæ nomine mille passus viginti Alexio distat in pago Palessa. Plurimæ parœciæ, tum ecclesiæ, & ædes sacræ hac illac exstructæ diœcesim totam ornabant Christiano cultu, & servandæ incolarum religioni apprime utiles, in quas Turcarum barbaries, ac inexplebilis rapacitas desæviit. Ex hisce vix viginti quatuor reliquæ sunt, quibus suus cuique Parochus præficitur, nullis tamen, aut modicis instructæ reditibus. Duo etiam Monasteria Ordinis S. Benedicti diœcesim Alexiensem illustriorem reddidere, unum Rebichense prope pagum Bulgarorum, cujus vix remanent vestigia, uti & alterius S. Mariæ, ut ferunt, de Cantatis; ecclesia tamen Rebichensis S. Salvatoris integra subest Franciscanis. Præ cæteris antiquitate ac celebritate præstitit Monasterium S. Alexandri inter Miriditas situm, quæ gens montana & effera, armis præpotens, ac, Græco imperio exstincto, nullum unquam ne Turcicum quidem dominatum experta, hactenus sibi libera Catholicæ Ecclesiæ constanter adhæret. Postquam Monachi desiere, cuinam locus commendatus fuerit, prorsus ignoramus. Inter monumenta mss. Congregationis Dominicanæ Ragusiensis quidam F. Thomas Coscievichius dicitur Abbas S. Alexandri ineunte sæculo XVI. Clemens VIII. monasterium postea Fratribus Franciscanis attribuit; parœcia nunc est juris episcopalis, sed Abbatis Alexandrini nomen adhuc perstat. Visitur in ecclesia caput S. Alexandri M. in capsa argentea, & Serbianis literis signata occlusum, quod munus esse perhibent Lechæ Ducagini Dynastæ. Eximia est erga S. Martyrem indigenarum religio, ejusque dies festus incredibili e dissitis etiam pagis Christianorum frequentia solet celebrari XVI. Kal. Junias, muneribusque ac votis sane pluribus ditibusque beatissimi Martyris opem sibi ea natio promereri religiosissime studet, cum sæpe illius patrocinio depulsam noverit ab hominibus & pecoribus pestilentiæ calamitatem. Plures in Romano martyrologio; & a Patribus Bollandianis proferuntur martyres Alexandri nomine, nullius tamen memoriam huic diei decimæ septimæ Maji legimus adscriptam; hinc conjicere nequaquam licet, quinam hic noster ex iis sit, qui in fastis ecclesiasticis memorantur. Sed Episcoporum Lissensium seu Alexiensium seriem age nunc exordiamur, quam interruptam aliquando, & temporum certa successione haud continuatam exhibere nos cogit veterum monumentorum jactura & ingens defectus.

I. Joannes an. 592.
II. Gregorius an. 1385.
III. Andreas an. incerto.
IV. Andreas II. an. 1426.
V. Petrus an. eodem.
VI. Blasius an. 1475.
VII. Petrus II. an. 1489.
VIII. Blasius II. an. eodem.
IX. Franciscus an. 1498.
X. Georgius an. incerto.
XI. Michael an. 1513.
XII. Nicolaus an. 1517.
XIII. Joannes II. an. 1518.
XIV. Ferdinandus an. 1519.
XV. Nicolaus II. an. incerto.
XVI. Joannes III. an. 1525.
XVII. Guillelmus an. 1535.
XVIII. Nicolaus III. an. 1558.
XIX. Joannes IV. an. incerto.
XX. Theodorus an. inc.
XXI. Marinus an. 1578.
XXII. Innocentius an. inc.
XXIII. Benedictus an. 1621.
XXIV. Georgius II. an. 1656.
XXV. Nicolaus IV. an. 1692.
XXVI. Joannes V. an. 1728.
XXVII. Simon an. 1738.
XXVIII. Paullus an. 1748.
XXIX. Antonius an. 1750.
XXX. Georgius III. an. 1765.
XXXI. Michael II. an. 1786.
XXXII. Nicolaus V. an. incerto.

JOANNES EPISCOPUS ALEXIENSIS I.

Joannes Ep. Alexien. an. 592.

Exstat in lib. 2. epist. S. Gregorii M. ex edit. Antuerpiensi epistola XXV. indict. decima, id est an. 592., scripta ad Joannem Episc. Squillatinum, quem e Lissitana Ecclesia huc in Italiam se transferre jussit. Cum enim Lissus a barbaris, fortasse Slavis, qui tum per Illyrici provincias impune grassabantur, in miserrimam vastitatem ac servitutem fuisset adducta, Joannes Romam profugisse videtur, aut absens Pontificis consilium & opem in tanto discrimine poposcisse. De Dalmatiæ præsertim superioris & Illyrici calamitatibus, quæ hisce annis acciderunt, multa habes descripta in Tomo 2. Operis nostri. Gregorius itaque, qui an. ante 591. *ad universos Episcopos per Illyricum* literas miserat charitate fervidissimas, ut eos ad excipiendos alendosque exsules Antistites hortaretur, qui hostili furore ab suis Ecclesiis depulsi fuerant, atque ejecti, Joannem Lissensem benignissime excepit, eique Scyllatensem Ecclesiam regendam tradidit hac conditione, ut Lissum & ad suum gregem solandum paseendumque rediret, si urbs in pristinam libertatem esset restituta. In hac epistola, quam subjicio, Pontifex quasdam præterea leges Joanni præscribendas censuit, quæ no-

væ

væ Ecclesiæ utilitati visæ sunt sanctissimo Pontifici magis necessariæ, & animarum curam vigilem, ac Episcopo dignam, earum in primis æternam incolumitatem commendat.

Ad eam epistola S. Gregorii M.

Gregorius Joanni Episcopo Squillitano.

Pastoralis officii cura nos admonet destitutis Ecclesiis proprios constituere Sacerdotes, qui gregem dominicum debeant pastorali sollicitudine gubernare. Propterea te Joannem ab

1 *hostibus captivatæ* (1) *Lyssitanæ civitatis Episcopum in Squillatina cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, ut susceptione semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas. Et licet a tua sis hoste imminente depulsus, aliam, quæ pastore vacat, Ecclesiam debes gubernare, ita tamen, ut si civitatem illam ab hostibus liberam effici, & Domino protegente ad priorem statum contigerit revocari, ad eam, in qua prius incardinatus, Ecclesiam revertaris. Sin autem prædicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac, in qua a nobis ordinatus es, incardinatus debeas permanere. Præcipimus autem, ne unquam illicitas ordinationes facias, nec bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, aut ignorantem literas, vel in qualibet parte corporis vitiatum, vel pœnitentia vel curiæ vel cuilibet conditioni obnoxium ad sacros ordines permittas accedere, sed si quos hujusmodi repereris, non audeas promovere. Afros passim vel incognitos peregrinos ad ecclesiasticos ordines tendentes nulla ratione suscipias; quia Afri quidem aliqui Manichæi, aliqui rebaptizati; peregrini vero plurimi etiam in minoribus ordinibus constituti ad fortiores prætendisse honores sæpe probati sunt. Admonemus etiam fraternitatem tuam, ut commissis sibi animabus solerter invigilet, & animarum magis lucris, quam commodis vitæ præsentis intendat, in continendis aut disponendis rebus ecclesiæ diligens insistat, ut omni ex parte susceptum digne te gessisse pastoris officium venturus judex, cum ad judicandum venerit, debeat approbare.*

NOTA.

1 Ita correximus pro corrupto tum hic, tum in aliis editionibus Lusitaniæ, seu Lusitanæ vocabulo; & Joannem Lissitanum, aut Lissensem Episcopum agnoscunt & Holstenius in notis subjectis Geographiæ Sacræ Caroli a S. Paulo, & Leqnienius in Oriente Christ. Redierit necne Lyssum Joannes, omnino nequit affirmari.

GREGORIUS EPISCOPUS ALEXIENSIS II.

Gregorius Ep. Alexien. anno 1385.

Post annos fere septingentos hic e tenebris in lucem emergit Alexiensis Episcopus, cujus, & alterius, qui sequitur, Antistitis nomen & acta nobis suppeditavit humanissime vir eruditus, & de re antiqua literaria optime meritus P. Dominicus Maria Federicius Ord. Prædic. Erat Gregorius patria Venetus; Dominicanum institutum amplexus an. 1382. præfuit cœnobio Tarvisino; nec multo post Urbanus VI. Ecclesiam Alexiensem ei regendam commisit. Nam an. 1385. Episcopus dicitur in lib. ms. Veneti cœnobii SS. Joannis & Paulli, cui titulus *Apothecarius*: 2. *Junii anni* 1385. *D. F. Gregorius Ord. Prædic. Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episc. Lissiensis, & nunc Rector ecclesiæ S. Michaelis de Tarvisio* &c. *ex instrumento possessionis Bolpagi lib. IV. pag.* 75. *t.* Hinc arguimus, Gregorium brevi tempore Alexii constitisse, eique post reditum in Italiam parœciam Tarvisinam S. Michaelis fuisse commendatam, quæ suberat, & subest hactenus Abbati Narvisino in ipsa Tarvisina diœcesi. Credibile tamen vix esse potest, tot annorum intervallo suis Episcopis caruisse Alexiensem civitatem, quam multas licet & maximas in variis novæ Epiri vicibus calamitates fuerit experta. Equidem, quæ habeo, monumenta ex ipso Avenionensi Romanorum Pontificum tabulario collecta, neminem huc usque præferunt hujus Sedis Episcopum; cumque sub exitu sæc. XIV. Veneti Alexio potiti sint, conjicere licet, eos de restituendo urbi Episcopatu cogitasse, qui aut ob Schismaticorum turbas, qui iis in locis dominati olim fuerant, aut Andegavensium Dyrrhachii Principum incuria quodammodo antiquatus desierat. At siqui antea hanc rexere Ecclesiam Antistites, illorum nomen vel interiit omnino, vel latet oblivione sepultum. Gregorius quo anno obierit incertum.

ANDREAS EPISCOPUS ALEXIENSIS III.

Andreas Ep. Alexien. an incerto.

Tarvisinus patria, ex illustri Rheginia familia ortus, & in Ordinem Dominicanum adscitus cœnobium Tarvisinum S. Nicolai sapientissime rexit an. 1366., cujus effigies ob egregia in cœnobitas sodales merita cernitur adhuc a Jacobo Lauro depicta supra portam aulæ ejusdem Cœnobii, quam laudatus Fridericius describit tomo 2. monum. Tarvis. pag. 228. Ejus Episcopatus initia incerta sunt; an vero suam Ecclesiam adierit, non liquet. Tarvisii certe degebat, ubi Ecclesiæ S. Michaelis curam gessit ad annum 1397., quo vitam finiisse dicitur in Necrologio Ædis Cathedralis Tarvisinæ; 1397. *die 6. Oct. obiit F. Andreas Ordinis Prædicatorum Episc. Lissiensis, qui morabatur apud S. Michaelem Tarvisii Curatus dictæ ecclesiæ; pro cujus anniversariis fiendis D. Joannes de Urbeveteri, & D. Aldigerius Judices dederunt Capitulo unum Annulum Pontificale ornatum cum bagbetta de argenta cum lapidibus, & lib.* 10. *den. parvorum, currente anno* 1397. *Bagbetta* e vocabulo *Baga* diminuto *arculam*, seu *capsulam* significat apud Scriptores medii ævi. Jacobus Ep. Tarvisinus an. 1409. cum e vi-

Digitized by Google

ta decederet an. 1418. humari se jussit *ad ecclesiam S. Nicolai de Tarvisio in Capella Apostolorum, in qua alias sepultum fuit corpus cujusdam Episcopi S. Michaelis de Tarvisio*; sed hæc de Gregorio ne, an de Andrea sint intelligenda, dubitari debet, cum uterque S. Michaelis paroeciam administraverit.

ANDREAS II. EPISCOPUS ALEXIENSIS IV.

Andreas Ep. Alexiensis anno 1426.

Ex Actis Consist., in quibus dicitur migrare jussus a Martino V. ex Alexiensi ad Arbanensem, id est Albanensem Ecclesiam anno 1426. VI. *Id. Maji an.* 1426. *provisum est Ecclesiæ Arbanen. per ob. de persona D. Andreæ Ep. Alexiens. translati* &c. Vide quæ de Andrea diximus in Episcopis Albanensibus.

PETRUS EPISCOPUS ALEXIENSIS V.

Petrus Ep. Alexiensis anno 1426.

In Istria & oppido Pirano natus e familia Sarda, teste Naldino in Chorograph. Eccl. Justinop. pag. 300, deinde Franciscanæ familiæ alumnus, cum plures annos Theologiam publice docuisset in Lycæis illustrioribus, Joanni in Alexiensem Episcopatum fuit suffectus an. 1426. 5. *Kal. Decembris provisum est*, a Martino V., *Ecclesiæ Lexien. vacant. per translat. D. Andreæ ad Ecclesiam Arbanen. de persona F. Petri de Pirano Ord. Minorum*; ex Act. Consist. Suæ Ecclesiæ præerat, sed Pirani versabatur an. 1438., cum suo diplomate & oblata a debitis criminum pœnis ecclesiastica statis diebus liberatione Piranenses, cunctosque Christianos homines pie est adhortatus ad resarciendum, & servandum decenter altare S. Catharinæ V. & M. in Georgiano Piranensium templo exstructum, Diplomatis hoc est exemplum.

Ejus diploma.

„ Petrus Piranensis Dei & Apostolicæ Sedis gratia Alexiensis Episcopus universis „ Christi fidelibus, ad quos præsentes pervenerint, salutem in Domino sempiternam. „ Postquam humana conditio ex primi Parentis lapsu cecidit in tenebris vitiorum, „ quicumque mortalium assidue in culpam „ relabitur, et etiam majoris spatio temporis magis peccator nexibus religatur. Ad „ dissolvendum igitur illorum vincula, quos „ catena constringit, præcipua remedia adhibuit humani generis Reparator, quibus „ peccati cujuslibet vincula dissolvuntur, videlicet pœnitentiam, & eleemosynam, aliaque opera pietatis, quæ lavant, absterguntur & abolent criminum maculas, quibus „ jugiter humana sordidatur fragilitas. Maximo nos quidem cupientes affectu, ut „ altare gloriosæ V. & M. Catharinæ in „ Collegiata Ecclesia S. Georgii de Pirano „ Justinop. diœcesis congruis honoribus frequentetur, ac Christi fideles eo libentius „ devotionis caussa affluant, & ad dicti altaris conservationem & reparationem manus „ adjutrices porrigant, necnon fraternitas sub „ dictæ Sanctæ vocabulo eo fortius augmentetur, & ad illam intrandum Christi fideles magis & animentur & incitentur, quo „ ex his ibidem dono cælestis gratiæ se uberius refectos.... de Omnipotentis Dei „ misericordia, & BB. Petri & Pauli omniumque Sanctorum meritis & intercessione, „ ac auctoritate confisi, omnibus & singulis „ vere pœnitentibus ac confessis, qui in Nativitate D. Jesu Christi, Circumcisionis, „ Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, „ Pentecostes, SS. Trinitatis & Corporis D. „ N. Jesu Christi, necnon Purific. Annunciat. Visit. Assumpt. & Nativ. B. Mariæ semper V. Nativit. B. Joan. Bapt. „ Apostolorum Petri & Pauli prædictorum „ & aliorum omnium Apostolorum, S. Georgii M., Dedicat. dicti altaris festivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum altare prædictum devote visitaverint, aut dictam Confraternitatem intraverint, vel ad prædicti altaris & Confraternitatis conservationem & augmentum „ manus porrexerint adjutrices, aut quando „ Missa dictæ Confraternitatis celebratur, „ præsentes fuerint a Missæ principio usque „ in finem singulis festivitatibus ac celebritate hujusmodi annuatim, ac pro qualibet „ prædicta eleemosynarum largitione, ingressu dictæ Confraternitatis & præsentia Missæ prædictæ 40. dies de injunctis eis pœnitentiis in Domino misericorditer ex licentia nobis a Rev. in Christo P. D. Francisco eadem gratia Justinopolitano Episcopo concessa relaxamus. In quorum fidem „ ac testimonium præsentes literas fieri jussimus, & quoniam inpræsentiarum pontificali nostro caremus sigillo Capituli Ecclesiæ S. Georgii de Pirano jussimus, rogavimus appensione,.... muniri. Datum Pirani anno a Nativitate Domini „ 1438. Indict. prima die vero octava mensis Novemb. Pontificatus SS. in Christo Patris D. D. Eugenii Papæ IV. anno VIII. „

Ughellii error hic est corrigendus, qui in Episcopis Aletinis seu Lyciensibus tomo IX. Ital. Sacræ iis Petrum adjungit, & tribus circiter annis ejus Episcopatum comprehendit; nam in laudato diplomate se palam ipse nominat Antistitem Alexiensem, & hanc Ecclesiam hoc anno 1438. adhuc regebat. *Liciensis* vocabulum in Romanis tabulis perperam scriptum pro *Lissensis seu Alexiensis* & Ughellium & Vaddingum & ex his Naldinum decepit. Quamdiu Petrus suam Sedem tenuerit, non liquet; sed Episcoporum series annorum sex ac triginta lacuna rursum interrupta est, & ad annum 1475. non habeo quos proferam Præsules Alexienses. Bellici autem tumultus, qui, Georgio Castrioto, vulgo Scanderbego, duce fortissimo, Epirum totam

ad

Digitized by Google

ad arma in Turcas commoverant, rebus ecclesiasticis multum hoc tempore detrimenti attulerint necesse est. Et anno 1444. celeberrimus Albaniæ universæ Dynastarum ac procerum conventus a Georgio coactus est Alexii, & fœdus initum, ictumque adversus infensissimos, atque immanes Christianorum hostes pro religione ac patriis laribus tuendis. Quam vero strenue Georgius dimicaverit, ac Turcicam potentiam fregerit ad extremum usque vitæ spiritum, aptiore in loco narrabimus. Hic silentio non est prætereundum, in urbe hac ipsa post annos tres ac viginti, anno nempe 1467., eumdem Imperatorem summum, ac rei Christianæ in Epiro invictum præsidium lethali demum febre correptum obiisse XVI. Kal. Februarias. Ejus funus publico luctu ac lamento Albana natio prosecuta est, atque cadaver magnifica pompa elatum & in templo D. Nicolai sepultum.

BLASIUS EPISCOPUS ALEXIENSIS VI.

Blasius Ep. Alexiensis an. 1475.

Hunc genere & ortu Albanum nobis supeditat ex illustri Dominicana familia Vincentius M. Fontana in Theat. Dominic. part. I. tit. 338. *Pater F. Blasius de Albania Lisiensis Episcopus creatus fuit a Sixto IV. cujus habetur talis memoria in Regest. P. Magistri Ord. Leonardi de Mansuetis sub fol.* 210. *an. millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. R. D. Blasius de Albania ex nostro Ord. Episc. Lisien. habuit licentiam assumendi duos socios, quos voluntarios invenerit, dummodo habeant licentiam a suis Prælatis.* Ad annos forte decem Pontificatum perduxit, eique successit

PETRUS II. EPISCOPUS ALEXIENSIS VII.

Petrus II. Ep. Alexien. an. 1489.

Venetus, cognomento Malonsius, qui Presbyteratus titulum munusque gerebat in ecclesia S. Moysis; & anno jam 1489. erat Alexiensis Episcopus, ut produnt ecclesiæ ejusdem monumenta vulgata a patruo meo Nicolao Coleto, viro doctrina, eruditione editisque sua opera libris præstantissimo; nam cap. 12. dicitur conventui totius Collegii seu *Capituli* pro negotiis ecclesiæ habiti *die* 3. *Julii anni* 1489. adfuisse *Presbyter Andreas Bussatus substitutus in dicta Ecclesia pro Rev. Patre D. Petro Malonsi Episcopo Alexiensi tamquam procurator dicti Petri Episcopi, & secundi ecclesiæ Presbyteri titulati.* Præterea nihil de illius Episcopatu compertum; sed anno ipso 1489. vita decessit. Verum, exstincto ante annos fere viginti Georgio Castrioto, de quo paullo superius, firmissimum jam corruerat Epiri propugnaculum, & Veneti, qui, cum eo sociali fœdere conjunctissimi illius virtute atque armis usi fuerant pro tuendis sui imperii Albanis urbibus, cedere coacti sunt Turcarum viribus, qui plura provinciæ oppida sibi subegerant; & anno tandem 1487. Alexium amisere; unde in Christianam religionem pernicies illata est, summumque exitium.

BLASIUS II. EPISCOPUS ALEXIENSIS VIII.

Blasius II. Ep. Alexien. an. 1489.

Hanc Sedem obtinuit an. 1489., eique adjunctam Sappatensem, quam dimisit anno insequenti. Vide Ecclesiam Sappatensem. In actis Ecclesiæ Catharensis legitur, Blasium Episcopum Alexiensem an. 1493. in judicium vocasse die VI. Februarii nescio quem nec quam ob caussam, Lucam Japodam *Capellanum S. Georgii de Gulpho* in ea diœcesi, in qua tum forte munere aliquo Blasius fungebatur; & quadriennio fere post jam obierat.

FRANCISCUS EPISCOPUS ALEXIENSIS IX.

Franciscus Ep. Alexien. an. 1498.

Gaspar a Vaddingo dictus, cognomento de Comitibus, & in ordinem Franciscanum coptatus, quem Alexander VI. huic Ecclesiæ præposuit. An. 1498. 20. *Martii providit eccl. Lexiens. seu Licien. in Epiro vacant. per ob. D. Blasii de persona D. F. Francisci de Comitibus Ord. Prædic.* ex Actis Consist., quæ cum Vaddingo non conveniunt. Sed cum Scriptores Dominicani, quos evolvi, hujus Antistitis inter suos non meminerint, eum erasse puto, qui acta in nostris commentariis exscripsit.

GEORGIUS EPISCOPUS ALEXIENSIS X.

Georgius Ep. Alex.

Solo nomine innotescit ex diplomate Leonis X., quod mox subjicio.

MICHAEL EPISCOPUS ALEXIENSIS XI.

Michael Ep. Alexiensis an. 1513.

Allobrogum fuisse ex Caballicensi provincia, & ex oppido *Natera* indicat ejus cognomen *de Natera*; qui in Dominicanam Sodalitatem adscitus, & a Leone X. hujus Ecclesiæ Episcopus renuntiatus fuit VII. Kal. Majas an. 1513. Exstat in tomo 4. Bullar. Domin. pontificium de illius electione diploma, & hujusmodi est.

Diploma Leonis X.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Michaeli de Natera electo Lisien. Salutem & Apostolicam Benedictionem. Apostolatus officium &c. *Dudum siquidem b. m. Georgio Ep. Lisien. regimini Ecclesiæ Lisien. præsidente, Nos cupientes eidem ecclesiæ cum vacaret* &c. *provisionem ipsius ecclesiæ ordinationi & dispositioni nostræ duximus* &c. *reservandam* &c. *postmodum vero per ob. ipsius Georgii Ep., qui extra Curiam Romanam debi-*

bitum naturæ persolvit &c. *Nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem dictæ ecclesiæ celerem & felicem* &c. *ne longæ vacationis sustineat incommoda* &c. *post deliberationem, quam de præficiendo ipsi ecclesiæ personam utilem atque etiam fructuosam cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Ord. Fratrum Prædicat. & Theologiæ Professorem, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos mentis nostræ* &c. *teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem curam & administrationem ipsius ecclesiæ tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo* &c. *Dat. Romæ apud S. Petrum An. Incarn. Domin.* 1513. *septimo Kal. Maji, Pontificatus nostri Anno primo.*

Fere quadriennio præfuit. Sed, cum nonnulli, qui præcesserunt, & qui hunc secuti sunt, Antistites, brevissimum, imo vix annuum Pontificatum gesserint, facile existimo, eos ob temporum difficultatem, bellorum motus continuos in Epiro, & Turcarum sævitiem, qua miserrime angebatur Ecclesia Alexiensis, vix inito episcopali munere sese abdicasse, aditu autem urbis, & diœcesis fuisse certe prohibitos.

NICOLAUS EPISCOPUS ALEXIENSIS XII.

Nicolaus Ep. Alexiensis anno 1517.

De quo Acta Consist. *Providit*, Leo X., *Nicolao Modulo de Ecclesia Liscien. in partibus Infidelium sub Archiep. Antibaren.*, Dyrrhachiensi, *in provincia Macedoniæ* 17. *Junii* 1517. Epirus nova olim Macedoniæ erat adjecta; vide tomum 1. Operis nostri. Alexiensis vero Ecclesia nunquam paruit Antibarensi Metropolitæ; hinc patet mendum in actis.

JOANNES II. EPISCOPUS ALEXIENSIS XIII.

Joannes II. Ep. Alexiensis anno 1518.

Ex Ordine Minorum Nicolao successit an. 1518. XVI. Kal. Junias. A Tossiniano *Bernardinus*, a Vaddingo *Bernardus de Grovema*, in tabulis Romanis *Joannes de Gionema* appellatur; quem Leo Pontifex suam Ecclesiam adire jussit, ac in diœcesi commorari; 17. *Maji providit D. Joanni Gionema Ord. Min. de Ecclesia Alexien. in partibus Infidelium cum obligatione quod infra annum* &c. *& faciat residentiam* &c. Act. Consist. Anno insequenti Sedem vacuam aut morte, aut voluntaria abdicatione reliquit.

FERDINANDUS EPISCOPUS ALEXIENSIS XIV.

Ferdinandus Episc. Alexiensis anno 1519.

Hispanus fuisse videtur, cognomine *de Roses*. Hunc ex Ordine S. Mariæ de Mercede, in quo dignitate ac munere præstabat, ad hanc Ecclesiam regendam Leo X. evexit, utque eo se conferret, apostolica auctoritate obstrinxit; ita legimus in Actis Consist. *An.* 1519. *19. Decembr. providit D. Ferdinando de Roses præceptori Ord. S. Mariæ Mercedis de redemptione captivorum de Ecclesia Alexien. in Albania in partibus Infid., in cujus diœcesi habitant nonnulli Clerici & laici Christiani; ita tamen, quod teneatur ire ad residentiam & jurare.* Verum paullo post in ejus locum successor electus est

NICOLAUS II. EPISCOPUS ALEXIENSIS XV.

Nicolaus II. Episc. Alexiensis.

A Leone X. vel ab Hadriano VI. incertum quo anno; *Nicolaus de Naule* dicitur in Actis, quæ mox proferam, & an. 1525. vitam cum Episcopatu dimisit.

JOANNES III. EPISCOPUS ALEXIENSIS XVI.

Joannes III. Ep. Alexien. anno 1525.

In Epiro natus est; cognomen illi *de Stymai*; & in Apuliam cum venisset, Archipresbyteri dignitatem ac munus consecutus est in Ecclesia Montis Milonis. Anno autem 1525. Clemens VII. hujus Ecclesiæ regimini eum præfecit, indulsitque ut Milonienum sacerdotium retineret, sed suæ diœcesis adeundæ adjecta obligatione. 10. *Novembris* 1525. *providit Eccl. Lessien. in Albania, quæ est sub dominio Turcarum, & in qua habitant Christiani, vacanti per obitum D. Nicolai Naule extra Rom. Curiam defuncti de persona Joannis Stymai natione Albanen. Archipresbyteri Montis Milonis in Apulia, cum retentione dicti Archipresbyteratus & aliorum beneficiorum, & quod teneatur accedere ad dictam Ecclesiam, & ibi residere.* Ex Actis Consist. Paruisse Joannem jussui Pontificis, æquum est credere, totos etiam decem annos curam ab eo sollicite impensam esse in iis Christianis, suæque nationis hominibus religione ac pietate excolendis; & an. 1535. vita, ut reor, excessit.

GUILLELMUS EPISCOPUS ALEXIENSIS XVII.

Guillelmus Ep. Alexien. anno 1535.

Fourbius, seu *de Fourbi* cognomine Allobrox fuit Maurianæ diœcesis, & a primis annis illustri Carmelitarum Ordini nomen dedit. Sacris vero disciplinis adeo impense studuit, ut Theologiæ magister renuntiatus in Cœnobio Rupeculæ eam docuerit magna cum ingenii existimatione. Hinc Paullus III. anno 1535. illum Episcopatu Alexiensi ornandum censuit; cumque armorum in Albania tumultus a Turcis ferverent, nec liber esset ad suam Ecclesiam aditus, adjutor datus est Episcopo Bellicensi, & potestas a Pontifice præterea concessa, ut quodvis oblatum sacerdotium libere consequeretur; in Actis Consist. 8. *Novembris* 1535. *Ecclesiæ Alexien. in Epiro, seu ut nunc dicitur in Alba-*

Digitized by Google

bania sub ditione Turcarum vacanti certo modo provisum fuit de persona Magistri Guillelmi Fourbitii Ord. Carmel., qui etiam fuit deputatus Suffraganeus Ecclesiæ Bellicensis in Sabaudia de consensu Reverendiss. Card. Boleniensis Præsulis cum indulto exercendi Pontificalia in Ecclesia ac diœcesi Bellicensi cum pensione centum.... & retentione &c. In monumentis Rupeculani Cœnobii eodem Adjutoris titulo in Viennensi & Gebennensi diœcesi nominatur, & Samuele Guichenonio auctore in historia Episcoporum Bellicensium, Canonicus hujus Ecclesiæ. De Guillelmo cum laude meminere Scriptores Carmelitæ; ac in 1. Tomo Bibl. Carmel. pag. 598. præter ea, quæ inde excerpsimus, *Nobis*, additur, *minime liquet quid scripseris hic Carmelita magna eruditione & præclaro ingenio præditus*. Anno 1556. vita erat superstes, ut laudata perhibent monumenta, quam an. 1558. jam finierat.

Diximus in Metropoli Antibarensi, Ludovicum Archiepiscopum an. 1541. sententiam quamdam tulisse secundum Episcopum Alexiensem, qui tum in Sabaudia morabatur, nec unquam in Epirum venerat. Quare locus ita corrigendus videtur, ut Ludovici juditium Ecclesiam juverit, aut Catholicos Alexienses.

NICOLAUS III. EPISCOPUS ALEXIENSIS XVIII.

Nicolaus III. Ep. Alexien. anno 1558.

Cognomen ei Guernus; post exactos sub Cisterciensi disciplina plures annos Episcopatum Alexiensem obtinuit an. 1558.; & ab sua Ecclesia absens Paulli IV. Pontificis permissu in Bisuntina civitate ac diœcesi Adjutoris munus exercuit. 5. *Martii* 1558. *providit* Paullus IV. *Ecclesiæ Alexien. in partibus Infidelium per ob. Guillelmi Furbiti de persona D. Nicolai Guerni monachi Cistercien. Ord. Ordinem ipsum expresse professi, magistri in Theologia, eumque illi in Ep. præfecit & Pastorem cum indulto de non accedendo ad dictam Eccl. & facultate exercendi Pontificalia in civit. ac diœc. Bisuntina duntaxat de consensu Reverendiss. Claudii electi, & pro tempore existentis Archiep. Bisuntini de eorum expressa licentia cum retentione pensionis* 25. *Francorum de moneta Burgundiæ super fructibus* &c. ex Act. Consist. De illius obitu, & dimisso Pontificatu nihil nobis liquet.

JOANNES IV. EPISCOPUS ALEXIENSIS XIX.

Joannes IV. Ep. Alexien. anno inc.

Illius cognomen, Episcopatum, & inter Turcas durissimam captivitatem nobis unice indicant acta Theodori Episcopi Scodrensis, cui Gregorius XIII. administrationem Ecclesiæ Alexiensis commisit an. 1575. Actorum Consist. verba profero; 1575. 26. *Octobris providit ecclesiæ Scutaren.* &c. *de persona R. D. Theodori Calompsi* &c. *eumque deputavit Administratorem & Coadjutorem cum futura successione in Eccl. Alexien. in Albania, cujus Episcopus Joannes Crassinga nunc est in captivitate Turcarum*. Hinc neque initi, neque dimissi a Joanne Episcopatus rempus dignosci potest. Sed cum Theodorus revera huic Ecclesiæ præfuerit, ejusque obitus consignetur an. circ. 1578., aliquanto antea Joannem carceris ærumnis confectum e vita migrasse necesse est affirmare. Joannis captivitatis caussa fortasse fuit tentatum facinus a Venetis occupandi Alexii an. 1570., cum bello Cyprio Epirus etiam ferveret armorum strepitu, nam detecto a Turcis Venetorum consilio, qui cum incolis agri Alexiensis rem moliebantur, jamque urbem aggressi erant, munitis validius arcis mœnibus, periculum opportune averterunt. „ Hieronymus Venerius, inquit Maurocenus lib. 9. „ hist. Ven., Olchinii Comes ab iis, qui „ circumjectos Alexio pagos incolebant, invitatus oppidum illud aggreditur; Ducagi„ norum Præfectum cum equitibus ducentis „ subsidio venientem fudit; relictis suburbiis „ in arcem Turcæ confugere, eamque novis „ operibus munivere. Ejus expugnationem „ difficiliorem fore paucis præsertim copiis „ ratus, suburbiis incensis, Olchinium re„ vertitur; „ quare conscium facinoris Episcopum suspicati in carcerem detrudi Turcæ jusserint, aut etiam ab urbe longe deportavi, nequid sibi ab illo, & catholicis hominibus metuere possent in posterum.

THEODORUS EPISCOPUS ALEXIENSIS XX.

De quo paullo superius dictum, & in Episcopis Scodrensibus. Ei suffectus

Theodorus EP. Alexiensis.

MARINUS EPISCOPUS ALEXIENSIS XXI.

Marinus Episc. Alexiensis an. 1578.

Aliis Marianus, in Franciscanum Ordinem adscitus, & inde ad hanc Sedem evectus an. 1578. a Gregorio XIII. ut est in Actis Consist. 15. *Octobris providit Eccl. Alexiensi in Albania per ob. Theodori Calompsi vacanti de persona R. P. D. Marini Brajano Ord. Min. Observ. Ragusini;* ac an. 1580. 20. *Februarii*, inquiunt Acta, *Marino Episcopo Alexiensi administratio Eccl. Scutaren. per biennium* commissa est. Quid in Episcopatu gesserit, & quamdiu vixerit, ignoramus.

INNOCENTIUS EPISCOPUS ALEXIENSIS XXII.

Innocentius Ep. Alexien. anno inc.

Et hunc civitas Ragusina Episcopum Alexiensibus dedit. Ortus est e familia Stoicina; & inter Monachos Benedictinos cooptatus adeo virtutibus sacrisque literis animum imbuit, ut ad gerendum munus episcopale aptissimus evaserit. Initi ab eo, ac dimissi Episcopatus tempus nobis est incompertum. Erat certe Episcopus an. 1601., ut produnt literæ Romam hoc anno missæ a Thoma Ursino Archiep. Antibarensi die xv. Junii, &

an-

Digitized by Google

anno 1607. Ragusii cum esset, sententiam tulit secundum Virgines tertii Ordinis Dominicani, in quarum Ecclesiam ac domum nescio quid juris habere se contendebat Franciscus Restius civis Ragusinus; anno post Innocentii judicium ab Auditore, ut ajunt, Cameræ Apostolicæ probatum fuit; hæc ex monum. mss. Congreg. Dominic. Ragus. Synodus ab eo habita perhibetur, in qua suæ Ecclesiæ utilitati piissime prospexit. Sed quam ob caussam nescio, dissidiis quorundam compulsus est abscedere, eumque Marini Bizzii Archiepiscopi Antibarensis auctoritas, qui tum ea loca apostolico jussu lustrabat, ad munus suum, pace composita, revocavit, & an. jam 1621. vivere desierat.

BENEDICTUS EPISCOPUS ALEXIENSIS XXIII.

Benedictus Ep. Alexien. anno 1621.

Anno 1621. a Gregorio XV. *promotus ad Alexien. in part. Infidelium vacanti per ob. Innocentii Stoicini*; in Act. Consist. E nobilissimo Ursinorum genere, opibus ac honoribus olim florentissimo in Dalmatia ortum habuit Popovi, cujus oppidi Comites Ursini appellantur, patruelis Thomæ Ursini Archiep. Antibarensis, cui, Romæ cum esset, elogium in templo D. Hieronymi super tumulum inscripsit. Idem, ac patruus, Franciscanum institutum secutus est, vir sacrarum disciplinarum studiis excultus, acerrimique ingenii, ac ferventioris indolis, sed in lites atque contentiones fortasse nimis pronæ promptæque. Suam Ecclesiam cum adlisset, nihil ab eo prætermissum, quod episcopalis cura deposceret. Verum an. 1623. Ragusii diu consistens ab Archiepiscopo Ragusino delatus est
Ejus acta, ad Pontificem de neglecto gregis regimine; quam accusationem strenue irritam fecit. Itaque ad diœcesim reversus adfuit Dominico Andreasio Episcopo Scodrensi, qui an. 1624. calumniis appetitus de abdicando Episcopatu cogitabat, ac Benedicto hanc Ecclesiam commendaverat, ut Benedicti literæ testantur ad Sacr. Congreg. x. Kal. Junias an. 1625. Sed, Dominico Romam gravissimis de causis vocato, Urbanus Pontifex Scodrensem diœcesim ei administrandam credidit an. 1629. quem etiam illustri sacerdotio donaverat SS. Sergii & Bacchi in eadem diœcesi, quamvis nimiis distentus curis illud postea dimiserit an. 1637. De Scodrensi administratione Benedicti satis dictum in Episcopis Scodrensibus; quo tempore de Naroniano Episcopatu scripsit ad Sacram Congreg., cujus titulum Dominicus ab dimissa Ecclesia Scodrensi sibi arrogaverat, ejusque improvida consilia, & malis nixa rationibus tueri visus est.

Ante hunc annum 1629. exorta jam erat controversia cum Archiepiscopo Antibarensi de finibus Alexiensis diœcesis, & Benedictus semel atque iterum monitus a Sacra Congreg., ut pagum Barbarostium Antibarensis jurisdictionis restitueret, in ejus possessione sese tenebat; qua de re adversus eum querelæ Episcopi Sappatensis, ejus literis prid. Kal. Januarias an. 1628. Romam allatæ. Lis in Episcopi Albanensis judicio dirempta de unquam fuerit, ignotum nobis esse diximus in Archiep. Antibarens. Sed & cum Sappatense gravior illi fuit contentio de parœciis, quas suæ quisque diœcesi tribuebat; & an. 1636. conquestus erat, parœciam S. Euphemiæ de Calameti sibi vi ademptam ab illo fuisse; nec minora de confiniis dissidia intercedebant cum Antistite Albanensi. Harum contentionum quæstio Pontificis jussu data est Georgio Vuscovichio, quæ demum an. 1638. compositæ fuerunt sententia Francisci de Leonardis Archidiaconi Traguriensis in Concilio Albano confirmata. Habes utriusque compositionis acta in Episcopis Albanensibus, & Sappatensibus. Dum vero hæc gerebantur, Benedictus in summum vitæ discrimen a Turcis adductus fuit in diœcesi Scodrensi, cujus facti narratio in Ecclesiam Scodrensem inserta est. Narrat ex publicis nuntiis P. Lequienius in Oriente Christ. ubi de Ecclesia Lissiensi seu Alexiensi, an. 1640., cum belli Cretici incendio etiam Epirus tota exardesceret, tria Turcarum millia, duce Alexiensi Episcopo, fuisse in fugam conjecta ab suæ diœcesis oppidanis. Equidem egere tum Albani clandestinis congressibus, ut, depulsa Turcica servitute, Venetorum imperio sese dederent; quod consilium cum a Turcis fuisset detectum, seditionis culpa in Sappatensem Episcopum incubuit, qui fuga eorum furorem evasit; at in apertam vim ac rebellionem prorupisse Epirotas, nullæ produnt hujus temporis historiæ; ex literis tamen ad Sacr. Congreg. datis an. 1653. intelligimus, plurimum detrimenti tum Catholicæ religioni iis in locis evenisse quorumdam Episcoporum incauto cum Venetis & de eorum gestis literarum, ac sermonum commercio, quo Turcæ continuis suspicionibus acti Christianos durius premebant ab libero religionis cultu coactos se abstinere.

Dum Benedictus Alexiensem Ecclesiam regebat, Marcus Scurra Episcopus Albanensis & Dyrrhachinæ Metropolis Administrator, deinde Archiepiscopus, hanc provinciam sæpe lustravit jussu præsertim Sacræ Congreg., unde novæ Antistitis Alexiensis in Albanensem querimoniæ perinde atque nimium sibi potestatis tribuerat in hac diœcesi invisenda, & lucri potius cupiditate, quam episcopali sollicitudine crebras susciperet hujusmodi peragrationes. Et defectu aliquo non caruisse Scurram, sunt qui affirment. Plures hujus literæ ad Præsides Sacræ Congreg. diœcesim Alexiensem describunt, e quibus ea collegimus, quæ initio de hoc Episcopatu dicta sunt; an. autem 1649. Christianorum millia quatuordecim, ac decem tantummodo Presbyteros exstitisse scribit. Aliam lustrationem pontificia auctoritate peregit Marcus Crisius an. 1653., seque Presbyteros tres ac viginti reperisse testatur, Clericos novemdecim, Chri-

Digitized by Google

Christianos octies mille. Benedictus eodem anno jam senex Sappam se contulit, quam Ecclesiam ante administravit; & ætate demum ac laboribus confectus vita excessit, vir cæteroquin, cui nihil defuit eorum, quæ Episcopatui recte gerendo iis temporibus, iisque in gentibus cognoverat necessaria.

& obitus.

GEORGIUS II. EPISCOPUS ALEXIENSIS XXIV.

Georgius II. Episc. Alexiensis an. 1656.

Primus, qui episcopalia insignia intulit in nobilem familiam Vladagniam, ex qua alii exstitere præclari Antistites, Nicolaus nimirum fratris filius, in hanc Sedem patrui successor, tum Antonius Scodrensis, Georgius Sappatensis, & Lazarus ejus frater Episcopus & ipse Sappatensis, deinde Antibarensis Metropolita, Scodræ in lucem editus est; in Collegio Lauretano moribus doctrinaque adolescens animum atque ingenium impigre excoluit; quo factum est, ut in magna sui nominis existimatione Romam evocaretur ad instituendos optimis disciplinis Barberinos Principes Urbani Pontificis consanguineos. Nec expectationem fefellit; suo munere egregie perfunctus est, & qua illi via patuit meritis, ad episcopalem dignitatem conscendit. Nam biennio post Benedicti Ursini obitum Episcopus Alexiensis creatus est ab Alexandro VII. 1656. 6. *Martii providit*, Alexander, *Ecclesiæ Alexien. vac. per ob. Benedicti Ursini de persona Georgii Vladagni juxta decretum Congreg. de Propag. Fide* &c. Act. Consist. Statim atque suæ Ecclesiæ possessionem inivit, eum se præbuit, quem sui gregis necessitates & commoda requirebant; ac in diuturno triginta amplius annorum Episcopatu nullis laboribus fractus, nullis curis fastiditus, nullis deterritus periculis omnes sui muneris partes vigilantissime implevit; quin ut dignitati etiam personæ consuleret, quam gerebat, in oppido Merchigne suæ diœcesis episcopalem sedem sane amplam & nobilis structuræ ædificavit, quæ tamen nec suorum, nec Turcarum oculos ambitioso cultu perstringeret, aut in offensionem & calumniam incurreret. Hunc *egregia doctrina & prudentia præditum* commendat Andreas Zmajevichius Archiepiscopus Antibarensis in suis ad Martinum Jelichium Antistitem Sappatensem monitis, quem hortatur, ut Georgium sibi familiarem habeat, & amicum. Et ex Concilio Albano discimus, scholam ab eo in oppido Vegliæ institutam, qua juventus Alexiensis sub optimo præceptore Catholicæ religionis mysteriis præceptisque, tum humanioribus litteris imbueretur. Eo Antistite, ferme millia septem Catholicorum in tota diœcesi numerabantur. Molestias passus est aliquando ab Episcopo Scodrensi de finibus diœceseos, a quibus Sacræ Congregationis auctoritas & jussa eum liberaverunt, ut in Ecclesia Scodrensi dictum. Tandem an. circ. 1692. justam omnium venerationem adeptus pia morte decessit.

NICOLAUS IV. EPISCOPUS ALEXIENSIS XXV.

Nicolaus IV. Episc. Alexiensis an. 1692.

Filius fratris Georgii post sexennium exactum in Collegio Lauretano Philosophiæ & Theologiæ studiis probe excultus dignum se præbuit, qui patruo in hanc Sedem succederet. Post biennem Romanam commorationem in patriam reversus est, in qua Scodrensibus suis jam Presbyter plurimum profuit; cum, Georgio vita functo, in ejus locum Episcopus suffectus est. *An. 1692. 15 Octobr. providit*, Innocentius XII., *Eccl. Alexien. vac. per ob. Georgii Vladagni de persona Nicolai Vladagni Presbyt. Scutaren. omnia habentis* &c. in Act Consist. Sollicitum gessit Episcopatum, atque curis & periculis plenum, dum bellum Peloponnesiacum ardebat Venetos inter ac Turcas, ut ejus literæ indicant x. Kal. Decembris datæ ad Marinum Carrarem parochum Venetæ Ecclesiæ S. Fantini, a quo perhumaniter fuerat exceptus, cum Venetias transiens Alexium proficisceretur. Unus fuit ex Patribus, qui a Dyrrhachiensi provincia Concilio Albano interfuere an. 1703. ejusque decreta subsignato nomine confirmavit. Ejusdem Concilii jussu Veglienses scholæ diœcesis Alexiensis restituræ, queis Albanenses Clerici æque piis moribus, ac literis instruerentur, unde novum Catholicæ religionis sustentandæ adjumentum additum; earumque cbram Antistiti Alexiensi Concilii Patres impense commendavere. De cæteris Nicolai gestis & obitu nihil licuit comperire.

JOANNES V. EPISCOPUS ALEXIENSIS XXVI.

Joannes V. Ep Alexiensis.

De quo in Ecclesia Sappatensi, unde ad Alexiensem migravit an. 1728. Quid vero in Episcopatu ab eo gestum sit, latet. Ad Dyrrhachiensem Ecclesiam transiit an. 1738.

SIMON EPISCOPUS ALEXIENSIS XXVII.

Simon Ep. Alexiensis.

E familia Nigra, cujus tamen civitatis mihi ignotum, quem Clemens XII. anno 1738. VII. Kal. Martius in locum Joannis suffecit. Post decem fere annos e vita decessit.

PAULUS EPISCOPUS ALEXIENSIS XXVIII.

Paulus Ep. Alexiensis.

Consanguineus fortasse Pauli alterius Campsi Episcopi Scodrensis, cui vicariam operam præbuit in difficillima tunc illius diœcesis gubernatione. Anno 1748. XVII. Kal. Octobris a Benedicto XIV. huic Ecclesiæ præfectus est, quam biennio rexit, eique suffectus

Digitized by Google

ANTONIUS EPISCOPUS ALEXIENSIS XXIX.

Antonius Criesesius Ep. Alexiensis.

Cognomine Ceiesesius, patria Alexiensis, Franciscani instituti assecla, Benedictus XIV. hanc Ecclesiam ei tradidit gubernandam XVII. Kal. Decembris anni 1750. Ejus episcopalem sollicitudinem testantur Acta Alexandri Blanci Ep. Pullatensis, quem sibi adjutorem adhibuit ad Christianam sui gregis institutionem; eique moriens post annos fere quatuordecim ab inito Episcopatu hanc Ecclesiam commendavit. Vide Antistites Pullatenses.

GEORGIUS III. EPISCOPUS ALEXIENSIS XXX.

Georgius III. Episc. Alexiensis.

Anno 1765. die Decembris x. Pullatensem Sedem cum hac commutavit jussu Clementis XIII. & cum Alexienses suos provide rexisset annos fere sex, ad Scodrensem Ecclesiam transiit, inde ad Antibarensem Metropolim evectus est IX. Kal. Augusti an. 1786. Plura de illo in utraque Ecclesia Pullatensi & Antibarensi.

MICHAEL II. EPISCOPUS ALEXIENSIS XXXI.

Michael II. Ep. Alexiensis.

Presbyter Alexiensis, cognomine Criesesius, & S. Alexandri Abbas in Miriditis, Vir multæ doctrinæ & eruditionis, quem Pius VI. eodem anno ac die, quo Georgium transtulit ad Sedem Antibarensem, in ejus locum suffecit. Præfuit ad exitum fere hujus sæculi XVIII.

NICOLAUS V. EPISCOPUS ALEXIENSIS XXXII.

Nicolaus V. Episc. Alexiensis.

Cui Malcio cognomen, Regebat hanc Ecclesiam an. 1798., ut testantur literæ Francisci Borzii Archiepiscopi Antibarensis hoc anno scriptæ, quæ penes me sunt, queisque suæ provinciæ vindicat Alexiensem Episcopatum, *cum*, inquit, *Metropolitæ Dyrrhachiensis nullos habeat Episcopos sibi subjectos*. At id falsum profecto est. Etsi enim Andreas Zmajevichius Archiepiscopus Antibarensis pontificia fretus auctoritate, ut ajunt, contenderit Alexiensem Episcopatum in suam provinciam pertrahere, perstat adhuc hæc Ecclesia in possessione Metropolitæ Dyrrhachini, eique tribuitur in literis pontificiis, queis novi creantur Antistites Alexienses.

EPISCOPI AMANTINI.

Amantia dicta.

Inter Epirum utramque, ubi olim Amantes ac Buliones, & ad fines agri Apolloniatis, auctore Plinio lib. 3. cap. 23. Amantia urbs fuit, cujus Geographi veteres tum Græci, tum Latini meminere, Amantiam a Byllide omnino distinguunt & Cæsar lib. 3. de bello civ. cap. 40. & Cicero Philip. XI. num. 11. ubi de C. Antonio, *Tenet*, inquit, *Byllidem, tenet Amantiam*, contra atque sensisse videntur Scriptores nonnulli, qui e duabus unam urbem efficiunt; imo & ab oppido Orici illam disjungit Cæsar eodem in loco, cum Oricum, Byllidem & Amantiam distincte nominat. Hierocles in Synecdemo Amantiam in nova Epiro constituit; urbs erat neque infrequens, neque incelebris; quod indicant loca Cæsaris & Ciceronis laudata. Exstabat adhuc sæc. VI., nam Justinianus Imp. arcem Amantiæ in nova Epiro exstrui jussit, uti narrat Procopius lib. 4. de ædific. cap. 4. Postea eversa ac diruta temporum aut bellorum vicibus ne e vestigiis quidem dignoscitur. Ferrarius in Lex. Geogr. ibi Amantiam fuisse autumat, ubi nunc *Porsus* vulgo *Ragusinus* dictus. Initia Ecclesiæ Amantinæ, ejusque episcopalis dignitatis latent omnino. A Carolo a S. Paulo in Geogr. Sacra, Lequienio tomo 2. Orient. Christ., aliisque subjicitur Metropolitæ Dyrrhachino; & unum habeo Episcopum, qui ei præfuerit; cæterorum memoria prorsus periit.

EULALIUS EPISCOPUS AMANTINUS UNICUS.

Eulalius Ep. an. 347.

Anno 347. hanc Ecclesiam regebat, quo etiam Concilio Sardicensi interfuit. Sed cum catholica Synodi decreta probare abnuisset, & in restitutionem Athanasii Episcopi Alexandrini consentire, cum Semiarianis Episcopis ad unum & septuaginta fuga elapsus est e Sardicensi conventu, & Philippopoli schismatica coitione facta una omnes sententiam anathematis tulere in Episcopos orthodoxos; tum facto Sardicensium Patrum nomine epistolam scripsere ad Orientis & Occidentis Ecclesias fraudis dolique plenam, qua Sardicense Concilium & Fidei Nicænæ propugnatores iniquissime insectantur, edita etiam confessionis formula, qua vocabulum *Consubstantialis* Deo Patri Filii omittentes Semiarianum dogma aperte professi sunt. De his plura habes tomo 2. Operis nostri pag. 8. Eulalius itaque ejusdem impietatis particeps ac socius iis literis suum nomen adscribens non erubuit cum perfidiosis sceleris collegis; *Eulalius Episcopus ab Amantia opta vos in Domino bene valere*. In fragmento 3. operis hist. D. Hilarii Arelatensis tomo 2. mendose scribitur *Eulalolius*; præterea nihil de eo loquuntur hujus sæculi monumenta. Eruditissimus vir Ste-

pha-

Digitized by Google

phanus Salagius lib. 3. de antiquis Episcopatibus in Pannonia, ubi de Episcopatu Bassianæ disserit pag. 161. Eulalium, de quo dictum, existimat Bassianæ fuisse Antistitem, sed vi detorta in suam sententiam Plinii lib. 3. cap. 25. & Sexti Rufi in Brev. auctoritate. Esto enim exstiterint in Pannonia ac prope Sirmium Amantini, & in Conventu Pannonico adnumerentur, quis inde arguat recte Bassianam primum in hoc Conventu locum habuisse inter Amantinos? cum ipse Salagius id dubius affirmet; & quæ ratio, cur Eulalius in Concilio Philoppopolitano semet subscribat Episcopum *ab Amantias*, si Bassianæ urbi principi præerat; ex qua æquius erat Episcopatus titulum præferre? Plinii testimonium superius a nobis laudatum satis & abunde est pro nostra sententia.

EPISCOPI APOLLONIENSES.

Apolloniæ descriptio.

PLures sunt urbes, quibus nomen *Apollonia*; ex his una in Epiro nova inter Dyrrhachium ad septemtrionem, & Aulonem ad meridiem, a qua flumen Avus non longe præterfluit. A Plinio lib. 3. cap. 23. dicitur, *quondam Corinthiorum colonia* IV. *m. passuum a mari recedens*; ejusque mentionem faciunt Geographi fere omnes, & ex antiquis historicis non pauci. Huc revoca, quæ de Apolloniatis eorumque bellica virtute, & deditione sub Romanorum imperio dicta sunt tomo 1. hujus operis pag. 25. 41. & 42. Cicero *Apolloniam magnam urbem & gravem* appellat Philip. XI. quæ pro Cæsare primum stetit, ejusque partes secuta est; deinde a M. Antonio occupata fuit, præsidiisque munita adversus M. Brutum in civilibus Romanæ reipublicæ bellis. In ea urbe Octavianus Augustus literis ac liberalibus disciplinis operam navavit, teste Svetonio in ejus vita; quod loci celebritatem ac frequentiam ostendit, tum Apolloniatum cultum, & qua morum vitæque elegantia ac humanitate delectarentur. Apolloniatum plurimi servantur veteres nummi in Musæis eruditorum, ex his non pauci collem præferunt ignivomum, quem in agro Apolloniensi ferunt flammas sæpe ejicere olim solitum; sed ignis ille paullatim exstinctus jamdiu defecit. De his Strabo lib. 7. & Ælianus lib. 13. hist. anim. cap. 13. *Apolloniatæ*, inquit, *urbem habitant vicinam Epidamno in Jonio sinu, atque in proximis urbi locis fodina bituminis eadem plana modo e terra exoritur, quo plerœque aquarum scaturigines. Non procul etiam immortalis ille ignis ostenditur; qui vero ardet, collis est exiguus, sulphur autem & alumen olet; & ignis juxta æstuans nihil lædit; diu noctuque ardet, neque desiit unquam, ut ajunt Apolloniatæ, ante bellum, quod cum Illyriis gerere debuerunt.* Hinc incredibilis incolarum multitudo, de qua Dio Cassius lib. 41. aliique Romani Scriptores. Verum iisdem ac tota Epirus vicibus obnoxia paullatim Apollonia suæ magnitudinis & pristinæ nobilitatis decus cum ipso nomine amisit. Exiguum nunc oppidum est, male habitatum, & vulgo la Pollina seu Piergo dictum.

De Ecclesiæ Apolloniensis origine & incremento nihil produnt vetera monumenta; verisimile tamen videtur, urbem profecto illustrem eo fere tempore christiana religione imbutam fuisse, quo primi Christi discipuli Evangelium in ea loca intulere. Non defuerunt certe prioribus sæculis aliquot fidei cultores, qui effuso etiam sanguine hanc Ecclesiam redderent illustriorem; & XV. Kal. Julias coluntur sancti martyres Apollonienses Isaurus diaconus, Innocentius, Felix, Hermias & Peregrinus, quorum memoria inserta est Romano Martyrologio & Græcorum Menæis. Ex hisce eorum elogium protulit Papebrochius tomo 3. Junii Bolland. *Sanctus Isaurus & socii ejus Athenis originem ducebant; qui cum a patria discessissent, in quadam spelunca Apolloniæ morati in Felicem & Hermiam & Peregrinum inciderunt, quos & S. Isaurus docuit, neglectis præsentibus futura respicere. Hi vero ipsius sermones factis comprobarunt; aversati enim propinquorum familiaritatem ab ipsis apud Tripontium præfectum accusantur; quibus ille comprehensis, cum eos a fide in Christum non posset avertere, jussit capita eorum amputari. Isaurus vero Christi diaconus, & qui cum illo erant, Apollonio tribuni filio traduntur; a quo illi aqua & igne probati, cum ex his admirabiliter liberati essent, ad Christi fidem multos converterunt, inter quos etiam erant istius urbis primi Rufus & Rufinus fratres germani, qui postremo accepta sententia capite fuerunt plexi.* In Romano Martyrologio hæc breviora, omissis Rufo & Rufino; *Apollonia in Macedonia sanctorum martyrum Isauri diaconi, Innocentii, Felicis & Hieremiæ Atheniensium, qui a Tripontio tribuno varie torti capite obtruncati sunt.* Sed nonnulla hic animadvertamus oportet; nam qui Baronii Martyrologium quibusdam auxerunt additamentis, censent, uti Papebrochius admonet, sanctos Martyres Athenis Apolloniam Macedoniæ urbem aufugisse, quæ mille passus pæne triginta aberat Thessalonica, ut est in Itiner. Antonini, & a Hierocle in provincia Macedoniæ ponitur, *cui conjecturæ*, inquit idem Papebrochius, *difficile est assentire.* Equidem terrestri itinere fuga seu recessus ab Atheniensi agro in novam Epirum multo brevior erat, atque commodior, quam

Martyres Apollonienses.

Digitized by Google

in Macedoniam, contra atque sentiat laudatus Papebrochius, qui cum plures Apollonias enumeret, Epiroticam silentio præteriit; hinc urbs Apollonia, de qua Menæa, potius ea est, quæ in nova Epiro, quam quæ in Macedonia sita. Præterea Apollonia Macedonica ad Strymonem sedebat ultra Thessalonicam in planissimo loco, & a montibus dissito; at quæ hoc nomine civitas novæ Epiri haud longe distat ab Acrocerauniis, in quibus & specus & faciles latebræ obversari poterant sanctis Martyribus, ubi latitarent, uti narrant Menæa; quæ duo in opinionem inducunt, eos Apolloniæ nostræ esse adjudicandos. Neque hi Athenienses fuere omnes, quod Martyrologium affirmat; Felix enim, Peregrinus & Hermias seu Hieremias Apolloniatæ dici videntur in Menæis cum Rufo & Rufino; queis Græcus Canon apud Hagiographos Antuerpienses adjungit eadem die Basilium, cujas tamen incertum. De anno martyrii nihil decernimus, licet tomo 2. hujus Operis pag. 445. in ultima Diocletiani persecutione eos pro Christo occubuisse Farlatus existimet. Isaurum diaconum præcipuo cultum honore innuit Papebrochius, ejusque nomine templum etiam fuisse exstructum, forte Apolloniæ.

Episcopalis hujus urbis dignitas a nemine in dubium vocatur; sed ignota sunt Episcopatus primordia. Quo vero fretus argumento Ferrarius metropoliticum jus, decusque eidem tribuat in Lex. Geog., nescire me fateor; nulla certe est in ecclesiasticis notitiis sive Græcis sive Latinis civitas hujus nominis metropoleos titulo ornata. Qui vero Apollonienses Episcopi ab oblivione & temporum injuria erepti sunt, tres hic subjicio.

FELIX EPISCOPUS APOLLONIENSIS I.

Felix Episc. Apollonien-sis an. 431.

Interfuit an. 431. Concilio Ephesino, & actione prima consensit in Nestorii condemnationem hisce verbis; *Felix Apolloniæ Belidis*, al. *Bulliados, Episcopus una cum sancta Synodo decernens subscripsi*; & actione VI. decretum de catholica Fide adversus hæresim Nestorianam approbavit; *Felix Episcopus civitatis Apolloniæ subscripsi*; in latina versione veteri ejusdem Concilii legitur *Apolloniensium*, in qua nomen *Felicis* subscriptum est etiam actioni v. pro S. Cyrilli Alexandrini, & Memnonis Ephesini Antistitis defensione, *Felix Episcopus Apolloniadis subscripsi*; in alia actionis VI. versione a Mercatore confecta, *Felix Episcopus civitatis Apolloniensium subscripsi*. Deest ubique additamentum *Belidis*, ut est in prima subscriptione; hinc Holstenius in notis Geogr. Sacr. Caroli a S. Paulo autumat Felicem *Apolloniæ* & *Belidis*, seu *Bullidis*, fuisse Episcopum; nam in Græcis Synodi Ephesinæ exemplaribus subscriptus est Φῆλιξ ἐπίσκοπος πόλεων Ἀπολλωνίας καὶ Βελίδος al. Βελιάδος; *Felix Episcopus civitatum Apolloniæ & Belidis* al. *Belliadis*; & latinus interpres geminam vocem *civitatum*, ac & videtur certe omisisse. Bullis civitas erat episcopalis in Epiro nova prope Apolloniam, de qua agendum suo loco; mortuo autem Episcopo Bullidensi, Felix hujus fortasse Ecclesiæ curam gerebat, cujus & Apolloniæ se Episcopum nominavit in prima Concili actione; cur non in reliquis, non divino.

PAULLUS EPISCOPUS APOLLONIENSIS II.

Paullus Ep. Apollon. an. 448.

Qui in Concilio Constantinopolitano anno 448. subscripsit sententiæ anathematis in Eutychem, ejusque insanissimam hæresim prolatæ; *Paulus Episcopus Apolloniadæ* al. *Apolloniatarum*, *civitatis sanctæ ecclesiæ judicans subscripsi*. Equidem incertum videri potest ex hac subscriptione, cuinam Apolloniæ præesset; at neque ulla certa apparet ratio, cur a nostra Apolloniensi Ecclesia excludatur.

EUSEBIUS EPISCOPUS APOLLONIENSIS III.

Eusebius Ep. Apollo-niensis an. 451.

Unus e Patribus œcumenicæ synodi Chalcedonensis, qui an. 451. nefaria Eutychetis dogmata proscripsere. Adfuit quatuor prioribus Concilii actionibus. In catalogo Episcoporum dicitur *Eusebius Apolloniæ*, & actione tertia *Eleutherius* librarii errore. Actione quarta Concilii Ephesini acta & epistolam S. Leonis adversus Nestorium & Eutychem probavit, *Eusebius reverendissimus Episcopus Apolloniæ*, ac decretis de Fide editis subscripsit, *Eusebius Episcopus civitatis Apolloniadis definiens subscripsi*; ac rursum actione VI. *Eusebius Apolloniensis* nominatur; & in vetustissimo Codice Sirmondiano, qui Patrum Chalcedonensium nomina exhibet, inter Antistites novæ Epiri est & *Eusebius Apolloniensis*. Is idem est, qui anno 458. cum suo Metropolita, & collegis provinciæ Episcopis Synodicam epistolam ad Leonem Imp. suo nomine obsignavit, in qua sententiam ipsi suam protulere de nece S. Proterii Episcopi Alexandrini, & de Timotheo Æluro, qui in Sedem Alexandrinam invaserat. Habes has litteras in Luca Archiep. Dyrrhachiensi. Exstat tomo V. Concil. Venetæ edit. epistola Fausti Episcopi *Apollonidæ* seu *Apolloniadis* ad Petrum Fullonem hæresis Theopaschitarum fautorem, & Pseudo-episcopum Antiochenum, an. circ. 485. scriptam, qua illius blasphemias in Catholicam Fidem, & impios conatus gravissime redarguit; verum alterius Apolloniæ potius quam nostræ Episcopus videtur exstitisse in Oriente.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPI AULONENSES.

De Aulona narratio.

AUlon sive Aulona, nunc *Vallona*, inter Apolloniam ad septemtrionem, & montes Acroceraunios ad meridiem mari adjacet non longe a faucibus sinus Adriatici in amœna planicie collibus hinc illinc assurgente; *vallem* enim significat græca vox ἀυλῶν; & Theophrastus lib. 9. de plantis cap. 7. campum latissimum & pulcherrimum inter Libanum & Antilibanum in Palæstina *Aulonem* ait appellari. Apud Ptolemæum lib. 3. cap. 13. *Aulon* urbs est & navale Macedoniæ, quæ olim & novam Epirum complectebatur, ad mare Adriaticum. A Hierocle inter urbes novæ Epiri numeratur, longe diversa ab Aulone, quam Plinius lib. 4. cap. 5. prope Alpheum fluvium collocat in Peloponneso; plura enim ejusdem nominis oppida exstitere, e quibus quatuor memorat Stephanus lib. de Urbibus. Est & Aulon mons Calabriæ optimi vini feracissimus, & a Martiale celebratus lib. 13. epigram. 125. quem locum Ferrarius in Lex. Geogr. cum Aulona nostra confundit. Præclari nihil de Aulone memoriæ prodidere historici seu Græci seu Latini. Post eversum Consantinopolitanum imperium in Turcarum potestatem venit; antiquæ tamen urbis nulla superesse vestigia existimo. Anno 1690. cum Veneti bello Peloponnesiaco Epirum armis lacesserent, de Aulone Turcis eripienda consilium captum; idque feliciter sunt assecuti, occupata prius arce Canina, quam vocant, haud ita longe ab urbe dissita. Rem narrat Gratianus lib. 20. hist. Venet. *Abest*, inquit, *a littore Aulon passus septuaginta, crebris circum septa turribus, instructa etiam arce, quæ fere ad occidentem vergit, maximeque despectat mare. Urbi imminent colles, quibus regio passim assurgit; tria autem millia illinc passuum Canina sita est, duo millia a mari, insidens tumulo, natura magis, quam munimento tuta. Hac a Venetis occupata, Hieronymus Cornelius classis præfectus*, continuo fortunam totius rei secutueam *arbitratus, Aulonem mittit, qui pertentarent Turcas, si vellent metum obsidionis honesta pactione prævertere. Ad tolerandum vires non deficiebant, deficiebat animus, quem, Canina amissa, copiisque fusis suorum, prorsus abjecerant. Quamobrem diem cum petiissent, tanquam deliberaturi de deditione, cæterum ut fraudem facerent, sarcinis raptim collectis, nocte dilabuntur. Prime diluculo mandavat denunciandum Cornelius non jam ullam temporis dari. Ut cognovit patere portas, urbemque desertam, ingressus præsidio firmavit.* Verum non tenuere diu Veneti Aulonam; etenim anno insequenti Dominicus Mocenicus in locum Cornelii suffectus, Turcico appropinquante exercitu, ut urbem oppugnaret, nec satis esset virium ad defensionem, ne incolumis in hostium cederet potestatem, subverti jussit. Jamque cuniculi quam celerrime agebantur. *At Turcæ subeuntes vicum*, pergit Gratianus, *ex parte ab Venetis incensum occuparant, & expectatione citius, aggeribus objectis, aderti sunt tormentis oppugnare.* Tum Carolus Pisanus & Carolus Spar præfecti præsidio, *cogitatione subruendi in præsens omissa, primo, quantum poterant pro tempore, infirmissima mœnium sepientes opere tumultuario vim sustinebant. Deinde millibus duobus peditum acceptis, quos triremibus duodecim advexerat Imperator, tentare eruptionem constituunt, & ad mille & quingentos magno impetu erupere.* Opera hostium disjecta, multi interfecti; sed opinione minus profectum. Et cum ne altera quidem eruptione depellere statione Turcam Venetus potuerat, rediere duces ad propositum demoliendæ urbis. Pisanus, *perfossis cuniculis, tormenta & militare instrumentum aliud, capto sollerter tempore, exportat; omninoque priusquam sentirent Turcæ, silentio noctis quæ præcessit diem a. d. III. Id. Mart. abducit præsidium, impositque in naves. Et illico, qui jussi fuerant, ignem subjiciunt cuniculis, ut, muris disjectis stratisque ædificiis, oppidum pæne totum momento absumeretur. Ita utilitate quam minima hostium cessit Venetus Aulone.* Hactenus Gratianus. Oppidum a Turcis refectum nunc portu sane commodum validis munitur propugnaculis, ibique sedes Præfecti Turcæ, cui late subest regio.

De Ecclesia Aulonensi.

Christianam religionem a primis usque temporibus Aulonem fuisse invectam, & paullo post Sedem etiam Episcopalem institutam argumento est martyrium S. Danactis clerici Ecclesiæ Aulonensis, de quo Maximus Cytheræus, & Menæa Græcorum die XVI. Januarii apud Bollandum; *Hic* enim, inquiunt Menæa, *ex Illyrico oriundus, loco qui Aulon dicitur, Clericus fuit sanctæ Dei, quæ ibidem erat, Ecclesiæ. Cum sacra vasa accepisset, ut illa ab incursione infidelium servaret, quodam loco ab illis deprehensus jussus est Baccho sacrificare. Sed cum id ut ageret induci non posset, gladiis eorum confossus occubuit.* Tempus martyrii rejectum est in persecutionem Diocletianeam tomo 2. Illyr. Sacri pag. 445. sed id incertum. Ferrarius, uti Apolloniensi, sic & Aulonensi Ecclesiæ metropoliticam dignitatem affingit nulla prorsus ratione. Paruit ea Dyrrhachiensi Metropolitæ, dum Episcopi exstitere, & adhuc in illius provincia censetur. Antistitum Aulonensium memoria intercidit ad sæculum V. æræ Christianæ; qui vero ab oblivione hactenus erepti fuere, hos per annorum seriem dispono, pluribus sæpe latisque lacunis interjectis; eosque Aulonæ potius Epiroticæ, quam alteri Aulonæ in provincia Atheniensi, tribuendos jure censeo. Exstitit enim sub Athenarum Me-

Digitized by Google

Metropolita alia ejusdem nominis civitas episcopalis, de qua Nilus Doxipatrius, & Meliciacca Episcopus Catharensis in Notitiis Ecclesiasticis editis a Schelstratio tomo 2. Antiquit. Eccles. sed hæc multo serius, & post sæc. X. videtur Episcopatus honore donata. Quare Lequienius tomo 2. Orientis Christ. Aulonam in Epiro subjicit Dyrrhachinæ Metropoli, & quæ in Achaja ponitur Aulona, eam in jus retulit ac potestatem Metropolitæ Atheniensis, cujus Episcopos ritus latini enumerat tomo 3. Atque hi vulgo *Abellonenses* in tabulis Romanis; nostri vero post sæc. X. *Evallonenses*, *Avallonenses*, *Vallonenses*, & *Vallaneuses* dicti, hac, aliisque notis diversi noscuntur ab Abellonensibus, uti suo loco animadvertendum.

I. Nazarius an. 458.
II. N. N. an. 519.
III. Soterus an. 553.
IV. Valdebrunus an. 1287.
V. Albricus an. 1299.
VI. Nicolaus an. 1303.
VII. Jacobus an. 1343.
VIII. Paullus an. 1354.
IX. Marianus an. 1399.

NAZARIUS EPISCOPUS AULONENSIS I.

Nazarius Ep. Aulonensis an. 458.

Anno 458. in Synodo provinciali Epiri novæ subscripsit epistolæ ad Leonem Imp. missæ adversus Timotheum Ælurum infamem hæreticum, de qua satis in Luca Archiep. Dyrrhachino.

N. N. EPISCOPUS AULONENSIS II.

N. N. Ep. Aulonensis an. 519. favet schismati Acaciano,

Acacianum schisma secutus est cum suo Metropolita, aliisque provinciæ Episcopis, editaque cum iis in provinciali conventu ficta Fidei professione, Nestorii & Eutychetis erroribus cæterorum exemplo adhæsit. Hæc anno circ. 519. contigere, quæ fusius in Archiep. Dyrrhachiensibus narrata sunt. Cum vero in Epirum appulissent Legati Hormisdæ Romani Pontificis, ut inde Constantinopolim proficiscerentur acturi cum Imp. Justino, ac orientalibus Episcopis de exstinctione schismatis æque perniciosi ac diuturni, & de redintegranda Ecclesiæ pace, spes aliqua affulsit, fore ut, quemadmodum nonnulli præstitere novæ Epiri Episcopi, & Aulonensis consilium animumque immutaret, qui præterea promiserat ultro pontificiis Legatis, libellum rectæ germanæque Fidei a se, & a Dyrrhachino Metropolita iisdem brevi oblatum iri proprio nomine sincere obsignatum; *In civitate Aulonitana*, inquiunt Legati in secundis ab adventu in Epirum literis ad Hormisdam, *quo ordine cum Dei adjutorio pervenimus, & quomodo suscepti sumus ab Episcopo civitatis ipsius, & quid est actum, vel quale responsum dederunt, & quia hæc promisit, ut cum Metropolitano suo faceret libellum, in alia epistola beatitudini vestræ significavimus.* Sed hæc epistola intercidit; & quid postea effectum fuerit, latet. Quin Legatorum silentium, & Andreæ Prævalitani Episcopi literæ ad Pontificem eodem, quo suas Legati scripsere, tempore exaratæ, queis de pœnitentia Dyrrhachiensis Antistitis desperare videtur, dubiam reddunt etiam Episcopi Aulonensis ab hæretica illa & schismatica pravitate in sana & orthodoxa dogmata conversionem. a quo videtur non recessisse.

SOTERUS EPISC. AULONENSIS III.

Soterus Ep. Aulonensis an. 553.

Lequienius tomo 2. Orient. Christ. & hunc adjungit Episcopis Aulonensibus, qui an. 553. interfuit Constantinopoli Synodo V. Œcumenicæ, & trium Capitulorum damnationi assensus est. Diximus in Mariniano Archiepiscopo Dyrrhachino, quo studio, quoque animorum æstu Metropolita & Episcopi novæ Epiri horum Capitulorum defensionem susceperint, ita ut a communione Romani Pontificis maluerint dividi, quam de sententia secedere. Hinc suspicio potest suboriri, fuerit ne Soterus alterius cujuspiam Aulonis Episcopus. Verum præter nostram nullam comperio in notitiis ecclesiasticis urbem cognominem episcopali dignitate præditam; & haud mirum esse debet, si in tanta opinionum sententiarumque varietate, quibus caussa de tribus Capitulis diutissime agitata fuit, unus ejusdem provinciæ Episcopus a cæteris dissentiret, quod & in aliis provinciis evenisse constat. Quare Soterum hic adjicere liceat, cujus nomen cum Synodi consessoribus ita est inscriptum; *Sotero reverendissimo Episcopo Aulonis*, & in Collatione II. *Sotbero reverendissimo Episcopo Aulonis*; in octava vero canones Concilii hisce verbis probavit; *Soterus*, al. *Soter*, *misericordia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Aulonensium similiter*; id est juxta sententiam Eutychii Episcopi Constantinopolitani, qui primus tria Capitula concepta formula damnavit. Interest Concilio V. Œcumenico.

Episcopi Abellonenses ab Aulonensibus diversi.

Post Soterum nullos habeo hujus Ecclesiæ Antistites usque ad exitum sæculi XIII., & siqui fuerunt, temporum calamitates, imperii Constantinopolitani vices atque eversio, ac Turcica barbaries eorum memoriam penitus delevit. Laudatus alibi Lequienius ab initio sæc. XIII. seriem disponit Antistitum Abellonensium in Achaja, ex quibus sane paucis quinque omnino non dubito suæ Aulonis Episcopos fuisse; verum Nicolaum, qui an. 1303. *Vallonensis*, & Jacobum, qui an. 1343. *Evallonensis* dictus est Episcopus, tum alios, quos profero, Aulonensem Epiri Ecclesiam rexisse certe existimo, hanc etiam ob caussam, quod hi Venetiis, aut in Veneta ditione commorati plerumque videntur, atque per has regiones episcopalia aliquando munera obivisse, cum Dyrrhachina provincia, et novæ Epiri pars non modica Venetorum subesset imperio, & Episcopi Epirotæ

Digitized by Google

tæ vel ad eorum curanda negotia huc proficisci, vel Schismaticorum improbitate, seu continuis tumultibus, ac bellorum motibus jactati Venetias perfugere adigebantur. Abellonenses vero Antistites inde extra Epirum utramque remotiores alio in Italiam appellere commodius poterant; præterquam quod, si priorem demas anonymum Episcopum, ad quem litteræ ab Innocentio III. scriptæ fuere an. 1210. & an. 1211. cæteri *Titulares* potius Episcopi censendi sunt, nimirum Joannes, qui an. 1437. ad Sylvanectensem in Gallia Ecclesiam transiit, eique suffectus Guillelmus Aucupis, atque Stephanus Paris in locum Dionysii a Lequienio omissi creatus Antistes Abellonensis an. 1555. ac Carnotensi Episcopo, & Archiepiscopo Rothomagensi vicariam & adjutricem operam præbuit. Itaque septingentis post annis primus e tenebris emergit, qui ad novam Epirum pertineat,

VALDEBRUNUS EPISCOPUS AULONENSIS IV.

Valdebrunus Episc. Aulonensis an. 1287.

Quem nobis exhibet diploma *Indulgentiarum* datum Romæ an. 1287. a Michaele Archiep. Antibarensi, aliisque Episcopis, quos inter *Valdebrunus Avellonensis*, pro exstruenda ecclesia Utinensi S. Petri; tum alterum ejusdem anni pro ecclesia Narniensi S. Juvenalis; utriusque inest mentio in Bonaventura Ragusino & Michaele Antibarensi Archiep. Ad exitum hujus sæculi vitam cum Episcopatu produxit.

ALBRICUS EPISC. AULONENSIS V.

Albricus Ep. Aulonensis an. 1299.

Cœnobita, nescio cujus instituti, fortasse Franciscani, sed Waddingo ignotus, præerat huic Ecclesiæ, & Venetiis commorabatur an. 1299., ut patet ex ejus literis, queis *Indulgentiæ* munus ad dies quadraginta largitur quibuscumque post susceptum pœnitentiæ sacramentum Divorum sacra lipsana invisentibus Patavii in templo Antoniano religiose servata. Hæ vero sunt.

Ejus diploma.

F. Albricus permissione divina Episcopus Valonensis universis Christifidelibus tam clericis quam laicis presentes literas inspecturis salutem &c. Sanctorum meritis felicia gaudia fideles Christi assequi minime dubitamus, qui eorum patrocinia per condigne devotionis obsequia promerentur. Illum quoque venerantur in ipsis, quorum gloria ipse est, & retributio meritorum. Nos igitur ad consequenda predicta gaudia causam dare fidelibus cupientes omnibus & singulis utriusque sexus vere penitentibus & confessis, qui ad Ecclesiam S. Antonii de Padua accedentes, reliquias multorum Sanctorum, Apostolorum videlicet, Martyrum, Confessorum, & Virginum in quadam venerabili archona ipsius Ecclesie reconditas visitaverint, de Omnipotentis Dei misericordia, & beate, semperque Virginis gloriose Marie matris ejus, & beatorum Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, ac beati Antonii, omniumque Sanctorum patrocinio confidentes quadraginta dierum veniam peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ex ore confessi fuerint, misericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei testimonium & evidentiam plenioris presentes literas fieri jussimus, & nostri sigilli munimine roborari. Dat. Venetiis infra octavam Ascensionis anno Domini mill. ducent. nonag. nono indictione duodecima.

Idem anno 1305. prid. id. Julias interfuit cum Dyrrhachiensi Metropolita Antonio de Banstro consecrationi Venetæ Ecclesiæ S. Pantaleonis, cujus monumentum protulimus in Archiepiscopis Dyrrhachiensibus, & anno post XII. Kal. Julii Venetiis degens ipse, aliique Episcopi plures veniam pœnæ criminibus debitæ ad dies quadraginta cunctis elargiti sunt, qui statis diebus Ecclesiam S. Joannis de Galledella in Veneta diœcesi quotannis religionis causa adirent; vel eidem instaurandæ, aut servandæ ornandæque piam opem quamlibet tribuerent. Exstat hujus concessus diploma in Suppl. monum. Eccl. Ven. pag. 401. in quo nominatur *Frater Albricus Episcopus Avallonensis*; qui, servato sui Episcopatus titulo, hanc Ecclesiam profecto diminuerat an. 1303. Nam

NICOLAUS EPISC. AULONENSIS VI.

Nicolaus Ep. Aulonensis an. 2303.

Eo anno, & III. idus Apriles interfuit Patavii cum Petro Metropolita, aliisque Episcopis Venetæ ditionis consecrationi templi Augustiniani, quam solemni ritu peregit Episcopus Card. Ostiensis, qui paullo post ad Romanam Sedem evectus est, assumpto nomine Benedicti XI. Exstat in Bull. Dominic. tomo. 2. pag. 86. 87. duplex diploma, alterum *dat. Padue* III. *id. April. Pontific. Bonifacii P. VIII. an. IX.* id est 1303., in quo de facta consecratione, alterum *dat. Laterani* XVI. *Kal. Mart. Pontific.* Benedicti XI. *an. I.* id est 1304. de *Indulgentiis* pro eodem templo collatis: & in utroque nomen Nicolai ita exprimitur, *Nicolaq Vallon. Nicolaum Vallen.*

JACOBUS EPISC. AULONENSIS VII.

Jacobus Ep. Aulon. an. 1343.

Venetus patria & ex Ordine Carmelitarum, in quo summa virtutis & doctrinæ laude enituit. Erat Episcopus an. 1343., & Venetiis Vicarii munere fungebatur, cum Episcopus Castellanus ab urbe abesset; ut produnt publicæ tabulæ VII. Kal. Octobris hujus anni confectæ, & a Cornelio allatæ tomo XIII. monum. Eccl. Ven. pag. 205. in quibus dicitur, *Jacobus Dei gratia Avellonensis Episcopus Vicarius Generalis, & specialis, ac Locumtenens Rev. in Christo Patris, & Domini D. Nicolai Mauroceno Dei gratia Episc. Castell. absentis.* Biennio post e vita ibidem excessit. Illius meminere Petrus Lucius in Biblioth. Carmel. Bernardus Priolus in præfat. ad Opus Michaelis de Bo-

no-

Digitized by Google

nonia super Sententias, Joannes Baptista de Lezana tomo 4. Annal. Carmel., qui perperam Jacobum appellat Episcopum *Evelopensem*, & Speculum Carmel. tomo 4. pag. 930; atque unum idemque est de illo elogium exscriptum ab auctore novæ Bibl. Carmel. editæ Aurelianis an. 1752. tomo 1. pag. 698. *Jacobus de Venetiis Carmelita; eximia pietate, & eruditione conspicuus Ep. Evellonensis, in patria mortuus sepulturam accepit in Ecclesia sui Ordinis, inscripto ad lapidem sequenti epitaphio.*

D. O. M.

Ejus obitus & inscriptio sepulchralis.

Hic est sepultus venerabilis Pater & Dominus D. Jacobus de Venetiis Ordinis beatæ Mariæ de Carmelo Episcopus Evellonensis, qui obiit anno Domini MCCCXLV. die penultima Octobris.

Exstat revera in templo Carmelitano ad januam fere Sacrarii, sed humi situm, Jacobi sepulchrum, insculpta lapidi ejus effigie cum episcopali amictu; epigraphe vero vetustate pæne abrasa est. In Necrologio Cœnobii Veneti Carmelitani hæc leguntur; *Dom.* 3., lege 5. id est Octobris, 1345. *Tradidit spiritum Reverendiss. Pater Dominus Jacobus Episcopus Avellonensis sepultus prope Sacristiam.*

PAULLUS EPISC. AULONENSIS VIII.

Paullus Ep. Aulonensis an. 1354.

De quo in diplomate *Indulgentiarum*, queis plures Episcopi, in his *Paulus Evallen.* donarunt Ecclesiam Vicetinam S. Thomæ Apostoli; datum est *Avenione die* XII. *M. Decemb. MCCCLIIII., & Pontif. Dom. Innocentii Pp. VI. anno secund.*

MARIANUS EPISC. AULONENSIS IX.

Marianus Ep. Aulonen. anno 1299.

Senensis, & ex aliqua religiosa familia ad hunc Episcopatum evectus, de quo hæc in tabulis Cœnobii Dominicani Brixiensis; *MCCCXCIX. die* VI. *Aprilis Fr. Marianus de Senis Ep. Vallanensis consecravit quandam Capellam positam in Claustro inferieri Fr. Prædic. de Brixia, & in dicta Capella consecravit altare ibidem constructum & situatum per Religiosum & probum Virum D. Fr. Vincentium de Crema..... Ord. Prædic. ad honorem SS. Firmi M. Gottardi Ep. & Conf. & Alexii Conf. Sede vacante*, scilicet Brixiensi. In Geographia ecclesiastica nulla exstat Ecclesia Episcopalis *Vallanensis*, unde conjicere licet unius literæ *o* in *a* mutatione errorem in tabulas irrepsisse, ibique legendum *Vallonensis* pro *Vallanensis*; nec dubito, quin Marianus Episcopis Aulonensibus sit adjiciendus.

Post Marianum series Antistitum Aulonensium nobis omnino deest, quos tamen, siqui fuere, paucissimos arbitror huic Ecclesiæ postea præfuisse propter infelicissimam in ea provincia rerum conversionem, vel Titulares solummodo nominatos. Non est autem hic omittendum, Aulonam sæc. XV. nobilitatam fuisse orru, nomine, præclarisque viru-

Acta B. Demetrii Aulonensis.

tutibus B. Demetrii Albanensis. Is enim in ea urbe natus, incertum qua ex familia, an. 1441., cum turbulentissima omnia videret, & patriæ imminere a Turcis exitium, in Italiam prope Spoletum secessit. Ibi in heremo Montelucensi sub disciplina piissimorum hominum Gregorii heremitæ Spoletini, & alterius Gregorii Mediolanensis ex Franciscano instituto plures annos egit rebus unice divinis intentus, & studio Christianæ perfectionis, quibus exercitationibus ita se probavit Mediolanensi Gregorio, ut in sodalitatem tertii Ordinis, ut ajunt, S. Francisci fuerit rite cooptatus. Asperioris deinde vitæ & desertissimæ solitudinis cupiditate in penitioribus montis latebris sese abdidit, ubi assiduis cælestium meditationibus, ac jugi durissimoque corporis cruciatu vitam exercuit; nec aut apertæ defuere, aut occultæ dæmonum aggressiones, quibus e sancto proposito illum dimovere conabantur. Verum in his animi conflictationibus Deiparæ Virginis opem est expertus, cujus quandoque suavi frui adspectu meruit, atque alloquio recreari. Cumque annis ferme quinquaginta in hac vivendi ratione constans perstitisset, omnium ore, ac veneratione vir sanctus habitus piissime obiit VI. idus Octobris an. 1491. Ejus corpus frequentissimo populi concursu honorifice elatus est, & in Ecclesia Fratrum Minorum propter Spoletinam heremum conditum, in qua cernitur adhuc ejus perantiqua imago cum subjecta epigraphe *B. Demetrius*. De illo Vaddingus ad *an.* 1491, aliique scripsere Historici Scriptores, copiosius vero cæteris Jacobillus in Vit. SS. Umbriæ tomo 2. pag. 329.

Joannes Ep. Aulon. Titularis an. 1654.

Anno 1654. titulum Episcopatus Aulonensis gerebat Joannes de Malveau Gallus. Is in Franciscanos severioris disciplinæ, qui in Gallia *Recollecti* dicuntur, cooptatus, solemnibus votis emissis, insigni pietate ac doctrina claruit; cujus permotus meritis Claromontanus in Arvernia Antistes eum sibi adjutorem a Pontifice postulavit; atque Sedis Apostolicæ auctoritate Episcopus Aulonensis consecratus est. Eo anno Rotomagi cum esset, adfuit sacræ cæremoniæ, qua primus lapis Nosocomii S. Ludovici, qui tum exstrui cœperat, poni in fundamento ædificii de more debuit. Indicta publica supplicatione die Martis V. idus Martias, & erecta consueto ritu excelsa Cruce in area loci Nosocomio designati, præivere circum Canonici Augustiniani *a Magdalena* nuncupati, qui sacris ministeriis præsunt pro juvandis infirmorum animis, tum parœciæ Gervasianæ Clerus, & Patres Capuccini; pone Episcopus Aulonensis pontificali amictu incedebat, quem sequebatur supremus Longævillæ Dynasta, ministrorum turba frequens, aliique Canonici, & viri nobiles quamplurimi, accensas faculas manu gestantes singuli; dum religiosæ mulieres ægrotantium servitio addictæ ad altare solemni functioni paratum preces fundebant; quo cum ventum esset,

Epi-

Digitized by Google

Episcopus lapidem concepta precationum formula dicavit, qui suo loco a Longævillæo reverenter pieque aptatus est, festivo tubarum, tympanorumque sonitu, & fausta populi acclamatione; Antistes vero omnes, & qui aderant, quique quotannis sacram Nosocomii ædem inviserent eo die, a quadraginta dierum ecclesiastica pœna, cui forent obnoxii, absolutos edixit. Joannes deinde Rotomagensi Archiepiscopo suam operam navavit; ejusque jussu Ecclesiam *Deiparæ Virginis Angelorum* titulo consecravit die festo sanctissimæ Trinitatis XIII. Kal. Julias anni 1658., tum alteram Capuccinorum titulo *S. Crucis* prid. idus Julii ejusdem anni. Hæc ex historia urbis Rotomagensis ab anonymo auctore descripta tomo 2. part. 5. pag. 33. & part. 6. pag. 102. & 126.

EPISCOPI BENDENSES, PRISCENSES, AC STEPHANENSES,

Bendensis urbis

BEndæ nulli meminere veteres Geographi, e recentioribus pauci. In ea Epiri novæ parte sita urbs fuit, quæ Macedoniæ finitima montibus passim assurgit versus orientem solem. De illa hæc Baudrandus in sua Geographia; *Benda, urbs Macedoniæ in Albania regione, sede Curopalate, Episcopalis sub Archiepiscopo Dyrrhachino, nunc in ruinis jacens sub dominio Turcarum; ejus Episcopus commorabatur in castro* Mammoli *dicto, & ab ea tractus adjacens etiamnum dicitur* la Benda, *sub quo censetur Sermenica regiuncula versus Crojam, ut ego pluribus didici ab Archiepiscopo Dyrrhachino.* Equidem pervolutanti mihi Curopalatis Excerpta nunquam sese objecit sub oculos civitas Bendensis; est arx *Bodina* a Curopalate dicta, *Bodena* a Cedreno & Glyca ad paludem Ostrobi in Macedonia; nunc *Bedna* vulgo dicitur, unde cum Benda confundi facile queat; sed nihil hæc ad Epirum nostram. *Mammoli* locum exhibent tabulæ geographicæ Albaniæ disjunctum brevi itinere a ruderibus Bendæ. *Zamerizæ* regionem comperio Crojam versus, minime *Sermenicam*; sed de iis incolæ Bendenses judicent, quibus ea loca ante oculos obversantur; neque nobis inde quam longissime positis facile est tuto quidquam affirmare.

& Ecclesiæ descriptio.

Æque ac urbis, ignota sunt initia Bendensis Ecclesiæ, utque nulla de urbe monumenta exsistunt apud Historicos, neque de Ecclesia ejusque Episcopis quidquam reperire licet ante initium sæculi XIV. quo dicitur cum Priscensi conjuncta in diplomate Bonifacii IX. an. 1304. Pauca tamen habeo, quæ proferam ex literis Marci Scurræ ad Sacram Congreg., qui cum Albanensi Ecclesiæ præesset, Dyrrhachinam, *Bendensem*, Alexiensem diœceses cum Crojensi & Canoviensi administravit, & anno 1640. creatus Archiepiscopus Dyrrhachiensis suam provinciam sæpe episcopali lustratione invisit, Ait enim *Bendensem diœcesim supra Dyrrhachinam protendi versus meridiem*; quæ præterea ad septemtrionem ab Achridana terminatur, ad solem occiduum adjacet Canoviensi, & in meridiem montes contingit, unde in Acroceraunios prospectus. Eversa urbe, *Cathedrale templum titulo D. Joannis Baptistæ insigne olim, & e saxo a fundamentis exstructum fuit in pago Moiliti, quod adhuc integrum cernitur; nulli tamen redditus, nulli sacrorum ministri, Christiani omnino nulli, Turcæ omnes degunt, qui Catholicam fidem ejurarunt. Paræciæ sunt aliquot; aliquando ad viginti septem, & ad viginti fere numeratæ; in his quædam ædes suas possident. Celebris præ cæteris est paræcia D. Martini, ex qua pago nomen inditum; Ecclesia e solido lapide integra eminet cum turri, in ea æreæ campanæ duæ; vineæ etiam & campi eidem attributi, ex quorum fructibus argentei nummi viginti quotannis comparantur alendo, adjecta piorum hominum stipe, Franciscano Presbytero, cui animarum cura per alios etiam pagos committitur; hic nobile olim monasterium ferunt exstitisse. Diœcesis tota amplius duobus millibus Catholicorum constat; sacerdotes octo ecclesiastica obeunt officia.* Hæc summatim in laudatis literis.

De Ecclesia Priscensi inquisitio.

Ecclesia Priscensis unice innotescit ex diplomate Bonifacii IX. ad Georgium *Electum Priscensem & Bodensem* an. 1404. sed quo tempore instituta, & quam ob caussam, quamdiu etiam duraverit, omnino latet. *Priscam* urbem nulli memorant Geographi, Historici nulli. Bremondus tomo 2. Bull. Dominic. in Appendice de Episcopis Dominic. a Bonifacio IX. creatis, & in notis ei diplomati subjectis affirmat nomine *Bodensis* intelligi *Bendensem* Ecclesiam, errorem vero inesse vocabulo *Priscensis*, cum *Prisrensis* dici debeat, & Ecclesia *Prisrensis* non alia sit a Justiniana prima, quæ postea Achrida appellata est; & Bremondo assentitur Lequienius tomo 3. Orient. Christ. pag. 953. Verum neutrius conjecturam probamus, quod ad *Prisrensem* Episcopatum attinet. Nam de *Bedensi*, seu *Bendensi* Ecclesia pro *Bodensi* sententiam confirmant Bzoviana mss. apud Fontanam in Theatro pag. 270. tit. 480. sed ipsa conjunctio Ecclesiæ *Bendensis* cum *Priscensi* ostendit hanc a *Priscensi* esse diversam, ejusque locum alibi quæri oportere.

Digitized by Google

Prætermissa siquidem de Ecclesiis *Prisrensi*, *Justiniana primæ*, & *Achridana* sibi processu temporum episcopali dignitate ac jure succedentibus, uti sentit Bremondus, disceptatione, quæ ad aliam pertinet historiæ nostræ partem, duo illi opinioni præcipue adversantur; primum, reperiri scilicet in tabulis ecclesiasticis eodem ævo *Prisrenses* Antistites ab *Achridanis* distinctos, & alter ab altero Episcopatus discretus hactenus manet, & integre disjunctus; & cum Baudrando potius aliisque consentire libet, qui *Prisrensem* urbem & Ecclesiam cum *veteri Ulpiana* & *Justiniana secunda* in Macedonia conjungunt, de quibus & a nobis alibi agendum. Deinde *Prisra* longius *Benda* abest, quam uniri queant sub uno Episcopo; *Prisra* quippe, vulgo *Prisrano* ultra Achridam versus septemtrionem, & extra novæ Epiri fines media sedet inter *Bistrizam* & *Toplukam* amnes in Drinum album confluentes; cum Benda Achrida inferior ad meridiem sita sit, ejusque diœcesis Acroceraunios fere contingat; eæ vero Episcopales Ecclesiæ in unam junguntur Romani Pontificis auctoritate, quæ sibi invicem confines adhærent, ut commodior utiliorque earum ab uno Episcopo geratur procuratio. Itaque, ut id proferam, quod sentio, *Priscensis* Ecclesiæ nomen mihi videtur retinendum. Est autem in longa planitie, quæ Acroceraunia, & montes Bendæ obversos interjacet, duplex oppidum, *Prisca major*, & *Prisca minor*; totusque regionis tractus partim Bendensi, partim Canoviensi diœcesi finitur, qui forte Bendensium Episcoporum curæ olim suberat, atque jurisdictioni. Huic, gravi proposita causa, Episcopum præficere visum fuerit opportunum Romano Pontifici, utque tempora ferebant, tutius salubriusque incolarum religioni & utilitati consulere; hinc ortus & nomen Ecclesiæ *Priscensis*, incertum quo anno, & quibus inclusa finibus, quæ brevi annorum cursu constitit, aliisque intervenientibus causis Bendensi unita vix ullam sui memoriam reliquit, præterquam in laudato Bonifacii diplomate, quod suo loco exscribam. Non pauca suppetunt monumenta in historia ecclesiastica, quæ hanc instituendorum Episcopatuum rationem comprobant; nec pauci in medium proferri possunt Episcopatus, qui provido Romanæ Sedis consilio & fundati, & antiquati fuere non diuturno temporis intervallo. Certe nominum similitudo & loci & Ecclesiæ suadet, Episcopatum *Priscensem* non alibi esse quærendum, multoque magis cum Bendensi conjunctio, quæ sub exitum sæc. XIII. fortasse decreta fuit; eaque nunquam dissoluta, paullatim ipse *Priscensis* Ecclesiæ titulus evanuit, Bendensi sola superstite, dum in unum cum Stephanensi cohæsit. Nec plura habeo, quæ addam in rem hanc, maxima obscuritate plenissimam, utque Bendenses, ita & *Priscenses* Antistites Metropolitæ Dyrrhachino jure subjicimus cum Lequienio.

ejusque situ.

Urbis & Ecclesiæ origo.

Haud minus est difficile, de Stephanensi civitate & Ecclesia quidquam certi statuere. Fuisse olim in Epiro nova *Stephaniacum* sub Dyrrhachina Metropoli testis est Leo Sapiens Imp. in notitia Græcorum Episcopatuum. In Itinerario Hierosolymitano, *Mutatio Stephanophana* ponitur mille passus fere sexaginta Scampis distans, tum *civitas Apollonia* post milliaria decem & octo, inde duodecim emensis milliaribus *Mutatio Stephana*, & ab eodem itineris cursu *Mansio Aulona Trajectum*, ex qua nimirum urbe commodius in Italiam trajiciebantur viatores. Vocabulum *Mutatio* locum indicat mutandis publici cursus equis destinatum. Procopius vero lib. 4. de Ædific. cap. 6. inter novæ Epiri oppida *Stephaniacum* nominat jussu Justiniani exstructum, & *oppidum S. Stephani* ab ipso Imperatore restitutum. Ælianus etiam *Stephanopoleos* meminit lib. 12. de animal. cap. 30., ubi celebre olim templum exstitit *Fortunæ Epirotica*, & hinc non levis suborta conjectura, fuisse urbem Epiri, quamvis veteri debeat adscribi, cum Ælianus historiam animalium scripserit sæc. II. æræ Christianæ, & ante Epirotici nominis divisionem, quæ sæc. IV. fieri cœpta est; & nova Epirus, quippe pars olim Macedoniæ maritima, alia omnino a veteris regionibus loca complectitur, de quibus vide Tomum 1. pag. 69. Ex hisce probabilius mihi videtur, Stephanensis urbis & Ecclesiæ primordia in Stephaniaco esse quærenda, quod oppidum a se conditum Justinianus episcopali etiam honore augeri voluerit, ut ab eo factum legimus de urbibus aliis seu oppidis ejus munificentia ædificatis. Nam *Mutationes Stephanenses*, ut ita dicam, quarum mentio inest in Itinerario Hierosolymitano, exigui erant, nulliusque nominis loci, & ad mare siti Constantini M. ævo, cui æqualis dicitur illius Itinerarii auctor, neque alteutri nomen *oppidi S. Stephani* convenit, quod Justinianus curavit reficiendum. A Stephaniaco itaque origo & nomen mea quidem sententia Stephaniæ civitatis & Ecclesiæ exorta sunt, mutato paullulum, ut fieri assolet, *Stephaniasi*, & *Stephaniacensis* in *Stephaniam*, seu *Stephanum*, & *Stephanensem* vocabulo; ideoque in VI. sæculum utriusque initia puto esse rejicienda; nisi velis natali urbis aliquanto posteriorem Episcopatus dignitatem, qui IX. sæc. Stephaniaci jam fuerat institutus, cum Leo Sapiens imperii sui Episcopatus descripsit sub initio sæculi X. *Stephaniaci* nomen quare urbi inditum, conjectura assequi haud facile possumus; & si de illius situ montoso stabilire quidquam licet, putarem a Græco nomine στεφάνη, quod collis verticem, quasi coronam, significat quandoque, appellatam fuisse, quippe quæ montis cujuspiam altiori parti, aut collis cacumini insideret. Equidem Stephanensis Episcopatus positio ea fuit, ut in montana magis Albaniæ loca, quam in plana diœcesim extenderet, ac certe finitima pæne Episcopatui Bendensi inter crebra collium juga porrecto, quocum Stephanensis plerumque conjungitur in ta-

& situs, ac diœcesis.

Digitized by Google

tabulis Romanis. In quadam Albaniæ descriptione an. 1578. confecta, cujus habeo exemplar ex tabulario Castri S. Angeli arm. 7. caps. 2. num. 10. Stephanensis Episcopatus distat mille passus octoginta a Civensi seu Crojensi versus Græciam, id est in meridiem, & qua parte Canoviensis diœcesis, ac Bendensis fines inter utramque attingit. Hinc propius montibus accedat necesse est, & omissa etiam Græca sui nominis interpretatione, tum Stephania, tum illius diœcesis in Albania superiori & a mare magis remota sit constituta. Equidem veteris urbis ne vestigia quidem cernuntur, nec certa superest sedes episcopalis; diœcesis vero tota in septemtrionem Crojensi ac Dyrrhachiensi, ad solem orientem Bendensi, & Canoviensi ad meridiem terminatur. Redonum provinciam satis amplam complectitur, & sæc. XVI. ducenti fere Catholicorum pagi in ea numerati sunt; sed cum in dies eorum numerus decresceret propter bellorum tumultus, & Turcarum sævitiem, de antiquando Stephanensi Episcopatu decretum est a Romano Pontifice, quod contigit sæc. XVII.; diœcesis autem nullis hodie certis conclusa limitibus finitimorum Antistitum administrationi & curæ solet committi cum Canoviensi & Bendensi. Priscensem Ecclesiam cum Bendensi; hanc eum Stephanensi fuisse aliquando sub uno Antistite conjunctas vetera produnt monumenta; quare in ordinanda horum Episcoporum serie, nec illas dividi omnino oportet, nec ita jungi, ut permisceri, simulque confundi Antistites videantur; quamvis e singulis paucorum memoria sit superstes. Et Bendensis quidem Ecclesia multo serius Stephanensi suos noscit exortus; ab hac tamen initium ducimus cum Priscensi, ut libere in Stephanensi pergamus, modo sola, modo cum adjuncta Bendensi.

Bendensis cum Stephanensi Ecclesia conjunctio.

Sed nonnulla hic præmittenda necessario sunt de commentitio Episcopatu Stephanensi, quem in Dalmatia instituere, vel pro suæ mentis fallacia restituere frustra nisus est anno circ. 1623. Dominicus Andreasius Episcopus Scodrensis. Hic enim e sua Ecclesia exsulare coactus, quietis impatiens, sumpto fidenter palamque titulo Episcopi Stephanensis, quo ajebat se a Scodrensi ad Stephanensem Ecclesiam translatum fuisse Apostolicæ Sedis auctoritate, sedem pontificiam constituit in ædicula S. Stephani Protomartyris apud Citluc oppidum Narentanæ regionis, & partim ex iis locis, quæ Tribuniensi, partim ex iis, quæ Maccarensi subsunt Episcopis, suam ipse diœcesim conflavit. Hinc illi multæ & magnæ contentiones cum Episcopis iisdem, quos ab eorum diœceseon possessione depellere conabatur; cumque præter moderationis modestiæquæ limites utrinque animi exardescerent, controversia Romam delata est ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, quæ Vincentio Bucchiæ Episcopo Catharensi, & Abbati Fasaneo Archidiacono Phariensi mandavit, ut in rem præsentem venirent, & rite cognita caussa, quid ipsorum esset sententiæ, Romam perscriberent. Idem fuit utriusque de hac controversia judicium; in catalogis scilicet Ecclesiarum Stephanensis seu Monstarensis Ecclesiæ, quo etiam titulo se Episcopum Andreasius jactabat, ne mentionem quidem inesse, & in antiquis tabulis Metropolitanorum Spalatensis & Ragusiensis inter Episcopos utrique subjectos nullum adnumerari, qui eo nomine appelletur. Sacellum vero S. Stephani eo loco situm est, unde nulla argumenta seu indicia Sedis Episcopalis antiquæ peti possunt; etenim neque ullæ prope supersunt vetustæ urbis reliquiæ, & ab eo longissime absunt loca quædam, in quibus veterum civitatum vestigia adhuc cernuntur; cumque a Turcis dirutum fuit templum S. Stephani, tres ibi omnino Christianorum familias seu domos fuisse satis constat; & quæ nunc colitur ædicula Protomartyris, a Franciscanis Cœnobii Zaostrochiensis erecta fuit, eisque illius procuratio permissa fuit ab Episcopo Maccarensi, in cujus diœcesi continetur. Monstarum vero neque civitas est, neque ullum civitatis vestigium ostentat, unde hujus commentitii Episcopatus titulus peti possit. Hæc illi ad Sacram Congreg. Quod vero ad titulum Naroniani Episcopi, quem etiam sibi Dominicus attribuit, perinde atque unus sit Episcopatus, triplici nomine *Stephanensis*, *Monstarensis*, *Naroniani* discretus, verum quidem est, Episcopalem olim exstitisse Naronianam Ecclesiam, cujus ceu Titularis meminit Clemens III. in suis ad Petrum VIII. Archiep. Spalatensem litteris sæc. XII.; at eamdem posterioribus ætatibus nominatam esse *Stephanensem* ab templo cathedrali, quod S. Stephani patrocinio suberat, nulla probant, nulla docent monumenta, & qui in tabulis Romanis *Episcopi Stephanenses* dicuntur, liquet eos *Stephanenses Epirotas* esse censendos, uti suo loco advertemus.

De Episcopatu Stephanensi in Dalmatia commentitio.

Sententia Episcopi Catharensis & Phariensis Archidiaconi non displicuit Patribus Sacræ Congreg., a quibus latum decretum, ut Maccarensis & Tribuniensis Antistites possessionem integram retinerent illius suarum diœceseon partis, quam eis Andreasius abstulerat, totius vero rei inquisitio in aliud tempus dilata est. Hæc dum geruntur, Dominicus obstinavit animo in suscepta caussa, propositaque opinione persistere, vir ingenii difficilis, rerumque novarum cupidus, & qua delationibus, qua querelis in Episcopum utrumque per literas fatigabat animos Patrum, eosque ad se pertrahere conabatur; nihil tamen profecit unquam, neque a Sacra Congregatione propitiam sententiam, aut confecti illius Episcopatus approbationem extorquere potuit. Immo hominis pervicaciæ pertæsi, veriti etiam ne graviores moliretur turbas, quæ Catholicis offensioni essent, queisque religio aliquod subiret dedecoris periculum apud Schismaticos & Turcas, cum is Romam se transtulisset ad rem persequendam, manere

Digitized by Google

in urbe, & penes Franciscanos, quorum antea institutum amplexus fuerat, Pontifice probante, retineri jusserunt. Hoc fere modo finita lis est, & quies reddita Episcopis, quos diu imprudens violento ausu turbaverat; & Stephanensis Episcopatus Dalmaticus in ipso ortu exstinctus revixit nunquam, ac perpetua oblivione sepultus jacet. Hæc habes tractata tomo 4. in Episcopis Maccarensibus, tomo 6. in Tribuniensibus, & rursum hoc tomo in Scodrensibus; vide etiam tomum 3. in Joanne VIII. Archiep. Spalatensi. Unde error detegitur tum Bremondi in Bullario Dominic. ad an. 1363. & 1418. in Append. de Episcopis Dominic. qui Stephanensem Ecclesiam subjicit Metropolitæ Ragusino, a quo longissime abest in Epiro, quo nunquam fines protulit Ragusiensis Metropolis, eamque cum ficta Stephanensi confundit; tum Niccolai Coleti, qui in Apparatu primo Concil. & indice geograph. Episcopatuum pag. 1103. Stephaniam *sub Archiepiscopatu Dyrrhachino nunc Narentam esse sub Ragusino* scribit a commentitio deceptus Stephanensi Episcopatu. Sed age nunc in viam redeamus ad ordinandam Antistitum seriem.

EPISCOPI BENDENSES ET PRISCENSES.

I. Petrus Bendensis an. 1363.
II. Andreas Bendensis, & Priscensis I. an. inc.
III. Georgius Bendensis, & Priscensis II. an. 1404.

EPISCOPI STEPHANENSES.

I. Cosmas an. 879.
II. Julianus an. 1366.
III. Petrus an. 1366.
IV. Marinus, & Bendensis IV. an. 1418.
V. Lucas an. inc.
VI. Joannes an. 1499.
VII. Demetrius an. 1510.
VIII. Joannes II. an. 1517.
IX. Georgius an. 1549.
X. Sylvester, & Bendensis V. ac postremus an. 1582.
XI. Nicolaus an. 1592. & postremus.

EPISCOPI BENDENSES ET PRISCENSES.

PETRUS EPISCOPUS BENDENSIS I.

Petrus Ep. Benden. an. 1363.

DE quo Fontana in Theatro Dominic. sed plura permiscet omnino falsa. Nam pag. 138. tit. 77. *P. F. Petrus*, inquit, *de Anagnia Bedensis*, Bendensis, *Episcopus erat an.* 1356., *quo ad Steplonen.*, Stephan., *translatus est; ex lib. provis. Prælat. Urbani V.* at pag. 140. tit. 85. *Cum Stephanensi Ecclesia Beridensis copulata existit in Albania, quibus Urbanus V. Episcopum præfecit an.* 1365. *sui Pontificatus IV. P. F. Petrum de Anagnia ex Romana Provincia, de quo inter Stephanen. Ep. ex lib. 2. provis. Prælat. ejusdem Urbani V.*; & eadem repetit pag. 299. tit. 562. In Albania nulla est *Beridensis*, quam Fontana cum *Bendensi* confundit; hæc enim fuit unita *Stephanensi*; neque an. 1365. potuit Petrus creari primo *Beridensis* & *Stephanensis* Episcopus, qui ipso an. 1356. & *Bendensis* Antistes electus dicitur a Fontana, & translatus ad Ecclesiam *Stephanensem*; præterea eo anno non ab Urbano V. sed ab Innocentio VI. debuit evehi ad Episcopatum, qui annus cum quarto Pontificatus Innocentiani optime cohæret; Urbani vero annum IV. male Fontana conjungit cum anno 1365. qui fuit tertius initi ab illo summi Romani sacerdotii; & certe sibi satis non constat, cum tit. 562. duos se habere scribit e Dominicana familia Antistites *Beridenses* ac *Stephanenses*, qui ante tit. 85. unum enumeravit. Hæc vero adeo inter se dissidentia ipsis Fontanæ verbis componamus; is enim eodem tit. 77. subjicit, veluti jam dicta corrigens; *P. F. Petrus de Anagnia Rom. provinciæ Bedensis*, Bendensis, *Episcopus creatus est ab Apostolica Sede*, id est ab Innocentio VI., *circa annum milles. trecentesimum sexagesimum, translatus postmodum ad Steplonen.*, Stephanensem, *Ecclesiam ab Urbano V. an. milles. trecentes. sexagesimo sexto* 17. *Kal. Januarii Pontificatus sui IV. ex lib. provis. Prælat. ejusdem Pontif. Max.* Bremondus tomo 2. Bull. Dominic. in append. de Episcopis ab Urbano V. electis Petrum Episcopum *Bendensem* nominat an. 1363., & ex hisce videtur mihi posse constitui, eumdem Petrum primo Bendensi Ecclesiæ unice præfuisse, & fortasse verius an. circ. 1363., quam post triennium cum Stephanensi commutavit. Alexander de Magistris in hist. Anagnina pag. 44. Petrum hoc ornat elogio; *Fr. Petrus Anagninus Ordinis S. Dominici concionator insignis sancti fervoris merito evectus est ad Episcopatum Badensem*, corrupte pro *Bendensem*.

transit ad Ecclesiam Stephanen. an. 1366.

ANDREAS EPISCOPUS BENDENSIS II. ET PRISCENSIS I.

Andreas Ep. Bendensis.

Notus ex diplomate Bonifacii IX. paullo inferius exscribendo; jam obierat anno 1404.

GEORGIUS EPISC. BENDENSIS III. ET PRISCENSIS II.

Georgius Ep. Benden. & Priscen. an. 1404.

Cui Pandusio cognomen, e Dominicana familia ad has Ecclesias regendas evocatus a Bonifacio IX. IV. idus Majas an. 1404. Extat in tomo 2. Bull. Dominic. pag. 457. Bonifacii Pontificis diploma ad Georgium in hæc verba.

„ Bo-

Digitized by Google

Bonifacii IX. P. diploma.

„ Bonifacius Episcopus Servus Servorum „ Dei dilecto filio Georgio Pandusio Electo „ Priscen. & Boden. Salutem & Apostolicam „ Benedictionem,

Divina disponente clementia &c. Dudum „ siquidem bon. mem. Andrea Priscen. & „ Boden. Episcopo Priscen. & Boden. Ecclesiarum invicem canonice unitarum &c. „ Nos &c. dictis Ecclesiis per obitum ipsius „ Andreæ, qui extra Rom. Curiam diem „ clausit extremum, vacantibus, vacatione „ hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, „ ad te Fr. Ordinis Prædic. Professorem, „ in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, literarum scientia, vitæ mundi„ tia, honestate morum &c. apud nos fide „ digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, teque illis præficimus in Episcopum & Pastorem &c. „ Datum Romæ apud S. Petrum IV. idus „ Maji Pontificatus nostri anno quintodecimo „ id est 1404.

Bodensem Ecclesiam esse eamdem atque *Bedensem* seu *Bendensem*, superius jam dictum, auctoritate etiam Bremondi, & Lequienii. Adde his Fontanam in suo Theat. pag. 270. tit. 480. *Pater Fr. Georgius Pandusius Episcopus Priscen. & Beden, creatur, de quo Bzoviana manuscripta ita dicunt;* Georgius Pandisius Ord. Prædic. Episcopus Priscen. & Bedens. a Bonifacio IX. anno 14., *qui fuit salutis nostræ millesimus quadringentesimus quartus*. Sed & Bzovius errat; qui Georgium electum Episcopum dicit anno Bonifacii Pontificis XIV., in diplomate enim signatur perspicue annus XV. & Fontana cum anno Pontificatus XIV. perperam conjungit annum æræ Christianæ 1404. cum annus sit 1403.; idemque Georgium, nescio cur, omisit in Episcopis Bedensibus pag. 138. tit. 77.

Post Georgium desiisse suspicor Priscenses Episcopos; sed & Bendensium memoria intercidit; nam quos postea hic paucissimos exhibeo, iidem & Stephanenses dicuntur. De his itaque nunc scribere aggredior, quæ mihi sunt comperta.

EPISCOPI STEPHANENSES.

COSMAS EPISC. STEPHANENSIS I.

Cosmas Ep. Stephanen. an. 879.

ADfuit Conciliabulo Constantinopolitano anni 879. in quo Photius post obitum S. Ignatii a factiosis Episcopis CCCLXXXIII., quos inter *Cosmas Stephaniaci*, & Lucianus Dyrrhachinus Metropolita, in Sedem Constantinopolitanam restitutus est, & resectis abrogatisque actis & decretis Œcumenici Concilii VIII., sublata fuit impie e symbolo Fidei particula *Filioque*, quam de Spiritus Sancti ex Patre Filioque processione dogmatice probavere Patres ejusdem Synodi an. 869. Stephaniacum urbibus novæ Epiri adnumerat Leo Sapiens, unde Stephanensis civitas, & Episcopatus, uti initio diximus, & Cosmas primus Stephanensis Antistes, qui nobis innotescat; nam *Marcianus Stephaniæ* seu *Stephanorum* Episcopus nominatus in Chalcedonensi Concilio anni 451. ad aliam urbem cognominem pertinet, qui etiam *Cotensis* aut *Coteinus* in Actis Chalcedonensibus appellatur; & id quidem recte advertit eruditissimus Nicolaus Coletus in Apparatu 1. Conc. & indice Episcopatuum pag. 752. Venetæ edit. idemque fallitur in indice Episcopatuum pag. 1103., cum Cosmam & Marcianum conjungit ejusdem Stephanensis Ecclesiæ Episcopos, quam Naronianam esse Ecclesiam autumat sub Archiepiscopo Ragusino. Vide jam dicta de Stephanensi commentitio Episcopatu in Dalmatia.

Cosmam Stephaniaco in nova Epiro Episcopum attribuit & Lequienius tomo 2. pag. 255. De Cosma nihil præterea superest præter nomen, & schisma, cui cum suo Metropolita adhæsit Photianas partes secutus; & ab hoc sæculo IX. ad sæc. XIV. nullius Stephanensis Antistitis memoria reliqua est.

JULIANUS EPISC. STEPHANENSIS II.

A Fontana memoratur, uti mox dicam, in Episcopis Stephanensibus; sed an. 1366. ad Calamonensem in Creta Ecclesiam transiit; de illo & Lequienius agit tomo 3. pag. 923. & Cornelius in Creta Sacra tomo 2. pag. 141.

Julianus Ep. Stephanensis an. 1366.

PETRUS EPISC. STEPHANENSIS III.

Præerat Ecclesiæ Bendensi, quam dimisit migraturus ad Stephanensem an. 1366. jussu Urbani V. De illo hæc Fontana pag. 299. tit. 562. *In Albania est Stephanensis Ecclesia cum Beridense*, Bendensi, *unita, in qua duos ex nostris Episcopos resedisse comperimus P. F. Petrum de Anagnia ab Urbano V. creatum 17. Cal. Januarii Pontificatus sui anno 4. qui fuit a Virg. partu 1365. vacante dicta Ecclesia per translationem Juliani Episcopi ad Calamonen. in insula Cretensi, ut dicitur in lib. 2. provis. Prælat. ejusdem Pont. Maxim.* Petrus an. circ. 1363. Bendensis primum Episcopus renunciatus est; & an. circ. 1366. qui conjungitur cum an. IV. Pontificatus Urbani, minime vero annus 1365., jussus est ad Sedem Stephanensem transire ab eodem Pontifice. Huc revoca, quæ paullo superius dicta in Petro Bendensi Antistite I., queisque Fontanæ errores correximus. Alter, de quo Fontana, est

Petrus Ep. Stephanen. an. 1366.

MARINUS EPISC. STEPHANENSIS IV. ET BENDENSIS IV.

Dominicani instituti assecla, cognomine Cantius; *P. F. Marinus Canti Stephanen. & Beriden.*, Benden., *Episcopus a Martino Papa V.*

Marinus Ep. Stephanen. & Benden. an. 1418.

Digitized by Google

pa V. creatur 9, Cal. Decemb. anno millesimo quadringentesimo decimo octavo, de quo Bzoviana manuscripta, Marinus Canti Ord. Præd. Episcop. Stephanen. & Beriden. a Martino V. 9. cal. Decemb. an. 2. *cujus non meminimus in Beriden.* Sæpe monuimus, male pro *Bendensi* scribi *Beridensi*; nullus quippe exstat in Albania Episcopatus *Beridensis*; annus vero 1418. congruit cum anno primo, non cum secundo Pontificatus Martini V., a quo videtur primo decreta utriusque Ecclesiæ conjunctio. Postea dissociatæ fuerunt; nam Stephanenses solum Episcopi posthac describuntur in Actis Consist.; sæculo tamen XVI. Bendensis Ecclesia rursum conjuncta est cum Stephanensi. Marini Episcopi mentio inest tomo 2. Bull. Dominic. ubi de Episcopis a Martino V. nominatis. Duos in nostris schedis Episcopos Stephanenses reperio post Marinum, Stephanum Cailetam & Guillelmum a Nojeto, utrumque Franciscanæ disciplinæ alumnum; verum nulla de utriusque Episcopatu monumenta afferuntur neque ex tabulis Romanis, neque ex Franciscanis Scriptoribus; iccirco jure censeo esse hic prætermittendos.

LUCAS EPISC. STEPHANENSIS V. JOANNES EPISC. STEPHANENSIS VI.

Lucas & Joannes Episcopi Stephanenses.

Uterque notus ex Actis Consist. 1499. 24. *Aprilis prov.* Alexander VI. *Eccl. Stefanen. vac. per ob. Lucæ de persona D. Fr. Joannis Ord. Min.* De Joanne Vaddingus in Annal. Ord. Minor. ad hunc annum: *Promotus est ad Episcopatum Stephanensem in Macedonia sub Archiep. Dyrrhachien. frater Joannes Almodonaris sacræ Theologiæ professor per obitum Lucæ die* XXIV. *Aprilis*. Ex hisce verbis, teste Vaddingo, constat clarius, Ecclesiam Stephanensem Metropoli Dyrrhachinæ fuisse attributam, quam in Macedonia positam ait; hujus enim provinciæ pars olim exstitit nova Epirus.

DEMETRIUS EPISCOPUS STEPHANENSIS VII.

Demetrius Ep. Stephanenses an. 1510.

Cognomento *Valmius*; hanc Ecclesiam regebat an. 1510. quo VIII. Kal. Novembris plures e Clero Catharensi, cum in ea urbe esset, sacerdotio initiavit Vicarii Catharensis permissu; ex Actis Eccl. Catharensis.

JOANNES II. EPISCOPUS STEPHANENSIS VIII.

Joannes II. Episcopus Stephanen. an. 1517.

Casella ei cognomen. In Ordinem Franciscanum adscitus, anno 1517. a Leone X. Ecclesiæ Stephanensi Episcopus præpositus est; quam cum adire non posset, adjutorem se præbuit Abulensis in Hispania Antistitis; ita auctor Virid. Seraph. *F. Joannes Casella Episcopus Stephanensis in Albania an.* 1517., *atque adjutor Episcopi Abulensis*.

GEORGIUS EPISC. STEPHANENSIS IX.

Georgius Ep. Stephanen. anno 1549.

E familia Sguta Albanensi, Presbyter Dyrrhachinus, & rector parœciæ S. Nicolai in Dyrrhachiensi diœcesi, quem Paulus III. Ecclesiæ Stephanensi præfecit an. 1549., servata eidem suæ parœciæ administratione. Hinc recte arguimus, Stephanensem Episcopatum Georgii procurationi traditum in provincia Dyrrhachiensi exstitisse; qui enim potuisset parœciam regere ab Narona longissime in alia regione remotam, si Ecclesia Stephanensis Naronæ ponatur, uti commentum præfert refutatum superius? *An.* 1549. *Providit*, Paullus III. Pontifex, *Ecclesiæ Stephanensi in partibus Infidelium consistenti, cujus civitas jamdudum per ipsos infideles diruta, & pæne solo æquata, Ecclesia ipsa duntaxat, quæ diœcesim, in qua plures Christi fideles residunt, habet, cujusque Episcopus pro tempore existens ex reditibus ipsius Ecclesiæ & solitis eorumdem Christi fidelium suffragiis commode sustentari potest, divino, ut pie creditur, auxilio servata, tunc certo modo vacanti, de persona Domini Georgii Sguti rectoris parochialis Ecclesiæ S. Nicolai Dyrrhachien. diœcesis, in Presbyteratus ordine constituti, ipsum illi* &c. *cum retentione dictæ parochialis Ecclesiæ*; ex Actis Consist. Anno 1537. Turcico bello quod annos quatuor Dalmatiam & Albaniam graviter jactavit, etiam Stephanensis Ecclesia in summum discrimen fuisse adducta videtur; ac ope tantum divina effectum est, ut ne penitus eversa periret. Quamdiu Georgius hanc Sedem tenuerit, non comperio; vacua certe adhuc erat an. 1578., uti proditum in laudata jam antea Albaniæ descriptione, cum de situ hujus Ecclesiæ ageremus.

SYLVESTER EPISC. STEPHANENSIS X. ET BENDENSIS V. AC POSTREMUS.

Sylvester Ep. Stephanen. & Bendenden. anno 1582.

Fuit natione Albanus, & post exactam piissime vitam in Franciscano instituto has Ecclesias regendas suscepit jussu Gregorii XIII. *An.* 1582. 8. *Januarii providit*, Gregorius, *Ecclesiæ Stephanen. & Benden. simul unitis in provincia Albaniæ sub Turcarum tyrannide existentibus per obitum Georgii ultimi Episcopi jam pridem vacanti de persona religiosi viri Fr. Silvestri de Albania ord. FF. Min. de obser.* ex Actis Consist. Georgii meminit etiam Tossinianus in hist. Ord. Seraph. Rursum unitæ nominantur Ecclesiæ Stephanensis & Bendensis, & utraque dicitur in provincia Albaniæ existere profecto disjunctissima a Naroniana Dalmatiæ, ubi falso novus Episcopatus Stephanensis constituitur, quibus Antistites nostri fuerint præfecti. In tabulis Romanis unius Ecclesiæ Stephanensis postea fit mentio, Bendensi fere prorsus prætermissa. Quare sub exitu hujus sæc. XVI. fuisse antiquatam arbitror, postremumque Sylvestrum gessisse nomen *Episcopi Bendensis*.

An-

Digitized by Google

Annos circiter decem præfuit utrisque, eique in Stephanensi suffectus est

NICOLAUS EPISC. STEPHANENSIS XI. ET POSTREMUS.

Nicolaus Ep. Stephanen. anno 1592.

Ex eadem D. Francisci disciplina, cognomine Necansius; *An.* 1592. *9. Junii provi-dit*, Clemens VIII., *Ecclesiæ Stephanen. vacanti per obitum Silvestri de persona Fr. Nicolai Necansii ord. Minor. de observantia* Act. Consist. Vigilantissimi Pastoris diu partes implevit. Anno autem 1602. difficili legatione functus est cum Episcopo Sappatensi; nam pertæsi Epirotæ Turcicæ dominationis, qua miserrime premebantur, clam consiliis initis, oratores misere ad Senatum Venetum duos Antistites Stephanensem & Sappatensem; agerent hi cum Patribus, ut militaria subsidia suppeditaret Respublica, quorum ope ac virtute freta gens in barbarum hostem arma verteret; excussoque adeo diuturnæ tyrannidis jugo, pollicebantur, se mitissimo diuque frustra optato Venetorum imperio dedituros. Grata Senatui legatio accidit; aliter tamen illius sapientiæ visum; reque mature perpensa, responsum Episcopis est, commoveri Patres infelici Epirotarum statu, quorum fidem, & bellicas virtutes sæpe olim erant experti; facinus plenum esse periculi; si male succedat, immaniori eos servitute opprimendos; ab ejusmodi consiliis prudenter & patienter quiescerent, dum tutior daretur cælitus moliendi aggrediendique operis occasio. Ita honorifice, & muneribus dimissi Legati; quæ ex hist. Ven. Jacobi Diedi lib. XII. huc retulimus. Nicolaus ad sua reversus, quo utilius atque commodius suæ diœcesi prospiceret, usus est opera vicaria Georgii Blanci viri pietate ac doctrina præstantis, qui Sappatensis primum Episcopus, deinde Metropolita Antibarensis renuntiatus est; isque anno 1610. literas testes dedit rerum a Marino Bizzio Antibarensi Archiepiscopo gestarum, cum Serbliam & Epirum apostolica auctoritate lustraret, in quibus ita se initio inscripsit, *Georgius Blancus generalis Stephanensis Episcopi Vicarius in Epirotica Redonum provincia*. Interea pius Præsul annis fessus & curis adjutorem episcopalis regiminis sibi ut daret, Pontificem Paullum V. oravit; qui Nicolao assensus est an. 1615., & in partem administrandæ Stephanensis Ecclesiæ delegit Joannem Collesium Antistitem Albanensem, servato ipsi Joanni jure successionis in Stephanensem Episcopatum. Nec multo post Nicolaus e vita decessit. Incertum vero nobis est, utrum administrationem revera adierit hujus Ecclesiæ Joannes e familia Collesia, & vitæ ratione, ac sanctissima disciplina Franciscanus, quem eodem tempore Paullus V. & Episcopum Albanensem, & adjutorem Nicolai constituerat, uti ferunt Acta Consist. 1615. 31. *Augusti Ecclesiæ Albanensi in Epiro certo modo vacanti provi-dit* Paullus V. *de persona F. Joannis Collesii Ord. S. Francisci de Observantia Theologi, eundemque Coadjutorem cum futuræ successione dedit Nicolao Necansio Episcopo Stephanensi potenti* &c. Nam ejus gesta, quæ in Episcopis Albanensibus descripsimus, nihil habent de Stephanensi Ecclesia; quam postea an. 1626. jussus est ab eodem Pontifice amplissima auctoritate invisere. Censeo itaque postremum Stephanensium Antistitum Nicolaum fuisse; cum nulli præterea suppetant hujus Ecclesiæ Episcopi, eamque video in tabulis ecclesiasticis alicui proximiori Antistiti ad hæc usque tempora commendari.

Legatus ad Venetus mittitur.

EPISCOPI BULLIDENSES.

Bullidis urbis positio.

Bullis urbs erat Macedoniæ, sive Epiri novæ apud Ptolemæum & Hieroclem, ad sinum Jonium seu potius Adriaticum, ubi populi *Bulliones* a Strabone & Plinio appellati, & *Bullis* colonia, eodem Plinio teste lib. 4. cap. 10. Stephanus in lib. de Urb. *Bulines* nominat circa Illyricum, & *Billidem*, urbem maritimam Illyrici; hinc corrupta vulgo censentur vocabula *Belidis*, *Bellidensis*; quibus hujus urbis & agri nomen quandoque expressum est. *Billinus ager* memoratur a Livio lib. 36. cap. 7. quo suadebat Annibal, ut copiæ Antiochi Syriæ regis, qui in his regionibus castra habebat, procederent adversus Romanos; & ex Philippica XI. Ciceronis sibi proximæ fuisse videntur Apollonia, Billis & Amantia: *Tenes*, inquit, C. Antonius *Apolloniam magnam urbem & gravem, opinor, tenet Byllidem, tenes Amantiam*. Dujatius in notis Livianis putat hunc locum ad meridiem Aulonæ nunc *Languetta* appellari; hinc animadverte, hanc regionem non esse cum *Bullinis* Dalmaticis confundendam, de quibus in tomo I. pag. 146. Urbis & Ecclesiæ Bullidensis nomen desiit sæc. V. exeunte; eadem hic, ac Apolloniæ, religionis Christianæ initia; duo vero unice sunt Bullidenses Antistites, quorum superest memoria.

FELIX EPISCOPUS BULLIDENSIS I.

Felix Ep. Bullidensis.

Idem Apolloniensis, de quo dictum suo loco. Ortelius in Thes. Geogr. turpiter labitur, qui *Philicium Belliadis Episcopum* in Concilio Ephesino, & *Felicem Bellidenscm*

sem in Chalcedonensi confingit, duosque ex uno Felice efficit duarum, uti videtur, Ecclesiarum Antistites, cum unus revera Felix Bullidensis & Apolloniensis, nullus hujus Ecclesiæ Episcopus Chalcedonensi interfuerit.

PHILOCARIS EPISC. BULLIDENSIS II.

Philocaris Ep. Bullidensis.

Subscriptus Epistolæ Synodicæ Episcoporum novæ Epiri ad Leonem Imp. an. 458. *Philocaris Episcopus Vallidi;* sed *Bullidis* legendum, uti recte monent, & corrigunt, qui Concilia edidere tomo 4. pag. 1927. Vide, quæ in Luca Archiep. Dyrrhachino de illa epistola disseruimus.

EPISCOPI CANOVIENSES.

Ecclesiæ, & diœcesis Canoviensis descriptio.

CAnovia, seu Canovium civitas in nova Epiro omnibus tum Geographis, tum Historicis antiquis ignota est, nec ante sæculum XIV. ejus nomen reperire licet in tabulis ecclesiasticis; quamvis Leo Sapiens sæc. IX. Imperator in descriptione ab se edita Ecclesiarum, quæ subjectæ fuere Patriarchæ Constantinopolitano, cum Dyrrhachiensi Metropoli hujusque metropoliticæ jurisdictionis Ecclesiis Chonubiensem memoret, eamdem profecto dixerim ac Canoviensem. Sita est Canovia in amœna planitie, qua via inter montes patet Macedoniam versus, uti exhibent geographicæ tabulæ recentiores; inde mare respicit ad occidentem solem, a quo tamen, & a Dyrrhachiensi agro distat intervallo non modico. Siquis autem conjecturæ locus est, suspicarer ego e proximis Candaviæ montibus loco & urbi Canoviæ nomen inditum fuisse, tenui vocabuli mutatione. Strabo lib. 7. iter nominat, *quod est ad Candavia*, ubi plures *lacus circa Lychniduntem*, ubi antiqua urbs Lychnidum, & nunc Achrida; quæ a præsenti Canoviæ situ parum differunt. Plinius quoque lib. 3. c. 23. ait *montes Candaviæ LXXVIII. mille passus Dyrrhachio* abesse; & certe Canovia dimidio amplius eo spatio distat ab urbe eadem. Equidem narrat Cæsar lib. 3. bell. civ. cap. 11. Pompejum, *in Candavia* cum esset, *ex Macedonia*, quam ab Epiro sejungunt montes Candaviæ finitimi provinciæ utrique, *iter in hyberna Apolloniam Dyrrhachiumque* habuisse; ac rursum cap. 19. idem Pompejus victo ad Dyrrhachium Cæsare, *per Candaviam iter in Macedoniam expeditum habebat*. Hinc Lucanus lib. 6. scribit, *qua vastos aperit Candavia saltus, contigit Emathiam* Cæsar; & Seneca ep. 31. *Candaviam desertam* appellat, montibus nimirum, & inviis saltibus circumseptam. Cum igitur Canoviam eo in loco collocent Geographi nostrates & Scriptores, unde eadem aperiuntur itinera, quæ de Candavia, & Candaviæ jugis veteres designant, conjicere licet Canoviam inde vocabulum sortitam fuisse; verum exstitisse Candaviam urbem, ex qua montibus nomen, laudata testimonia non satis indicant, sed in conjecturam inducunt.

Situs Canoviæ.

Uti urbis, ita Ecclesiæ Canoviensis & Episcopatus primordia prorsus incomperta; nec qui fuerit utriusque status ante Turcicam captivitatem, qua premuntur, nullæ literæ prodierunt. Ex tabulis Sacræ Congreg. hæc tantum habeo, quæ de iis proferam. Ecclesia Canoviensis titulo S. Joannis Baptistæ insignis est, erga quem incolæ magna affecti sunt veneratione; integrum exstat templum cathedrale secto marmore pulchre exstructum; huic tres ac viginti suberant parœciæ, præcipua ex his a S. Maria de Numenalta nuncupata, ubi olim celebre Monasterium Ord. Benedictini. Anno 1641. septem tantum Presbyteri, & septingenti circiter Catholici numerabantur in diœcesi, quæ haud latis finibus continetur; nunc vero in proximos Episcopos divisa, quippe quæ dudum suo careat Antistite. Multo plures Schismatici inibi degunt sub Græco Episcopo. Reditus Episcopales quinquaginta supra ducentos nummos argenteos excedunt; hique in Cathedralis Ecclesiæ usus & sarta tecta impenduntur.

Primus Canoviensis Antistes dicitur Joannes de Hojo e Cisterciensi familia an. 1325. sed e serie Canoviensium Episcoporum rejiciendum esse patet ex dictis de Andrea Archiepiscopo Antibarensi, qui, licet ei munera pontificalia essent interdicta Romani Pontificis sententia, ausus fuerat, arrogata etiam sibi in Dyrrhachiensem provinciam jurisdictione, Joannem contra jus fasque Episcopum eligere, & ab se illicita consecratione donatum huic Ecclesiæ præficere. Quare Pontifex electionem rescidit, & Joannem, qui in Hispaniam secesserat, quovis episcopali officio apostolica auctoritate prohibuit. Vide, quæ laudato in loco exposuimus. Qui sequuntur Episcopi, paucissimi sunt; cæterorum vero usque ad dimidium circiter sæc. XIV. & nomina & acta hactenus oblivioni tradita delitescunt, aut omnino periere.

I. Thomas an. inc.
II. Benignus an. 1399.
III. Proculus an. 1420.
IV. Joannes an. inc.
V. Petrus an. 1492.

VI.

Digitized by Google

VI. Sebastianus an. 1494.
VII. Dionysius an. 1517.
VIII. Opilinus an. 1518.
IX. Gaspar an. 1529. postremus.

THOMAS EPISC. CANOVIENSIS I.

Thomas Ep. Canov. an. inc.

Natione Anglus, Carmelitanæ familiæ & Cœnobii Gipsuniensis in Anglia alumnus ingenii & doctrinæ laude enituit adeo, ut in celeberrimo Oxoniensi Lyceo doctoris insignia promeritus fuerit. Valuit etiam eloquentiæ vi in sacris concionibus; quem propterea Guillelmus Batemannus Episcopus Norvicensis familiarem & amicissimum habuit, ejusque opera in sua curanda diœcesi plurimum utebatur. Hisce meritis, & ipsius fortasse Guillelmi studio penes Romanum Pontificem Canoviensis Antistes renuntiatus est, incertum quo anno; sed cum ea loca continuis ferme tumultibus essent obnoxia, non licuit Thomæ suam Ecclesiam tuto adire; & in Anglia consistens Episcopi Adjutoris munus gessit, præbuitque Guillelmo, quod hic maxime exoptabat. Anno 1347. tertio nonas Junias Canoviensen Episcopatum cum Landavensi commutavit Eduardi III. Angliæ Regis voluntate, & jussu Clementis VI. Pontificis; est autem Landavensis Ecclesia Cantuariensi subjecta; ac post annos circiter XV. obiit Bishonæ v. idus Octobris anni 1361. & in ejus loci Ecclesia intra Deiparæ Virginis ædiculam conditus est sub tumulo marmoreo. Hæc ex Bibliotheca Carmelitana a Thoma Villiersio erudite diligenterque elaborata, qui & libros a Thoma scriptos enumerat; nimirum *Lecturæ Scripturarum. Quæstiones disputatæ. De Passione Christi. Homiliæ 67. de tempore. Conciones per annum. Homiliæ 80. de Sanctis.* Thomæ nomen a Scriptoribus & Carmelitis & Anglis passim celebratur; queis adde Possevinum & Fabritium de scriptor. med. & inf. latinit. Cum vero Auctor Spec. Carmelit. tomo 2. narrat Cœmeterium Carmelitarum Lemuriensium fuisse a Thoma ecclesiastico ritu dicatum humandis corporibus XVII. Cal. Novemb. an. 1362., error inest huic chronologicæ notæ; nam Thomas anno ante e vita decessit; vel alius a nostro Episcopus eam cæremoniam est exsecutus.

BENIGNUS EPISC. CANOVIENSIS II.

Benignus Ep. Canov. an. 1399.

Ex Ordine Minorum, creatus Episcopus a Bonifacio IX. an. 1399., quem Vaddingus Episcopum Cenadiensem perperam appellat; nam Connaviensis, seu Canoviensis Antistes perspicue dicitur in diplomate quod subjiciam. Venetiis cum esset, plurimum pecuniæ contulit ad exstruendam sacram turrim Ædis Cathedralis Castellanæ, ut idem Vaddingus perhibet ad eum annum; & an. 1406. e suis ædibus ad D. Chrysostomum veniam canonicæ dierum quadraginta pœnæ elargitus est quibusque seu viris seu fœminis, qui tertium Ordinem, ut ajunt, S. Dominici de Pœnitentia, queis possent, religionis ac pietatis operibus colerent atque juvarent, eidemque sese in societatem addicerent. Exstat diploma in tomo 7. monum. Eccl. Ven. pag. 157.

Hujus diploma.

„ Benignus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Connoviensis universis Christifidelibus tam nostræ diœcesis, quam quarumcumque aliarum, ad quos literæ præsentes pervenerint, salutem in Domino sempiternam,

„ Religiosis personis per nos, qui ex officio pastoralis curæ saluti animarum debemus intendere, eo omnis spiritualis favor est benignius impendendus, quo Domino liberiorem virtutum valeant reddere famulatum, atque certæ personæ ad religionem procliviores reddantur, quatenus per hoc, & alia pia opera augmentatis meritis, augmententur & præmia. Cum igitur nuper ex parte Prioris Fratrum, & Priorissæ Sororum Ordinis de Pœnitentia B. Dominici, de quo Ordine inter nonnullas præcipuæ sanctitatis personas fuisse dignoscitur Ven. & insignis Virgo B. Catharina de Senis, & qui Ordo exstat per Sedem Apostolicam confirmatus, prout nobis, qui Privilegium dictæ confirmationis, & plurima scripta præfatæ Virginis, ac etiam quamplurima immunitatis Privilegia ejusdem Ordinis vidimus, & diligenter inspeximus, plane constat, fuerit nobis humiliter supplicatum, ut tam dictum Ordinem intrantibus, profitentibus, & ipsum prosequentibus, quam etiam eidem Ordini sive personis ejusdem faventibus & affectis aliquas dignaremur Indulgentias elargiri, nos itaque desiderantes religionis & divinorum cultum non solum fovere, sed etiam multipliciter augeri, considerantesque mutuam in Domino charitatem, quæ inter filios B. Dominici & B. Francisci debet præcipue reperiri, quemadmodum in dictis Patribus exstitit, & ita mandaverunt a suis posteris in perpetuum observari; hinc est, quod cum nos fuerimus de Ordine Minorum S. Francisci ad Præsulatus apicem sublimati, ultra alia supradicta, etiam intuitu præfatæ charitatis specialiter observandæ ac etiam demonstrandæ supra dictis supplicationibus tam affectanter, quam etiam lætanter annuimus. Cupientesque efficaciter supradictum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici nostra tertii Ordinis S. Francisci consimilem congruis honoribus frequentari, & quod de bono in melius augmentetur & crescat, de omnipotentis Dei misericordia & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus meritis & auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui dictum Ordinem de Pœnitentia B. Dominici intraverint, professionem in eo fecerint, & non solum ipsis, sed aliis qui Capitulo Fratrum aut Sororum, quod mense quolibet regulariter debet celebrari, interierint, & hominibus subvenientibus Fratribus, & mulieribus

„ quæ Sororibus in opportunis manus adju-
„ trices porrexerint, ac omnibus qui in eo-
„ rumdem exequiis interfuerint, quadraginta
„ dies indulgentiarum pro actu quolibet su-
„ pradicto de injuncta seu debita eis pœni-
„ tentia misericorditer relaxamus. Et hoc
„ non solum personis nostræ diœcesis, sed
„ etiam Castellanæ, Torcellanæ, Clugiensis
„ & aliis quarumcumque diœcesum præfata
„ pietatis opera prosequentibus, dummodo
„ Diœcesanorum eorumdem voluntas ad id
„ intervenerit & consensus; de quo consensu
„ quantum ad Diœcesanos dictarum diœcesum
„ plene constat, præbentes & nos assensum,
„ & admittentes omnes indulgentias, quas
„ quicumque Episcopi ex supradictis piis
„ causis concedere personis nostræ diœcesis
„ dignarentur. In quorum omnium testimo-
„ nium has patentes literas fieri fecimus, &
„ nostri pontificalis sigilli appensione jussi-
„ mus communiri. Datum Venetiis in Do-
„ mo nostræ habitationis S. Joannis Chryso-
„ stomi, Anno Domini MCCCCVI. Indi-
„ ctione quartadecima, die vigesima secunda
„ mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi
„ in Christo Patris, & Domini nostri Do-
„ mini Innocentii Divina Providentia Papæ
„ VII. Anno Secundo. „

Flaminius Cornelius in notatione huic diplomati subjecta, & P. Bernardus de Rubeis in monum. Congreg. B. Jacobi Salomonii cap. 2. ambigunt de Episcopatu Connoviensi Benigni, & qui sit, cujusque provinciæ inquirunt. Sed Canoviensis debet intelligi, qui *Conaviensis* & *Canoniensis* & *Conovensis* vocabulo corrupto quandoque exprimitur. Præterea quædam diplomatis verba si bene inspiciantur, indicant nostratem Episcopum, forte & Venetum patria, cujus diœcesis propius ab Italia abesset, quam Canadiensis in Hungaria. Benigni autem Veneta commoratio erat tum communis cum pluribus Dalmatiæ & Albaniæ Episcopis, qui sæpe diuque & varias ob causas Venetiis versabantur.

PROCULUS EPISC. CANOVIENSIS III.

Proculus Ep. Canoviensis an. 1420.

De quo unice Acta Consist. 18. *Kal. Februarii* 1420. *provisum est* a Martino V. *Eccl. S. Demetrii Conavien. in Albania vacan. per mortem de persona F. Proculi de Lippays Ord. Præd.* Ecclesia Canoviensis titulo S. Joannis Baptistæ nunc dicata est; sed nomine S. Demetrii antiquitus ornatam fuisse indicant acta; nec constat, quo tempore hæc mutatio contigerit.

JOANNES EPISC. CANOVIENSIS IV.

Joannes Ep. Canoviensis.

Post dimidium sæculum XV. præfuit huic Ecclesiæ; cognomen illi Hermano; & in ejus locum

PETRUS EPISC. CANOVIENSIS V.

Petrus Ep. Canoviensis an. 1492.

Electus est ab Innocentio VIII. *anno* 1492. 11. *Maji providit de persona D. Petri Masii Titulari Canovien. vacanti per bb. D. Johannis Hermani illius ultimi Episcopi.* Act. Consist. Cum Canoviensis Ecclesia ac diœcesis a Turcis vastata eorum tyrannide premeretur, Titulares nonnunquam Canovienses Episcopi creari cœpti. Petrus brevi admodum Pontificatu perfunctus est. Nam

SEBASTIANUS EPISCOPUS CANOVIENSIS VI.

Sebastianus Ep. Canov. an. 1494.

Hunc titulum gerebat an. 1494, ut perhibent Acta Consit. *An.* 1494. 11. *Julii providit* Alexander VI. *de persona Sebastiani Canoviensi Eccl. vacanti per ob. D. Petri illius ultimi Episcopi.* E familia Nascimbena Veneta aut Tarvisina ortum habuit. Erat autem Tarvisii an. 1495., & nonis Aprilis solemnem dedicationem peregit templi Deiparæ Virginis, quæ vulgo a civibus *Magna* appellatur. Exstat rei gestæ memoria lapidi insculpta in eodem templo ad januam Sacrarii.

DEO OPTIMO MAXIMO
VIRGINIQUE INTACTÆ
TEMPLUM HOC
OMNIA SIMUL HÆC ALTARIA
SEBASTIANUS NASCIMBENUS
CANOVENSIS EPISCOPUS
CONSECRAVIT
MCCCCLXXXXV. DIE QUINTO APRILIS.

Et IX. Kal. Julias anni ejusdem in insula & Ecclesia S. Christophori de Pace *de licentia Vicarii Torcellani* sacræ tonsuræ ritu inter Clericos cooptavit nescio quem Georgium nomine; ut testantur literæ ab eo datæ *anno Nativitatis Dominicæ millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto die vero* XXIII. *Junii*. Harum initium est, *Sebastianus Nasimben Dei ac Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Canoviensis*; easque exhibet Cornelius tomo 14. monum. Eccl. Ven. pag. 31. Ad aliquot sæculi XVI. annos Episcopatum produxit.

DIONYSIUS EPISCOPUS CANOVIENSIS VII.

Dionysius Ep. Canoviensis an. 1517.

Notus ex Actis Consist. *Die* 23. *Martii* 1517. *providit* Leo X. *in titulum D. Dionysio de Pagariis de Ecclesia Canovienti alias Canoniensi in partibus Infidelium, concessitque ut possit exercere pontificalia in civitatibus & diœcesibus Papien. & Novarien. tantum. Reditus ignoratur.* Anno post

OPILINUS EPISC. CANOVIENSIS VIII.

Opilinus Ep. Canoviensis an. 1518.

Nominatur in iisdem Actis. 2. *Aprilis* 1518. *providit* Leo X. *D. Opilino de Gentilibus Clerico Alexandrino de Eccl. Canoniensi in partibus Infidelium, concessitque Pontificalia in Ecclesia Papien. do consensu tamen Ep. & quod*

Digitized by Google

& quod non teneatur accedere. Redditus ignoratur. Decem fere annos hujus Ecclesiæ titulum tenuit.

GASPAR EPISC. CANOVIENSIS IX. ET POSTREMUS

Gaspar Ep. Canoviensis an. 1529.

Natione Hungarus, ex Dominicana familia, electus a Clemente VII. 25. *Maji an.* 1529. *Eccl. Conoveniensi consistenti in Albania, & habenti populum Christianum, provisum fuit de persona Gasparis Ord. FF. Præd. & quod teneatur accedere ad dictam Eccl. & ibi residere, & de istis idonee cavere.* Ita tabulæ Rom. ex quibus Fontana in Theat. Dominic. *Cononiensis Ecclesia in Albania habuit Episcopum P. F. Gasparem Hungarum a Clemente VII. die* 25. *Maji an.* 1529. *creatum; de quo tamen nullam mentionem faciunt Scriptores nostri.* Non dubitamus, aditam ab eo Canoviam, & dioecesim lustratam fuisse; sed ejus acta periere. Post Gasparem nulli deinceps Canovienses Episcopi nominati, & Sedes Episcopalis Canoviæ, sublata. Anno 1576. administratio Ecclesiæ Canoviensis tradita fuit a Gregorio XIII. Paullo Bisantio Ep. Catharensi, cui & Budüensem & Cononensem commendaverat. Habeo in nostris schedis pontificium diploma summatim exscriptum in hanc sententiam; *Cum nuper te per alias litteras &c. Administratorem Ecclesiæ Buduen. sub certis modis & forma expressis deputaverimus, prout in illis plenius continetur, Nos sperantes, quod Ecclesiæ quoque Cononen. in partibus Infidelium certis modis nunc vacantis recte & salubriter, quantum cum Deo poteris, sustinere curabis, te ejusdem Ecclesiæ Cononen. in spiritualibus & temporalibus, & illius bonorum administratorem ad beneplacitum nostrum auctoritate apostolica tenore præsentium constituimus & deputamus, tibi concedentes &c.* XIV. *Januar.* 1576. In Episcopis Catharensibus diximus Coronensem Episcopatum Paullo commissum fuisse, auctoritate ducti Flaminii Cornelii; sed vereor ne is Cononensem, seu Canoviensem Epiri Ecclesiam confuderit cum Coronensi in Peloponneso, quæ longius multo aberat, quam ut commode posset a Paullo administrari. De restituendo Episcopatu Canoviensi actum est sæc. XVII. & a Marco Scurra Archiepiscopo Dyrrhachiensi novus Antistes propositus Sacræ Congreg. Simeon Summa, cui Sappatensis Ecclesia fuit postea commissa, uti diximus in Episcopis Sappatens. Verum aliter visum Romano Pontifici; & exinde series horum Antistitum omnino desiit.

EPISCOPI CROJENSES.

Crojæ nomen, situs,

CRoja, ignota urbs antiquis, in Epiro est, a fontibus, qui perennes per montis juga, in quo eminet; scaturiunt, effluuntque in subjectam planitiem, nomen sortita, fons enim *Croja* dicitur Epirotica lingua. Sunt, qui autumant, Crojam e ruderibus Antigoniæ eversæ urbis esse exortam; quæ opinio est Ortelii, Ferrarii, Baudrandi, a Sophiano, & a Lazio accepta; sed falluntur; longe enim diversa utriusque fertur positio, & unius ab altera remotissima. Antigonia propter Acroceraunios meridiem respicit, ac prope Canovia abest, interjecto Cœlidno flumine, nunc *Scumino*; Croja vero in septemtrionem insidet monti, quem Issimus præterfluit, ejusque ager cum Alexiensi, & Dyrrhachiensi conjungitur. A se ipso certe dissidet Baudrandus, qui, *Antigonia*, inquit in sua Geograph., *urbs Epiri mediterranea in Chaoniæ tractu, teste Ptolemæo, nunc Niger interpretatur* Argirocastro, *oppidulum ejusdem regionis versus Macedoniæ fines, & 25. mill. pass. distans a Chimæra urbe in montibus Acroceraunii*s; deinde ad literam C. *Croja*, subdit, *urbs Albaniæ caput juxta Lisanam fluvium, olim Antigonia dicta sive Eribæa, ut alii malunt, vix* 25. *milliaribus distat ab ora maris Adriatici in ortum & 35. a Dyrrhachio.* Nam Chaonia pars erat veteris Epiri, nunc *la Canina* appellatur, in qua si Antigoniam colloces, quid huic urbi cum Croja, quæ ad Albaniam, nempe ad Epirum novam pertinet, ejusque *caput* dicitur a Baudrando? Minus distat a vero, Eribæam exstitisse ante in ipso, vel priori Crojæ loco, quæ est Moletii opinio apud eumdem Baudrandum; *Eribæa urbs Macedoniæ in Parthiæis Ptolemæo, cum monte cognomine, nunc teste Moletio* Croja *urbs Albaniæ regionis primaria.* Etenim Parthiæi, seu Parthini hanc incoluere olim regionem, de quibus in tomo 1. pag. 90., & *Parthiæorum Eribæa*, scribit Ptolemæus lib. 3. cap. 13., cui montem cognominem adjicit Polyænus lib. 4. Stratag. in cujus vertice urbs forte erat exstructa, unde mulieres Taulantios, qui in montis juga conscensionem parabant, felici stratagemate abigerunt in fugam. Verum hæ conjecturæ sunt, quibus non est innitendum; addo tamen, pagum *Prespa*, a Moletio prope Eribææ reliquias positum longissime abesse inde ultra Ducaginos ad lacum ejusdem nominis; illos autem falli, qui Crojam cum Albanopoli confundunt, uti in Episcopis Albanensibus dictum.

Marinus Barletius & Maurus Orbinus Crojæ conditorem perhibent Carolum Topiam, seu, ut alii eum appellant, *Tobiam*,

& conditoe sec. XIII.

Digitized by Google

Tocbiam, *Tofiam*, qui ex prænobili Beneventana familia Tocco, unde *Tocbiæ*, & corrupte *Topiæ* cognomen, ortus, & in Græciam missus a rege Neapolis plurium regionum imperium bellica virtute sibi acquisivit in Achaja & in utraque Epiro. Equidem Joannes de Nicastro in Pinacoth. Benev. pag. 37. meminit familiæ Tocco *Achajæ principis*, quam eruditissimus Card. Stephanus Borgia in monum. Benev. stirpem & cognomen traxisse ait ex oppido *Tocco*, urbe olim episcopali subjecta Metropoli Beneventanæ. Attamen Scriptores Neapolitani, præsertim Carolus de Lellis & Aldimarius in eorum opere de famil. Neapol., familiam Tocco a Topiana distinguunt; nec satis discernere licet, quomodo una eademque gens sit Tocchia atque Topiana, & Carolus, quem Topiam nominant eorum temporum Scriptores, familiæ Tocchiæ inseratur. Sed genealogis prætermissis, quorum fides plerumque dubia in deducendis veterum familiarum originibus, Topiæ cognomen Carolo servandum puto, eique uni conditæ celeberrimæ urbis gloriam asciscendam; *Conditorem ejus*, inquit Barletius lib. 1. de vita Scanderbegi, *fuisse Carolum invenio, divitem virum ex nobili Thopiarum genere, qui tempore, quo Scanderbegus Epiro potitus est, in Scuria haud ignobili Epiri parte inter Thyranam & Dyrrbachium imperitarunt*. Hinc Jacobo Luccaro non assentior, qui Crojam ædificatam fuisse affirmat lib. 2. Annal. Ragus. a Carolo Andegavensi duce Dyrrhachii, cui nimirum *Dyrrhachiensis* cognomen inditum; quippe Carolus hoc nomine primus e dynastis Dyrrhachinis sæc. XIV. jam inito vitam egit obiitque Neapoli anno 1347. cum Crojensis & Civitas & Ecclesia ante annos amplius septuaginta fuerat constituta. Equidem natalis urbis annus est ignotus; sæculo vero XIII. & civium frequentia & opibus jam crevisse videtur; siquidem post dimidium ejusdem sæculi cœpere primum Crojenses Episcopi nominari. Urbem & agrum Crojæ hisce describit Barletius lib. 2. de obsid. Scodr.; *Croja civitas est Epiri regni illius validissimum munimentum, & tanquam clavis firmissima. Hæc non magno ambitu continetur, in altissima saxi crepidine & undique præcipiti posita; campos latissimos binc & inde habet, ubi Cæsar tota acie cum Pompejo conflixit. Quæ quidem oppugnari, nec expugnari ullo modo potest, quia & natura & arte, & hominum opere ex omni parte munita est; in ea enim sunt fontes juges & perennes, ex quibus ei nomen inditum; nam Croja, quod Epiroticum nomen est, latine fons interpretatur. Habet quidem agrum feracissimum, atque amœnissimum, sylvas vero & arbores cæteris, ut opinor, uberiores speciosioresque, & ad classes ædificandas, ut quidam putant, nusquam proceriores aptioresque reperiri possunt. Distat autem Dyrrbachio ad quatuordecim millia passuum, Scodra vero ad quinquaginta septem. Hanc urbem tam munitam Carolus quidam Topbia regulus Epiroticus condidit; primsque vallo cratibusque eam sepsit, deinde fortissimis muris cinxit*. Hæc Barletius, qui Crojam *cor Albani imperii* appellat, & *claustrum Epirotici regni*; etenim, dum Georgius Castriotus urbis dominatum tenuit, nec expugnare eam Turcæ ulla vi potuerunt, nec Epiro potiri. At civilis Metropolis honore, ut quibusdam visum, præ cæteris urbibus nunquam excelluit, & sola tanti ducis virtute illustre nomen apud finitimas exterasque gentes adepta est.

Ejus descriptio.

Castriotæ Crojæ Dynastæ.

Carolo ejus conditore a Balsis, seu Balsichiis interfecto, qui late in Epirum dominabantur, Croja in eorum venit potestatem; uti Barletius asserit lib. 2. de obsidione Scodrensi, antequam Castriotorum subesset imperio; & hi, utrum armis, an hæreditario jure, vel voluntaria sui Dynastæ cessione incertum, sæculo tantum XIV. Crojensis provinciæ principatum videntur capessisse. *Auctores gentis Castriotæ ex Emathia nobili ortu fluxisse*, tradit Barletius lib. 1. de vita Scanderbegi; Luccarus tamen lib. 3. Annal. & Franciscus Blanchus Episc. Sappatensis in libro, cui titulus, *Georgius Castriotus &c. Suis & Patriæ restitutus*, edito Venetiis an. 1636. clarius veriusque hujus familiæ originem prodidere. In eâ igitur Albaniæ regione, quæ vulgo *As* nominatur, & Pullatensibus ac Ducaginis adjacet, inter locorum montana pagus eminet non ignobilis *Castratus* ab incolis dictus, cujus possessionem, ditionemque sibi ad hæc tempora vindicat æque celebris ac vetustissima familia *Castrati*, illustrium bellica prudentia atque fortitudine virorum parens; unde plurimi adversus Turcas egregiam armis navarunt operam in tuenda provincia; quæ jure gloriatur, se Turcicam servitutem nunquam subiisse. Ex eo loco, & loci domina gente exiere *Castriotæ*; *In hanc enim sententiam*, inquit Blanchus, *universalis nostræ gentis conspirat consensus; facile enim, quæ a patribus & avis accepimus, ad posteros remittimus, si præsertim de rebus memorabilibus & præclaris sermo sit. Cum præsertim non tantum temporis a Scanderbegbi ætate huc usque sit elapsum, ut omnem illius & suorum memoriam apud nostrates, qui semper in conviviis antiquorum more origines & memorias suorum illustrium virorum canere solent, deletam & obliteratam censendum necessario sit. Et sicut paucos falli in vetustissimis antiquitatis rebus facillimum est, ita integrum amplissimæ provinciæ, ne dicam vastissimi regni, populum errasse, & in re non adeo antiqua, sicut incredibile, ita ridiculum est asserere*. Hactenus Blanchus, cujus sententiæ non adversatur Barletius; is siquidem Æmatiam ampliori vocabuli significatione, veluti natale Castriotarum solum, nominat; tum quia *Castratus*, & quæ circum regio in veteris Macedoniæ finibus continetur, tum quia Æmathiæ nomine, licet pars tantum Macedonici regni fuerit, Macedonia tota aliquando intelligitur in latinis Scriptoribus. Castrioti ge-

generis princeps, & primus, qui innotescat; Crojæ dominus fertur Joannes, vir prudentia, gravitate ac animi invicti magnitudine, cæterisque virtutibus facile omnium in Epiro ea ætate præstantissimus. E Voisava uxore regio sanguine & moribus nobilissima fœmina plures suscepit sexus utriusque liberos, crevitque adeo potentia, & opibus, ut Mehemetis Turcarum regis feroces animos in se commoverit, atque invidas suspiciones; quare vi adactus est ad tributum an. 1413. filiis etiam amissis, quos Tyrannus obsides & captivos Constantinopolim abduxit, Crojamque, Joanne mortuo, valide munitam miserrimæ addixit servituti. Inde annis fere triginta elapsis, Georgius Castriotus natu minimus e Joannis progenie, excusso Turcico jugo atque imperio, libertatem, & paternam ditionem recuperavit an. 1443. Hic bellica indole, quam qui maxime præditus, & militaribus disciplinis inter barbaros apprime instructus non solum patrias sedes fortiter tutatus est, & junctis procerum Albanorum cognationibus familiæ decus ac vires auxit, sed jugi bellandi cum Turcis, constantique labore, atque continuis partis victoriis Epirotarum etiam nomen celebrius & gloriam præcunctis Europæ populis reddidit illustriorem; cui res gestæ, & ingentia facinora *Scanderbegbi*, id est *magni*, vel ut alii volunt, *domini Alexandri* cognomen promeruerunt. Annos tres circiter supra viginti Crojæ, ac in universa pæne Epiro regnavit; quo vivo, potentissimi Turcarum exercitus, & audaces Amurathis II. ac Mehemetis II. conatus nequivere unquam in has regiones irrumpere, & principem urbem Crojam ullo impetu expugnare. E vita decessit an. 1465., & Joannem filium Crojæ hæredem ac dynastam reliquit ex testamento, quo illum in Venetorum fidem tradidit & tutelam. Verum ingens ejus obitu facta est rerum conversio; nam triennio post Turcæ urbem aggressi cives in extremum adductos discrimen ad deditionem compulere; eaque potiti adhuc retinent indigno servitio oppressam, omnique veteris magnificentiæ & gloriæ spoliatam vestigio. Præest urbi primarius militum Præfectus, quam Turcarum millia quatuor incolunt, & firmis præsidiis vigilanter tuentur; per eam enim liberior, ac expeditior Turcicis copiis patescit aditus in Albaniam universam. Joannes Georgii filius ante urbis casum in Italiam jam secesserat patris jussu, & una Neapolim postea mater, quam Georgius e principe Arrianitarum familia uxorem duxerat an. 1451. ibique honorificis titulis, & fundis non modicis, queis a rege Ferdinando pater donatus fuerat, laute vixit. Mater jam senex vitam agebat inito sæc. XVI. teste Raphaele Volaterrano lib. 8. Geograph., quo & Joannes superstes Castriotam familiam susceptis e conjugio liberis firmasse dicitur; hæc vero ad exitum pæne ejusdem sæculi nobilitate florebat Neapoli, uti ex Aldimarii hist. de famil. Neapol. conjici potest; ac sæc. XVII. jam interierat.

quibus a Turcis eripitur.

Eodem, quo urbs, sæculo XIII. exorta est Crojensis Ecclesia; & æque primi Dynastæ, ac civium pietas & religio facile obtinuere, ut a Romanæ Sedis auctoritate episcopali honore atque jurisdictione donaretur; nam duo saltem ante finem hujus sæculi nominantur in actis ecclesiasticis Crojenses Episcopi; siquis autem illos præcessit Antistes, ejus memoriam oblivio delevit. Quæ fuerint sacra urbis decora, quæ templa, qui episcopales reditus, antiqua silent monumenta; & ne titulus quidem superest, quo Ecclesiam Cathedralem incolæ dicari voluerint; omnia tamen ampla & ditia, ut par est credere de regia urbe ac sede gentis Castriotæ piissimæ atque munificentissimæ, Turcarum furor evertit, & cupiditas absorbuit. Diœcesis Crojensis in Ducaginos ad solem orientem protenditur proxima Albanensi, ad occidentem Dyrrhachinæ juncta, versus septemtrionem a Mathia flumine terminatur, ad meridiem angustior Canovienses partim, & partim fines Bendenses videtur attigisse; quamquam, occupata a Turcis Epiro, subversisque urbibus & agris, nec veteres dignosci, nec novi diœceseon limites certo constitui queant & plurima sit earum permistio. Duo olim erant monasteria Benedictini instituti, alterum *S. Mariæ de Beretis*, seu *Beracis*, alterum *S. Venerandæ*, quorum restat nomen; in urbe nullus catholicæ religionis cultus; per diœcesim vero viget hactenus, & constanti incolarum fide servatur. Hi Christianis moribus & pietatis fervore maxime excellunt, ac plures habuere parœcias, e quibus nonnullæ reditibus instructæ; nunc, imminuto Catholicorum numero, paucas retinent; & tota Crojensis diœcesis vicinorum Antistitum, ac plerumque Dyrrhachiensis Metropolitæ subest administrationi, postquam desiere ejus Episcopi, quorum seriem exordimur.

De Ecclesia Crojensi narratio.

I. Romanus an. 1286.
II. Andreas an. 1318.
III. Gregorius an. inc.
IV. Andreas II. an. 1367.
V. Antonius an. 1425.
VI. Petrus an. 1468.
VII. N. N. an. circ. 1475.
VIII. Joannes an. 1498.
IX. Ferdinandus an. 1517.
X. Paullus an. inc.
XI. Franciscus an. 1524.
XII. N. N. an. inc.
XIII. Joannes II. an. inc.
XIV. Isidorus an. 1694. & postremus.

ROMANUS EPISC. CROJENSIS I.

Post urbem & Ecclesiam conditam huic primus videtur præfuisse; neque enim alium quempiam præponunt vetera monumenta; & ejus Episcopatus cum initiis Crojensis Ecclesiæ congruit. Romæ degebat an. 1286. & 1287., uti probant tria diplomata; alterum, quo

Romanus Ep. Crojensis anno 1286.

quo plures Episcopi, in his *Crobensis*, munus *indulgentiarum* elargiuntur iis, qui decretis diebus pie riteque inviserint Ecclesiam Patavinam *Sancte Marie de Burgo omnium Sanctorum*, & quovis juverint subsidio; *datum Rome anno Domini* MCCLXXXVI, *pontificatus domini Honorii Pape Quarti anno secundo*; alterum simile pro Ecclesia Utinensi S. Petri Martyris, in quo legitur *Romanus Kroensis*, datumque est *Rome anno Dom.* MCCLXXXVII. *Pontif. D. Honorii Pp. IV. anno II.*; ac tertium ejusdem anni *pridie Calendas Junii Apostolica Sede vacante, Epacta IV. concurrente II. indict. XV.* concessum Ecclesiæ Narniensi S. Juvenalis, in quo *Romanus Cbroensis* inscriptus est cum Bonaventura Ragusino, Michaele Antibarensi Archiepiscopis, & Valdebruno Episcopo Avellonensi; deque his suo loco dictum. *Fr. Romanus Chroensis* nominatur etiam in litteris plurium Episcoporum pro Ecclesia Servorum B. Mariæ Virginis in urbe Burgi S. Sepulchri datis *Anagniæ anno* 1295. *die* 8. *Septembris*; ut est in Annalibus ejusdem Ordinis tomo I. pag. 173. Biennio post Romæ iterum constitisse illum comperio in alio diplomate dato ex Urbe *anno Dom. Millesimo* CC. *nonagesimo octavo indict. XI. die ultima Mensis Junii Pontif. SS. P. Dom. Bonifacii Pp. VIII. anno IV.* eoque Episcopi aliquot & *Fr. Romanus Crobensis* piorum hominum animos excitant, alliciuntque, *Indulgentiis* propositis, ad perficiendam Ecclesiam Vicetinam S. Goronæ. Ex *Fratris* titulo, qui Romano tribuitur, cum alicujus religiosæ familiæ alumnum fuisse liquet. Dubitandum vero non est, quin ab inito Episcopatu, & diutius alias in sua diœcesi commoratus sit, & novæ Ecclesiæ, quæ Pastoris præsentiam requirebat, commoda, ornamenta atque utilitates sollicite ac peramanter curaverit. Hinc Romani itineris, & adeundæ Sedis Apostolicæ frequens occasio, cujus auctoritate Crojensis Ecclesiæ decori ac firmitati satis consultum foret atque provisum. Ad initia sæculi insequentis XIV. vitam & munus episcopale perduxit.

ANDREAS EPISC. CROJENSIS II.

Andreas Ep. Crojensis an. 1318.

Idem, cui Joannes XXII. mandatum dedit an. 1318., ut cum Michaele Episcopo Albanensi electionem Archidiaconi Dyrrhachiensis confirmaret *Apostolico nomine*; uti verba præferunt pontificii decreti, quod habes in Antonio III. Archiep. Dyrrhachino. In libris Expens. Cam. Apost. tomo 62. p. 95. t. *An.* 1320. *die* 18. *Junii soluti* dicuntur *Nicolao Archiep. Achridano & Andreæ Croensi &c. florini* 100. *auri*, quibus eorum levaretur paupertas. Autumat Matthæjus in additamentis *Sardiniæ Sacræ* pag. 298., Andream, qui in quodam diplomate anni 1334. dato Avenione VI. idus Majas pro nonnullis Hispellatum Ecclesiis dicitur Episcopus *Coronensis*, Crojensem potius Antistitem fuisse, & librarii errore *Coronensem* scribi; sed nullo id probat argumento. Potuit tamen Andreas ad illum annum vitam cum episcopali regimine protulisse; atque, ut erat temporum horum conditio, Croja absens, diuque in Italia versatus, hic fortasse, vel etiam Avenione diem obiit supremum. Avenione quidem eum degisse an. 1320. perhibent litteræ, queis cum suo Metropolita Dyrrhachiensi, aliisque Archiepiscopis tribus, & decem Episcopis plurium *Indulgentiarum* munere impertitus est Ecclesiam Bononiensem S. Martini Ord. Carmel. Iis inscriptus legitur, *Andreas Croensis*, ut est in tomo I. Bull. Carmel. pag. 60. Andreæ suffectus fuit

GREGORIUS EPISC. CROJENSIS III.

Gregorius Ep. Crojensis.

Quem innuunt solummodo Acta Consist. & Vaddingus; quorum mox affero testimonium.

ANDREAS II. EPISC. CROJENSIS IV.

Andreas II. Ep. Crojensis an. 1367.

Qui ex Franciscana familia suffragiis primum Canonicorum Crojensium ad hanc Sedem evocatus est. Sed cum electio hujusmodi ad Pontificem unice pertineret, Urbanus V., abrogata priore nominatione, suo ipse diplomate Andream huic Ecclesiæ præposuit. *F. Andreas per ob. Gregorii electus a Capitulo, sed electione irrita, a Pontifice electus fuit 6. id. Junii* 1367. Ita Vaddingus ad hunc annum ex tabulis Vaticanis, a quo *Croensis* Episcopus dicitur.

Joannes Castriotus Croiæ Dynasta,

Per hæc tempora gens Castriota Crojæ dominari cœpit. Primus, qui innotescat, Crojensis ex eo genere Dynasta nominatur a Barletio lib. I. de vita Scanderbeghi Joannes, qui *prudentia, gravitate, ac animi invicti magnitudine, cæterisque deinceps virtutibus, atque egregia etiam corporis decore* omnes in Epiro proceres, earumque regionum dominos facile superavit. Ex nobilissima & præstantissima fœmina Voisava novem genuit liberos, quorum minimus Georgius, Scanderbegus postea appellatus, in lucem editus est anno 1404. Jamque opibus & potentia præ cunctis adeo creverat, ut Turcarum posset viribus, & iteratis Mehemetis I. aggressionibus obsistere; verum cum par non esset tanto hosti debellando, cum is e Græcia devicta in Macedoniam irrupisset, atque Epiro & Crojæ exitium minitaretur, Joannes iniquis conditionibus ad pacem adactus est anno 1413., nam quatuor filios Tyranno dedit obsides, e quibus Georgium novennem ob eximias animi corporisque dotes parentibus carissimum, & ipse duri tributi jugum subiit, & infelix servitium. Barletius aliique Scriptores hæc eo quidem anno gesta narrant, ast sub Amurathe II. quod longe abest a vero; nam Amurathis imperium cœpit anno 1419. fere post sexennium ab obitu Mehemetis patris; quin Petavius in suo temp. Ration.

e quo Georgius nascitur an. 1404

& obses Constantinopolim abducitur an. 1413.

Digitized by Google

Ration. part. 2. lib. 9. cap. 7. illius initia retulit in annum 1421.

Andream interea Episcopum mors præripuerat; cujus administratio vix ad exitum hujus sæculi XIV. protrahi potest. Nec dubitare fas est, quin Joannis Dynastæ religione & auctoritate res Christiana Crojensis, eo Antistite, feliciter creverit, quæ ineunte sæculo XV. easdem ac Joannes passa est calamitates. Uti vero emortualem Andreæ annum ignoramus, ita latet, quinam in ejus locum successerit; & anno demum 1425. creatus dicitur

ANTONIUS EPISC. CROJENSIS V.

Antonius Ep. Crojen. an. 1425.

Ex Ordine Minorum a Martino V. Pontifice; de quo Vaddingus ad eùmdem an. *Frater Antonius Venturæ de Sancto Blasio Romanus ad Croensem* Ecclesiam, *olim sub Archiepisc. Dyrrhachino* VI. *id. Octobris assumptus;* & in Actis Consist. hujus an. 1425. *Provisum est 6. idus Octobris Eccl. Croen. in Arbonia*, Albania, *vacan. per mortem de pers. Fr. Antonii Venturæ de Sancto Blasio de Roma ordinis Min. & injungitur, quod intra tres menses vadat ad residentiam*. Misera sane Crojensium conditio præsentiam poscebat & opem sui Antistitis, cujus ductu eorum regeretur pietas, ac religio, & solatio animi recrearentur, præsertim cum anno 1432. Joannes mœrore magis, quam ætate confectus vitam finiverit; tunc enim Amurathes Crojam in sua esse potestate edixit, misso Turca Præfecto, validissimo præsidio; ne qua autem Joannis liberos cupido incesseret paternæ ditionis recuperandæ, attributa prius Voisavæ matri tenui, quæ ad vitam alendam sufficeret, pensione, omnes veneno sustulit præter Georgium, quem ob insignem rei militaris peritiam, & ingentem animum, sibi charum, utilem etiam amplificando Turcico imperio fore existimabat. Is annum ætatis tum excesserat fere trigesimum, & quamvis per vim Mahumeticis cærimoniis ac superstitionibus puer fuisset initiatus, avitam religionem alte pectore retinebat; cumque in castris Amurathis strenuissime mereretur victorias victoriis cumulans præsertim adversus Græcos, atque Serblianos, nec præmiis Tyranni, nec pollicitationibus, quibus nihil fidebat, a consilio decesserat, & a spe patrii regni in libertatem vindicandi, cujus ille unus e fratribus hæres supererat. Quod igitur mente diu volvebat, cum paucissimis fidissimisque Albanorum, qui secum erant, contulit; & oblata ultro rei exsequendæ occasione feliciter usus demum est anno 1443. Deo certe juvante arduum facinus, quod Christianorum in Epiro, ipsiusque Italiæ saluti plurimum esset profuturum. Nam cæso fugatoque a Joanne Hunniade Turcarum exercitu ad Moravam fluvium, Georgius cum consilii sociis fuga sese proripuit e castris, secumque abductum scribam Bassæ copiarum ducis, qui suorum clade consternatus effugium vitæ hac illac quærebat, coegit minis illico fictas literas scribere ad Crojæ Præfectum, queis imperaret Bassa nomine Amurathis, ut urbem regendam traderet Georgio; eaque addita sunt, quæ literarum fidem augerent. His Georgius acceptis, scribam obtruncat, ne rem Bassæ aut Amurathi deferat, & Crojam advolans cum expedito Epirotarum agmine, qui in itinere plurimi sese ei adjunxere, intra urbem exceptus est a Præfecto, atque is perspecta e literis Amurathis voluntate parere non distulit, & Georgio urbis præfecturam commisit. Tum animis vultuque gestire Crojenses visi in adspectu sui Principis; sed lætitiæ vim coacti premere, quorsum hæc nova evaderent, taciti cogitabant; ast Georgius clam collecta armatorum manu, Turcicum præsidium noctu aggreditur, cæditque tanto ardoris impetu, ut vel pauci mortem effugerint; ac urbe hostibus vacua, incredibili totius civitatis consensu plausuque Crojæ dominus salutatus est; & missi statim per Epirum universam, qui inopinatum adeo, & mirum felixque eventum nuntiarent, & ad arma incolas Georgii nomine & hortatu impellentes excirent in communem hostem Amurathem.

& a Georgio ejus filio liberatur.

Joannis Dynastæ obitu Croja Turcis subjicitur.

Hæc, quæ cursim pro re nostra attigimus, luculenter descripsere Barletius & Biemmius in vita Georgii, qui paterna hæreditate potitus nihil prius sibi faciendum putavit, quam ut Christiana sacra componeret, & catholicæ religionis cultum, quem Turcica tyrannis oppresserat, ad suam dignitatem revocaret. Tum validis operibus munire urbem, præsidiisque tutari, cogere milites, socia Procerum Albanorum arma sibi conjungere, Epirum totam in unum bellicæ virtutis sensum hortari, allicere, impellere maxima ei cura fuit, ita ut momento temporis Turcis omnibus in Epiro internecione deletis, paratissimum instruxerit exercitum hominum fere XII. millium ad excipiendos Amurathis impetus, qui certe Georgii facinus haud inultum reliquisset. Inter has vices Crojensis Ecclesiæ quid de Antonio Episcopo actum sit, quid ipse pro suo munere gesserit, quamve in urbis libertate, & communibus gaudiis partem habuerit, prorsus ignoramus; imo latet, an vita superstes esset, & quamdiu Episcopatum administraverit. Verum dimidio ferme hoc sæculo XV. obiisse jam Antonium verisimile videtur; eique neminem suffectum reperio usque ad an. 1468., ac est existimandum ob bellicos tumultus, quibus Croja diutissime turbata fuit, & in summum fere discrimen adducta, aut a novo creando Episcopo Pontificem abstinuisse, aut siquem elegerit, liberum ei ad suam Ecclesiam non patuisse accessum. Et cum de gestis Georgii Scanderbegi dicere cœptum sit, historia ipsa hujus Ecclesiæ a nobis exposcit, ut eorum narrationem persequamur, quatenus cum re Christiana totius Epiri, & Crojæ ipsius necessarie conjunguntur.

Georgii res gestæ in Epiro.

Itaque inito ab Epiri Dynastis sociali fœ-

de-

dere cum Georgio, is anno eodem cum lectissimis copiis adversus Amurathem castra movit, qui quadraginta peditum equitumque millia in Epirum irrumpi jusserat; eosque in campis Dibræ aggressus victoriam retulit adeo illustrem, ut *a sole orto ad horam diei tertiam cæsa sint barbarorum ad viginti duo millia, virorum duo millia capta, signa militaria viginti quatuor*, inquit Barletius lib. 2., cum Georgii exercitus vix e quindecim hominum millibus constaret, e quibus vulnerati plurimi, interfecti centum ac viginti. Hoc facinore erecti omnium animi in spem delendæ in Europa Turcicæ gentis; quare Eugenius IV. Pontifex, & Vladislavus Hungariæ rex Georgium vehementer adhortati sunt, ut sacro bello nomen daret, quod ipsi in Amurathem parabant, sociaque cum Hungaris arma jungeret; quod illico a Georgio fuisset effectum, nisi Georgius Serbliæ Despota & in Amurathis partem propensus obstitisset, quominus Albanenses copiæ militum triginta millium, Georgio duce, per Serbliam transirent Vladislavo expetitum auxilium allaturæ. Sed præstat Vladislavi ad Georgium literas exscribere, quibus quid responsi Georgius reddiderit, tum subjiciam ex Raynaldo ad hunc an. 1443.

Litteræ regis Vladislavi ad Georgium.

„ Uladislaus Hungariæ & Poloniæ Rex „ Scanderbego Albanorum Principi salutem „ plurimam dicit.

„ Distulit fortasse in hoc tempus fortuna „ seram istam gratulationem nostram, quo „ non tantum hodie tibi ob recuperatum fe„ liciter imperium, sed pari etiam prudenti„ a fortitudineque defensum duplici rei „ prosperæ eventu gratularemur. Gratulamur „ itaque, nec tibi tantum, verum etiam „ Christianis omnibus, quod tanta sit beni„ gnitate Dei per virtutem tuam rei Chri„ stianæ accessio facta, quandoquidem non „ minima semper inter cætera mala nostra „ clades illa ducenda fuit Epiroticæ gentis „ amissio, cum Joannes Castriotus pater „ tuus princeps, ut audio, de omnium ani„ mis optime meritus neque tibi in aliena „ potestate degenti regnum avitum filio tra„ dere, neque aliter ab Amurate oppressus „ imperio suo consulere potuit; & viveret „ utinam nunc felix te nato parens, qui o„ mnium superasset fortunam, si te ante vi„ disset, quam a vita discederet. Ita una „ plane videris mihi, pace omnium dixerim, „ hac tempestate princeps sicut omnibus ani„ mi corporisque bonis, ita divino quodam „ fato præditus, cujus auspiciis non solum „ tuta in posterum omnis Epiroticæ terræ „ ora futura sit, sed cuncti præterea populi „ a corpore Macedoniæ imperii nefario O„ thomanorum latrocinio jampridem direpti „ in antiquam formam juris ac ditionis suæ „ redituri. Quid enim (ut cætera taceam, „ quæ & apud barbaros vel puero tibi olim, „ tanta in dies crescente invidia, maximum „ nomen prodiderunt,) victoria illa specio„ sius, quam nuper Alybassa cum tot copiis „ fugato partam tibi ingenti admiratione æ„ que audivimus ac credidimus?" Et infra. „ Majoris penitus tibi gloriæ materia subest „ occasio contra Amuratem omnes veteres „ novasque tuas ac tuorum injurias ulciscen„ di, nec privatas istas tantum, sed & pu„ blica id genus mala, atque tot oppressæ, „ ne dicam exstinctæ, Fidei ludibria, si cum „ victore exercitu isto tuo nondum despera„ tis rebus nostris adesse velis. Invitant te „ ad hoc omnes Hungariæ & Poloniæ prin„ cipes, ac viri fortissimi; invitat (1) Ju- 1
„ lianus S. Angeli Cardinalis cum piis illis „ Christianæ salutis militibus jam diu nobis„ cum in armis instructus; nihil præter tua „ signa exspectamus; quam si nunc oblatam „ ultro a Deo immortali occasionem non „ rejicis, debellari posse penitus omnes af„ firmant, expellique Turcas, & a tam diu„ tina Europæ possessione deturbari. „

„ Omittendum itaque hoc loco apud te „ omne adhortationis genus censeo pro ea „ causa, quæ defensa salutem, lucem, liber„ tatem spondet; amissa numerare horreo; „ satis nos huc usque tandem deservivimus „ Christiani, conflagravimus jam omnes, dum „ nemo incendium ad se trajecturum putat. „ Quid de Græco cernimus, quantas de Tri„ ballorum imperio jacturas, demum ipsas „ meas? totque exhausta atque exhaurienda „ in dies mala quis recenseat? quis fortissi„ mos principes Hungarici imperii propugna„ cula per omnes ætates amissos, & tot va„ lidissimos exercitus eodem funesto belli „ fato absumptos, ac occidione ferme occisos „ ita, ut nulla sit in Hungaria jam domus, „ nulla matrona luctus expers? Audiunt hæc „ Christiani principes, neque movet ullum „ miserabilis sociorum calamitas; sic nos ve„ lut piacula quædam luendis omnium peri„ culis hosti passim objectari patiuntur. „

„ Unus Eugenius (2) sanctissimus Roma- 2
„ næ rei Præses, & Philippus (3) Burgun- 3
„ diæ Dux afflictæ fortunæ onus non detre„ ctarunt; alter Julianum hunc cum præcla„ ro milite nobis adjunxit; Philippus classe „ instructa, & in Hellespontum usque mis„ sa Turcis transitum, quantum in ipso „ fuit, fortiter prohibuit. Alia nunc nobis „ spes propinqua subest auxilii optandi; qua„ re ultro nunc ad te ad tam necessarium „ bellum evocandum virtus tua in primis co„ gnita suasit, tum rerum omnium nostra„ rum periculum discrimenque coegit. Cæ„ terum cum ignoret nemo id quod nunc sis „ incommodo acturus tuo, præter recentem „ adhuc rerum domesticarum tumultum, & „ vix dum pacatum noviter redempti impe„ rii statum, id te movere non debet, cum „ & tibi præclarissimum nomen hac expedi„ tione sis pariturus, & hoc præsens benefi„ cium apud minime ingratos animos sis col„ locaturus; quod enim prior tu hodie pro „ salute nostra dignitateque feceris, id nos „ pro tua laude & imperii incremento sem„ per faciemus. Vale; ex Buda."

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

1. Julianus Cæsarinus Romanus Card. S. Angeli, quem Eugenius IV. suum in Hungaria Legatum bello sacro a fœderatis in Turcas suscepto præfecit; sed in Varnensi pugna anno 1444. profligato cæsoque Christianorum exercitu, & ipse cum Vladislao Hungarorum Rege miserrime periit. Vide Raynaldum tomo 9. Annal. Eccl.

2. Eugenii IV. Pontificis, qui antea Gabriel Condulmerius Patritius Venetus, ardor & egregii conatus adversus Turcas pro tuenda Christiana republica ab omnibus sui ævi Scriptoribus celebrantur; ejusque nomine ad fœdus cum Uladislao Georgium adhortatus est Julianus Cardinalis.

3. Hic ingentem classem instruxit anno 1444., qua Turcarum copias ab trajiciendo ex Asia in Europam Hellesponto prohiberet; sed res male gesta est anno 1445. & quamvis se se sacramento obstrinxisset tutandæ contra communem hostem religionis, nihil ab eo præstitum posterorum memoria dignum.

Iis igitur Uladislavi hortamentis in hanc sententiam respondit Scanderbegus.

& Georgii ad Uladislavum.

Scanderbegus Epirensium princeps Vuladislao Hungariæ ac Poloniæ Regi S. P. D.

Acepi litteras tua lætitia desiderioque pari, invictissime regum, quas cum in maxima dudum meorum frequentia legi jussissem, nemo omnium est auditus, qui tam justi belli occasionem a te oblatam non ultro adeundam censeret, ita & publico omnes & privatim singuli dixere, gratius quidquam hodie a Deo immortali sibi tribui non potuisse, qui & optimum regem aliquo sibi non ingratorum animorum officio devincirent, & rei Christianæ simul tam opportunam operam præstarent. Gavisus sum maxime ipse in ea meorum voluntate tum tua in primis, tum communi causa, cum ita animatos pro Christi fide & affectos milites nostros & omnium generum ordines vel sine ulla adhortatione viderim. Et infra: *Utinam vellet Deus optimus maximus, Vuladislae, ut possem ipse ad hoc præclarum bellum tibi tantum afferre virium, quantum sum animi & cupiditatis allaturus! non jaceret diutius fortasse in eo squallore Europa ab impio oppressa Amurate; non velut piaculo quodam aliorum fumarent toties Hungarico cruore Basilienses* (1) *ac Varnenses campi, & Epirotico sanguine omnis Macedoniæ angulus. Perivimus jam omnes, dum quisque sibi se tantum natum existimat. Sed quid nunc ipse mecum has inutiles querelas jacto, & nequidquam conqueror? Profecto neque virium me mearum pœnitet omnino, neque si acies tecum mihi ad tam felix bellum conjungere licuerit, fortunæ id est bellicæ felicitatis nostræ Christianum nomen, ut arbitror, unquam pœnitebit; ad ea namque XV. millia hominum, quæ in Macedoniæ finibus nuper Alybassam fuderunt, totidem adjicere in animo est, cum quibus, quamprimum integrum fuerit, ad vos iter arripiam, signa tua in omnem eventum secuturus. Vale, ex Croja pridie nonas sextiles MCCCCXLIII.*

NOTA.

1. Mendum inest vocabulo *Basileenses*; nunquam enim Hungari cum Turcis in campis Basileæ urbis Helveticæ confligere poterant; quare alius hic intelligendus est locus ad fines Hungariæ, quo sæpe irrumpebant Turcarum agmina; nec divinare ausim, quis sit. Barletius lib. 6. *Varnenses & Basilienses* Turcarum *labores* memorat; hinc conjicere licet, *Basilidum* loca etiam innui, ubi olim *Basilides* populi Sarmatiæ Europeæ, & *Basilienses* pro *Basilidenses* Barletium scripsisse, uti & Georgium in hac epistola. Varnenses vero campos nominat ob crebros Hungarorum cum Turcis conflictus per ea loca ante cladem illam Varnensem, qua anno 1444. Christianorum exercitus ab Amurate fusus est ac pæne deletus.

Itaque Georgius ab ingressu in Hungariam prohibitus a Serblorum perfidia acrius in Turcam incendit animum; cumque in Epirum allatum esset de Hungarica ad Varnam cæde, & tristi Uladislai interitu, totam in se suosque Turcici belli molem ruituram intellexit. Nihilo tamen segnior factus in hostem se validissime munivit, & nullis unquam datis acceptisve induciis ita per biennium dimicatum est, ut Tyranni demum exercitus disjectus fuerit in Epiri faucibus, isque, parta provinciæ securitate, victor Crojæ aliquantisper quievit anno 1446. Hic annus menso Majo perhonorifica legatione celebratus est, qua Eugenius Pontifex, & Alphonsus Rex Neapolis ejus victorias Georgio gratulati sunt, & opem ac bellica subsidia polliciti. Legatis aderant duo Archiepiscopi Antibarensis & Dyrrhachinus aliique Præsules, quo pompa esset eorum adventu ornatior, & jucundius Crojensibus spectaculum. Georgius vero quanta potuit magnificentia in conspectum admissos summis affecit honoribus; tum iis testatus, se pro Romana Ecclesia vitam libentissime profusurum, oravit, spem hanc suam Pontifici ac Regi denuntiarent, nunquam fore, ut eos collati sibi auxilii pœniteret. Ita ex Biemmio lib. 2. de vit. Georgii. Quod Georgius spoponderat, majori multo quam antea animi fortitudine ausuque præstare visus insequentibus annis; nam a Venetis licet provocatus ad arma foret, eumque iis feliciter pugnasset, pace tamen constituta, illico omnem conatum belli in Amurathem convertit, tresque ejus duces Mustafam, Ebraimum, & anno 1449. Ferisium ab ipso, uti ferunt, Scanderbego obtruncatum penitus profligavit. Verum eodem anno nefarii cujusdam proditione amisso Sfetigrado, qua ex urbe liber hostibus patebat aditus in Epirum, magno se in discrimine versari conspicatus est, & ad Crojæ defensionem consilia viresque quam celerrime admo-

Pontificis ad Georgium legatio.

vit, quam si Turcæ expugnarent, de Epiroticorum regno actum jam esset. Præterea hoc anno 1450. Andream Antibarensem Archiepiscopum oratorem misit ad Nicolaum V. Pontificem, a quo bellica subsidia posceret, pecuniam in primis, cujus maxime indigebat; sed sua spe frustratus a Ragusinis tamen, & Neapolitanis mercatoribus tantum auri commodatum habuit, quantum necessariis impendiis satis esse videbatur; de Andreæ legatione actum a nobis est in Antibarensi Ecclesia. Itaque eodem anno, quo nullus ad Georgii virtutem augendam illustrior, Amurathes ipse cum millibus centum ac sexaginta Turcarum, quorum agminibus Mehemetem filium præfecerat, circumsessam urbem mense Majo oppugnare incœpit. Duo tantum militum millia præsidio Crojam obtinebant, duce Uranaconte viro fortissimo, cujus fidei ac rei militaris peritiæ sui regni sedem, ac Epiri salutem Georgius commendaverat; ipse cum duobus peditum, equitumque septem millibus in tuta sylvis loca se recepit eo consilio, ut inde hostium turmas & castra lacesseret crebris excursionibus, & fatigatos ab urbis oppugnatione distineret. Incredibile dictu est, quanto nisu utrinque dimicatum sit; Amurathes qua machinis, qua cuniculis omnique tormenti bellici genere diu noctuque mœnia quatere instabat; contra obsessi hostilia opera evertere, & Turcas strenue in præceps repellere per montis salebras, & impervia juga; dum Georgius e latebris repente exsiliens modo insidiis exceptos hostes, modo turmatim deprehensos, immo intra ipsa castra audacter appetitos ingenti cæde sternebat, Nihilominus quinque menses integros obstinavit Turca insistere obsidioni; sed cum neque vi, neque æquissimis ultro oblatis conditionibus Crojensium constantiam vincere potuisset, suorum, & imminuti valde exercitus strage adactus castra inde movit, & vasa collegit, tum Deos seque ipsum exsecrans, qui tot, lectissimisque imperii copiis post amissa hominum viginti millia nequiverit exiguum Epiri oppidum tam longo tempore expugnare, Hadrianopolim recessit mense Octobri; ibique ignominiæ dolore, animique acerbitate ac rabie enectus interiit, altero mense ab suo in Thraciam reditu.

Croiæ oppugnatio.

a qua liberatur.

Soluta Crojæ obsidione, Georgius, qui a tergo hostes, quoad potuit, insequutus fuerat, triumphum agens urbem ingressus est; Deoque primum in templis gratiæ redditæ solemni ritu; deinde effusa civium lætitia dies festi acti, celebrata convivia, accensique ignes tota nocte viros omnes & compita oblectabant. Ipse Crojenses publica concione laudatos meritis muneribus ornavit, milites præsertim, quorum fide animoque Croja steterat, et Uranocontem in primis, quem inter multos amplexus deosculatus copiosa auri argentique vi, duplici purpurea chlamyde, unaque auro contexta donari voluit, & plurium agrorum ditissima possessione. Accessere his Albanensium procerum, & ex Italia & Gallia principum virorum gratulationes, qui tantum de Epiri incolumitate gavisi, & invictam Georgii fortitudinem admirati sunt, quantum de utriusque periculo etiam sibimetipsis antea metuerant, si barbarorum furor et potentia Epiroticum robur superasset. Nam Nicolaus V. Pontifex, Ladislaus Hungariæ Rex, & Philippus Burgundiæ dux legatos ad eum misere cum ingenti tum auri tum argenti pondere, ut maximis belli sumptibus exhaustum recrearent. Excelluit in his Alphonsi Neapolitani Regis benevolentia & largitas, qui ad grandem pecuniæ summam adjecit modios tritici tercentos mille, ac hordei item centum mille, multosque artifices suo ære conductos, qui Crojæ muros instaurarent; quia Arrianites Topias Golemus, ut eum Barletius nominat lib. 2., potentissimus Epiri Dynasta decem millia pondo argenti munifico sane munere est ei elargitus. Nova etiam gaudia consecuta sunt anno 1451. ob Georgii splendidissimas nuptias, ac pæne regales, cum Marina Arrianitis filia confecta; queis spes erat sobolem patris similem Crojense imperium firmaturam; certe plurimum opis viriumque Georgio accrevit ex affinitate cum socero. Quo etiam anno missus a Nicolao V. Eugenius de Somma natione Albanus & Franciscani instituti assecla in Albaniam, qui Pontificii Internuncii nomine & auctoritate res Christianas illius provinciæ curaret, ac Georgio adesset consiliis atque hortationibus ad religionem tutandam. Vide jam dicta pag. 90.

Gratulationes ad Georgium legationes.

Ejus conjugium.

Verum, inter hæc lætissima, Mehemetes II. inito patris regno, ejus irarum & odii hæredem Scanderbegi se palam hostem professus est; & immisso in Epirum exercitu jactabat, Crojensium faustos dies ac lætos in mœstitiam atque luctum præpropere conversum iri. Quæ minæ nihil movere Georgii animum; & licet insidiæ illi fierent a Tyranno, & a Ducaginis proceribus, qui privato odio non verebantur cum ejus vita columen rei publicæ Albanensis, seque ipsos penitus perdere, cum tamen & Turcæ sicarii deprehensi fuissent, & Nicolai Pontificis cura studioque pacem inter Ducaginos & Georgium conciliasset Paullus Episcopus Drivastensis, uti dictum satis in Drivastensibus Episcopis, & in Andrea II. Archiep. Antibarensi; is eductis copiis obviam hosti processit, tresque Mehemetis duces tribus præliis devicit; Moysem etiam Dibrensem sibi affinem, qui per summum nefas rebellaverat, justo certamine fregit; quibus victoriis sex supra decem hostium millia occubuisse perhibent illorum temporum annales. Crojenses his sui Principis triumphis gloria in dies, multisque aucti ornamentis lætiorem præsensere constantioremque fortunam, nato anno 1456. Georgii filio, cui Joannis avi nomen impositum, ejusque ortus magnifico apparatu, & effusis universæ civitatis gaudiis celebratus est. Ast se unum ad resistendum innumeris tam teterrimi hostis turmis non suffice-

filius ei nascitur.

Digitized by Google

ficere prudenter ratus, anno 1457. ad externa confugit auxilia; quare per idem tempus funesta ad Belgradum clade accepta, eoque amisso Epiri propugnaculo, arce etiam Modrissæ per proditionem a Turcis capta, misit legatos ad Alphonsum Regem, & ad Callistum Pontificem binas litteras religionis & obsequii plenas, queis utrumque de suo periculo commonitum ad ferendam opem sollicitaret. Nec defuit Georgio Pontifex erga eum optime animatus; & non solum amantissima epistola, & multis promissis ad constantiam exstimulavit, & ad spem divini præsidii, sed etiam præstitit quæ receperat. Habeo has litteras ex Raynaldo, qui narratas a nobis Georgii victorias in Moysem & Amesam, priorem quidem cum Belgradensi calamitate in annum rejicit 1457. posteriorem in annum 1458., cum Biemmius illam an. 1456. hanc vero an. 1457. affixerit; quem in describendis Scanderbegi gestis diligentiorem, quam cæteri, hactenus secuti sumus. Nunc Callisti litteras subjicio.

Callisti III. P. ad Georgium litteræ.

Georgio Castrioto Scanderbeg Albaniæ Domino.

Binis literis tuis uno tempore receptis certiores effecti sumus de adventu perfidorum Turcorum ad expugnationem terrarum tuarum: ex quo significas te non parvo timore perculsum, dubitasque quonam pacto irruentibus hostibus obsistere possis; non tamen propterea animum demisisti, quin totis viribus in occursum hostium ire intendas. Nos, dilecte fili, de tua nobilitate semper optimam opinionem habuimus, cognovimusque quanta perseverantia & quam strenue in partibus illis prope solus obstiteris sævissimis Turchis satagentibus per aditum terrarum tuarum recuperare ad damna & oppressionem Christifidelium: nec parva apud Catholicos est gloria tua illustrata tot bene gestis rebus, & quadam quasi continua felicitate vincendi. Quare te hortamur, ut animum tuum piissimum non solum constanter serves pro defensione fidei orthodoxæ, sed eum viriliter augeas, & spem certissimam concipias, fore ut omnipotens Deus sæves conatus barbarorum infringat, & militibus ac defensoribus sanctæ religionis vires & potentiam subministret.

Nec te terreant ullæ minæ, nec numerosas copias formides: nam Deus non deseret plebem suam, qui vel solo nutu suis propugnatoribus victoriam contra innumerabiles exercitus dare potest. Quis enim superiore anno magnitudine impendentis periculi prostratus non erat, cum impius Turcarum tyrannus in faucibus Hungariæ cum inaudita potentia ad eam occupandam obstinatissimo animo immineret? at Deus omnipotens, dominus exercituum, divinam infudit virtutem cordibus Christifidelium, & in eorum brachiis potentiam fecit. Qui non modo non cessere feralibus ausis Turchi, (1) *sed eum, qui terrore suo mundum pene complexat, exuvum castris, amissisque infinitis bellici apparatus instrumentis, in fugam turpissimam cum maxima strage compulerunt. Sed quamvis hæc magna fuerint, majora adhuc restant, quæ Deus pro victoria populi sui peraget.*

Nec tamen interea nos tibi deesse intendimus; nam, etsi maximi sint & intolerabiles sumptus, quibus propter alias provisiones, quas die noctuque facimus pro fidei defensione, tamen citissime unam galeam optime instructam & armatam in succursum tuæ nobilitatis & tuorum mittemus, & subinde nonnullas alias, quam celerius poteris, mittere procurabimus: tu vero tanquam fortis athleta, & verus propugnator fidei Christianæ magno animo fortique sis, & totis viribus divina fiducia plenus advenientibus barbaris resistas; Deus enim te diriget, & gubernabis, ut victoriam & triumphum consequaris. Dat. &c. die IX. *Junii MCCCCLVII. Anno III.*

NOTA.

1. Innuit victorias adversum Turcas a Joanne Hunniade adeptas an. 1456. alteram in Danubio navalem, viginti amplius hostium triremibus demersis, alteram terrestrem ad Taurunum, cæsis Turcarum millibus viginti quatuor.

Mehemetes interea fere quinquaginta virorum millia in Epirum iterum miserat eum Amesa fratris Georgii filio, quem in suas partes pellexerat Tyrannus; & oppleta camporum late planitie, Croja videbantur imminere. Quare Georgius, cum arces & oppida strenuo milite muniisset, agris etiam vastatis, nequid commeatus inde hostis arriperet, in Alexii finibus ad mare constitit cum lectissima copiarum manu; & per Georgium Petri, cognomine Cuccam, qui ei erat a sacris quotidianis, ait Biemmius lib. 5., Abbas etiam dictus, Callistum Pontificem rursum de rerum Albanensium difficillimo statu certiorem fecit, qui tanto Georgii periculo commotus triremem ducentis militibus, multoque bellico apparatu instructam illuc rursum contendere, tum Ludovicum Scarampium Cardinalem classi pontificiæ præfectum jussit celerrime ex Ægeo mari, ubi tum erat, in Epiri præsidium navigare; præterea Joanni Navarro mandatum, ut certam pecuniæ summam ex ea, quæ per Dalmatiam & Ragusii in bellum sacrum collecta fuerat, ab eo ad Georgium deferretur, eumque penes pontificium legatum ageret. Hæc ipse Pontifex ei significavit aliis literis re quidem vera consolatoriis, quas ex laudato Raynaldo hic exscribimus.

Croja periculum.

„ Georgio Castrioto Scanderbeg Albaniæ
„ Domino.

Alia Callisti P. litteræ & subsidia ad Georgium missa.

„ Maximum certe & inenarrabilem dolo-
„ rem nobis attulit dilectus filius Georgius
„ Petri Abbas, qui a tua nobilitate ad nos
„ missus de irruptione Turcarum in terras
„ tuas, de vastitate illius provinciæ & clade
„ tuorum, & denique de obsidione, qua ab
„ exercitu barbarorum circumseptus esse di-
„ ceris, nobis nuntiavit; fuit id profecto
„ nobis molestissimum audisse. Nam cum te
„ semper pro tua excellenti strenuitate, pro
„ qua memorabilibus gestis tuis ultra omnes
„ catholicos principes de fide & religione

Digitized by Google

„ Christiana optime meritum sentiamus, non „ possumus non gravissime dolere, nobilitatem tuam in tantum discrimen adductam „ esse intelligere, vellemusque, ut ea nobis „ essent facultates, ut tibi, quemadmodum „ optamus, de subito subsidio possemus subvenire, quod non minus necessario, quam „ libenter magnoque animo faceremus; non „ tamen tibi deesse intendimus; quin etiam „ ultra vires nostras saluti & defensioni tuæ „ consulamus; nam quo facilius vim & tempestatem istam & sustinere & repellere „ possis, en mandavimus, ut devotioni tuæ „ ex nonnullis pecuniis propter sanctam cruciatam Ragusii, & per Dalmatiam collectis certa pars tibi consignetur; licet charissimi in Christo filii nostri Hungariæ „ & Bosinæ reges illustres ad eas pecunias „ animum adhibuissent, & multifariam summisque precibus apud nos egerint, ut subventionem illiusmodi pecuniarum ipsis faceremus, cum ipsi pro fide catholica quasi continue cum Turchis manum conserere, & propter vicinitatem eos, ne laxato „ impetu in Christianitatem ferantur, reprimere, & quasi ab aditu propulsare cogantur.

„ Tu vero forti animo & constanti sis, „ tuorumque felicium gestorum & laudum „ rationem habeas, quæ cum jam plena & „ consummata gloria ubique insigni præconio apud Catholicos prædicentur, accedet eis cumulus maximus, si senserint „ fideles nobilitatem tuam in tanto furore „ & impetu immanissimorum hostium non „ labefactatam, sed tuam strenuitatem & virilitatem præsenti animo conservasse: nemo enim est tam ignarus rerum, qui non „ summis laudibus ad cælum te extollat, & „ de tua nobilitate tanquam de vero athleta „ & propugnatore nominis Christiani non „ loquatur. De nostra vero in te charitate „ non multa hic dicere decrevimus; nam „ quanta ea sit re & effectu cupimus tibi „ ostendere. Scripsimus legato classis nostræ, „ qui in oriente est, ut cum classe nostra „ vel illius parte tibi, si necesse fuerit, „ opportuno sit subsidio; quod si impetus „ ipse imminentis procellæ paulisper sustinebitur, nec statim tempestati huic succubueris, insequens serenitas mala omnia „ levabit; etenim hac hyeme tot fiunt apparatus a Christifidelibus, quos universo „ orbe assiduæ monitiones, preces & lacrymæ nostræ excitarunt, tantusque concursus Christianorum Potentatuum erit ad exscindendam pessimam nationem Turcorum, „ ut, divino oraculo & numine quodam præsagiente, rati sumus canem illum rabidum, „ & serpentem hunc Turcum, qui nunc delitescit, nunc per damna Christianorum emergit, & grassatur in populum Dei, domitum & fractum dimissis, quæ male occupavit, in perditionem & ruinam missum „ iri. Vere primo videbit tua devotio mirabilia, & spurcissimos illos Turcos cum „ gaudio & lætitia repressos, & fugatos „ cernes, qui nunc per summum scelus capiti „ tuo, tuorumque subditorum insultant.

„ Nec te moveat jactura & strages, qua „ tui forsan affecti sunt; majora enim succedent, quæ duplici honore amissa restaurabunt, & tibi tuisque perpetuam requiem & felicitatem afferent: hæc enim „ non vane loquimur, sed facta fidem faciant „ verbis nostris, ut in aliis sæpe visum est „ anno superiori, cum perfidus Turchus Hungariæ immineret. Quis non timebat, cum „ tantum furorem tantamque audaciam potentissimi hostis cerneret Christianitati „ impendere? Sed immortalis Deus nostris „ & aliorum Christifidelium precibus inclinatus succurrit populo suo, & innumerabilis illa multitudo tanquam nebula ad solem dilapsa & dissipata est, monstrumque illud nefandissimum consilii egens, & „ diffidens rebus suis, ad latebras interiores „ regnorum suorum fugam arripuit. Magna „ hæc fuerunt, sed majora restant, quæ „ Deus faciet pro tutela populi sui. Potentiæ undique concitatæ sunt, quæ terra „ marique confluant ad eam pestem exterminandam: superest, ut tua devotio salva „ constantia & fortitudine tanquam miles & „ athleta Christi invictus viriliter sustineas „ impetum istum, qui divino subveniente „ brachio cito ad nihilum redigetur. Pro „ colligendis autem & consignandis tibi pecuniis præfatis mittimus in Dalmatiam dilectum filium Joannem Navar scutiferum „ nostrum, ut etiam ad tuam nobilitatem se „ conferat, & quantum placuerit, ibidem „ stet. Dat. XI. Septembris MCCCCLVII. „ anno III. „

Voluit etiam Pontifex, ut decimæ in Albania collectæ ab Archiepiscopo Crainensi, de quo dictum in Paullo Drivastensi Antistite, in Georgii subsidium erogarentur, & sex post diebus aliam eidem scripsit epistolam breviorem, cujus pars extrema allata est a Raynaldo ad hunc annum ipsum.

Callistus &c. Dilecte fili, ut facis persevera in devotione tuendæ & defendendæ fidei catholicæ; nam Deus, cujus res agitur, non deseret causam suam, sed tibi & aliis Christianis de perditissimis Turcbis & aliis infidelibus victoriam cum summa gloria & triumpho pro certo dabit, nosque etiam ulera vires nostras in bis promptos habebis. Dat. XVII. *Septembris anno MCCCC.LVII.*

Ipso anno Callistus duos e Franciscana familia in Albaniam legavit Joannem de Albania, & Eugenium Somma superius laudatum, qui incolarum fidem ac pietatem in tot illius provinciæ ærumnis sustentarent, & Georgium coram ipsi ad persequenda egregie facta accenderent; ut dictum pag. 91. ubi perperam Eugenium Somma ab Eugenio de Albania distinximus, cum unus idemque Eugenius sit apud Vaddingum, & qui an. 1451. a Nicolao V. & qui hoc anno a Gallisto III. jussus est ad Albanorum adjumentum & solamen illuc proficisci.

Igi-

Digitized by Google

Georgii victoria illustris.

Igitur, dum Romæ de Albanis auxiliis agebatur, Georgius moras Alexii trahebat, in omnes hostium motus & molitiones inquirens per exploratores, & cuncta observans. Erat autem hic rumor in Turcicis castris, quem plerique aucupabantur, ipsum suis viribus diffisum, desperata Epiri fortuna, aufugisse. Qua opinione securi dum certa spe provinciam totam devorant, & prædas urbium ac rapinas, ut Georgius vidit dispersos extra castra vagari, otioque epulisque diffluere in campis nullo ordine, nulla militiæ disciplina, tres in partes divisit aciem, & intempesta nocte ita disposuit, ut condicta diei advenientis hora uno impetu simul a fronte, a tergo, a lateribus improvidos atque imparatos adorirentur. Primo aggressu fit hostium clamor, & ululatus, confusi ad arma convolant, ad castra, sed tardo & irrito conatu; nam Epirotæ, cæsis per agros Turcarum turmis, in ipsa castra perrumpunt; nec mora, nec requies, pari ardore cædunt, obtruncant, replent omnia terrore, tumultu, sanguine; Bassa unus tum selecto milite parumper obsistere ausus est; verum ab Albano equitatu circumseptus vix in tutum fuga prosiliit; tum consternati reliqui, fere viginti millia, qua via patuit, & ipsi se in fugam conferunt nihilo, quam pugna, minus cruentam. Dimicatum est ad vesperam usque; cecidere Turcæ innumeri, pæne mille capti, quos inter Amesa horum malorum auctor, fautorque; integra castra cum omni armorum apparatu, & opimis Turcarum spoliis in Georgii potestatem relicta. Ita ejus cunctatione & virtute res Epirensium iterum restitutæ, qui mox præmiis ac muneribus donatos milites in hyberna misit; Amesam vero perpetuo carcere damnatum, ne vi, aut astu e custodia elabens ad Turcas denuo transfugeret, in Italia devehi voluit ad regem Alphonsum, a quo devinctus teneretur, eumque duodecim Turcicis equis splendide ornatis, quatuor hostium signis, ipsoque Bassæ tentorio sane prædiviti muneratus est; tum Crojam revertit anno jam inito 1458., civesque, periculo omni depulso, maxima extulit lætitia.

Tanta suorum strage pæne præ furore insanire visus est Mehemetes; seque a Georgio victum invite profitens ad pacem animum vertit, præsertim cum ad ejus aures pervenisset fama initi inter Europæ reges potentissimi fœderis, quo in extremam Turcici imperii perniciem consplrare dicebantur. Itaque egit per legatos, ut Georgius in suam mentem traheretur, sibique vellet pacificari; at respuit is Tyranni postulata tanto sibi gloriosiora, quanto supplicis magnitudo ac potentia magis Dynastæ Epirensis vires superabat; & copiis per opportuna loca dispositis, quæ Turcas ab incursionibus prohiberent, iterum a Callisto Pontifice, & ab Alphonso Rege petiit ad bellum adjumenta; & ille quidem, ut erat incensus animo adversus infensissimum religionis hostem, & pro sacro fœdere firmandæ maxime sollicitus, Georgium aliis literis solatus est, ad constantiam retinendam animavit impensius, & præter quinque millia nummum argenti, quos illico in Epirum transmitti jussit, quibuscumque posset subsidiis se laturum opem promisit. Hæ autem Callisti litteræ.

Callisti P. ad eum literæ,

Georgio Castriotti Scanderbech Albaniæ Domino

Dilecte fili, salutem &c. Fuerunt apud nos, dilecte fili, oratores tui, quos ad nos misisti, quibus accurate & prudenter, quæ a nobilitate tua in mandatis habent, referentibus, intelleximus clades, quæ a sævissimis Turcis & tuis terris & partibus istis illatæ fuerunt, & admirandam animi tui magnitudinem, quam contra eos, ut decet principem catholicum, ad compescendum eorum furorem adhibes, & labores continuos, quos propterea sustines. Agimus Deo gratias, quod partibus istis, per quas quasi per portam ad irrumpendum in Christianitatem hosti perfido & sævissimo aditus patere posset, te quasi obicem & murum firmissimum ad resistendum apposuerit, & hostem eumdem, cum quo tibi conserta manu sæpe pugnare oportet, per te crebris cladibus cum tua maxima laude & gloria afficiat. Utinam tui animi ex cæteris principibus Christianis multos haberemus! non quidem pro fidei tutela tam anxii & solliciti essemus. Persevera, fili charissime, in devotione, & in sancto & salubri proposito tuo: nam cum pro fide Christi certes, sperare debes, eum, cui nihil est impossibile, & fortia quæque parvis confundit, quod te non deseret, sed victoriam gloriosam de suis hostibus tibi dabit.

Nos vero, etsi pro sustinenda classe in partibus orientalibus & alibi, illaque roboranda & augenda vix facultates nostræ sufficiant, & aliis incredibilibus gravemur impensis, tamen, ut pro laboribus & periculis sustinendis, quæ te cum tuis pæne continue subire oportet, plus facultatis habere possis, facimus tibi subventionem opportunam, & quam possumus, quinque millium florenorum de camera, faciturl majorem in dies, ut speramus, ut ex tuis oratoribus præfatis, quibus super præmissis fidem habebis, plenius intelliges.

Convocationem quam facimus, oratorum Imperatoris, regum & principum Christianorum super prosequenda imprisia contra Turcum, jam tuæ nobilitati per alias literas significavimus. Venerunt jam aliqui ex eisdem. Speramus, Domino adjuvante, rem taliter successuram, quod parabitur opportunum auxilium ad prosecutionem hujus felicissimæ imprisiæ per omnes partes. Sis igitur, ut es, animo forti & magno, nec te ulli metus terreant: nam Dominus erit protector tuus, qui vires tibi subministrabit, ut cum summa tua laude & gloria victoriam de hostibus consequaris. Dat. die sexta Februarii MCCCCLVIII.

Aliter, ac Pontifex, se gessit Alphonsus; quippe qui veterem Georgii amicitiam negligens, & munerum largitatem, quibus ab illo fuerat paullo ante cumulatus, nullam prætu-

tulit de ejus periculo sollicitudinem, omnemque optati subsidii cogitationem curamque in Callistum rejecit, cui per litteras Georgium commendaverat. Is vero biduo post priorem jam allatam epistolam in Alphonsum retorsit ipsam commendationem, datis ad eumdem hujusmodi litteris, quæ Regis animum ad opitulandum flagitanti amico moverent.

& ad Alphonsum Regem.

Callistus &c. *Intelleximus, quanta affectione dilectum filium nobilem virum Scanderbech Albaniæ dominum nobis commendaris; quod nobis fuit jucundissimum; tametsi nostra propria voluntate illum pro suis virtutibus & ingentibus factis, quibus non solum de nobis, sed de universa Christianitate optime meretur, arctiori, quam dici possit, charitate complectamur: videmus enim eum prope solum furori sævissimorum Turcorum quasi murum quemdam firmissimum esse oppositum, qui ipsorum aditum præcludit, ne in Christianitatem irrumpant: nec nos latet, quot cladibus ipse cum suis subditis affectus fuerit.* Paucisque interjectis de missa illi auri vi subsidiaria, addidit: *Hortamur serenitatem tuam, ut eidem Scanderbech, uti etiam consuevisti, opportunis subsidiis subvenire, eumque tot angustiis circumseptum adjuvare velis. Dat.* VIII. *Februarii anno MCDLVIII.*

Sed cum post aliquot menses & Alphonsus VI. idus Junias, & Callistus VIII. idus Augusti ejusdem anni diem supremum obiissent, hujus certe e vita decessione rerum facies est immutata; & Georgius sua spe frustratus, quam in sacro fœdere nondum a Pontifice inter Catholicos reges composito plurimam habebat, duos amplius annos ab armis invitus quievit; nam imprudentiæ sibi notam jure metuebat, si solus hostem provocasset, qui licet victus fractusque vel ipsa suorum multitudine Epirum totam posset mortifero opprimere exitio; & cæteri Europæ domini in suam unice intenti securitatem religionis & rei publicæ caussam negligentissimo deserebant. Quare Georgius, dum vigili animo, & armorum præsidiis provinciam, & Crojam urbem in primis tuebatur a subitis hostis incursibus, quocum nullæ erant induciæ, nihilo segnius civilem suæ ditionis administrationem gerebat; quo tempore status Crojensis Ecclesiæ floruit certe ob insignem Georgii pietatem, quæ in ejus gestis maxime præluxit; & quamvis Episcopo careret, hoc Principis exemplum urgebat omnes ad imitandum, & ad jussa Christianæ legis atque disciplinæ sedulo implenda.

Crojæ status.

Ast inito jam anno hujus sæculi sexagesimo Georgium alio avocarunt externæ cogitationes curæque. Callisto Pontifice vita defuncto, Pius II. in ejus locum successerat anno 1458., a quo in Mantuano conventu renovatum Europæ Asiæque regum fœdus in Turcas, & decretum de sacro bello editum XVIII. Kal. Februarii anni 1460.; & post exstinctam Alphonsum Ferdinandus ejus filius adulterinus regni Neapolitani possessionem adeptus fuerat, Gallis invitis, qui plurium e Proceribus rebellium fulti auxiliis, & regem aggressi, in summum discrimen hoc anno adduxere. Equidem Lechi Ducaginus, quem jam diximus ante in Georgium conjurasse, novas hoc anno turbas in illum exciverat, & iniqua cum Turcis coitione pacta, prope erat, ut impium facinus in Scanderbegi exitium erumperet. Proditione tamen detecta, firmiora sibi præsidia augenda intellexit; hisque accessere Pii Pontificis litteræ ad Archiepiscopos Antibarensem & Dyrrhachinum, & ad provinciales utriusque Antistites, quibus jussit Lechæ, ejusque fratribus Ducaginis denuntiari, sacris omnibus esse illis interdictum, nisi intra quindecim dies fœdus omne cum Turcis abrumperent, & ab lacessendo Georgio penitus abstinerent. Has literas protulimus in Laurentio II. Archiepiscopo Antibarensi. Sed Paulli Angeli Dyrrhachini Archiepiscopi tantum valuit auctoritas, ut Lechas, & gens tota Ducagina nefarium scelus exsecrantes in amicitiam & gratiam cum Scanderbego sinceris animis redirent. Hæc gesta sunt post Februarium mensem, quo scripta a Pio epistola. Itaque Georgius ab hoc periculo ereptus, ubi de Ferdinandi casu allatum est, plurimum doluit, & ejus calamitate motus, quocum, ejusque patre magna ei intercedebant amicitiæ officia, tum Marci Caravasii regii legati adventu ac precibus, afferre opem Ferdinando constituit, se in Italiam quamprimum adventurum cum exercitu pollicitus; & nequid detrimenti Epirus ejus absentia pateretur a Turcis, Pium Pontificem de hoc itinere consuluit per oratorem Martinum Misiachium, ab eoque petiit, ut inducias cum Mehemete pacisci sibi liceret; sin minus, mitteret Pontifex legatum, qui Crojensi ditioni cum potestate præesset, ejusque prospiceret incolumitati. Utrumque effici posse Pius negavit, cui tamen perspecta erat & valde probata Georgii virtus; & consilium Neapolitani itineris, ac Ferdinandi tuendi a se ait laudari ea certe de causa, quod regis defensio pontificia in illud regnum jura servabat, cum Romanæ Sedis auctoritate Ferdinando fuisset delatum. Hæc ex litteris Pii ejusdem, quas a Raynaldo ad an. 1460. acceptas describimus.

Georgius cum Ducaginis pacem composuit.

Pii II. P. litteræ ad Georgium.

Pius Papa II. Scanderberg salutem &c.

Dilecte fili &c. *Veniens ad nos dilectus filius Martinus Misiachius miles, & tuus orator retulit nobis, quemadmodum in his molestiis, quæ charissimo in Christo filio Ferdinando Siciliæ Regi illustri a suis hostibus inferuntur, statueras fidelis subditi* (1) *officium adimplere, & in regnum Neapolitanum adveniens illi pro virili tuam opem afferre. Addidit quoque, quod, cum sine manifesto periculo amissionis locorum, quæ in Albania tenes, discessus tuus esse non possit, permittere tibi vellemus, ut cum Turcho posses pacisci; vel si hoc non probaremus, legatum nostrum istuc misteremus, qui possessionem defensionemque dominii tui susciperet. Ad hæc, dilecte fili,*

1

fili, respondimus, Romano Pontifici non convenire licentiam cuique dare, ut cum infidelibus paciscatur, quorum nulla conventio Dei offensione est vacua: mittere autem legatum, qui loco tui partes illas tueatur, diximus, nec utile ad id, quod quæritur, esse, nec nobis propter impotentiam facile; verum cum Veneti paratam classem jam habeant, & potentes admodum sint, intercessuros cum eis, ut dominii antedicti protectionem capiant, nec diffidere nos id esse facturos. Hoc idem autem tuæ nobilitati per literas respondemus dolentes admodum inventam non esse in principibus Christianis eam devotionem ad opus fidei, quam sperabamus, nec tales esse nostras, & Ecclesiæ vires, ut tuæ nobilitati auxilia præstare possimus, quæ constantiæ & operibus pro fide susceptis deberi cognoscimus. Propositum autem transeundi ad defensionem antedicti regis, quem de te bene meritum memoras, plurimum commendamus, non dubitantes adventum tuum magnæ illi utilitati ad omnia bene gerenda futurum, teque ex eo plurimam veræ laudis esse consecuturum. Confidimus quoque regiam serenitatem suam hanc fidei præstantiam attendentem præmia retributurum, quæ in tali necessitate sunt debita, nosque ad eum efficaces literas dedimus, & vehementer sumus hortati, ut mentem hanc tuam grate suscipiat, dignamque habeat ejus fidei, & constantiæ rationem, quam in paucis invenit. Non dubitamus suam serenitatem nostras exhortationes, & facta tua intuentem honorifica gratitudine esse usurum. Dat. XXIX. *Junii &c.*

NOTA.

1. Quo sensu Georgius appelletur *subditus* Ferdinando regi, non assequor; sed Pontifex minus proprie hoc vocabulo usus videtur, vel quia Neapolitani Reges jus aliquod in Epirum, & in Dyrrhachinam provinciam sibi nomine tenus tribuebant, vel quia Crojenses, quorum urbs a Carolo Topia Beneventano condita fertur, supremum Regum Neapolitanorum dominatum revererentur, eorumque se in fide esse putarent. Scribit Joannes Marianna lib. 22. rer. Hispanic. cap. 10. Georgium an. 1451. verius an. 1450. spopondisse Alphonso Regi, *si milite & pecunia in id bellum* Turcicum *juvaret, in ejus fide futuram provinciam, annuumque vectigal repræsentaturus cum fide, quod Turcarum Principibus pendere soliti erant*. Neutrum tamen ab Alphonso effectum ait Biemmius lib. 4. nisi post solutam obsidione Crojam ipso anno, quo pecuniæ & commeatus vim magnam Georgio elargitus est.

Biemmius lib. *6.* pontificiæ huic epistolæ postponit Ducaginorum conjurationem, quæ Georgii in Italiam adventum retardaret. Sed chronologico labitur errore; hæ enim litteræ, tum laudatæ superius de Ducaginis, eodem anno 1460. scriptæ sunt, ut eas ex tabulis Romanis profert Raynaldus; quæ vero Ducaginos spectant, IV. idus Februarii, quæ ad Georgium missæ, die XXIX. Junii dicuntur datæ anno II. Pontificatus Pii II., qui desinit mense Augusto anni ejusdem 1460. Igitur Ducaginorum in Georgium conspiratio præcedat necesse est allatam Pontificis responsionem. Hinc consequitur, non esse verisimile, quod Biemmius affirmat, Georgium solvisse Dyrrhachio cum exercitu versus Apuliam Julio mense extremo anni 1461. Cur enim in integrum annum differret opem Ferdinando, cujus regia dignitas proxime periclitabatur; & parato jam milite, solum erat opus ad trajiciendum onerariis navibus Ragusinis, quas Dyrrhachii præstolatus est? Et Raynaldus hujus anni initio non Georgium in Apuliam tum advenisse memorat, uti Biemmius asserit, sed Ferdinandum ejus virtute adjutum innuit. Quare, cum nihil certi arguere liceat de stato Georgianæ profectionis tempore, hæc in me sedet opinio, Georgium post acceptum Pii responsum, factis cum Mehemete in annum induciis, celerrime præmisisse in Apuliam selectas militum turmas, duce Joanne Stresio; tum Croja, totaque ditione validius munita, quam Marinæ conjugi, & consiliariis duobus fidissimis Anastasio Ramizio, & Petro Angelo Paulli Archiepiscopi fratri administrandam commisit, ipse Dyrrhachio solvens ineunte autumno subsecutus est cum integra classe Barolum versus. Ad rem nostram non attinet, hanc partem historiæ Georgianæ persequi, quæ ab Epirensi aliena est tum civili, tum ecclesiastica, quamque descripsere alii plures æque exteri historici, ac Neapolitani. Non est tamen silentio prætereundum, tanto ampliorem laudis gloriæque cumulum Georgio accesisse in hac bellica expeditione, quanto fortius atque celerius Ferdinandi hostes repressit, ac pæne collapsum imperium aliqua ex parte restituit; quo tempore & paratas sibi a Jacobo Picinino hostium duce insidias feliciter evasit; & Albanum nomen adversus contumeliosas Joannis Antonii Ursini Dynastæ Tarentini rebellium principis literas, seque ipsum egregie defendit aliis literis non levi justaque inspersis sententiarum verborumque acrimonia; utrasque vero lib. *6.* Comment. Pii II. descriptas hic lubet exhibere, utpote cum ex his altera Epiroticæ gentis æquam habeat commendationem.

Georgii in Italiam adventus.

Dynastæ Tarentini ad Georgium litteræ,

„ Joannes Antonius Princeps Tarentinus
„ Georgio Albano salutem.

„ Decebat te, quem bello clarum fortuna
„ fecerat, hostes, quos aliquando pro Chri-
„ stiana religione propulsandos elegeras, ad
„ internecionem usque persequi, & non, il-
„ lis paululum irritatis, relicto campo, in
„ Italiam adversus Christianos arma profer-
„ re. Quæ tibi causa contra me est? quid
„ ego aliquando in te peccavi? quæ unquam
„ inter nos antea fuerunt jurgia? Dispoliasti
„ agros meos, & in meos subditos crudeliter
„ debacchatus es, bellumque prius intulisti,
„ quam indixisti. Dicis te pugilem fortissi-
„ mum

„ mum esse Christianæ religionis, & eam inse-
„ queris gentem, quæ jure merito Christianis-
„ sima vocatur. Adversus Francos convertis-
„ sti ferrum, quorum est Siciliæ regnum;
„ sperasti, te forsitan adversus effœminatos
„ Turcas, aut imbelles Græculos pugnam
„ conserturum, quorum consueveris terga fe-
„ rire. Alios hic viros invenies; quamvis
„ horribilem tuum aspectum ferunt, nemo
„ tamen tuam faciem fugiet; ultro te laces-
„ set miles noster, nec faciem Albanam ti-
„ mebit Italicus sanguis. Novimus genus
„ vestrum; quasi pecora æstimamus Alba-
„ nos. Pudet tam vilem gentem hostis ha-
„ bere loco; nec tu tantum tibi negotii ar-
„ rogasses, si potuisses domi manere. Fu-
„ gisti Turcarum impetum, & cum propriam
„ tueri domum nequires, alienam invadere
„ cogitasti. Deceptus es, nisi pro domo
„ quæris sepulchrum. Vale.

& Georgii ad eum responsio.

„ Georgius Albaniæ Dominus Joanni Antonio
„ Principi Tarenti salutem.

„ Nactus cum hoste religionis inducias
„ nolui amicum meo auxilio fraudari. Sæpe
„ mihi Alphonsus adversus Turcas pericli-
„ tanti suppetias misit; ingratus fuerim, ni-
„ si filio rependerem vices. Illum ego tibi
„ regem fuisse memini; cur non succedit a-
„ pud te patri filius? Patrem adorasti, &
„ filium quæris ejicere? unde hæc tibi au-
„ ctoritas? Tuum ne ajunt, an Romani Pon-
„ tificis esse Siciliæ reges constituere? Ego
„ Ferdinandum regis filium ab Apostolica
„ Sede regem declaratum adjuturus veni ad-
„ versus perfidiam tuam, & innumerabiles
„ proditiones procerum regni hujus. Dabitis
„ pœnas temeratæ fidei, nec semper impune
„ pejerabitis. Hæc mihi tecum belli causa;
„ non minus hic mereor, quam dum Turcis
„ insto; nec tu melior Turca es; sunt enim
„ qui reputant nulli sectæ addictum. Tu
„ mihi Francos objicis, & nomina Gallo-
„ rum, qui pro religione magna prælia de-
„ certaverint. Nolo de rebus antiquis disse-
„ rere, quæ fortasse multo minora fuerunt,
„ quam fama feruntur. Illud constat, ætate
„ nostra frequentes Arragonensium classes
„ Ægeum percurrisse pelagus, Turcarum ve-
„ xasse litora, multas ex hoste prædas attu-
„ lisse. Timuit aliquando Turca Arragonen-
„ ses; & Troja in hostium faucibus usque
„ in hanc diem Arragonensium armis defen-
„ ditur. Quid mihi vetera commemoras, &
„ nova præteris? mutantur familiarum mo-
„ res, & aratores ad regnum, reges ad ara-
„ trum redeunt, nec virtute diuturniorem
„ nobilitatem invenies. Non me fugit, Gal-
„ lico te olim generi fuisse infensissimum;
„ nam te potissimum adjutore Alphonsus
„ Gallos ejecit; nescio quæ nova virtus e-
„ mersit; sidus fortasse aliquod novum il-
„ luxit, quod inter Gallos demiraris. De-
„ spicis deinde gentem nostram, & quasi
„ pecora ducis Albanos; more tuo contume-
„ liose loqueris, nec nostri generis originem
„ nosse videris. Majores nostri Epirotæ fue-
„ runt, ex quibus ille Pyrrhus prodiit, cu-
„ jus vix ferre impetum Romani potuerunt,
„ & qui Tarentum & alia multa Italiæ lo-
„ ca armis occupavit. Non est, quod Epi-
„ rotis viris fortissimis Tarentinos objicias
„ madidum genus, & ad legendos pisciculos
„ natum. Si dixeris, Macedoniæ partem es-
„ se Albaniam, longe nobiliores concedis a-
„ vos, qui sub Alexandro usque in Indiam
„ penetravere, gentibus universis, quas oc-
„ currerunt in medio, incredibili felicitate
„ prostratis. Ex illis ortum habent hi ho-
„ mines, quos tu pecora vocas. Si sumus
„ pecora, & non est mutata rerum natura,
„ cur fugitis homines ante pecora? Superio-
„ ribus diebus sæpe factum est periculum,
„ Albani an Apuli armenta fuerint; neque
„ ego quempiam adhuc reperi, qui meum
„ vultum ferre potuerit; tuorum militum
„ quam bene armata sint terga pulchre di-
„ dici, thoracem adhuc nullum spectare po-
„ tui; nec faciem cujuspiam novi, nisi eo-
„ rum, quos in vincula conjeci. Nec ego
„ tuam quæro domum, quando mihi mea
„ satis est; verum do operam, ne tu, qui
„ sæpe vicinos proceres e suis possessionibus
„ præcipitasti, etiam regem possis ejicere,
„ & quod iniqua mente persuasisti, regnum
„ invadere. In quo labore si fortasse cadens
„ sepeliar, ut mihi auguraris, præmia tamen
„ feret animus a rectore omnium Deo, si
„ non perfecti, at meditati & pertentati e-
„ gregii facinoris. Vale. „

Qui in Epirum redit, & duos Turcarum exercitus fugat.

Hæc dum in Apulia geruntur, Mehemetes, contempta induciarum fide, Epirum aggredi rursus parabat; qua de re Georgius a Marina conjuge certior factus est per celeres nuntios; & collectis copiis, petitaque a Ferdinando necessariæ discessionis venia, hoc anno 1461. festinus ad suos trajecit. Nec dubii fuere bellici Turcarum apparatus; etenim duo uno tempore validi exercitus in utramque Dibram irruptionem fecere anno 1462. Ast Georgius in ipso periculo audacior, nihilque hostium multitudine territus uno conflictu eos in desperationem fugamque convertit VI. Kal. Septembris ejusdem anni, moxque ad pacem petendam adegit. Mirum profecto est, ferocissimam gentem tot de Asia & Europa relatis victoriis in dies clariorem potentioremque ad pusilli in exiguo Epiri angulo Dynastæ nedum conspectum, immo nomen solummodo ita contremuisse, ut post breve certamen terga verterent fracti animo, ac mentis consiliique impotentes; quod divina certe providentia effectum est, quæ, immisso cœlitus terrore, prostrabat religionis hostem, cuique tandiu libuit Georgium vincere, & Epirum tueri, dum arcano ejus judicio ob graves ineolarum noxas durissimæ Turcarum servituti addiceretur. Mehemetes, audita suorum fuga, & novis territus nuntiis, Jussemum ducem Turcam cum octodecim millibus equitum a Georgio stratum fusumque fuisse, feros animos satius duxit ponere, licet invitus, & qui, deleto jam

Con-

Digitized by Google

Constantinopolitano imperio ante annos fere novem de Trapezuntio etiam per ea tempora triumphum egerat, in eam demissionem concidit, ut, suis in Epirum oratoribus missis, regulum Scanderbegum pacem rogaret; quo Tyrannum & rumor compulit renovati, Pio Pontifice auctore, regum Christianorum fœderis in Turcicum dominatum, & Scanderbegum cum auxiliaribus eorum copiis summum exercitus imperatorem futurum fama ferebat. Et Georgius pacem quidem abnuisset, nisi vetabant ducum suorum consilia, & militum tumultus, qui tam diuturni belli laboribus fessi satis sibi gloriæ rebantur peperisse, domito hoste adeo immani, dandumque virtuti præmium non ignobile otium, quo valentiores ad arma & acies redirent. Quapropter in illo præliandi ardore, quo æstuabat, sibi prudenter temperans pacem cum Mehemete confecit anno 1463. atque illico sui muneris, & religionis esse duxit, Pontificem hac de re monere, ejusque causam aperire per legatum Tanusium Topiam, qui Romam profectus Pium Tybure convenit, & accommodata oratione ita permovit, ut Georgii deliberationi consenserit, quamvis ejus consiliis curisque de inferendo Turcis bello communi illa maxime obesset. Aliter ac Biemmius, id factum narrat auctor Comment. Pii II. lib. 12. *Auditus est*, inquit, *Tybure legatus Georgii Albaniæ domini, quem vocant Scanderbechium. Verba ejus hunc habuere sensum; venisse Mahumethem Scopiam innumerabiles ducentem copias, improvisumque Georgium opprimere voluisse, nullum patuisse Georgio ad muniendam provinciam tempus; unicum ei salutis remedium fuisse pacem ab hoste petere; id factum esse conservandæ provinciæ caussa; cum voluerit Pontifex, rursum in bellum ibitur; optare Georgium in terris Ecclesiæ refugium, si regno pellatur a Turcis. Pontifex necessariam pacem non improbavit, si, quod ajebat Georgius, imperium Apostolicæ Sedis salvum esset; refugium pulso in agris Ecclesiæ non defuturum, si pro religione pugnans ab hoste fidei ejiciatur*. Quæ cum dictis Biemmii videntur ita posse componi, si affirmemus Mehemetem Georgii omnia formidantem petiisse pacem, Georgium non suo, sed alieno metu Turcicæ potentiæ Tyranno esse assensum, & Topiam uno verbo Albanorum timorem Georgii nomine exaggerasse coram Pontifice; utque variæ sunt bellorum vices, & eventus incerti, caute ac jure postulatum, ut eversa Crojæ provincia, ejus Principi, eidemque catholicæ Religionis propugnatori tuta sedes a Pio daretur in Romana ditione. Brevi tamen pacis fœdera rupta sunt Venetorum studio, in quos Turca arma jam moverat, queisque perneccessarium erat Georgii auxilium. Gabrieli Trivisano negotium datum commovendi ad bellum Epirotas, qui Georgio parebant, atque Paulli Archiepiscopi Dyrrhachiensis usus opera & eloquentia, uti in Dyrrhachina Ecclesia suo loco diximus, omnes in sententiam belli perduxit; eodemque, quo pax inita, anno 1463. & indicta v. Kal. Majas, Georgius sui voti compos & lætus præter modum v. Kal. Decembris in Tarcarum fines & agros irruit improviso, & ad prælium provocavit. Toto fere anno 1464. pugnatum est utrinque; & pluries vita Georgii ob nimiam viri audaciam in extremum discrimen adducta hostium vel aperta vi, vel insidiis; de quo fuse Barletius & Biemmius. Sed ducis pericula compensavit celebris victoria de Bellabano Vadera Epirensi quidem, verum qui a puero Turcarum institutis nutritus patriæ & religionis Christianæ odium alte imbiberat, cujusque bellicæ peritiæ atque fortitudini Mehemetes unice fidebat. Hunc mense Junio cum ingenti exercitu in Dibram inferiorem ingressum justo prælio adortus est Georgius, tantoque perculit terrore, ut in fugam & in castra conjectos Turcas incredibili strage tres quasi hostium partes cæciderit, Bellabano cum paucis suorum reliquiis e manu victoris elapso, qui ausus cum esset novis copiis Epirotas tentare, prope factum est, ut denuo profligatus abscederet, nisi effusissimus imber Georgium pugna prohibuisset. Atque Epirenses eo ardentiori efferebantur animo, quo propiora adesse intellexerant Pontificiæ, & Venetæ classis subsidia, quæ propediem Ancona conjunctis signis trajecturæ erant Dyrrhachium. Nam Pius summi consilii, & maximi animi Pontifex, postquam sua se spe frustratum vidit sociandi in unum hostem Christianorum arma, comparata infinitis sumptibus valida classe, dux ipse belli Anconam profectus fuerat imperatoriam triremem statim conscensurus, ac fœderati Veneti illuc appulissent. Sed tristi Europæ, & Epiri præcipue fato ejus mors inopinata omnem tanti facinoris exspectationem momento sustulit, & summo mœrore Christianam universe rempublicam opplevit. Obiit Pius II. XIX. Kal. Septembris anni 1464., utque nuntii de illius interitu in Epirum, & ad Georgium perlati sunt, vix dici potest, cui se tristitiæ tradiderit; flevisse ajunt multis lacrymis; ac Pio mortuo, amissum sui regni columen doluit, spemque perditam delendæ Turcicæ gentis, ac Epirotis ereptum nimis cito patronum amantissimum. *Circumferebatur* autem, inquit Barletius lib. XI., *ut primum in Epirum & Albaniam trajecisset*, Pius, *in urbe Dyrrhachina post rem divinam factam Paulum Angelum ejusdem urbis Archiepiscopum culmine Præsulatus, & secunda a summo Præsule & Pontifice maximo dignitate, quem nunc Cardinalatum appellant, insignire atque sublimare, Scanderbegum vero in regem Albanorum & Epirotarum declarare; quin etiam omnibus copiis Christiani exercitus adversus Mahumethem generalem, ut ajunt, Imperatorem præficere. Quamobrem a barbaris undique circumferebatur, si in tali expeditione Christiana adversus Ottomanum Scanderbegus egressurus esset, procul dubio Christiano victoriam adjudicandam iri, deque re & Ottomani*

pacem conficit cum Mehemete,

& abrumpit.

Pii Pontificis mors

imperio actum desperatumque fore autumabant omnes, & asserebant. In hac tamen calamitate nec divinis præsidiis unquam, nec sibi suisque viribus diffidere, & qui unus, ab auxiliariis copiis, quæ jam alio abierant Ancona, hostium furori objiciebatur, unus pro religione, pro patrio regno, pro totius Epiri salute usque ad extremum spiritum fortiter dimicare constituit.

Altera Crojæ obsidio.

Hactenus tum civitas, tum Ecclesia Crojensis nullis affectæ fuerant hujus belli detrimentis, quamvis ab hostium metu vacuæ non essent; Principis tamen religione ac justitia æque sacra ac civilia munera integre curabantur. Cum anno 1465. Mehemetes cum ducentis amplius Turcarum millibus in Epirum erupit; præmisitque Bellabanum, qui Crojam obsidione cingeret, qua capta de Georgii imperio, deque Albanis gentibus omnino actum fuisset; ipse paullo post subsecutus est, & Kalendis Julii in conspectum urbis castra posuit. Crojam jam ante Georgius munierat validissime Albanensium & Italorum præsidio imposito, quibus duo præerant strenui duces ac fidissimi Tanusius Topia, & Balthassar Perdux, hic Italus, Epirensis alter; isque, legatis quam celerrime Zaccaria Groppa ad Paullum II. Pontificem, & Petro Angelo ad Venetos, qui in tam gravi discrimine opem ab iis poscerent præsentem, cum exiguis sane, at fortissimis suorum copiis observare hostem, continue lacessere, quamlibet confligendi occasionem arripere statuit, per agros, quo opus erat, procurrens, ac pæne volitans requiete nulla; dum & a Mehemetis insidiis sibi erat cavendum, qui haud multo ante per duos sicarios ejus necem molitus fuerat; hi enim detecti comprehensique Tyranni perfidiam aperuere, & de arbore suspensi sunt. Interea Mehemetes, inquit Barletius lib. 12., ubi ad urbem venit, primum ab oppidanis petiit, ut, pactis conditionibus, ejus se dederent potestati; *cui, cum pro responso missilia, tormenta, aliaque telorum genera dedissent, erumpentes mox ex urbe manus etiam cum hoste conseruerunt, ac non parvam illorum stragem ediderunt, victoriamque pro parte consecuti læti & alacres in urbem revelsi sunt, afferentes secum plurima ex hostibus cæsis capita*. Urgebat tamen Turca obsidionem validioribus machinis, mœnibusque instabat impetu ferociori; verum depulsus ac rejectus graviora in dies sibi damna inferri advertens tum ab obsessis, tum a Georgii excursibus alio semper, alioque irrumpentis latere in castra, urbem nec expugnari, nec oppugnari commode posse indignabatur vehementer. Quare suorum cædes non ferens, & longæ obsidionis moras pertæsus, quæ non parvo sibi esse dedecori existimabat, Mehemetes noctu, relictis castris, Constantinopolim versus iter arripuit Kalendis Augusti, jussitque Bellabanum cum octoginta hominum millibus in obsessione insistere. Qui cum in Thraciam reverteretur, Crojensem ditionem ferro & igni adeo crudeliter depopulatus est, ut in Chidnæ oppido & convalle, nulla sexus & ætatis ratione habita, incolæ omnes fere triginta mille fuerint obtruncati. Hinc ortus rumor, & late effusus, Georgium a Turcis demum devictum atque fugatum, ejusque patriam ac regnum fuisse excisa; quo spectant illa Paulli Pontificis verba in litteris initio anni 1466. ad Philippum Burgundiæ Ducem datis, ut in Turcas & ipse copias & classem instrueret; *Ecce nunc Scanderbegus fortis Christi athleta, qui magnæ parti Albaniæ imperitans annos supra viginti pro fide nostra pugnavit, magnis Turcarum oppressus copiis superatus est prælio, dominatu omni exutus, & ad litora nostra inermis nudusque impulsus*. Nam Georgii vere quidem agri, ac Crojensis regio a barbaris tenebantur, non arces, aliaque oppida, ipsumque regni caput Croja; ille vero post Chidnensem calamitatem in fœdus accitis potentioribus Epiri Dynastis, collectoque justo exercitu, Bellabanum aggredi decreverat; dumque parantur arma, clam, & cum paucis communicato consilio, Romam celeri navigio contendit, ut coram ipse ageret cum Pontifice de re publica Albana, & ad subsidia acceleranda commoveret.

Georgii Romanum iter, & ad Pontificem oratio.

Urbem itaque ingressus, quam sui nominis suæque virtutis celebritate repleverat, statim in Pontificis præsentiam venit; quod, ut a Romanis cognitum, incredibiles hominum motus concursusque ad eum conspiciendum suspiciendumque facti undique fuerunt; Paullus autem, cum Georgium vidisset, miratus est tanti viri adspectum, & maximo honore excepit; quem etiam in Patrum collegium adduci voluit, & coram de Epiri statu dicere, ac de Turcarum rebus & imperio, quippe qui verius certiusque hæc nosset, atque de his copiosius, quam cæteri, sciret disserere. Integram Georgii orationem retulit Marinus Barletius laudatum in librum 12. cujus partem non injucundum erit iis, qui hæc legant, describere, uti a Raynaldo ad hunc annum est proposita. Postquam enim Georgius de Pontificis dignitate, ejusque laudibus plura esset præfatus, *Non permittit*, inquit, *non patitur Mahumetbes Turcarum princeps ille truculentissimus me vobiscum diutius commorari, Patres sanctissimi, vos contemplari, vos admirari principes meos, deos terrarum, ac mundi totius luminaria; qui majorum suorum vestigia secutus, ac spurcissimæ illius Mahumetanæ sectæ nefandus professor & propagator vestrum avile quotidie invadit, persequitur, dissipat. Et non contentus malis, cædibus, & rapinis, quibus in Asia usus est, non satiatus Christiano sanguine, quem nuper tantum in Europa fudit, ut totam infecerit, polluerit, contaminaverit, & Christi nomen profanaverit, sed nunc me genitoque meam, tanquam hoc ultimum certamen relictum sibi, evertere atque de medio tollere conatur. Cui nisi repente, quæ tua sanctitas est atque clementia, occurras, obsistas tu principum Christianorum pater, jubar, atque sidus radiantis-*

rissimum, actum est de re omni, actum de imperio meo; quippe populus Epiroticus tot bellis, tot cladibus exhaustus jam corruit, jam defecit. Hæc igitur ego concessi, Patres sanctissimi, ad vos ipse confugi, domi incendium maximum reliqui, hostem in ipsis vestibulis, qui non tantum gentem meam, & regionem omnem assidue dissipat, evertit, depopulatur, in servitutem trahit, sed & civitatem meam ipsam Crojam, provinciæ robur, atque caput, jamdiu innumero milite obsidet. Neque hanc obsidionem deserendam sibi proposuit, antequam urbe ipsa aliquo modo potiatur. Et potietur, vereor, ni sublimitas tua succurrat, atque subveniat, ita oppidanos in rerum omnium necessitatem, & ultimum discrimen adduxit. Consulti igitur, Patres optimi atque sanctissimi, quæso, dum tempus patitur, prospicite, atque opportune providete mihi. Cohibendus est enim impetus hujus nefandissimi Tyranni, reprimendus ejus furor atque violentia, qui in tantum exercvit atque invaluit, ut jamjam extrema omnia Christianæ reipublicæ, ac Dei Ecclesiæ, quam orthodoxæ fidei audeat minitari. Sed quid amplius? prob dolor! quid pejus, quid durius exspectemus? Edidit jam in Christianum populum, edidit in gregem suum omnia crudelitatis exempla, profanavit, ita jam fædavit, omnique ludibrio habuit, pudeat, Deorum hominumque fidem, religionemque vestram, ut non minus molestum mihi sit dicere, quam vobis turpe audire. Videtis, ecce, ingentis cujusdam mali non suspicionem modo, sed apertam speciem obversari ante oculos omnium.

Videtis, Patres amplissimi, Asiam fere omnem huic nefando spurcissimoque hosti subjectam, Græcos quasi cunctos ab eo exterminatos, Rascianos Principes, Triballos & Thraces everses, Illyricos perdomitos, Peloponesum subactam, magnam Macedoniæ atque Epiri partem direptam, incensam, devastatam. Unus ego supersum, Pater beatissime, cum pusillo imperio, cum militibus meis adeo tot prœliis attritus, tot certaminibus exhaustus, ut nihil jam integri sit in corpore ad nova vulnera accipienda, neque quidquam supersit sanguinis, quod dari amplius pro Christiana republica possit. Hoc est reliquiarum ex tot principibus, tot ducibus in feraci Macedonia illa tot regum altrice, quod nunc perfidus barbarus iste totis viribus, arte, ingenio perdere atque delere contendit; jam nemini ignotum est, nomini dubium est. Audisti, Antistes sanctissime, audistis, Patres religiosissimi, quot bella, quot expeditiones cum perfida gente ista majores mei tot annis gesserint. Quibus ego postmodum ordine naturæ, divino tamen præservatus auxilio in regno succedens nullum unquam tempus, nullum diem quieti aut otio mihi concedere potui, sed cum profana gente bella semper pertractavi, præsertim cum rabidissimo & truculentissimo Mahumete isto, qui jam tot malis rem meam, tot cladibus affecit, ut nihil relliquum supersit mihi, nisi, prob pudor! bellum, ut ajunt, victori dare. Restiti huc usque, reluctatus sum, & divina ope adjutus semper fere incolumis atque victor evasi. Sed nunc tot malis tam præteritis, quam instantibus fessus, tot certaminibus exhaustus, tot ducibus amissis, tot populis, viribus adeo exinanitus sum, ut nihil fere præter animos faroces ex antiqua fortuna supersit; & barbarus iste, sic forte peccatis nostris poscentibus, supra quam dici possit, suas vires auxit, imperiumque suum ampliavit. Propterea, mundi totius jubar, ac Christianæ religionis decus splendidissimum, ad tuæ majestatis pedes supplex, & qua decet veneratione confugio, tuum numen invoco, opem & auxilium imploro. Descendas jam, Pater sanctissime, provideas, quo his tot procellis, & bellorum turbinibus obsistere, eaque non ita certe periculo vitæ, ac rerum mearum dispendio ferre queam. Fidemque vestram sanctissimam, sanctissimi inquam Patres, contra vim & impetum hujus immanissimi Tyranni protegam atque defendam; pro qua & usque in præsentem diem omnia extrema sum perpessus, & in posterum me devovi; neque ullum mortis vel periculi est genus, quod pro quocumque vestrum commodo & dignitate in aliquo vitæ meæ tempore subterfugiam.

Hæc Georgii oratio ingenti favore ab omnibus excepta est; ipse vero, ut idem auctor narrat, „ tam liberaliter & honorifice „ habitus, ut quam celeriter expeditus, quid- „ quid a summo Pontifice Patribusque petie- „ rat, perfacile impetraverit, & ei quam li- „ beraliter sit concessum. Qui maximis, et- „ tiam muneribus & præmiis donatus, ma- „ximo auri argentique pondere, grandique „ pecunia cumulatus, lætus alacerque inde „ discedens in Epirum ad suos reversus „ est. "

In Epirum redit,

Multo tamen lætior ejus in Albaniam reditus fuit adventu Josaphat Barbari, qui Veneti Senatus nomine selectas militum copias, nec paucas numero Georgio obtulit; iisque additæ Ducaginorum turmæ auxiliariæ; e quibus auctus exercitus hominum fere triginta millibus constitit. Hoc instructus bellico apparatu Crojam versus castra movit, quæ adhuc a Turcis circumsepta annonæ inopia laborare jam cœperat; tum consilio cum ducibus habito, oppugnantes urbem Turcas adoriri totis viribus deliberatum. Ac primum e monte Cruino, unde propior Crojæ conspectus, hostem deturbat plurima edita cæde, eodemque tempore Jonimam ducem Turcam, qui cum forti armorum manu ad fratrem Bellabanum properabat, noctu intercipit, & profligat, ipsumque Jonimam cum ejus filio fugientem retinet, vincitque catenis, Tum ad Bellabani castra contendit, eique a longe vinctum Jonimam objicit; quo viso Turca dux pæne exanimatus de victoria desperare visus est; nec eum fefellit animi præsensio. Namdum furibundo similis extrema tentat, & ad Crojæ portas excurrit, ut deditionem optimis conditionibus propositam persuaderet obsessis, lethali ictu a Georgio Alexio milite Epiro-

ta transfixus est, unde vix in tentorium delatus animam cum sanguine evomuit. Mortuo Bellabano, auditi repente Turcarum tumultus & ululatus, qui amisso duce e castris se proripientes soluta urbis obsidione, octo passuum millibus recessere; cumque Georgius aditus omnes, per quos in Macedoniam iis transeundum erat, strenuo milite occlusisset, fame etiam adacti, qua premebantur, misere legatos, qui peterent a Georgio, ut vita tantum superstite abire iis permitteretur. De quo dum consulitur, Turcæ nocturno impetu sibi ferro iter aperire conati, ingenti quidem suorum clade, & impedimentorum maxima amissione ex Epiro aufugerunt; quæ tamen reliqua erant hostium præsidia, Georgius per provinciam mox obequitans aut cepit, aut interfecit. Victor autem Crojam ingressus cum esset, difficile dictu est, quæ civium gaudia, quæ festa, quæ acclamationes personuerint tum ob patriæ liberationem, & religionem servatam, tum ob Principis gloriam, qui Deo primum victoriæ laudem tribuit consueto Ecclesiæ ritu, deinde milites omnes & oppidanos de fortitudine, de fide, de constantia plurimum commendans maximis muneribus ac præmiis donavit.

& Crojam ab obsidione liberat.

Biemmius sæpe a nobis laudatus affirmat lib. 6. Crojensem obsidionem anno 1466. desivisse; cum quinque mensium spatio post Mehemetis discessum ipsis Kalendis Augusti nequiverit Georgius omnia efficere, quæ huc usque narrata sunt. Contra vero Raynaldus eodem anno 1465. obsessam urbem a Turcis, & a Georgio servatam describit, qui ineunte postea anno 1466. vitam finierit. Fallitur tamen vir eruditus; etsi quippe concedamus intra annum 1465. Georgium de Turcis a patriæ mœnibus depulsis triumphasse, ea, quæ deinceps gessit, quæque refert Barletius lib. 13. *anno* Crojensis obsessionis *peracto*, nequeunt certe contineri dimidio mense Januario, quo obiit, anni 1466. neque ipse satis constare sibi videtur, cum in annum 1466. rejicit clades, quas Georgio illatas a Turcis conjicit ex literis Paulli II. Pontificis ad Ducem Burgundiæ, easque profert ipsius anni initio. Vide de his dicta paullo superius; cumque Paullus ad Philippum scripserit de adventu Georgii in urbem, nihil vero de iis, quæ consecuta sunt, hinc præterea ducor ad conjiciendum, Crojam liberatam vel extremo anno 1465. fuisse, vel jam incæpto anno 1466., uti Biemmius asserit; de quo Pontifex postea sciverit, quam litteræ ad Burgundum Ducem datæ fuerant.

Raynaldi error corrigitur.

Post Crojensem victoriam non licuit Georgio diu esse quieto. Mehemetes sui exercitus cæde ac fuga vehementius furore incensus, ac præsertim Bellabani interitu, rursum anno 1466. ad arma rediit adversus Scanderbegum, qui nunquam imparatus delectam militum accuratiorem, quam elapsis retro annis, fieri jusserat, locaque omnia, & urbes, Crojam in primis validissime præmuniri. Narrat Barletius lib. 13. regem Turcam, vere inito, in Epirum ingressum de expugnanda Dyrrhachio cogitasse, quam Veneti tenebant, & terra marique fortiter tuebantur. Inde rejectus cum ignominia Crojam tertio obsedit, sed inani conatu; nam & a Crojensibus pessime habitus est, crebris ex urbe excursibus, & a Georgio in castris adeo lacessitus, ut brevi tristis discesserit; ac desperata demum de illo victoria, cum Crojensem ditionem multimodis in itinere vexavisset, in Thraciam rediit ira ac pudore pæne confectus.

Tertia Crojæ obsidio.

Hoc postremum Georgii facinus fuit. Agebat tum annum tertium supra sexagesimum, firmo tamen corporis robore, & integra valetudine, quamvis a puero duris militiæ laboribus, nec unquam interruptis exercitus. Cumque prospiceret imparem se fore in dies Turcarum potentiæ, quæ immensa excreverat, ne regni filiique impuberis incolumitati adjumenta deessent, & præsidium efficax, Venetias profectus est de his acturus cum Senatu Reipublicæ, cujus terra marique bellicæ vires, præsertim in Epiro, ubi late dominabatur, unæ poterant barbarorum violentæ multitudini obsistere. Hujus itineris, de quo verbum nullum in Barletio, Biemmio, aliisve historiis, meminit Marinus Sanutus coævus scriptor Venetus in lib. de vitis Ducum Venet., quod opus in lucem protulit Muratorius tomo 22. Script. Rer. *Italic.* ac in vita Christophori Mauri Ducis ad annum 1466. post mensem Februarium hæc scribit; *Scanderbegus in Albania Dynasta ob Turcarum metum, qui aliquot ei oppida eripuerant, Venetias venit, & Crojam Reipublicæ tradidit*; utrum vero in potestatem, an in fidem & clientelam, videri posset ambiguum ex verbis Sanuti, qui tamen subdit, missum illico a Senatu Joannem Matthæum Contarenum, qui cum Veneto milite Crojam teneret ac tueretur. Barletius & Biemmius palam affirmant, Georgium morti proximum, Crojensem ditionem ac filium Venetorum tutelæ commendasse, dum hic ad capessendum regimen ætate aptus putaretur; interea, addit Biemmius, cum Marina matre Neapolim secederet in possessionem Ferrandinæ & Tripaldæ, quæ loca cum Ducis titulo ac jure donata sibi a Ferdinando Rege acceperat. Idem narrat Mariana lib. 23. Rer. Hisp. cap. 2. decessisse scilicet Georgium, „ Johanne filio „ relicto in Venetorum tutela quidem, jusso „ tamen Neapolim contendere, ibique ad justam ætatem sustentare iis oppidis legatis, „ quæ dederat Ferdinandus. Ab hoc Castriotti „ nobilissima familia propagata est in Italia „ Siponti, vulgus S. Angeli civitatem vocat, „ in Apuliæ principatu. „

Georgius Venetias venit,

Georgius post conventa cum Venetis perhonorifice a patritiis præcipue habitus, in quorum ordinem fuit cooptatus, domum ipso anno revertit. Deinde nova volvens animo consilia in Turcas novum jussit militum delectum; & munitam Valmorum urbem, quam Mehemetes antea fundaverat, præsens oppugna-

In Epirum redit,

gnare decrevit. Sed in hoc belli apparatu cum Alexium venisset, lethali febre correptus est initio anni 1467., seque propediem moriturum præsentiens, divinis Ecclesiæ sacramentis mundari animam, ac roborari piissime petiit; & Albaniæ principibus, qui aderant, ac Veneto oratore in cubiculum accersitis, multa de religione, de patria tuenda, de persequendo communi hoste intrepide est locutus; filium etiam ad se adduci voluit; eumque complexus suprema eidem veræ pietatis ac virtutis monita tradidit. „ Postquam vero, (inquit,) adoleveris, (uti „ Barletius refert,) Venetum adeas imperium, „ ut tibi regni tui aviti & paterni sceptrum „ reddat atque restituat; sub cujus nunc tutela ac regimine illud relinquo, fideique „ committo, ut curam illius gerat, ab hoste protegat, tibi servet. Manent enim „ sic inter me & Venetos fœdera, sic leges, „ pacta & conditiones initæ sunt, ut regnum tuum ab hostibus & inimicis tueantur, tibique servent, atque in eo te, cum „ aptus ad id muneris fueris, reponant. De „ quorum fide & diligentia in rebus tuis „ nihil dubites; cum soli sint Veneti inter „ cæteros Christianos Principes, pace omnium „ dixerim, qui cum gravitate, prudentia, „ & rerum gestarum magnitudine nemini „ cedant, tum fidei maxime & bonitatis „ præstantia in primis amandi observandique „ sunt. Quod ego toto imperii mei & vitæ „ tempore in omni actionum genere, tantis „ rerum experimentis unus melius, quam „ alius quispiam, cognovi, comprobavi, & „ expertus sum. Qui & socii mihi, ac confœderati, locoque charorum parentum semper fuere. Eosdem tibi igitur parentes, „ fili, eosdem tutores relinquo. Soli sunt „ Veneti patres justissimi, sanctissimi, Catholicæ fidei & religionis tutores assidui, „ pupillorum, viduarum & omnium imbecillium, ac miserarum personarum protectores; adeo præterea charissimi mihi, ut „ res eorum & imperium curæ mihi cordique perinde atque meum semper exstiterit. Tanta nostra in eos fides & benevolentia, ut urbium civitatumque suarum jus „ atque arbitrium in manu mea omni tempore reliquerint, commiserintque, easque „ ita, propitio Deo, dum licuit mihi, „ maxima semper felicitate tutatus sum, & „ ex animi eorum sententia conservavi. Itaque, fili mi, tutus esto, & sub eorum umbra atque tutela securus vivito, ad eosque, „ cum ætas tua patietur, hilaris & intrepidus accede, quia in sedem te vel cupide „ reponent, urbes civitatesque, regnum & „ imperium perbenigne reddent tibi atque „ restituent. In quo, si bonus & fidus eris, „ ab omni hostium vi & impetu, ab armis „ & telis adversariorum protegent te semper, illudque tibi incolume servabunt, utpote qui Principes potentissimi, sapientissimi, terra marique invictissimi nullum „ socium sibi fidum, nullum amicum desereunt aut destituunt, neminem fraudant, „ aut circumveniunt unquam. „ His egregia recte regnandi præcepta subjecit, quorum præcipua, *justitiam cole, æquitatem serva, faciei pauperis, divitis & potentis nullo habito discrimine, in omnibus modestiæ & temperantia utere*; tum siccis oculis in collum pueri rursum procumbens lacrymantem dimisit. Memoriæ proditum est a Barletio & Biemmio, cum Georgius hæc extrema patriæ ac paternæ charitatis officia persolveret, Turcas in Scodrensem agrum haud longe Alexio excurrisse; quo audito, is quasi ardoris impetu reviviscens e lecto exilire visus; &, *Date*, inquit, *date arma, equum sternite*; tum ad duces circum adstantes, *Egredimini, egredimini, milites, in hostes & barbaros, præite me, quia vos statim sequar*. At totis tremens artubus in lectum corruit exanimis, nec multo post in Deum unice intentus animam efflavit XVI. Kal. Februarii anni 1467. juxta vulgarem calculum. Ejus mortem subsecuta universæ Epiri desperatio; & effusa undique cum lamentis & ejulatibus mœstitia omnium animos occupavit, qui certo præsagiebant, quod revera evenit, res Albanas æque sacras, ac civiles, omnemque gentis Epirotæ potentiam & gloriam brevi ruituras. & obit an. 1467.

Ejus funus ingenti pompa, militum ac ducum luctu majori ad Ecclesiam S. Nicolai deductum est, ibique patrio ritu cadaver in sepulchro conditum. De quo Barletius illorum temporum æqualis mirum accidisse tradit, cum post annos fere viginti Turcæ Alexium Venetis eripuissent. Nam potiti urbe corpus Georgii, quem vivum tantopere reformidaverant, summo desiderio repertum e tumulo extraxere; tum „ Omnes quidem ita „ ad ejus cineres ossaque certatim confluebant, ut felix & perbeatus is fore existimaretur, qui ea videre & tangere, feliciorque tamen, qui minimam ex illis particulam vindicare sibi posset, quam alii „ argento, auro alii recondere atque exornare „ faciebant, & ad collum appendebant sibi, „ tanquam rem divinam, sanctam & fatalem, & summa veneratione ac religione „ observabant, existimantes illos omnes, qui „ eas secum reliquias ferrent, consimili fortuna & felicitate, qua ipse, in vita usuros. „ Georgii Castrioti nomen & gesta meritis laudibus prosecuti sunt Scriptores omnes tum veteres, tum recentiores, in primis Marinus Barletius, & Joannes Maria Biemmius, qui ejus vitam fuse descripserunt. Eluxit in eo ardens catholicæ religionis studium cum iis virtutibus conjunctum, quæ virum Christianum maxime decent, & Principem, & ducem; nam præter eximiam rei militaris scientiam, & incredibile corporis robur, quo vel duo millia Turcarum ab eo uno tot præliis cæsa dicuntur, mentis animique magnitudine, prudentia vero, liberalitate, clementia, & quod in milite admirandum, tanta continentia fuit, ut cum summis imperatoribus jure queat comparari. De Ejus funus, & elogium.

quo

quo plura dicere necessum nobis erat propter rerum suarum cum Epirensibus, & cum continuis urbis & Ecclesiæ Crojensis vicibus conjunctionem, quæ regni sui tempore contigerunt; annos enim circiter viginti tres paternam ditionem fortiter ac sapienter gubernavit. In tantis vero bellorum motibus veri quam simillimum videtur, nullum post Antonium, de quo diximus, datum fuisse Episcopum Ecclesiæ Crojensi usque ad annum 1468., quo ei successit

PETRUS EPISCOPUS CROJENSIS VI.

Petrus de Brutis.

Civis Venetus ex antiqua & honesta familia Bruta, seu de Brutis, non vero patritia, uti Possevino visum in Bibl. selecta, quæ diu floruit publicis muneribus, piisque viris ac literatis, quos inter Petrus; hinc Oliverius ab Arzignano Vicetinus, cum illi inscriberet suos in Valerium Maximum commentarios, „ Si nunc, inquit, in medium afferrem, „ & explicare voluero tantæ primordia do„ mus per tot ducta viros antiqua ab origi„ ne gentis, si præterea tuam inclytam pa„ triam urbem Venetam, in qua natus, in „ qua educatus, in qua ad honores & digni„ tates provectus es.... non erit mihi ora„ tio claudenda, sed historia magis inchoan„ da &c. " Exacta pueritia in Clerum Ecclesiæ Venetæ voluit admitti. Ac per omnes sacrorum ordinum gradus cum virtute & doctrina ad sacerdotium fuisset elatus, anno 1456. parœciam Venetæ Ecclesiæ S. Agathæ, quæ nunc titulo S. Ubaldi appellatur, regendam suscepit, eodemque tempore Clericorum scholis præfuit in Basilica Marciana, ut est in tabulis Venetis an. 1463. apud Augustinum tomo 1. de Script. Ven. pag. 497. *Petrus de Brutis Plebanus S. Agathæ, & Rector Scholarum in Canonica S. Marci*. Vide & Cornelium tomo 2. monum. Eccl. Ven. pag. 346. & in Supplem. pag. 191. Anno 1468., licet Ecclesia Crojensis a bellorum tumultu & periculis secura quiesceret sub Venetorum tutela, Paullus II. Pontifex destinavit animo Episcopum ei præficere, quo diu nimis caruerat. Quamobrem Senatus Petrum in primis Pontifici commendari voluit a Petro Mauroceno Legato, utpote quem Patres Episcopatus honore dignum censerent. Exstat S. C. hujusmodi apud Cornelium in Supplem. laudato.

„ MCCCCLXVIII. die v. Julii. Quod „ scribi possit in Curia Nobili Viro Petro „ Mauroceno Oratori nostro in recommenda„ tionem Presb. Petri de Brutis Plebani San„ ctæ Agathæ ad Episcopatum Crojæ in illa „ forma, quæ videbitur. „

Episcopus Crojensis an. 1468.

Valuit certe Mauroceni commendatio; Petrus enim Crojensis Ecclesiæ administrationem hoc anno inivit, ipseque Crojensem se Episcopum fuisse testatur in epistola ad Joannem Paltasichium Archidiaconum Catharensem; *Cum essemus*, inquit, *Pontifex Crojatensis*. Vide tomum VI. in Episcopis Catharens, pag. 473. Suæ tamen parœciæ jus, curamque retinuit; nec ante annum 1482. ab eo dimissam refert Cornelius in Supplem. eodem. Utrum adierit unquam suam Ecclesiam, est incompertum; veri tamen simile mihi videtur, eum Venetorum præsidio tutum invisisse Crojam, suaque præsentia cives esse solatum brevi temporis mora, nihilque ab eo prætermissum, quod adjumento esset religioni firmandæ, moribusque corrigendis. Sed cum Turcico furore premeretur undique Epirus, & tyrannus Mehemetes acrius oppugnare Venetos haud absisteret, Petrus Catharum secessit, ibique ad annum 1474. egregie vicariam operam navavit Marco de Nigris Episcopo, qui eodem anno ad Absorensem Ecclesiam migrasse jussus est a Sixto IV. Pontifice; Petrus vero, Crojensi relicta, Sedem Catharensem conscendit ejusdem Pontificis voluntate. Quæ reliqua sunt Petri acta, habes descripta in tomo VI. hujus operis pag. 472.

postea Catharensis.

N. N. EPISCOPUS CROJENSIS VII.

N. N. Ep. Crojensis an. circ. 1475.

Hujus Episcopatus initia referri possunt ad an. circiter 1475., cum Crojensis urbis & Ecclesiæ status in extremum vergere exitium videbatur. Fervebat Turcicum bellum adversus Venetos, hique soli hostium impetum sustinebant fortiter. Verum, amissis Dayna, ac Drivasto, quæ Reipublicæ parebant, de Crojæ etiam salute timere jam cœptum. Equidem anno 1477. Mehemetes urbem rursum aggredi constituerat, quam si expugnasset, multo facilius Albanam provinciam suo imperio subactum iri sperabat. Itaque armis ita obsessam teneri voluit, ut nullis tentati cives aggressibus, desperato suorum auxilio, annonæ inopia, ac fame se in ejus traderent potestatem. Præerat in Epiro Venetis copiis Franciscus Contarenus; is, cognito Turcarum consilio, maturavit opem obsessis, lectisque duobus peditum millibus, ac equitibus quingentis hostem, quamvis fortiorem militum numero, strenue in castris adortus est; commissa pugna incertos victoriæ tenuit animos aliquantum; Turcæ deinde pedem referre visi; tum Contarenus adhortari milites, propius hostes urgere, fugientes insequi; queis tandem victis, atque disjectis, in castra victor insiliit, & opimis spoliis potitus est; dum ex parte altera Antonius Victurius Crojæ Præfectus e portis egressus cum valida præsidii cohorte bina petiit Turcarum propugnacula, quæ urbi erant maxime infesta, & funditus diruit; commeatus autem, ac armorum tantum intra mœnia invectum, quantum ad manus obtulit commoda occasio. Liberatæ Crojæ memoria inscripta est sepulchro Andreæ Vendrameni Ducis in templo Servorum Deiparæ Virginis; & felix inde habitum auspicium collati in eum Principatus paullo post initium anni 1477., quo etiam Carnia & Forojulio Turcæ depulsi; nec ab re censeo integram epigraphen hic exhibere. „ Andreæ Vendrame-

Crojæ obsidio quarta,

liberatio,

„ no

Digitized by Google

„ no Duci, splendore claro, sed ex mira in „ patriam pietate opum usu longe clarissi- „ mo, qui, Croja Turcarum obsidione libe- „ rata, eorundemque irruptione in Carniam „ rejecta, felix insigni prole, impletis omni- „ bus & fortunæ & naturæ & virtutis nu- „ meris, Principatus brevitatem sempiterna „ cœli gloria compensat. Vixit annos LXXXV, „ menses VIII. Obiit pridie nonas Maji „ MCCCCLXXIIX. Principatus sui anno „ secundo. „

Verum ob nimiam Contareni, aliorumque ducum confidentiam omnis victoriæ fructus excidit e manibus, ipsamque victoriam miserabilis clades consecuta est. Dum enim militibus in prædam intentis, ac pæne inermibus libere indulget, & is consilia confert incautus, Turcæ, collectis viribus, ex improviso Venetos adoriuntur, queis nullum, nisi in fuga, superfuit effugium; cæsi pedites prope omnes, Contarenus ense transfixus occubuit; statimque victor hostis Crojam circumsidet, & spe auxilii adempta, arctiori obsidione septam iterum oppugnat. In hoc urbis discrimine enituit Præfecti Victurii fides & constantia cum bellica virtute conjuncta, qui, quoad satis fuit ad modicum civium militumque victum, hostium conatus fortissime repulit, atque retudit. Desperato demum commeatuum subsidio, Crojensium inediam & squallorem misertus fame jam pereuntium, deditionem, queis licuit, conditionibus pactus est cum Mateto Turciei exercitus duce, eique urbis dominatum cessit XVII, Kal. Julias anni 1478., uti auctor est Navagerius in hist. Veneta, tredecim fere post mensibus, si breve tempus demus, quo respirare visa est, quam longæ adeo obsessionis incommoda, detrimenta, tristiaque omnia infelix urbs invicte sustinuerat; nam, inquit Barletius lib. 2. de obsid. Scodrensi, „ cum „ urbs illa diu ab hostibus obsessa fuis- „ set, & omnia ad victum necessaria pæne „ defuissent, nec unde ali possent prorsus „ haberent, sæpius enim penuria quam pu- „ gna consumit exercitus & ferro sævior fa- „ mes, omnes in hanc sententiam convene- „ rant, ut potius in deditionem hostis, etsi „ turpiter, pacto aliquo devenirent, quam „ tam tetra, tamque funesta fame, quæ et- „ iam fortissimos viros debiliores reddit, „ perirent. „ Mateti tamen perfidia impium accidit, & crudele spectaculum, quod Turcica solum barbaries potuit excogitare. Victurio Præfecto, ac militibus præeuntibus, egressi erant Croja cives universi in familias quique suas cum uxoribus & liberis distincti, & domesticis, quæ asportare possent, impedimentis onusti; satius quippe existimabant, patria extorres in peregrino solo ægre vitam ducere, quam in patriis laribus hostium tyrannide vexari, eorumque convictu & consuetudine pollui. Rem conspicatus Matetus, consistere primum, & in urbem regredi, mox supplices & obsecrantes, ut abire sineret, vinciri cunctos, & una milites ac Præfectum, tum Turcarum cohortibus traditos Constantinopolim imperat abduci. Quo cum pervenissent luctu ærumnisque confecti, extemplo Mehemetis jussu palam omnes obtruncati sunt; Victurius potenti Turcæ donatus ceu vile mancipium. Ita corruit miserandum in modum Epiri arx, & propugnaculum, eo deflendum magis, quo splendidior ac potentior diu steterat Crojæ fortuna Turcis Imperatoribus ac ducibus formidanda. Vide Navagerium & Sanutum superius laudatos.

& deditio Turcarum imperio.

Post urbis casum Antistes Crojensis, qui a sua Ecclesia ante jam aberat, Venetias secessit; ubi degebat adhuc anno 1480. cum Sixtus IV. prid. idus Novembris Maphæo Girardo Patriarchæ Venetiarum mandavit, ut Scodrensem & Crojensem Episcopos coereeret, qui jus Clericos sacris ordinibus initiandi in diœcesi Veneta sibi arrogabant, qua de re dictum in Francisco II. Episcopo Scodrensi, Deinceps quid ab eo gestum sit, & quamdiu vixerit, prorsus latet.

JOANNES EPISC. CROJENSIS VIII.

De quo Acta Consist. 1498. 15. *Febr.* *prov.* Alexander VI. *de pers. D. Joannis Diduci ordinis Min. Ecclesiæ Crojacensi in finibus Turcorum & Venetorum constitutæ vacantis per ob. D. N.* ac præter nomen, nihil de illo reliquum est. Anno 1515. quidam e Dynastis Ducaginis in spe aliqua erat eripiendi e Turcarum manibus Crojam, quam infirmo militum præsidio munitam noverat; sed vanæ fuerunt hominis molitiones; & hac de re literas ex Epiro ad Senatum missas mense Junio narrat Sanutus in annal. Venetis mss. penes virum patritium Franciscum Donatum.

Joannes Ep. Crojensis an. 1498.

FERDINANDUS EPISC. CROJENSIS IX.

Ut in Actis Consist. 2. *Dec.* an. 1517. *providit*, Leo X., *D. Ferdinando de Saxamone de Ecclesia Crojacens. in Epiro ita tamen, ut infra annum ad eam se transferat sub pœna privationis. Redditus flor. c. taxa floren.* 33. Brevem Ferdinandi Episcopatum excepit

Ferdinandus Ep. Crojensis an. 1517.

PAULLUS EPISCOPUS CROJENSIS X.

Quem innuunt Acta Consist. mox subjicienda, eique paullo post initum episcopale munus vita functo suffectus est a Clemente VII. Pontifice

Paullus Ep. Crojensis.

FRANCISCUS EPISC. CROJENSIS XI.

Anno 1524. 24. *Januarii providit Ecclesiæ Crajonen. in Epiro vacanti per obitum Paulli Ep. Crajonen. extra Romanam Curiam defuncti de persona Francisci de Scio Ord. FF. Minor. ita quod teneatur residere in ipsa Ecclesia.* Ex Actis Consist. quorum fidem lædit Vaddingus in Annal. ad hunc annum, cum Franciscum Croyatensem Episcopum dicit *in Scla-*

Franciscus Ep. Crojensis an. 1524.

Digitized by Google

Sclavonia sub Archiepiscopo Spalatensi; Crajonensis vero Epiri Ecclesia nulla esse alia potest, quam Crojensis, & corrupto vocabulo, *Croensis*, *Crojatensis*, nunquam *Crotonensis* appellata, uti legitur in Indice Hierarchico Annal. ejusdem Vaddingi. Hactenus de Episcopis Crojensibus, de quibus e tabulis & monumentis ecclesiasticis aliqua notitia erui potuit. Verum post Franciscum creari desiisse arbitror Crojenses Antistites; & siqui postea fuerunt, nomen gessere hujus Episcopatus, munere episcopali in aliis diœcesibus perfuncti, cujusmodi postremus Crojæ Episcopus, de quo inferius. Equidem temporum calamitas, continua Venetorum præsertim bella adversus Turcas, Crojensis diœcesis positio, & quod miserius, dura captivitas, ab aditu Ecclesiæ, ejusque libera ac tuta gubernatione prohibebant Antistites, multoque iis difficilius obire erat quæ in animarum salutem impendi debent, quam Episcopis aliis, quibus deinde ejusdem cura & administratio fuit a Pontificibus commendata. Anno 1578. hæc diœcesis octoginta circiter Christianorum pagos complectebatur, suoque carebat Antistite, uti discimus ex antiqua Epiri descriptione, de qua in Episcopis Stephanensibus. Anno 1610. cum Marinus Bizzius Archiep. Antibarensis Epirum universam lustraret apostolica peragratione, plures invenit & in Crojensi diœcesi Presbyteros adeo rudes, ut quæ prima sunt, ac potiora, sacerdotis munia, prorsus ignorarent; quare Vicario Dyrrhachiensi præcepit, ut eos in sacrificii ritibus tandiu instrueret, donec ad rem divinam sancte conficiendam apti viderentur. Habes Marini literas in Archiep. Antibarensibus pag. 117.

N. N. EPISCOPUS CROJENSIS XII.

N. N. Episcopus Crojensis.

Memoriæ proditum est a Petro Monodo Soc. Jesu in Apologia 2. pro Sabaudiæ Ducibus e Gallica in Italam linguam conversa & an. 1632. in lucem edita, ac pag. quidem 137. Albanenses proceres fama permotos bellicæ virtutis Caroli Emanuelis Ducis Sabaudi legationem misisse, inito jam sæc. XVIII., in Hispaniam ad regios administros & ad Victoriùm Amedeum Caroli filium, qui tum ibi versabatur. Præerat legatis Episcopus Crojensis; iisque mandatum, agerent cum regiis consiliariis de aggredienda Epiro adversus Turcarum tyrannidem, in quod facinus Albana natio secreto jam conspiraverat; optare se ac deposcere totum belli negotium a Carolo suscipi regique, cui Hispani classem traderent trajiciendis in Epirum copiis expeditam. Cognito Hispanorum consilio, tractanda res a legatis cum ipso Carolo, cui Epiri ac Macedoniæ regnum offerrent, ac centum millia militum auxiliariorum, ut bellum fortiter administraret, & adeptum regnum tueretur. Verum tanti operis molitio plures ob causas dissoluta est atque disjecta. Suadet itaque Monodi narratio, tum exstitisse aliquem Episcopum Crojensem, quem anonymum hoc in loco ponere licet; & idem non est, quem Lequienius in suo Orien. Christ. ex nuntiis publicis in Gallia vulgatis narrat an. 1640. conjunxisse arma cum Episcopo Alexiensi, ac tria Turcarum millia ab iis fugatos fuisse ac disjectos. Vide dicta in Benedicto Episc. Alexiensi. Tum certe Marcus II. Dyrrhachinus Archiepiscopus Crojensem Ecclesiam administrabat. Sive unus, sive autem duo fuerint Crojenses Antistites per hæc tempora, iique *Titulares*, an non, decernere nequeo. Sub exitum hujus sæculi XVII. duo creati sunt Episcopi Crojenses, iique, ut ajunt, *Titulares*; nam Dyrrhachienses Archiepiscopi hujus Ecclesiæ curam quasi perpetuo sibi habent commendatam. Ii vero fuere

JOANNES II. EPISC. CROJENSIS XIII.

Joannes II. Ep. Crojensis.

Cognominatus de Vaula, ut est in Actis Consist, quæ mox subjicio; neque de illo quidquam aliud memoriæ proditum.

ISIDORUS EPISC. CROJENSIS XIV. ET POSTREMUS.

Isidorus Ep. Crojensis an. 1694.

Hunc produnt Acta Consist. hisce verbis: 25. *Januarii* 1694. providit Innocentius XII. *Ecclesiæ Crojaten. in partibus Infid. vacanti per ob. Joannis de Vaula de persona Isidori Apparisio Gilart Presb. & deputavit Suffraganeum ad exercenda Pontificalia in civit. ac diœc. Valentina cum pensione ducat. 600. monetæ illarum partium super fructibus dictæ Ecclesiæ pro congrua ejus sustentatione.*

EPISCOPI LESTRONENSES.

Lestron urbs ubi posita.

LEquienii viri eruditissimi sequor auctoritatem & sententiam, qui tomo 2. Orientis Christ. pag. 247. *Lestronensem*, seu *Listronensem*, aut *Listrensem* Ecclesiam subjicit Dyrrhachiensi Metropolitæ. Urbs *Listros* a Lisso distinguitur lib. 2. Porphyrogeniti de thematibus them. 9., & a Hierocle novæ Epiro tribuitur his verbis *Listron & Scepon*. Quod ad nomen attinet, Vesselingius in notis Hierocli subjectis duas affert conjecturas; altera Palmerii est, qui suspicatur pro vocabulo *Listron* legendum esse *Lestrion*

vel

Digitized by Google

vel *Leston*, ceu epitheton urbi Auloni eo in loco a Hierocle adjectum, scilicet *Aulon Lesterion*, id est *Aulon navale piraticum*. Verum huic suspicioni adversatur ordo, quo hæ urbes a Hierocle sunt dispositæ, nempe *Aulon*, *Aulynidos metropolis*, *Listron & Scepon*: ubi nulla certe apparet vocabuli *Listron* cum Aulone conjunctio; & metropolis *Aulynidos* ipsa est Lychnidus Epiri civitas nobilissima, uti recte Vesselingius animadvertit; reor autem pro *Lychnidos* corrupte *Aulynidos* librarium scripsisse. Altera conjectura est Holstenii, cui videtur *Æstron*, non *Listron* legi posse in Hierocle, ut sit idem atque *Æstræum* oppidum Macedoniæ in Thesauro Orteliano; & Holstenio adhæret Carolus a S. Paulo in Geogr. Sacra, ubi notitiam edidit civilem Imperii Orientalis ab ipso Hierocle, uti putant, descriptam; sed *Listron* a Hierocle in nova Epiro ponitur, *Evstræon*, sive *Æstræon*, cujus & Ptolemæus meminit, in Macedonia secunda, unde *Æstræenses* populi apud Plinium lib. 4. cap. 10.; & hinc discrimen patet inter urbem utramque; quin ob eamdem causam *Listronem* cum *Ilistra* male Holstenius confundit in notis ad Carolum a S. Paulo, cum ipse fateatur, illam novæ Epiro a Hierocle tribui, hanc vero urbem Lycaoniæ. Igitur *Listron*, seu *Listroa* apud Porphyrogenitum, minima quippe est nominis dissimilitudo, novæ Epiri civitas fuit, cujus positio latet, & ne vestigia quidem supersunt; dignitas vero episcopalis unius Lestronensis Antistitis memoria non dubie probatur.

ZENOBIUS EPISC. LESTRONENSIS UNICUS.

Zenobius Episc. Lestronensis.

In catalogo Episcoporum, qui Concilio Chalcedonensi interfuere an. 451., ante annos fere mille confecto, ac per ecclesiasticas provincias distincto, quod ex Codice Sirmondiano editum fuit tomo 4. Concil. pag. 1710., hæc leguntur;

Provinciæ Metropolis Epiri Episcopi IV.
Zinobius Bostroensis,
Lucas Doraciensis &c.

Nomen Lucæ Metropolitæ Dyrrhachiensis satis perspicue indicat novam Epirum, a qua in ipso catalogo vetus distinguitur. Quisnam igitur apertissimum librarii mendum in *Zinobio Bostroensi* non deprehendit? cum enim, ut diximus, *Listroa* ex Porphyrogenito, *Listron* ex Hierocle una eademque urbs fuerit illius provinciæ, facile perspici potest, Zenobium *Listroensem*, vel *Listronensem* Episcopum exstitisse; & inde factum, ut vel inscitia vel negligentia vocabulum *Bostroensis* scribendo facilius excideret pro alterutro ex quadam nominis cum sonitu vocis similitudine. Nam si pro *Bostroensis* corrigas *Bostrensis*, *Berrhoensis*, aut *Berrhæensis*, hæ urbes ad alias pertinent provincias, earumque Episcopi a Zenobio distincti nominantur in Actis Concilii ejusdem; *Constantinus* nempe *Bostrensis* in Arabia, *Sebastianus Berrhææ* in Macedonia, *Teoctistus Berrhææ* in Syria. Quare Zenobium Listronensem, seu Lestronensem in Epiro nostra Episcopum, ejusque urbem sæc. V. Episcopatus honore præditam fuisse sub Dyrrhachina Metropoli jure & merito affirmamus.

EPISCOPI SCAMPENSES.

Scampa urbs in Epiro.

SCampa, cujus nomen varie a Geographis & in antiquis Itinerariis enuntiatur, civitas fuit non ignobilis in nova Epiro inter Dyrrhachium & Lychnidum sita. De ea tamen silent Græcæ & Romanæ historiæ Scriptores; sed dignitate episcopali claruit sæc. V. & VI. sub Metropoli Dyrrhachina, quamvis nec Christianæ in ea religionis, nec Episcopatus initia innotescant. Locus dirutæ urbis, si Ferrario fides in Lex. Geogr., nunc *Ulagrada*, seu *Struga* dicitur ab incolis Albanis; nam apud Baudrandum vicus est *Scompi* hactenus appellatus. Ejus Episcopi ipso sæc. VI. nominari desierunt, & duos unice habeo, quos proferam ex ecclesiasticis monumentis.

ARTEMIUS EPISC. SCAMPENSIS I.

Artemii Ep. Scampensis an. 458.

Notus ex Epistola Synodica Episcoporum novæ Epiri ad Leonem Imp. missa an. 458., cui ejus nomen præfixum, & ita subscriptum est, *Artemius episcopus Escampenus*; qua de re vide enarrata in Luca Dyrrhachiensi Metropolita.

TROJUS EPISCOPUS SCAMPENSIS II.

Trojus Ep. Scampensis anno 519.

De quo cum laude meminere & Andreas Episcopus Prævalitanus in literis ad Hormisdam Pontificem an. 519. & ipsius Hormisdæ Legati in secunda ad eum *Suggestione*. Cum enim Trojus schismate Acaciano fuisset implicitus, uti & alii provinciæ Dyrrhachinæ Episcopi, statim atque Pontificii Legati il-

Digitized by Google

illuc appulerunt Constantinopolim hanc ob caussam profecturi, is ejurata schismatica factione, catholicæ Fidei professionem palam edidit verbis conceptam ab Hormisda præscriptis, & Legatos in urbem perhonorifice excepit. Huc revoca, quæ de Acaciana historia retulimus in Archiepiscopis Dyrrhachiensibus. Verum quæ fuerit Scampensium lætitia in adventu Legatorum, qui apparatus, quæ pompa luminum, & quanta cum celebritate Germanus legationis princeps divina mysteria peregerit, accepta a Trojo fide, nullius in posterum schismatici hominis, multoque minus Acacii nomen e sacris dyptichis recitatum iri, præstat ipsis Andreæ & Legatorum verbis exponere. *Cum advenerunt*, inquit Andreas, *beatissimi atque sanctissimi Episcopi vel diaconi directi a sancta corona vestra, occurrerunt illis Scampinus Episcopus vir beatissimus Trojus cum omni gaudio & luminaribus: & porrecto libello secundum vestram præceptionem, statim recepti sunt in pace Christi, & missas celebravere cum Episcopo in Scampina civitate.* Legati vero fusius in *Suggestione* laudata, *Quod*, ajunt, *in Scampina civitate factum est vestris orationibus, tacere non permisimus. Antequam nos ingrederemur in civitatem ipsam, venerabilis Trojus Episcopus cum suo clero vel plebe in occursum nobis egressus est. Et quomodo Deus in ipsa die benedictus est, & quæ festivitas per ipsius pietatem subsecuta est, ad notitiam Apostolatus vestri referimus. Nobis præsentibus, vel suo clero & nobilibus viris ipsius civitatis, libellum subscripsit, porrexit; suscepimus, & præsente omni clero vel plebe, in gradu suo a servo vestro Petro notario sanctæ Ecclesiæ Romanæ est relectus. Erat conventus in basilica sancti Petri. Confitemur beatitudini vestræ, tantam devotionem, tantas Deos gratias, tantas lacrymas, tanta gaudia difficile in alio populo vidimus. Prope omnes cum cereis, viri cum mulieribus, milites cum crucibus in civitate nos susceperunt. Celebratæ sunt missæ, nullius nomen obnoxium religioni est recitatum, nisi tantum beatitudinis vestræ. Noster Episcopus venerabilis Germanus missam celebravit. Et promiserunt, nec postea recitari, nisi quos sedes apostolica suscepit. Quanta a nobis operata sunt, Deus propitius in vobis conservet*, Hactenus Legati.

ejurat schisma Acacianum.

Post Trojum nihil restat memoriæ proditum de Ecclesia & Episcopis Scampensibus.

In Bullar. Dominic. tomo IV. pag. 284. restitutus videtur sæc. XVI. titulus Episcopatus Scampensis; nam an. circ. 1507. Julius II. Pontifex *F. Hieronymum Cæna* Ord. Prædicat. alumnum creavit *Episcopum* Titularem *Scampensem*, *vulgo* Scampi *in Macedonia*, melius in Epiro nova, quæ olim veteris Macedoniæ pars, *sub Dyrrhachiensi Archiepiscopo*. Ita ex Plodio, & Fernandezio Cavalerius tomo 1. pag. 318. & Fontana in Theat. Dominic. part. 1. pag. 152.

APPENDIX

AD METROPOLIM DYRRHACHIENSEM.

DE ECCLESIA ACROCERAUNIA.

PRæter Ecclesias Metropolitæ Dyrrhachino subjectas, de quibus jam actum, Leo VI. Imperator cognomine Sapiens & duas enumerat, uti in præfatione diximus, Glabinitzensem, seu Acroceraunium, & Polycheropolitanam, seu Pulcheriopolitanam. De utraque hic breviter disserendum, licet nullius in utraque Episcopi, saltem Latini ritus, memoria reliqua sit.

Acrocerauniі montes describuntur.

Est itaque in confinio novæ Epiri & veteris promontorium a montibus Acroceraunіis, quibus ad mare insidet, *Acroceraunium* appellatum; de quo Geographi omnes tum Græci, tum Latini meminere; & ex ejus accolis deductam fortasse Cerauniorum coloniam, quos in Conventu Scardonitano nominat Ptolemæus, uti diximus in Tomo 1. pag. 162. Mille passus tres ac triginta Aulone distat, uti conjicit Surita in notis Itiner. Anton. subjectis. Hic *in mediis Ceraunіis montibus Panormus est portus magnus*, inquit Strabo lib. 7. ubi de Epiro, cui cohæret Ptolemæus; ideoque ad ipsum Promontorium situs fuisse videtur, illumque, angustiorem tamen, exhibent Tabulæ Geographicæ; atque arguere inde licet, frequentes exstitisse incolas sive in pagis dispersos per juga littori proximiora, sive in oppido, aut urbe una collectos, cui Acroceraunіæ nomen dederit idem Promontorium. Baudrandus in Lex. Geogr. Acroceraunium ita describit *promontorium Epiri pars Acroceraunіorum montium mari Jonio imminens*, *hodie* il Capo della Lingueta, *quamquam a quibusdam vocetur* il Capo della Chimera, *estque nunc in Albaniæ regione prope Aulonem urbem*. Paulo vero superius Acroceraunia juga nunc *montes Chimeræ* appellari affirmat, & *Acroceraunia*, ait, *la Chimera urbs olim Epiri, nunc Albaniæ, Episcopalis sub Archiepiscopo Dyrrhachino instra Acroceraunіos montes, unde regioni nomen recens inditum est prope sinum cognominem, teste*

Digitized by Google

ste Brietio. Equidem in maritimis Epiri civitatibus Acroceraunion enumerat Anonymus Ravennas lib. 5. num. 13. *Acroceraunion*, *Aulona*, *Apollonia*, *Dyrrhachium* &c. Pausanias vero lib. 8. *locum, quod vocant Chimerium*, in Thesprotide, quæ pars erat Epiri, collocat, & Thucydides lib. 1. *portum Chimerium*, nulla urbis mentione facta, contra atque Brietius affirmat tomo 2. Paral. Geogr. part. 2. lib. 3. cap. 4. §. 1., in ora Thesprotidis, Corinthii, inquiens, *appelluntur in Chimerium, quod est oræ Thesprotidis; est autem portus, a quo & a mari distans urbs Ephire in palustribus Thesprotidis sita*; quæ loca cum Acroceraunii conjuncta satis indicant Aeroceraunium, & Chimerium promontorium portumque unum esse, ubi Plinii ævo castellum Chimeræ erat, ut is testatur lib. 1. cap. 1. *In Epiri ora Castellum in Acroceraunii Chimera*. Siqua igitur urbis species ac forma huic loco fuit, & restat adhuc, posterioribus Plinio sæculis cœpisse autumo, & VI. circiter sæculo; nam Procopius lib. 4. de ædificiis Justiniani Imp. cap. 4. *Castellum Chimæræ* ab eo conditum nominat in Epiro veteri, seu in utriusque Epiri confinio, in Acroceraunii, ubi vetus exstitit castellum a Plinio memoratum. De hac vero episcopali sede ne hiscit quidem Brietius, quem Baudrandus perperam pro sua assertione testem nominat. Et re quidem vera qui hanc regionem populi incolunt hodie, communi vocabulo *Cimariotæ* vocantur, de quibus hæc Gratianus lib. 18. hist. Venet. ad an. 1685. *Epiri oram qua Chimæra est, montesque proximos Ceraunios populi incolunt fortes cupidique bellandi, Christianorum servantes sacra, qui regione freti prope invia ita subsunt Turcarum imperio, ut tamen libertatem quandam retineant. Eo & tributum pendere interdum recusant.*

Acroceraunia Ecclesiæ status.

Et quod attinet ad Acroceraunian Ecclesiam, ejusque sedem episcopalem, idem Leo Imp. in ordinata Ecclesiarum serie, quæ Patriarchæ Constantinopolitano subsunt, edita a Leunclavio tomo 1. Juris Græc. &c. pag. 99. Metropolitæ Neopactensi in Ætolia subjicit Episcopum Chimeræ. Est autem Ætolia ab Epiro distincta regio, eique finitima; & Neopactum ad sinum Corinthiacum assidet; ex quo intelligimus Ecclesiam Chimeræ, de qua hic Leo, aliam penitus esse ab Chimæra Acroceraunia, & errasse Harduinum, qui utramque confudit in Plinianis notationibus ad lib. 1. cap. 1. præterquam quod Acroceraunia Metropolitæ Dyrrhachino, Chimera, seu potius ut est in Græco, Χιμάρα, Neopactensi tribuitur a Leone. Fuerit tamen, teste Imp. Leone, Episcopatus Acroceraunius, idemque, uti conjicere licet, IX. sæculo vel paullo ante institutus; nullos certe habuit Latini ritus Antistites; quique fuere Acroceraunii, seu Cimariotæ Episcopi Græcanicum schisma secuti, Græco Dyrrhachiensi Metropolitæ postea paruere, quam sæculo XII. Latini Archiepiscopi Dyrrhachinæ provinciæ cœperunt præesse; quamvis eodem IX. sæculo, quo initia hujus Episcopatus constitui queunt, ipsi Metropolitæ Dyrrhachienses a communione Romani Pontificis jam desciverant, uti dictum in Ecclesia Dyrrhachina. Attamen pro certo habeo, Romanorum Pontificum curam, & vigilantiam, qua Christianum orbem ubique complectuntur, nunquam hisce gentibus defuisse, ut per apostolicos viros, aut Latinos Antistites, qui propius absunt a finibus Chimeræ, ad Catholicæ Ecclesiæ sinum revocarentur, quamvis in ecclesiasticis historiis peculiaria non exstent monumenta.

Dimidio sæculo XVII. suberant Cimariotæ proprio Episcopo, cui nomen Seraphino, Græci schismatis cultori; ac de illo, ejusque Ecclesiæ statu pauca quædam profero ex literis Simonis Lascaris Archiepiseopi Dyrrhachiensis Græci generis & Catholicæ professionis ad Sacram Congreg. de Propag. Fide. Anno enim 1659. eo missus est ut Cimariotas ad communionem Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ revocaret; ac Neapoli cum esset mense Septembri anni 1660. primores illius gentis duos reperit, qui Romam legati ad Pontificem missi fuerant de religione acturi. Hanc vero Chimæræ descriptionem in quadam ejus epistola habemus. Provincia Cimariensis mille passus centum ac viginti longitudine, ducentos vero latitudine continet; septemtrionem versus Aulonæ fines attingit, in occidentem scopulis Corcyrensibus adhæret; Delveni oppido seu urbi finitima ad meridiem, ac Turcico continenti ad solem orientem. Regio aspera ac montosa, haud tamen infœcunda, ac in Turcas rebellis; incolæ suis se legibus regunt, Græce aut Epirotice solummodo loquuntur; Catholici qui sunt, nullo errore corrupti, nulla schismatis labe Græcum retinent ritum. Pagi, aut oppida quinque supra triginta numerantur; parœciæ plures, pluresque sacræ ædes; sunt Ecclesiæ nonnullæ bonis instructæ; templum cathedrale dirutum jacet; illius vero annui reditus mille nummis argenteis constant. Parochi omnes Cœnobitæ Basiliani instituti, cujusmodi, inquit Lascaris in alia epistola scripta IV. idus Martias anni 1661., Cœnobia plura extructa sunt per ea loca; quindecim omnino in singulis Cœnobitæ degunt, iique Cimariotæ; ex his duo tresve Presbyteri, reliqui in agrorum cultura se se exercent. Cæteri ex Clero sacerdotes indocti, uxores habent, otioque torpent; hinc sacrarum ædium neglectus & paupertas. Anno 1662. inde Simon discessit; & literis mense Octobris datis monet Sacræ Congregat. Patres de Cimariotarum constantia adversus Romanam Ecclesiam, & de recta religione Acacii cujusdam monachi & Abbatis, cui Chimæræ curam commendaverat. Interea Seraphinus schismatici propositi tenax resipuit nunquam; & licet inclinare aliquando videretur in Romani Pontificis communionem, nec amplexus ipse est, & ab ea amplectenda

Simonis Archiep. Dyrrhachiensis Græci fides suspecta.

Digitized by Google

vel retinenda, quos potuit, maxime conatus est prohibere. Missio certe Simonis Archiepiscopi non eos retulit religionis fructus, quos ipse pollicitus erat: ejusque fides in hoc agendo tam gravi negotio suspecta adeo esse cœpit Patribus Sacræ Congreg., ut ab eo persequendo, & ab aditu urbis, cum inde recessisset, prohibitus fuerit. Anno 1669. Innocentius XII. Pontifex Vicarium Apostolicum ad Cimariotas misit VII. idus Junias Philotheum Zassi monachum Basilianum, ac Titularem Græci ritus Archiepiscopum Dyrrhachiensem. Sæculo XVII. jam inito præerat Cimariotis Episcopus Musachiensis, cui Sacra Congregatio hanc provinciam commendaverat; idemque scholas instituit, decreto præceptoris stipendio, a quo juventus catholica religione & literis imbueretur. Vicarii Apostolici munere functus est in ea regione Joseph Scirò, qui anno 1749. Romæ interfuit singulis conventibus, quibus Benedictus XIV. cultum Sanctorum decrevit BB. Fideli a Sigmaringa, Camillo de Lellis, Josepho a Leonissa, & Catharinæ de Ricciis; suique suffragii schedulam ita signavit: *Joseph Scirò Archiepiscopus Dyrrhachinus, & olim Vicarius Apostolicus Cimarræ in Epiro.* Quinam vero hodiernus sit Chimæræ status, nescire me fateor; minime tamen eum falli existimo, qui miserrimam illius provinciæ conditionem esse autumet tum Schismaticorum Antistitum pervicaci malitia in Romanam Ecclesiam, tum summa Catholicorum dogmatum morumque ignoratione, in qua versantur incolæ, & ad æternam trahuntur animarum perniciem.

De Cimariotis Catholicis cura Romanorum Pontificum.

DE ECCLESIA PULCHERIOPOLITANA.

Pulcheriopolis urbis & ecclesiæ nulla sunt monumenta.

PUlcheriupolim urbem qui primus nominet cum reliquis novæ Epiri civitatibus, unus est Hierocles in Synecdemo, quem ante sæculum nonum floruisse putat Vesselingius, ejusque opus edidit cum Itinerario Antonini. *Polichberiupolis* dicitur in Notitia antiqua provinciarum & urbium Imp. Constantinopolitani, quæ eidem Hierocli tribuitur, & ad calcem inserta est Geograph. Sacræ Caroli a S. Paulo. Post Leonem vero Sapientem Imp. meminit ejusdem urbis Constantinus Porphyrogenitus lib. 2. them. 9., & *Pulcheriopolim* appellat. *Situs* urbis *obscurissimus*, inquit laudato in loco Vesselingius; at erravit certe Palmerius gemino errore, & Pulcheriopolim Epirensem permiscens cum Belgrado olim Tauruno, & Belgradum ipsum Hungariæ in veteri Rascia munitissimum oppidum in Bulgaria constituens; nisi forte Belgradum arcem intelligat ad Epiri & Bulgariæ fines sitam sæc. XV.; quod *ut probari possit, vehementer vereor*, subjicit Vesselingius. Nomen urbi a Pulcheria Augusta Theodosii II. sorore inditum; quæ communis eruditorum opinio est, & comprobatur ab Holstenio in notis Thesauro Orteliano subjectis v. *Pulcheriopolis; Civitas*, inquit, *Epiri nova in notitia Hieroclis, ubi male* Πολυχερούπολις *pro* Πυλχερούπολις *editur. Accipit autem nomen a Pulcheria Augusta, cujus hæc Notitia tempore scripta videtur.* Ideoque exstructa dicitur sæc. V., cum sanctissima virgo, collega sibi adjuncto Marciano, orientale imperium teneret; cujus ingentia in catholicam religionem merita testantur Patres Concilii Chalcedonensis, & summis laudibus prosecutus est S. Pontifex Leo M.; propterea ob eximias virtutes digna effecta est, quæ Divorum numero & fastis adscriberetur. Sive autem Pulcheria ipsa, sive alii ejus honoris ac nominis perennitati urbem condiderint, mihi est verisimile, Episcopalem Sedem ab ea pro sua religione ac pietate fuisse institutam, vel a conditoribus obtentam, qui piissimæ fœminæ studia noverant, eique in rebus sacris maxime gratificari appetebant. Ut civitatis, ita & pontificalis dignitatis monumenta nulla supersunt, nulla vestigia.

DE ECCLESIA CRAINENSI.

Craina quid significet?

CRaina, uti auctor est Lucius lib. 4. de regno Dalm. &c. cap. 4., oram maritimam significat apud Slavos, & confinem, quo sensu interpretatur verba Thomæ Archidiaconi; cum enim hic cap. 15. diœcesim Maccarensem *a confinio Crainæ usque Stagnum, & in Comitatu Chulmiæ* protensam fuisse dicat, & cap. 33. narret Spalatenses *magnam partem terræ* Tolen cujusdam, qui filius fratris erat Petri de Chulmia, depopulatos esse maritimis copiis, *eamdem oram maritimam, Slavo vocabulo* Crainam, *id est finitimam regionem dictam, quam Episcopatui Maccarensi tribuit Archidiaconus, Chulmiæ fuisse innuere videtur*, inquit idem Lucius. P. Bomanus tomo 2. hist. Dalmat. lib. 8. pag. 372. *Crainam* confinium appellat; hinc pagus *Gabellæ ad ripas Narentæ* Craina *dicitur, quia confinis inter Hungaricam ditionem, ac Turcicam, partemque Herzegovinæ, suis Dynastis olim subjectæ, a quibus Episcopus eo in loco degere jussus*, Crainensis *vulgo dictus; cujusmodi est Franciscus* a Craina, *seu a confinio Herzegovinæ in Serblia;* eadem vero est Herzegovina sive Ducatus S. Sabbæ, ac vetus Zachlumia, quæ & Chulmia nominari solet; sed non videtur Bomanus Lucii interpretationem omnino secutus. Diximus Tomo 2. hujus operis pag. 142. *Crainam* apud Slavos idem valere, quod apud Latinos ora maritima, seu regio limitanea, pluresque in Dalmatia locos esse, quibus *Crainæ* nomen tribuitur; est enim & *Craina Marcovichiorum* in diœcesi Antibarensi, teste Lucio in præfatione suis ad Marcum Marulum notis præfixa; & ora maritima cis ultraque Macarscham,

Digitized by Google

scham, fere usque ad peninsulam Stagni, ab indigenis lingua Slavonica *Craina* vocatur, uti est in Tomo 4. pag. 178. Tum pag. 189. *Crainam* definivimus regionem littoralem esse, ubi sita civitas Macarensis, quæ olim pars Herzegovinæ ad regnum Serbliæ pertinebat. *Crainæ* situs describitur Tomo 1. operis nostri pag. 159. Palladii verbis, qui a Viscehio oppidulo propius a mari posito ad ripam Tiluri, nunc Cetinæ fluminis, *Incipiunt*, inquit, *montes altissimi ejus regiunculæ, quam indigenæ peculiari vocabulo Crainam vocant, quo etiam lingua eorum litus demonstrant; in ea Ratanæi castelli, cujus Ptolemæus & Plinius mentionem faciunt, vestigia monstrantur. Crainæ a septemtrione conjungitur regio tota in mediterraneo, campis aquisque visenda, cui nomen est Radobilia.* Rataneum castellum, a Dione Cassio lib. 56. Rætinum, uti quidam autumant, dictum collocat Plinius in Epetinis cum Piguntia nunc Almissa lib. 3. cap. 26. Epetini vero ab urbe Epetio nomen habuere, quæ citra Tilurum posita Salonam occidentem versus respiciebat. Vide Tomo 1. pag. 158. & 164. Cæterum Palladii verba indicant, *Crainæ* vocabulo oram quamlibet, etiam quam alluant flumina, posse intelligi; nam Tilurus inter Crainæ montes excurrit usque ad maris ostia, qua Crainensis regio attingit. Hæc Palladio auctore montosa est, in agro ac diœcesi Macarensi, & Herzegovinæ confinis, ad quam spectant campi Radobiliæ boream versus. Hinc Palladiana descriptio *Crainæ* convgruit cum Lucii sententia, a quo *Craina* tribuitur Episcopatui Macarensi, a Bomani vero opinione discrepare videtur; hic enim *ad ripas Narentæ* suam *Crainam* collocat longe a Tiluro flumine, in ipsa tamen Macarensi diœcesi. Verum duplex *Craina* potius est distinguenda, utraque quidem ad oram aquariam constituta, & Herzegovinæ finitima, sed altera ad Tiluri, altera ad ripas Naronis; & illa Crainensis regio, hæc peculiaris proprie locus *Craina*, seu confinium appellatus; quibus adde tertium ejusdem nominis tractum maritimum, qui citra Macarscam ab occasu procurrit ultra in ortum solis, & prope peninsulam Stagni terminatur; uti dictum paullo superius. Marcus Giorga Archiepiscopus Antibarensis sub exitum sæc. XVII. suam diœcesim describens in litteris ad Sacr. Congreg., quas in Ecclesia Antibarensi protulimus pag. 141., *Crainam* nominat, urbem olim, nunc vicum exiguum suæ jurisdictioni subjectum; *Craina*, inquit, *regia olim civitas erat, & Curia Vladimiri regis Serblorum, nunc vicus exiguus Antibari passuum millia circiter novem in ortum distans; a Serblianis ritus & dogmatis Græcanici fere totus incolitur, quibuscum pauci Turcæ permixti; nullus ibi ritus latini & Catholici. Hic exstat templum Deiparæ Virginis in cælum assumptæ, & Cœnobium Calogerorum, utrumque a Cossara vidua Vladimiri ædificatum, & utriusque ibi corpus conditum ferunt.* Ubi sita?

Id testatur etiam Diocleas de regno Slavorum, qui corpus Vladimiri in locum, *qui Crainі dicitur, ubi ejus Curia fuit*, delatum narrat, ibique cum marito Cossaram quoque sepultam; ab Orbino pag. 224. ideo locus *Creani* appellatur. In tabulis geographicis Cantellianis prope abest Antibari in meridiem *Crainæ* vicus ad amnem, ex quo lacus Svaciensis efficitur; in nostris schedis manu descriptis vicus alter hoc nomine ponitur intra montes, qui haud procul ab urbe eadem assurgunt in ortum solis, hic e vestigiis *Crainæ* regiæ superest; uterque tamen a Craina Marcovichiorum distingui debet, qui mare attingunt in solem occidentem. In aliis schedis *Crainæ* aliud oppidum ponitur ultra lacum Scodrensem ab oriente. Denique *Crain*, seu *Krain*, & *Krainer*, Carniola corrupto vocabulo appellatur a Germanis, ab Italis *Cragno*, quæ Carnorum regio est ad Italiæ fines, unde *Krainburgum* civitas, latine Carnioburgum dicta.

Crainensium Archiepiscoporum sedes incerta.

Hisce de *Crainæ* vocabulo & situ propositis, nunc est inquirendum, quid Archiepiscopi Crainensis titulo significent vetera monumenta, & quo in loco Crainensis Archiepiscopatus constitui debeat; mihique ex Romanis schedis, quæ habeo, compertum est, de hoc Card. Ganganellum, cui postea Romanus Pontificatus obtigit Clementis XIV. nomine, quæsivisse olim ab erudito viro Ruggierio, ubinam terrarum esset Crainensis Archiepiscopatus; sed Ruggierii responsum nos latet, & forsitan periisse dolemus, cum ex illo fax quædam affulsisset clarior huic quæstioni discernendæ, decernendæque. Episcopos Maccarenses quandoque *Crainenses* appellari consuevisse diximus Tomo 4.; unus Simon post dimidium sæc. XIV. hoc titulo in publicis tabulis nominatur; Franciscum vero an. 1445. & Andream an. 1476., qui *Crainenses* Episcopi dicuntur pag. 189., e catalogo Maccarensium Antistitum esse expungendos probabimus paullo inferius. Caussam hujus mutationis rejicit Farlatus in violentos Schismaticorum ac dein Turcarum motus, a quibus pulsi Episcopi de urbe Mucaro seu Macarsca *Crainam*, id est oram maritimam hic illic incoluere nulli certo loco affixi usque ad initia sæc. XVI., & recte quidem; sed archiepiscopalis dignitas nunquam illis attributa fuit. Igitur quæramus alibi oportet *Crainenses* Archiepiscopos, quorum nomina & series ab anno 1452. ad annum 1525. exstat in tabulis Romanis; in iisque Ecclesia *Crainensis* primum commendata dicitur certis Episcopis, qui inde Archiepiscopi nomen sumpsere, deinde *Titularis*; & hinc Ecclesiam revera *Crainensem* aliquo in loco exstitisse tuto arguimus; quæ sæculo ipso XV. antiquata confusam licet sui memoriam solo titulo posteritati reliquit; cum antea & propriam habuerit Antistitum sedem, & sua diœcesi constiterit, non satis ampla fortasse, in qua Archiepiscopi ordinario munere fungerentur. Verum quotquot loca enumeravimus *Crainæ* vocabulo distincta, partim ad Mac-

ca-

Digitized by Google

carensem, partim ad Scodrensem & Antibarensem diœceses pertinent, nec ab iis sejuncta fuere unquam, nec iterum in integrum corpus recepta. Præterea falluntur equidem, siqui existiment, Antibarenses aut Dyrrhachienses Archiepiscopos, quorum urbes maritimæ, & diœcesis pars aliqua mari adjacet, *Crainenses* appellatos fuisse; nam uno tempore alios Antibarenses ac Dyrrhachienses Archiepiscopos exhibent vetera monumenta, alioque nomine *Crainenses*, qui ullo modo nequeunt cum iis confundi, atque permisceri. Qua in re & Farlatus Tomo 4. pag. 192. deceptus est, qui, cum Ecclesiæ Antibarensis historiam nondum præ manibus haberet, vocabulum ait Crainensis commune fuisse Maccarensi Ecclesiæ cum aliis, quæ in ora littorali essent constitutæ, velut Antibarensi; neque ullam proprio nomine Crainensem Ecclesiam novit. Hinc integra manet hujus quæstionis dissolvendæ difficultas; & ne conjectura quidem indicari posse quidquam video, quod rei imminuat ambiguitatem; nisi probabilia saltem prodeant e vetustis chartis argumenta, unde aliqua rei verisimilitudo consequatur. Nam si *Crainenses* Antistites apte inseri dicas in iis locis, in quibus series Maccarensium Episcoporum interrupta, & eosdem cum Maccarensibus esse, nulla suppetit ratio, cur Maccarensis Ecclesia archiepiscopali dignitate fuerit ornata brevi quinquaginta circiter aut sexaginta annorum spatio. Et si *Crainensem* Archiepiscopatum in urbe regia *Craina* constituas, quam Vladimirus, aut posteriores Serbliæ reges, utpote quæ regni sedes esset, hoc ecclesiastici honoris titulo decorari voluerint, ita tamen, ut Archiepiscopi jurisdictio intra urbem, ejusque territorium contineretur, & salva Antibarensis Metropolitæ in suam provinciam auctoritas staret, contra objicimus, nullis id probari veterum testimoniis, *Crainensis* Archiepiscopi nomen dimidio tantum sæc. XV. primo innotescere, *Crainæ* vero an quis alius e Serblis regibus præter Vladimirum regium habuerit domicilium, esse ignotum, incertumque. Neque assentiendum est Michaeli Cavallerio ex ordine Dominicano, qui in libro inscripto, *Galleria dei Prelati dell'Ordine*, Tomo 1. pag. 291. *Crainensem* Archiepiscopatum exstitisse negat, eum in tabulis Romanis nulla ejusdem insit mentio, sed unius tantum Episcopatus *Crainensis*; quod eædem tabulæ falsum evincunt, uti suo loco perspicuum fiet. Errat etiam Cavallerius, dum *Crainensem* Ecclesiam pro Crojensi dictam suspicatur; nam, ut unum afferam exemplum, duo uno tempore Episcopi eidem Ecclesiæ præfuissent, Joannes Baptista *Crainensis*, qui anno 1525. hunc titulum retinebat, & Franciscus Crojensis electus anno 1524. multoque magis a vero abest, Herzegovinam *Crainæ* nomine appellatam, quo ea pars solummodo videtur distincta, quam Episcopus Maccarensis obtinebat, & totum Crainensem Episcopatum fuisse complexam; erat enim jurisdictioni ac diœcesi Maccarensi partim subjecta. Denique Bremondus etiam tomo 3. Bull. Dominic. pag. 631. in errorem incidit haud levem, qui in Carniola *Craynensem* Ecclesiam esse statuendam putavit quadam deceptus vocabuli similitudine; uti & nos paullo superius advertimus; præter enim Aquilejensem in Carnis metropoliticam sedem, & Labacensem in Carniola Episcopatum sub Salisburgensem in Norico Metropolitam, reperies nullam in provincia utraque civitatem, quæ sæc. XV. archiepiscopali dignitate frueretur. Quapropter, seclusa adhuc nobis via, qua Ecclesia Crainensis in Epiro queat reperiri, aut in propiori ultra Ragusium Dalmatia, sagacioribus magisque eruditis hominibus eam investigandam relinquimus; & Archiepiscoporum Crainensium, quorum nomina ex tabulis Vaticanis habemus, seriem hic libet adtexere, nequid diligentiæ hac in re tractanda prætermissum videatur.

THEODOSIUS ARCHIEPISCOPUS CRAINENSIS I.

Theodosius Arch. Crainensis an. 1452.

Hunc Nicolaus V. Pontifex sua Ecclesia privavit III. nonas Majas anni 1452., quam ob causam latet; eaque commendata fuit Sabæ Episcopo Thermopylensi, cujus nomen prætermisit Lequienius in Ecclesia Thermopylensi tomo 3. Orient. Christ. pag. 850. Eo post biennium vita functo

PAULLUS ARCHIEP. CRAINENSIS II.

Paullus Archiep. Crainensis an. 1455.

Cum Drivastensem Ecclesiam regeret, ab eodem Pontifice Crainensi quoque Archiepiscopatu ornatus est an. 1455. Vide quæ de Paullo dicta in Episcopis Drivastensibus; utrumque vero Drivastensis & Crainensis Antistitis titulum retinuit ad annum 1457. quo e vita excessit.

ANDREAS ARCHIEP. CRAINENSIS III.

Andreas Utinensis

Cognomento Zuccomakehius Utini natus est, uti Bremondus in tomo 3. Bull. Dominic. pag. 631. affirmat; *Crovatus* dicitur in epigraphe subjecta depictæ Andreæ imagini in Cœnobio Dominicano Utinensi, quippe qui e Chrobatica aut Dalmatica familia oriundus, quod alii produnt Scriptores, Cavallerius, & Mansius qui in notis Biblioth. latinæ, medii ævi a Fabricio editæ tomo 1. eum Dalmatam appellat. Dominicanum institutum amplexus est, uti certo constat testimonio auctorum fere omnium, qui illius meminere, licet Raynaldus ad an. 1482. *pseudodominicanum* appellet, & Utinensi Cœnobio semet addixit. *Hic Andreas*, inquit Felinus a Mansio laudatus, *fuit F. Ord. Prædicat. homo satis literatus, linguæ omnipotentis, ingenii concitati & iniquissimi*; eumdemque ceu virum protervæ frontis & audacis, animo, ingenio, doctrina ad magna omnia natum aptumque describit Baccius Ugolinius in suis ad Laurentium

an. 1476. Archiepisc. Crainensis.

tium Mediceum literis, de quibus postea. Sacris equidem disciplinis excelluit, & linguarum variarum peritia; ac ob insignem eruditionem, & rerum gerendarum sollertiam nominis famæque ingentem celebritatem est consecutus. Itaque anno 1476. IV. idus Januarias Sixtus IV. Pontifex illum ad Sedem Crainensis Archiepiscopatus evexit, ut ferunt tabulæ Romanæ, in quibus *Andreas Zuccomakebius* & *Decretorum Doctor* appellatur. Hinc Fabricii in laudata Biblioth. & Varthoni error in Append. ad Caveum pag. 450. qui Andream Archiepiscopum *Carnensem* nominant, tum Sigismundi Fulginatis, a quo *Cyainensis* dicitur; *forte Cyanæ in Epiro*, subjicit Mansius; sed nulla neque in Epiro, neque apud Geographos exstat hujus nominis urbs. Perhibent laudatæ tabulæ Crainensem Ecclesiam annos viginti suo Antistite antea caruisse, tum ab illo debitam *pro balista* pecuniam pontificio ærario persolutam; quodque mirum, & intelligentia capi nequit, *Episcopum Crainensem Titularem* nominant, eum in aliis tabulis, & penes illorum temporum Scriptores *Archiepiscopi* nomen obtineat passim, ac *Titulares* Antistites ejusmodi pensioni non essent obnoxii, quippe qui vacui suarum Ecclesiarum reditibus; præterquam quod, si tabulæ Romanæ unice innuunt, seriem Antistitum Crainensium fuisse interruptam annorum viginti spatio, horum Ecclesia antiquata certe non fuerat, nec *Titularis* exstitisse ante videtur, cui regendæ Andream Pontifex præposuerat; sed hac de re aliorum esto judicium.

Andreas sua sede potitus, & incredibili, qua fervebat, ambitione abreptus ad Fridericum Imp. se contulit, ejusque gratiam aulicis artibus adeo est aucupatus, ut in gravissimis exsequendis negotiis a Friderico adhiberetur, & Romanam legationem sibi obeundam acceperit. Verum quod aliis decus & laudem parere debuisset, ipsi postea in summum dedecus, & perniciem extremam conversum est. Anno itaque circ. 1478. Romam venit, ac sui muneris partes prudenter diligenterque implere visus est. Exstat in tabulis Cœnobii Veneti SS. Joannis & Paulli diploma Sixti IV. Pontificis inscriptum *Venerabili Fratri Archiepiscopo Crainensi*, datumque *Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXX.*, quo is in urbe degebat, XV. *Kal. Februarii Pontificatus nostri anno X.*; eique plura committit exsequenda, quæ commodum, & tranquillitatem ejusdem Cœnobii spectabant, de bonorum scilicet administratione, de præferendis Cœnobii alumnis in munerum honoratiorum distributione, tum de Fratribus hospitibus, ne diutius, quam par esset, in Cœnobio morarentur. Inter Codices latinos Bibliothecæ Venetæ Nannianæ cod. 102. quædam sunt hujus legationis monumenta, quæ hic proferre non injucundum putamus. Itaque in *instructione Sixti IV. ad R. P. D. Protonotarium de Agnellis Oratorem Pontificium apud Imperatorem; Item quod S. Sanctitati gratissima admodum fuerunt, quæ sua Majestas novissime suæ Beatitudini per R. D. P. Archiepiscopum Craynensem Oratorem suum ad dicendum misit de optima suæ Majestatis dispositione & animi promptitudine erga statum & honorem Sedis Apostolicæ, & suæ Sanctitatis præsertim super rebus occurentibus.* Rursum in alia ejusdem Pontificis *instructione ad Oratorem suum apud Imperatorem in causa Archiepisc. Salisburgensis* Bernardi de Hoor, qui cum Matthia rege Hungariæ bellum moverat adversus Fridericum, ac viribus fractus demum suam Ecclesiam dimisit an. 1481. *Et quoniam alias per D. Archiepisc. Craynensem Imperialem Oratorem Majestas sua scripserat, ut D. Episc. Forliviensi committeretur, quatenus juxta promissa Archiepiscopum compelleret ad resignandum Maj. Imper., pro sua singulari sapientia, & longo rerum usu & experientia scire potest hujusmodi causarum cognitionem, quæ ex majoribus & gravioribus esse cognoscuntur, nullibi tractare debere aut oportere, nisi apud Tribunal Apostolicum & Sacrum Collegium RR. DD. Cardinal. quod etiam tunc ipsi Craynensi Archiepisc. responsum est.* Cum vero per idem tempus de rebus gravissimis a Friderico ageretur cum Pontifice, a quo etiam plura petebat per Andream legatum, quæ non exigui erant momenti, Pontifex responsa ad Imperatorem misit in hanc sententiam ex eodem Cod. Nanniano exscripta.

Hujus legationis acta quædam.

Imperatoris ator apud Sxtum IV. P

Responsum ad ea, quæ R. in Christo P. D. Archiepisc. Craynensis nomine Maj. Imper. attulit ad S. D. N.

Responsum Friderici Imp. per Andream datum Pontifici.

Primo quantum attinet ad bonam suæ Maj. dispositionem erga Sanctitatem suam est id magnæ jucunditatis, & habet ei gratias commendans eum de hujusmodi voluntate & pietate in suam Sanctitatem & Apostolicam Sedem, offertque vice versa optimam animi sui promptitudinem in omnibus quæ cum Deo in illius commodum & honorem fieri poterant, quem habet in præcipuum & amatissimum Filium, neque solum ejus Majest., sed Ill. D. Maximilianum Ducem Burgundiæ sua Sanctitas habebit semper commendatum in omnibus quæ cum Deo fieri poterunt, & erit prompta semper ad ipsius Filii sui exaltationem juxta Serenitatis suæ dispositionem.

De damnis autem (1) *per Turcos Suæ Serenit. illatis, Sanctitas sua magno est affecta dolore, neque posset ardentius esse illi desiderium succurrendi Christianis rebus, sicut est, quod & superioribus temporibus declaravit, & declarare parata est maxime pacata Italia. Nam quanto impedimento fuit* (2) *Laurentius de Medices publicæ expeditioni, & futurus sit nisi provideatur, jam omnes & vident, & intelligunt; dispositionem Suæ Sanctit. ad hoc sanctissimum opus & commune Fidei negotium ex litteris nostris ad Venetos facile deprehendere poterit, qui magis Laurentium, quam seipsum & reliquam Christianitatem amare videntur; earum enim exemplum ad te mittimus.*

1

2

Regi

Regi Hungariæ fœdus illud semper dissuasit sua Sanctitas, cui neque ipsa, neque Collegium Cardin. voluit unquam assentire, quemadmodum ex utriusque litteris ad eundem Regem perspici potest. Ille autem excusabat idem.... Venetos & se amplius resistere non posse pecunia & facultatibus exhaustum. Sperat autem sua Sanctitas compositis Italiæ rebus & ipsum & reliquos Christianos Principes ad auxilia Fidelium populorum esse conventuros præcipue consilio & auxilio suæ Sanctit. Ad quod & exhortatio & facultas & omnis opera sua non deerit; & ad id nihil intermisit cogitationis & consultationis cum Reverendiss. DD. Cardin. ut desiderio Suæ Majestatis satisfieri possit, quemadmodum in dies Sanctitas sua intelliget.

De Ecclesia & Præpositura Constantiensi Sanctitas Sua contenta (3) *est, ut sua Majestas rem componat, & concordet, super quo Brevia ad illum dirigit.* 3

Quod de beneficiis in Maximilianum filium collatis & benevolentia Sanctitatis suæ gratias agit, fecit id quidem animo libentissimo, & in Dominiis suis semper respectum habebit, prout jam re ipsa declaravit. Nam cum superioribus diebus Rex Franciæ instanter rogaret, ut Episc. Cameracen. quidam Coadjutor cum successione daretur, id omnino Sanctitas Sua recusavit.

Bullam Monasterii S. Cæciliæ juxta desiderium suæ Maj. expeditam mittit.

Idem factum est de Bulla nominationum de negotio Sixti Scharsfonegten & Alberti Ruck, quod in ipsis nominationibus comprehenduntur. Idem in caussa Gasparis Poveret, quæ omnia ad votum Suæ Maj. expedita sunt.

Quod autem sua Maj. operam datura est ad 4 *liberationem* (4) *Annibalis Malvitii civis Bonon. subditi nostri dilectissimi habet Sanctitas sua gratias, & ita rogat ut negotium prosequatur. Res enim pia est, & ea familia plurimum valet divitiis, & auctoritate, quæ multum etiam obesse posset Germanis hominibus in Italiam proficiscentibus.*

Mittit Sanctit. sua ad M. suam exemplum litterarum Regis Franciæ ad eam scriptarum 5 *(5), & illius responsum necnon Collegii Cardinalium, ad quos sub eodem tenore scripsit, ut intelligere possit quam juste & sincere in omnibus incedat Sua B., quæ non quærit nisi honorem Dei & Apost. Sedis, cujus ipse Protector est.*

Intellexit præterea sua Sanctitas accessuros esse ad illius Serenit. nonnullos Oratores & præcipue Venetorum, & Regis Franciæ, qui ad hoc inducuntur precibus ipsius Laurentii, & forte pecuniis & expensis. Majestas sua prudentissima est, & non ignorat S. D. N. eam non esse ipsis responsuram, nisi in exaltationem Apost. Sedis, & Catbol. Fidei, & Seren. Suæ. Hique enim a capite Ecclesiæ recesserunt, & per consequens a Congregatione Fidei. Quantum autem a Sua Maj. sunt inculpandi, ipse novit, qui est caput Christianorum Principum & defensor S. R. E. & Christianæ Fidei.

Postremo si non videatur suæ Maj. ad Regem Franciæ fiat juxta prudentiam suam; sed si ad eam veniant legati, poterit eis respondere ostendendo se Imperatorem Christianissimum, & Ecclesiæ Dei & Fidei defensorem. Idem erga Oratores Venetorum & aliorum S. Apost. Sedi adversantium facere poterit.

NOTÆ.

1 Turcæ late in Imperii fines irruperant, & quamvis a Matthia Hungariæ Rege sæpe in Pannonia profligati Austriæ Styriæquæ imminebant, quam provinciam, abductis triginta millibus virorum, fœde vastarunt anno 1479.

2 Laurentius Mediceus rempublicam Florentinam administrabat an. 1478. & anathemate perculsus a Sixto Pontifice ob facinora in Pisanum Archiep. & Card. Riarium aliosque e clero insontes viros perpetrata, bellum tamen indixerat Pontifici, & conjunctis armis Italorum Principum, præcipue Reipublicæ Venetæ præsidio & ope Romanam ditionem lacessebat; hinc bellici Italiæ tumultus alio consilia avocabant, ne fœdus adversus Turcam communem hostem sanciretur, & Sixti de Venetis querelæ, quos fama erat, pacem Turcicam confecisse, ut Laurentio præsto essent, ejusque conatibus robur adderent & auxilia.

3 De Constantiensi negotio & Cameracensi mox in aliis Pontificis ad Imperatorem responsis.

4 Annibal Malvetius Virgilii ducis celeberrimi filius, nobilitate ac virtute inter Bononienses clarus pro Venetis dimicavit contra Germanos ad Atrianum Tartarum, sed in prælio ab hoste captus magno auri pondo libertatem emit a Friderico Imp., & anno 1440. uxorem duxit nobilissimam fœminam Mariam Bevilaquam Bononiensem.

5 Innuit Pontifex legationem & minas Ludovici XI. Galliarum regis, qui, ut Sixtum a bello Florentino ad pacem revocaret, legatum misit Philippum Comineum anno 1478., & Œcumenicum Concilium velle se ut indicatur, cum imperio significavit. Habes rei historiam apud Raynaldum ad hunc annum, & grave ac firmum Sixti responsum, quod Andreas Archiepiscopus Friderici orator Legato reddidit Pontificis nomine, uti mox dicam. Propterea Pontifex monet Imperatorem, ne a Laurentii & Florentinorum fautoribus in eorum sententias pertrahi se sinat. Equidem Andreas summa apud Pontificem pollebat gratia, quocum diu Patavii familiariter versatus est, dum is in Franciscano D. Antonii Cœnobio juvenis operam dabat gravioribus disciplinis, Andreas vero in Cœnobio D. Augustini sodalium suorum præerat studiis. *Is*, inquit Sigismundus Fulginas Andreæ coævus in hist. ms. de qua Mansius in notis ad Fabricium tomo 1., *Florentino bello oratorem Cæsaris apud Pontificem egerat, ab eoque magnifice donatus & in honore habi-*

tus

tus erat. Queis verbis hæc adjicit Felinus in notis mss. ad Sigismundi historiam: *Dum esset Romæ imperialis minister, utebatur Sixtus ingenio ejus adeo ut per ejus organum responsum dederit palam oratoribus Gallis petentibus a Sixto Concilium indici; dixitque Andreas non ad regem, sed ad Imperatorem, & negligentibus tantummodo Cardinalibus, id spectare.*

Sed cum nova a Friderico mandata Andreæ perlata fuissent, de quibus ageret cum Pontifice, Sixtus responsa quidem dedit in scriptis, verum Andream ad Imperatorem abire jussit, eaque coram legere; quo peracto, ne cui scripta traderet, & ablato Pontificis sigillo, Romam quantocius, tutoque remittenda curaret. Hæc autem proferimus ex laudato Codice Nanniano.

Responsa Sixti IV. ad Friderici Imp.

„ Responsiones ad petitiones Majest. Imper.

„ Ad primam in qua vult, quod Oratores ejus ipsum & filium commendent &c.

„ Resp. sic. Semper habuimus eos commendatos, nunc vero commendatissimos, „ prout per Oratorem suum agentem erga
1 „ filium (1) & Ducem & significavimus & „ opere etiam ostendimus; & ita rogamus „ Majestatem suam una cum Ill. D. Duce „ Burgundiæ filio nostro, ut velit Rom. „ Eccl. & alias Eccl. habere commendatas.

„ Ad secundam in qua dicit noluisse præ„ stare occasionem, (2) ut sanguis Christia„ nus effundatur. Respondemus laudando Ma„ jest. suam, quod noluit esse occasionem, „ quod sanguis Christianus effundatur, sed „ potius pati voluit aliqualem jacturam filii, „ quæ a Deo propter merita paterna spera„ mus vertetur in consolationem. Sciat ta„ men Majestas sua nos jam diu Brevia Re-
3 „ gi (3) Francorum, ut deberet abstinere ab „ hujusmodi bellis, ne effundatur sanguis „ Christianus, & super hoc multa scripsimus „ Majest. Suæ, quorum Brevium nullum ha„ buimus responsum. Deinde scripsimus ad „ eundem Regem unum Breve Credentiale in
4 „ persona Archiepisc. (4) Turonensis viri u„ tique integerrimi, cui imposuimus, ut se „ personaliter conferret ad ipsum Regem, „ quem nomine nostro hortaretur, rogaret„ que, ut ab hujusmodi bellis desisteret, in „ quibus Deum offendebat, totamque Rem„ publ. Christianam, quod evidentibus ratio„ nibus sibi ostendebamus, de quibus nullum „ adhuc habuimus responsum. Fuerunt tamen „ nonnulli, quod ad nos mittit duos Ora-
5 „ tores (5) cum Laurentio de Medices nobis „ aliqua relaturos. Utinam sint bona, quæ „ curabimus S. M. quamprimum intimare: „ quum vero neque nostris rogaminibus, ne„ que Maj. Suæ suasionibus velit satisfacere, „ naturale est & licitum unicuique absque „ divina offensione se & sua tutari.

„ Ad tertiam laudamus multum proposi„ tum S. Maj. circa inclinationem ad pacem, „ si Rex ipse noluerit quæ justa sunt effice„ re, & in hoc multum hortamur Maj. „ Suam; alioquin licitum est se & sua de„ fendere.

„ Ad quartam de Constantiensibus (6) & 6
„ (7) Coloniens. Ecclesiis &c. quod supersede- 7
„ deatur. Resp. quamvis diebus novissimis „ pluribus literis & Svitensium & aliquorum „ Principum Alemaniæ fuimus propulsati, ut „ justitiam administraremus isti Proviso per „ Sedem Apostolicam, honestavimus nos cum „ consilio Fratrum, quod hanc concordiam „ fiendam commiseramus Serenitati Suæ, su„ per quibus si bene memores sumus Suæ Se„ renitati. Nunc vero visa voluntate S. Maj. „ & bono proposito ipsius, quam cum Deo „ fieri salvamque deferemus hortantes Seren. „ Suam, ut quam citius fieri poterit omnes „ lites illas & contentiones componat.

„ Ad quintum quod prima Eccl. sive Ar„ chiepisc. sive Episc. reservetur (8) Reve- 8
„ rendiss. D. Card. S. Luciæ &c. Resp. Nos „ semper experientia didicimus, quam sem„ per cordi S. Maj. fuit observantia concor„ datorum Germanicorum, quod etiam desi„ deramus & semper quæsivimus ejus exem„ plo ducti, & propterea contentamur, S. „ Maj. ex contemplatione, quod quamprimum vacaverit aliqua Eccl. in Germania „ in concordatis non comprehensa, & Maj. „ Sua voluntatem ejus intimaverit, dabimus „ eam eidem Card., quem sincero corde a„ mamus amabimusque, quamdiu fuerit bo„ nus servitor Maj. Suæ. Idem dicimus de „ Ecclesiis vacaturis in dominio Illust. Filii „ sui Ducis Burgundiæ.

„ Ad sextam concedatur eidem Card. in„ dultum de primis vacaturis benefitiis usque „ ad octo millia floren. Resp. Recordamur „ quod cum Card. nobiscum fuit, intuitu S. „ Maj. concessimus ei simile indultum usque „ ad duo millia floren. quod credimus adhuc „ non consumptum; quod cum consumptum „ fuerit, scribat ad nos Sua Maj., & cæte„ ra fient juxta voluntatem Suæ Maj. Nec „ miretur si sic respondemus, quum novis„ simis diebus revocavimus similia indulta „ concessa Cardinalibus aliquibus & quibusdam „ aliis; modo si contraveniremus, indulta „ concessa Cardinalibus Bullæ revocationis „ non posset esse sine magno scandalo & „ multorum indignatione.

„ Ad septimam de (9) Cameracensi Eccl. 9
„ pro Card. Mosconensi &c. R. sic. Cum „ Cameracensis Ecclesia vacabit, Maj. sua ad „ nos scribet id petendo, & nos quantum „ cum Deo poterimus, conabimur suum de„ siderium adimplere, quod in præsentiarum „ fieri non potest; tum quia non vacat, tum „ quia Rex Francorum occupat eam, & mi„ natus est, si daretur illi Eccl. hic Card. „ in Pastorem, quod civitatem illam evellet „ usque ad fundamenta. Itaque non est nisi „ bonum aliquantum supersedere, potissimum „ cum non vacet.

„ Ad octavam quod (10) beneficia Impe- 10
„ rii, vel in dominiis Filii non conferantur „ ad preces Regis Francorum. R. quod sem„ per

Digitized by Google

„ per habuimus magnam advertentiam, ne „ daremus Eccl. sitas in terris Imperii, & „ Illust. Ducis Burgundiæ ad instantiam Regis Francorum, aut alterius domini; nunc „ vero habebimus advertentiam longe majorem.

11 „ Ad nonam de Bonensi Præpositura (11) „ pro eodem Card. S. Luciæ &c. Credimus „ quod Card. habeat tale indultum, quod potuit omnibus secum contendentibus resistere optime; quem quantum cum Deo poterimus, juvabimus. Sed cum causa sit in „ Rota, non videretur honestum eam extinguere, quia non esset aliud nisi multos „ commovere adversus Maj. Suam, similiter „ & nos, & Card. ipsum, quod certe non „ esset æquum.

12 „ Ad decimam de (12) Eccl. Coloniensi. „ Adhuc ad præsens non vacat; cum autem „ vacabit, curabit Maj. Sua pro confirmatione compactatarum, quod ipse eligatur; & „ intuitu Suæ Maj. & amore nostro in ipsum „ Card. plusquam libenter conferemus.

„ Ad undecimam de Monialibus S. Cæciliæ sumus contenti quod Bulla tradatur.

„ Ad duodecimam recordamur alias misis-
13 „ se ad partes Galliæ bo. me. (13) Card. „ Nicænum, ut faceret pacem inter Regem „ Franciæ, & cl. me. Carolum Burgundiæ „ Ducem, quem Rex habuit suspectum; & „ eum cum confusione sua & Sedis Apostol. „ expulit regno; & sic fuimus frustrati bona „ nostra opinione. Misimus insuper ad eundem Regem aliquos alios, erga quos simi„ liter se habuit. Si igitur eligeremus istos „ ad pacem tractandum, & Rex non consen„ tiret, esset nihil facere, & Regem ipsum „ contra nos & Maj. Suam magis irritare. „ Propterea videtur nobis quod quærantur „ aliquæ bonæ viæ, quibus trahatur Rex ad „ consentiendum; & tunc sumus valde con„ tenti, & mittemus ad illos facultates no„ stras pro pace tractanda & firmanda; &
14 „ placet multum nobis quod adjungatur (14) „ Episc. Forliviensis.

„ Ad ultimam non eredat Maj. Sua, quod „ pluris faciamus aliquos alios Principes, „ quam Maj. Suam, quum id esset contra „ Deum, & contra conscientiam nostram & „ mores nostros; sed quod dicebamus de „ Forliviensi, id erat propter murmuratio„ nem Curialium asserentium, quod uteretur „ facultatibus quas non habebat, iis autem, „ quas habebat, immodeste & indiscrete. „ Principes etiam aliqui arguebaat eum, quod „ sicut Stipendiarius ponebat se in exercitibus, prout fuit exercitus contra Nanuxum, „ & quod ista non cedebant in honorem nostrum. Eapropter moti fueramus pro ho„ nore suo & nostro, ad vocandum eum; „ missuri tamen ad Maj. Suam alium, quem „ voluisset; quia tamen Maj. Sua aliter di„ cit, volumus potius credere quam aliis, & „ gaudemus multum, quod non fuimus dece„ pti a nostra bona opinione, quam de ipso „ Episc. jamdiu conceperamus. Sumus ergo „ contenti ut apud Maj. Suam remaneat, cui „ dabimus facultates. Maj. Sua hortetur i„ psum, ut modeste ipsis utatur, ne cogat „ aliquos ad detrahendum ei.

„ De Agriensi (15) fiet quod petiit Maj. 15
„ Sua.

„ De Card. vero S. Luciæ contentamur, „ quod facta filii gerat. De legatione vero „ jam superius responsum est. De intelli„ gentia nos semper amavimus eum simul „ & Filium, quem accepimus jamdudum in „ Filium nostrum, & cui desideramus omne „ bonum, nec recordamur habuisse contra Suam „ Maj. aliquem rancorem sive odium, immo „ publice excusavimus Maj. Suam super ali„ quibus contra nos & Eccl. quæ sibi im„ pingebantur; & dolemus de iis, qui sibi „ multa falsa suggesserunt, quibus Sua Maj. „ non velit fidem præstare, sed nos de sibi „ suggestis avvisare, quia semper ostende„ mus eos esse malos & falsos, & ideo non „ est opus, ut deponamus indignationem ali„ quam erga Maj. Suam. De intelligentia „ autem semper volumus habere cum Sua „ Maj. bonam & singularem intelligentiam „ prout jura volunt, & semper sibi bonus „ esse amicus & Pater. De Filio autem suo „ & nostro nihil dicimus; scit enim Maj. „ Sua quantum ei affaciamur, & sic semper „ cum Sua Maj. bonam intelligentiam serva„ re curabimus juxta canonicas sanctiones „ & laudabiles Prædecessorum nostrorum.

„ De nominationibus bene sumus conten„ ti; quod est concessum remaneat.

„ De (16) Sibenicensi. Cum Maj. Sua 16
„ scribat unum, Filius vero contrarium, su„ mus valde perplexi; potissime quia vocan„ do istum, possumus valde nocere Filio „ suo, cum jam incœperit aliqua quæ cedent „ in utilitatem d. Filii sui. Idcirco judica„ mus fore bonum, ut Maj. Sua clam & se„ crete intelligat id a Filio. Nos etiam il„ lud idem curabimus, & tunc veritate rei „ agnita satisfaciemus desiderio Suæ Maj. & „ Filii,

„ De Lanceano fiet quod Sua Maj. dicit, „ maxime cognitis malis moribus suis.

„ Mandamus præterea Archiepisc. Cray„ nensi præsentium ostensori sub pœna ex„ communicationis latæ sententiæ, a qua non „ possis absolvi nisi a nobis, ut his lectis „ Serenitati Imperatoris debeas hujusmodi „ scripta apud te retinere & quamprimum „ secure & per fidum Nuntium ablato no„ stro sigillo ad nos mittere, neque alicui „ præterquam Imperatori velis ista legere „ aut ostendere, ut obvietur scandalis, quæ „ ex istorum publicatione faciliter oriri pos„ sent. „

NOTÆ.

1 Maximilianus is erat, Friderici Imp. filius, cui in imperium successit, & Austriæ Archidux.

2 Hæc intellige de bellis, quæ diu exar-

se-

Digitized by Google

sere inter Germanos & Gallos hoc tempore, præcipue pro Burgundiæ Ducatu, quem dotalem, magna tamen ex parte imminutum, Maximilianus acceperat ab uxore Maria Burgunda, filia unica postremi Burgundiæ Ducis.

3 Ludovicus XI. rex Galliarum, magni animi vir, & bellici, idemque pacis ac belli artibus clarus; anno tamen 1479. profligato in Morinis ejus exercitu ab Archiduce Maximiliano, pacem petiit, quam diu facere recusaverat, permotus etiam Sixti Pontificis hortationibus; hinc in eum annum videtur rejicienda Andreæ Archiepiscopi ad Fridericum profectio. Trithemius in annal. Hirsaugiens. rejicit victoriam Maximiliani in an. 1478.

4 Joannes Bernardus, uti reor, qui anno 1448. Turonensi, seu Atrebatensi præfuit Concilio..

5 Hanc legationem obieritne Laurentius, incertum; sed Florentini, & Laurentius jam tum ab anathemate soluti in gratiam redierant cum Pontifice. Vide Raynaldum ad an. 1479.

6 Mortuo Joanni a Burgundia Episcopo Constantiensi, Pontifex sibi jus eligendi semel hac occasione novi Antistitis reservaverat; ac anno 1480. Henricum Constantiensi Ecclesiæ præfecit; quænam vero controversiæ Sixto intercesserint hac de re cum Imperatore, non indicat Sammarthanus tomo 3. Galliæ Christ.

7 Rupertus frater Friderici Comitis Palatini erat Archiepiscopus Coloniensis summa pressus egestate, suisque invisus anno 1478. in custodiam detrusus est ab Henrico Landtgravio Hassiorum & fratre Hermanni, quem Canonici Colonienses Ruperto infensi Archiepiscopatus & Ecclesiæ administratorem elegerant; & huc respiciunt tum Imperatoris petitio, tum responsum Pontificis, ut remedium tot Coloniensium malis aliquod afferretur. *Provisus* vero, de quo hic Pontifex, forte est Henricus Constantiensis Antistes ab ipso electus, pro quo Germaniæ Dynastæ, & Svitenses Helvetii Sixtum orabant, ut eum contra adversarios defenderet, & exortas sedaret contentiones. De Ruperto Coloniensi vide Trithemium tomo 2. Annal. Hirsaugiensium.

8 Georgius Hesler Germanus, humilibus natus parentibus, Episcopus Herbipolensis, acceptus in primis Friderico Imp., cujus erat a consiliis, cujusque favore, invitis licet Cardinalibus, in eorum collegium adscitus est a Sixto IV. an. 1477. deinde Pataviensi præfuit Ecclesiæ, & in Danubio mersus misere periit an. 1482.

9 Cameracensis Ecclesiæ Episcopus erat tum Ludovicus, de quo Gallia Christiana in Episcopis Cameracensibus, obstantibus tamen Canonicis, qui Otthonem quemdam sibi Antistitem elegerant. Hic Ludovico suffectus est an. 1482., quare Cardinali Mosconensi aditus ad hunc Episcopatum interclusus est. Verum pro *Mosconensi*, quem in Ciacconio de vitis Pontif. non comperimus, puto legendum *Matisconensi*. Erat is Philibertus Hugenetus, natione Burgundus, Episcopus Matisconensis, a Sixto IV. creatus Cardinalis an. 1471., postea Æduensis Antistes. Romæ obiit anno 1486.

10 Divisa in partes Burgundia post supremi illius Dynastæ interitum, Rex Gallorum eam quoque ditionem sibi tribuebat, quam Maximilianus vel ab uxore Burgunda dotis nomine acceperat, vel justo bello sibi acquisiverat.

11 Neque hanc consecutus est Cardinalis, ut indicant ejus acta apud Ciacconium.

12 Rupertus Coloniensis Archiepiscopus an. 1480. vitam finivit; & Hermannus ejus æmulus, de quibus superius dictum, anno eodem hanc Ecclesiam regendam suscepit.

13 Bessarion Cardinalis Nicænus legationem Gallicam tristi exitu obivit; nam tribus fere mensibus prohibitus conspectu regis, contemptusque post unum, idemque ingratum cum rege colloquium discessit, ac mœrore obrutus, cum Ravennam secessisset, paullo post exstinctus est anno 1472. Vide Raynaldum ad hunc annum.

14 Alexander Numajus an. 1470. Episcopus Foroliviensis, legatione hac perfunctus est an. 1478., & auctor pacis exstitit inter Fridericum & Carolum Burgundiæ Ducem, ac rursum inter Fridericum eumdem, & Matthiam Hungariæ regem. Pauca de illo Ughellius tomo 2. Ital. Sacræ, plura auctor Lustr. Foroliv. pag. 61., utrique hæc ignota, de quibus ad Imp. Pontifex scribit. Romæ obiit an. 1485.

15 Gabriel Rangonus Veronensis, aliis Mutinensis, Franciscani instituti vir eximius, Joannis a Capistrano comes in Hungaricis peragrationibus pro bello sacro adversus Turcas, Matthiæ Regi Hungariæ charus electus est Episcopus primum Transylvanus, dein Agriensis an. 1474. in Cardinalium collegium cooptatus an. 1477. e vita Romæ excessit an. 1486. Quid pro illo petierit Imperator, latet. Vide Ciacconium laudatum.

16 Is est Lucas de Tollentis, de quo copiose in Episcopis Sibenicensibus tomo 4. & in Corcyrensibus tomo 6. operis nostri; neque hic arcana Pontificii responsi intelligere fas est.

Et hæc breviter sufficit notasse, ut Pontificis responsum quoque modo illustretur, quamvis ad rem nostram minime spectent.

Andreas suo munere probe perfunctus Romam rediit, quo Imperatoris legatum agere continuaret, ac ferme triennio ita suis partibus satisfacere visus est, ut & Sixto & Friderico suam fidem, & actuosam in agendo dexteritatem magis probaverit. Sed nescio qua instinctus animi perversitate in Pontificem, paullo post insurgere palam cœpit, & Imperatoris fretus præsidio, cujus personam gerebat, qua dicteriis, qua probris atque

Andreas a. pud Pontificem offendit.

Digitized by Google

conviciis mores & acta Sixti carpere ausus est, & maledictis proscindere impudentissime; cujus perfidiæ & iniquitatis causam in ejus fastum & arrogantiam rejicit Fulginas, ut qui sua spe obtinendæ Cardinalis dignitatis fuerat frustratus. Pontifex certior factus non tam suo, quam ut Sedis Apostolicæ decori, & principum e Romana nobilitate virorum, quos Andreas insectabatur, consuleret, Fridericum monuit, petiitque, ut maledicus homo, & in Pontificis majestatem injurius a legatione amoveretur. Sixti justæ petitioni annuit Imperator, & Andream suo munere exutum Pontifici puniendum permisit; cujus jussu comprehensus a satellitibus, & in arcem S. Angeli conjectus est. *Ob maledicentiam*, inquit Fulginas, *in arcem Adriani conjectus fuerat*; cui hæc subdit Felinus; *Demum ob ejus loquacitatem, quoniam vitam Sixti publice carpebat, exosus est factus Sixto, qui cum obtinuisset ab Imperatore eum legatione privari, hoc fecit; hominem in curia privatum poni fecit in castro S. Angeli*. Quo autem anno ac die id contigerit, narrat Volaterranus in suo Diario Rom. *Anno* 1481. *eodem die lunæ* 13. *Junii Archiepiscopus Crajanensis in Adriani molem est trusus. Causam afferunt, quod nonnulla temere tam de Pontifice, quam de nonnullis, quorum gratia & auctoritas maxima est apud Pontificem, loquutus esset. Fuerat hic triennio continuo Rom. Imp. Friderici legatus; sed muneris depositi accepto nuntio, illico in carcerem est conjectus.* Verum *post aliquot dies, Cardinali S. Angeli deprecante libertati est redditus*, subjicit Volaterranus, & Friderici etiam gratia interposita, quod Raynaldus affirmat; fallitur tamen, cum scribit, Andream, revocatis ab insanitate ad pœnitentiam sensibus, dimissam legationem denuo suscepisse; parum enim Romæ immoratus est. Et Felinus etiam erravit, qui *fere biennio* in carcere illum detinuit, nam cum rerum ab eo gestarum & temporum serie id minime congruit; & Romanum carcerem cum Basileensi, de quo inferius, auctor permiscet, atque confundit; ac potior hac in re Volaterrani auctoritas, qui tum Romæ aderat, & quæ diurna evenere, in commentarios retulit, annis, mensibus, ipsisque diebus distinctis.

Romæ in carcerem conjicitur.

Andreas itaque ablati muneris & carceris ignominia fremens, & superbiæ furore adversus Pontificem abreptus Roma elabitur, & in Germaniam contendens citato itinere, inde Basileæ se recipit ultionem utriusque injuriæ meditatus. Cineres pseudosynodi Basileensis adhuc fumare videbantur; & quamvis melior Episcoporum pars, qui Basileæ erant, cum Eugenio IV. Pontifice an. 1438. consensissent, ut legitimum Concilium Florentiæ haberetur, & Conciliabuli decreta idem Pontifex plena potestate abrogasset, superarant tamen ad hæc usque tempora, qui Basileensem conventum jure dissolutum negarent, ejusque sententias aut clam, aut palam defenderent, ac sequerentur. Præterea plurimi Sixto offensi tum ex Italis, tum ex exteris nationibus tempus opperiebantur & occasionem, qua Pontificem de summo Ecclesiæ imperio dejicerent, ac Romanæ Sedis jura auctoritatemque imminuerent. Hæc igitur rerum opportunitas animum Andreæ vehementius in Sixtum accendit; & Basileam ingressus per summam impudentiam Cardinalis nomen titulo S. Sixti & insignia primum sumpsit, deinde agere per suos fautores, urgere conjurationis socios, vires omnes & conatus intendere adeo non destitit, ut parum abfuerit, quin diro schismate Christi Ecclesia miserrime scinderetur; causas vero impii facinoris mentitus jactabat, Pontificem, cæteros Hierarchiæ ecclesiasticæ ordines in deterrima ruisse, imminere extrema religioni, reique publicæ Christianæ, unum tot malis remedium in Œcumenico Concilio situm, quo mores, legesque, atque instituta Ecclesiæ universæ ad perfectiorem priorum temporum sanctitatem revocarentur; utque hæc aliis nefariis cumularet, ausus est diem comparendi indicere Sixto Pontifici. *Tunc vero magnis æmulorum Pontificis oneratus promissis, & ob carcerem Pontifici ipsi infensus, qui etiam levissimus homo esset, & nihil pensi habere solitus esset, pileum sine decreto sacri Collegii ac Pontificis gestare cœpit, se Cardinalem S. R. E. titulo S. Sixti mentitus. Nam ut erat Sixtus in promittendo facillimus, spe Cardinalatus eum fortasse lactaverat. Probris deinde & criminibus in ipsum Sixtum jactatis, principes & præsules ad Concilium urgebat, in quo labanti Ecclesiæ succurri posset. Nec Basileenses, apud quos constiterat, compendii spe id moleste ferebant; Cæsar ipse etiam connivebat hominis credo levitatem contemnens. Et a principio quidem animos multorum erexit.* Hæc Fulginas; subditque Felinus; *Relaxatus* e carcere *demum in Germaniam rediens vociferari cœpit pro Concilio Basileensi continuando, quod post Eugenium suspensum fuisse, non exstinctum prædicabat*. Sed Volaterranus, quo tempore id nefas Andreas aggressus sit, perspicue indicat; cum enim ad annum 1481. ejus ab Urbe abitum narrasset; *paullo post* adeptam e carcere dimissionem *indignato nimium animo in Germaniam regressus est*; ad annum 1482. ait; *Die lunæ 3. Junii vulgatum est Romæ, quemadmodum Andreas Archipræsul Crajanensis pro Cardinali in Basilea se gerit, ibique Concilium inchoat contra Pontificem. Dicitur Fridericum Imp. illi secreto assistere; Basileenses aperte sibi favere, ut frequens ibi Concilium celebretur, non tam odio Pontificis, quam propria utilitate*. Et anonymus Misnensis a Menkenio editus tomo 2. rer. Germ. idem refert his verbis; *Quidam Fr. O. P. assertus Epise. Basileam se transtulit orditurus telam, quam perfecturus non esset. Nitebatur enim adunare generale concilium contra Dominum Apostolicum; sed nemo ei accessit, neque consensit*. Equidem præter Fridericum Andreæ partes tuebatur Ferdinandus Neapolis & Siciliæ Rex, qui tum bel-

Basileam cecedit, & schisma in Pontificem conflat.

lum

lum contra Sixtum gerebat; erat vero utrique propositum, ad pacem adducere Pontificem schismatis metu, quod Andreas moliebatur; quod si assequerentur, uterque cum Sixto ad evertenda Andreæ consilia, & confringendam audaciam consensisset. Revera Pontifex, quamvis XII. Kal. Septembris hujus anni insignem de Ferdinando victoriam prope Velitras retulisset, pacis conditiones non abnuit. *Sixtum IV. propositam cum Ferdinando Neapolitano Rege pacem arripuisse*, Fulginas asserit, *concilii & metu schismatis, quod Andreas Dalmata Archiep. Cyainensis*, lege *Crainensis, in Epiro apud Basileam convocare cœperat*. Multo tamen erga Andream propensiores sese Florentini præbuere, qui veteri animati in Sixtum malevolentia quibusvis possent modis ejus dignitati, potestatique officere conabantur. Quare Laurentius Mediceus tum reipublicæ princeps Basileam legavit Baccium Ugolinium, qui hoc Concilii negotium foveret impense, & Andream ad illud exsequendum acrius exstimularet. In vita Laurentii a Fabronio latine descripta tomo 2. editæ sunt Baccii litteræ plures ad Laurentium; & XII. Kal. Octobris hujus anni Basilea scribit, se cum Crainensi fuisse, qui valde de Concilio est sollicitus; multa utrinque communicata; cives & Clerum ei favere plurimum; ac rursum pridie Kal. Octobres Crainensem a se laudatum dicit in Basileensium conventu. At dum Basileæ vehementius fervebat iniqua perditorum hominum conspiratio, intendit animum Pontifex ad eam restinguendam, & fretus etiam Principum Germanorum auxilio Episcopum Suessanum misit ad Fridericum, qui eum monitionibus ac hortamentis ab societate tanti facinoris absterreret. Valuit apud Imperatorem caussæ gravitas, & Sixti auctoritas, suisque litteris pollicitus est nefarii hominis audaciam & vesanos impetus compressurum; tum per regios administros clam jussit, Andream comprehendi, & in carcerem abduci. Lectæ litteræ in Cardinalium conventu Pontificem ingenti gaudio affecere. Interea Andreas Friderici iram veritus & potentiam sibi metuere cœpit; & Baccius in alia ad Laurentium epistola VIII. Kal. Novembris scripta dubitat *de Crainensis periculo*, monetque egisse illum de transferendo Pisas tutiorem in locum Concilio, effugium ab eo quæri, cui Baccius suam fidem privatim spopondit. Sed hæc tarda & sera nimis; nam mense Novembri, dum in Basileensi senatu Andreas sua consilia agitabat, ab stipatoribus ex improviso circumsessus in custodiam abreptus est. Nuntium Romam delatum sub exitum ejusdem mensis; *per bos dies*, narrat Volaterranus, *nuntiata Carinensis*, id est *Crainensis, captivitas apud Basileam Germaniæ civitatem. Captum fuisse dicunt in Senatu civitatis Cæsaris mandato & Pontifice petente*. Fulginas idem ferme refert; *Cæsaris deinde auctoritate & pietate, crebrisque Pontificis literis nuntiisque repressus* Andreas *& cæteris inflammatoribus destitutus diem in carcere obiit*. Adde his chronicon Engelhusianum apud Menkenium tomo 3. rer. German. *De mandato Papæ & Imp. cum auxilio Svitensium, qui Papæ fortiter adhærebant, captus fuit*. Andreæ casus uno ictu conflatam conjurationem dissolvit, & procella, quæ iniquorum factione Ecclesiæ tranquillitati imminebat, momento uno dissipata est. Quare Pontifex datis ad Imp. literis IV. Kal. Januarias ejus religionem, ac erga Sedem Apostolicam reverentiam multa laude efferens gratias eidem peramanter egit pro servata & Romani Pontificis dignitate, & Christiani orbis pace, ut est apud Raynaldum ad hunc annum, ex quo Sixti epistolam exscribo.

Basileæ jussu Imperatoris comprehenditur.

Pontificis de eo litteræ ad Imp.

Quoniam opinioni omnium abunde satisfecisti, dignissimamque operam navasti, jure ipsa ingentes tibi, quod certe facimus, habendæ sunt gratiæ. Reliquum est, fili charissime, ut eodem, quo cepisti, animo autoritatem, dignitatem & honorem sanctæ Sedis semper protegas & tuearis; præsens vero negotium ita prosequaris, ut desideratus effectus subsequatur, & scelestus ille pœnas suæ temeritatis & audaciæ luat, ne tanta petra scandali in ecclesia Dei cum perturbatione & seductione fidelium populorum diutius maneat; ex hoc enim augebitur in dies magis cumulus benevolentiæ & charitatis, quam ex tuis pluribus meritis præfata Sedes erga te gerit, & ab universo orbe uberius commendabitur, ac deinque apud ipsum Deum præmium consequeris. Dat. Romæ 29. Dec. 1482. Pontificatus nostri an. 12.

Andream revocasse palam & solemni judicii forma rituque, quæ in Sixtum & Romanam Sedem impie evomuerat, auctor est Chronicon Engelhusianum; *Carceribus perpetuis in urbe Basileensi mancipatus Andreas, in quibus cum per aliquot dies fuisset, articulos contra Papam & Sedem Apostolicam factos publice & solemniter revocavit; nec tamen per hoc a carceribus liberatus fuit. Et illam revocationem fecit in carceribus Basileensibus an.* 1483. *in Januario*. Tum Sixtus, qui aliis literis ad Albertum Saxonem Ecclesiæ Moguntinæ administratorem gravibus verbis sententiisque Andream schismatis & hæresis reum pronuntiaverat, Comiti Thierstenb mandavit, Basileam se conferret, quæstionem de Andrea institueret, ac in eum judiciaria severitate animadverteret. Contra Andreas, ne caussam apud Pontificem diceret, Imperatorem appellavit, in cujus erat potestate; sed, ne ullum judicii pœnæque effugium assequi posset, actum a Sixto cum Imperatore, & Austriæ, ac Sabaudiæ Ducibus, opera præcipue Jodoci Episcopi Sedunensis, ut sui Internuntii custodiæ traderetur; obstitere tamen Basileenses, qui Andreæ parti nimium studebant; eisque ab Internuntio Episcopo Suessano sacris interdictum est. Ita, dum de judice legitimo in Andream controvertitur, judicium in insequentem annum protractum est; & Pontifex de suo jure ne paullum quidem decedens causam Sedis Apostolicæ sententiæ omni-

Digitized by Google

mnino esse subjiciendam defendit hisce ad Imperatorem litteris.

Ejusdem alia ad eumdem.

Majestas tua nos faciles ad brachii invocationem in litteris suis appellat ita, ut ea de causa plura mala reipublicæ Christianæ evenisse commemoret Cæsarea Majestas tua; id tantum respondebimus, quod si Majestas tua, semota omni affectione animi, mature cogitare voluerit, quam ingenti necessitate compellenti, utpote cum de summa rerum, extremaque M. apostolicæ eversione ageretur, justa arma propulsandæ injuriæ gratia moveri fecerimus, cum præsertim nobis sublata spes esset defensionis Maj. tuæ, quæ alias raro aut nunquam b. m. prædecessoribus nostris per claræ itidem memoriæ prædecessores M. tuæ deesse consuevit, unde advocatiæ defensionisque nostræ ac cæterorum ornamentorum præconia clarissima S. R. I. concessa fuere, reipsa cognoscere poterit, mirandum non esse, sed potius esse, unde merito hujus sacrosanctæ Sedis boni & æqui semper cupidæ vexatoribus ac perturbatoribus quivis justus æstimator succensere possit & debeat; cum enim pontificale fastigium & imperialis dignitas a Deo ita disposita & ordinata sint, ut mutuis hinc inde officiis, Deo ipso auctore, conglutinentur, de tua sapientia & religione confisi nunquam adduci potuissemus ad credendum M. tuam de causa ad solam sanctam Ap. Sedem, quæ potestate a Deo tributa spiritualis omnium mater est & magistra, & nulli omnino alteri hominum pertinente se impedituram fuisse; cum, ut ait in decretis Nicolaus prædecessor noster, imperiali judicio non possint jura ecclesiastica dissolvi; & idem, Imperium, inquit, vestrum reipublicæ quotidianis administrationibus debeat esse contentum, non usurpare, quæ sacerdotibus Domini solum conveniant, & præsertim cum a nobis & hac S. Sede nihil unquam prætermissum fuerit, quominus, quantum cum Deo licuit, Imp. M. tuam omni gratia & spirituali & temporali prosequeremur &c. *Dat. Romæ die ultima aprilis* 1484. *Pontif. nostri an.* 13.

Porro totus literarum contextus indicat certe, a Sixto petitam opem Dynastæ cujuspiam Germani, forte Alberti Saxonis, de quo paullo superius, sive civium Svitensium, ut Andreas, Imperatore licet repugnante, judicio Sedis Apostolicæ sisteretur; & de hoc Friderici querelæ, & incusatio, quibus primum respondet Pontifex.

Andreas carceri perpetuo addicitur.

Post hæc quid de Andrea factum, qua pœna fuerit condemnatus, haud licet tuto ac perspicue dignoscere. Laudati jam Scriptores consentiunt omnes, illum in carcere Basileensii obiisse. Stephanus vero Infissura Andreæ æqualis, cujus commentarii manu descripti servantur in Bibliotheca Vaticana, memoriæ prodit, cum is Romam advenisset, archiepiscopali dignitate exutum, & in vincula fuisse conjectum; quæ si de carcere intelligas, quo primum Romæ mulctatus fuerat anno 1481, falso tamen a Pontifice jus decusque, ipsaque Archiepiscopi insignia illi dicuntur adempta; postea vero quam ex Urbe evasit, non comperio, illum eo amplius revertisse. Hinc haud male quis conjiciat, Sixtum imperasse, ut Basilea Romam abductus legitimo judicio, meritisque pœnis subjiceretur. Huic quidem conjecturæ obstant Acta Consist., quæ anno 1482. Archiepiscopum Crainensem Titularem nominant Jacobum de Sulixio electum prid. non. Septembris; unde videtur certe Andreas jam tum e sua dignitate depositus Pontificis sententia, quod silent coævi historici Fulginas, & Volaterranus Romæ eo tempore præsens. Sed cum ante mensem Septembrem illius anni Andreas in apertum schisma prolapsus esset, & Romanam communionem pervicaci superbia contemneret, Sixtus indignum qui Archiepiscopi personam gereret, & sacrorum canonum judicio damnatum judicarit oportet, in cujus proinde locum dignitate ac titulo Crainensis Archiepiscopi Jacobum suffecit eodem anno 1482.; ac rursum, cum ad Urbem perductus, & manifestis criminibus convictus fuisset, solemni judicii forma e munere ac honore Archiepiscopatus dejecit, anno 1484. & carceri addixit perpetuo, vti ex Infissuræ verbis licet arguere, si ea cum aliorum Scriptorum testimoniis componere velimus. Et quo tandem anno Andreas vitam finierit, a nemine proditum deprehendo.

Andreæ scripta.

Nonnulla Andreæ opuscula, quibus iniqua mentis consilia prodit, atque procaci stylo tuetur, Varthonus enumerat in append. ad hist. litter. Cavei pag. 129. Sunt vero *Epistola encyclica*, qua sui instituti rationes profert de cogendo Concilio, calumniis referta in Romanum Pontificem, & Ecclesiæ statum; *Appellatio a Papali sententia*; hoc libello in Sixtum IV. & in pontificiam potestatem impudentissime invehitur; quare Henricus Institor e Dominicana familia, qui tum in superiori Germania munus agebat Quæsitoris generalis contra hæreticas pravitates, epistolam adversus Andreæ appellationes scripsit, eamque in vulgus edendam curavit Philippus a Lignamine, præposito titulo, *Epistola contra quendam concilistam archiepiscopum videlicet Crainensem & adversus citationem & libellum infamiæ ipsius, quem contra Sanctissimum dominum nostrum dominum Sixtum papam IIII. modernum summum pontificem edidit.* Data est *in Nechstat die* x. *Mensis Augusti*; & typis impressa anno 1482. non insequenti, uti innuit Audiffredus in catal. Roman. edit. sæc. XV. pag. 450. quippe Andreas mense Novembri anni 1482. in Basileensi custodia detinebatur, ac paullo post palinodiam dedit de iis, quæ effutierat; quapropter liberum illi non erat, libellum in Institorem proferre, cui titulus, *Responsio ad epistolam Henrici Institoris Dominicani Appellationis suæ refutatoriam*; quæ in mensem Augustum, vel Septembrem ejusdem anni rejici debet. Et ipso hoc anno, quæ sequuntur, ab Andrea fuere evulgata; *Exhortatio de reformandis moribus & Ecclesia ad omnes Christianos. Epistola ad Fridericum Imper.* & altera

Digitized by Google

tera *ad Casparum Episcopum Basileensem*, quibus utrumque in suas partes trahere nititur; demum *Oratio defenseria ad Antonium Gratiam-Dei*. Hæc in unum volumen collegerat Petrus Numagen Trevirensis præses sacelli Ecclesiæ Tigurinæ, & Andreæ in suo facinore socius, eique a secretis, & manu descripta diu latuere in bibliotheca ejusdem Ecclesiæ, sed a Joanne Henrico Hottingero detecta, insertaque sunt append. Hist. suæ Eccles. Tiguri editæ an. 1654. Nimirum magni interest hæreticorum nostri temporis, qui Romani Pontificis auctoritati adversantur, hujusmodi opellas in publicam lucem efferri, ut iude perditæ eorum causæ adjumenta quærant & defensionem. Nec mirum propterea, Andream Archiepiscopum a Varthono *virum* dici *eximia vitæ sanctitate merito venerandum, & pietate ac religione ductum ad corrigendos ecclesiasticorum hominum*, præsertim *Sixti Pontificis mores, & corruptam Ecclesiæ Romanæ doctrinam* ab omni labe purgandam. Quæ commenta is fortasse hausit e *Gestorum Andreæ historia brevicula* a Petro Numagen ejus machinationum participe suæ collectioni adjecta; nec aliunde exscripsit fortasse, Andream *mensibus aliquot in carcere exactis tandem clandestinis insidiis strangulatum interiisse*; nam comprehensus ille sub finem anni 1482. hactenus vitam agebat an. 1484., & genus hocce mortis Scriptorum veterum nullus commemorat. At Varthonus & Fabricius, de quo superius, omnino falluntur, qui Andream in Collegium Cardinalium intrudunt; quam dignitatem ambitioso quidem animo aucupatus est, nunquam adeptus. In Tomo IV. Operis nostri pag. 189. hunc Andream Ecclesiæ Maccarensi Episcopum tribuimus auctoritate freti Michaelis Cavallerii ex Ordine Dominicano, qui Andreæ vitam paucis complectitur in suo libro Italico, cui titulus, *la Galleria dei Prelati dell' Ordine*; sed unum esse eumdemque Andream, quem & ibi Antistitem Maccarensem diximus, & hic consulti magis rei veritatis Archiepiscopum Crainensem fuisse affirmamus. Una utriusque natio Chrobatica, unum vitæ religiosæ institutum Dominicanum, idem Episcopatus tempus persuadet, & in utroque offensa apud Sixtum IV. Pontificem, hoc tamen discrimine ut Cavallerius Andream ad episcopalem dignitatem evectum asserat anno 1472. nos quadriennio post id factum ex tabulis Romanis certius affirmemus; is vero falsas de Andrea criminationes fuisse, & sponte ab eo dimissum Episcopatum narret, nos veram rei gestæ historiam gravissimis monimentis testatam persequamur; cæterum par utrique doctrina, par eruditio, & rerum gerendarum sollertia, tum apud Fridericum Imp. gratia & benevolentia, ac Romanæ legationis munus par, quod semel atque iterum obiisse Andream refert Cavallerius. Quæ tanta inter utrumque similitudo inducit animum ad Andream unum recognoscendum, quem e serie Maccarensium Episcoporum expunctum cum Crainensibus Archiepiscopis adnumeramus.

Varthoni de Andrea commenta.

Andreas Archiep Crainensis fuit, non Maccaren. Episc.

JACOBUS ARCHIEP. CRAINENSIS IV.

Titulo hujus Ecclesiæ, & archiepiscopali dignitate donatus a Sixto IV. prid. non. Septembris an. 1482. ut est in Actis Consist., in quibus *Jacobus de Sulizio* nominatur, & *Archiepiscopus Titularis Crainensis*. Ortus in valle *Niciæ*, vulgo *Nuræ* fluvii, quæ ad agrum Placentinum spectat, cognomento *de Saresis*, vel *de Saresio*, aut *Sulizio*, *Prioratum* administratione perpetua gerebat *S. Christophori ad Argines*; & an. 1483. idibus Aprilis consecrationem episcopalem ei impertierunt in templo Placentino hi tres Antistites, Ascanius Maria Sfortia Francisci Mediolanensis Ducis filius & Episcopus Papiensis, tum Jacobus Antonius a Turre Cremonensis, ac Michael Marlianus Placentinus. Hujus sacræ functionis meminere Antonius & Albertus de Ripalta in Annal. Placentinis editis tomo 20. Script. rer. Ital. 1483. *die* 13. *Aprilis D. Jacobus de Salizio Vallis Nuciæ, Placentiæ Prior S. Christophori apud portam B. Raimundi extra muros, in ecclesia majori cum maxima civium & populi multitudine, tribus Episcopis adstantibus, Placentiæ videlicet, Papiæ & Cremonæ, unctus est Archiepiscopus Crainensis cum omnibus ceremoniis & solemnitatibus debitis*. Placentiæ commoratus est, uti perhibent tabulæ Placentinæ; & an. 1488. v. non. Julias Innocentius VIII. Pontifex quædam mandata dedit Jacobo Archiepiscopo Crainensi, Placentiæ commoranti. De Jacobo agit Christophorus Poggialius tomo 8. hist. Placent. pag. 76. qui, cum Ecclesiam Crainensem per Christianas provincias frustra quæsisset, edoctum se scribit ab eruditissimo viro Felice Matthæo Nerinio totius Ordinis Hieronymiani Præside, in Epiro sitam esse. Ante annum, vel anno ipso 1489. Jacobus obierat, aut Crainensem cum alia Ecclesia commutaverat; hæc enim tum Antistite caruisse dicitur in Actis Romanis.

Jacobus Archiep. Crainensis an. 1482.

FRANCISCUS ARCHIEPISCOPUS CRAINENSIS V.

Venetus e familia patritia Quirina, a Sibenicensi ad Crainensem Ecclesiam migravit an. 1495. quem laudatæ tabulæ Crainensem cum Dyrrhachino Archiepiscopatu ajunt commutasse an. 1499. De illo plura habes in Episcopis Sibenicensibus, & in Dyrrhachiensibus Archiepiscopis.

Franciscus Archiepisc. Crainensis an. 1495.

HIEREMIAS ARCHIEPISCOPUS CRAINENSIS VI.

Qui in schedis Roma ad me missis dicitur interfuisse Concilio Lateranensi, & in Urbe versatus an. 1518. Sed vereor, ne scriptor memoria lapsus Crainensem Antistitem esse crediderit, qui revera fuit Tranensis, & quadam vocis similitudine sit deceptus. Nam Hieremias, quem ex actis Synodi Lateranensis

Hieremias Archiepisc. Crainensis.

Digitized by Google

sis solo nomine indicat Ughellus tomo 7. Ital. Sacræ pag. 910., adfuit tribus sessionibus an. 1512. 1514. 1515. Concilii ejusdem, cujus Acta ubique exhibent Hieremiam Archiepiscopum Tranensem. Difficile vero creditu est, librarii negligentia ter in Actis Tranensem Archiepiscopatum pro Crainensi fuisse suppositum. E loco tamen non dimoveo Hieremiam Crainensem, de quo penes alios fides sit.

JOANNES BAPTISTA ARCHIEPISC. CRAINENSIS VII.

Joannes Bapt. Archiep. Crainensis an. 1521.

Cognomento Cantelles, vel Centelles, aut Cantellius, XVII. Kal. Decembris an. 1521. a Clemente VII. electus; 15. *Novembris providit Ecclesiæ Crainen. in partibus Infid. de persona Joannis Baptistæ Cantelli, concessitque Pontificalia in civitate & diœcesi Macaren. tantum de consensu Episcopi, & quod non teneatur* &c. Ita in Actis Romanis. Anno 1525. Orator missus est in Hispaniam a Pontifice, dimisso suæ Ecclesiæ titulo, quem sumpsisse videtur

JACOBUS II. ARCHIEPISCOPUS CRAINENSIS VIII. ET POSTREMUS.

Jacobus II. Archiepisc. Crainensis postremus.

Germanus Cantelius dictus & Canonicus regularis S. Augustini eodem anno hac dignitate ornatus a Clemente VII. uti est apud Cavallerium aliquanto superius laudatum; licet is nullos exstitisse contendat Archiepiscopos Crainenses, sed solum Episcopos. Vocabulum *Germanus* vel aliud Jacobi nomen, vel aliud ejus cognomen exhibet. Fortasse sanguine erat conjunctus cum Joanne Baptista. De illo nihil habeo, quod proferam ex tabulis Romanis; at si Cavallerii firmum sit testimonium, non est, cur Jacobum ab hac Antistitum Crainensium serie rejiciamus. Et hæc satis de Ecclesia Crainensi, de qua studiose, quidquid potuit reperiri, non parvo labore collegi. Video quidem obscuram adhuc rem esse, & multis implexam ambiguitatibus; confido tamen hæc nostra magis profutura eruditis hominibus, & rerum ecclesiasticarum peritis, ut hujus Ecclesiæ historiam penitius cognitam pluribus certioribusque veritatis argumentis monimentisque collustrent,

Digitized by Google

ECCLESIA SIRMIENSIS

OLIM METROPOLIS

Nunc Suffraganea Metropolis Colocensis in Hungaria.

MONITUM AD LECTOREM.

UTi de Zagrabiensi Ecclesia dictum est in Tomo V., ita de Sirmiensi monemus, in hunc Tomum fuisse a nobis conjectam, quippe quæ subsit Metropoli Colocensi in Hungaria extra limites Illyrici Justinianei. Hinc illam hoc Tomo adjungimus præter ordinem Metropolicis Ecclesiis ac provinciis Antibarensi & Dyrrhachiensi.

ECCLESIA SIRMIENSIS.

Sirmii nomen,

SIrmium nobilissima olim Pannoniæ urbs vario nomine solet a scriptoribus appellari; *Sermium* quippe, & *Sirmis* dicta, & *Firmum* in Novel. XI. Justiniani, immo & *Firmium*; alia quidem, atque Firmium Sexti Aurelii in Hispania: cujus tamen nominis similitudine factum est, ut Tamajus in Martyrologio Hispano plura e nostris Divorum nomina & gesta sibi, suisque vindicaret. Zeugmini nomen Sirmio olim fuisse scribit Nicetas Acominatus in lib. 2. de Manuele Comneno: *Itaque Salvum fluvium prætergressus, & in Francochorii regionem irruens, (ea est Hungariæ pars .... Savum inter & Istrum .... quam penes Castellum munitissimum fuit exstructum, Zeugminum antea appellatum, nunc Sirmium dicitur), provinciam illam pessime exagitat.* Ast qui hoc probem, hæreo. Φραγγοχωρίον, ubi sita Zeugmini arx munitissima, *Francorum regionem* interpretamur; eo usque in Pannonias Franci processerant, Carolo duce, cui Magni cognomen facta indiderunt. Sirmio autem exciso, cum eam urbem aliæ sæpe atque aliæ gentes instauraverint, dubium mihi est, an nomen quoque fuerit immutatum: constat enim Scriptorum testimonio, Sirmii nomen eversæ adhuc urbi stetisse, nec suis tantum temporibus usurpari denuo cœptum, ut Nicetas affirmat. Itaque eam arcem in agro Sirmii, φραγγοχωρίῳ, exstructam fuisse puto a Stephano II. Hungariæ Rege, haud procul a Sirmii ruderibus, cum Belegradam solo æquasset Græcorum urbem, ut regni fines ab ea parte tueretur adversus hostium incursiones; Græce Ζέυγμινος dicta, ut quæ forte ad Bacunthii fauces, qua parte Savo immiscetur, aut in angusto, & contermino ejus loci situ ædificata; *angustum* enim *exitum*, vel *conjunctionem* sonat Græcum vocabulum Ζέυγμα. Hujusce rei Cinnamus auctor est, qui in lib. 1. histor. de Stephano II. Hungariæ Rege ista commemorat, cum adversus Joannem Comnenum arma moveret, quia fratrem Almum ex Hungaria profugum recepisset: *Ut autem persuadere id minime potuit*, (scilicet, ut frater Almus e Romanorum finibus pelleretur), *Istrum prætervectus Belegradæ urbem, quæ huic fluvio adjacet, expugnat, eamque funditus evertens hinc lapides navigiis transtulit, quibus Zeugminum in Sirmio exstrueret, quæ urbs diu sane integra stetit.* Et *in Sirmio* quidem scripsit, quasi in Sirmiensi agro, non in ea parte soli, ubi Sirmium antea fuerat; quod clarius patet ex lib. V, in quo Sirmium a Zeugmino aperte distinguit: *Interea Pannoniorum rex Sirmium Romanis abstulit, & jam Zeugmino ipsi imminebat;* & rursum iisdem in libris I. & V. narrat, Manuele Comneno Imperatore, Zeugmini arcem dirutam omnino a Græcis fuisse, eosque lapidum, cæmentorumque reliquiis Belegradæ mœnia, ac tecta reparasse. Commune vocabulum, quo ab Historicis nonnullis sequiori ævo, & ab incolis ad usque hanc ætatem solet hæc urbs vocari nativa eorum lingua, *Mitrovitzium* est; *Urbs* scilicet vel *oppidum Demetrii*, ab celeberrimo templo, quod Leontius Illyrici Præfectus exstruxerat

de quo Nicetæ error arguitur;

nunc Mitrovitzium vulgo dicitur.

sæc. VI. S. Demetrio Martyri Thessalonicensi, & insignibus inde ex illius sepulchro delatis reliquiis ditaverat; quare ingenti populorum concursu cœpit frequentari religionis, & Martyris opem implorandi causa, qui miraculorum copia in dies fiebat honorabilior.

Natalem urbis annum, & nominis referre originem haud operæ pretium arbitror; neque enim satis scio, nec, si sciam, ausim affirmare in tanta monumentorum obscuritate. Quæ vero de Triballis feruntur inferioris Mœsiæ populis, eorumque rege Sirmio trans Istrum in fugam ejecto ab Alexandri copiis, ea neque fabulosa rejicere, neque certa probare in animo est.

Hujus urbis situs,

Sirmii situm in secunda Pannonia constituimus, Pannonia autem fuit omnis divisa in partes duas, quarum una in occasum spectat, altera in orientem solem. Arabo utrasque dividit, si lineam animo fingas, quæ ab eo fluvio directa Dravum, Savumque intersecet, neque aliter utrasque Savus alluerit, ut scribit Ptolemæus. Quæ pars vergit ad occasum, *Superior*, quæ vero solis ortum respicit, *Inferior* a Romanis dicta, & hæc *secunda*, illa *prima* quandoque nuncupatur. Inferior tamen Pannonia interdum *Ripensis* cognomine distinguitur, utpote ab aquilone ad austrum Danubii ripis terminata, quod ab Historicis in *Ripensi* Norico, & in Dacia *Ripensi* eadem de causa legimus usurpatum. Sane cum Suetonius in vit. Domitiani cap. 6. narrat, Oppium Sabinum Ripensi Pannoniæ præfuisse, Inferior Pannonia debet intelligi; quippe eo tempore duplex tantum Pannonia fuerit, utraque civili administrationis jure distincta. Ex utraque igitur Pannoniorum provincia *Savensis*, & *Saviensis*, & *Suavia* regio, vulgo *Savia*, efficitur, & Dravo flumine, & Savo, a quo nomen inditum, continetur; ideo *Interamnensis* cognomine illam sæpe denotant Scriptores; nec desunt, qui *Ripariensem* appellent, sive quia Ripensis Pannoniæ partem constituat, sive quia ad trium fluminum ripas longe, lateque procurrat; tum Cetios montes attingit ab occasu, & ex adverso flumen Istrum. Hic Savum & Istrum versus inter meridiem & ortum Sirmium sedet, qua parte Savia regio ad Inferiorem Pannoniam pertinet, & Sirmiensis tractus in amplam planitiem porrigitur, quam Bacunthius interfluit, & mons Almus conterminat. Quare graviter erravit Guidus Pancirolus, qui in Comment. Notit. Imp. adjectis cap. 62. de dignit. Imper. Occident. Saviam in Liburniæ regionem invexit: de Liburnia autem, ejusque situ vide Tomum 1. hujus Oper. part. 1. proleg. cap. 2. ff. 1. & cap. 5. ff. 1. Quin & Lexicon Geograph. Philippi Ferrarii aliqua indiget animadversione; Savia etenim neque Liburniæ, neque Norici fines assequi potest, uti ex iis, quæ diximus, & ex accurata veteris Illyrici tabula in 1. Tomo proposita clare deprehenditur: & rursum male Baudrandus addidit Ferrarii Lexico, Saviam Australis Pannoniæ partem fuisse, siquidem Australis Pannonia, seu Meridiana, nunquam trans Savum egressa est; cumque Pannoniorum regio tota dividi etiam tripartito soleat, prima *Aquilonaris* trans Dravum Istro definitur, & Noricorum Alpibus; Saviensis *Media* appellatur; tertia *Australis*, seu *Meridiana*, ea est, quam ex Augusti descriptione Dalmatiæ adjecimus Tomo 1. part. 2. proleg. cap. 3. ff. 2.: veteres tamen Romanæ Historiæ auctores & Geographi primam Pannoniæ divisionem tenent. Scio Stephanum Salagium miræ eruditionis virum l. 4. de statu Eccl. Pann. aliter sentire, qui e Paanonia Savia Sirmium excludit; & hanc ita describit, ut mediam Pannoniam secundam complexa sit ad Cetios usque montes in septemtrionem intra Dravum & Savum, ac cis Savum procurrens montes Bebios attingeret versus meridiem, ab occasu Istriæ limitibus terminaretur. Nova profecto opinio, cui gravibus fultæ argumentis repugnare non ausim, præsertim cum metropoliticæ Sirmii dignitati nihil officiat, imo novarum urbium accessione illius decora amplificet; qua de re alibi.

Stephanus in lib. de urbibus Pæoniæ quidem provinciæ Sirmium attribuit, τὸ Σίρμιον πόλις Παιόνων, & Zosimus πόλιν Παιονίας τὸ Σίρμιον dixit lib. 2. cap. 18., quo nomine Pannoniam interdum designant Græci Scriptores. At perperam Pæoniæ vocabulum pro Pannonia usurparunt, ut Dio Cassius affirmat in lib. histor. 49. cum etenim scripsisset, hoc ideo nomen Pannoniorum genti inditum fuisse, quod manicatas tunicas e pannis more suo concisis, ac denominatis consuant, subdit: *Et illi quidem sive hac, sive alia de causa ita nominantur. Græcorum autem nonnulli veritatis inscii Pæonas illos appellant; quæ vetus sane appellatio non huic genti tribuitur, sed iis, qui Rhodopem, & Macedoniam, qualis ea nunc est, incolunt usque ad mare. Quamobrem & ego illos Pæonas, hos vero Pannonios, ut ipsi sese, & Romani ipsos vocant, pronuntiabo.* Hanc vocum distinctionem Strabo secutus est in Geographia; sed interpretes haud satis de hoc advertunt pluribus in locis. Sane & Erasmus quorumdam auctoritate deceptus Sirmium esse Pæoniæ oppidum scripsit in schol. subjectis cap. 106. lib. de Script. Eccles. a S. Hieronymo concinnati. Magis fortasse mirum videbitur, Sirmium *Italiæ limitem* ab Ennodio Ticinensi appellari in Panegyr. Theodorici Italiæ regis; *Sirmiensium civitas olim limes Italiæ fuit*; sed auctor non proprio dictam nomine Italiæ regionem innuit, sed Italici regni fines a Theodorico constitutos, cujus imperium ultra Pannonias, & Sirmiensem provinciam ad Mœsiam usque protendebatur; ereptam vero Mundo Gepidarum duce illam urbem gratulatur Ennodius Theodorico, & Italico regno fuisse tandem restitutam.

Quas inter urbes medium Sirmium esset, non

Digitized by Google

non equidem in magno ponam discrimine: Panciroli tamen minus placet opinio, quippe cap. 77. comment. in notit. Imp. scribit, *Sirmium est prope Tarsium inter Rimum, & Cornacum apud Danubium*; quo in loco *ad Drynum* scribi mallem, quam *Rimum*: exiguum autem illud est Cissavianæ regionis oppidum ejusdem cum Dryno fluvio cognominis, a quo alluitur. Hinc distare nimis Sirmio videtur, ut quis putet, Drynum inter, & Cornacum hanc urbem contineri; quin & Cornacum ipsum melius ponitur ad confluentem Dravi cum Istro longiori fortasse itineris tractu Sirmio dissitum, quam Dryni oppidulum. Rectius inter Ulmum, & Budaliam, sive Bubaliam constituitur; alter enim m. p. VIII, altera m. p. XXVI. a Sirmii mœnibus distat in Itinerario Antonini, a quo neque urbs alia quæpiam, neque oppidum propiori in conspectu locatur. Verum fallitur omnino Panciroius, si revera existimat, Sirmiensem urbem fuisse ad Istrum sitam; immo ex potamographica Danubii tabula diligentissime a Marsilio descripta in 1. Tomo itin. Danub., qui ea loca præsens viserat, & accurate dimensus fuerat, perspicue apparet, prope Bacunthium amnem, nunc Boscutz, Sirmium sedisse, cui proxime Bacunthius idem allabitur, & a confluente Savi cum Istro longe disjungitur. Quare & Sirmium longiori tractu distat ab utroque flumine, quam vulgares tabulæ soleant designare: & Cellarii quoque sententia refutari profecto debet, cum in sua Geogr. Sirmiensem regionem *Circumsavianam* nominat, quasi trans Savum producta aliquam Mœsiæ Superioris partem occuparet: quod omnino falsum. Scordisci olim, & Amantini, & Singidones ea loca feruntur habitasse, de quibus supervacanea est disceptatio, uti de Sirmiana Insula, quæ fuerit, & quo in loco; id constanter nego *Interamensem* provinciam ejus insulæ nomine intelligendam esse; & cum Pannoniæ Sirmiensis nomen occurrit, quod Cassiodorus adhibuit lib. 4. Variar. epist. 13., argues, eam esse ipsissimam Saviæ regionem, quæ inferiori ævo ab urbis dignitate, & vetusto Metropoleos honore cognomen accepit. Sed vide Stephani Salagii librum tertium de Statu Ecclesiæ Pannonicæ cap. 1. qui hac de re fuse disserit, & erudite.

inter Ulmum, & Rubaliam.

Ejusdem magnitudo,

Sane tantum cæteris urbibus antecellebat magnificentia, dignitate, opibus, quantum par erat ornamentorum esse in ea civitate, quæ Imperatorum domicilium, quæ Prætorianæ Præfecturæ sedes deligeretur, quæque ecclesiasticæ Metropoleos teneret imperium, & sacris insignibus lucesceret. Hinc Herodianus πόλιν μεγίστην Sirmium appellavit; & Marcellini verbis nihil addi potest illustrius ad urbis hujus splendorem & majestatem amplificandam; qui lib. XXI. cap. 9. de Sirmio scribit, *Mater urbium populosa & celebris* paruit Juliano rebellanti adversus Constantium. Quamquam haud falli me putem, si multo vetustiorem existimem ejus fortunam decoris, ante quam servitutis conditionem experiretur; neque tamen ambigitur, quin gloriæ plurimum sub nova Romani Imperii dominatione illi accesserit. Non satis liquet, quo primum tempore Romani Pannonias, atque adeo Sirmiensem provinciam occupaverint. Vide, quæ fusius in Tomo 1. hujus Hist. tractata sunt cap. 4. ff. 8. parte 1. proleg., ex quibus vero quam simillimum putamus, an. 35. ante Christianam ἐποχὴν regiones hasce reipublicæ cessisse, Coss. Sexto Pompejo, & L. Cornificio, non vero tuta satis, & certa possessione. De Jornandi porro testimonio, qui edidit, Pannonios in provinciæ formam redactos fuisse ab L. Anicio Proprætore, qui de Gentio Illyriorum rege triumphaverat anno ante Christum 168., plurimum dubitamus Polybii, Liviique innixi fide, qui ab Anicio hoc laudis, gloriæque minime detraxissent. Utrum autem Romani Sirmium adepti eo coloniam deduxerint, Panvinium penes in opusc. de colon., & Marsilium in suo Itiner. Danub. auctoritas esto: lapis, quem testem afferunt, est hujusmodi:

DEC. COL.
SIRMIENSIS

Quemque ita explicat Salagius *Deciana Colonia Sirmiensis*; quippe Decius Imperator Budaliæ Sirmiensium vico ortus dicitur; sed fortasse *Decurio Coloniæ Sirmienses* melius explicaveris. Plinius sane Æmonam & Sisciam nominat colonias primæ, nullam vero urbem Pannoniæ secundæ. Pannonii tamen & ipsi Sirmienses accolæ Romanam jugum ægre ferentes a rerum novandarum cupiditate nunquam quievere; donec vulgaris æræ an. 8. magis ærumnis belli, quam vi armorum domiti, fractique, pacem a Germanico Cæsare deprecati sunt, eorumque regio omnis Illyrico adjuncta fuit. Exinde nihil memoria dignum iis in locis suppetit usque ad imperium Gallieni, cum Quadi, & Sarmatæ in Pannonias impetum fecerunt eas depopulaturi. Cæterum urbis magnitudinem & magnificentiam ex iis, quæ supersunt, ruderibus dignoscere possumus. *Prope fluvium Savum*, scribit Marsilius tomo 2. Itin. Danub., *in campo Sirmii locus desertus quidem, sed pluribus antiquitatibus, murorum ruderibus, lapidum inscriptionibus, & ejusmodi monumentis præ aliis conspicuus, & incolis* Mitrovitz *nominatus, quod nominis absque dubio idem est ac si dicas*, urbs Demetrii. *Perlustranti locum istum subito persuasio oritur, unam ex maximis Romanorum coloniis olim hic floruisse; adeo plena sunt omnia lapidum fragmentis diffractis, passimque dispersis lateribus foveisque* &c. idque & Salagius laudato in loco testatur.

Viri illustres,

Sirmii fortunam viri illustres non pauci propria nobilitate, rerumque gestarum gloria auxerunt. Ex his prior Decius Bubaliæ natus, unde hæc agri Sirmiensis pars Bubalia dicta, ad Imperium evectus est circiter an-

Digitized by Google

no 249. Multo tamen nobilior Aureliani vita, & res gestæ clariores, cui patria Sirmium perhibetur, ibique Imperium ab eo sumptum an. 270. tradit Tillemontius. Probus quoque in ea civitate ortus, vir belli, pacisque artibus clarissimus, ab exercitu dictus est Imperator an. 276. Huic charitas in cives, & studium ornandæ Sirmiensis provinciæ, augendæque magno stetit; cum enim, Imperio pace composito, Sirmium se recepisset, ibi repentina militum seditione interficitur, opprimi se nimio labore arbitrantium, dum siccandis paludibus, & instauranda urbe, agroque circum purgando, ne segnes fierent, gravarentur. Sunt, qui Maximianum Sirmiensem dicunt; sane tum forma, tum magnitudine nobile palatium exstrui ad eam urbem jusserat, cujus meminit Victor in Epitome Hist. Aug. *Etiam nunc haud longe Sirmio eminet locus palatio ibidem extructo, ubi parentes ejus exercebant opera mercenaria;* & cum Diocletiano sæpe inibi commoratus est partim voluptatis, ac solatii causa, partim ut barbarorum impetus, qui ab ea maxime parte imperio minitabantur, retunderet, infringeretque. Cibalæ etiam in Sirmiensi tractu Valentiniano gloriantur Imperatore: hic etenim humili loco natus, Juliano, & Joviano Augg., stipendia meruit; anno autem 364. Joviano suffectus Imperium a legionibus accepit; quo Principe Romana res plurimum adjumenti caperet, & Christiana religio non minimum decoris, præsidiique debere se illi profiteretur. Filium habuit Gratianum Sirmii natum, qui eodem consilio, ac pietate pari in paternum regnum successit, & Sirmiense nomen summopere illustravit. Horum igitur ortus, imperium, gesta insignem fecere urbem, quam Præfecti Prætorio Illyrici sedem constituerat Constantinus, quamque majoribus in dies præsidiis contra barbarorum excursiones muniri alii jusserunt, & regiæ dignitatis specie magnificentissime exornari; sæpissime enim ibi Imperatores a Constantino ad Arcadium usque & Honorium commorare solitos testantur leges Codicis Theodosiani, & coævi Scriptores. Hic primæ Flaviæ Augustæ classis (a Fl. Constantino, quod mage reor, quam a Fl. Vespasiano cognomenti decus sortita) quæ fluvialibus constans navigiis prope Bacunthii fauces in Savo fortasse portum tenebat: hic Sirmiensis ala, & stativa militum Calcariensium; hic scutorum, balistarum, variique generis armorum officinæ, hic demum Gynæcii publica ædes texendis Principum, militumque vestibus, tum navigiorum velis, & linteis, stragulisque conficiendis accommodata, ut omnino instruerentur militum mansiones; quæ in Notitia Imperii a Pancirolo illustrata singillatim describuntur. Dubium est de Procuratore Sirmiensis monetæ, fuerit necne in ea urbe, quæ toti Illyrico præerat; verum id ad assensum movet, quod Joannes Harduinus in egregio de veterum nummis opusculo plures exhibeat Sirmiensium nummos inibi cusos. Et vere, ut puto, scripsit Lazius in 12. Comment. libro, Thesaurorum Præfectum Sirmii sedem habuisse, de quo tamen apud Notitiæ auctorem mentio nulla. Equidem, siqua non levis conjectura indicat, monetæ Procuratorem Sirmii exstitisse, hoc affirmare jure licebit etiam de Præfecto Thesaurorum, cum ex Notitia constet, ubi Procuratores monetæ degebant, ibi & Thesaurorum Præfectos officii munus obiisse. Certe nec munitiore in loco exactæ vectigalium pecuniæ poterant reservari, neque ad Principum officia, & munera, qui sæpe Sirmii commorabantur vel belli, vel solatii causa, magis videtur fuisse conveniens. Equidem cum Licinius ad Cibalim victus Sirmio aufugeret, nihil sollicitius habuit, quam ut regios thesauros in illa urbe repositos cum uxore filioque, insequentium hostium prædæ præriperet; quod Anonymus Valesianus testatur hisce verbis: *Licinius cum magna parte equitatus noctis auxilio pervolavit ad Sirmium. Sublata inde uxore ac filio & thesauris tetendit ad Daciam:* unde liquet, regiæ ibidem gazæ servandæ & tutiorem ad defensionem, & ad usum commodiorem urbem visam fuisse, Pro eo autem ac ipsa postulabat præfectoria persona, & dignitas, reputandum animo est de civium splendore, & opibus, tum de Magistratuum ædibus, in primis de Palatio, in quo regio sane luxu, cultuque Præfecti Prætorio habitabant; idem, quod Valentinianus, & Valens Augg. ita invicem sibi partiti fuerunt an. 365., ut quæquæ ædium pars utriusque majestatem intuentium oculis exhiberet, cum alteruter Sirmium advenisset. Parium omnino ornamentorum insignibus ecclesiastica dignitas enitebat, par sacrarum ædium magnificentia & cultus, opes sin minus pares, certe vel maximæ, adeo ut nihil mirere Anemium Sirmiensem Episcopum in Aquilejensi Concilio anni 381., *caput Illyrici*, nonnisi Sirmiensem civitatem prædicasse.

ornamenta, & decora,

Verum ut est humanarum rerum fortuna, & variæ vices, quod cæteris urbibus evenisse videmus, ut ad maximam potentiam evectæ aut suo ipsæ pondere ruerent, aut hostili finitimorum invidia lacessitæ sensim in deterius prolaberentur, id in sese experti Sirmienses cives, nihil tutum & firmum stare unquam posse, nihilque humanis rebus esse fidendum. Ad Constantini tempora nusquam reperio, Sirmium aut descivisse ab Romanorum potestate, aut bello fuisse vexatum, licet in Pannonias sæpe barbari irruperint, & imperii fines ab ea parte vastaverint. Quadi enim, & Sarmatæ, & Marcomanni infestis armis finitimas Istro diu tenuere provincias, Daciam modo & Mœsiam depopulantes; modo Istrum transgressi in Pannonias excurrerunt haud segnes Carpi, ut vi, & cædibus temperarent; & Gothi in Illyrium usque spe prædæ provocati bella ex bellis serebant. Graves tamen civilium dissensionum motus experta est hæc civitas, Va-

Vices variæ, ubi præcipue

le-

Digitized by Google

leriano imperante; eo autem a Persis turpissime capto, Regilianus, & Aureolus in Pannoniis turbas excitarunt. Tum hoc maxime anno 260. Dec. Lælius Ingenuus rebellavit, qui huic provinciæ præerat, & Sirmium occupavit, ibique, ut Zonaras auctor est, a Gallieno devictus, a suis militibus confossus interiit: Eutropius, & Victor apud Mursam id accidisse scripserunt. Decem vero post annos Claudius in eadem urbe peste consumitur, qua Romanus exercitus laborabat. At anno 306., cum Constantinus Imperator renuntiatus collegam haberet & infensissimum hostem Licinium, turbatis omnibus, bellum in Pannonia exortum est, quod suspensos diutius tenuit populorum animos, & valde sollicitos, utri essent obtemperaturi. Cibalæ, & Sirmium ab Licinio stetere; & prælio inito, imparibus copiis dimicatum est in Cibaliensi agro; cumque Licinii acies versa fugeret, is Sirmium sese recepit, unde uxore abducta, & filio, avectisque thesauris in Thraciam substitit cum reliquo exercitu; idcirco Cibalæ, & Sirmium Constantino dedu-

Cibaliensis pugnæ annus adversus Tillemontium, statuitur,

tur. Id hoc anno 315. evenisse statuimus doctissimi Petavii auctoritate; suspecta vero nobis videtur Tillemontii fides, qui Petavium arguit, quasi imprudens, nulloque fretus præter Idatii verba argumento, in Tabulis Chronologicis lib. 13. de doctr. temp. huic anno 315. Cibaliense prælium adnotaverit Constantino IV., & Licinio IV. Coss.; id enim Petavius ibi affirmat, quod in lib. II. cap. 42. accurate probaverat; neque testem producit Idatium, ut hic annus Cibaliensis pugnæ probetur, sed ut ostendat, diem ipsissimum ejusdem pugnæ fuisse VIII. Id. Octob. quem innuit Idatius: *Pugnatum est primum ad Cibalim Pannoniæ oppidum, & quidem* VIII. *Id. Oct., ut refert Idatius:* quæ verba Basnagius quoque male accepit in Tomo 2. Annal. Politico-Eccl. ad an. 314. Sane qui potuit Constantinus anno 314. Volusiano II. & Aniano Coss. Licinium in Thraciam persequi post Cibaliense prælium, illa die, illo mense gestum, cum eodem anno Treviris dicatur constitisse IV. Kal. Novemb., ut lex prima perhibet tit. 35. in lib. VI. Cod. Theod. iisdem temporum notis, iisdem Coss. edita? atqui, inquit Petavius, *prælium ipsum* VIII. *Id. Oct. commissum; a quo tempore Constantinus deinceps in Thracia, & finitimis locis continuo fuit: certe Octobri mense in Galliis esse non potuit. Proinde nos Cibaliense certamen contulimus in an. Ch.* 315., *Constantino IV. & Licinio IV. Coss.* Verum de hac re non est ulterius a nobis disserendum, quæ longiorem postulat tractationem, & gravibus implexa est difficultatibus, etsi eruditi viri præter Petavium & Tillemontum inter se decertaverint, Norisius, Valesius, Pagius, Gotofredus aliique, & adhuc sub judice lis. Licinio devicto, Pannoniæ diu quievere; cumque Licinius denuo adversus Constantinum arma movisset, prælio demum captus, dum novas agitabat animo molitiones, an. 325. Constantini jussu interfectus est. Sed anno jam 322. Sarmatæ Pannonias aggressi, Saviam quoque, & Sirmiensem regionem terrore metuque perculerent; cumque pugnatum ad Bononiam esset, victor Constantinus Sirmium venit cum exercitu, metumque in lætitiam civibus vertit. Insequenti anno Sirmii adhuc morabatur; unde Thessalonicam digressus in Getas irrupit, & hostem profligavit. Ab eo tempore diutinam Pannonia pacem obtinuit; at, mortuo Constantino, quid, quantumve turbarum moverit Constantius in iis regionibus duplici religionis & armorum causa, quandoque dicemus, ubi opus erit. Sed cum Romana res eo devenisset, ut barbaris undique obsessa summo periclitaretur exitio, (adeo valida Gothorum erat & Hunnorum potentia, qui continuis primum incursionibus trepidos tenere populos, & aperto impetu subinde grassantes, ferro, & igne nobiliores Romani imperii provincias, Pannonias præsertim, & Illyricum vastare cœperunt,) an. 374. Quadi rursus, & Sarmatæ hostilibus copiis Romanos fines aggressi Sirmio minitari videbantur. Eo Constantii filia ab hoste profugerat, cum in Italiam proficisceretur Gratiano nuptura, ut Ammianus perhibet lib. 29.; summa tamen vi obnixus adversus hostilem aciem Probus Præfectus Prætorio eorum impetum, minasque compescuit. Quadriennio post, Valente a Gothis incenso, Gratianus Imperator, hyeme tota Sirmii degens rem strenue gessit contra Alanos; sed probe ratus, ingruentium undique barbarorum robur furoremque sustineri a se minime posse, sibimet diffidens Theodosium advocat, cujus virtute, ac militari scientia insignes victoriæ a Romanis sæpe relatæ fuerant, eumque in Imperio collegam Sirmii renuntiat communi omnium plausu an. 379.

Barbarorum in Pannonias irruptiones,

Postea bipartito Imperio an. 395. a Theodosii M. filiis Arcadio & Honorio, Illyricum etiam in orientale & occidentale divisum est; & occidentale quidem, in quo Sirmium, Honorio obtigit, qui nova forma, novo Magistratuum ordine provincias Imperii occidentalis composuit & Præfecto Prætorio Italiæ suæ partis Illyricum subesse voluit. Tum Sirmiensis fortuna, adempta Præfecturæ Prætorianæ sede, inclinare aliquantum visa est; verum honoris plurimum ac dignitatis urbi reliquum adhuc fuit; nam Rectores Pannoniæ inferioris, & Vicarii Illyrici occidentalis magnifico apparatu, regioque fere cultu inibi considere & jus publice dicere solebant. Verum Sirmiensis provincia continuis bellorum motibus nihilominus jactata est; per hæc enim tempora Pannoniæ ab Hunnis iterum tentari cœptæ, qui innumeri simul, & hac illac effusi, graves Dei vindices, in iis regionibus constiterunt infestissima sex annorum commoratione. Inde an. 427. a Theodosio Juniore fuisse expulsos narrat Marcellinus in Chronico; mox autem & incredibili multitudine qua Thraciam, qua Mœsias, eodemque furore Pannonias depopulati, Attila duce, nihil

a se-

& Sirmii excidium.

a sævitie & feritate intactum reliquere, celeberrimis quotquot erant, urbibus eversis, aut igne absumptis; quo fato & Sirmium corruit an. 441. ac ferro & miseranda civium strage deletum est. Et pristinum magnitudinis, ac dignitatis splendorem nunquam recuperavit; e ruinis tamen emersit, cum Gothi, Theodorico rege, in Italia, & Illyrico occidentali, rerum potiti sunt. Cassiodorus *Sirmim, victis Bulgaribus receptum* fuisse scribit in Chron. an. 500., *virtute D. N. Regis* Theodorici; & in epistola ad Colossæum V. I. Comitem, *proficiscere*, inquit, Theodorici nomine, *ad Sirmiensem Pannoniam, quondam sedem Gothorum*, ante scilicet quam in Italiam irrumperent; & cum teste ipso Cassiodoro in Chron., *felici sub imperio*, ejusdem Theodorici, *plurimæ renovarentur urbes*, dubitari nequit, quin & Sirmium, a quo provincia Sirmiensis dicta, fuerit amplissime restitutum. Longum sane foret enarrare, quot hæc urbs, exciso Gothorum regno, pertulerit dominos, modo Gepidas, modo Longobardos, dein Avares, postea Græcos, rursus Avares; adhuc autem *urbem amplissimam* eam vocat Theophylactus lib. 1. c. 3. & quæ *fama & sermone propter nobilitatem a Romanis Europæis celebrabatur*, & Theophanes in Chronograph. *nobilem Europæ urbem*, cum ab Avaribus postremo expugnata est an. circ. 580. Exinde sex sæculorum spatio nihil de Sirmio memoriæ proditum præter nomen a Scriptoribus Græcis, nihil a Latinis, quos sciam; ac tum exsurgere paullatim visa est sub Hungarorum dominatu post XII. æræ Christianæ sæculum, cum demum episcopalis honor, ac dignitas eidem iterum accessere an. circ. 1220. uti suo loco dicendum. Hæc strictim percurrisse satis est; vide cætera in Farlato prioribus tomis duobus, & in Salagio laudato tomo 1. ac 3. de statu Ecclesiæ Pannonicæ.

Restituitur a Theodorico rege.

Iterum ab Avaribus deletur.

Initia Ecclesiæ Sirmiensis.

Nunc de Ecclesia Sirmiensi, cujus initia ab Apostolorum ævo esse repetenda certissimis constat monumentis. Huc ea afferre inutile duco, cum & Farlatus Tomo 1. & Salagius lib. 2. perspicue probent, Illyrici provincias, & Pannoniam utramque a Divis Petro & Paullo, aliisque Christi Domini discipulis peragratas fuisse, & constitutas Ecclesias, & præpositos Episcopos; Salonitanam vero in Dalmatia, Laureacensem in Norico, Sirmiensem in Pannoniis primarias urbes episcopali dignitate, ac metropolitica jurisdictione præ cæteris ornatas. E Sirmiensibus Episcopis primus Epenœtus, alter Andronicus Christianam religionem per ea loca ingentibus laboribus auxerunt, & altis adeo radicibus defixere, ut plurimo tum postea Martyrum sanguine irrigata copiosiores sanctitatis fructus & illustriores ediderit. Metropolitica Sirmii dignitas, quæ constanti hominum eruditorum consensu stabilita est, & in primis a Salagio lib. 4., in dubium revocata nonnullorum opinione, aperte oppugnatur ab Hansizio tomo 1. Germ. Sac.; proinde salvam & integram ut servemus oportet iis argumentis, quæ licet a Farlato, & Salagio allata, hic contrahimus, tum aliis etiam, quæ Hansizii oppositiones evertant. Is itaque primus hunc lapidem movit adversus Sirmiensem Ecclesiam, quam usque ad Constantini ætatem nullo claruisse præ cæteris ornamento contendit, præter episcopale decus, atque hujus quæ fuerint primordia, cuive sæculo tribuenda, probari certis argumentorum indiciis minime posse. Et sane fateor, primorum Antistitum, & instituti Episcopatus memoriam vetustate penitus fuisse deletam in pluribus fere Ecclesiis, nonnullas modo excipias, quæ ab Apostolis originem sumpsere, & religionis incrementa; unde fit, ut neque episcopalis dignitatis initia constitui queant, & certæ anni alicujus epochæ affigi. Verum, si perpendere studiose velis, quæ ab antiquis Scriptoribus tradita fuerunt de primo Ecclesiæ regimine, nihil omnino dubites, quin multo ante Constantini Imperium metropoliticus, nedum episcopalis honos in Sirmiensi Ecclesia constitutus fuerit, quod caput est nostri propositi adversus Hansizium, atque ejus auctoritas in aliquam Pannoniarum partem dimanaverit. Igitur de prima Metropoleon origine in Ecclesiastica Hierarchia equidem Thomassinus diserte docuit in suo opere de vet. & nov. Eccl. discipl. ad 1. part. lib. 1. cap. 39., jam inde ab Apostolis Metropolitarum nomen usurpari cœptum fuisse; & Binghamus, cujus hac in re testimonium aliis præferendum mihi videtur propter insignem hominis eruditionem, & singularem in scribendo diligentiam, autumat sæculo saltem secundo, sin minus primo, Episcopos id cognomentum honoris ita accepisse, ut quæ episcopalis urbs esset civilis alicujus provinciæ metropolis, eidem in totam æque provinciam ecclesiasticum jus tribueretur, & auctoritas; ut fuse disserit auctor in Tomo 1. de Origin. Eccles. lib. 1. cap. 16. Certum præterea est, ab Apostolis ipsis celebriores imperii, provinciarumque civitates delectas fuisse, ubi Fidei semina spargerent, & novo cultu ab impia religione traducerent barbaras gentes ad morum sanctitatem, idque Apostolicis viris commisisse, ut ibi diutius immorarentur, & Christi legem firmiter stabilirent, unde cælestis doctrinæ fontes possent in subjectas urbes commodius, uberiusque derivari. Hinc Amasea Ponti, Cæsarea Cappadociæ, Corinthus Achajæ illustres erant metropoles in imperio civili, eodemque metropolitico honore præ cæteris ejusdem provinciæ Ecclesiæ insignes. Et sane Basnagius ipse, qui cæteroquin Usserii, Hammondi, Beveregii, Morini, & Petri de Marca opinioni de Apostolica Metropolitarum institutione repugnat, in lib. 1. suæ Hist. cap. 8. fatetur, Ecclesiasticas Metropoles traxisse initium & formam a civili Imperii regimine, tum in 1. Tomo Annal. Politico Eccles. id concedit, quod nobis apprime faveat, clarissi-

Digitized by Google

simarum urbium in Fide primordia ad Apostolos conditores, eorumve discipulos esse referenda. Quare, cum Petrus, qui Antiochiam primum, deinde Romam Evangelium intulit, & Alexandrinæ civitati Marcum præfecerat, Domnio Salonam tradiderat, & Epæneto Sirmium, subditamque regionem Christianis mysteriis imbuendam, cumque vel ab ipso Petro, vel certe a Paullo, qui nobiliora Illyrii loca peragravit, idem Epænetus Sirmii Episcopus fuerit designatus, aliique Evangelii cultores in celeberrimas urbes ablegati, cur denegandum erit, ut aliæ in suis provinciis urbes, ita Sirmium & civili primitus, & ecclesiastica subinde metropoleos dignitate excelluisse? Hisce præmissis ad Hansizium venio, qui in Tomo 1. Germ. Sac. cap. 1. & 2. Laureacensem Ecclesiam adeo nititur ab exordiis Christianæ religionis efferre, ut, nedum Ripense Noricum, utramque etiam Pannoniam, & Mœsiæ partes subjici eidem voluerit, Sirmium etiam Laureacensi Metropolitæ attribuat, cui ad quartum circiter Ecclesiæ sæculum paruerit. Quo tamen in loco advertas velim, Josephum Harthzemium profecto Hansizii mentem non esse assecutum, cum in Tomo 1. Conc. Germ. pag. 36. proleg. de Laureaco disserens sic ejus auctoritate statuendum censet, Laureacensem scilicet Metropolim *intra IV. & VIII. sæculum septem suffraganeas sedes* numerasse in Pannonia inferiori *Mursensem*, *Cibalitensem*, *Sirmiensem* &c.: nuspiam enim affirmat Hansizius, Episcopum Sirmiensem sub Laureacensis potestate fuisse sæc. IV., quo tempore, Hansizio auctore, Primatus, de quo tamen quæstio, dignitatem obtinebat. At quæro primum, quo potiori fretus argumento hoc Hansizius ediderit? quæ impulit hominem ratio, ut metropoliticum decus Laureaco tribueret? Graviora, quæ afferri possint, auctoritatis momenta exstant in epistola Symmachi Romani Pontificis ad Theodorum Archiepiscopum Laureacensem an. 504., illa expendamus. Annuit in iis literis Pontifex roganti Præsuli, ut sibi liceret Pallium induere, & majorum more iis insignibus exornari, quæ metropolitico muneri erant adjuncta; & ob eam causam Theodoro se assentiri scribit, quod videbat illius Ecclesiæ habendam esse rationem, quam vel Apostoli collegerant ipsi, vel Apostolorum discipuli; *quod, utpote ab iisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ majorum more libenter indulsimus*. Neget ne vero Hansizius, Ecclesiam quoque Sirmiensem, sin minus Petri, aut Paulli prædicatione fundatam, certe ab Epæneto, & Andronico, Apostolorum hoc quidem collega, illo saltem discipulo, religionis accepisse exordia? quod si contendat, vim iis verbis inesse, *utpote ab iisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ*, quasi Apostoli ipsi revera operam Laureaci impenderint ad Evangelii propagationem, haud equidem id magis probari poterit, quam quod Illyricas regiones, atque adeo Noricum ipsum, & utramque Pannoniam primæva Petri & Paulli institutione probetur fuisse excultas; & ideo quo per Hansizium jure Metropolis evasit Laureacensis Ecclesia, eodem nobis uti licebit, ut Sirmiensi quoque metropoliticum decus, & parem ab primis temporibus potestatem fuisse affirmemus. Neque enim existimo, pluris apud Hansizium valere, quod Pontifex innuat, se pallium misisse Theodoro *ad ostendendum sanctam Laureacensem Ecclesiam Provinciæ Pannoniarum sedem fore metropolitanam*; ea quippe vocula *fore*, licet ad tempus præteritum relata pro *fuisse* usurpetur, nihil ejus sententiam juvat; cum, Sirmio diruto anno circiter 441., quæ urbes in Pannonia huic Metropolitæ obsequebantur, partim Laureacensi fuerint adjectæ, & vere Symmachus pronuntiare potuerit, Laureacensem Ecclesiam jam tum in Pannoniorum quoque provincias metropolitica jura exercere cœpisse. Sed quid adeo jactat hæc pontificiæ epistolæ verba; *secundum Ecclesiæ tuæ morem?* Utique plures Laureaci Episcopi præcessere insignes pallio, & eo, qui consequebatur, metropolitico honore: num proinde Apostolorum ætati hunc morem tribuet, eam consuetudinem? nam, qui de pallii origine disserunt, tanta sunt in varietate, ac dissensione constituti, ut cui potius sententiæ adhærendum sit, Hansizius ipse debeat dubitare. Mitto usum pallii forte a Constantino Imperatore permissum primo Episcopis fuisse, cum Sirmiensis civitas, Hansizio non diffitente, utroque honore præcellebat civili, & ecclesiastico; mitto, Symmachum primum in occidente pallio donasse Cæsarium Arelatensem, ut Thomassinus tradit cap. 54. lib. 2. in Tomo 1. de nov. & vet. Eccl. discipl., & Card. Bona lib. 1. rer. liturg. cap. 24. num. 16., & Du-Cangius in Tomo 5. Gloss. Hinc, sin minus hane Symmachi epistolam putamus esse rejiciendam, utpote quæ falsa sit, contra ac Pagius sentit, miror tamen neque a Petro de Marca, neque a Thomassino hoc vetustatis monumentum proferri in iis locis, ubi de pallio justam disputationem instituunt. Permittamus vero, quod idem nolit Hansizius, hoc pallii insigne ab Apostolis ipsis, & a prima Ecclesiæ nascentis ætate fuisse in usu receptum, & metropoliticæ dignitati concessum, ideoque Laureacenses in primis Antistites hoc jure potitos ab ipsa hujus Episcopatus origine, quid ista, ut probent, eorum auctoritati, qua in Norico utroque primitus fungebantur, Sirmienses etiam Præsules primis Ecclesiæ sæculis, & ante Constantinum Imperatorem fuisse obsecutos; ante illatam ab Hunnis Pannoniæ utrique vastitatem, & fœdissimam Sirmii cladem, nihil omnino evincet Hansizius hoc Symmachi testimonio; qui propterea id quasi præsentiens animo, ex aliis Pontificum literis suppetias quærit, & sententiæ suæ subsidium. Hæ Agapiti II. literæ sunt ad Gerardum, & Benedicti VII. ad Pilgrimum scriptæ Laureacenses Archiepiscopos, qui tamen Pataviensi tum in Ecclesia, Laureaco præ-

Tum ecclesiastica, cui

neque literæ Symmachi,

neque aliæ Agapiti II. & Benedicti VII. Rom. PP. literæ ad Laureacenses Archiepiscopos quidquam obsunt.

pæne deleto, degebant. Atque Agapitus quidem an. 946. dissidii componendi arbiter inter Laureacensem Antistitem, & Salisburgensem, huic occidentalem Pannoniam, illi orientalem attribuit; tum breviter conquerens de exorta inter illos contentione, jurgiisque sibi mutuo illatis, subdit; *Laureacensem urbem antiquitus metropolitanam fore, & Archiepiscopi sedem, cui Sanctitas tua præesse dignoscitur, sicut in privilegiis authenticis ad nas usque a te directis legimus, ita quoque inventis quibusdam exemplaribus chartæ vetustate admodum attritis in archivio S. Petri reperimus.* Quid hic igitur Hansizius? ac verba primum epistolæ male permiscet c. 1. num. 4., cum aliter exscripserit; *In Archivio S. Petri reperisse Agapitum a prædicatoribus Laureacensibus in inferioris Pannoniæ provincias fidei gratiam emanasse;* quæ sententia *a prædicatoribus* &c. ita legitur a prima periodo disjuncta, ut alium omnino sensum efficiat, atque auctor iste contendit: scribit enim Agapitus, *se reperisse in Archivio S. Petri privilegia authentica, & exemplaria vetustate admodum attrita, ex quibus dignoscitur, Laureacensem urbem antiquitus metropolitanam fuisse;* subditque, *hanc etiam in exordio nascentis Ecclesiæ, & immanissima Christianorum persecutione a doctoribus istius sedis Catholicæ fidei novimus rudimenta percepisse.* Quod tamen minime se novisse dicit ex iis exemplaribus, quæ de metropolitica tantum dignitate fidem faciebant; statimque addit, *& exinde a succedentibus prædicatoribus in superioris, atque inferioris Pannoniæ ejusdem fidei emanasse gratiam:* at minutiora hæc, quam ut illa graviter persequi velim. Apud Hansizium tota epistolæ vis hisce verbis inest; *quibusdam exemplaribus chartæ vetustate admodum attritis;* quibus suo judicio antiquitas metropolitici honoris in Laureacensi Ecclesia mirifice comprobatur. Itaque metropolitana sane fuerit antiquitus Laureacensis Ecclesia; ab Symmacho Romano Pontifice, & Theodoro Laureacensi Archiepiscopo quingenti anni intercesserant ad Agapiti, & Gerardi ætatem; quodnam vero potuit vetustius monumentum proferri? quænam exemplaria adeo longo temporum intervallo non dicerentur vetustate attrita? quare Symmachi Pontificatui monumenta isthæc affigi multo sanius erit, quam primis Ecclesiæ hujus exordiis; quo etiam primævo Christianæ religionis tempore si Laureacenses Præsules metropolitico munere perfuncti fuerunt, opus ne iccirco foret, idque consectarium, ut Sirmiensis Ecclesia iisdem subjiceretur? Porro pergit Agapitus; *Etiam in exordio nascentis Ecclesiæ, & immanissima Christianorum persecutione a doctoribus istius sedis Catholicæ fidei novimus rudimenta percepisse, & exinde a succedentibus prædicatoribus in superioris, atque inferioris Pannoniæ provincias ejusdem fidei emanasse gratiam.* Verum hujusmodi doctores, Apostolos, inquam, ipsos, eorumve discipulos Sirmiensis quoque habuit Ecclesia: quosnam autem producet Hansizius Fidei *prædicatores* per utramque Pannoniam ante Constantini imperium Lauriaco profectos, cui Laureacensium Antistitum nec nomina, nec monumenta suppetunt ulla usque ad tertium æræ Christianæ sæculum, quique vix Maximiliani primi Antistitis Episcopatum potuit sub Constantini temporibus confirmare? Hoc etenim Agapiti testimonium de Valentino, aut Severino intelligi tantummodo debet, qui post Sirmii casum sub finem sæculi V. ea loca apostolico munere peragrarunt; idque a Pontifice pronuntiatum omnino est, ut Laureacensis Ecclesiæ dignitatem præ Salisburgensi extolleret, quacum an. 696. fundata initum dissidium erat de metropolitico jure: & siqui Laureaco perrexere Apostolici viri, ut novis populorum incrementis rem Christianam jam adolescentem augerent, multo tamen commodius in Rhætiam illis aditus patuit, & in utrumque Noricum; quin fundatæ Sirmiensis Ecclesiæ jura occuparent. At adjungit Pontifex: *Quibus etiam duabus provinciis, illarumque Pontificibus usque ad tempora Hunnorum non alius, quam sanctæ Laureacensis præfuit Archiepescopus, quorum barbarica feritas non solum prædictam Laureacensem civitatem, verum etiam in circuitu adjacentes regiones depopulavit, atque funditus desolavit.* Fateor, me hic aliquantulum hæsisse; cum perspicuus adeo verborum sensus appareat, ut videatur non esse de Hansizii opinione his saltem pontificiæ epistolæ verbis dubitandum; sed si penitius ea perpendantur, prudens quisque assensum cohibere facile poterit. Etenim vel Attilana tempora Pontifex memorat, & id omnino falsum esse sentiet ipse Hansizius, cui certum est cap. XI. & XII. Sirmiensem Ecclesiam ea ætate Metropolim fuisse; quare Pannoniorum regimini universo non præerat Laureacensis Antistes ante barbaricam Attilæ excursionem, quæ hoc an. facta est 441., Theodosio Juniore imperante: vel Agapiti testimonium ad tempus illud spectat, quo Avares, & Hunni an. 568. utramque rursus Pannoniam depopulati sunt, Longobardis illinc in Italiam profectis, Alboino duce, ut auctor nobis & testis exhibetur ab eruditissimo Pagio Paulus Diaconus, & Sigebertus; & tum Laureacensis Metropolita plures sane regebat Pannoniarum ecclesias, quæ, Sirmio exciso, in ejus jura, atque potestatem cesserant; eodemque tempore illustris illa Noricorum Metropolis hostili barbarorum impetu lacessita, in plures annos suo caruit Antistite, & vetusta honoris insignia, & civium frequentiam, atque splendorem diutius desideravit. Hinc dignosces apertius, quam inanem contra nos auctoritatis speciem præseferant Benedicti quoque VII. literæ Pilgrimo redditæ an. 975. Quid sibi velint hæc verba; *quod ætate Pontificatus B. Symmachi hujus almæ sedis Apostolici Præsulis præfata sancta Laureacensis habetur Ecclesia metropolis;* quæ vis,

vis, quæ sententia in hisce lateat; *& in quantum tum exinde, tum etiam de passionibus beatorum Martyrum colligere possumus ex omnibus Ecclesiarum diœcesibus Pannoniæ, hæc antiquitate, & Archiepiscopii dignitate esse primitiva creditur*; cum multo plures Sirmii martyres Fidei, ac religionis sanctitatem fœcundarint sanguinis effusione, ut hoc nimirum argumento æque Sirmiensi tribuendus sit metropoliticus honos, ac Laureacensi tribuitur Ecclesiæ? & si hæc *primitiva creditur*, non in Pannonia quidem, cujus urbs non erat, sed in Ripensi Norico, quod hujus Pontificis ævo perperam & pro illorum temporum inscitia vocitari solebat Pannoniæ vocabulo: & si *primitiva*, non exinde est, quod metropoliticam procurationem habuerit Sirmiensis Episcopatus; neque primævam ejus institutionem ante omnes Norici, & utriusque Pannoniæ Ecclesias aut probat unquam, aut probare potest Hansizius; cujus argumenta ita mihi videtur hactenus refutasse, ut quisque satis intelligat, Sirmiensem Ecclesiam ante Constantinum Imperatorem Laureacensi minime paruisse.

Verum enimvero instat Hansizius, utque sententiam a se propositam validius probet, & tueatur, civilem quoque Metropolis auctoritatem in quamlibet Pannoniarum provinciam Sirmio denegat, adimitque ante Constantini ætatem; quo fit, ut metropolitica etiam Sirmiensis Ecclesiæ dignitas periclitetur. Igitur potioribus argumentis id a nobis erit comprobandum; in quo neque aperte contendimus, unam fuisse Ecclesiam Sirmiensem, quæ in Pannoniis illo honore excelleret; in utraque tamen Pannonia pro civili urbis nobilitate maxime illustrem, & in Inferiori utroque & civilis & ecclesiasticæ Metropoleos ornamento insignem exstitisse defendimus; neque opinione adeo præjudicata disputamus, ut pro ratione sit tantum valitura auctoritas: quidquid autem in alterutra vis inest ad persuadendum, afferre conamur, ut ea, quæ profecta ab antiquis Scriptoribus, repetita ab aliis, comprobata a nostris in hac re fuerunt, tutius vigeant in communi eruditorum consensu. Equidem, quod Hansizius asserit cap. XII. Sirmium ad quartum fere Christianæ religionis sæculum civili caruisse potestate, & jure, manifesto falsum convincitur. Quid enim tot illa, ac tanta, quæ de ea civitate memorantur illustria? in qua Imperatores diutius agerent; quam sibi primam occupandam proponerent, cum civiles bellorum motus exoriebantur; quamque tam validis, firmisque præsidiis muniri juberent? quæ prædicari profecto nequeunt, nisi de iis urbibus, quæ provinciarum regimini præessent: cumque Præfecti Prætorio inibi constituerint exercendi juris potestatem, & a Constantino aucta numero, & clarissimis insignibus fuerit hæc dignitas exornata, reputandum est, in ea videlicet urbe sibi domicilium delegisse, quam Romani antea Inferioris Pannoniæ Præsides tenuerint. Sane si, teste Modestino in l. ff. de excusation., Antoninus Pius in literis ad Provincias Asiæ imperatorio jure decrevit, maximas urbes τὰς μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν esse, quis non recte dixerit, Sirmium fuisse Metropolim, eam urbem nimirum, quam Herodianus in vita Maximini Pannoniarum *maximam* appellavit. At enim quodnam Hansizio est argumentum præpoliens, ut in hanc opinionem illum compellat? scilicet illud ab Saviæ Correctoribus desumptum; Saviæ enim Correctores eam provinciam regebant, quæ Dravum inter, & Savum sita eodem fuit cum hoc fluvio Saviæ cognomine: ibi Siscia, ibi Sirmium; atque illa quidem provinciæ Metropolis, in qua Correctores degebant; Sirmio vero nihil reliquum erat præter urbis celebritatem, ac magnitudinem. Hæc Hansizius in Tomo I. Germ. Sac. cap. 12. de quibus longius est dicere, quam brevis poscat tractatio, sed tamen necessarium. Et quoniam de metropolitica dignitate ante Constantini imperium Sirmio tribuenda tota est disceptatio, temporis, & locorum ratio in primis habenda est, ut plane rem, de qua inquiritur, dignoscamus. Certum itaque est, Pannoniam, cum primum Romano imperio adjecta fuit an. Ch. 8., bifariam in Superiorem & Inferiorem fuisse ita divisam, ut quadam quasi linea juxta geographicam descriptionem ab Arabonis flexu ad ripam Savi producta, Sirmium Inferioris Pannoniæ, Siscia Superioris urbs esse jam tum censeretur: regiminis autem forma sæpe a Romanis immutata, nomina quoque, & magistratus provinciarum diversas subiere vices, & varia in provincias, atque utramque simul Pannoniam inducta est divisio. Hinc sub tertii sæc. finem Superior Pannonia non modicam regionis suæ partem Valeriæ Provinciæ cessit, quæ Pannonia Valeria dicta est, nominis, & finium, & magistratuum distinctione a Superiori Pannonia discreta. Idem tum Superiori, tum Inferiori Pannoniæ contigit, cum ex utraque Savum inter, & Dravum constituta est Provincia Savia, Saviensis Pannoniæ nomen inde mutuata, ad quam Sisciam spectasse scimus; at de Sirmio negat Salagius lib. 4. cap. 3. Nam fuit equidem nobilissima Saviæ urbs Siscia, nunquam vero civilis Metropolis in Pannoniis; sed jure ecclesiastico paruisse illam Sirmiensi Metropoli & probat Salagius laudato in libr. ac etiam lib. 3. cap. 5. & nos suo loco dicemus. Verum quo id tempore evenerit, gravissimum est decernere, unde & Saviæ Provinciæ, & Correctorum, qui præerant, initia liquido deprehendi queant. Atque mea quidem sententia hoc Constantini ætatem minime antecessit; nam sicuti legendo attentius sum perscrutatus, nemo ante auctorem Notitiæ Imperii hujus Provinciæ meminit, neque Magistratus eidem regendæ præfecti; cum autem veteres Romanæ Historiæ scriptores de cæteris Imperii provinciis nomen & famam posteritati reliquerint, alii alias memorantes, Pannoniam maxime utramque, incredibile dictu est, hanc Provinciam solummodo historicorum memoriæ excidisse, quæ

Tum civilis;

Et Hansizii hac de re argumenta refelluntur e Correctoribus Provinciæ Saviæ,

sæpissime belliços experta motus, & hostiles incursus, ultro scribentium animis & stylo sese ingerebat; crebra enim illius regionis, rerumque in ea gestarum mentio instituitur, quantum alterutrius Pannoniæ ratio postulat, quarum propria pars, ac regio erat, non quasi singularis foret cognomine, & jure, & dominatione provincia. Verum auctor Notitiæ, qui primus provinciam Saviam, ejusque Magistratum memoriæ prodidit, Imperium certe descripsit nova Theodosii Magni divisione distributum: etenim sive Tillemontio auctore Tomo 6. Hist. Imper. art. 53. concedas, Notitiam paulo ante an. 407. descriptam fuisse, sive cum Fabricio in Tomo 2. Bibl. Lat. veterum Script. l. 4. c. 5. id factum velis an. circiter 426., sive demum quamcumque eruditorum hominum, qui de Notitia fusius egerunt, opinionem sequaris, auctor putandus erit vixisse post Theodosium Magnum, qui ut rempublicam auxit, ornavitque domi, militiæque, ita novis provinciarum divisionibus, novorumque magistratuum accessione in aliam omnino formam Imperium convertit. Farlatus Tomo 1. hujus Op. part. 1. proleg. c. 5. ff. 1. Notitiæ originem retulit ad Imperium Theodosii Junioris, & an. Ch. 450. Quibus propterea fretus argumentis existimo, Saviam Pannoniam sub iis Theodosii Magni temporibus ex avulso veterum Pannoniarum tractu, qui inter Savum, Drawumque continebatur, compositam & cognominis novitatem accepisse, & peculiare sibi novi regiminis ornamentum; & hinc ad Constantinum Imperatorem nullam sui mutationem Inferiori Pannoniæ accidisse: at Siscia nequit huic provinciæ accenseri, tamquam civilis metropolis, quippe quæ extra illius fines jure ponatur; igitur, cum nulla Pannoniæ Inferioris urbs alia sit, cui metropoliticum civile decus merito tribuatur, aut antiqui Romanarum rerum Scriptores tribuerint, consequitur omnino, unum Provinciæ caput Sirmium olim fuisse, & vel ante Constantini imperium civilem Inferioris Pannoniæ Metropolim. Quare illud de Correctoribus argumentum Hansizii irritum esse, & suæ tutandæ opinioni prorsus ineptum quisque facile intelligit; de quo præterea dicendum est, hoc quidem dignitatis munus in Italia primo fuisse institutum, sed in alias provincias a quibus Imperatoribus, aut quo tempore fuerit delatum, in incerto est apud omnes de Romano Imperio Scriptores; & si vellem Paphlagoniam, & Augustamnicam in Oriente, tum Saviam in Illyrico Correctoribus fuisse primo commissam a Constantino, id potiori fortasse jure affirmarem, quam velit Hansizius, Correctores ante hujus Imperatoris ætatem solitos fuisse ad alias provincias extra Italiam nominari. Panciro-lum tamen merito reprehendimus, qui in comment. Notitiæ adjectis cap. 62. de dignit. Imp. occid. Africanum Correctorem Saviæ præfecit sub Imperatore Constantio, Marcellini abutens auctoritate; cum hic auctor Africanum nominet Pannoniæ secundæ, sive Inferioris, non vero Saviæ, Rectorem lib. 15. hist. cap. 3. *In convivio Africani Pannoniæ secundæ Rectoris apud Sirmium poculis amplioribus madefacti quidem..... imperium præsens ut molestissimum incusabant: Rectorem* autem dixit, communi a regenda provincia vocabulo desumpto; siquidem lib. 16. cap. 8. superiorem narrationem brevi complexus Africanum eumdem *Pannoniæ Consularem* aperte commemorat; nisi forte crediderit Pancirolus, Pannoniam secundam, & Saviam unam esse eamdemque provinciam, qui tamen Notitiæ ipsius testimonio debuit admoneri, utramque Pannoniam & Saviam inter sese distingui, Illyrici Vicario una cum utroque Norico & Dalmatia subjectas. Quid porro, cum autument nonnulli, hunc Magistratum corrigendis per provinciam militibus fuisse præpositum? neque hoc probo Bulengeri adductus auctoritate, qui in lib. 4. de imp. Rom. cap. 37. hanc opinionem veluti confirmat testimonio legis IV. Cod. de jur. & fact. ignorat.; in ea lege quippe nihil hujusmodi legimus, idque a Pancirolo fortasse accepit, qui in 1. lib. comment. ad Notit. Imp. c. 156., & in Novella 8. Justin. Cod. ff. *hæc omnia*, eamdem legem suæ sententiæ adscripsit. Testis longe gravior esset Ammianus Marcellinus, cum lib. 15. c. 5. referat. Dynamium quemdam *cum Correctoris dignitate abiisse*, & Thuscum reliquam credduli Principis militiam corrigere jussum; quæ postrema verba, si primis, ut pars est, jungantur, profecto indicant, Correctoris dignitatem ad exercitus, & militaria præsidia spectasse: sed locus a Valesio contra Castellum emendatus in nova Marcellinianæ historiæ editione omnem adimit huic opinioni fidem; hæc enim mss. ope cognoscitur esse germana Ammiani locutio, *Dynamius cum Correctoris dignitate regere jussus est Tuscos*; qui Magistratus jam ab antiquo Tusciæ præficiebatur; & plures præterea tum Isidori Pelusiotæ ad Ausonium & Serapionem Correctores, tum Cassiodori ad Venantium V. S. Correctorem Lucaniæ & Brutiorum epistolæ, & ipsa legum in Cod. Theod. auctoritas manifesto convincit, Correctorum magistratum inter civiles esse adnumerandum. Neque hoc sibi prodesse putet Hansizius, quod ex Actis S. Eupli Diaconi Catanensis, quæ a Catelerio, Ruinartio, & Pinio genuina probantur, certum sit, paulo ante Constantini imperium Correctorem extra Italiam Siciliæ præfuisse, cum Euplus dicatur an. 304. sub Correctore Siciliæ martyrio affectus. Etenim Diocletiani, & Maximiani diutina commoratione jam tum Sirmium celebrabatur; iidemque hoc anno sese imperio abdicarunt: biennio autem post Constantius Cæsar appellatur, & an. 307. etiam Augustus; quare tam exiguum temporis spatium ferme nihil pro Hansizio valet. Licet tamen advertere, eumdem Calvisianum, qui in Euplianis Actis λαμπρότατος Κορρέκτωρ dicitur, in aliis martyrum Actis ἔπαρχος, *Consularis* nempe, aut *Præses* nominatur: quam

quam appellationem ideo immutatam fuisse censuit Cotelerius in notis monum. Eccl. Græc. adjectis col. 753. tomo 1., quod aut Consularibus tradita fuerit ejus provinciæ administratio, aut minus notum videresur Correctoris nomen. Sed Wolphangus Lazius in lib. 2. comment. Reip. Rom. erudite notat, eos, qui primum in Italia Correctores appellari cœperunt forte sub Aureliano Imp., Consulares antea dictos fuisse, novo Magistratus nomine ac jure e viris Consularibus delectos, qui quatuor omnino Tusciam, Lucaniam, Campaniam, & Apuliam intra Italiæ fines regebant, eorumque primus meminisse videtur Ælius Spartianus in hist. Hadriani. Hac ego de causa existimo, Calvisianum in Actis modo *Correctorem*, modo *Consularem* nominari, veteri interdum, aut nova adhibita appellatione, ut vel temporum ratio, vel ipsa etiam in suam provinciam permissa Præsidibus auctoritas postulabat, quæ major forte Consularibus, minor Correctorum muneri inesset. Hinc eadem Siciliæ præfectura, sub Diocletiano Correctoribus tradita, mox Consularibus obtigit, & rursum Correctori sub Constantino, quod indicant hujus Imperatoris literæ ad Chrestum Syracusanum Antistitem an. 314., & facta in iis mentio Latroniani Correctoris; denuo autem sub Valentiniano, & Honorio a Consularibus administrata fuit; & Felicis Siciliæ Consularis sæc. 6. meminit Gregorius M. in epistola ad Maximianum Syracusanæ Ecclesiæ Præsulem: unde quis conjiciat, Correctoris Magistratum, qui in Italia diu stetit usque ad regnum Theodorici, in cæteris provinciis brevi obsolevisse. Hæc de Correctoribus: nam, quod attinet ad Panciroli auctoritatem, ille quidem scribit, Sisciam in Provincia Savia civilem Metropolim exstitisse, sed quanam ratione fretus, divinent alii; vim certe nullam habet, quod in ea urbe degerent *Thesaurorum Præpositi*, qui cum in Notitia Imperii neque Carnunto, neque Lauriaco tribuantur, eodem Notitiæ testimonio negare possemus, & Lauriacum in Norico, & Carnuntum in Superiori Pannonia metropolitico civilis administrationis jure fuisse donatas; quod Lauriaco concedendum videtur aliis de causis, de Carnunto vero non injuria possumus suspicari. Cæterum nova Provinciæ Saviæ descriptio vel Constantini imperium subsecuta est, ut diximus paulo superius, vel certe ab hoc Imperatore decreta fuit; & circa hæc tempora nulla est controversia; tum enim ipsius Hansizii judicio Sirmium civili Exarchatus jure, ac dignitate præ cunctis Illyrici Occidentalis urbibus potiebatur. At enim aliud est Hansizii argumentum, quod capite eodem his verbis proponit, *ex dignitate Præfectorum inæquali, illius nimirum, qui Saviam regebat, & illius, qui Pannonias proprie dictas: nam ille, qui Saviæ Provinciæ præerat, erat dignitatis longe inferioris, atque ille, qui Pannoniis .... Præfectus Provinciæ Saviæ titulum modo gerebat Correctoris, cum præfectus Pannoniæ fuerit Proconsularis .... eique suberat etiam Saviæ Corrector: ex quo manifestum est, fastigium Pannoniarum in causis civilibus non fuisse aut Sirmii, aut in alia Saviæ civitate, sed in Pannonia, nempe illa, quæ Dravo amni borealis est;* & Notitiæ, ac Panciroli auctoritate interjecta, concludit; *Itaque, ut ad propositum redeam, tantum abest, ut civitas Sirmiensis ante Constantinum Magnum obtineret fastigium Illyrici totius, ut ne Pannoniarum quidem, immo quod proxime dictum est, nec Saviæ.* Sed nemo, quod ego sciam, adhuc sensit, *civitatem Sirmiensem ante Constantinum Magnum obtinuisse fastigium Illyrici totius;* nos vero pro metropolitica civili Sirmii dignitate hic tantummodo pugnamus, qua jam ante Constantini imperium in reliquas Inferioris Pannoniæ urbes dominata est; nec Saviæ Præfectura post Constantinum instituta quidquam sententiæ nostræ potest obesse. Porro Hansizius gratuito subjicit Correctoris Saviensis magistratum Proconsularibus Pannoniæ obnoxium fuisse, qui, ut Itali Correctores Præfecto Prætorii Italiæ, uni Præfecto Prætorii Illyrici paruit; & cum duplex omnino Pannonia fuerit, sic variam utraque habuit Magistratuum formam, a quibus regebatur; ut Hansizius merito reprehendi possit, qui non distinxit attentius, quod in hac quæstione erat maxime animadvertendum. Age vero idipsum studiose enucleemus. Et primum Fusius Geminus; is, qui an. Ch. 29. Consulatum gessit, hoc an. 34. ante vulgarem æram Pannoniis præerat, eosque aliquot præliis superatos receepit, ut a Dione memoriæ proditum est lib. 49. ad an. U. C. 720. Consulares autem, sive provinciarum Præsides belli administrandi munus habebant, quod ad eorum Provinciam spectabat. An. Ch. 6. Valerius Messalinus Dalmatiæ, & Pannoniæ Præfectus fuisse fertur ab eodem Dione lib. 55. an. U. C. 759. Ὁ τότε καὶ τῆς Δαλματίας, καὶ τῆς Παννονίας ἄρχων: idemque Junium Blæsum τὸν ἄρχοντα Pannoniæ utrique Præfectum commemorat lib. 57. an. U. C. 767., a Christo nato 14.; & lib. 59. Calvisius Sabinus dicitur ab Pannoniæ administratione rediisse an. U. C. 792., qui an. vulgaris æræ 26. Consulatum susceperat, eamque provinciam Consulari tenuit potestate eodem U. C. anno, Ch. 39. T. vero Ampius Flavianus Pannoniam rexit legatus Consularis an. Ch. 69., de quo Tacitus lib. 2. Hist. pag. 361. ex edit. Lipsii: & hactenus quidem utraque Pannoniorum provincia, Superior scilicet & Inferior uni, eidemque Consulari viro fuisse commissa videtur, quæ communi totius regionis vocabulo *Pannonia* appellari consuevit. At exinde suo singulæ Magistratu distingui cœptæ Provinciæ; hinc Oppius Sabinus uni Ripensi Pannoniæ præerat an. vulg. æræ 86., cum Suetonio auctore in vita Domitiani a Dacis oppressus miserrime interit; Ripensis autem dicta est Inferior Pannonia, quæ Metanastis Iazygibus, & Daciæ obversa per Istri ripas lon-

e Proconsulari Pannoniæ Magistratu,

De quo chronologica eorum series attexitur, qui eumdem magistratum vario nomine, varia administratione Pannonia utraque obierunt,

Digitized by Google

longo regionis tractu ad Mœsiam usque protendebatur. Deinceps unius ferme sæculi spatio non invenio apud Scriptores, quinam Consulares viri Pannoniis præfecti fuerint: nam de M. Pontio, qui in quodam Gruteriano lapide Tomo 2. pag. 457. *Pro-Prætor Pannoniæ Superioris* inscribitur, nihil certi constitui potest; & dubia nobis videtur hujusce lapidis auctoritas; cum etenim M. Pontium exhibeat, *L. Aetiano, Larcio Sabino coss. Pontificem, & Sodalem Antoninianum*, quo sane modo Consulatum L. Aetiani cum ἀποθεόσει Antoniniana compouas, quam ea verba indicant *Antoninianum sodalem?* quippe vel ad T. Antoninum Pium referatur, & L. Aetianus, seu Aelianus, neque solus, neque cum Larcio Sabino, si collegam hoc nomine præfert lapis Gruterianus, Consulatum iniit, sed cum Pastore an. 163. biennio post, quam Antoninus in divorum numerum relatus fuit; vel ad illos, qui in Imperio subsecuti Antonini nomine divinos honores obtinuerunt, eadem formula spectet, & nuspiam in Consularibus Fastis invenies aut Larcii Sabini Consulatum, aut L. Aelianum iis notis distinctum, quibus in marmore Gruteriano signatur: cumque præterea M. Pontium nemo, quos legerim, veterum Scriptorum meminerit Pannonica Præfectura nobilitatum, hujusce lapidis testimonio fidendum non est. Anno igitur 187. Septimius Severus occurrit, qui proconsulari imperio Pannonias rexit, teste in ejus vita Spartiano, & civili tantum jure, ut Tillemontius autumat in vita Commodi art. VII., quo tempore videtur geminus Magistratus assignari cœptus provinciis, alter, qui juri dicundo præsset, alter, qui militibus & exercitui imperaret. An. certe 193. idem Severus legionum imperium obtinebat, & ideo τῆς Παννονίας ἀρχων appellatus a Dione lib. 73. an. U. C. 946., cum apud Sabariam, sive Carnuntum, ut alii malunt, dictus fuit a militibus Imperator. Quo anno L. F. Cilo Septimianus Pannonias administraverit, incertum est; ejus Consulatus a Petavio & Pagio tribuitur huic an. 204., non vero 193., ut Muratorius innuit in tomo 1. Thes. Inscript. pag. 345. Tillemontius art. 29. de vita Severi bis Consulem fuisse putat, Panvinii auctoritate, semel an. 192., & iterum an. 204. Ad rem nostram valet, quod in lapide Murator. *Pro-Prætor Pannoniæ Superioris*, in Gudiano pag. 123. *Prop. Pannoniæ Superioris, & citerioris*, inscribatur; unde conjici potest, Pannoniarum Magistratum bis susceptum fuisse a Cilone, num vero ante Severi Præfecturam satis non liquet; neque de M. Nonio Muciano, quem lapis Gruterianus tomo 2. pag. 442. indicat Pro-Prætorem fuisse Pannoniæ Inferioris; is tamen Consulatum iniit an. 201. Caracalla Imp. interfecto an. 217., Macrinus eodem anno Marcium Agrippam Pannoniis præfecit, quam provinciam civili potestate Sabinus adhuc retinebat vir Consularis; & Agrippa paulo post in Daciam ablegato, Pannoniæ Decio Tricciano commissæ fuerunt, qui insequenti an. 218. Heliogabali jussu peremptus fuit: quos cum Dio nominasset lib. 78. ad an. U. C. 970., initio lib. 80. scribit, se e Dalmatia in Superiorem Pannoniam venisse, ut ei præesset an. C. U. 975., Ch. scilicet 222. εὐθέως, ὡς εἰπεῖν, ἔς τε τὴν Δαλματίαν, κἀντεῦθεν ἔς τε τὴν Παιονίαν τὴν ἄνω ἀρξων ἐπέμφθην. Consultus prætereo, quæ de Marino, & Decio traduntur a Zosimo in lib. 1., qui non Proprætoriam in Mœsia, & Pannoniis dignitatem, aut Præfecturam videntur obtinuisse, sed legionum imperium. Utrum vero Ingenuus, qui regnum Sirmii occupavit dictus a militibus Imperator, Pannonias a Valeriano acceperit militari tantum, non autem civili etiam jure regendas, dubium est. Trebellius Pollio in hist. 30. Tyran. cap. 8. & Aurelius Victor *in Gallieno* uno verbo indicant, eum Pannonias rexisse; Zosimus tamen in vita Valeriani persuadet, Gallienum patris in imperio collegam bellum adversus barbaros, qui in Illyrii finibus prædarum cupidi vagabantur, divisisse inter legionum duces, quos inter erat Ingenuus, iis locis propugnandis occupatos, τὰς στρατηγὰς ἅμα τοῖς ἐκεῖσε στρατεύμασιν ἔταξε διαπολεμεῖν: quare videtur Ingennus eo consilio missus fuisse a Valeriano, ut Pannonias ab hostium excursionibus tutaretur; qui, Gallieno patre imperante, regnandi ambitione illectus cum rebellasset, apud Mursam justo prælio devictus vitam & imperium amisit. Quibus deinceps viris utriusque Pannoniæ gubernandæ munus traditum fuerit, difficile invenies; omitto autem Amantium, & Probum, qui in Actis SS. Quirini Sisciensis, & Irenæi Sirmiensis Episcopi, Pannoniæ Provinciæ Præsides nominantur sub initio sæc. IV., nullo *Superioris*, aut *Inferioris* discrimine. Tillemontius in vita Diocletiani art. 9. auctor est, an. 292. in prima Imperii partitione, si vera tamen partitio fuit, Superiorem Pannoniam Maximiano Herculio, Inferiorem Galerio obtigisse; quo fieret, diviso earum Provinciarum jure, non uni semper Consulari viro fuisse utrasque commissas: nam Galerio quidem Inferior Pannonia attributa fuit; sed & Superior eidem concessa omnino videtur; & quæ ratio Tillemontium adduxit in illam pro Heraclio opinionem, ei adversatur; etenim Valeria regio, quam, ut recte scribit art. 10., uxoris nomine Galerius appellavit, Superiori Pannoniæ debet omnino attribui: siquidem Aurelius Victor in lib. de Coess. perhibet Galerium, *cum agrum satis reipublicæ commodandum cæsis immanibus sylvis, atque emisso in Danubium lacu Pelsone, apud Pannonios fecisset*, hujus gratia Provinciam uxoris nomine Valeriam appellasse. At lacus Pelso, vel, si mavis, Peiso stagnantibus Arhabonis aquis efficitur, qua Noricum in conspectu est, immo, auctore Plinio, lib. 3. c. 24, lacus Peiso Noricis jungebatur; hujus vero loci situs ad Superiorem Pannoniam pertinet; unde jure affirmamus, utramque

Pan-

Digitized by Google

Pannoniorum Provinciam Galeriani juris fuisse. Neque se satis Tillemontius tuetur, cum in art. 6. vit. Constant. Anonymi Valesiani testimonium producit, qui Severo Pannoniam concedit; *huic Severo Pannoniæ, & Italiæ urbes, & Africæ contigerunt*; scripserat autem paullo superius, *Severus suscepit Italiam, & quidquid Herculius obtinebat*. Igitur in Herculii partem Pannonia quoque cessisse antea videtur; at quænam? non Superior, ut manifeste ostendimus; sed neque Inferior, ut Tillemontius ipse assentitur; quare nulla Anonymo habenda fides, præsertim cum nullius Scriptoris auctoritate id possit confirmari. Dissidium tamen, si lubet, ita componamus, ut Galerio primum utraque Pannonia obtigerit an. 291., aut 292.; postea a Galerio, qui in quadripartita Imperii divisione an. 304., aut 305., totum Illyricum in sui regni partem accepit, permissa Severo Cæsari, inde Licinio obvenit, qui an. 307. Augustus ab eodem Galerio nominatus est: revera autem contigit nunquam, ut his temporibus una Pannoniarum pars ab altera disjungeretur; & quod Severiani juris fuerit, ita concedo, ut huic opinioni omnino non adscribam. Cæterum adeo falsa convincitur Hansizii opinio, Pannonias scilicet uni semper Consulari viro commissas, ut post Constantinum, immutato etiam Provinciarum regimine, & nova Magistratuum forma ab Imperatoribus aliis subinde in Imperium inducta, Pannonia secunda eadem nimirum, quæ Inferior, distinctum a Prima, seu Superiori Consularem Præsidem habuerit, a quo *ordinaria potestate*, ut dicitur in Cod. Theod. l. unic. de Consularibus, regeretur; namque, omisso Helpidio, quem autumant nonnulli fuisse Pannoniæ secundæ Consularem, licet in l. 6. de veter. lib. 7. Cod. Th. tit. 20. data Sirmii Coss. Constantio VII. & Constante II. Pannoniæ tantum Consularis inscribatur, Africanus certe Pannoniæ Secundæ Rector Consularis erat an. 354., ut superius dixi ex lib. 15. Ammiani cap. 3. edit. Vales., idemque Provinciam eamdem tenebat insequenti anno, cum Mediolanum in carcerem abductus fuit, Tillemontio auctore in vita Constantii Imper. art. 35. Anno autem 361. Julianus Næssum in Pannoniam reversus, *Victorem apud Sirmium visum, Scriptorem Historicum, exindeque venire præceptum, Pannoniæ secundæ Consularem præfecit, & honoravit ænea statua, virum sobrietatis gratia æmulandum, multo post urbi Præfectum*, scribit Ammianus lib. 21. cap. 10. edit. cit. Et ex l. 27. de cursu lib. 8. Cod. Th. tit. 5. dat. Mediol. Valentiniano & Valente Augg. & Coss. certo constat, Fortunatum quemdam hoc an. 365. hanc Provinciam Consulari auctoritate obiisse. Quod argumentum nobis est, Sirmium non modo post Constantinum, ut Hansizius concedit, sed in Secunda Pannonia Metropoleos dignitate præditam fuisse. Nunc id nobis reliquum est, ut, quo tandem recidat disquisitio tota, videamus; etenim si utraque Pannoniarum provincia distinctum quandoque habuit Magistratum, a quo distincta omnino muneris potestate regebatur, utrique igitur sua civitas erat, quæ provinciæ totius caput, & metropolis esset: atque hujus ordinis habeat, per me licet, Hansizius Sabariam, aut Carnuntum in Superiori Pannonia; in Inferiori vero quamnam nobis urbem concedet, quæ hac dignitate præstiterit? non Sisciam, de qua dixi superius; præ reliquis autem illius Provinciæ urbibus unum restat Sirmium, cui hunc honorem tribuat, & Metropolim Inferioris Pannoniæ vel ante Constantini Imperium fuisse jure fateatur. Unicum Hansizio superest argumentum, a quo tamen minus merito opinionem deponere prohibeatur, ex Actis scilicet SS. Quirini Sisciensis, & Irenæi Sirmiensis Episcopi desumptum, cum alter Sabariam ad Provinciæ Præsidem, alter in Pannoniam adducti fuisse dicantur, ut religionis causam obirent. Quid enim clarius inde constet, inquit Hansizius Tomo 1. Germ. Sac. cap. 2., *tribunal Pannoniarum non fuisse Sirmii, sed in Pannonia prima?* Et paullo inferius ad Acta S. Irenæi; *Ex quo rursum colligitur fastigium in civilibus & episcopalibus causis eo tempore haud fuisse Sirmium, sed urbem aliquam in Pannonia, nempe vel Sabariam, vel Carnuntum, quo nimirum deduci de ipsa Sirmiensi civitate oportuerit Irenæum Episcopum*; quod cap. 12. repetit, cum eorumdem Actorum producta auctoritate: *Non erat igitur Sirmium juris dicundi Sedes, sed alia civitas in Pannonia proprie dicta, nempe vel Carnuntum, vel quod potius videtur Sabaria, quæ tunc Metropolis Pannoniarum habebatur*. Verum enimvero fallitur vir cæteroquin doctrina, & eruditione præstans, quam qui maxime. Quid autem multa contendimus? unus solummodo Magistratus præerat eo tempore Pannoniarum Provinciis, quæ Licinio Augusto cesserant an. 308., cum Galerius Sardicam se recepisset; siquidem Baronius affirmat, Quirinum hoc anno morti addictum fuisse pro tuenda religione; & si mavis annum 309., quæ opinio est Ruinartii, parum id nostra puto interesse. Igitur liberum erat Amantio Præsidi, quamnam mallet alterutrius Pannoniæ urbem juri dicundo deligere; cui si Sabariam libuit Sirmio anteferre, num hæc urbs metropolitico propterea caruit honore, & civili in suam provinciam potestate, cum & finibus & regimine Pannonia Inferior a Superiori ante Constantinum disjuncta jam fuerat? neque Amantius dicitur Præses *Primæ Pannoniæ* in Actis S. Quirini; sed jubet Maximus, *Quirinum Episcopum ad Amantium Præsidem ad primam Pannoniam deduci*; & paullo post; *cumque deductus fuisset beatus Quirinus ad primam Pannoniam, & per singulas civitates vinctus catenis ad Præsidis Amantii judicium traheretur, siquidem ad ripam Danubii ad singulas civitates ducebatur*. Hoc autem fieri non potuit, quin in itinere aliquam Inferioris

Et ex Actis SS. Irenæi Sirmiensis, & Quirini Siscianensis Episcopi deducta.

ris Pannoniæ partem attingeret, si per singulas Danubii civitates Quirinus catenis vinctus trahendus erat, ut Præsidi sisteretur; hinc *Amantio revertenti de civitate Scarabetensi oblatus si fuit beatus Quirinus Episcopus, quem Præses ad urbem Sabariensem ad audiendum censuit repedari*; nimirum Amantius per id temporis in invisenda provincia, ut moris erat, occupabatur; cumque Quirinum Sabariam reduci jusserit, quæ 20. mille passus Scarabantia distabat meridiem versus, id probat, & Quirinum, cum Sabariam venisset, ulterius Scarabantiam progredi coactum fuisse a militibus, ut coram Præside, qui in ea urbe versabatur, causam diceret; & Præsidem, jam hac urbe lustrata, iter inde Sabariam destinasse, ut civitatem inviseret, ibique suo munere fungeretur, non autem Sabariam ipsam, velut unam Pannoniæ utriusque Metropolim, juri dicundo delectam fuisse. Neque mirum videri debet Hansizio, martyres fuisse olim per provinciam traductos, ut illam invisenti Præsidi adessent religionis causam acturi; idque plurium martyrum acta aperte declarant, quæ referre non vacat. Demum, quod attinet Acta S. Irenæi, in hisce multo minus auctoritatis inest pro Hansizio: vel etenim Græca Irenæi Acta consulas, vel Latina, deprehendes, beatissimum Christi martyrem Sirmii comprehensum, ibi in judicium coram Probo productum fuisse, qui Pannoniam provinciam in iisdem Actis dicitur administrasse, utramque nimirum Inferiorem & Superiorem, cum Severo traditæ fuerunt an. 304., ibique tandem eodem anno capitali sententia mulctatum: in Græcis quippe Actis, cum parentum, ac domesticorum luctum descripsissent Irenæi supplicia lacrymis, gemitibusque dolentium, legitur, Προσαχθεὶς ἐν τῷ τηνικαῦτα τῆς Παννονίας Ἡγεμόνι Πρόβῳ, *productus igitur coram Probo tunc Pannoniæ Præside*, & religionis confecta quæstione in ejusdem Probi conspectu, *gladio percussus*, πληγεὶς τῷ τρίφει, εἰς τὸν Σαὸν ποταμόν, in Savum fluvium projectus est: *hæc autem gesta sunt mense Augusto die vicesima prima, Sirmii*; ἐπράχθη δὲ ταῦτα μηνὶ Αὐγούστῳ εἰκάδι τρωτῃ, ἐν Σιρμίῳ. Savus certe Sirmiensem regionem ad meridiem alluit, & haud brevi tractu inde decurrens in Istrum influit. Acta autem Latina Græcis cohærent, & Irenæum *comprehensum, & oblatum Probo Præsidi Pannoniæ* perhibent; tum consanguineorum mœrore, & judicii quæstione descripta, hisce verbis narrationem concludunt; *Sic itaque percussus gladio a ministris, projectus est in fluvium Savi. Martyrizatus est famulus Dei sanctus Irenæus Episcopus civitatis Sirmiensium die* VIII. *Id. Aprilis, sub Diocletiano Imperatore, agente Probo Præside* &c. Igitur non ab Sirmiensi urbe in Superiorem Pannoniam Irenæus perductus fuit, neque Sabariam, aut Carnuntum, sed Sirmii comprehensus ibidem coram Probo & quæstiones subiit, & martyrium. Quare Hansizius Græcorum menologio decipi se passus esse videtur, in quo hæc de Irenæi martyrio traduntur; *Et comprehensus a Sirmio ductus est in Pæoniam, & oblatus Probo Præsidi.... ac denique sententia accepta gladio decollatus conjectus est in fluvium Savum*. At cur ejusmodi nihil genuina Martyris Acta prodidere? cur neque in Pannoniam profectio illa memoratur, neque Carnunti, aut Sabariæ ulla scribenti mentio excidit? unde tamen Irenæum reduci oportuit, ut Sirmii capite plexus in Savum fluvium toto fere Pannoniæ utriusque tractu ab iis urbibus dissitum projiceretur? Itaque in eo convenit cum Actis Menologium, quod utraque Irenæi in Savum amnem demersionem commemorant; de Pæonica vero profectione testimonium putamus omnino esse abjiciendum, sive Pæoniam proprie dictam intelligat Menologii auctor, quæ provincia eis Savum erat in ipso Inferioris Pannoniæ conspectu, sive Pannoniam, quæ, ut alibi diximus, Pæoniæ vocabulo quandoque a Græcis Scriptoribus nominatur. Vide rursum Salagium lib. 4. ubi de Metrop. Sirmien. & 3. cap. 5. & X.

Ecclesiæ Sirmiensis metropoli subjectæ.

Atque eo quidem auctore statuimus, Sirmium ante Constantinum M. Metropolis ecclesiasticæ jurisdictione ornatam fuisse, cui parebant Ecclesiæ Pannoniæ secundæ ac Pannoniæ Saviæ, immo & Mœsiæ Superioris ac Daciæ Ripensis; quod is gravibus sane, & e penitiore de antiqua re ecclesiastica eruditione desumptis argumentis comprobat adversum Carolum a S. Paulo, qui in Geographia Sacra Daciam Ripensem Metropoli Sardicensi subjecit, unaque Mœsiam Superiorem. Sed longam Salagii tractationem persequi non est necessarium, nam metropoleon, quæ Sirmiensem circum stabant, finibus ecclesiasticis ita constitutis, ut Laureacum Pannoniæ primæ ac Valeriæ, Sardica Daciæ mediterraneæ, Seupi Dardaniæ, Salona Dalmatiæ, Aquileja Venetiæ & Istriæ præsset, Pannonia secunda ac Savia, Dacia Ripensis & Mœsia superior nonnisi Sirmiensi Metropolitæ subesse poterant; Mœsiæ vero inferioris provinciam Martianopolis moderabatur. Inquit Carolus, Daciæ Ripensis, ac Mœsiæ superioris caput Sirmium esse nequit in alia Diœcesi civili positum; esto quidem; verum Diœceses ecclesiasticæ ad formam civilium non erant distinctæ; constat enim Pannoniæ primæ urbes aliquas in alia, ac Metropolis Laureacum, provincia sitas fuisse. Pergit is. Mœsia prima seu superior non censebatur in provinciis ecclesiasticis a Justiniano Imp., qui in Novella XI. aliis enumeratis, quas Achridæ Primati subjectas esse voluit, hanc omittit; esto iterum; num propterea Sardicæ suberat? quid, quod in Novel. 101. prætermissa Mœsia secunda, legitur prima, & eum reliquis numeratur? unde in Novel. XI. corrigendus potius error, & loco secundæ Mœsia prima provinciis ecclesiasticis adjicienda; præterquam quod in hac Justinianus nominat Daciam Ripensem ceu provinciam, quæ suum haberet Metropolitam. Igitur non sibi Caro-

Digitized by Google

rolus cohæret, qui Daciæ Ripensi denegat nomen ac jus provinciæ ecclesiasticæ; neque ejus probationes tanti valent, ut utraque Daciæ Ripensis & Mœsiæ superioris provincia Sirmiensi Metropoli adimatur. Potissima vero nostræ sententiæ ratio constat e verbis Anemii Sirmiensis Episcopi in Concilio Aquilejensi, & in causa Palladii ac Secundiani, quorum alter in Dacia Ripensi erat Episcopus, alter in Mœsia superiori; cum enim nonnulli e Patribus utrumque suo calculo damnassent, Anemius, facta ei dicendi copia, hæc prælocutus, *Caput Illyrici nonnisi civitas Sirmiensis; ego igitur illius Episcopus sum*; statim anathema intorsit. Cur vero de civitatis ac sedis Sirmiensis prærogativa ante protestatur; quod nec Ambrosius Mediolanensis, nec Valerianus Aquilejensis de se in eodem Concilio, nec de Metropolitica eorum Sede effati sunt? nullam aliam ob causam, nisi ut peculiare sibi jus inesse prætenderet utriusque damnandi, non communi solum cum aliis Concilii Episcopis potestate, sed etiam metropolitica in reos Antistites sibimet subjectos. Neque Anemii probatissimi Episcopi jactantiæ ea verba tribuas, quæ in sacro illo Conventu, & in Ambrosii ac Valeriani conspectu nemo proferre ausus esset. Illyrici vero nomine eam partem regionis intelligit unice, quæ in Illyrico suæ jurisdictioni erat obnoxia, quamque in subscriptione Concilii appellat *Illyricum Sirmiense*. Et hinc consequitur, eum plures essent in utraque provincia urbes episcopales, paruisse omnes uni Metropoli Sirmiensi. Hæc ex Salagio, quæ oppugnant etiam Lequienium in suo Oriente Christiano. Itaque cum eodem Salagio quos Episcopatus complexa olim est Sirmiensis Ecclesia suo metropolitico jure, sunt in Pannonia secunda Bassianensis, Cibaliensis, Mursensis; in Pannonia Savia Æmoniensis ac Sisciensis; in Mœsia superiori seu prima Singidunensis, Margensis, Viminaciensis, & Horreomargensis; e Dacia Ripensi Aquensis civitas episcopalis, tum altera de Castro, tertia de Isco, quarta de Ratiaria. Et de Siscia quidem actum jam est a Farlato Tomo V., ubi de Ecclesia Zagrabiensi, quæ in locum ac dignitatem eversæ Sisciæ successit, cum nulla staret amplius Metropolis Sirmiensis; sed tres præterea urbes episcopali dignitate præditas in Pannonia secunda enumerat Lazius lib. 2. de republ. Rom. Curtam scilicet, Noviodunum, & Carpim; huic Episcopum affingit Secundum sub Decio Imp., Curtæ Crescentem primis Ecclesiæ temporibus, Novioduno neminem. At eruditi cæteroquin viri non est tanta auctoritas, ut tuto illi quam assentiri. De his vide Salagium diligentissimum de Pannonica Ecclesia scriptorem lib. 3. cap. 9. & 10.

De Sirmiensi Primatu per Illyricum.

Præter metropoliticum decus Primatum etiam totius Illyrici Ecclesiæ Sirmiensi tribuitur ab iis, qui de Hierarchia ecclesiastica, ejusque Principibus scripsere. Horum sententiam sequitur Farlatus Tomo 1. & 2. idque persuadet Novella XI. Justiniani, qua Sirmium in civilibus & ecclesiasticis causis dicitur toti Illyrico præfuisse; ut qua Præfectus Prætorio Illyrici potestate pollebat in civili republica, eadem in Christiana fungeretur Sirmiensis Antistes, quam demum amisit, cum Illyricum in duas partes sectum est an. 395., & quæ occidentale Illyricum complectebatur, in jus ditionemque Præfecti Prætorio Italiæ concessit, creato Sirmii Vicario, qui eas provincias civili regimine contineret. Et sane imprudentiæ, ac temeritatis notam haud effugerem, si eruditissimis viris, quorum una & concors pro Sirmiensi Primatu sententia, solus ipse adversarer; immo plura olim monumenta congesseram, quibus mihi videbatur tantorum hominum, & Farlati præsertim asserta posse validius approbari. Hæsisse me tamen fateor, cum animadverti Salagium virum in Pannonicis præcipue historiis expertum in libro v,, ubi de antiquis per Pannoniam Primatibus latissime disserit, cap. 3. Sirmiensi Ecclesiæ prærogativam hanc denegare; ipseque fatetur, mirum fore, se a vulgata cæterorum sententia, quam nemo hactenus improbavit, ita discedere, ut suipsius opinionem, & pro illa rationes & argumenta se suasurum iis confidat qui Romanas & ecclesiasticas illorum temporum antiquitates probe norunt, atque in illorum investigatione sunt exercitati. Cogitanti itaque mihi, quibusnam in difficili æque ac celebri controversia assensum præbeam, libet trium, qui diligentius fusiusque illam tractavere, Ludovici scilicet Thomassini, Danielis Farlati, Stephani Salagii pro se cujusque probationes ad compendium proferre in medium, & doctorum arbitrio, cui potius consentiant, ingenua expositione relinquere.

Sententia Thomasini,

Thomassinus igitur p. 1. l. 1. de vet. & nov. Eccl. discipl. c. 19. num. 2. innititur Novellæ XI. Justiniani, qua testatur Imperator, summam in rebus tum civilibus, tum ecclesiasticis potestatem penes Sirmium olim fuisse, & hac urbe excisa, ac Thessalonicam translato Sirmiensi Primatu, Thessalonicensem Antistitem sibi jus in eas provincias vendicasse, quæ suberant Sirmiensi. Quid, quod Ammianus Marcellinus Sirmium matrem urbium appellat, utpote totius Illyrici Metropolim; & Anemius Sirmii Episcopus in Concilio Aquilejensi an. 381. palam ajebat, *Caput Illyrici nonnisi Sirmium civitas?* Cum vero Illyricum in duas partes divisum fuit anno eodem, ut ipse existimat, Sirmiensis Primas occidentali Illyrico adhuc præfuit amissa parte orientali; tota denique corruit ejus potestas clade Attilana. Hinc Primatus Ecclesiæ Sirmiensis in Illyricum universum initium habuit, hoc auctore, a constituta in urbe sede Præfecti Prætorio Illyrici; perstitit autem in Illyrico occidentali annis fere sexaginta tribus, & cum urbe periit an. 441., aut 442.

Thomasino adhæret Farlatus hoc fere modo, & Farlati,

do, ut originem Primatus Sirmiensis deducat ab Imperatoris Constantini institutione, & ab an. circ. 323. cum Præfectus Prætorio Illyrici sedem fixit, unde per provincias sibi subjectas amplissimi magistratus jura exerceret; fuere autem duplex Noricum, duplex Pannonia, Valeria, Savia, Dalmatia, Mœsia prima, duplex Dacia, Macedonia, Thessalia Achaja, duplex Epirus, Prævalis & Creta, quæ sua ditione, suoque imperio complectebatur etiam Sirmiensis Episcopus. Sed ante Concilium Sardicense anni 347. valde imminutam fuisse scribit illius potestatem; nam servatis eidem utraque Pannonia, utroque Norico, Valeria, Savia, ac Dalmatia, reliquæ provinciæ in jus cesserunt Thessalonicensis Primatus; propterea fit, ut Illyrici totius Primatum annos ferme viginti tenuerint Antistites Sirmienses, occidentalis vero usque ad urbis interitum. Vide tom. 1. pag. 310. & 2. pag. 95.

iisque contraria Salagii.

Salagii modo adversariæ ratiocinationes, & opposita argumenta æquo eruditorum judicio subjiciantur examinanda. Et primo constat, Præfectos Prætorio Galliæ & Italiæ, alterum Treviris, alterum Mediolani cum imperio sedisse, & neutra ex iis urbibus Primatum ecclesiasticum obtinuit; igitur hæc dignitas non consequitur necessario e Præfecturæ Prætorianæ tribunali quavis in urbe constituto; certum vero est, Episcopum Carthaginensem in Africa, & Aquilejensem in Veneta provincia, quorum diœceses civili jurisdictione regebant Præfecti Prætorio Italiæ, longe fuisse nobiliores Antistite Mediolanensi. Præterea ante Concilium Sardicense an. 341. Episcopus Thessalonicensis erat Primas in provinciis Illyrici orientalis, uti asserit Farlatus; at eodem tempore Thessalonicenses Magistratus Sirmiensi Prætorio obtemperabant, quod nondum fuerat ademptum; & major erat Ecclesiæ Thessalonicensis amplitudo per XI. provincias in Macedonia & Dacia extenta, quam Sirmiensis, quæ intra fines anius Illyrici occidentalis in septem solummodo provinciis constringebatur. Non igitur pro urbium præstantia ecclesiastica dignitas ac potestas par erat civili; neque in toto tum Imperio reperies, ubicumque aut Præfecti Prætorio, aut eorum Vicarii constitissent, loci Episcopum Primatus honore atque auctoritate semper excelluisse. Et si quando id acciderit alicubi, non vero Sirmii; nam Gelasius Pontifex an. 495. in litteris ad Episcopos Dardaniæ, quæ pars erat Illyrici, quique Sirmiensis Primatus veritatem nosse profecto debuissent, de Sirmio negat quidquam illi urbi accessisse ecclesiastici decoris ob diuturnam inibi Imperatorum commorationem; multoque minus accessit, quia Præfecti Prætorio ibidem versarentur diutissime. Sane si Episcopi Sirmienses summum Primatus fastigium erant assecuti, cur nullum de illo vestigium in Conciliis, quibus interfuerant? non in Nicæno, ubi Domnus Pannoniensis, seu Sirmiensis, neque in Sardicensi, ubi Eutherius an. 347. neque in Aquilejensi an. 381. ubi aderat Anemius; cæteri Antistites usque ad excidium urbis nullum præseferunt hujus potestatis indicium. Equidem Gelasius Cyzicenus, qui acta Concilii Nicæni annos post centum quinquaginta descripsit, & tutiora rerum in eo gestarum monumenta habere potuit præ manibus, narrat lib. 2. munus promulgandi Nicæna decreta injunctum fuisse Thessalonicensi Episcopo & Sardicensi, quod Sirmiensi committi oportebat, si Primas erat, cui pareret uterque; eique primus in Concilio Sardicensi locus post Julii Pontificis Legatos debebatur, in quo tamen sedit Protogenes Sardicæ Antistes, idemque solus cum Osio Cordubensi Legato litteras dedit ad Pontificem, quin Eutharius Sirmiensis præsens de illata suo Primatui injuria conquereretur; factoque ostendit, se hoc jure præditum minime fuisse.

Deinde haud obstant verba Socratis l. 4. cap. 18. qui Sirmium dicit *Illyriorum civitatem*, & Photinum Sirmiensem nominat *Antistitem earum quæ ibi erant Ecclesiarum*; nam vocabulum *ibi* non omnes Illyriorum urbes, sed in vicinia positas melius designat; nam Dacia mediterranea & Macedonia avulsæ jam fuerant a Sirmiensi Primate, uti contendit, & fatetur Farlatus, ac Thessalonicensi attributæ. Sententia Anemii in Concilio Aquilejensi nihil habet ponderis; prolata enim ab eo est, ut Metropolita Palladii & Secundiani Antistitum Arianorum, eosque duplici jure condemnat & metropolitico, & communi cum cæteris Concilii Patribus. Vide a nobis dicta paullo superius. Et quo sane modo, subdit Salagius, de universo Illyrico id Anemius affirmare potuisset? non de orientali, cujus possessionem ab an. 366. adierat Primas Thessalonicensis; non de occidentali, nam Dalmatia ad Salonitanam Metropolim pertinebat; Noricum mediterraneum ad Aquilejensem: idcireo Sirmium caput unice erat Illyrici, quod Metropolitæ Sirmiensis ditionem ecclesiasticam intra suos fines includebat. Ammianus appellat Sirmium matrem, quod ad civilem potestatem attinet. Denique Novella XI. cui potissimum innititur contraria sententia, hac in parte falsitatis convincitur eruditorum consensu virorum tum ex iis quæ dicta sunt, tum ex indole & mala fide Triboniani, qui eam concinnavit, ut ambitioso Justiniani ingenio assentaretur. Hactenus Salagius, qui adversariorum objectiones acute prævenit, ingeniose dissolvit, nec dubio locum relinquit de propositæ opinionis veritate.

Cæterum Ecclesia Sirmiensis, etiamsi Primatus honore caruerit, tantum inter orbis Christiani Metropoles præstitit suæ amplitudinis splendore, quantum urbis nobilitas exposcebat. Equidem Ammianus Marcellinus lib. 30. meminit Palatii, quod *Regiam* dicit, & Curiæ & Fori, hisque adjungit murorum ambitum, celsas turres & theatrum, publica

Sir-

Digitized by Google

Sirmii ornamenta Romano fastu exstructa, unde haud minorem fuisse censendum est templorum magnificentiam, sacrorum apparatum & pompam, ministrorum copiam; præcipue cum plures illuc confluerent Episcopi sive civilia, sive ecclesiastica negotia acturi, multo magis ut Conciliis interessent, quæ pluries Sirmii coacta fuere, de quibus accurate in Photino & Germinio Episcopis disseremus. Verum urbe pæne a Barbaris deleta medio circiter sæculo quarto, res Christiana Sirmiensis valde labefactata est, & urbis fortunam secuta. Licet enim, ut diximus, visa est revixisse usque ad sextum sæculum, supremo tamen excidio ab Avaribus eversa in eamdem ruinam & Ecclesiam & Episcopatum pertraxit; donec post annos amplius sexcentos Ugrinus Archiepiscopus Colocensis an. scilicet 1229. iterum Sirmiensem Episcopatum erexit Gregorii IX. Pontificis auctoritate. Sed hæc alibi.

Hisce de veteri Sirmio, & antiqua Ecclesia Sirmiensi præmissis, aggredior seriem Antistitum Sirmiensium, quam in duos ordines dividere necesse est; & in altero priorum Episcoporum gesta enarrare, in altero novæ urbis Episcopos a primo, tamquam a capite recensere propositum mihi est; quo clariorem habeat atque accuratiorem rerum expositionem historia. Et a primis itaque exordiamur.

ANTIQUI VETERIS SIRMII EPISCOPI.

I. S. Epænetus an. Ch. circiter 50.
II. S. Andronicus an. circ. 59.
III. S. Irenæus an. circ. 304.
IV. Domnus an. circ. 325.
V. Eutherius an. inc.
VI. Photinus an. circ. 347.
VII. Germinius an. circ. 352.
VIII. Anemius an. 380.
IX. Cornelius an. circ. 383.
X. Laurentius an. circ. 400.
XI. Sebastianus an. circ. 580.

S. EPÆNETUS EPISCOPUS SIRMIENSIS I.

De natali solo S. Epæneti opiniones duæ,

EPænetus, quo illum nomine Scriptores appellant tum sacri, tum prophani, in editis tamen Hentenii Bibliis an. 1576., & in Lugdunensibus an. 1516. Ephænetus dictus, & Epheneus a Petro de Natalibus lib. VI. Catal. SS. cap. 103., Græce autem Ἐπαινετὸς, natalem in Asia minori locum sortitus est; cujus rei argumentum prodit vulgata e Græco in Latinum sermonem conversio epistolæ D. Pauli ad Rom. cap. 16. ver. 5. *Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo.* Scio equidem divinorum librorum interpretes hac in re diversos abire; alii etenim cum Chrysostomo & Theodoreto Græcorum Bibliorum sequuntur auctoritatem, in quibus Epænetus dicitur, *primitiæ Achajæ*, ὃς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας ἐν Χριστῷ: alii vero Latinæ adhæ rent interpretationi. Et merito quidem; cum enim Apostolus 1. ad Corinth. cap. 16. ver. 15. alios nominet *Achajæ primitias*, & Latina cum Græcis conveniant, quomodo *primitivus Achajæ* dici jure posset Epænetus, idque laudis ejus fidei & religioni tribuere? Præterea Latini Codd. omnes, immo & quidam Græci, quos profert Calmetus in Comment. epist. ad Rom., tum Cophtici, & Æthiopici vulgatum *Asiæ* nomen præbent: demum Anonymi Auctores Commentariorum, & qui Ambrosio, & qui Hieronymo in Paulinas epistolas tribuuntur, iidemque vetustissimi, quin & Origenes ipse *Asiæ* vocabulum eo in loco tenuere. Non est autem, cur dubitemus de Origenis auctoritate, utrum ejus interpres Rufinus illum Latinorum sententiæ accommodaverit; siquidem postrema auctoris verba in cap. 16. ad Rom. ejusdem sensum apertissime præferunt: *Appellavit eum, primitias Asiæ: sed & in alia epistola dicit de quibusdam, quia sunt primitiæ Achajæ;* & homil. 11. in lib. Numer. eadem jam antea scripserat: *Invenimus de quibusdam dictum ab Apostolo, quia sunt primitiæ Asiæ, & alii primitiæ Achajæ.* Verum *Achajæ primitias* dixit Apostolus Stephanam, & Fortunatum in 1. ad Corinth. epistola: igitur primitivus Asiæ Epænetus; nisi forte velit quispiam hunc quidem ex Gentibus, illos ex Judæis, aut contra, *Achajæ primitias* in Græcis Bibliis nominari, vel Epænetum fuisse Stephanæ filium: at hæc ne minima quidem conjectura probantur.

altera, quæ in Asia illud constituit,

altera, quam in Achaja: prima admittitur, & probatur.

Hinc potior eruditis quibusque visa est vulgata Latinorum conversio, cui scribit Tillemontius Tomo 1. monum. Eccl. not. 28. de S. Paullo, mss. Codd. consentire, ejusque sensum retineri in Oxoniensi Novi Testam. editione an. 1675. sane probatissima, Lyranus, & Tirinus Græca cum Latinis ita conjunxerunt, ut Epænetus fuerit *primus ex Achaja Asiæ regione ad fidem Christi conversus*: neque iccirco opinionem expediunt ab ea difficultate, quam primæ ad Corinth. epistolæ inesse vidimus; Achajæ vero regionem non in Asia, sed in Europa sitam quisque novit; hoc enim vocabulo veteres Geographi complectuntur quidquid terrarum olim amplissimo Græciæ propriæ nomine continebatur citra, ultraque Isthmum Corinthiacum.

Lyrani, & Tirini error geographicus.

Nihil ex veterum monumentis comperio, quod tuto possit de patria ipsa, & paterno Epæneti genere definiri. S. Joannes Chrysost. in hom. 31. in eamdem ad Rom. Epist., quoniam illum *ex Achaja primitivum* asserit, simul Coriinthium fuisse perhibet, humili vero generis conditione natum, conjectura ductus illius laudis, qua clariorem in Christo nobilitatem Epæneto tribuit Apostolus. Contra tamen sentit Anonymus Auctor, vulgo Ambrosiaster, qui Paulli testimonium de Epæneto declarans in Comment. ad ejus epist. *primitivum* dici existimavit, quia fa-

Patria, & genus S. Epæneti incerta.

Digitized by Google

miliæ dignitate primus inter suos excelleret: *Hujus Epæneti etiam præsentem dignitatem non tacet, ut ostendat & dignitatis viros credere, & invitet primos Romanorum ad fidem, aut certe, ut humiles crederent.* Sed certa est omnino sacrorum interpretum communis sententia, qua *primitivus Asiæ* creditur Epænetus a Paullo commendari propter susceptam ante omnes illius provinciæ accolas Christi religionem; cui præconio revera nihil addi potest illustrius. At enim quo primum tempore Christi doctrinam secutus fuerit, incertum videri debet cuippiam, quem Scriptorum quorumdam auctoritas moveat, ut suspicetur, Epænetum fuisse Petri discipulum; cujusmodi sunt Tamajus in Martyr. Hisp. die 15. Julii, & Andreas Zmajevichius Archiep. Antibarensis in Synopsi ms. Annal. Eccl. Tomo 1. pag. 4. ad an. Ch. 46., Græcis contra, & Latinis quibusdam Hagiologis inter 70. Christi discipulos Epænetum adnumerantibus. Verum neutri adhæremus sententiæ; & quod attinet ad Christi discipulos, Guillelmi Cuperi hac in parte opinionem malumus sectari, qui Tomo 4. Julii die 15. de 70. Christi discipulis diserte agens, nihil certi de ipsorum nominibus statuendum esse decernit. Equidem si Eusebius lib. 1. Hist. Eccl. cap. 12. perspicue tradit, sua ætate discipulorum seriem nullibi perscriptam exstitisse, & paucorum nomina ex veterum traditione recenset, quo testimonio freti Pseudo-Dorotheus, Auctor Chronici Paschalis, Equilinus, aliique singulorum nomina adeo confidenter pronuntiant, ipsique Epæneto locum inter cæteros assignarunt, Græcorum præsertim Menologia, & Synaxaria? Propterea idem Cuperus *in prætermissis* die 15. Julii ita de Epæneto scripsit: *Nulla nobis Epæneti gesta nota sunt, neque scimus, a quo, aut quo die sacris Fastis inscriptus sit, ut proinde comprehendi debeat in communi 70. discipulorum, siquidem ex iis unus fuerit, festivitate, de qua hoc die agitur.* Siquid tamen licet quasi conjiciendo proponere, potius ex ipsis D. Paulli verbis censendus foret Epænetus ejusdem Paulli discipulus, cum in litteris ad Romanos honorificum & singulare elogium obtinuerit inter Apostoli discipulos, & *dilectus*, & *primitivus in Christo* appelletur. Utrum vero primogenitus fuerit ex iis, quos in Asia per Evangelium Paullus ipse in Christo peperit, an ex illis, quos ante Asiaticam Paulli missionem quispiam alius Apostolorum ad Christianam legem traduxerit, & id utrum in Asiæ partibus, an alibi evenerit, video certo stabiliri non posse; eoque magis, quod minime constet, eos omnes, quorum epistola ad Romanos meminit, ab Apostolo Paullo fidei rudimenta accepisse. Itaque hac etiam disquisitione omissa, quantum Epænetus jam Christianus effectus in novo vitæ instituto profecerit, quantum imitandis Apostolorum exemplis, & assequendis virtutibus intentus fuerit, ex Paulli auctoritate cognoscimus,

is primus inter Asianos Christi religionem amplexus est;

haud vero Petri,

aut Christi discipulus fuit ex 70.,

ut quidam referunt;

sed fortasse D. Paulli.

Ejus elogium

dum hominem & a se diligi affirmat, & distincto salutationis officio mandat impertiri: *salutate Epænetum dilectum mihi:* quibus verbis hæc subdidit Chrysostomus in hom. 31. *Licet ex hoc loco videre, quam discretim suas unicuique laudes admetiatur, Neque enim modica est laus ista, sed & vehementer magna, & multæ virtutis indicium, Paullo esse dilectum, qui non temerario affectu, sed judicio diligere novit:* & alia Apostoli verba juxta Græcorum sensum uberius exponens addit: *Deinde & aliam laudem adjungens, qui est, inquit, primitiæ Achajæ. Aut enim hoc ideo dicit, quia reliquos omnes credendo prævenerit, ac velut præsilierit, id quod non modicæ laudis est, aut quod plus pietatis ostenderit, quam reliqui omnes. Propterea eum dixisset, qui est primitiæ Achajæ, non quievit, sed ne mundanam suspiceris gloriam, adjecit, in Christo. Si enim in civilibus negotiis priores obtinens magnus esse videtur, & illustris, multo magis in istis. Quoniam enim probabile erat, illum humili esse genere, veram ponit nobilitatem, hinc eum ornans. Et non solum Corinthiorum, sed & universæ gentis eum primitias esse dixit, tanquam qui porta sit, & introitus aliorum factus.* Hactenus Chrysostomus, cujus mentem haud recte assecutus videtur Adamus Sasbout in Comment. huic Paulli epistolæ adjectis: ait enim *primitivi* vocabulum, *primitias* scilicet, insignis pietatis significationem a Chrysostomo explicari: utramque autem declarationem palam proponit S. Doctor, nimirum, quod Epænetus vel in amplectenda fide, vel certe in pietate colenda primus exstiterit. Origenes quoque gravissimum de Epæneto testimonium tulit, quod hujusmodi legitur in cap. 16. epist. ad Rom. *Hic Epænetus videtur mihi omnium primus ex Asia credidisse, unde & initium eum Ecclesiæ appellavit, vel ut in Græco habetur, primitias Asiæ, nisi aliquid profundius sermo iste significat, ut intelligamus Angelos Dei, qui Ecclesiis præsunt, offerre singulos quosque primitias Deo ex his, qui credunt. Quorum sciens per Spiritum Paullus electionem erga Epænetum, & quod ipsum ex omni fidelium numero, qui erant in Asia, electio invenerit Angelorum, appellavit eum primitias Asiæ. Sed & in alia epistola dicit de quibusdam, quia sunt primitiæ Achajæ, eamdem sine dubio sacramenti rationem etiam in illis aspiciens.* Vide Origenem translatos ἀλληγορίων sensus more suo sectantem in sacrorum voluminum interpretatione: unde liquet, *primos* ab eo intelligi apostolica laude celebrari, qui virtute cæteris præstiterunt.

ex D. Chrysostomo

& ex Origene.

Hic non est, cur immoremur in percensendis S. Epæneti peregrinationibus, quæ multæ, & variæ confictæ fuerunt absque ullo veritatis indicio. Neque iccirco rerum gestarum gloria huic adimitur, quas æquum est credere pro Christiana religione ab eo fuisse patratas, queisque Apostoli nomen in Græcorum Fastis jure est consecutus. Porro quid revera gesserit, & quas inter gentes ante initum Episcopatum, inutile omnino arbitror in-

Variæ Epæneti peregrinationes confictæ:

Digitized by Google

indagari, cum nihil veteres reliquerint posterorum memoriæ. Hoc tamen certum esse debet, S. Epænetum an. Ch. 58. Rumæ commoratum fuisse, siquidem hoc anno Paullus ad Romanos scripserit, uti Baronio, Tillemontio, aliisque eruditissimis viris visum est, quibus in literis perspicua fit Epæneti mentio, & illustris de illo prædicatio. Verum non levem movet hac in re controversiam Zmajevichii opinio, & Anonymi Auctoris in Comment. de SS. Petro & Paullo; quorum uterque prodiderunt S. Epænetum ab urbe reducem eo tempore Sirmiensis Ecclesiæ curam ab Apostolo Petro suscepisse, quo Petrus ipse primo Roma discedere jussus, quæ antea Illyrici loca peragraverat apostolico cursu, revisere instituit, & itineris socium sibi adjunxit Epænetum: hoc enim sensu Anonymum explicat Farlatus in ejus Commentarii censura, & de primo Petri ex urbe discessu, quem a secundo non recte distinguit, inibi intelligendum esse pronuntiat. Hinc quo tandem anno malimus primum Petri ab ea Urbe discessum determinare, id quidem non contigit serius an. Ch. undequinquagesimo, eum Claudii Imperatoris edicto Judæi æque atque Christiani illinc pellerentur: quæ potior sententia est Baronii, Petavii, aliorumque; Petrus autem non ante 60. Christi annum in Urbem reversus ibi usque ad obitum perstitit. Et quamvis Godefridus Henschenius tum in 1. Tomo Apr. B ll., ubi de veteribus Summorum Pontificum Catalogis disserit, tum in Tomo 5. Junii ad diem hujus mensis 29., & Daniel Papebrochius in Propylæo mensis Maji videantur Romam revocasse Petrum ante annum vulgaris æræ 56. quibuscum sentit Farlatus in Tomo 1. Illyr. Sac. part. 3. prolegom. sect. 1. cap. 1. §. 1., eodem tamen anno Coss. Q. Volusio Saturnino, & P. Cornelio Scipione, inde digrediens nusquam rediit, nisi ut una cum Paullo prænuntiatum cælitus martyrii certamen opperiretur anno 65.; quod Henschenio, & Tillemontio placet, aliisque Chronologis. Igitur Epænetus post an. 49. jam Sirmii Episcopus constitutus Romæ cum Petro esse non potuit an. 58. Equidem Lactantii auctoritas, licet obscura nimis, potest nonnullis insinuare, Apostolorum Principem illuc eo anno fuisse reversum; qua de re leviter sane, sed assentientis in speciem meminit Tillemontius Tomo 1. monum. Eccl. art. 33. & notatione 38. de S. Petro: at si illius Scriptoris verba perpenderis in lib. de morte persecut. cap. 2., nihil magis in incerto haberi dignosces: hæc etenim scribit: *Per annos* 25. *usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias & civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt* (Christi scilicet discipuli). *Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit:* ubi *convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele collocavit*: quo ad Neronem delato, *primus omnium persecutus est Dei servos. Petrum cruci adfixit, & Paullum interfecit*. Principium Neroniani imperii cum Petavio figimus in an. Ch. 54. Petrus Romam venit, *cum jam Nero imperaret*: hic non innuitur primus Apostoli in Urbem adventus, ut quilibet bonæ frugis vir, & ecclesiasticæ eruditionis peritus facile consentit. Si de altero ejus adventu intelligi debet Lactantius, hic in annum incidit 56. juxta Henschenii & Papebrochii opinionem: sin vero de postrema Petri ad Romanos profectione locutus est, ita concludo. Criticorum nullus, quod ego sciam, citius an. 64. Petri martyrium determinavit; & cum ultima ejus in Urbe commoratio vix biennium attigerit, Petrus demum dicendus erit illuc pervenisse an. Ch. 62. Adde his, nullam Paullinæ epistolæ inditam esse Petri mentionem; at si an. Ch. 58. Petrus Romæ versabatur cum Epæneto, cur Paullus ad Romanos scribens hoc anno, nihil de illo innuit, quem primo loco salutari oportebat? quæ ratio Baronium adduxit, ut Petrum inibi per id temporis degisse negaret. Itaque illud superest, ut Zmajevichii, & Anonymi auctoritate admissa, dicamus, S. Epænetum bis fuisse Romæ versatum; semel cum Petro ante an. Ch. 49., iterum vero an. 58; ita cum ἐποχῇ Paullinæ epistolæ recte componitur Anonymi, & Zmajevichii testimonium.

Anno igitur 49. Petrus Roma proficiscens, postquam, inquit Farlatus in loco superius indicato, *Dalmatiam, cæterasque ex ordine Illyricas provincias impigre lustrasset*, Sirmium adiit, & cum Ecclesiam Pannonicam ingenti Neophytorum numero auctam reperisset, in ea urbe Epænetum creavit Episcopum, ejusque Ecclesiæ regimini præfecit. Atque hic inquirendum a nobis necessario est, num Sirmii Episcopus revera fuerit Epænetus; & quo Episcopatus jure, ac titulo perfunctus. Andreas Zmajevichius in sua Synopsi Ann. Eccles., quæ ms. servatur in tabulario S. Congreg. de propag. fide, ad an. Ch. 46. hæc de Episcopatu Epæneti memoriæ prodidit. *S. Petrus, Romana Ecclesia instaurata, ex Urbe discedens totum occidentem peragravit; Epæneto ejus discipulo Sirmiensibus Illyricis Episcopo relicto, Marcum Evangelistam in Ægyptum remisit*. Quo id ex fonte haustum sit, divinari nequimus: hoc tantum ut advertas velim, annum initi ab Epæneto Episcopatus recte convenire cum anno, quo D. Marcus in Ægyptum remissus est: notatur enim annus 49. apud Sollerium in dissert. prælim. ad seriem chronol. Patriarcharum Alex. §. 11. in Tomo V. mensis Junii Boll. Utrumque igitur & Epæneti Episcopatum, & Marci reditum probe conjunxit Zmajevichius; licet in determinando anno 46. per chronologicum errorem lapsus fuerit. Huic scriptori fides accedit ex Comment. de SS. Apostolis Petro, & Paullo, quod ab Anonymo Auctore descriptum typis edidere Hagiologi Antuerpienses Tomo V. Junii die 29. ex ms. Medicæo Græco Regis Christianissimi, & Jacobi Sirleti interpretatione ms. Bibl. Vaticanæ. Ibi cap. 3. Epæ-

Romanum iter, & in Urbe commoratio an. 58.

Chronologica in hanc rem disquisitio;

ex qua convincitur, Epænetum

bis Romæ fuisse, semel ante an. 49. iterum anno 58.

Fit Episcopus

anno 49.

Sirmiensis Ecclesiæ.

netus Sirmii Episcopus disertis verbis ita perhibetur. *Cum Romæ non multo tempore permansisset Petrus, & multos sancto baptismate regenerasset, Ecclesiamque constituisset, eique Linum Episcopum præfecisset, Terracinam proficiscitur, ubi cum Epaphroditum Episcopum delegisset, Sirmium petiit urbem Hispaniæ, ubi constituto Episcopo Epæneto, Chartaginem urbem Aphricæ adiit.* Henschenius in Comment. prævio ad hoc Anonymi opus hac ideo ratione profitetur, se in lucem Acta ista proferre, *quia varia a S. Petro in Asia, & Syria peracta tradit, quantum conjicere licet, ex variarum Ecclesiarum traditionibus collecta:* plura tamen σφάλματα ab auctore commissa cognovit vir eruditissimus. Sed, quod rem nostram spectat, ex iis, quæ de Epæneto narrantur, nihil est, subdit Farlatus memorato in loco, *quod falsitatis arguere possis præter mendum geographicum, cui subest Sirmium civitas inde usque a Pannonia in Hispaniam traducta, nec video, quid argumenti afferre queas, quo in dubium revoces itinera apostolica ibidem descripta.* Quare Auctor illius Comment. quidquid in Epæneti Episcopatu peccavit, salva rerum veritate, locorum perturbatione peccavit. Et sane ambigua vocum significatio potuit errandi causam eidem præbere: Hispania enim non antiquitus modo *Spania* dicta est, sed etiam ab inferioris ævi Scriptoribus; uti Mabillonius nobis auctor est in præf. ad 1. Tomum de Actis SS. Ord. Benedict. §. ult.; immo & *Pania*, interdum vero *Pannonia*, Stephano teste apud Ortelium; Pannonia vero nostra *Spannonia* quandoque appellabatur. Hinc id causæ afferunt nonnulli, cur plura sæpe in Pannonia gesta, & illustrium virorum nomina Hispanæ provinciæ adtribuerentur; quod huic Auctori irrepsisse videmus, ut eadem deceptus vocum ambiguitate Sirmium ab Illyricis regionibus in Hispaniam transferret. At enim siquis falsi aliquid scripserit, non iccirco omnia, quæ ab eo scripta sunt, repudiari oportet; & quamvis id præcipue huic Scriptori vitio detur, quod res gestas præposteris temporibus & perturbato locorum ordine narraverit, ordinis, ac temporum confusio rerum summæ fidem non adimit. Quamobrem de Pannonico Episcopatu Epæneti eidem credamus licet, qui, utor Farlati verbis cap. 2. §. 2., *parum quidem accuratum se præbuit in serie historica ordinanda, temporumque ordinibus explicandis, attamen quæ scripsit, summa cum fide ab antiquis monumentis & scriptoribus accepta posteris tradidit; præsertim cum falsa scripsisse, nulla auctoritate, nullo teste convinci possit.* Cæterum quæ ex hisce monumentis accepimus, ita sunt intelligenda, ut Epænetus Sirmii pontificiam sedem affigens, veluti hujus urbis proprius Antistes, peculiari Sirmiensis Ecclesiæ titulo & jure episcopalem dignitatem, & generatim totius Inferioris Pannoniæ administrationem teneret. Hoc confirmari posse videmus Zmajevichii testimonio, qui *Epænetum Sirmiensibus Illyricis Episcopum relictum* fuisse perhibet ab Apostolo Petro; ubi non unius urbis angustiis circumscriptum episcopale munus designatur, sed integræ provinciæ demandata procuratio. Idemque confirmat Stephanus Salagius in citato sæpe opere lib. 3. cap. 1. ubi de Sirmiensi Episcopatu disserens primum Sirmio Episcopum Epænetum attribuit laudati Anonymi testimonio; quod & in libro 2. cap. 1. probaverat, sibique objiciens verba Hesychii Episcopi Salonitani, a quo, ut inferius dicemus, Andronicus primus Episcopus Sirmii perhibetur, statuit cum Farlato, Epænetum a Petro Apostolo & Sirmii & Pannoniæ inferioris regimen episcopale primum accepisse, Andronicum vero in ejus locum suffectum in ea demum urbe Antistitem consedisse. Cæterum, si Hesychium excipias, & Ferrarium, de quibus in Andronico, Scriptores cæteri, qui Epæneti, & Andronici meminere, utrumque Sirmii & Pannoniæ Episcopum nominant absque ullo discrimine; cumque Epænetus multo ante Andronicum Sirmiensem urbem adierit episcopali honore ac jurisdictione, quis neget huic priorem locum in hac sede esse concedendum? & licet Hesychius sæculi IV. vetustissimus auctor plurimum sibi fidei & auctoritatis conciliet, a quo Ferrarius exscripsisse videtur junior Hagiologus, Scriptor tamen alterius vitæ S. Domnii Antistitis Salonitani, sive idem is sit Hesychius, sive alius Hesychio certe suppar ætate, Andronicum, nullo adjecto *prioris* verbo, Sirmiensem Episcopum fuisse dixit. Hinc si velis etiam aut *Apostolicum*, aut *Evangelicum*, aut *Regionarium* Antistitem appellare Epænetum, id per me licet, dummodo sua illi sedes Sirmium, veluti princeps Pannoniæ urbs, assignetur, unde finitima loca apostolica circuitione obierit, quæ ad Christi fidem cultumque perducta in Metropolitæ Sirmiensis potestatem atque gubernationem postea concessere. Nunc perstringenda breviter est opinio Tamaji de Salazar in Martyr. Hisp. inserta die XVI. Julii, quo hæc leguntur; *Saxi-Firmii in Hispania S. Epæneti ipsius urbis Episcopi, qui a S. Petro, cujus erat discipulus, ordinatus & ibidem constitutus ita in opere se gessit commisso, ut B. Paulli mereretur encomia. Tandem consummato peregrinationis itinere fuit ad æterna tabernacula translatus.* Notat autem idem Tamajus: *De S. Epæneto, quem D. Petrus Episcopum posuit Saxi-Firmii, seu Firmii, in Hispania, mentionem facit præter Scriptores Hispanos Metaphrastes apud Lipomanum, & Surium Tomo III. in vita SS. Petri, & Paulli his verbis: Venit S. Petrus Tarraconam, in qua cum Episcopum Epaphroditum ordinasset, venit Sirmium civitatem Hispaniæ: quo loco cum Epænetum constituisset Episcopum, venit Carthaginem.* Vides plura in unum congeri a Tamajo castigatione sane dignissima. Quænam *Saxi-Firmio* ἀναλογία intercedit cum *Sirmio*, cujus urbis nomen adeo clare Anonymus expressit? neque Commentarium illud, quod vi-

Anonymi auctoritas expenditur,

Tamaji de Hispano,

Digitized by Google

vita inscribitur a Tamajo, Metaphrastis opus visum est Henschenio. Demum, si typographi meudum abest ab ea notatione, nonnisi per summam fraudem *Tarraconam* intrusit Tamajus in Anonymi testimonium, cum ibidem *Tarracinæ* nomen perspicuum sit, & apertum cuique vel Surium legenti, vel utraque Henschenii exemplaria, Græcum scilicet & Latinum, in quibus *Tarracinæ* Episcopus traditur Epaphroditus; utriusque vero fides & Ughellii, & ejusdem Henschenii auctoritate firmatur, quorum alter in Italia Sac., alter in opere Bolland. ad diem Martii 22. Tarracinensi Ecclesiæ primum Antistitem Epaphroditum attribuunt. Quapropter idem Henschenius in notis, quas Anonymo supposuit, hæc 3. Comment. cap. adscribit: *Sirmium in Pannonia novimus, non item in Hispania: Tamajus tamen in suo Martyrologio Hispanico die* xv. *Julii, ubi de S. Epæneto, illud se putat invenisse sub nomine Saxi-Firmii, quod ad dictam diem erit examinandum.* Quæ censura cum Guillelmo Cupero obtigisset, is inter *prætermissos* hujus diei 15. Julii ita bonæ mentis confidentiam in Tamajo redarguit: *Epæneti nova festivitate Martyrologium suum Hispanicum hoc die locupletavit Tamajus:* & compendiariam Epæneti vitam e Tamaji sententia exscribens adjicit; *Notæ, & vita in flosculum coagulata eamdem venam sapiunt: sed ea retulisse satis refutasse est.* Consultius equidem Tamajo fuisset, nomina saltem Scriptorum apponere, quibus mentio inest de Hispanico Episcopatu Epæneti; at unus fortasse is erat Pseudo-Dexter, cujus nugæ cuinam notæ non sunt, atque ineptiæ? ut mirari liceat, Tamajum huic Scriptori fidem adhibuisse, istaque, & alia id genus commenta eruditorum auribus ingessisse. Fuerit itaque Epænetus Inferioris Pannoniæ Regionarius Episcopus, qui munus suum adeo strenue gessit, ut e Provincia decedens cum in reliquis civitatibus, tum vero Sirmii potissimum ingenti Christianorum numero auctam Christi Ecclesiam reliquerit, atque præclaris fidei & sanctimoniæ exemplis maxime illustrem. Præfuit annos octo, aut novem, si ab anno 49., quo regimen Pannonicæ Ecclesiæ suscepit, summam conficias ad usque annum 58. Atque hoc tempore e Pannonia discedens Romam repetiit, uti ex Paulli epistola ad Romanos statuimus in §. superiori. Hic omnis omnino intercidit gestorum ejus memoria; nec postea in suam provinciam illum rediisse comperio. Sunt qui putant, fuisse Epænetum ad regendam Ecclesiam Carthaginensem translatum, auctoritate interposita Pseudo-Dorothei in Synopsi 70. Christi discipulorum, cui fidem impune haberi posse censet Farlatus, quamvis non ignoret, *quam infirma sit, atque imbecillis* apud eruditos viros. Attamen si vel Baronii testimonio fretus, qui in notat. ad Martyrol. 5. Junii non multa quidem, sed *nonnulla* tantum in eo opusculo reperit, *quæ castigatione digna sunt*, contendit idem Farlatus, illud non esse penitus abjiciendum, æquum profecto est ipsi Baronio assentiri, dum hac in parte ejusdem auctoris sententiam rejecisse videtur Tomo 1, Annal. anno 58. hæc scribens; *Mandat Paullus salutari & Epænetum, quem Dorotheus tradit factum esse Episcopum Chartaginiensem, sed nulla ejus rei memoria reperitur apud Africanos Scriptores Ecclesiasticos.* Colitur S. Epænetus a Græcis 3. Kal. Aug. cum SS. Sila, Crescente, & Andronico, eorumque memoriam brevi complectitur cum Menologium Basilii Junioris hisce verbis; μνήμη τῶν ἁγίων ἀποστόλων Σύλα, Σιλουάνου, Κρίσκεντος, Ἐπαίνετοῦ, καὶ Ἀνδρονίκου; tum Menologium metricum Tomo 1. Maii a Papebrochio insertum: τῶν ἁγίων ἀποστόλων ΣΥΛΑ, ΣΥΛΟΥΑΝΟΥ. ΚΡΙΣΚΕΝΤΟΣ, ΕΠΑΙΝΕΤΟΥ, καὶ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ: *sanctorum Apostolorum, Sylæ, Sylvani, Crescentis, Epæneti, & Andronici* memoria; e quibus, subdit Papebrochius, *colitur a Latinis Silas* 13. *Jul., cæteri ab iis ignorantur.* Ms. Synaxarium Collegii Parisiensis Soc. Jesu præfert Epæneti nomen cum SS. Rufo, & Timone VI. Kal. Jul. *SS. Rufus, Timon, & Epænetus Apostoli ex LXX.*; ibique addit Papebrochius in *prætermissis* hujus diei Tomo V. Junii, *singuli encomium habent hoc die.* Apud Latinos S. Epænetus & cultu caret, & anniversaria commemoratione.

Ejus memoria, & cultus in Ecclesia Græca.

& pseudo-Dorothei de Carthaginiensis Epæneti Episcopatu omnino falsa opinio.

S. ANDRONICUS EPISCOPUS SIRMIENSIS II.

Pannoniorum Ecclesia ob Epæneti discessum suo viduata pastore, non diu ejus vigilantiæ, ac sollicitudinis officia, & curas desideravit; Andronico in illius dignitatem, atque administrationem suffecto, qui summa cum fidei, ac morum sanctitate, ferventique Evangelii dilatandi studio commissum Episcopatus munus exerceret. Hunc alterum habuit Antistitem Sirmiensium civitas, illique propterea debet accepta referre Christianæ religionis apud se consitæ incrementa, & decora. Dolendum tamen est, quod illustriora ejus vitæ monumenta perierint: quæ vero supersunt, sic in unum collecta, & digesta hic attexam, ut nec rerum veritati fides, nec Andronici merito sit justa æstimatio defutura. Atque de ejus genere, & cum D. Paullo cognatione ut primum inquiram, huic inquisitioni & causam præbet, & materiam epistola D. Paulli ad Rom., cujus in cap. 16. vers. 7. Andronicus, & Junia hoc ornantur elogio: *Salutate Andronicum, & Juniam cognatos, & concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.* Cum vero binas in partes sit quæstio divisa, ante de cognatione disserere libet, quam genus ipsum investigare. Sacrorum igitur Bibliorum interpretes, & Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores in varias opiniones detorquent Apostoli testimonium, ut exponant, quo sensu, quove cognationis jure & hos, & cæteros, quibus in eo cap. eamdem tribuit laudem, sibi Paullus *cognatos* ap-

Opiniones variæ de cognationis vocabulo a S. Paulo usurpato.

Digitized by Google

Prima Origenis, appellet; sed alias rejicere promptum est, aliis puto non esse facile assentiendum. Atque Origenes quidem in cap. 16. epist. ad Rom. *cognationis* nomen ad translatam significationem traducens arbitratur, *cognatos* quosque ab Apostolo dici, quos una Christi religio secum per baptismi gratiam copulaverat; quamquam de Andronico, & Junia pæne dubius innuerit, posse hos cum Paullo vera sanguinis propinquitate conjunctos dici; *Potest quidem fieri, ut secundum carnem isti cognati fuerint Paulli.* Nec ab Origenis sententia abhorret Hugo de S. Charo, & hanc *cognationis* vocem *spiritualiter* intelligendam proponit. At enim cur Apostolus hosce tantummodo, & quosdam alios, de quibus vers. 11. *Salutare Herodionem cognatum meum;* & vers. 20. *Salutat vos Lucius, & Jason, & Sosipater cognati;* distincta ejusce appellationis forma commemorat? cæteros vero, quos eadem fidei, & baptismi necessitudo ad Christi Ecclesiam adjungebat, vel *fratres* nominat, vel *qui in Domino sunt*, communi quodam, & tunc maxime usitato dilectionis officio? quod sane cum Origenis sensu nequit convenire. Et licet ambigere possimus cum Tillemontio Tomo 1. monum. Eccles. not. 2. de S. Paullo, utrum Origenes de Christianis quibusvis assertionem ferat hujusmodi, an solum de iis, quos Paullus ipse baptismate abluerit, uti de hac Origenis sententia suspicatur Baronius, neutrum tamen reor esse affirmandum; etenim subdit hic auctor Tomo 1. Annal. Eccl. an. Ch. 58., *Certe quidem, si quos genuit in Evangelio, cognatos dicere voluisset, ante omnes Cajus, quem baptizaverat, & alii plures eo digni erant nomine;* Cajum vero *hospitem* solummodo appellat vers. ejusdem epistolæ 23., *Salutat vos Cajus hospes meus.* Hinc & omnis tollitur de Andronico & Junia Origenis dubitatio, cum ante ipsius Paulli conversionem sacris baptismi fuerint initiati; *Qui & ante me fuerunt in Christo;* quare nec ab illo baptizari potuerunt, neque collati baptismi gratia *cognati* dici. Quapropter idem Baronius alteram maluit illorum sequi opinionem, qui nec pauci, & eruditorum consensu valde illustres censuerunt, Judæos quosque hac *cognationis* nota ab Apostolo designari; quippe eodem scribit in loco, *Verius putamus, sic cognatos esse nominatos, quod essent ejusdem gentis, nempe Judæos;* & rationem addit; *nam idem* (Paullus) *superius* (scilicet cap. 9.) *Judæos omnes cognatos suos appellat, cum ait: Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Verum Judæi certe non erant Jason, & Sosipater, alter Thessalonicensis patria, alter Bercœensis in Macedonia, & ambo ex origine gentium, uti Origenes perhibet in cit. Paul. epist. cap. 16.; & hos *cognatos* revera Paullus appellavit vers. 21., non item vers. 3. Aquilam, & Priscillam, quos constat fuisse gente Judæos. Atque de Jasone, & Sosipatro mehercule miror, hujus sententiæ patronos non advertisse, neque scio, quid sint contra allaturi; de Aquila vero, & Priscilla video, quid Baronius apponat: *Sed quod non æque Aquilam, & Priscillam, quos constat fuisse Judæos, cognatorum nomine exornet, illam puto fuisse causam, quod prædicti notiores esse videbantur, quippe qui alias tempore Claudii Romæ agebant; cæteros vero fortasse advenas Judæos sic speciatim opus fuerit demonstrasse;* quæ ratio manca, & debilis facile arguitur exemplo Andronici, qui Romæ pridem, Claudio Imperatore, versatus, ut dicam alibi, & ideo Romanis probe cognitus, atque perspectus, hoc *cognationis* titulo nihilominus commendatur. Quod si Paullus cap. 9. Judæos omnes eadem appellatione distinguit, id in causa esse reor, ut declaret, cur *fratres* antea illos nominaverit, & appositi ad eam gentem vocabuli rationem reddat; utpote qui ab uno parente Abrahamo idem genus, eamdemque stirpis originem nacti, uti naturali sanguinis cognatione invicem jungebantur, ita fraternæ quoque necessitudinis & nomen, & gratiam sibi attribuebant. Tertia opinio eorum est, qui *cognationis* nomine mutuum ex eadem tribu communionis vinculum, & societatis intelligunt; quare cæteros, quorum mentio inest epistolæ Pauli, tum Andronicum & Juniam Judæis Beniamitis adjungunt, qua ex tribu oriundus erat Apostolus: sed nullo id comprobant argumento.

altera Baronii, tertia aliorum scriptorum expenditur, & rejicitur.

Ab hac igitur opinionum varietate decedere libet, & quam sententiam pauci proponunt, unus, aut alter amplectuntur, Tillemontius scilicet, & Calmetus, quos ego legerim, pro liberanda quæstione cæteris anteferre. Propterea cum iis censeo, hoc *cognationis* vocabulo veram exprimi sanguinis propinquitatem. Quid enim vetat, quominus nativo sensu, ac proprio nomen illud explicetur? aut quæ subest huic interpretationi difficultas? Si Andronicum spectes, & Juniam, ipsumque Herodionem, profecto nulla; si de Lucio, & Jasone, & Sosipatro contendat quis, & regionum distantiam, & discrimen religionis opponat, huic Tillemontii verba contra refero in Latinum versa sermonem ex nota jam indicata: *Verum quidem est, Lucium, si Lucas is est, Antiochenum fuisse, forte etiam e stirpe gentium, Jasonem Thessalonicensem, Sosipatrum vero Berææ in urbe Macedoniæ natum, & utrosque gentium superstitionibus enutritos; hinc & patria, & sacrorum cultu nimium a Paullo aberant, qui ortu Tharsensis fuit, religione Judæus: at minime nova res est eamdem familiam plures in partes dispertiri valde remotas, aut Judæis hominibus consanguinitatem cum gentibus intercessisse, uti in Timotheo liquet, cui Judæa mater perhibetur.* E quibus compertum habemus, qua fuerint Paullus, & Andronicus cognatione devincti: haud tamen ulterius puto esse inquirendum, utrum hic nepos Paulli jure dicatur ex Junia sorore procreatus; cui opinioni facem prætulisse visus B. Augustinus Zagrabiensis Antistes in ea concione,

Tillemonti hac in re probatur sententia.

ne,

Digitized by Google

ne, quam pro sedandis Hungariæ turbis, publice habuit, & Hagiologi Antuerpienses descripserunt in Tomo 1. Aug. pag. 300. Venet. edit. Scio Tillemontium Augustino consentire in vita S. Paulli art. 1. eumdemque is Andronicum esse putat atque adolescentem illum, qui Act. 23. v. 16. structas a Judæis insidias adversus Paullum Tribuno militum Romanorum aperuit, & *filius sororis Paulli* nominatur: sed mera isthæc affirmatio est probationis indiga, seu verius pura divinatio. Verum enimvero ex iis, quæ hactenus disseruimus, tuta satis via non aperitur ad cognoscendum Andronici genus, fuerit ne Judæo sanguine prognatus, an Græco, anne Latino: etenim veræ cognationis vinculum cum Paullo servatur, si vel una Andronici mater ab Judæorum gente natalis conditionem derivet; neque tamen conquisitum hominis genus probabiliter assequeris, nisi aliunde accersito argumenti cujuspiam præsidio. Atque hoc nobis ex eo suppetit, quod Scriptores quidam Andronicum receperint inter 72. Christi discipulos; qua de re nos quoque fuse pro illorum sententia disseremus; unde illud colligere necesse est, paternum Andronici genus, atque familiam esse Judæorum genti ac nomini adscribenda. Certum quippe est, & absque ulla controversia firmatum, duos illos, atque septuaginta, quos in Evangelii procurationem, propagationemque adscitos communi vocabulo Christi discipulos nominamus, ab ipsomet Christo fuisse ex Hebræa gente delectos; & licet nemo sacrorum Interpretum hanc rem sedulo, studioseque tractandam curaverit, quæ tamen insunt divinis libris argumenta, adeo efficaci ad persuadendum pollent vi, ut tanto futura sint nostræ disquisitioni utiliora, si huc transferantur, quanto id fiet, de quo inquirimus, exploratius. Firmum itaque præ reliquis argumentum continetur in ipso ministerii instituto, quod Christus obeundum suscepit, cum diserte & palam testaretur, se *missum non esse, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel*; quibus verbis significari voluit, ineffabilis ejus, ac plane divinæ, quam a Patre acceperat, legationis munus Hebræorum finibus fuisse definitum, quorum cura, & salus sibi in primis commendabatur: ita enim sapienti Dei providentia fuerat comparatum, ut primum in illa gente Prophetarum oraculis, divinisque promissionibus de Christo Redemptore eventu ipso comprobatis, inde per ejus vicarios, atque administros, patratæ jam redemptionis uberrimi fructus in universum terrarum orbem disseminarentur. Erat igitur apprime conveniens, quemadmodum ex una Israelitarum natione duodecim sibi viros Christus adjunxit, qui, suæ Divinitatis, suorumque operum testimonio longe, lateque diffuso, apostolico munere fungerentur Christianæ religionis dilatandæ, stabiliendæque, ita ex Israeliticis hominibus cælesti doctrina, suique imitatione eruditis, illum discipulorum ordinem constituere, qui adjutricem Apostolis operam in Evangelii administratione adhiberent, quique in sacris literis Presbyteri, sive seniores solent appellari: eoque magis congruenter, & apte, quod hi eodem ferme loco, ac munere haberi debebant, (ut præclare docet Hieronymus in epist. ad Evagrium), quo apud Moysem olim fuerant illi itidem septuaginta duo Majores natu, quos ipse ex universo populo delegerat, ut sibi auctores in consiliis capiendis, adjutores in rebus agendis adessent. Alterum argumentum exstat ejusmodi in Evang. Lucæ, & Joannis; hic etenim cap. 12. ver. 20. scribit, Gentiles homines tum primo ad Christum, illius visendi, audiendique cupidos, accessisse, cum solemni illa, & in speciem triumphali pompa Hierosolymam ingressus impendentem jam diræ mortis procellam alacri, flagrantique divinæ charitatis studio opperiebatur; hinc veluti quædam Gentium primitiæ, quibus certa salus universe imminebat, & ab inferni hostis tyrannide plena libertas, Sanctorum Patrum commendatione dicuntur; quamvis sectandæ Christi disciplinæ non omnino se adjecerint. Lucas autem, qui unus duorum supra septuaginta discipulorum missionem in Evangelica Historia commemoravit cap. 10. ver. 1., id antea factum esse prodit, quam gentiles ad Christi colloquium, congressionemque venirent, nimirum ante octo circiter menses, uti ex chronologica Jesu Christi vita potest facile deprehendi: unde perspicue magis, & aperte dignoscas Judæos tantummodo potuisse in discipulorum ordinem cooptari. Quinimmo disceptationis materiem penitus intuens, atque introgrediens videor mihi haud a veritate aberraturus, si regionem quoque, ac stirpem definiam, ex qua duo illi atque septuaginta fuerunt oriundi, eosque Galilææ tribubus, atque incolis accensuero, non secus ac Hieronymus, Theodoretus, Baronius, aliique complures eidem omnes provinciæ Apostolos tribuerant. Quæ me autem ratio movet, firma illa quidem, & meo certa judicio, innititur Historiæ sacræ auctoritati: quis enim neget & Christi discipulos illa verba spectare, quibus post ejus ad cælos ascensum cælestes *duo viri* eos compellarunt, qui in Olivetum convenerant; *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Luca auctore cap. 1. Act. Apost. Num discipulis illi spectaculo interesse non licuit? at enim aderant ii, ut constans est in Ecclesia traditio; cur igitur ejus allocutionis sensum, atque intelligentiam ab iisdem averteris, & communem assumpti ex Galilæa cognominis appellationem? Quod ipsum in alt. Act. cap. video significari, cum effusa in omnes Christi asseclas, *erat autem turba hominum simul fere centum viginti*, virtute & gratia Spiritus Sancti, omnes *cæperunt loqui variis linguis*: tunc enim rei novitatem admirans populi multitudo sibi invicem adstrepebant; *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt?* Siquis autem solis Apostolis id velit referri, & discipulos, cæteros-

Judæum vero genere fuisse S. Andronicum,

ex communi genere discipulorum Christi evincimus,

qui Judæi fuerunt,

& ex Galilæa provincia oriundi;

rosque, qui aderant, in illa vulgi interrogatione minime comprehendi, vereor, ne sibi culpam violati in Divina Historia sensus, ac notam inurat. Itaque hac etiam re pro institutæ quæstionis subsidio haud levi rationum momento obfirmata, sic statuo, atque decerno, cum discipulorum numerus solo Judæorum hominum delectu constaret, & ex illis unus esset Andronicus, ipsius genus, & nomen in censum Israelitici populi, & Galilæorum provinciæ adnumerandum.

uti & Andronicus.

Cum in vita S. Epæneti nonnulla attigerimus de 72. Christi discipulis, ut probaremus Guillelmi Cuperi auctoritate, nihil certum, ratumve in Ecclesiasticis Scriptoribus reperiri, ex quo singulorum nomina liquido innotescant, supervacaneum quis fortasse dixerit, ejusmodi instituere quæstionem, de qua censorii æquitate judicii nequeat decidi. Equidem Augustinus Calmet in Diction. Sacræ Script. lit. D. Horum, inquit, *discipulorum catalogus apud Græcos occurrit, sed neque antiquitate, neque auctoritate ita præstans, ut fidem extorqueat. Ille vero, qui Eusebii ætate, quarto scilicet sæculo, exstabat, intercidit. Euseb. lib. 1. cap. 12. Hist. Eccl.* Verum hic IV. sæculi catalogus, quem citat Eusebii auctoritate, adeo false confingitur, ut Eusebius ipse eo in loco contrarium penitus affirmaverit: *Quod vero ad septuaginta discipulos attinet, eorum series nullibi perscripta reperitur.* Nihilo tamen minus mihi valde probabile fit, Andronicum inter duos illos atque septuaginta locum obtinuisse; neque id assero Dorothei, Chronici Paschalis, aut Equilini adductus testimonio, quorum fidem una cum Græcorum Fastis hac in parte veluti dubiam rejecimus in vita S. Epæneti; cum præsens sit aliorum Scriptorum judicium sane gravissimum, & sententia non obscura, quibuscum errasse nemo prudens mihi vertet nimiæ credulitatis errori. Igitur Origenis primum auctoritas valet, qui Apostoli verba proponens ideo *nobiles in Apostolis* dici existimavit Andronicum, & Juniam, quia ejus cognominis dignitate quandoque Christi discipuli celebrarentur; *Possibile est, & illud intelligi, quod fortassis ex illis 72., qui & ipsi Apostoli nominati sunt, fuerint; & ideo nobiles eos in Apostolis dicat Paullus, & in his Apostolis, qui ante eum fuerunt.* Quam vero opinionem dubitanter protulit Origenes, eidem Salmeronius tamquam certæ adscribere visus est, illis Paullinæ epistolæ verbis hanc notam subjiciens; *Qui sunt, inquit, nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo. Ubi ex duobus illos commendat. Primo quod essent insignes inter Apostolos. Et Apostolos quidem esse volunt illos, qui Dominum viderunt, & eumdem in carne prædicantem audiverunt. Addit deinde illos ante se fuisse in Christo, quia, ut Origenes tradit, fuerunt ex numero septuaginta duorum discipulorum, & bi missi ab Apostolis in Urbem munere apostolico fungebantur.* At Henschenius in Comment. de SS. Andronico, & Junia, quod insertum legitur Tomo IV. Maii Boll., sententiam omnino probavit: *Denique addit Paullus, Qui etiam ante me fuerunt in Christo. Hoc est, qui ante me in Christum crediderunt, & Christiani fuerunt: scilicet quando Andronicus inter septuaginta Christi discipulos fuit assumptus, uti etiam Origenes, Chrysostomus, aliique censuerunt.* Vellem porro Chrysostomi testimonium fuisse ab Henschenio productum, siquidem perscrutanti mihi homil. 31. super epist. ad Rom., ubi fuse, ornateque Andronici & Juniæ laudes persequitur, ne vestigium quidem ullum occurrit assertionis hujusmodi Chrysostomo attributæ. Qui vero inter veteres Ecclesiæ Scriptores primus haud dubie Andronici nomen inseruit Christi discipulis, is est Hesychius Salonitanus Antistes hoc nomine tertius in vita S. Clementis P. & M., cujus auctoritatem exhibere præstat, & tueri, cum Sirmiensem cathedram Andronico vindicabimus. Neque ab Hesychii ætate plurimum distat Auctor secundæ vitæ S. Domnii Salonitani item Antistitis, quam si nolis fuisse ab Hesychio conscriptam, ejus tamen vetustatis & fidei argumenta reperies a Farlato prolata in 1. Tomo Illyr. Sacri, ex qua hoc describimus testimonium: *Profectus itaque S. Petrus cum Andronico antiquo Christi discipulo, quem idem Apostolus Sirmio in Pannonia præfecerat, venit Dalmatiam.* Quare Simon Begnius Modrusiensis Episcopus vir Illyrica eruditione præstantissimus in Collectaneis, quæ mss. servantur in Archivo Georgicæo, uti ibidem refert Farlatus sub init. vitæ S. Domnii, cæsimque in usum Historiæ nostræ fuere exscripta, eodem, quo cæteri, sensu hæc scribit; *Andronicus fuit Sirmiensis primus Episcopus, idemque antiquus Christi discipulus.* Atque hos secuti, tum Primus Cabilonensis Episcopus ac Theologus in Topographia SS. Christi Martyrum, quam an. 1450. composuit, de Andronico scribit, *unum* fuisse e 72. Discipulis Domini; tum Baronius non aliter censuit definiendum ad an. Ch. 58. *Post prædictos salutem suo nomine dici mandat Paullus Andronico, & Juniæ, quos cognatos, & concaptivos appellat, ac nobiles in Apostolis, quod ad illud munus ante ipsum adsciti fuissent: quam ob rem jure creditum est, hos fuisse antiquos Christi discipulos.* Cur ergo in tanta horum Auctorum consensione dubitamus in eorum opinionem concedere, idque laudis, gloriæque Andronico tribuere? Hæc fuit etiam mens Tillemontii Tomo 1. monum. Eccl., qui cum in vita J.C. art. XI., tum in vita S. Paulli art. 1. jure, ac merito affirmat, Andronicum, & Juniam posse præ cæteris, de quibus eadem opinio fertur, cum 72. conjungi; hinc & Augustinus Calmetus in cit. Diction. loco utrumque item in illorum ordinem, officiique dignitatem recepit. Sive autem apostolici testimonii gravitate hoc sibi persuaserint auctores isti, sive veterum monumentorum fide, certum tamen est, hujuscemodi viros nec levitatis, nec oscitantiæ esse facile

Error Calmeti notatur.

S. Andronicus fuit ex 72. Christi discipulis.

argu-

arguendos, quodque ab iis probatum est, non imprudenter admitti. Quibus non sunt inter postremos adnumerandi & Galesinius in Martyrol., & Ferrarius in nova Topographia verb. *Sirmium*; hic enim Andronicum memorat *ex 72. Discipulis*; ille ita scribit; *In Pannonia S. Andronici Episcopi. Hic unus e septuaginta discipulis Domini nostri Jesu Christi*; & in subjecta nota, *in LXXII. discipulis nobilis putatur*. Demum Joannes Petrus Crescentius in opere Italico, quod inscribitur *Præsidium Romanum*, lib. 1. pag. 139. ex Discipulis Domini enumerat *Andronicum Apostolum Illyrici*. Non itaque ex hoc numero delendus videtur esse Andronicus, cui si minus Scriptorum testimonia prodessent, vel ipsa rerum gestarum magnitudo, susceptique pro Evangelio labores tantum tribuere possunt, ut in discipulorum cœtu & nomen & locum summo cum honore retineat.

SS. Andronici, & Juniæ elogium ex D. Paullo.

Constituta sententia, qua censuimus, S. Andronicum posse 72. discipulis jure optimo adnumerari, tanto majorem profecto obtinet vim commendationis hæc pro Andronico & Junia Paulli locutio, *qui & ante me fuerunt in Christo*, quanto sanctius reverentiæ & charitatis officium tribui æquum est homini illi, cui familiaris cum Christo vitæ consuetudo intercesserat, deque acceptis ab ipso Christianæ disciplinæ institutis fas erat præ multis gloriari. Neque tanto se indignum præbuit præceptore Andronicus, qui una cum Junia divinarum præcipue imitator virtutum, & Paulli laborum æmulus, insignem promeritus est, & cum Apostolis parem æque cognominis gloriam, ac præclaræ in suscepto cursu tolerantiæ laudem; siquidem illos *concaptivos* Paullus appellat, & *nobiles in Apostolis*; id est, uti notat Henschenius, ἐπίσημοι *illustres nempe, & insignes in Apostolatu*; *quod Evangelium Christi Infidelibus annuntiavit*. Sed non levis subest difficultas dictioni illi *& concaptivos meos*, quam Paullus Græce ita expressit, καὶ συναιχμαλώτους μου: atque inde oritur quæstio, quod Græca vox αἰχμάλωτος, ex qua συναιχμάλωτος compositum nomen, & ex præpositione σὺν, intulit Paullus in Græcorum sermonem, *captivum* sonet propria significatione, hoc est, *belli & armis captum*, quem Latini *mancipium* distincto vocabulo dixere. Et sane, inquit Chrysostomus, *ubi captus est Paullus, ut hic dicat, concaptivos meos? captivus quidem non fuit*. Neque vero is ignorabat, quoties Apostolus vinculis obstrictus, & duri carceris angustiis diutinas calamitates sustinuerit, qui propterea δέσμιον sese, & συνδεσμίους Andronicum, & Juniam aptiori verborum usu dixisset, quam αἰχμάλωτον, vel συναιχμαλώτους, si reorum vincula, & carceres per hanc ejus epistolæ dictionem innueret: eamque porro vocem non semel ad id significandum adhibuit, tum in epist. ad Ephes. 3. 1. & 4. 1., tum initio ejus, quam Philemoni scripsit, cum in Romana custodia Neronis jussu detineretur; Παῦλος δέσμιος Ἰησοῦ Χριστοῦ: δέσμιος enim, aut δεσμώτης a Græcis assolet proprie dici, qui legum judicio reus ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, in carcere scilicet includatur causa luendæ pro delicto pœnæ, qualis revera Paullus propter eversam gentium superstitionem, atque oppugnatum Judaicæ legis cultum habitus est a Romanis, & Hebræis. Ab hac itaque Paullini sensus difficultate effugium nactus Origenes in nimia illa, atque adeo effusa translationum licentia, qua plerumque abuti visus est pro sacrorum librorum interpretatione, hanc viam iniit illius dictionis explicandæ, illustrandæque: *Sed & illud me movet, quod ait, concaptivos meos. Quæ enim erat captivitas Pauli, in qua etiam sibi Andronicum & Juniam concaptivos esse testatur? nisi forte profundiore mysterio ad illam respiciamus captivitatem, quam Christus venit absolvere, de qua scriptum est* (Luc. 4.) *venire, & dare eum captivis remissionem, cæcis visum. In qua captivitate videntur una atque eadem ratione isti esse, qua & Paullus erat*. Ingeniose tamen Chrysostomus magis, quam vere in cit. sæpius hom. 31. innumeras pæne Apostoli ærumnas hic intelligi, atque cum Andronico, & Junia voluit communicari: *Captivus quidem non fuit Paullus; captivis tamen multo graviora passus est; non solum abalienatus a patria, & domo, sed & cum fame, continua morte, innumerisque aliis decertans. Nam in captivo hoc solum est grave, quod a domesticis abalienatus pro libero sæpenumero fit servus. Hic autem vix enumerare queas tentationes illas byberna nive crebriores, quas sustinuit beatus ille, jactatus, & circumactus, flagellatus, ligatus, lapidatus, submersus, innumeros habens insidiatores. Et captivi quidem posteaquam abducti sunt, neminem amplius hostem habent, sed & subinde multa curatione potiuntur ab iis ipsis, a quibus capti sunt. Hic vero in mediis hostibus continuo versatus ubique gladios acutos, acies, & pugnas vidit. Quoniam igitur possibile est, & istos in multis illis periculis communicasse, concaptivos suos eos vocat. Quemadmodum & alibi dixit*, (Coloss. 4.) *Aristarchus concaptivus meus*. Huic equidem sententiæ adhærere videntur Interpretum plures; a qua neque Tillemontius abhorret in vita S. Paulli art. 58., & præterea insinuat, Andronicum fuisse in vincula revera conjectum pro Christi nomine *sive Philippis, sive alio quovis in loco, quem ignoramus*. Nobis vero, quando puram propriamque ejus vocabuli significationem volumus retinere, haud incongruum apparet, ineptumve affirmare fuisse Paullum alicubi hostili quopiam incursu captivum abductum, cum sæpe barbaras inter gentes, exterasque nationes diversaretur crebris bellorum motibus agitatas; eoque tempore itinerum socios, laborum adjutores, habuisse Andronicum, & Juniam; quamvis enim id neque in litteris Paullus, neque Lucas in Actis expresse meminerint, aperta nimis inest illi vocabulo hujusce rei significatio; atque in iis vitæ periculis, quibus se commisisse narrat

Origenis alia,

alia Chrysostomi opinio rejecta.

Quænam eorum fuerit cum Apostolo captivitas, explicatur.

rat Apostolus 2. ad Corinth. 1. hoc etiam discrimen sane gravissimum contineri verisimillimum est. Hinc magna profecto laus Andronici nomen, resque gestas consequitur, quæ vel uno Apostoli testimonio mirifice comprobantur, non solum in subeundis, perferendisque apostolicæ missionis ærumnis, verum etiam in re Christiana quam studiosissime amplificanda. Quid enim est, quod illum & Juniam adeo Paullus extollat propter eximiam apostolici muneris administrationem: *qui sunt nobiles in Apostolis?* Subdit autem Chrysostomus; *Atqui & Apostolos esse hoc ipsum magnum est; inter illos vero & insignes esse, perpende quantum sit encomium. Ab operibus autem, & rebus bene gestis insignes erant.* Cum autem a primis usque fundatæ Ecclesiæ temporibus vix quemquam invenias, præter Divinorum Codicum auctores, cujus scripta integre, incorrupteque servata ætatem nostram attigerint, fieri utique nequit, ut Apostoli testimonio, quo nihil gravius, nihil ad illustranda Andronici facinora honorabilius, aliud quidquam certæ auctoritatis monumentum addamus, ex quo rerum ab ipso gestarum clarior adhuc notitia suppeditetur; immo magna illius ævi scriptorum paucitas, qui prima religionis Christianæ incrementa prodiderint, & apostolicorum hominum prope infinitos in ea stabilienda labores, cum una mens cunctis inerat Fidelibus, & vehemens animorum cupido sanguine potius, quam scriptis Ecclesiarum perennitati consulere, facile persuadet, nullam exstitisse unquam literis traditam Andronici memoriam. Unde conjicere licet, quidquid de illo Græcorum Menologia uberrima laude prædicarunt, in vetusta, & apud illam gentem continuata traditione fundari. Atque hoc loco illud elogium minime prætereundum censeo, quod Andronici merita fusiori præ cæteris laudatione complectitur, & Menologio Basilii Imperatoris insertum legitur ad diem Maji decimam septimam: *Die decima septima ejusdem mensis Maji, memoria S. Andronici Apostoli unius ex septuaginta, & Juniæ. Andronicus Christi Apostolus cum terrarum orbem universum percurreret, perinde ac si alas, quibus subveheretur, haberet, Christi fidem ubique promulgans, omnem prorsus Ethnicorum errorem a fundamentis subvertit: omnem vere pietatem, atque orthodoxam religionem plantavit, consortem secum habens, atque adjutricem divinæ prædicationis admirabilem fœminam Juniam mundo & carni mortuam, soli Deo vivam, ac muneri suo fungentem. Simul ergo multos ex Infidelibus ad Dei cognitionem pertraxerunt, eosque Christo conciliarunt, ac lucis, & diei filios per sanctum baptismum effecerunt; atque idolorum templis eversis Ecclesias Christi ubique ædificaverunt. Horum etiam Sanctorum magnum orbis luminare Paullus Apostolus mentionem facit in suis epistolis, Salutate, inquiens, Andronicum, & Juniam. Hi itaque, cum impuros spiritus ex pluribus hominibus ejecissent, pluresque insanabiles morbos curassent, ad Christum emigrarunt.* Eadem fere prosecuti sunt tum Menologii auctor typis a Sirleto excusi, tum Maximus Cytharorum Episcopus ἐν βίοις ἁγίων a se collectis, & novum Anthologium Clementis VIII. auctoritate vulgatum; iisque Menæa consentiunt, & Græcum Synaxarium ms. Cur vero aut spuria isthæc, aut suspiceris conficta, quæ insignis nimirum Apostolatus exhibent characterem, & cum Paulli testimonio apprime conveniunt? hinc & S. Joseph Hymnographus in ordine Divini Officii pro festo Andronici die ab se concinnato veritus haud est gravibus profecto verbis ejus nomen exornare, & in Antiphona secundam inter & tertiam Odem Psalmis præposita hæc scripsit; *Divinus Andronicus in lucem transformatus illustravit corda cognitionis divinæ lumine;* itidem in dysticho lectioni Synaxarii præfixo, *Gentium, Apostole, cum millia erudisses, ivisti ad Christum, qui gentes ad lumen vocat;* tum in Ode prima, *Morbos mundare, pestimosque spiritus effugare ex divina Numinis gratia accepisti, Deo sapiens Andronice.* Haud ego quidem negaverim, ornandi Andronici studio in hyperbolem quodammodo incidisse Menologii illius Scriptorem; sed minuitur veritati fides, non adimitur granditate sensuum, exaggeratione verborum. Quocirca Galesinius postridie ejus diei 17. Maji, elatæ Menologii locutioni veritus indulgere, temperate non minus, quam vere maluit hisce verbis Andronici gesta perstringere: *In Pannonia S. Andronici Episcopi. Hic unus e septuaginta discipulis Domini nostri Jesu Christi, cujus in ea, quæ ad Romanos scripta est epistola, beatus Apostolus Paullus meminit, Pannoniæ primus Episcopus, cælestis magistri præceptis conformatus, episcopalis vigilantiæ laboribus in Evangelii propagatione, aliorumque salute propaganda perfunctus dormivit in Domino.* Quamquam velim hic animadverti, res gestas Andronici omnes tempori episcopalis regiminis non esse illigandas; etenim, cum ejus Pontificatus initium in annum Christi incidat quinquagesimum circiter nonum, superius tempus, quod eo usque procurrit ab suscepta cum aliis discipulis Christi institutione, fructu certe non caruit evangelicæ prædicationis; sive divino instinctus consilio novas ipse primus condiderit Ecclesias, sive ab Apostolis, aut Apostolorum discipulis conditas auxerit, sive demum Apostolis ipsis sociam opem impenderit pro sui officii, & muneris qualitate,

Græcorum e Andronico, & Juniæ testimonium ex Menologiis.

Equidem non uni Paullo operam præstitit Andronicus, & adjutricem divini verbi disseminandi curam; namque cum Petrus primo Romam adiret, ut in ea urbe omnium gentium ac terrarum domina Sedem Pontificiam, futurumque totius Orbis Christiani Principatum constitueret, non modo Epænetum hujus itineris comitem, sed & Andronicum sibimet adjunxit, Farlato auctore in Tomo 1. part. 3. proleg. sect. 1. cap. 2. §. 2.; quibuscum, subdit de hoc Petri itinere fuse

dis-

Digitized by Google

disserens cap. 1. §. 1., *in Asiaticis, Illyricis, & maritimis Italiæ civitatibus lustrandis, & circumferendo Evangelio menses circiter septem* cum absumpsisset, Romam pervenit anno secundo Claudii, Christi 42. Huic Andronici in Urbem adventui auctoritas favet Jacobi Usserii in Annal. V. & N. T. ætate Mundi 7., licet aliam itineris causam, alium annum consignaverit pag. 643. edit. Bremensis: hic autem est annus Christi 34., quo suborta primum Hierosolymis persecutio adversus nascentem adhuc Ecclesiam varias in regiones disjecit, distraxitque Fideles inibi commorantes; & aliis alio effugium quærentibus, alii, pergit Usserius, *ipsam quoque fortasse Romam profecti sunt, atque inter eos Andronicus, & Junia, qui insignes fuerunt inter Apostolos, ipsius Sauli persecutoris cognati, & ante ipsum Fidem Christi amplexi.* Hic nolo ego dispersionis hujus tempus inquirere, quam Lucas meminit Act. 8., & Petavius anno Ch. affixit trigesimo primo; nequeo tamen, quin aliquantisper hæream, ut Farlati, & Usserii comparata utrinque opinione, cuinam sit potius concedendum, explorem. Neque temporis discrimen, quo uterque Andronicum Romam deduci, magnam habet difficultatem, ut ne utriusque sententiæ dissidium componatur; ratio vero, & itineris causa Farlato æque, ac Usserio diversa id efficit, ut neutra opinio possit convenire. Etenim in illa Ecclesiæ calamitate, depulsis Hierosolyma, fugatisque Christianis, Apostoli tamen omnino omnes, quibus innitebatur religionis præsidium, in acie firmiter perstiterunt, fugam veriti inimicis despectui, pusillis animis offensioni futuram: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apostolos*, inquit Actorum Scriptor cap. 8. 1. Igitur nequit Andronicus Petrum habere Romani itineris ducem, & auctorem, quippe illo Judaicæ persecutionis tempore Hierosolymis degentem, unde Samariam paullo post cum Joanne perrexit, ut novam Ecclesiæ prolem præsens ipse solaretur, & Christianis imbueret mysteriis. In quo opinionum discrimine uterque tamen cohærere probe videntur; cum Farlatus nullum pro se afferat auctoritatis momentum, & Usserii simplex sit affirmatio, immo, ut insinuat adjecta particula *fortasse*, ipsi auctori dubia. Quare vel utramque abjiciamus sententiam, licet, vel si nolumus alterutram præferre, quod injuria parum abesset propter æqualem probationis defectum, sequamur utramque. Quid inde vero incommodi est, quidve dissimile veritati, si perspecta apostolicorum hominum consuetudine, quibus circumferendæ, quoquo possent, religionis vehementer cupidis grave nihil, aut laboriosum erat, dissitas valde gentium ac populorum regiones continuis peregrinationibus obire, & repetitis sæpe itineribus easdem Christiano cultui addictas revisere, ut sua præsentia Ecclesiarum bono, atque incolumitati prospicerent, idcirco statuamus, Andronicum semel atque iterum Romam venisse, absoluto nondum octo annorum spatio, anno videlicet 34., uti Usserius, & rursum anno 42., uti Farlatus opinantur? At enim, ait Tillemontius Tomo 1. monum. Eccl. notat. de S. Petro 15., *Non video satis, hanc Usserii conjecturam veriorem esse*, quam ea sit Baronii, qui existimavit, Galatas illos, quibus scripsit Paullus, *Ante quorum oculos Jesus præscriptus est in vobis crucifixus*, Judæos genere, & testes inflictæ Christo necis exstitisse, qui eadem persecutionis causa in Galatiam profugerint. Esto tamen, incertam fecisse Usserium conjecturam non secus, atque Farlatus; falsitati ne obnoxia a Tillemontio probatur? cumque geminum iter, quod uterque auctor conjecit, apostolici viri instituto, ut diximus, ac illorum temporum usui recte conveniat, probabilis saltem ratio aliqua suppetit utriusque admittendæ sententiæ, quæ nulla apparet rejiciendæ. Illud dubio procul abest, & sanctissimo Paulli testimonio firmatur, Andronicum Romæ per id temporis egisse, quo Apostolus divinam plane Romanis misit epistolam, eumque in illa & Juniam singulari salutationis honore cumulavit, an. nimirum 58., ut supra de S. Epæneto probavimus. Hujusce itineris incomperta nobis ratio est, quam inutile reor, absque veterum Scriptorum ductu perscrutari, ab Urbe autem digressus Andronicus quo anno, & quo auctore demandatam sibi Sirmiensem Ecclesiam adierit, examinemus.

Andronicum Epæneto successisse in ecclesiasticam Inferioris Pannoniæ administrationem ordinata temporum series facile ostendit. Etenim ad an. Ch. 49. constituto S. Epæneti Episcopatu, & in an. usque 58. perducto, illico successoris surrogandi patet aditus in Andronico, quem communis plurium Scriptorum consensus Pannonicæ Ecclesiæ præfuisse tradit; neque ante id factum esse, quam Epænetus e provincia discederet, paullo inferius referemus. Nunc id nobis est certa, quoad fieri potest, auctoritate declarandum, Sirmiensis cathedræ pontificiam potestatem Andronico obtigisse, qui in ea urbe totius Pannoniæ facile principe ecclesiasticum Metropoleos honorem, atque auctoritatem fundaret. Namque amplivaga nimium, nimiumque late patens ea est Pannonici Episcopatus denominatio, quam nonnulli usurparunt, perinde atque Andronicus inter Regionarios Episcopos esset adnumerandus. Atque hisce exemplo præest & ætate Dorotheus in Synopsi LXX. Christi discipulorum hæc scribens; *Andronicus, cujus etiam Apostolus in ea, quæ ad Romanos est, recordatur, Pannoniæ factus est Episcopus*; quem citat Baronius ad an. Ch. 58., & Equilinus secutus est lib. 6. cap. 103. Galesinius vero id præterea Dorothei adjunxit testimonio, quod jure oportet repudiari, cum Andronicum *primum* Pannoniæ Episcopum nominavit, quippe

Romanum utriusque iter an. Ch. 34. ex Usserii, & iterum an. Ch. 42. ex Farlati sententia,

ac tertio an. Ch. 58.

Statuitur Sirmiensis S. Andronici Episcopatus,

Galesinius notatus,

pe cui Epænetus certe præcesserit. Idonea magis scribendi ratione videtur usus Primus Cabilonensis Antistes, quippe in sua Topographia SS. Christi Martyrum perhibet: *Andronicus, de quo Paullus Apostolus, fuit in Pannonia Episcopus:* verum etenim quodammodo est, eum in Pannonia Episcopum extitisse, qui in aliqua Pannoniæ urbe id muneris gesserit, atque dignitatis. Equidem Henschenio hæc opinio minime arridet, & Dorotheanæ Synopseos auctoritati diffidens difficilem sese, dubiumque præstat in Andronici Episcopatu probando; *Non magni etenim æstimatur Synopsis prædicta, ac proinde non continuo admittuntur dicti Episcopatus illorum,* (Andronici scilicet, & Juniæ, quam virum fuisse autumat, & Apameæ Episcopum Auctor Synopsis), *absque aliorum Græcorum testimonio: quod tamen de S. Andronico fecerunt Galesinius, & hunc secuti Canisius, aut qui ejus Menologium Germanicum auxit, itemque Ferrarius, sed sequenti die* 18. *Maji*. Dorothei tamen, aliorumque omissis auctoritatibus, ut una, eademque opera evincamus; Andronicum Sirmiensem Episcopum fuisse, nobis ad faciendam fidem plurimum profecto valet unus Hesychius, qui sæc. IV. Salonitanæ præfuit Ecclesiæ, doctrina, doctissimorumque illius ætatis virorum Zosimi, Chrysostomi, & Augustini familiaritate æque clarus, ac scriptis libris, de quibus Farlatus Tomo 2. Illyrici Sac. in tertio ejus vitæ cap. §. 1.; atque is in ea, quam S. Clementis P. & M. vitam elucubratus est, haud semel perspicuum oppido, ac singulare pro Episcopatu Andronici edidit testimonium. Vitam hanc, ait ibidem Farlatus, *ab se inventam illustri præconio commendat, & quædam scitu digna indidem excerpta suis Collectaneis inseruit Simon Begnius Episcopus Modrusiæ in Dalmatia, vir singularis ingenii, eximiæ doctrinæ, prudentis, sincerique judicii;* qua Farlati perhonorifica adversus Begnium commendatione plurimum auctoritatis Clementinæ vitæ accedit, ne spurium opus, & ementito Hesychii nomine inscriptum illud esse suspicemur, quod Begnius ipse suffragii sui comprobavit gravitate. Rara quidem sunt, teste eodem Begnio in Collectaneis, hujus voluminis exemplaria, quæ nunquam typis excusa ut invenire posset Farlatus, nihil diligentiæ, atque investigationis censuit esse prætermittendum; sed omnis inquisitio pæne irrita eo demum recidit, ut duo tantum fragmenta nactus fuerit, seu potius initia ejus Historiæ, quibus deerat pars maxima, & præcipua; atque iis quoque præpropera nimis sollicitudine eo restitutis, unde fuerant accepta, facultas afferendi ex ipso apographo Hesychii testimonium mihi penitus interdicitur. Hoc tamen incommodi solerti compensatione nobis levavit idem Begnius, qui, cum nonnulla de Illyricianis Ecclesiis e vita S. Clementis in sua Collectanea transcripsisset, illam etiam, quæ valde nobis optabilis erat, unam, & alteram Hesychii auctoritatem eodem transtulit: & primi quidem testimonii sensum solummodo meminisse satis existimans, subdit: *Testatur* (Hesychius) *inter cætera Salonitanam Ecclesiam fundatam fuisse a S. Domnio S. Petri Apostoli discipulo; Sirmiensis primum Episcopum Andronicum, antiquum Christi discipulum;* alterius porro ipsissima quoque verba integre, fideliterque ita exposuit: *In tabulis*, inquit Hesychius, *Sirmiensis Ecclesiæ notatum vidimus, eo ipso anno, quo Clemens Cæsaream venit, Paullo Fabio, & Vitellio Nepote Coss., Beatum Jacobum Zebedei filium, Joannis Apostoli germanum fratrem, ab Apostolorum Principe Petro missum, in Hispaniam pervenisse, atque in illis partibus primum ex Apostolis Christi fidem annuntiasse, Ecclesias fundasse, Episcopos ordinasse, peragratisque quasi universis Hispaniarum urbibus, & maxima ad Christi fidem populorum multitudine conversa, Hierosolymam rediisse, Aquillio, & Nonio Conss. Et hæc quidem illi Ecclesiæ dedit Andronicus antiquus Christi discipulus, qui fuit primus Sirmii in Pannonia Episcopus.* Quo vero sensu *primus Sirmii Episcopus* Andronicus dictus fuerit ab Hesychio, superius in S. Epæneto expendimus; neque unius auctoritas cæteris omnino est præferenda, qui Andronici Episcopatum adprobant, primum vero in Sirmiensi Sede fuisse silent. Sane, qui consequitur, auctor secundæ vitæ B. Domnii Episcopi Salonitani in Tomo 1. Operis hujus productæ, idemque fortasse Hesychius est, ut Farlatus autumat, his unice verbis Andronicum Sirmiensem Antistitem nominat, ejusque Pontificatum confirmat; *Profectus itaque* (Domnius) *cum Andronico antiquo Christi discipulo, quem idem Apostolus* (Petrus) *Sirmio in Pannonia præfecerat, venit Dalmatiam.* Quo in loco perspici sane potest, hanc de Andronico opinionem non in una tantum Ecclesia eo tempore innotuisse; quam deinde sive eodem haustam e fonte, sive aliunde acceptam B. Augustinus Zagrabiensis Antistes initio sæc. XIV. publice in Hungaria vulgavit, & nobilissimo judicii sui testimonio reddidit illustriorem. Namque cum in solemnibus totius Regni comitiis concionem haberet jussu Gentilis Cardinalis in Hungariam a Clemente V. eo ablegati, ut procerum turbas, dissensionesque componeret de successivo in demortui regis locum jure exortas, id quoque Augustinus sibi agendum proposuit *de auctoritate Romanæ Sedis in hujusmodi occasionibus*, & in eam sententiam ita adortus est præfari: *Jam de auctoritate Romanæ Sedis cum coram iis loquar, quos ne quidem susurrus ab obedientia, & illius reverentia ausus est pertentare, non solum ab eo tempore, quo gens Hungarica adeo stricte ipsius venerationi adhæsit, ut inter omnes Christiani orbis reges solus Hungaricus Apostolicus, & Sedis Apostolicæ a Latere, ut ajunt, Legatus singulari prærogativa per S. Stephanum in omnes successores perpetuo transfusa dicatur, & habeatur: sed ab ipso ortu*

Afferuntur scriptorum testimonia pro nostra sententia;

Digitized by Google

ortu Christianæ reipublicæ, quo Paullus Apostolus Illyricæ nationi evangelica face præluxit, relicto in Pannoniis nepote ex sorore Andronico Episcopo, (unde & Primatus Ecclesiarum amplissimæ gentis Illyricæ per plura sæcula in Sirmiensi stetit Ecclesia), superfluum ducerem omnino quidquam afferri, nisi cœlum hoc turbine turbantis omnia turbæ aliquando infectum pertimescerem. Exstat hæc concio in vita B. Augustini a Joanne Tomco Marnavitio Episcopo Bosnensi descripta, & ad diem tertiam Augusti edita a Joanne Baptista Sollerio Tomo 1. Aug. Boll. unde Sirmiensis Andronici Episcopatus comprobatur. Etenim in illo Hungaricorum Præsulum, Primorumque conspectu, quos Augustinus alloquebatur, quis credat, levem quamdam, aut dubiam, atque obscuram auctoritatem interposuisse, ut in gravissimo, de quo agebatur, negotio perpetuam Pannonicæ gentis reverentiam erga Romanum Pontificem, & exhibitum *ab ipso ortu Christianæ reipublicæ* devotionis honorem in primis adstrueret, atque confirmaret? Quod igitur Augustinus pro hac tanti momenti causa nullum aliud argumentum attulerit præter institutum a Paullo, & Andronico commissum Sirmiensis Ecclesiæ Episcopatum, profecto ad ejusdem rei auctoritatem plurimum adjungit; ex quo tanti illam fuisse fateris, ut veluti publico illius gentis testimonio ab antiquis monumentis accepta, ac posteris tradita ingeri palam, & inculcari posset, nec ab Hungarici Senatus sapientia, atque doctrina prudenter reprobari. His ego fretus rationum momentis propterea censeo, Sirmiensi Ecclesiæ Antistitem imponendum esse Andronicum, ejusque sedem pontificiam in urbe totius Pannoniæ primaria optimo sane jure collocandam: cui sententiæ Philippus etiam Ferrarius inter juniores Hagiologos unus consensit in Topogr. ad diem 18. Maii; *Andronicus primus Episcopus Sirmii, & Pannoniæ;* in eo tamen decipi se passus, quod illum Pannoniæ quoque primum Episcopum appellaverit. Et ne Sirmii quidem primus Antistes fuit, uti in S. Epæneto diximus; nec Henschenius, & Sollerius, qui Augustini opinionem respuit in notis ejus concioni adjectis, nobiscum sentire abnuissent, si, quæ nobis patuere ad veritatis indagationem argumenta, fuissent & illis perspecta. Hinc Tillemontii fides arguitur, cum art. 58. vit. S. Paulli testimonium Ferrarii corruperit, ejusque nomine ad lineam apposito, hisce verbis auctoris innuerit sententiam; *Juniores quidam Latini* 18. *ejusdem* (Maji) *illum* (Andronicum) *Illyrici Episcopum constituunt;* quam falsitatem adducta paullo superius Ferrarii verba manifeste convincunt; & ejusdem refellitur opinio, cum Andronici Episcopatum *non alia, quam Pseudo-Dorotbei auctoritate videri innixum* pronuntiat. Quo fortasse auctore Calmetus etiam eidem sententiæ suam adscripsit in cap. 16. epist. ad Rom. *Eadem die* (XVI. Kal. Junii) *Latini quidam utrumque colunt* (Andronicum, & Juniam), *primumque Illyrici Episcopum fuisse ajunt Andronicum. Levissima tamen est recentiorum auctoritas;* pari iccirco censuræ judicio & ipse notandus. Sed quædam hic existit quæstio, num S. Andronicus ab Apostolo Petro, ut auctor vitæ S. Domnii, num vero ab Apostolo Paullo, ut Augustinus commemorat, episcopale hujus Ecclesiæ munus acceperit; qua in re, cum neutri parti vel ratio faveat, vel auctoritas ulla, conjectura adducor, ut in Augustini opinionem concedam; congruit enim cum epocha Paullinæ in Illyricum profectionis, quo post scriptam ad Romanos epistolam videtur Apostolus se contulisse, & ideo anno 58., vel paullo serius; quare Andronicus, cum eodem anno Romæ commoraretur, ejus fortasse revisendi studio, aut ab ipso Paullo in Illyricum revocatus, ut intermissum apostolicorum laborum cursum una secum repeteret, haud faciliori, quam breviori trajectu ex Italia potuit in Dalmatiam transmittere; unde terrestri itinere Paullum adierit, & Pannonicæ Ecclesiæ, a qua Epænetus discesserat, in Sirmiensi urbe Episcopus fuerit ab illo renuntiatus. Re quidem vera non aptior ulla initi ab Andronico Pontificatus epocha constituitur, quam vel ad initium an. 59. protrahere licet, quin negotii quidquam nobis dilatio ista facessat. Non est autem, cur ante illud tempus ad Sirmienses insulas Andronicum provehamus; nam si primum Pannoniæ Episcopum Epænetum omnino constat esse retinendum, & assumpti ab illo muneris initia annum Ch. 49. nequeunt præcessisse, quod in ejus vita dictum est, illo septem fere, aut octo annorum spatio, quo Pannoniorum Ecclesiæ præfuit, nulla prorsus occasio in promptu est, nulla ratio, quæ suadeat, breviorem sui regiminis cursum esse eidem præfiniendum, ut Andronicus in ejus dignitatem, & officium nimia festinatione surrogetur. Restat igitur, ut, quo anno uterque Romæ convenit, dum alter alio arcessitus Pannonicam administrationem dimitteret, alterum Sirmiensis Ecclesiæ Paullus præfecerit, nequid illa detrimenti diuturna nimis viduitate capesseret. Ulterius tamen differre minime juvat ejus Episcopatus exordia; tum quia cum Illyrica Paulli peregrinatione recte congruunt, tum propter provectam hominis ætatem, quæ in Andronico Christi discipulo ultra quadragesimum annum certe prætergressa haud sinebat illum gerendo Pontificatui diutius arceri. Affixa itaque Sirmii pontificia sede, Andronicus octo ferme annos salutari cœlestis doctrinæ pabulo urbem hanc sedulo, enixeque recreans, ita disciplinæ Christianæ intelligentia, sanctitate vitæ, religionis amore illam imbuerat, ut uno, eodemque tempore finitimis in locis Christi nomen & cultus propagaretur; cum nova rerum occasio cursus e Pannonia in Urbem illum accersivit. Quarti Romani itineris veritas, ac fides desumitur ex laudato Anonymi testimonio in altera B. Domnii vita; *Profectus itaque* (Domnius) *cum*

Tillemontii fides arguitur.

Hujus Episcopatus epocha initio saltem an. 59. affigenda.

Andronicus quarto Romam venit an. 67.

eum Andronico antiquo Christi discipulo, quem idem Apostolus (Petrus) *Sirmio in Pannonia præfecerat, venit Dalmatiam*. Domnius autem Roma proficiscebatur, ut Salonitanam, & Dalmaticam Ecclesiam regendam sumeret, quod an. Ch. 67. contigisse probat luculenter Farlatus Tomo 1. in Salonit. Ecclesia cap. 9. de S. Domnio §. 3., unde necessum fit, eodem anno Andronicum Romæ fuisse, sive ut Petrum, qui tertio, atque postremo in Urbem eo tempore advenerat, coram alloqueretur, & de Ecclesiæ suæ negotiis consuleret, sive ut una cum ipsomet Apostolo nequissimi illius præstigiatoris Simonis insidiis, ac fraudibus sese opponeret, & Christianis tum ejus scelere afflictis, tum Neroniana tyrannide oppressis præsidio esset, atque solatio. Hanc etenim cum Petavio epocham de Simonis lapsu tenemus: nec dubitandum est, quin tanti prodigii & testis ipse adesset, & suis apud Deum interpositis precibus adjutor Andronicus, qui voti compos effectus, & Petri verbis, præceptionibusque in episcopali munere impigre, fideliterque exsequendo magis atque magis confirmatus Dalmatico itinere in Pannoniam est regressus. Hæc ferme habui, quæ de Andronici gestis colligerem pro Historiæ nostræ proposito, atque instituto; & quoniam ejus cum Junia tum generis, tum apostolicæ professionis conjunctio postulat, ut de ipsa quoque, ejusque in Sirmiensem Ecclesiam meritis nonnulla dicamus, ante id mihi video esse præstandum, quam de utriusque obitu & cultu pauca perstringam, quæ memoriæ nostræ prodita superfuerunt.

Junia nomen,

Non est autem, cur hic de ipso nomine disputemus, quod a plerisque in dubium vertitur, *Julia* ne sit, uti Latina Vulgata, & quidam exhibent auctores apud Calmetum, & Estium, an vero *Junia*, uti Græca præferunt Paullinæ epistolæ exemplaria. Ego *Junia* appellationem cum Chrysostomo, & Hagiologis ferme omnibus malui retinere; quin eorumdem testimonio fretus, tum Theophylacti, Grotii, & Maldonati, queis junge Græcorum lectionaria, & Interpretum plures, qui Paulli ad Rom. epistolam suis animadversionibus illustrarunt, mihi omnino persuadeo, fœmineum & genus, & nomen illi fuisse, contra atque alii senserint bene multi; neque enim aut Dorotheana Synopsi, de cujus auctoritate alibi diximus, sese satis tuentur ii, cum *Juniam Apamiæ Syriæ Episcopum* constituunt, aut mutuata a Grammaticis ratione, quam Henschenius hisce verbis proponit, & apte refellit: *Ab aliquibus Junias vir, non Junia fœmina statuitur, addita etiam altera ratione, quod Paullus appellet, cognatos, & concaptivos, ambos in genere masculino, uti Grammatici loquuntur; sed Græca συγγενεῖς, καὶ συναιχμάλωτοι habentur communis generis. Quid? quod, concurrentibus duobus diversi generis substantivis, potiori genere plerumque aptatur adjectivum, non solum apud Græcos, sed & apud Latinos;* genus fœmineum,

& sic dicerentur, pater & mater mortui, non mortuæ. Primas itaque debitæ laudationis partes sibi vindicat ejus ad Christum conversio; sive una cum Andronico, vel paullo serius, cum in vivis adhuc Christus ageret; ex quo fateamur necesse est, non vulgari illam, sed eximia quadam virtute excelluisse, quæ in hac Divini Magistri schola pias inter, religiosasque mulieres, quarum inest in Evangeliis mentio, versata fuerit, & domestici quoque famulatus curam, felici nimium ministerio, fortasse eidem aliquando præbuerit: sive post Christi ad Patrem redeuntis ex hoc mundo discessum, aut ab Andronico, aut ab Apostolorum quopiam Christianam religionem fuerit edocta: revera tamen id antea evenit, quam Paullus sese ad Christum adjungeret, Paulli ipsius testimonio supra a nobis allato. Atque hic mirari subit cœlestem, mentis ardorem, & pæne divinam animi magnitudinem; qua, muliebris naturæ imbecillitate spreta, illico Junia apostolicæ missionis partes pro sui sexus munere, atque officio suscepit implendas; unde insigne Apostoli nomen consecuta est, & hoc maxime præconio commendatur a Paullo iis verbis: *Salutate Andronicum, & Juniam.... qui sunt nobiles in Apostolis*: quibus ad tantæ virtutis admirationem ista Chrysostomus adnexuit hom. in epist. ad Rom. 31. *Papæ! quanta fuit mulieris hujus Philosophia, ut etiam apostolica appellatione digna habita sit!* Equidem, ingenti procella adversus Ecclesiam a Judæis concitata ar. Ch. 34., cum discipuli omnes Hierosolymis abirent, quibus in ea rerum ac temporum perturbatione tuto illic consistere non licebat, Junia peropportunum sui consilii tempus adepta, Andronico Romam proficiscenti comes, atque itinerum, ac rerum ab eo pro Christo gerendarum administra accessit. Erat autem hujus ætatis Apostolis ipsis consuetudo, ut pro eo ac postulabat muneris cuique traditi magnitudo, & gravitas, fideles quasdam mulieres, quæ *sorores* dicebantur, sibi adsciscerent in ministerium earum rerum, quæ vitæ usui forent necessariæ, ne in iis comparandis alio ipsorum curæ, cogitationesque ab Divini Verbi satu, cultuque distraherentur. Hunc morem innuit D. Hieronymus in epist. ad Ageruchiam, Paulli propositum commendans, quod nunquam earum uti famulatu voluerit: *Habebat utique potestatem sororem mulierem circumducendi; sed nolebat se judicari ab infideli conscientia. Et cum posset de Evangelio vivere, diebus, ac noctibus laborabat manibus suis, ne quem gravaret credentium;* & Marianus in scholiis eidem epist. adjectis subdit; *Ministrabant Apostolis mulieres quædam sanctæ, eos sequentes, de substantiis suis*. Atque hæ quidem, cum integritate morum, & prudentia vitæ probe jam cognitæ, ac perspectæ essent, eadem propagandæ religionis opera haud raro Apostolis permittebantur adesse, eorumque perpetuis laboribus pro sexus conditione quo-

conversio ad Christum,

& virtus eximia.

Fit comes S. Andronico.

dam-

Digitized by Google

dammodo opitulari; cujusmodi fuisse legimus Tryphænam, & Tryphosam, & Persidem in epist. ad Rom. cap. 16. *Salutate Tryphænam, & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multum laboravit in Domino*. Junia autem, etsi credibile est, in re quoque familiari, victuque curandis industriam suam quam diligentissime Andronico præbuisse, in Evangelii tamen amplificatione cæteras antecessit ejusdem instituti mulieres, tum ingenti virtutum, atque facinorum nobilitate, tum præclara nominis fama, uti argumento est modo adductum Pauli testimonium. Quid vero officii in apostolica expeditione ad illam pertinuerit, quam curam rei Christianæ propagandæ gesserit, censeo ex iis dignosci posse, quæ Paullus præcepto suo a Christianis mulieribus servanda constituit litteris ad Timotheum, & Titum datis, in quibus publico quidem docendi munere fœminis præcipit interdici, iisdem tamen privatam adolescentularum præcipue institutionem committi. Quare & Junia, cui aliqua fuerat cum Paullo, tamquam illi *concepiva*, Apostolatus societas, ejus disciplinæ, atque instituti memor, eo potissimum dicenda est, studium omne, atque operam contulisse, ut Ethnicas mulieres cum cæteris novæ Fidei mysteriis, ac religionis præceptis, tum in primis morum sanctitate erudiret, non cohortatione magis, quam exemplo, & miraculorum virtute illas ad se vehementer alliciens; absolutissimum enim virtutum omnium exemplar in illa nobis proponunt Græcorum Menologia, cum *admirabilem Juniam mundo ipsi jam mortuam, & Christo soli viventem* appellent, atque cœlesti prodigiorum dono maxime illustrem. Huc ea refer, quæ de Andronici itineribus, rebusque gestis disseruimus; sunt enim Juniæ cum illo communia. Postea vero quam Andronicus in Sirmiensis Ecclesiæ regimen Epæneto successit, dubium haud esse potest, quin sanctissimum, fidissimumque consiliorum æque ac laborum participem & socium Antistitem illuc Junia prosequeretur, cui partes præcipuas erudiendi, excolendique fœminei sexus demandaverit. Quod enim in qualibet bene constituta Ecclesia sancire primum sapienter, sancteque solebant Episcopi, ut mulierum institutioni suus esset præstitutus ordo, ac modus, eisque in disciplina continendis lectissimæ quæque morum gravitate præessent; tum sacrarum virginum, viduarumque delectus, & cultus ratio, ac cura haberetur, earum in primis, quæ Ecclesiæ ministeriis, divinarumque rerum obeundis functionibus præsto aderant; totum id, quantum profecto erat, muneris, officiique, cuinam utilius, atque securius, quam sanctissimæ fœminæ consiliis, studiis, eximiæque in rebus vel gravissimis regendis prudentiæ impositum esse putabimus? Itaque, quantum Sirmienses cives præclaræ erga illos Andronici charitati, impensisque summa animi contentione laboribus debent acceptum referre, qui adeo illustrem, atque omnium linguis ac literis celebratam Ecclesiam episcopali munere rexit, auxit, & insigni religionis, ac pietatis gloria locupletavit; tantundem fere Juniæ præceptis, atque doctrinis, sed potissimum exemplis, ac virtutibus, quibus ad perfectam sanctimoniæ formam instructi fuerunt, intelligant esse tribuendum. Quorum operum uberrimos sane fructus non defuisse, plures testantur gemina virginitatis & martyrii corona conspicuæ fœminæ, quæ ab hac sanctitatis schola profectæ, cujus Junia fundamenta jecerat, Sirmiensem urbem ingenti spectatissimæ continentiæ, invictæque fortitudinis luce mirifice collustrarunt,

Apostolica ejus vitæ ratio,

& in Sirmiensem Ecclesiam merita præclara.

Andronicus ergo in Pannoniam reversus an. Ch. 67. creditam sibi non diu fortasse tenuit Ecclesiam: licet enim nequeat certa auctoritate definiri, an naturali corporis ægritudine, anne martyrio affectus uterque, Andronicus, & Junia vitam finierint; cum cætera quidem Græcorum Menologia nullam martyrii mentionem ingerant, & Metricum unum Tomo 1. Maji a Papebrochio præfixum, suisque animadversionibus illustratum *Martyres* utrumque appellaverit ad diem Februarii 22. quæ ob sacrorum corporum inventionem a Græcis celebratur; haud tamen a verisimilitudine abhorrere videtur, quod, acrius per ea tempora in Christianos furente Neroniana impietate, altero post reditum Andronici anno, qui fuit Ch. 68., & Neronis postremus, illud etiam Andronicus, & Junia ad cumulum sanctitatis adjecerint, ut pro Christo vitam profunderent, & religionem, quam tantis virtutum, ac miraculorum argumentis propagaverant, suo ipsimet sanguine confirmarent: nec alia in loco id factum conjectando rectius arbitramur, quam in eadem illa ab ipsismet tantopere aucta, tamque mirifice constituta Sirmiensi Ecclesia, quæ sacris eorum exuviis nobilissime decorata, præsenti eorumdem ope, atque tutela experiretur, quanta apud Deum gratia beatæ Animæ, quamque præclara meritorum adprobatione valerent. Hic cum diu illorum corpora eo, quo par erat, venerationis cultu servata, meritisque solemniis adornata fuissent, contigit, qua de causa nescio, quove tempore, aut cujus jussu, ut inde Constantinopolim transferrentur. Hæc vero translatio, quæ prima fuit, certo nobis liquet ex anniversaria detecti ibidem tumuli celebritate, ubi sacratissima ipsorum ossa latebant; & quamvis translationi Constantinopolitanæ certum, ac definitum tempus nemo apposuerit, aliqua tamen conjectura licet illud attingere, quod Sirmiensis urbis cladem, interitumque excepit: hinc, ne pretiosa lipsana absque Christianæ pietatis obsequio inter eversæ urbis squallorem, atque ruinas neglecta jacerent, causa translationis fuit, quam propterea dimidio fermæ sæc. V. innectendam censemus. Locus autem, in quo avectæ reliquiæ debito cum honore repositæ fuerint, is, idemque mihi probatur, unde in publicam religionis lu-

Andronici obitus, & Juniæ; annus incertus, & locus,

Sacrorum corporum translatio Constantinopolim.

Digitized by Google

lucem denuo emerserunt, *Eugenii* scilicet *ædes* cognomento dictus, ubi templum Deiparæ sacrum exstabat, de quo dicemus inferius. Hac primum occasione suspicor, SS. Andronici, & Juniæ memoriam coli cœptam a Græcis, nomina Divorum Fastis inseribi, & festam celebrationem huic diei XVI. Kal. Junias affigi, ut omnia præferunt Menologia, itemque Metricum, quod uno hoc hexametro utriusque complectitur commemorationem: IZ'. ἑβδομάτῃ δεκάτῃ Ϛάν' ΙΟΥΝΙΗ, ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ τε. 17. *Die decima septima mortua est Junia, & Andronicus*; uti Græca sonant, secus licet verterit Papebrochius Latini carminis construendi studiosior, quam Græci sensus reddendi: *Junia post illam conjungitur Andronico*, id est *post diem 16.* Andronico tamen altera quoque dies III. Kal. Aug. cum SS. Syla, Silvano, Crescente, & Epæneto sacra adscribitur, ejusque enuntiandæ formulas ex Metrico eodem, & Basilii Menologio deprompsimus in S. Epæneto. Verum enimvero, quod divino non raro evenit permittente consilio, ut exsangüia sanctorum virorum corpora quadam veluti pietatis desuetudine, & frigescentium in religionis cultu Christianorum incuria, non promeritis modo carerent honoribus, sed & nominis, & loci, in quo condebantur, oblivione sensim inducta, diutius deperdita delitescerent, quo denuo inventa longe clariori, quam antea, venerationis splendore augerentur; idem factum esse sacris Andronici & Juniæ exuviis manifesto declarat solemnis eorum inventio, qua dies Februarii 22. insignitur a Græcis. Cujus inventionis memoria inserta est Metrico Menologio VIII. Kal. Martias: Ἡ εὕρεσις τῶν λειψάνων τῶν ἁγίων μαρτύρων ἐν τοῖς Εὐγενίᾳ: *inventio reliquiarum sanctorum martyrum in ædibus Eugenii:* quos martyres intelligimus Andronicum esse & Juniam tum Menæorum, & Græci Synaxarii testimonio, tum Papebrochii auctoritate, qui hanc notam Menologii formulæ adjecit: *Sanctorum scilicet cognatorum S. Paulli Andronici, & Juniæ, qui coluntur a Græcis die 17. Maii; ad quem diem agemus de jam dicta eorum inventione sæc. 7. sub Thoma Patriarcha*. Verum quo nescio modo Henschenium fugerit hac die Maji decima septima propositam a Papebrochio notitiam saltem attingere, & fidem collegæ liberare; cum brevem etiam formulam hac de re antea ediderit in *prætermissis* ad diem ante Kal. Martias octavam: *SS. Andronici, & Juniæ (quorum meminit Paullus ad Rom. cap. 16. v. 7.) reliquiarum inventio celebri memoria recolitur hoc die in Menæis, & apud Cytheræam: at dies natalis est apud eosdem Græcos 17. Maji*. Meminit & Cangius de inventis horum Sanctorum lipsanis in lib. 2. Constantinopolis Christ. cap. 16., num. 35. *In Menæis ad XXII. Februarii celebratur inventio SS. Martyrum Andronici, & Juniæ ἐν τοῖς Εὐγενίᾳ. Eugenii* autem appellatione distinguitur certus quidam regiæ urbis situs, ubi Eugenii Patricii ædes olim visebantur, quæ, domino e vivis sublato, in Templum Deiparæ sacrum exstructæ jussu Theodosii Magni, herile nomen diutissime retinuerunt: *Locus nuncupatus Eugenii Patricii temporibus Theodosii M., qui etiam illas in templum Deiparæ erexit*. Hæc Codinus in excerpt. ex Chron. de Origin. Constantinopolitanis: ampliori tamen, minusque propria ejusdem nominis appellatione proxima quoque circum loca *Eugenii* cognomento dicta existimo apud Scriptores Byzantinos; nempe *Eugenii porta, & turris Eugenii*; licet Bandurius in Comment. super lib. 1. Antiq. Constantinopolitanarum num. 1. incompertum sibi fateatur, *a quonam Eugenio turris, ac porta nomen acceperint*; quas haud procul ab Acropoli ad fretum Sycenum constituit in orientali urbis parte extrema. Hic igitur, & in ipsa Deiparæ æde primum detectæ Beatorum corporum exuviæ fuerunt *sub Thoma Patriarcha Constantinopolitano, & temporibus Arcadii*, uti narratur in Synaxario; sed cum Arcadii Imperatoris ætate nullus hoc Thomæ nomine Patriarcha exstiterit, manifestus fit error, quo ad Arcadii imperium hæc inventio rejicitur, siquidem ne advectæ quidem Constantinopolim adhuc fuerant sacræ reliquiæ. Duos præterea hujusce nominis habuit illa Ecclesia Antistites, utrumque sæc. VII., & alter, regnante Phoca, alter, regnante Constante II. munus pontificium adepti sunt; hinc obscura fit & temporis nota, quæ certo nequit Synaxarii auctoritate decerni. Quare Assemanni judicium ultro probantes, qui in Tomo 6. sui operis de Kalend. univers. Eccl. censuit, Thomam I. ibidem indicari, ab an. Ch. 607. ad usque 610. in Constantinopolitana Sede Pontificem juxta chronologicam Guillelmi Cuperi historiam de Patriarchis Constantinopolitanis Tomo 1. insertam Aug. Boll.. Huic ejus Pontificatus triennio inventionem innectimus sanctorum corporum Andronici, & Juniæ, & secundam translationem in aliam ædem utriusque cultui, & S. Andronici titulo consecratam.

Ædis hujuscæ mentio inest in ecclesiastico Officio pro festa Andronici die celebranda composito a S. Joseph Hymnographo; tota enim tum liturgiæ, tum Officii ratio solemnem unius Andronici commemorationem continet, Juniæ nomine in titulis solummodo, & in Canone semel nuncupato: unde merito Henschenius, *non solum corpus, sed etiam Ecclesiam sub ejus nomine erectam, vel saltem Oratorium Constantinopoli, aut alibi exstitisse* e Josephi testimonio conjecit; quo nos quoque freti, veri tamen similius arbitramur, Ecclesiam hanc Constantinopoli dicatam fuisse S. Andronici titulo, ejusque, & S. Juniæ ditatam reliquiis; neque enim credere æquum est, sivisse Thomam, divino hoc munere privari Constantinopolitanam Ecclesiam, quo subjectorum sibi fidelium pietati firmior fides, totique urbi maximum adjumentum, & decus quam eximium erant accessura; alioque illud con-

Cultus apud Græcos die Maji 17. institutus;

eorumdem corporum inventio,

in ædibus Eugenianis;

& secunda translatio.

concessisse asportandum. Adde, S. Josephum e Cretensi exilio revocatum a Theodora Augusta hymnis pangendis operam Constantinopoli primum dedisse, qua in urbe Magnæ Ecclesiæ Scevopyhlax constitutus egregium illud opus, seniumque terminavit. Haud levis iccirco, & probabilis nimium conjectura suadet, Constantinopolitanam S. Andronici Ecclesiam, & quæ ibi patrabantur miracula, fuisse sibi omnino proposita, dum illius præclare gesta, & in Christianam rempublicam benefacta piis oppido, suavibusque carminibus illustraret. Et ad IX. quidem usque sæculum, cujus pene exitum attigit Josephi ætas, integra stetit illa Ecclesia sacrorum pignorum possessione maxime celebris: verum cum inter Scriptores illos, qui vetustam regiæ urbis formam, & publica quæque aut divino, aut prophano cultui delecta ædificia literis descripserunt supremis Græci imperii temporibus, nullum hujusce ædis, locive, ubi condita fuerant, prodeat indicium, liquido arguimus, casu aliquo, aut vetustate collapsam penitus interiisse; alio fortasse avectis, & mox in extremo urbis, imperiique excidio etiam deperditis, absumptisve horum Sanctorum reliquiis. Cæterum quot & quantis claruerit Andronicus prodigiis, postea quam novus honor, majusque decus invento ejus corpori accrevit, quantusque fieret ad illius opem promerendam popularium concursus, graviter testatur idem Josephus, cum in Ode sexta Officii Andronici meritis plaudens ad hunc modum; *Ædes tua curationum fontes cum fide accurrentibus scaturit, Apostole, abluens spirituales infirmitates*; & in Ode septima; *Graves morbos, & quascumque ægritudines, ex corporibus pariter animisque recurrentium ad te in tua æde, effugas, sapiens discipule Christi*; tum in Antiphona secundam inter & tertiam Odem psalmis præfixa; *Divinus Andronicus, in lucem transformatus, illustravit corda cognitionis divinæ lumine, sicque accessit ad Dominum: & ideo etiam post mortem, ad suam venerabilem ædem accedentibus cum fide, curationes largitur, & magnam misericordiam cunctis impetrat*. Quod non solum populi erga Andronicum pia studia, eximiamque fidem, atque religionem declarat, sed etiam argumentum est haud dubium, quanto is apud Deum favore polleat, & gratia impetrandi quam singulari. Neque in Græca tantum Ecclesia hæc celebritatis, & venerationis solemnia obtinuit Andronicus, similique in honore particeps Junia; sed ad alias quoque gentes derivata religio utriusque & nomen colit, & memoriam anniversaria festorum dierum institutione commendat. Namque Rutheni Græcorum hominum ferventi opera, assiduoque labore ab patriis superstitionibus ad veri Dei cognitionem avocati sæc. X., uti cætera ferme omnia Græci ritus instituta, atque consuetudines amplexi fuerunt, sic dierum festorum in primis ordinem, rationemque suis Fastis describendam curarunt, in iisque repetitam S. Andronici commemorationem. Hinc *Figuratæ*, ut ajunt, illius gentis Ephemerides, quæ æreis typis Papebrochii cura expressæ in Tomo I. Maji Boll. singulas Divorum imagines singulis quasque diebus inciso opere repræsentant, aut ad illos pertinens aliquid, aut ad Christi Mysteria, diem hujus mensis decimam septimam Andronico sacram enuntiant in hæc verba *ANDRONICUS ✠ cognatus S. Pauli*; ejusque effigiem exhibent. Rursum vero tum Kalendarium Moscovit, ab Assemanno in citato superius loco adductum, pressa nimis formula sanctorum corporum inventionem ita refert ad diem Februarii 22., *Martyrum in Eugeniis*; tum eædem Ephemerides clarius: *Inventio reliquiarium in ædibus Eugenii: Sanctorum scilicet Andronici, & Juniæ*, subdit Papebrochius, ubi & Possevini interpretem, qui e Ruthenis literis postremis *S. Ugnifanstii* ignotum profecto nomen confinxit, intrusitque in Kalendarium Ruthenum ab eodem Possevino vulgatum in eximio *Apparatus* opere, & Belgam hominem in hisce Ephemeridum tabulis interpretandis versatum probe redarguit, cui *S. Euphemiæ* nomen videbantur eædem literæ præferre. Inventionis autem historia pro artificis ingenio efficta est; & medio in atrio Eugenianæ ædis venusta quadam specie, ac magnificentia descriptæ area patefacta visitur, quæ integrum venerabilis viri corpus exhibet linteis collo tenus obvolutum, unius nempe Andronici; cum in iis tabulæ angustiis, quæ Divorum continet effigies Februario mensi adscriptas, locus non pateat ejus loculi formæ, ac figuræ incidendæ, in quo S. Juniæ lipsana requiescebant.

Edita per Andronici reliquias miracula Constantinopoli.

Propagatio cultus ad Ruthenos.

Quod ad Latinam attinet Ecclesiam, nullibi usquam reperio, fuisse aliquem honoris cultum Andronico, & Junjæ delatum, immo nec a veteribus Martyrologis horum natalem diem consignari, quod primus omnium præstitit Galesinius, & mox secuti Canisius atque Ferrarius, solius Andronici habita mentione ad decimum octavum Maji diem; dein Antuerpiensis Hagiologus Henschenius brevem de utroque notitiam edidit die ejusdem mensis 17., quo veluti illorum natali celebrantur a Græcis. Dubium vero omnino nullum esse potest, quin Sirmiensis antiquitus Ecclesia debito utrumque Christiani cultus obsequio reverita fuerit, sanctissimasque beatorum Corporum reliquias, dum ibi manebant, perquam honorifice excoluerit: quæ postea eversa, & septem ferme post sæcula restituta, haud recte scio, utrum cum avitæ Fidei pietate conditorum suorum nomen & merita ad pristinum venerationis splendorem revocaverit. Habebunt tamen, opinor, gratiam mihi aliquam Sirmienses cives, quod tum præstantissimum Apostolum, eumque primum Sirmii Episcopum, tum admirabilem, illique Apostolatus gloria parem fœminam, & in episcopali regimine sanctissimam adjutricem illustrare pro viribus conatus fuerim; quos ad extremum monitos esse velim, ut a quibus illi suæ Ecclesiæ primordia, atque nobilitatem, firmitatemque acceperunt, hos

Memoria Latinis Fastis inscripta.

Digitized by Google

parentum loco singulari in posterum studio, ac veneratione tueantur, & maximis quibusque pietatis, atque religionis officiis justam benefactorum vicem rependant.

APPENDIX

DE SS. HERME, LUPO, ET ELEUTHERIO.

De S. Herme.

PLures hoc Hermis nomine Ecclesia viros enumerat, Episcopatus æque, ac martyrii laude præclaros, quos inter is eminet Dalmatico insignis Apostolatu, de quo fuse, docte, ac erudite disseruit Daniel Farlatus in ea, quæ vitæ S. Titi subjecta est, Appendice pag. 392. Tomo I. Illyrici Sacri. Hic vero idem ne sit cum Hermæo Sirmiensi Martyre, & utrum Sirmii revera Martyr exstiterit, ejusdemque urbis Episcopatum tenuerit, aliqua nobis quæstio proposita est, quam huic Appendiculæ reservare voluimus, ut quæ dubia sunt, atque incerta, sejunctum a cæteris suum locum habeant, atque tractationem. Daniel Papebrochius in Tomo VI., & die Maji prima supra trigesimam de S. Hermia Comanis in Cappadocia Martyre disserens præviis ad Acta Commentariis protulit e ms. Synaxario Claromontano memoriam *sancti Martyris Hermæi in Sirmio*, quæ ibidem III. Kal. Majas signatur; & inde illi orta suspicio est, idem ne foret Hermæus hic cum Herme Dalmatiæ Apostolo, de quo Græcorum agunt Menologia VI. Id. Aprilis; inquit enim, *Cogimur inter Hermiam, & Hermæum distinguere; sed laboramus, ut distingui ab hoc credamus S. Hermen Dalmatiæ Apostolum, de quo egimus ad* VIII. *Aprilis propter commune festum cum aliis quinque Ceapostolis; Dalmatiæ enim proximum adjacet in confiniis Sirmium, & nomen Hermæ in nomen Hermæi facillime convertitur*. Hisce propterea nostræ animadversioni propositis, videtur sane, posse primum a nobis Hermis nomen Hermæo substitui, & quod non satis certo pronuntiat Papebrochius, tuto pæne affirmari, unum, eumdemque esse, qui Hermes Dalmatiæ Apostolus, & qui Hermæus Sirmiensis Martyr perhibetur; præsertim cum tanti apud nos sit summi hujusce viri auctoritas, ut, cum ægre se adduci ait, ut credat, Hermen Dalmatiæ Apostolum ab Hermæo distingui, ipsa dubitandi ratio quemdam quasi sensum affirmationis nobis insinuet; facillima autem Hermis, aut Hermæ in Hermæi nomen conversio cuique patet; & Græcarum literarum inscitia librario fortasse mendum suggessit, dum Claromontanum Codicem exscribebat. Accedit & Martini Szentivanii sententia, qui Hermæum hunc & Martyrem Sirmiensem appellat, & Episcopum Dalmatiæ in Decade 2. & 3. de rebus Hungaricis, cumque hic Hermes revera sit, atque vocari omnino debeat, cui Dalmatia obtigit apostolico cursu peragranda, magis ac magis fortuita probatur vocabuli variatio; unde Henschenii cadit opinio, cui visum est Hermæi nomen pro Hermiæ vocabulo in Synaxarium excidisse, ubi *Prætermissorum* conficit Catalogum ad diem undetrigesimam Aprilis; præterquam quod Genebrardus etiam in Kal. Græco Parisiis in fronte sui Psalterii excuso an. 1592. aperte distinguit *Hermiam Apostolum*, & *Hermæum Martyrem*; & Molanus in Auctariis Usuardi iterum editis ac tertio utriusque nomen consignavit; *Die trigesima prima* (Maji) *sancti Apostoli Hermii, & Sacrosancti Martyris Hermæi*; quos tamen Papebrochius merito hac censura notavit, quod Hermiam *Apostolum* nuncupaverit. Non alius igitur hic a nobis Hermes intelligitur, quam qui Dalmatici Apostolatus munus gessit; atque eadem nobiscum sentit Farlatus ipse, nullum dignoscens in utroque nomine Hermæi, atque Hermis personæ discrimen; sed cum aliam assignet urbem Hermis martyrio in Achaja sitam, atque longo quidem intervallo ab Sirmiensi disjunctam, alterum id nobis incumbit investigandum, quod de loco martyrii proposuimus. In quo ipsa Claromontani Synaxarii formula in primis debet attendi, quæ hujusmodi a Papebrochio profertur Latine reddita: *Sancti Hermæi Martyris in Sirmio*. Porro huic formulæ ea certe vis inest, ut juxta communem, atque in Martyrologiis quibusque usurpatam consuetudinem locum ipsissimum indicet Hermæi martyrio consecratum; eadem vero Græco sermone, uti in Synaxario legitur, expressa τῦ ἁγίυ Μάρτυρος Ἡρμαίυ τῦ ἐν Σιρμίῳ, multo majorem hujus significationis vim continet, ac depromit; hæc enim illi ritè respondet Latina interpretatio: *Sancti Martyris Hermæi, qui fuit Sirmii*; ubi articulus τῦ, quem Grammatici *præpositivum* appellant, quippe quod adjuncto sibi nomini præponatur, pro Græcæ elocutionis natura ideo suam dictionem aliquando consequitur, ut, quid rei id sit, de quo agitur, scite, venusteque distinguat, & explicet; quasi uti totam formulam Latina circumscriptione ita complectereris: *Commemoratio sancti Martyris Hermæi, illius nimirum, qui fuit martyr Sirmii*. Quo scribendi more palam adeo fit, Hermæi martyrium Sirmii fuisse perfectum, ut supra nihil; idque Szentivanius confirmat, qui, cum citato in loco eum Martyrem Sirmiensem appellet, videtur ejus martyrium urbi Sirmiensi adscribere. At enim e Synaxarii auctoritate id unum colligi potest, clarum olim fuisse, ac celebre nomen Hermis Apostoli, & Dalmatiæ Episcopi in Ecclesia Sirmiensi, ejusque anniversariæ veneration decretum diem undetrigesimum Aprilis. Hæc Farlatus: cui *magno id argumento est, multo magis apud Dalmatas priscis temporibus ejusdem cultum, atque religionem floruisse: atque inde longe, lateque per finitimas provincias Sirmium usque propagatum. Nam, ut præclare admonet Papebrochius:*

Hermæus idem,

qui Hermes Dalmatiæ Apostolus,

fuit martyr Sirmii.

Contraria Furlati argumenta expenduntur.

Dal-

Dalmatiæ proximum adjacet in confiniis Pannoniæ Sirmium. Verum neminem latet, appositu regionis, aut urbis nomen in Martyrologiis, cui Divorum quemquam Martyrologi tribuunt, non illum, in quo anniversaria coluntur celebritate, sed locum ipsum indicante, cujusque obitu, aut festa sacrarum alicujus reliquiarum inventione, seu translatione nobilitatum: quare hoc effugio neque Synaxarii formulæ, neque conclusioni nostræ quidquam deperit. Pergit autem Farlatus, & *cur diem undetrigesimam Aprilis Veteres Hermis nomine, ac memoria consecraverint*, inquirens, alterutram ex duabus disce causis fuisse arbitratur: *vel quod ille* III. *Kal. Maji Dalmaticæ Ecclesiæ Pontificatum inierit*; & quorsum, quæro, illud Synaxarii additamentum, *in Sirmio? vel quod ejus corpus aliquot annis post ejus obitum, eodem die aut inventum, aut alio translatum fuerit*. At rursum, si stet, ut stare profecto debet, illa *Sirmii* adjectio, igitur aut ibi inventum Hermis corpus, aut eo dicemus fuisse translatum, quod omnino confingitur; & insuper ea describendæ formulæ ratio servatur, quæ Græcis juxta ac Latinis solemnis est, ut diem obitus indicent, aut martyrii; cum inventi, aut translati corporis festum ipso inventionis, aut translationis nomine inscribatur. Quid autem Farlatum moveat, ut genuinum hujusce formulæ sensum minime probet, ipsemet in hæc verba insinuat aperte: *Nam Græci ejus martyrium conjiciunt in diem octavam Aprilis, a qua dimoveri non potest*: quo in loco Menæorum innititur testimonium, quæ VI. Id. April. una cum Herodione, Agabo, Rufo, Asyncrito, Phlegonte præclari martyrii socium Hermen conjunxerunt, eorum elogiis hac clausula subjecta; *Uno ergo die bi ab Judæis, & Paganis, variis tormentis excruciati, in Domino vivere desierunt*: unde nova præstantissimo viro suasit opinio, & per conjecturas diligenter elaborata, Hermen, & reliquos, eodem die, eodemque loco, nimirum apud Novas Patras in Achaja, fortiter pro Christi religione occubuisse. Sed juvat ipsius verba huc transferri, quibus citatæ clausulæ sententia fretus non solum diem eumdem, sed etiam eumdem locum omnium martyrio adscripsit. *Hæc clausula, sive conclusio eam vim habet, ut diem pariter, locumque unum, & eumdem omnium martyrio communem fuisse significet, nam & causa martyrii omnibus communis fuit, scilicet Ethnicorum simul, & Judæorum sceleratissima conspiratio ad eos de medio tollendos, quam eodem tempore & loco factam fuisse oportet; neque enim verisimile est, nec sæpe, aut facile videtur accidisse, ut eodem prorsus die, locis autem diversis, Ethnici ac Judæi, inter quos nulla est societas, & communio, sed potius summa dissensio, & distractio, ejusmodi coitiones fecerint, sic ut alius alibi ab utriusque gentis unanimi conspiratione interierit. Certe Græci omnium martyrium quemadmodum ad diem eumdem adscribunt, sic nulla locorum, aut Judaicæ Ethnicæque conspirationis distinctione discriminant*. Ingeniose quidem, immo fortasse vere, si clausulæ illi fides inesset, & veritas: nam quod *uno die* hi martyres variis affecti suppliciis mortem obierint, non video, qua ratione probetur. Nonne Agabus die Februarii 13. colitur in Latina Ecclesia? atqui, subdit Farlatus, non idem hic, qui Propheta, & Antiochiæ vita defunctus est, cum altero ejusdem nominis, quem Menæa nobis prodiderunt: gratuita vero isthæc affirmatio est; neque Henschenio subiit tum ad diem Februarii decimum tertium, tum ad octavum Aprilis alterius Agabi ab altero discrimen, distinctionemque proferre. Quid Rufus, cui Latini Martyrologi diem Novembris 21. attribuunt? quid Hermes hic noster, quem Græci in Græco Synaxario sua vetustate plane probatissimo diei 29. Aprilis inscripserunt? Num his Menæorum præstat auctoritas? quo tamen argumento, quo jure id affirmemus, licet? nullo prorsus: hinc & loci discrimen sequitur, cum Agabus Antiochiæ, Hermes Sirmii obiisse dicantur; quin ut Asyncritum ad subeundum martyrium eadem loci societate conjungat, nonne opus est Farlato, inde usque ab Hircania remotissima Asiæ regione, in qua erat Episcopus, illum in Græciam conjectando compellere?

Horum autem Martyrum princeps ille & coriphæus Herodion non apud Novas Patras, uti Menæa ferunt, sed Tarsi constitutus fuerat Episcopus, teste Hyppolito in lib. de 72. discip., cujus auctoritatem non omnino rejicit Farlatus aliis in locis. Denique illa Ethnicorum simul, & Judæorum conspiratio non videtur ab verisimilitudine abhorrere: nam, si *nec sæpe, aut facile videtur accidisse, ut eodem prorsus die, locis autem diversis Ethnici, ac Judæi ejusmodi coitiones fecerint*; igitur id revera potuit aliquando contingere; immo contigisse convincitur, modo Menæorum conclusio veritati hac in parte cohæreat, de quo non vacat inquirere. Atque hisce quidem argumentis obfirmata satis videri potest opinio, qua putamus Hermis martyrium Sirmiensi in urbe fuisse peractum; cuique minime obesse debet, quod unius Claromontani Synaxarii testimonio nitatur; cum & Codicis pretium, & magnum hac de re in Martyrologiis, atque Hagiologiis silentium primas illi auctoritatis partes ultro concedant. Hactenus de loco martyrii: unde via nobis, atque aditus patet ad postremam quæstionis partem de Sirmiensi S. Hermis Episcopatu; de quo nihil ipse ausim definire, iis tantummodo ib medium prolatis, quæ haud levem efficiunt pro re affirmanda conjecturam. Etenim cogitanti mihi, quo demum Hermes Dalmaticæ Ecclesiæ regimine amotus abierit, quoque evangelicæ legationis curas, peregrinationesque converterit, nihil subest vero propius, quam ut in illa Ecclesia, quam suo ipse sanguine decoraret, episcopalis vigilantiæ, ac sollicitudinis postrema impresserit vestigia. Favet huic sententiæ

Conjectura pro Sirmiensi Hermis Episcopatu.

tiæ ipsa regionum propinquitas; *Dalmatiæ enim proximum adjacet in confiniis Pannoniæ Sirmium*; favet religio, & cultus, quo Hermis nomen priscis temporibus videtur apud Sirmienses floruisse; favet demum ipsa annorum series, ita disposita, ut probe possit eidem assertioni congruere. Anno quippe Ch. 67., Farlato ipso auctore, Hermi in Dalmatico Apostolatu suffectus S. Domnius Salonitanæ Sedis fundamenta jecit primus Ecclesiæ hujus Antistes; eodem igitur anno Hermes provinciam dimisit, quin tamen e loco recesserit, donec successorem de Dalmaticæ Ecclesiæ statu sedulo, cumulateque moneret; idque veri quam simillimum apparet, voluisse Domnium, tum existimationis officio erga eum virum, cujus opera fuerant eæ gentes ad Christianam religionem traductæ, & mirifice excultæ, tum pastoralis sollicitudinis impulsu, quo ab ingruente Neronianæ persecutionis procella novellos Christiani gregis fœtus tutaretur securius, voluisse, inquam, ut Hermes aliquantisper in Dalmatia consisteret, sibique, suæque Ecclesiæ firmo præsidio foret, ac solatio. Nam Romanum Hermis iter a Farlato conjectum, quo illum pietas erga Paullum sibi magistrum advocabat, Neronis jussu in carcerem una cum Petro contrusum, uti nullo constat argumento, ita videtur ab illa auctoris opinione pendere, qua autumavit, S. Hermen Dalmaticæ Ecclesiæ procuratione egregie functum fuisse in Græciam nutu Paulli ablegatum, ubi Christianæ fidei professionem sanguinis testimonio obsignaret. Ea vero a nobis superius refutata sententia de obito in Græcia ab Hermete martyrio, tota tollitur Romani itineris, & Græcæ legationis conjectura: quamquam haud video satis, cur Hermis e Dalmatia in urbem profectio ad eum annum esset referenda, *qui Apostolorum Petri, ac Paulli martyrium proxime antecessit; quod quidem alii in annum æræ vulgaris* 65. (is est an. Ch. 68.), *alii vero in annos posteriores conjiciunt, ut supra monuimus*, inquit idem auctor: siquidem Neroniana Petri vincula Simonis Magi lapsum, exitiumque consecuta sunt; & utrumque, & Petri ejusdem martyrium affixit Petavius anno Ch. 67. Ita fit, ut Hermis profectione, & Petavii probata sententia, ille ineunte hoc anno, qui est vulgaris æræ 64., potuerit Romam e Dalmatico regimine abire; immo debuit, si Paulli magistri sui *una cum Petro in carcerem conjecti* revisendi cupiditas illum e Dalmatia excivit. Interea Andronicus Sirmii Episcopus an. Ch. 68. fortasse e vivis decesserat, ut in ejus vita innuimus supra; hinc tempus, & occasio sese ultro Hermi obtulit ejus adeundæ provinciæ, ut Sirmiensi Ecclesiæ suo viduatæ Pastore, & Neroniana jam laboranti tempestate suppetias ferret: quem propterea Sirmienses incolæ, cognita ob nominis celebritatem, & coram perspecta in apostolico viro eximia sanctitatis forma, sibi Antistitem, & periclitanti gregi Pastorem plane vigilantissimum imponi voluerint, cui religionis decus, atque tutamen, Christianum salus, Sirmiensis totius Ecclesiæ ac provinciæ incolumitas in tanto rerum discrimine concredita forent. Hoc sane modo tempus Dalmaticæ discessionis cum inito ab Hermete Sirmiensi Pontificatu videor mihi facile composuisse; cum nulla appareat quavis ex parte aut violentæ conjecturæ species, aut adversantium argumentorum difficultas, aut a veritate dissimilitudo: in quibus tamen exponendis, nectendisque, recte ne, an secus id fuerit effectum, aliorum velim esse judicium. De martyrii tempore non habeo, quid certi proferam. Farlatus pro sua sententia illud censuit rejiciendum *in eum annum, quem Petrus, & Paullus suo martyrio nobilitarunt, vel certe in proximum, paucis scilicet diebus, aut mensibus elapsis, postquam Hermes jussu Paulli Patras advenit*. Hic nobis est an. Ch. 68., illi 67., quorum neuter cum iis, quæ modo diximus, potest convenire. Siquis tamen huic anno 68. referre velit S. Hermis martyrium, per me licet; tunc etenim paucos post menses ab suscepto Pontificatu, si hæc vera est opinio, dicendus erit persecutionis impetum in se excepisse: quamvis necesse minime putamus, Neroniani imperii, ac furoris supremo tempori præclarum Martyris certamen adjicere; cum etenim crebris agitatæ Ecclesiæ popularium conspirationibus, crebris etiam martyrum triumphis in dies clarescere, atque augeri solerent per illa tempora, fieri utique potuit, ut Hermes quoque nefaria Ethnicorum conjuratione aliquando deprehensus, relata ex hoste martyrii victoria, hoc modo fortiter interierit. Cætera, quæ S. Hermis sive in Christiana fide tyrocinium spectant, sive apostolicos per Dalmatiam excursus, ejusque cultum, & conscriptum ab illo *Pasteris* librum, vide apud Farlatum citato in loco quam accuratissime pertractata.

Tempus martyrii incertum.

Alterum, quod in hanc Appendicem conjecimus inquirendum, est Sirmiensis S. Lupi Episcopatus, quem ad hujusce Ecclesiæ Antistites Papebrochius adjunxit, cum metricum Græcorum Menologium suis animadversionibus illustraret in primo Maji Tomo; hæc ad diem Augusti tertiam supra vicesimam S. Lupi commemorationi iis in Fastis decretam subjiciens: *Menæis, & Romano hodierno*, Λύπος, *Luppus. Martyr & Episcopus Sirmii in Pannonia fuit; Acta necdum apparuerunt*. Equidem tum Menologium illud, tum Menæa & episcopale silent insigne, & servi conditionem Lupo attribuunt, quam generis ignobilitatem martyrii nobilitate detersit.

De S. Lupo.

Papebrochii pro Sirmiensi hujus Episcopatu opinio

Fuit Luppus servus, per gladium autem
Liber accessit amicus Christo.
Die vigesima tertia gladii cuspis Luppum
interemit.

Hæc in Menæis, quorum postremus versus

Digitized by Google

sus Metrico Menologio illatus est. Habent tamen figuratæ Moscorum Ephemerides S. Lupi Episcopi & Martyris inscriptum nomen: LUPUS ✠ EPISCOPUS MARTYR; & ejus effigiem Episcopi in morem expressam oculis objiciunt; unde Papebrochius illam hauserit de Lupi Episcopatu notitiam: sed quo auctore fretus, quibus monumentis adductus eum Sirmiensi in Sede Pontificem constituerit, prorsus latet; nec enim ullum loci cujusquam ibi exstat indicium, cui Lupus episcopali dignitate præfuerit. Quare Josephus Assemanus vir ecclesiastica in primis eruditione præclare institutus, cum in sexto sui Operis Tomo de Kalend. Univers. Eccl. hasce Moscorum Ephemeridas explicandas aggrederetur, Papebrochii redarguit opinionem, & in notis huic diei tertiæ Augusti supra vicesimam adjectis affirmavit errandi causam Papebrochio fuisse artificis in iis tabulis depingendis sive inscientiam, sive stupiditatem; quippe cum eadem Sextilis dies Irenæo Sirmiensi Antistiti sacra legatur in Menæis, & Basilii Menologio, Irenæum cum Lupo permiscens, atque confundens in alterius persona alterius dignitatem expresserit. Verum quis sibi persuadeat hebetem adeo, ac rudem artificis sensum, cui hæc vis vel exigua sane defuerit tam dissimillima discernendi, nomen scilicet, & munus utriusque? Num sibi religioni tribuit, Episcopum, & servum, hominem uno in loculo effingere? at martyr idem, qui servus, cur indignus Episcopi societate? Num ab ejus usu abhorrebat, Episcopi, & alterius cujusve effigiem conjunxisse, quod haud raro præstitit aliis in tabulis? nec vereri debuit, ne spatium sibi deesset alteri, quam mallet, figuræ describendæ, si binos in loculo expressisset Lupum, & Irenæum; satis enim, superque illi reliquum erat. Præterea nequit Assemanus absque injuria hanc in Papebrochium erroris suspicionem movere, perinde atque præcipiti nimium assensu imperiti artificis commentum ultro exceperit, suaque auxerit auctoritate. Noverat Papebrochius, & probe noverat, S. Irenæum Sirmiensem Episcopum fuisse, ejusque memoriam Græcorum Fastis inscribi una cum Lupo ad diem Augusti 23.; noverat Acta S. Irenæi pluribus exemplaribus Græce, ac Latine descripta contineri; cum Henschenio usus magistro, ac socio, illa prævio commentario notaret Tomo 3., ac die Martii 25., eodemque in loco alterum Irenæum ab Sirmiensi distingueret, cujus nomen Menologiis inditum est pridie ejus diei 23. Augusti cum martyrii sociis Hore, & Oropsæo: unde mihi omnino improbabile est, doctissimum virum potuisse adeo oscitanter hallucinari, ut Irenæum cum Lupo confunderet, & nomen, & munus utriusque perperam commiscens *Acta necdum apparuisse* affirmaret. Eamdem Papebrochio labem videtur aspergere Cuillelmus Cuperus in sua disquisitione de S. Lupo, quam diei Augusti 23. innexuit in opere Boll.; *Ignoramus, unde Papebrochius hanc Episcopatus Sirmiensis notitiam erueric. An forsan hunc Sanctum festinanter accepit pro S. Irenæo martyre, & Episcopo Sirmiensi, qui in pluribus Græcorum Menologiis hodie celebratur, ut in Prætermissis hujus diei dictum est?* Et paullo inferius Castellanum notat, qui forte *Papebrochii verbis inductus fuit, ut in Martyrologio suo universali S. Luppum hodiernum ad margnem Sirmii collocaret*. Verum hæc Cuperi suspicio iisdem refellitur argumentis; neque æquum esse, prudens quisque arbitrabitur, continuo rem improbare, cujus notitia ab eruditissimo viro profecta, licet nulli sit innixa testimonio, certo tamen indicio nequit falsitatis convinci. Verum non ego issum, qui velim illico in Papebrochii abire sententiam: dolendum quidem est, illi e memoria excidisse, ut ea, quæ de Sirmiensi S. Lupi Episcopatu cognita fortasse habebat, in commentarios referret, lumen quandoque Hagiologis nostris allatura, cum ad diem ventum esset Augusti vicesimam tertiam, unde Cuperi labor, atque disquisitio plurimum sibi adjumenti cepisset; sed in tanto veterum monumentorum defectu, in communi Scriptorum silentio, in summa rerum obscuritate adduci minime possum, ut unius viri, quanta demum ea sit, auctoritati concedam. Quod si quando contigerit, clariorem nobis lucem ad id investigandum, decernendumque suppeditari, pergratum erit optanti, sartam tectam tueri hominis opinionem, & perquam utile Historiæ nostræ, sanctissimi Episcopi accessione Sirmiensium Ecclesiam nobilitari.

haud recte ab Assemano arguitur,

neque tamen a nobis probatur.

Sed & de Eleutherio superest, ut agamus. Hunc Episcopum Illyrici dicunt Martyrologium Romanum ad diem Aprilis XVIII., Baronius ad an. 140. num. 4., Metaphrastes & Nicephorus lib. 3. hist. eccl. cap. 29. Sed neque Hansizius in Germ. Sacra, neque Farlatus illius meminere, Salagius vero Episcopum Sirmiensem ait fuisse lib. 3. operis jam laudati, & Eleutherii acta edidit Papebrochius die XVIII. Aprilis, eaque confecta probat; ac in iis Episcopus nominatur, nulla ei attributa Sede Episcopali. Vetera Latinorum martyrologia, & Græcorum Menæa Episcopi nomen omittunt, Codinus in lib. de Origin. Constantinopolitanis templum S. Eleutherii, neque Martyris, neque Episcopi titulo adjecto, ait ædificatum fuisse Arcadio Imperatore; & in tabulis Reatinis, qua in urbe tum Eleutherii, tum Antiæ ejus matris sacra lipsana servantur, cum primum reperta sunt an. 1198., nullum Episcopatus indicium legitur, nullum in operculo arcæ lapideæ, in qua iterum inventa an. 1562. hisce inscriptis litteris, *Ossa S. Antiæ matris S. Eleutherii*; atque an. 1597. tertio detecta sunt in duobus loculis plumbeis, quorum uni inscriptum *Rel. S. Eleutherii*, alteri *Rel. S. Antiæ*; loculus porro uterque inclusus fuerat in arca item lapidea cum epigraphe, *Rel. SS. Eleutherii, & Antiæ matris ejus*. Licet autem hæc non officiant episcopali Eleutherii dignitati, præterea est animadvertendum in aliis

Sirmiensis Episcopatus S. Eleutherii rejicitur.

& a Cupero:

liis Actis a Papebrochio allatis Eleutherium ab Episcopo, *cui fuerat commendatus*, Ægeatæ in Apulia civitati Antistitem fuisse præpositum; de Illyrico ne verbum quidem ullum. Episcopus, cujus institutioni curæque Antia mater filium tradiderat, a Nicephoro creditur S. Pontifex Anicetus; verum is Pontificatum iniit duodecimo anno post obitum Adriani Imp., qui Eleutherium tormentis ac morti addixit. Si pro Aniceto Anacletum reponas cum Baronio, hic obierat ante annos fere viginti, quam Adrianus capesseret imperium an. Ch. 117. Priora Papebrochii Acta Dynamium quemdam effingunt Episcopum, (& urbem silent), a quo Eleutherius pie sanateque institutus episcopalem consecrationem suscepit; & illico ab Adriani satellitibus comprehensus est. Quonam igitur tempore in Illyricum profectum esse dixeris, si Illyriciana missio fuit illi indicta? secus, & opinio de Illyrico Episcopatu, multo magis de Sirmiensi cadit. Præterea ex Actis iisdem Antia mater edocta est Christianam fidem a S. Paullo Apostolo; cujus martyrium ad an. LXV. æræ vulgaris refertur; & Eleutherius jam Episcopus anno ætatis vigesimo creatus vitam paullo post pro Christo profudit, cum Adrianus ab oriente Romam redierat an. Imperii vigesimo, & ejusdem æræ trigesimo quinto supra centesimum, ut ait Petavius tomo I. Ration. temp. Hinc consequitur, Eleutherium ab Antia quinquagenaria fuisse in lucem editum an. saltem centesimo decimo quinto, si Paulli Apostoli doctrina & ante an. Ch. LXV. imbuta fuerat. Prématura vero tum ad sacerdotium, tum ad Episcopatum electio profecto adversatur veteri eorum temporum in Ecclesia disciplinæ. Adde & de Messana civitate, in qua Eleutherius occubuisse dicitur in Martyrologio Romano, gravem oriri controversiam; & Baronius in notis recte deprehendit Messapiam legi oportere; nam alii omnes Martyrologi in Apulia ponunt Episcopatum Eleutherii, ubi Messapia, nunc *Mesania* in Tarantinis sita est, & vulgo Messana Apuliæ appellatur, alia a Messana Siciliæ, cui Eleutherium attribuit perperam Cajetanus in Martyrologio Siculo. Hinc est Bedæ locus corrigendus, in quem *Aquilejæ* nomen mendose irrepsit pro *Apuliæ* vocabulo. At Papebrochius ex Actis posterioribus, quæ Eleutherium in Ætana civitate Episcopum fuisse narrant, eruditis argumentis convincit Ætanam eam esse urbem, quæ nunc Troja in Apulia Daunia vocatur, cuique Eleutherius præfuerit. Quæ quidem omnia in dubium revocant non solum Illyricianum Episcopatum Eleutherii, sed & pleraque ejusdem gesta.

Ne vero Acta Eleutherii rejicere omnino videatur Papebrochius, hanc de illo narrationem ex eorum contextu conficit; Antiam scilicet duodennem novisse an. 65. Romæ Paullum Apostolum prope moriturum; quæ viro consulari nupta Eleutherium genuit non diu post annum Christi septuagesimum. Cum filium annos natum ferme duodecim instituendum tradidisset Anacleto Pontifici, ab eo in clerum adlectus, & ad Dynamium Episcopum Ætanensem missus est, ut sacris litteris imbueretur. Mox a Dynamio in sacerdotium cooptatus Romam regreditur, & petente Dynamio episcopalem consecrationem suscepit a S. Telesphoro, ut sibi in Ætanensi Ecclesia futurus successor. Interea Christiani homines ex Illyrico ad urbem profecti Pontificem rogavere, ut aliquem ad ea loca Antistitem mitteret, quo Christiana religio tutius defendi, ac latius posset propagari. Tum Telesphorus Eleutherium Illyrici Episcopum tamdiu esse jubet, eoque proficisci, quamdiu Ætanensis Ecclesia, mortuo Dynamio, addictum sibi Pastorem reposceret. Vixque iter arripuerat, eum ab Adriani delatoribus, qui tum in Christianos sæviebat, detectus Romam iterum deducitur, & capite una cum Antia matre plexus est; eorumque corpora, qui comitabantur, Illyrici, cumque iis Romani viri Christi fideles pie tumulo condiderunt. Hæc Papebrochius ex verisimili conjectura ab Actis sumpta. Quamobrem Eleutherius nomine tenus Illyrici Episcopus dicendus est; nec cum apostolicis viris adnumerandus, qui Illyricis provinciis Evangelicam doctrinam dedere, & Sirmiensem gesserunt Episcopatum. Illius tamen cultus insignis exstitit apud *Græcos*, & in Apulia, & Reate & Velitris adhuc multo religionis honore servatur. Vide laudatum Papebrochium, & historiam Velitrensem ab Alexandro Borgia descriptam. *rejicitur.*

S. IRENÆUS EPISCOPUS SIRMIENSIS III.

POst S. Andronicum nulla Sirmiensium Antistitum memoria superest usque ad exitum sæculi tertii a Christo nato. Etenim & bellorum tumultus crebri, & illata per ea loca clades, præsertim Principum Romanorum in Christianum nomen persecutiones Ecclesiam Sirmiensem quietam consistere non sinebant, monumentis rerum direptis, & Christianis hominibus aut vexatis, aut in exilium actis, aut crudeli morte peremptis. Immanis vero Diocletiani furor præ cunctis, qui ante exstiterunt, Imperatoribus vehementius adversus Christianos exarsit, totumque Imperium eorum sanguine horribiliter funestavit. Quo tempore plurimos in Pannonia & Sirmii pro Christiana religione cæsos fuisse certo constat, inter quos eminet S. Irenæus hujus Ecclesiæ Episcopus, qui cæteris exemplo præivit, eosque ad subeunda quævis tormentorum genera, & mortem oppetendam incendit. De his paullo post agemus

hoc

Digitized by Google

hoc ordine, ut primum eorum nomina & Acta, quorum martyrii certus annus deprehenditur, tum aliorum, qui incerto anno occubuerunt, denique cæterorum, de quibus dubium est, an ad Ecclesiam Sirmiensem spectent, diligenter illustremus. De persecutione Diocletiani habes historiam accurate, eruditeque confectam a Farlato in Tomo 2. Nunc de S. Irenæo.

S. Irenæus

Celebre apud Græcos æque, ac Latinos S. Irenæi nomen & martyrium; sed a Græcis x. Kal. Septembris colitur, a Latinis VIII. Kal. Apriles, vel VIII. id. Aprilis. Ejus elogium iisdem fere verbis contexunt Menæa Græcorum & mss. Synaxaria, quæ nominant Hagiographi Antuerpienses ad diem Martii 25. Unius hic exemplum profero ex Græco Menologio in Latinam linguam a Sirleto converso, & edito a Canisio primum, tum a Basnagio; 23. *Augusti. Eodem die commemoratio Sancti Martyris Irenæi Episcopi Sirmii. Hic cum esset Diocletiani Imperatoris temporibus Episcopus Sirmii, detentus ductus in Pœoniam,* (l. *Pannoniam,*) *& oblatus Probo Præsidi, cum Christum ipsum verum Deum esse confiteretur ac prædicaret, in carcerem injicitur, atque illinc eductus flagris cæditur, postea gladio percutitur, & in fluvium Saum demergitur, & sic ejus martyrium consummatum est.* Sed & latina Martyrologia prorsus omnia tum vetera, tum recentiora, commemorant S. Irenæi martyrium, modo brevi, modo longiori formula verborum; singillatim vero ea recensere omnino superfluum; eum una omnium sit consensio de loco martyrii,

Episcopus Sirmiensis & martyr,

qui Sirmium urbs dicitur, & de Sirmiensi illius Episcopatu. Notkerum solummodo produco ex Basnagio, tomo 2. p. 3. Thesauri monum. Canis., quocum pæne consentit Martyrologium in Missali ms. Bibliothecæ Bononiensis S. Luciæ: *Apud Smyrnam*, mendose pro *Syrmium*, *nativitas S. Irenæi Episcopi: qui tempore Maximiani Imperatoris sub Præside Probo primo tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere maceratus, novissime abscisso capite consummatus est.* Omittimus hic varios describendi nomina modos in Codicibus, & editis libris, quos exhibet Henschenius tomo 3. Aprilis Boll., & verborum in sententiis varietatem; quippe ex Actis martyrii perspicue S. Irenæi gesta dignoscuntur, ita ut nulli sint obnoxia dubitationi.

Laudatus Henschenius edidit primus Acta Græca cum latina eorumdem versione, tum alia Latina antiquissima, & ex Proconsularibus monumentis excerpta verbis iisdem. Hæc Ruinartius cum aliis Codd. contulit, & puriora denuo vulgavit in eximio opere de sinceris Martyrum actis; quæ revera a Græcis parum differunt. Attamen præstare mihi videtur, si utraque hoc in loco exscripsero, latinam scilicet e Græcis interpretationem, & Proconsularia, quo sanctissimi Episcopi virtus, & in martyrio fortitudo, atque ad mortem usque constantia pluribus comprobetur argumentis; atque utrisque nostras notationes apte subjiciemus. De anno martyrii potior est sententia, quæ annum signat tertium aut quartum supra tercentesimum, licet non desint, qui Irenæum obiisse affirmant anno 294. cum Diocletianus Illyricum peragrans Christianos insequi jam cœpisset, & multimoda crudelitate vexare. Dies vero a Latinis diversa affigitur; nam alii diem po- an. circ. nunt vicesimam quintam Martii, alii sextam 303. Aprilis; hæret Henschenius, quosnam sequatur; sed cum Martyrologio Romano convenire maluit de die Martii vigesimo quinto. At Actorum Proconsularium fides & auctoritas multo gravior esse debet, quæ diem sextum Aprilis indicant absque ulla ambiguitate.

MARTYRIUM

S. MARTYRIS IRENÆI,

E Græca in Latinam linguam conversum.

Cum probis moribus fuerit pius quisquam exercitatus, quæ meliora sunt, complectens, Dei quoque metum arctius apprehendit, tum vero humana omnia despiciens illico, ad ea bona, quæ sunt promissa, animo perfruenda compellitur, & quæ per auditum Fidei, veluti præsentia foret, sibi firmiter proponens concupierat, ea melius ipse comprehendens intuitu de eorumdem possessione gloriam Domino attribuit. Hoc autem illi quoque contigit beato Sirmiensis urbis Episcopo Irenæo. Hic etenim propter eximiam morum honestatem, pietatemque erga Deum, pii, justique viri appellationem ipsis operibus consecutus, & junior adhuc episcopali sede dignatus, tum in illa, quæ eum oppressit, persecutione sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, & Constantio (1) *mota, invictam, vividamque animi gerens alacritatem, in illorum quoque conspectu, a quibus fuit interemptus, ad præmium supernæ appellationis festinavit.* Martyrii Acta.

Ejus igitur constantiam non contumeliæ vicerunt, non varii indicti cruciatus, neque jactata minis in fluvias submersio, neque in præceps dejectio, & diversæ quæstionum formæ, neque, quod omnium est acerbissimum, lamentantes cum cognatis & amicis filii, quorum adspectu pusilli animo parentes emolliri sæpe suevarunt. Dum etenim pueri sese ejus pedibus cum lacrymis adstringebant (virum sanctum expugnaturi), tristis aderat uxoris ejulantis conspectus, parentum luctus in florescentem ætate filium, domesticorum planctus, gemitusque amicorum, atque eorum, qui illum noverant, firma præsentia, ut obsistentem ad miserationem ætatis adhuc juvenescentis deprecando compellerent. Hisce omnibus, quæ ajebam, non flectebatur, sed, ut diximus, judicii metu meliora desiderio complexus, præ oculis habens, veritusque Domini vocem dicentis, Siquis negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est, *graviora quæque omnino despiciens ad objectam sibi futurorum spem properabat.*

Pro-

Productus igitur coram Probo tunc Pannoniæ Præside, & interrogatus, vellet ne sacrificare, respondit beatus Irenæus: Immo ne vivere quidem vobiscum eligo. Tum rursus comprehenditur, ut in carcerem deducatur. Plures autem dies in carceris custodia servatus, media nocte sedente in tribunali Præside denuo producitur beatus Irenæus, & varias quæstiones passus, rogatusque, cur adhuc nolit sacrificare, respondit, Quia Deum habeo, quem a prima ætate venerari didici, eosque, qui a vobis Dii nuncupantur, colere nequeo. Probus
2 *Præses ait,* (2) *Lucrare mortem, sat tormentis afflictus, quæ tolerasti. Irenæus ait, Utique mortem jam jam lucror, quia per inflictam a te mihi necem, vitam a Deo æternam accipiam. Probus ait, Filios habes? Respondit, Non habeo. Parentes habes? Respondit, Non habeo. Hæc autem dicebat beatus Irenæus, quasi insonans sibi auribus haberet Domini præceptum quod ait, Qui diligit patrem aut matrem plusquam me, aut fratres, aut uxorem, aut filios, non est me dignus; in quem respiciens Beatus, mente totus in cœlis vitam agebat, & humanam quamlibet affectionem relinquens, nihil sibi optatius esse fatebatur, quam Deum intueri, atque possidere.*

Rursus igitur dixit illi Præses: Novi, te filios habere; propter illos saltem sacrifica, ut vivas. Respondit beatus Irenæus, Filii mei Deum, uti & ego, habent, qui potest illos servare. Tu vero, quod tibi imperatum est, exsequere. Probus ait, Consulo tibi, adolescens, ut sacrifices; ut ne diversis verberum modis te interimam. Irenæus dixit, Non sacrifico, fac, quod vis; noscetur enim, quomodo Christi virtute cuncta alacriter feram. Probus Præses subjunxit. Quoniam regio jussui obtemperare non vult, propterea juxta Imperatoris decretum in flumen projicietur. Irenæus ait, Ego quidem id cogitans, quot neces variis mihi minis intentas, exspectabam potius, futurum, ut gladio quoque me damnari. Ideo, si placet, & hoc exsequi jusseris, ut discas, quomodo nos Christiani mortem contemnimus, fide firmiter in Christum nostrum perfecti.

Iratus igitur Præses hac beati Martyris Irenæi libertate, jussit illum gladio perimi. Beatissimus vero Martyr, quasi alterius præmii possessor factus, dixit: Deo gratias confiteor, qui per varios patientiæ, mortisque modos illustriorem mihi coronam largitus est.

Et postquam venisset ad pontem, qui vocatur Artemis, vestibus exutus, & in cœlum manus extollens, ita cravit dicens: Domine, aperiantur cœli, & suscipiant spiritum servi tui; pro populo tuo, & Catholicæ Ecclesiæ omnique ejusdem perfecta progressione in te confisus, Domine, hæc patior. Et gladio percussus in fluvium Savum projectus est.

Hæc autem gesta sunt mense Augusto (3) *die vicesima prima, Sirmii, Præside Probo, in nobis vero regnante Domino nostro Jesu Christo, per quem Patri cum sancto Spiritu gloria, honor & fortitudo, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.*

NOTÆ.

1 Utrum Constantius in Christianorum necem conspiraverit, quædam quæstio est, in qua cum Tillemontio sentimus, non esse illum in partem tanti sceleris admittendum. Vide Tillemont. Tomo 4. Histor. Imper. in Constantino art. 3., & Tomo 5. Monum. Eccles. in persecutione Dioclet. nota 21. & 22. Acta vero Constantium quoque Diocletiano, & Maximiano accensent, quia Imperii summam cum utroque partitam occupabat.

2 Sensus est, *Morem gere Imperatorum edictis, & hoc tibi lucrum erit, mortis devitatio;* cui contra Irenæus refert sententiæ insistens, mortem revera sibi lucro fore, qua æternæ vitæ præmium est lucraturus.

3 Sed in aliis Græcorum Actis & Menæis dies est Augusti vigesimus tertius.

ACTA LATINA

Ab Henschenio primum edita, a Ruinartio diligentius emendata.

Collectoris prologus.

„ Cum esset persecutio sub Diocletiano &
„ Maximiano Imperatoribus, (1) quando diver- 1
„ sis agonibus concertantes Christiani, a tyran-
„ nis illata supplicia devota (2) Deo mente su- 2
„ scipientes, (3) præmiis se perpetuis partici- 3
„ pes efficiebant. (4) Quod & factum est cir- 4
„ ca famulum Dei Irenæum Episcopum urbis
„ Sirmiensium, cujus jam nunc vobis certa-
„ men pandam, victoriamque ostendam; qui
„ pro modestia sua ingenita, & timore di-
„ vino, cui operibus rectis inserviebat, di-
„ gnus nominis (5) sui inventus est. 5

Acta coram Præside.

„ Comprehensus (6) itaque oblatus est Pro- 6 7
„ bo Præsidi Pannoniæ. (7) Probus Præses
„ dixit ad eum: Obtemperans præceptis di-
„ vinis sacrifica diis. Irenæus Episcopus (8) 8
„ respondit. Qui diis, & non Deo sacrifi- 9
„ cat, (9) eradicabitur. Probus Præses dixit:
„ Clementissimi Principes jusserunt aut sa-
„ crificare, aut tormentis succumbere debere.
„ Irenæus respondit: Mihi præceptum est
„ tormenta magis suscipere, quam Deum (10) 10
„ denegans dæmoniis sacrificare. (11) Probus 11
„ Præses dixit, Aut sacrifica, aut faciam te
„ torqueri. Irenæus respondit: Gaudeo si fe-
„ ceris, ut Domini mei passionibus particeps
„ inveniar. (12) Probus Præses jussit eum ve- 12
„ xari, Cumque (13) acerbissime vexaretur, 13
„ dixit ad eum Præses: Quid dicis, Ire- 14
„ næe? (14) Sacrifica. Irenæus respondit:
„ Sacrifico per bonam confessionem Deo meo,
„ cui semper sacrificavi.

Irenæus earum blanditias contemnit.

„ Advenientes (15) vero parentes ejus, vi- 15
„ dentes eum torqueri, (16) precabantur eum; 16
„ hinc pueri pedes ejus amplectentes dice- 17
„ bant: Miserere tui & nostri, pater. (17)
„ Inde uxores lugentes, vultum & ætatem
„ ejus precabantur. Parentum vero omnium
„ luctus & fletus erat super eum, domesti-
„ corum gemitus, vicinorum ululatus, & la-
„ men-

Digitized by Google

18 „ mentatio amicorum, (18) qui omnes cla-
„ mantes ad eum dicebant: Teneræ adole-
19 „ scentiæ tuæ miserere. (19) Sed, ut dictum
„ est, meliore cupiditate detentus, senten-
„ tiam Domini ante oculos habens, quæ di-
20 „ xit (20): Si quis me negaverit coram ho-
„ minibus, & ego negabo eum coram Patre
21 „ meo qui in cœlis est. (21) Omnes ergo
„ dispiciens, nulli eorum respondit. Festi-
„ nabat enim ad supernæ spem vocationis
„ pervenire. Probus Præses dixit. Quid di-
„ cis? Flectere horum lacrymis ab insania
„ tua, & consulens adolescentiæ tuæ, sacri-
„ fica. Irenæus respondit: Consulo mihi in
22 „ perpetuum, si non sacrificavero. (22) Pro-
„ bus jussit eum recipi in custodiam carce-
23 „ ris. (23). Plurimis vero diebus ibidem
„ clausus, diversis pœnis est affectus.

24 Secunda confessio. „ (24) Quodam autem tempore media no-
„ cte, residente pro tribunali Præside Pro-
„ bo, introductus est iterum beatissimus mar-
25 „ tyr Irenæus. (25) Probus dixit ad eum:
„ Jam sacrifica, Irenæe, lucrans pœnas. Ire-
26 „ næus respondit. (26) Fac quod jussum est.
27 „ Hoc a me ne exspectes. (27) Probus indi-
„ gnatus, cum fustibus cædi præcepit. Ire-
28 „ næus respondit: (28) Deum habeo, quem
„ a prima ætate colere didici; ipsum adoro,
„ qui me confortat in omnibus, cui etiam
„ & sacrifico: deos vero manufactos adorare
„ non possum. Probus dixit: Lucrare mor-
„ tem. Jam tibi sufficiant quæ tolerasti tor-
29 „ menta. (29) Irenæus respondit: Lucror
„ continuo mortem, quando per eas quas mi-
„ hi putas inferre pœnas, quas ego non sen-
30 „ tio, propter Deum accipere (30) vitam æ-
„ ternam. Probus dixit: Uxorem habes? I-
„ renæus respondit: Non habeo. Probus di-
31 „ xit: (31) Filios habes? Irenæus respondit:
„ Non habeo. Probus dixit: Parentes ha-
32 „ bes? Irenæus respondit: Non habeo. (32)
„ Probus dixit: Et qui fuerunt illi qui præ-
„ terita flebant sessione? Irenæus respondit:
„ Præceptum est Domini mei Jesu Christi
„ dicentis: Qui diligit patrem, aut matrem,
„ aut uxorem, aut filios, aut fratres, aut
„ parentes super me, non est me dignus.
33 „ (33) Itaque ad Deum in cœlum adspiciens,
„ & ad ejus promissiones intendens, omnia
„ despiciens, nullum præsentem absque eo se
„ nosse, atque habere fatebatur. Probus dixit:
34 „ (34) Vel propter illos sacrifica. Irenæus
35 „ respondit; Filii mei (35) Deum habent
„ quem & ego, qui potest illos salvare. Tu
„ autem fac quod tibi præceptum est. Pro-
36 „ bus dixit: (36) Consule tibi juvenis. Im-
„ mola, ut non te cruciatibus impendam.
37 „ Irenæus respondit: (37) Fac quod vis.
„ Jam nunc videbis, quantam mihi Domi-
„ nus Jesus Christus dabit tolerantiam ad-
38 „ versus tuas insidias. Probus dixit: (38)
„ Dabo in te sententiam. Irenæus respondit:
39 „ Gratulor si feceris. Probus (39) data sententia
Sententia in eum lata. „ dixit: Irenæum inobedientem præceptis re-
„ galibus in fluvium præcipitari jubeo. Irenæus
„ respondit: Multifarias minas tuas & (40) 40
„ tormenta plurima exspectabam, ut etiam
„ post hæc me ferro subjiceres. Tu autem
„ nihil horum intulisti. Unde hoc facias
„ oro, ut agnoscas quemadmodum Christiani
„ propter fidem, quæ est in Deo, mortem
„ contemnere consueverunt.
„ (41) Iratus itaque Probus super fiduciam 41
„ beatissimi viri, jussit eum etiam gladio
„ percuti. (42) Sanctus vero Dei Martyr, 42
„ tamquam secundam palmam accipiens, Deo
„ gratias agebat dicens: (43) Tibi gratias 43
„ ago, Domine Jesu Christe, qui mihi per
„ varias pœnas & tormenta donas toleran-
„ tiam, & æternæ gloriæ me participem ef-
„ ficere dignatus es. (44) Et cum venisset 44
„ ad pontem, qui vocatur (45) Basentis, 45
„ exspolians se vestimenta sua, (46) & ex- 46
„ tendens manus in cœlum, oravit dicens:
„ Domine Jesu Christe, qui pro mundi sa-
„ lute pati dignatus es, pateant cœli tui,
„ (47) ut suscipiant Angeli spiritum servi 47
„ tui Irenæi, qui propter nomen tuum, (48) 48
„ & plebem tuam productam de Ecclesia tua
„ catholica Sirmiensium hæc patior. Te pe-
„ to, tuamque deprecor misericordiam, ut
„ & me suscipere, & hos in fide tua confir-
„ mare digneris. (49) Sic itaque percussus 49
„ gladio a ministris, projectus est in fluvium 50
„ (50) Savi. Martyrizatus est (51) famulus 51
Gladio percussus dejicitur in fluvium. „ Dei sanctus Irenæus Episcopus civitatis
„ Sirmiensium die (52) VIII. Idus Aprilis, 52
„ sub Diocletiano Imperatore, (53) agente 53
„ Probo Præside, regnante Domino nostro
„ Jesu Christo, cui est gloria in sæcula sæ-
„ culorum, Amen. „

NOTÆ.

1 In Bolland. mss. omittitur *quando*.

2 Bolland. *devota mente susceperunt*.

3 Boll. *præmiisque perpetuis semetipsos tradiderunt*.

4 Boll. *Eodem tempore erat in civitate Sirmiensium quidam Episcopus, Catholicæ fidei, & religione perfectus, nomine Irenæus, qui multas pro Christi amore persecutiones perferens, digna confessione palmam victoriæ promeruit*. Alia duo mss. cum Ruinartianis conveniunt.

5 Sumpto scilicet ἀπὸ τῆς εἰρήνης, a *pace*, nomine.

6 Boll. *Comprehensus siquidem a militibus*.

7 Boll. *qui dixit ad eum*.

8 Boll. *dixit*.

9 Boll. *exterminabitur de populo suo*.

10 Boll. *quam Deum denegando*.

11 Boll. *Præses dixit: Aut sacrifica, aut certe faciam te torqueri*.

12 Boll. *Continuo Præses præcepit eum a militibus vexari*.

13 Boll. *acerrime*.

14 Boll. *sacrificas?*

15 Boll. *advenientes interea*.

16 Sic mss. Remig. Fuliens. Colbert. &

Digitized by Google

2. Bollandiani. At in edito ejusdem Boll. *cum viderent eum torqueri: amplectentes pedes ejus precabantur, ut ætati suæ parceret, & præceptis Imperatorum obediret.*

17 Forte *uxor ejus;* alii codices *matres.* Boll. *Hinc pater, inde uxor, inde pueri cum lacrymis se ingerebant.*

18 Boll, *qui omnes una voce clamabant dicentes.*

19 Boll. *Ille autem meliore cupiditate detentus, sententiam Domini ante oculos habebat.*

20 Boll. *dicens ad omnes: Hæc sunt verba Domini mei Jesu Christi* &c.

21 Mss. duo Boll. cohærent Ruinart. In edito tamen hæc leguntur. *Unde sciatis, o amici carissimi, me nec blanditiis vestris, nec principum minis a præceptis ejus ullo modo posse deflecti, sed ad supernæ vocationis spem omni intentione velle festinare.*

22 Boll. *Tunc jussit eum Præses recipi in custodiam carceris, dum cogitaret de eo.*

23 Boll. *Plurimis ergo diebus ibidem clausus, diversis pœnis afflictus est.*

24 Boll. *Post hæc residente Probo Præside pro tribunali, introductus est media nocte beatissimus martyr Irenæus, ante conspectum ejus.*

25 Boll. *cui & dixit. Jam nunc sufficiant tibi pœnæ, quibus afflictus es longo tempore, Accede ergo & sacrifica.*

26 Boll. *Siquid facere cogitasti in me, fac celeriter & sine dilatione; sciens me in eadem confessione nominis Christi, in qua hactenus fui, etiam nunc & quamdiu vixero, perseverare.* Duo vero Boll. Mss., ut & reliqua habent contractiora, ita brevius cum Ruinart. ferme conveniunt: *Jam sacrifica, Irenæe, lucrans pœnas: qui respondit: Fac quod tibi visum est: hoc a me ne expectes.*

27 Boll. *Tunc indignatus Præses, jussit eum fustibus diutissime cædi.*

28 Boll., in quo responsiones etiam paullo sunt fusiores: *Ille autem in medio pœnarum constitutus, dixit: Deum habeo, quem a prima ætate colere didici: ipsum adoro, ipsi & sacrifico.*

29 Boll. *S. Irenæus respondit: Lucror mortem, quia pœnas, quas mihi infers, in nomine Domini mei Jesu Christi non sentio; & tamen per easdem pœnas vitam æternam consequar.*

30 Legendum forte, *accipio.*

31 Ita est in Græco. Boll. *Filios habes, aut filias? S. Irenæus respondit* &c.

32 Boll. *Probus dicit: Et qui fuerunt illi, qui te prosecuti sunt flentes in præterita sessione? S. Irenæus respondit: Præceptum Domini mei Jesu Christi adimplevi dicentis: Qui non abnegaverit parentes suos & renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: & qui diligit* &c.

33 Boll. *Itaque qui Deum vere diligit, & ad ejus promissionem perfecte intendit, omnia terrena despicit, nullumque parentem absque eo se habere profitetur.*

34 Boll. *Ut audio filios habes, & ideo vel pro illorum amore sacrifica, ne perdant nomen patris in te.*

35 Congruit cum Græco. Sed in Boll. *Filii mei Deum patrem habent, quem & ego habeo & adoro: qui potest & illos & me salvare; cui vere atque perfecte confidimus, & animas nostras commisimus ne peccamus: tu autem fac quod ab Imperatoribus præceptum est.*

36 Idem fere sensus in Græco. Boll. *Consule tibi & parentibus tuis, immolans diis & præceptis Imperatorum obtemperans, ut non te diversis cruciatibus interficiam.*

37 Boll. *S. Irenæus respondit: Jam dixi tibi, ut facias de me quid velis, sciens quod diis tuis nunquam sacrificabo. Jam nunc videbis, quantam mihi Dominus Jesus Christus dabit tolerantiam adversus tuas insidias & diabolicas, quas Sanctis præparasti, pœnas.* Quæ breviora in Græco leguntur, & Ruinart. mss. respondent.

38 Boll. *Ecce jam nunc dabo in te sententiam mortis, si non sacrificaveris.*

39 Boll. *S. Irenæus respondit: Gratulor si feceris; quia per mortis sententiam ad æterna me gaudia transmittis. Probus dedit sententiam dicens.*

40 Sensus Græco consonat, & Boll. duo mss. eadem quoque, quæ Ruinart., verba referunt. Boll. autem editum: *Multifarias minas tuas, & diversa tormentorum genera exspectabam, ut cognosceres quemadmodum Christiani propter fidem, quæ est in Deo, mortem contemnere consuevernnt: sed quia nihil horum intulisti, gaudeo quod vel hanc in me sententiam dedisti.*

41 Boll. *Iratus itaque Præses super tanta fiducia Beati viri, jussit eum gladio percuti, & ita demum corpus ejus in fluvium demergi.*

42 Boll. *Sanctus vero tamquam secundam palmam accipiens, audita hac sententia* &c.

43 Boll. *Tibi gratias ago Domine Jesu, qui mihi donasti tolerantiam in confessione nominis tui, ut particeps efficiar æternæ gloriæ tuæ.*

44 Ita etiam in Græco legimus. Boll. *& hæc dicens productus est ad pontem* &c.

45 Sic omnes Codd. mss. Latini, & editi præter ms. Monasterii S. Michaelis in periculo Maris, qui habet, *Basartas.* Pons iste forte instratus erat Bacunthio flumini, quod prope Sirmium alluit, & in Savum influit, unde ponti cognomen: in recentioribus vero Geographorum tabulis Bozzotha, & Boswenta appellatur. Cumque religio ethnicorum fuerit, hujuscemodi etiam moles cuiquam numini sacras dicare, hinc intellige, cur in Græco pons Ἄρβεμις, vel Ἄρτεμις dictum sit, quod apud Græcos Dianæ, seu Lunæ nomen est; vel certe, quia Dianæ sacellum, aut ara erat ad pontem exstructa.

46 Boll. *& extendens manus in cœlum oravit, & dixit.*

47 Boll. *ad suscipiendum spiritum servi tui Irenæi.*

Digitized by Google

48 Boll. *productus de Ecclesia Catholica Sirmiensium, mortem subire non recuso: precor etiam Domine misericordiam, ut plebem Sirmiensium ab omni adversitate visibilium & invisibilium tuearis, eosque in fide tua confortare digneris.*

49 Boll. *Hac oratione expleta percussus a ministris gladio, projectus est in fluvium, qui Savi nuncupatur.*

50 Plinio & Straboni *Saus* scribitur, itemque in Græcis τῦ Σάυ: sed Strabonem merito alii erroris arguunt, cum hunc in Dravum influere scribit: quem oculati testes, & chronographicæ tabulæ in Danubium inducunt, inter ipsum Sirmium & Belgradum, sive Albam-Græcam: id est, 80. circiter P. M. infra Dravi ostium tanto citius cum Danubio juncti. Boll.

51 Boll. *Martyrizatus est autem famulus Dei S. Irenæus Episcopus Sirmiensium.*

52 Ms. Belfortii, VIII. *Kalend. Aprilis*: Græcum, *mense Augusti* XXI.. Vide, quæ ad Acta præmonuimus.

53 Boll. *agente Præfecturam Probo Præside.*

APPENDIX

DE SS. MARTYRIBUS SIRMIENSIBUS.

DE Sirmiensibus Martyribus, quos Diocletianea tempestas oppressit, acturus id præmoneo ingentem fuisse eorum multitudinem adeo, ut eos numerare sit impossibile. Qui enim in Illyricis & Pannoniarum regionibus præpotenter dominati sunt, Diocletianus præcipue, Galerius, Licinius, atque Christianis bellum indixere, plerumque ibi esse versatos multas ob caussas comperimus, & vel præsentia sua, vel opera Præfectorum in eos sæviendi nunquam cessasse. At Sirmii in frequentissima metropoli ac nobilissima quis negare audeat plurimos Christianæ religioni addictos exstitisse, quos Diocletianus ipse ibi sæpe præsens delere prorsus, ut in toto imperio vesano furore nitebatur. De hac persecutione vide in Tomo I. historiam Diocletiani. Quotquot igitur e vetustis monumentis colligi potuere & nomina & acta horum Martyrum, quibus civitas Sirmiensis nobilitata est, hic exhibeo; at nec ordo retineri, nec annus ac dies martyrii fixus omnino, nec certus iis adscribi potuit, præterquam aut ex Actis & Martyrologiis, aut e probabili conjectura arguere fas est, atque definire. Necessariam tamen distinctionem divisionemque secuti sumus, qua primum Martyres vere Sirmienses præponimus, tum eos, de quibus dubium est, an ad Sirmiensem spectent Ecclesiam, diligenti animadversione recensemus.

DE S. ANASTASIA, ET SOCIIS.

S. Anastasiæ Junioria

Plures fuere hoc nomine sanctissimæ mulieres, quæ præcipuo honore coluntur, a Græcis duæ tresve, fere omnes a Latinis, easque sex enumerat Arturus a Monasterio in Gynæceo Sacro. Ex his celebriores memorant fasti ecclesiastici ambas Romanas, Anastasiam virginem seniorem, quæ Valeriano Imperatore, & juniorem viduam, quæ tempore Diocletiani pro religione Christiana fortiter occubuere; & illa quidem v. Kal. Novembris, hæc VIII. Kal. Januarias. De hac vero disserimus, quam Sirmii martyrium confecisse primam ex Martyribus Sirmiensibus, qui in Martyrologiis leguntur, aut in Hagiologiis, censemus. Acta S. Anastasiæ edidit Metaphrastes, quæ fideliora dicuntur a Baronio in Actis Martyr. Rom. ad diem Nov. 24., atque illa exscripserunt Lipomanus, & Surius. In iis locus martyrii Sirmium videtur; sed Antonius Maria Bonuccius Soc. Jesu in historia S. Anastasiæ hujusce acriter & erudite contendit, eamdem Sirmii quidem quæstioni ac tormentis primum pro Christi fide fuisse subjectam, inde Romam deductam, & in Palmaria, quæ in Tyrrheno mari sita mille passus septem ac triginta distat a veteri Anxure, nunc Terracina in Latio, igne combustam. Verum quo perspicue & ordine rem controversam, & plenam dissensionis tractemus, Actorum summa ex Metaphraste, & iisdem, queis Bonuccius utitur, codicibus necesse est ut proponatur.

Sirmiense martyrium

Anastasia Romæ orta est patre Prætextato viro nobilissimo, & matre Fausta Christiana fœmina, & sanctitate illustri, cujus nomen & elogium exhibet Martyrologium Romanum XIII. Kal. Decembris. Jam adulta, & tum matris cura, tum Chrysogoni Equitis Romani magisterio Christi religione, ac evangelicis legibus instituta, nupsit, sed invita, ut ajunt, & patris jussu, Publio cuidam idolorum cultori, a quo propter morum dissimilitudinem omnino dissensit; & piis intendere operibus, fovere pauperes, solari, qui in vinculis tenebantur, Christianos, iisque quamlibet afferre opem, solemne illi erat diu noctuque. Quamobrem a marito in arcta custodia inclusa est, ac inedia pæne exstincta; quo tempore bis ad Chrysogonum scripsit Romæ carcere obstrictum Fidei caussa, ab eoque binas accepit litteras consolatorias, de quibus suo loco. Sed Publio in expeditione adversus Persas e vita sublato, & libertatem nacta ferventius totam se pristinis exercitationibus dedidit; donec Roma discessit, ut Chrysogonum inviseret Aquilejam abductum ad capitale judicium. Atque illi adstitit omni pietatis opera, eodemque studio amplas sibi a patre relictas facultates in alimoniam & levamen martyrum erogavit, quorum plurimi in er-

Digitized by Google

gastulis & carceribus Diocletiani sævitiæ terrime inibi cruciabantur. Post S. Chrysogoni ad Aquas Gradatas interitum, cum ejus corpus a S. Zoilo Presbytero repertum honeste sepelisset, cœlesti monitu sociam se adjunxit tribus virginibus Ireni, Agape, & Chioniæ, quas etiam Aquileja perductas Thessalonicam jussu Imperatoris constanter prosecuta est, & glorioso perfunctas martyrio clam terræ mandavit, Nec multo post Sirmium concessit, quo & Diocletianus advenerat, ibique consueta Christianis ministeria cum exhiberet, e quibus ingentem numerum una nocte perimi jusserat Imperator, detegitur ejusdem religionis cultrix, & comprehensa sistitur ad regium tribunal. In quæstione utrumque coram Præfecto Illyrici, deinde coram Diocletiano libere professa est, se & Romanam esse, & Chsistianam.

adversus Bonuccium probatur

Hactenus Acta Metaphrastis cum Codicibus & Scriptoribus Bonuecianis re conveniunt; inde inter hos & illa magnum discrimen intercedit. Prætermissis igitur iis, quæ de S. Theodote Nicæna, & ejus cum Anastasia familiari consuetudine in persequendis charitatis officiis, ac de illius martyrio narrantur ab utrisque, Metaphrastem sequamur; quo auctore, Diocletianus Virginis constantiam admirans æque & contemnens, aulici cujusdam hominis consilio Anastasiam tradi imperat Ulpiano Capitolii Pontifici, qui eam blanditiis minisve a proposito avertere conaretur; *Jube, o Imperator, eam tradi Ulpiano Pontifici Capitolii; ei enim vel maxime curæ erit, ut qui sit deorum Pontifex, & vel omnino persuadebit, vel acerbissime puniens tollet de medio, omnes autem ejus facultates, si modo sint ullæ reliquiæ, dedicabit Capitolio. Placuerunt hæc Imperatori, & prout fuerat monitus, accersito Ulpiano, eam tradit.*

Rationibus ex Actis Metaphrastis desumtis,

At Bonuccius ex vetusto Codice Lateranensi aliter id refert factum; *Exstitit quidam qui diceret, esse Ulpianum, qui Capitolii summus Pontifex erat, & hanc uxorem velle, hinc illam dari debere; cui si non consenserit, ipse facultate ejus fruetur, & habeat facultatem occidendi eam. Anastasia ad urbem rediens ab Imperatore cuidam Pontifici Capitolii traditur nomine Ulpiano, cupienti eam habere uxorem.* Hæc omnia justo examini subjicienda. Et primo de Ulpiani cupiditate in Anastasiam, nihil in allatis Metaphrastis verbis ex Surio, quem male citat Bonuccius; deinde qui scivit ille Diocletiani consiliarius, Ulpianum Romæ degentem sibi velle sponsam Anastasiam, quæ tamdiu ab Italia aberat, & per Illyrici loca quodammodo peregrinata fuerat, ac tum Sirmii detinebatur? Nec Capitolinus Ulpiani Pontificatus quidquam juvat Bonuccii sententiam, celebriores enim imperii urbes Capitolia ad formam Romani sibi erigi studebant splendida tum opulentiæ, tum superstitionis ostentatione. Sane S. Apollinaris Ravennæ Episcopus jussu Saturnini Præfecti traditus dicitur Pontificibus Capitolii Ravennatis, uti perhibet Hieronymus Rubeus lib. 1. hist. Raven. pag. 34. Porro Sirmium ea erat civitas ædificiorum templorumque copia ac magnificentia, ut hujusmodi ornamento carere non posset, cum & Imperatores ibi sæpe morarentur, & ingens eo ficret civium Romanorum concursus. Demum quæ verba significant Anastasiæ reditum ad urbem, cur de Roma necesse est, ut intelligantur? an non de Sirmio, unde ad Imperatorem rursum abducta sit, qui Principum more hac illac & per urbis vicinia concursabat? Equidem si *Anastasia ad urbem rediens ab Imperatore traditur Ulpiano*, aut Ulpianus Sirmii erat Capitolinus Antistes, & Bonuccii assertio cadit, aut Diocletianus tum Romam profectus est, ut illam Romano Ulpiano traderet; & hoc cum rebus a Diocletiano gestis non congruit, qui post sumpta imperii insignia an. 284. Romam venit nunquam nisi an. 295. Anastasia jam ab anno 290. e vita sublata. Hinc multo planius ex Metaphraste apud Surium liquet, Diocletianum, probato consilio tradendæ Ulpiano Anastasiæ, illum Sirmiensis Capitolii Pontificem accersivisse, qui suo imperio obtemperaret; *placuerunt hæc Imperatori*, qui, Bonuccio ipso affirmante, constiterat Sirmii, *ac prout fuerat monitus, accersito Ulpiano*, non Roma equidem, sed e Sirmiensi sua domo, *eam ei tradit*. Et si Ulpianus Anastasiam *tradidit mulieribus gentilibus, quæ genere ad eam attinebant*, ut in Metaphraste Surii, mirum esse nequit, quaspiam e Romanis nobiles fœminas, & Anastasiæ sanguine junctas eo tempore, Sirmii fuisse, quæ viros suos negotiorum, vel rerum publicarum causa huc illuc primarias urbes imperii peragrantes comitarentur.

Igitur, pergit Metaphrastis narratio, Ulpiani nec minis, nec pollicitationibus cessit Anastasia, qui Dei ultione percussus captusque oculis paullo post magnis cum ejulatibus miserrime interiit. Quare in Probi Præfecti potestatem, & judicium iterum adducta est; ac duobus mensibus obscurissimo in carcere ut loci squalore ac inedia conficeretur, adstricta, majori animi constantia atque fortitudine ad supremum sese certamen præparabat. Et re quidem vera in rabiem actus Probus, quod dierum sexaginta fame enecta non esset, vesano furore correptus mortis sententiam protulit, ut navi perforatæ imposita cum aliis plusquam centum martyribus in mare certo vitæ discrimine dejiceretur. At navis triduo oberrans Deo ductante, ac vadis impingens demum ad terram appulit incolumis. Re ad Præfectum delata illico trucidari omnes jussit, Anastasiam tribus alligatam palis igne crudelissime absumi.

Quid hic Bonuccius? eadem narrat, sed Romæ acta, quæ nos Sirmii validis argumentis credimus evenisse, Lucillo Præside, & in insula Palmaria, quo navis Dei nutu perducta est. At unde illi de insula Palmaria

ria certitudo? ex suo Codice Lateranensi & Adonis Martyrologio, cujus auctoritatem ad paginæ latus affert. Adonem, inquam ego, Usuardus exscripsit; & utriusque error corrigitur in Romano Martyrnlogio, cum non insulæ Palmariæ, ut inquiunt illi, sed insula Palmaria, quæ una est, signatur. Attamen plura sunt testimonia de Sirmiensi Anastasiæ martyrio, quam de Romano, & hæc ex aliis Martyrologiis iisque vetustissimis prolata. Nam in Corbejense a P. Dacherio producto in Analectis, VIII. *id Jan. apud Sirmium Anastasiæ;* in Richenoviense P. Sollerii, in suo Usuardo tomo 6. Junii Boll., VIII. *id. Jan. apud Sirmium Anastásiæ;* in Hieronymiano Antuerpiensi, VIII. *id. Jan. apud Firmiani Anastasi*, corruptissime pro *Sirmium Anastasiæ;* in Lucensi, VIII. *id. Jan. apud Syrmium Anastasi*, l. *Sirmium Anastasiæ*. Quippe nullius Anastasii nomen hac die habent cætera Martyrologia, quæ viderim, nec Romanum, neque Hagiologi Antuerpienses; mensis vero & diei in his, quæ citamus, immutatio non obest, quin Anastasia hæc eadem sit quæ colitur die vigesima quinta Decembris, cum haud raro hujusmodi translationes deprehendi soleant in antiquis seu Martyrologiis, seu Kalendariis; & Notkerus apud Basnagium tomo 2. part. 3. Thes. Canis. ex ms. Sangallensi habet, VIII. *Id. Jan. in Syria*, l. *Syrmia*, *S. Anastasiæ*. Cæterum aliud Corbejense præfert VIII. *Kal. Jan. Sirmiæ & Anastasiæ;* ubi vides particulam & inscitia librarii intrusam, & corrigenda est dictio, *Sirmii Anastasiæ;* Rhinoviense Sollerii, VIII. *Kal. Jan. Sirmio Anastasiæ;* & alia Hieronymiana, teste Sollerio in Usuardo, hac die exhibent formulam, *& Sirmi Anastasiæ.* Florus in Beda addidit *in Sirmio S. Anastasiæ* &c., in Lubeco-Coloniensi Usuardi editione an. 1490. legitur, *apud Illyricum passio S. Anastasiæ martyris* &c. Jam vero unde Latini Martyrologi opinionem hauserint de insula Palmaria, nimirum Beda, & ex illo Rabanus, & Ado, hosque secuti alii, conjicere nequeo; neque ante Bedam invenies, qui illius meminerit, & Romanum Martyrologium parvum paullo ante Bedam descriptum brevissime innuit, *Romæ Anastasiæ*. Nihil præterea de Palmaria indicat Menologium Græcum Basilii Imper., nihil Metaphrastes in Surio, nihil Nicephorus in Hist. Eccl. Atque id est animadvertendum, Acta Latina ab Anastasio Bibliothecario primum fuisse scripta, uti Baronio videtur in notis ad Martyrologium Romanum, quæ propterea Beda Anastasio tempore anterior legere certe non potuit contra atque Sollerius asserit in Usuado; & latina inter se, & a Græcis parum differunt. Sane Beda itineris Romani non meminit, nec qui ab illo Martyrologium transcripserunt; & Anastasiam a Probo Illyrici Præfecto navi absque gubernaculo impositam, ut certo naufragio periret, ad Palmarias insulas divinitus fuisse advectam affirmant. Verumtamen tota de maritimo Anastasiæ itinere narratio, quod & Acta commemorant, & laudati Martyrologi, quoque freti nostræ sententiæ adversarii S. Martyris ad urbem Romam Sirmio reditum probare adnituntur, verisimiliorem habet explicationem. Sirmium quam longissime abest a mari; adjacet vero ad confluentes Savum & Danubium, qui ingentia & bellica fert navigia, & portuosas insulas efficit. Nonne Tauruni, ubi Savus & Danubius junguntur, classis Romana stationem tenebat, mille passus quinquaginta Sirmio distans, unde navigia commode prope urbem appellerent? & maris vocabulo grandiores sæpe aquæ, & lati altique alvei flumina a Latinis scriptoribus significantur. An non vero propius dixeris, Anastasiam præcipiti Danubii cursui, & undis procellosis fuisse expositam? Et quæ caussa illius Romam usque asportandæ? cur non & Chrysogonus & Cantius cum Cantiano & Cantianilla nobilissimi Romani eo perlati, qui Aquilejæ capite plexi sunt, eodem Diocletiano tyranno, ac tempore eodem? quot Martyres alibi, quam in patria exstincti sunt, licet generis nobilitate Præsidibus notissimi? ut Bonuccio satisfaciam, qui inde etiam argumentum sumit pro Romana Anastasiæ profectione, & Palmariensi martyrio tuendo. Quid si in Sirmii viciniis locus exstiterit, cui *Palmario* cognomen, consitis ibidem palmis? Sane in antiquo Lectionario Anastasiani martyrii ad nos Jadera misso ea dicuntur, quæ cum Actis Metaphrastis congruunt, quæ cum Bonuccianis, uno tantum Probi Præfecti nomine in Florum converso; & Anastasia cum sociis ad fontem Palmarium ducta perhibetur a satellitibus, & illustris pro Christo certaminis palmam emerita: *Maceratam menstrua inedia Anastasiam jussit Florus ad ignobilem situ fontem cognomine Palmarium pertrahi* &c. nulla nec navis, nec maris injecta mentione. Itaque meo quidem judicio ex Actis Bonuccii non probatur Anastasiæ ad urbem reversio, nec in insula Palmaria martyrium; laudati ab eo Scriptores alter ex altero rem gestam excipiunt, neglecto penitiore examine; e contra numero plura sunt, quæ Sirmium præferunt; & Metaphrastis historia diligenter a Surio collata cum mss. codicibus melius veriusque de Sirmiensi martyrio debet intelligi; Romani vero Martyrologii non officit auctoritas, quod Baronio ac Sollerio testibus identidem auctum ipsissima fere Bedæ aliorumque verba de Anastasia repetit, & de Palmariensi martyrio.

Martyrologiorum auctoritate;

alia argumenta,

Nunc quod ad ejus sepulchrum attinet, Metaphrastem expendamus & Bonuccium. Uterque consentit corpus S. Anastasiæ ab Apollonia illustri matrona precibus expetitum, & in suo horto permissu Præsidis religiose tumulatum fuisse. Mitto, quæ minutiora objici possent, si in Palmaria id factum. Quæso tamen, quid obstat, quominus Sirmii esset pia eo nomine fœmina, quæ Anastasiæ sacras exuvias in sepulchrum inferret; quæ ibidem quieto reipublicæ Christianæ statu, tem-

templum Deo dicaret titulo Anastasiæ, cujusmodi Romæ conditum exstat ab antiquo? Non diffiteor, Anastasianam Basilicam Romanam Titularem, ut ajunt, esse cujuspiam Cardinalis, qui S. Anastasiæ Cardinalis nuncupatur; quid inferas, in Palmaria occisam & ejus lipsana huc allata esse? cum & Chrysogonum pari honore Romani venerentur in sua Ecclesia titulo Cardinalitio olim decorata, qui *vetus est*, inquit Baronius in notis Martyrol. Rom. ad diem 24. Nov., *ejusque mentio habetur in Conc.* 1. *sub Symmacho*, *& in Registro S. Gregorii P.*, *eumque Gregorius III. P. ornavit*, *donisque auxit*, *ut constat ex libr. de Rom. Pontific.* nec ideo existimant, in urbe morte multatum, & corpus illuc Aquileja delatum.

præcipue ex Constantinopolitana & Jadrensi corporis S. Anastasiæ translatione.

Profecto Sirmiensis martyrii luculentissimum suppetit testimonium corporis S. Anastasiæ ex ea urbe Constantinopolim translatio. *Postea*, inquit Metaphrastes, *templum quoque Apollonia excitat Martyri præclarum & magnificum*, *& postea anniversarium & festum celebrat. Post annos autem multos Constantinopolis ejus ad se exportatas suscipit reliquias* &c. Hæc translatio consignanda eo annorum spatio, quo S. Pulcheria Constantinopolitanum Imperium moderabatur, ac post excisum primo ab Hunnis Sirmium an. 441.; ita enim scribit Nicephorus lib. XIV. hist. eccl. cap. X. *Ejusdem* Pulcheriæ *imperii tempore Gennadio Ecclesiam Constantinopolitanam curante reliquiæ S. Anastasiæ incantatricis ex Sirmio allatæ in martyrio ejus sunt repositæ*, *quod proxime ad porticum*, *quæ Domini dicitur*, *situm est*. Duo hic corrigenda; alterum de Patriarchatu Gennadii, cujus initium affigitur an. 458. & Pulcheria an. 453. vita excesserat; quare lipsana Anastasiana ante Gennadium Patriarcham delata sunt, & intra tempus quod ab an. Sirmiensis excidii 441. procurrit ad an. 453. obitus S. Pulcheriæ. Ejusdem translationis meminit & Cedrenus in Annal. ad an. 457., & S. Martyris Anastasiæ corpus in martyrio seu templo sui nominis conditum *ad rostrum Domini*; & biennio post alterius Anastasiæ translationem Nicomedia Constantinopolim narrat, quam nec virginem nec martyrem appellat, & quo in loco quiescant sacri cineres, non innuit. At unde S. Anastasiæ Romanæ & Martyris Sirmiensis reliquiæ verisimilius & commodius deferri Constantinopolim poterant? Romane an Sirmio? at translatio certa est, sive ante an. 453. sive 457. id acciderit; & quæ causa cur Roma illud corpus asportaretur? quis credat id a Romanis permissum, nisi furtim velis sublatum; cum Sirmiensis translationis gravissima exstiterit ratio, ne scilicet in urbe fere deserta, & jugo Barbarorum pressa venerabiles Divorum exuviæ aut eorum objicerentur insultibus, aut debito religionis cultu carerent. Præterea Constantinopolitana translatio comprobatur ab altera, qua idem Anastasiæ corpus ex urbe regia Jaderam devectum fuit an. 811. Integram hac de re habes narrationem Tomo 5. Operis nostri in S. Donato Jadrensi Episcopo, ubi Farlatus erudite disserit, & Anastasiæ Romanæ Junioris Sirmiense martyrium & translationem utramque Constantinopolitanam, ac Jadrensem ab oppositionibus vindicat atque tuetur. At nobis alia via incedendum fuit pro ejusdem causæ defensione adversus Bonuccium. Atque is præterea sibi in mentem induxit, Anastasiam martyrio Sirmii exstinctam eam esse, quam Nicephorus distinguit vocabulo *Farmacolytriæ*, Suidas vero *Farmaceutriam* appellat, & latinus interpres vertit *Incantatrix*; quæ appellatio Romanæ Anastasiæ tribui nequit. Ast ne in nominum etymologiis aut interpretationibus teramus tempus, præstigiatrix mulier dicitur in Actis Anastasiæ ab impio judice, & magicis artibus valere credita est, cum divina vi ea mira operaretur, quæ cæci Præsides dæmonum fallacias esse existimabant. Sane in prima ad S. Chrysogonum epistola conquesta ea est, se a Publio veluti magam atque sacrilegam indigne affligi; nec mirum hoc illi vulgo indictum cognomentum diu inhæsisse, quo & a Christianis, sed Christiano sensu ob factorum præstantiam admiratione dignam appellari consueverit. Vocabulum *Farmacolytriæ* a Nicephoro, & a Codino in Excerptis expressum in laudem potius vertitur sanctissimæ Martyris, si illud interpreteris de ope, qua divinitus vim rei noxiæ cujusque *dissolvit*, ab eaque *redimit* infectos, qui illius petebant auxilium; & hinc *servatricem a noxiis* multo rectius Anastasiam diceres, quam *Incantatricem*. Ac fortasse in ea dictione, quæ Græco-barbara est, nec in Græco Stephani Thesauro legitur, nec in Græcis Glossariis, aliqua latet significatio peculiaris ac nobis ignoti alicujus eventi; nam Codinus scribit laudato in loco, templum Anastasianum ædificatum fuisse ab Anastasio Dicero, ubi ædes erant *Pharmaci cujusdam patritii*. Proinde e *Farmacolytræ*, & *Incantatricis* nominibus necesse non est aliam effingere Anastasiam aut magica instructam arte, aut venenorum opificem.

Cur Farmacolytra dicta.

Hisce itaque diligenter perpensis, ne ea repetam, quæ Farlatus in eamdem sententiam scripsit, & ne integra, nimiumque prolixa huc referam in Metaphraste Acta Anastasiani martyrii, sic historiam contraho.

Actorum compendium.

Anastasia matrona Romana, Prætextatum patrem habuit, matrem Faustam Christianam ob eximiam sanctitatem fastis ecclesiasticis inscriptam, religionis præceptorem Chrysogonum Equitem Romanum, & martyrio illustrem. Nupsit invita Publio adolescenti ethnicæ superstitioni addicto, a quo pessime habita propter vitæ dissimilitudinem, & arctæ custodiæ, & inediæ angustiis afflicta e Chrysogoni litteris ad tolerantiam animum sumpsit promptiorem. Publio mortuo in Persica expeditione, & libertatem adepta se totam pietatis officiis & charitatis operibus dedidit erga Christianos Diocletiani tyrannide sævissime cruciatos. Nec multo post Aqui-

Digitized by Google

quilejam venit, qua in urbe sanctos Christi Martyres suis facultatibus juvit, ac solata est, in primis Chrysogonum, qui eo Roma perductus martyrium fortiter subiit, Anastasiæ & Zoili Presbyteri opera pie sepultus. Tum tres virgines Irenem, Agapen, & Chioniam Thessalonicam usque comitata est, easque Christi causa tortas crudelibus tormentis, & morti damnatas clam honesta sepultura donavit. Quin & aliam virginem Theodotem ad pœnas tolerandas pro religione vehementius accendit, cum Nicæam traheretur extremum supplicium subitura. Post hæc Anastasia Sirmium proficiscitur intenta Martyrum alimoniæ & adjumento; sed cum Diocletianus, quot erant carceribus inclusi, una nocte interfici jussisset, deque iis sepeliendis sollicita esset Anastasia, deprehenditur a satellitibus, & ad Diocletiani, tum Probi Præfecti tribunal adducta Christianum nomen constantissime professa est. Deinde Ulpiano Sirmiensis Capitolii Pontifici jubet Diocletianus, illam vel a proposito dimoveat, vel obsistentem perimat. Verum petulantem in pudicam mulierem Pontificem subito oculis captum Deus horribili plectit interitu. Quare Probi judicio rursum subjicitur. Is Anastasiæ fortitudinem indignatus in teterrimo illam includi carcere, & fame confici imperat; ubi martyr Theodote e cœlo adfuit, & Anastasiam diebus triginta cibo & divinis colloquiis quotidie recreavit. Cumque perlatum esset nuntium ad Probum, illam, quam mortuam putabat, adhuc incolumem vivere, ira exæstuans fatiscenti navi impositam cum ingenti hominum numero, certo exponit naufragio; atque e discrimine erepti ope cœlesti, una omnes membratim cæsi jussu Præfecti, Anastasia igne usta, illustris certaminis victoriam consecuti sunt. Corpus S. Anastasiæ Christiana mulier Apollonia in sepulchro constituit, ac, sublatis postea Tyrannis, sacram inibi ædem superinstrui curavit. Sirmio everso, translatum primo Constantinopolim ante an. 453. & an. 811. inde Jaderam delatum, hic quiescit, & insigni religione ab incolis honoratur.

Tempus & socii martyrii.

Tempus, quo Anastasia occubuit, commode figitur anno 290., nam eo tempore Diocletianus Sirmii & in Pannoniis versabatur; nec Anastasiæ martyrium disjungi multum debet a nece S. Chrysogoni, qui Diocletiano tum Aquilejæ commorante, ac paullo post Sirmium profecto, interemptus est VIII. Kal. Decembres, & ab Anastasia tumulatus; qua de re sequor Farlati opinionem, qui tamen memoriæ certe defectu ait Anastasiam fuisse a Probo interfectam Tomo I. pag. 432., & pag. 466. id a Floro effectum innuit, ac rursum eadem pagina Chrysogonum & Anastasiam martyrium consummasse scribit an. 290. cum pag. 425. Chrysogoni certamini assignet an. 289. & rectius; nam Chrysogono interfecto VIII. Kal. Decembris, post dies quadraginta, utor Farlati verbis, Diocletianus comprehensas tres sorores Agapen, Chioniam & Irenem perduci jubet Thessalonicam, quas Anastasia secuta est; igitur annus 290. jam incœperat; & cum hæc, Diocletiano Sirmium reverso mense Quintili illius anni, VIII. Kal. Januarias vitam pro Christo profuderit, ille igitur an. 289. martyrii coronam promeruit. Ferunt Acta plures Anastasiæ socios supplicii adjectos fuisse, viros ducentos cum fœminis septuaginta, & in ipsa navi baptismi aquis intinctos. Cum Actis convenit Martyrologium Romanum; sed Ado in suo Martyrologio numerat quingentas fœminas. Ægre autem adducor, ut credam majori saltem ex parte non fuisse Christianos; quippe si omnes in navi positi, Anastasiæ hortationibus nomen Christi confessi, & a S. Eutichiano, qui unus veram Fidem amplexus jam fuerat, baptismate abluti sunt, totne igitur, perditos homines, præsertim mulieres, uno edicto, uni mortis generi repente Probus addixerit, cum Anastasia naufragio objecta fuit? Reor potius ex illis quamplurimos Christianis imbutos antea mysteriis navigii periculum subiisse; reliquos ceu sontes, & capitalis criminis reos Præfectus quidem in Christianorum contemptum & ignominiam cum iis damnavit, sed cognita Anastasiæ verbis & divino lumine Fidei veritate, infamiam scelerum, quæ prius patraverant, cum gloria martyrii commutarunt.

Ejus cultus,

Tum Græca, tum Latina Ecclesia perpetuo cultu venerata est Anastasiam, eamque sacrarum Virginum cœtui adscripsere nonnulli, etsi connubio cum Publio juncta; sed inter viduas fœminas solet poni plerumque; fatetur tamen ipsa in prima ad Chrysogonum epistola, *thorum* constanter *se declinasse*. Nomen vero illius insertum colitur in divina liturgia, & insignes ejusdem memoria basilicæ Sirmii, Constantinopoli, Romæ, Jaderæ exstiterunt, e quibus nunc superest Romana, & Jadrensis. De hac dictum satis in Ecclesia Jaderensi; ibique magnam partem beati corporis asservari, negare nemo audet; & cum aliæ civitatea, aliæque Ecclesiæ, Romana præsertim, de illius possessione gloriantur, censendum, ut de aliis Divorum lipsanis, nullibi integras Anastasiæ exuvias esse conditas, sed potiores illarum partes, qua religionis causa eo fuerint delatæ. Postremo hic Anastasiæ & Chrysogoni mutuas litteras lubet adtexere; pertinent enim ad sanctæ Martyris Acta & a vetustissimis auctoribus Latinis æque ac Græcis descriptæ fuerunt, tamquam utriusque haud dubium opus, atque ob hanc causam Anastasia merito Scriptoribus ecclesiasticis adjungitur ab Antonio Possevino in Apparatu.

SANCTO CONFESSORI CHRISTI CHRYSOGONO ANASTASIA.

& litteræ.

Licet pater meus cultor fuerit idolorum, mater tamen Christianissima semper vixisse probatur, & casta. Hæc me inter ipsa cunabula fecit fieri Christianam. Post cujus excessum sacrilegi jugum mariti suscepi. Deo miseran-

te,

Digitized by Google

te, iborum, mentita infirmitate, declinans die noctuque Domini nostri Jesu Christi amplector vestigia. Cum ipse patrimonium meum, ex quo illustratur, eum malignis & turpibus idololatris exhauriat, me quoque veluti magam atque sacrilegam custodia tam gravissima mancipavit, ut vitam me corporalem amittere suspicer. Nihil enim superest, nisi ut emisso spiritu morti succumbam. In qua morte licet glorier de confessione Domini mei Jesu Christi, tamen in eo mens mea valde conteritur, quod opes meæ, quas ego ex asse Deo voveram, alienis a Deo & turpibus inserviunt. Et idcirco deprecor te, homo Dei, ut instanter Dominum deprecetis, ut aut ad fidem suam venturum si prævidet Publium, sinat vivere, aut si prævidet eum in hac incredulitatis perversitate mansurum, jubeat eum dare locum suis cultoribus. Melius est enim & exhalare spiritum, quam Dei Filium denegare, & eum confitentes impedire. Etenim omnipotens testis est Christus, quoniam si libera fuero, Sanctorum vestigiis adhærebo, & curas omnium sollicite exercebo, ut cœperam. Vale, vir Dei, & memento mei.

Chrysogonus Anastasiæ.

Fluctuanti tibi inter procellas & turbines mundi cito super undas deambulans Christus adveniet, & diaboli adversum te flantem spiritum uno jussionis suæ sermone compescet. Patienter & quasi in medio mari posita crede ad te Christum esse venturum, & ad temetipsam conversa exclama cum Propheta; Quare tristis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei & Deus meus. Geminum divini muneris probatur indicium, cum tibi & terrena reddentur, & donabuntur cœlestia. Deus enim beneficium suum ad hoc extremitatibus protrahit, ut non sit nobis vile quod præstat. Vide ne turberis in hoc, quod pie viventi tibi inferantur adversa. Non enim deciperis, sed probaris. Non est tuta defensio, quam per hominem putas constare. Audi Scripturam dicentem. Maledictus homo, qui spem ponet in homine; & benedictus homo, qui spem suam ponit in Deo. Cave fortiter, vigilanter, strenue peccata, & a Deo quære solatium, cujus jussa conservas. Cito enim ad te placidum tempus convertetur, & quasi post noctis tenebras floridum diei lumen adspicies, atque post glaciale frigus hyemis transeuntis aurea tibi tempora & serena succedent, ut omnibus, qui pro Christi amore affliguntur, præbeas temporalem lætitiam, per quam sine dubio consequeris æternam. Vale in Domino, & ora pro me.

Beato Martyri et Confessori Christi Chrysogono Anastasia.

Finis venit corporis mei, memento mei, ut egredientem animam meam ipse suscipiat, pro cujus amore ista sustineo, quæ ex ore hujus vetulæ recognoveris.

Hinc dignoscimus, quam dura, quamque sæva pateretur a viro Anastasia; & animadverte Chrysogonum hic Martyrem appellari, Qui in judicium de religione vocati coram Christianum nomen confitebantur, hi *Confessores*, qui aliquod tormenti genus experti essent, hi *Martyres* vocabantur. Quare Chrysogonus, quem in prima epistola *Confessorem* solummodo Anastasia salutat, aliquo certe supplicio fuerat affectus, cum in hac glorioso *Martyris* titulo illum impertit.

Chrysogonus Anastasiæ.

Semper est, ut lumen antecedant tenebræ, sic etiam post infirmitatem lumen revertitur, & vita post mortem promittitur. Uno fine concluduntur & adversa hujus mundi & prospera, ne vel tristibus desolatio, vel lætis elatio dominetur. Unum mare est, in quo naviculæ corporis nostri velificant, & sub uno corporis gubernatore animæ nostræ nautico funguntur officio. Quorumdam igitur naves fortissimis carinarum nexibus solidatæ tenebrosi æquoris concitatos fluctus illæsæ prætereunt. Quorumdam vero fragili junctura lignorum etiam in tranquillo vicinum morti conficiunt cursum. Prope est enim ut pereant, qui non cogitant, qualiter ad salutis portum perveniant. Tu autem, Christi irreprehensibilis famula, Crucis Christi trophæum tota mente constringe, & teipsam ad opus Dei præpara. In quo ejus desideriis dum parueris, cum martyrii palma ad Christum pertinges.

Equidem Chrysogonus in utraque epistola duo divinat de Anastasia, quæ revera illi feliciter contigerunt; alterum, quod ab ærumnis libera, quibus affligebatur, adjumento foret & solatio Christianis a Diocletiano nequiter cruciatis; alterum, quod martyrii palmam esset assecutura.

Plures Sirmii martyres eodem, quo Anastasia, anno.

Hactenus de S. Anastasia. Verum prætermittendi hic non sunt sanctissimi Martyres, qui paullo ante, eodemque anno pro Christi fide Sirmii decertarunt, quorum ignota nomina, sed numerus ingens. De his hæc Metaphrastis Acta Anastasiana; *Cum intellexisset Diocletianus, quam essent quidem angusti carceres propter multitudinem piorum, qui in iis detinebantur, essent vero inania quævis excogitata tormenta, a confessione nemine eorum recedente, Sanctis quidem multa & varia mortis genera dispertita sunt.... omnes una die jussit interfici.* Hac occasione Anastasia & Christiana detecta, & a Probi satellitio comprehensa. Si temporis spatium metimur, quo sæpe in judicium adducta fuit, quoque in ædibus Ulpiani Pontificis constitit, ut hortamentis atque blanditiis ad ejurandam Christianam fidem commoveretur; tum mensem integrum, quem in carcere transegit jussu Probi, & dies non ita paucos inter judicis sententiam, decreti naufragii periculum elapsum, ac paullo post martyrium interjectos, duorum ac trium fere mensium summa conficitur a die, quo custodiæ tradita est, ad

diem

Digitized by Google

diem mortis octavum ante Kalendas Januarias; & hinc illorum Martyrum ædes ad initium mensis Octobris referri potest; cum Diocletianus mense Quintili ac forte Sextili Sirmium reversus reliquam anni 290. partem cum in ea urbe, tum in Pannoniis, ac vicinioribus locis concursandis transegerit.

DE S. SIRENO.

Cultus S. Sireni olim celebris;

NObile in primis, ac illustre Sireni martyrium apud Hagiologos invenio, qui cum Sirmiensem Ecclesiam præclaro, atque laudabili vitæ instituto decorasset, maximis virtutibus auctus, & ingenti meritorum copia summam martyrii dignitatem hac laude obtinuit, ut illa inter Sirmienses ac præcipuos nostræ religionis pugiles ac propugnatores principem illi locum sine controversia detulerit. De quo id nobis propositum est tam solerter, accurateque describere historiam, quantum ad ejus nomen, cultumque dudum forte neglectum ab oblivione, & silentio, & hominum incuria vindicandum conducit, ut Sirmienses cives intelligant, in quo, & quanto viro gloriari debent, cujus memoriam, & præclara gesta singulari in posterum studio, ac veneratione prosequantur. Fateor equidem pauca nobis suppetere monumenta literis tradita, atque custodita, quæ præclarissimi hujusce Martyris vitam illustrent, & debito cum honore posteritati commendent; peculiari tamen Numinis providentia factum est, ut cum plurimorum hujus Ecclesiæ Martyrum nedum Acta, nomina quoque aut nemo scriptis mandaverit, aut temporis diuturnitas nimia vetustate absumpserit, Sireni nomen, & acta martyrii nullo casu, infortuniove interirent, nec vetustas, nec ulla oblivio aboleret. Et nomen sane in antiquissima quæque Martyrologia invectum deprehendimus brevi formula sæpe, longiori aliquando, ac ornatiori distinctum: Acta autem duplici exemplari consignata diu, multumque in tenebris latitarunt, donec e pervetusto Codice Ultrajectino primum exemplar in lucem protulit Joannes Bollandus, sed stylo contractum, atque adstrictum; alterum vero auctius, integriusque e libraria supellectile eruditissimi viri Abbatis de Noailles, postea Parisiensis Antistitis, plurimis sane, & optimis Codicibus referta, in vulgus exiit inter selecta & genuina Martyrum Acta a Theodorico Ruinartio typis vulgata; utrumque vero germanam præfert, atque sinceram antiquitatis formam, quæ a criticis hominibus vel delicatioris fastidii gravissimam ubique commendationem est assecuta. Verum ex utroque illud in hunc locum describendum selegi, quod Ruinartius magno eruditorum commodo ab injuria temporum vindicavit, & cum Bollandiano exemplari, adjectis notationibus, contuli, quibus instructum prodibit inferius. Atque en tibi tum ex Actis, tum ex Martyrologiis subjecta nostræ animadversioni materia, in qua & studium, & labor

Acta Martyrii sincera;

propositæ narrationis versetur ad cognoscendum quidem utilis, ad legendum fortassis non injucundæ. Quare ut ab ipso Sireni nomine exordiar, non una est, eademque omnibus perpetua & constans hujus nominis scribendi ratio; tot enim, dissimilibusque inter se formis effictum illud, expressumque videmus, quot pæne varia, atque dissimilia sunt Martyrologiorum apographa, unde illas deprompsimus. Sunt autem hujusmodi: *Serenus*, *Senerus*, *Sirenus*, *Syrenus*, *Sinerus*, *Synerius*, *Sinerius*, *Severus*, *Synetus*, *Sinetus*, *Syverus*, *Syreneus*; immo & *Sergius* in Florario ms. apud Bollandum; *Apud Sirmium B. Sireni, alias Sergii, alias Seneri monachi, & martyris sub Maximiano anno salutis* 287. Nec desunt, qui fœmineum cum sexu, cultuque nomen eidem affingant, & *Serenam* appellent, auctores scilicet Loetiensis, & Tornacensis Martyrologii ms. inter prætermissos ad diem Februarii Bollandiani vicesimum secundum; *quæ*, inquiunt ii, *tempore Maximiani plexione capitis suscepit martyrium*. Sed quod multiplici subest variationi, unum, idemque vocabulum est, vel ex attritis Codicum literis male descriptum, vel librariorum incuria, inscitiaque corruptum, atque deformatum. In tanta vero ejusdem nominis pronuntiandi dissimilitudine mihi sane probabilius fit, hunc Martyrem nobilissimum, cum genere Græcus esset, non aliter vocitandum esse, quam Sirenum, ea scilicet appellationis forma, quæ ad linguam Græcam relata ortum & etymologiam repetit ἀπὸ τῦ σειρήνος, & a σειρὼ in genitivo casu producta *Sirenam* significat: proinde hæc nobis perpetuo retinenda erit, quippe cum & ad similitudinem nativæ linguæ, ex qua deducitur, propius accedat, & in Actis a Bollando editis, exigua unius jotæ in ypsilon mutatione, iisdem literis, & ad eumdem pronuntiandi sonum conformata servetur; licet Sollerius Sineri vocabulum magis sibi placere affirmet *cum probatissimis codicibus Usuardinis, quidquid sit de varia apud alios hujus nominis enuntiatione*, & *quidquid de Hieronymianorum inflexionibus dici possit*, cum *sola nobis hic disceptatio sit de Usuardi lectione, quam ex melioris notæ Codd. Mss. definivimus*: addit vero, *cum quo scribendi modo majorem habeat cognationem analogia Gallica Serneu, Cerneux, Cerneuf, viderint illi, qui etymologias scrutantur*: ita enim Galli Sireni nomen pronuntiant nativo sermone, apud quos solemnem ab antiquo cultum fertur obtinuisse; Ruinartius tamen *Sereni* nomen, quod in suo Codice, & in Florentiniano Martyrologio inscriptum est, censet retinendum. Quod spectat ad Græcam hominis originem, constat illa quidem ex utroque Actorum apographo, in quibus *Græcus civis* dictitatur; & tanti illorum fides, atque auctoritas esse debet, ut hoc præcipue argumento refutari queat, atque dissolvi, quidquid de genealogia Sireni Hispani quidam Scriptores confingere ausi sunt, atque impudentissime comminisci. Ex hisce princeps

nomen varium.

De ejus genere quæstio

adversus Thomam

Digitized by Google

fuit Thomas Tamajus de Vargas, qui inter vetustas, ut ipsi ostentant, chartarum lacinias, Luitprandi nescio quæ fragmenta nactus, sive verum Luitprandi opus esse existimaverit, sive tam præclari nominis specie abusus fuerit ad lectores imperitos decipiendos, male auspicatis profecto studiis illa adornavit, & cum reliquis, quibus scatent, fabulis, atque mendaciis isthæc de Sireni familia in lucem prodidit Madriti. *Decessit Q. Serenus Samone in Gallecia cum opinione sanctitatis anno* 160., *relicto filio adolescentulo, qui fuit egregius medicus, & virtutis, ac religionis amantissimus. Dies senioris Q. Sereni dicitur fuisse* 15. *Kal. Martii illo anno. Medici duo filii Q. & M. Sereni passi sunt sub Alexandro Severo. Item tertius, & quartus Serenus passi sunt cum aliis in Aphrica sub Diocletiano. Horum filii L. Serenus monachus, familiaris Diocletiani, & Publ. Serenus, Martyr in Aphrica hic, ille vero Sexti-Firmi in Bœtica passus est sub Diocletiano anno* 290. Habes hic Sirenum e Gallœcia oriundum in Hispania citeriori, habes monachum & Diocletiani familiarem, habes denique Sexti-Firmi in Bœtica martyrio affectum; duo postrema alibi examinanda sunt; nunc de genere quæstio agitur. Et id quærimus a Tamajo, quo auctore fabellam hanc adeo festive contextam nobis obtruserit? Luitprando, inquiet; gravis sane auctor, suique nominis splendore inter eruditos perquam clarissimus: at verus ne idem, an commentitius? Audi, quid ad hæc vir Hispanus reponat, Nicolaus Antonius Hispalensis doctrina, atque eruditione bene & naviter excultus; quid de Luitprando isto, de tota Serenorum genealogia, de suæ gentis impudentia, ac temeritate graviter ille, eruditeque scripserit, Tomo I. Bibl. Hispanæ lib. 1. cap. 20. *Cacoethen nugandi, aut potius de rebus sacris mentiendi! Sereni ergo tribus istis Ecclesiæ sæculis, quotquot fuere, hos omnes. si Pseudo-Luitprando Haubertoque aures damus, Gallœca dederit Serenorum propago. Hæc fuit prorsus Ludionis hujus, & aliorum ejus similium in futlendo mens, & consilium; spoliare illustribus earum hominibus externas regiones; quos Hispaniæ adscribere nominis æquivoci ductum sequentibus semel placuisset. Arrisit ergo Sammonici nomen, quo Serenus appellatur, medicus auctor, visumque aptum, ut fingeretur ab oppido Gallœciæ Samos, uti gentile derivatum. Hinc Q. Serenus Sammonicus Hispanus e Gallœcia repente factus.* Quid clarius, ut intelligas, Luitprandinam historiam a male feriatis hominibus ideo consarcinatam, & Luitprando adscriptam, ut celeberrimis, unde libuit, viris sibi per summam fraudem arreptis, Hispanum nomen, tanti ponderis addito testimonio, tutius nobilitarent. Sed pergit Antonius, & apertissimum de monacho Sereno mendacium, gravius, vehementiusque ita castigat. *Pergit omniscius vir Serenorum successionem pertexere; Tertii, & Quarti filios ait fuisse Lucium Serenum Monachum Sixti-Firmi in Hispania, & Publium in Aphrica Martyres. Undenam sagaces manus subripuerint Serenum illum Monachum Martyrem scire cupis? Equilinum Episcopum adi, & lib.* 3. *cap.* 147. *Serenum Monachum laudatum offendes sub Maximiano Sirmii Martyrem; ex Sirmio enim celebri Pannoniæ urbe facta est, ad nutum fabulatoris, Sixti-Firmi nota Hispaniæ urbs ad oram Boeticæ.* Ex quibus rem adversus Thomam ita conficio: vel etenim novit fictitium esse Luitprandinum opus; & quid in homine fingi impudentius, aut excogitari potest, ut ceu verum Luitprandi opus, perquam temere illud effutiat? vel fallacissimi artificis fraudem ignoravit, cui tantum otii ad turpiter fallendum supererat; & quis id illi stupiditati non vertat, ingentem illam mendaciorum congeriem ne superficie quidem tenus dignovisse? adeo tamen, sive impudentiam mavis, sive stupiditatem, in alterutra sibi visus est gloriari, ut novis typis idem opus recuderet Antuerpiæ an. 1640., & figmentis figmenta substituens in locum Tertii & Quarti Sereni Zenam, & Q. Serenum intrusit, novum fœtum e suo cerebro eductum novos L. & Pub. Sereni parentes: *Item Zena, & Serenus passi cum aliis in Africa sub Diocletiano. Horum filii* &c. Nihilo felicior temeritate emendatio, quam jure, meritoque risit Joannes Bollandus, & adversus alterum Serenæ genealogiæ defensorem plane commentitiam esse convincit. Is est Joannes Tamajus de Salazar Hispani Martyrologii infelix omnino auctor, & falsi Luitprandi discipulus, ejusdem commentis probe institutus, qui in hæc verba Sireni nostri genus descripsit: *Firmi in Bœtica S. L. Sereni monachi, filii Q. Sereni Sammonensis Gallœci;* & opinionem compositis ad ingenium argumentis confirmat in notatione subjecta. Sed cur quæso, utor Bollandi verbis, *aliter excusa quædam in secunda editione Luitprandinæ historiæ, ac in prima? quidque sibi vult, quod horum (id est Zenæ, & Q. Sereni) filii dicantur L. & P. Strenus? Uter utrius est? Non enim utriusque uterque. Aut unde novit D. Tamajus Salazarius, L. Serenum Quincti filium fuisse, & non potius Zenæ, qui prior, uti & ipse, inter filios ponitur?* Frustra hæc tamen quærimus, & nimium tædet impudentissimas fabulas singillatim exponere, ac data opera refutare, quibus, inquit Tillemontius in notis Tomi V. monum. eccl. pag. 687., *Christianæ veritatis discipulos, ac testes sibi mendaces homines, suisque popularibus arrogarunt.* Quid illa porro, quæ Salazarius in notis fuse persequitur? *L. Serenum politioribus literis Romæ eruditum, earum in primis Diocletiano, ejusque domesticum, & sodalem fuisse?* quid, cum illum *fraudes, Principisque in Christianos sævitiam aversantem,* e palatio in eremum deducit? quam serio, quam belle hæc conficta! ut illud assequatur, quod jactat inepte, *ne doctis scilicet perperam arrideat figmentum absque vetusta commendatione politum.* Nobis sane, quæ Bollandi sententia

et Joannem Tamajum Hispanos Scriptores,

est,

Digitized by Google

est, *quantavis commendatione politum figmentum, quamdiu figmentum esse deprehenditur*, nunquam arridet, immo ne figmenti quidem suspicio: atque id tandem contendimus, cum præter Acta nihil insit vetustioribus monumentis, quod ad faciendam fidem de genere, ac vita Sireni ante martyrium gesta possit indubitanter afferri, plus esse Actis tribuendum, quam quantum alii conjecturæ, cæterisque argumentis tribuendum putant. Fuere namque nonnulli, qui Sirenum in Italiam avocantes ejusdem originem ad Italos potius, quam ad Græcos retulerunt, & Firmum Picenæ provinciæ urbem nacti, hic illi & genus, & patriam assignant. Decepit nimirum illos Topographia Sanctorum Christi Martyrum anno 1450. descripta, auctore Primo Antistite Cabillonensi, qui ad an. Ch. 306. ita S. Sireni commemorationem inducit: *Firmium Italiæ civitas in Picenis. Hic Serenus monachus sub Maximiano Imper. Martyr:* verum & ipsi ansam errandi præbuit corruptæ nominationis similitudo, qua interdum in antiquis Martyrologiis *Firmum* pro Sirmio ponitur, ut alibi monuimus. Hunc proinde secutus in suo Martyrologio Maurolycus hac formula Sireni martyrium descripsit: *Apud Firmium Italiæ civitatem in Picenis, B. Sireni monachi, & Martyris, qui jubente Maximiano Imp. tentus, cum se Christianum esse confiteretur, capite cæsus est:* quam formulam Constantius Felicius contractiorem edidit in sua Ephemeride Historica anno 1577. typis impressa; *Serenus monachus & Martyr, Firmi in Marchia, plexus capite, jussu Maximiani*. Unde nihil mirere, Franciscum Adamum in Historia Firmanæ urbis a se conscripta, & Romæ vulgata anno 1591. id contendere Primi & Maurolyci auctoritate, ut Sirenus noster cum Firmanis civibus, Divisque adnumeretur: & recte Sollerius in Martyrologio Usuardi suam ad diem Februarii vicesimum tertium notationem hisce concludit, *male Martyrologes aliquos Italos Sanctum Sinerum Firmum in Picenum, inepte Hispanos in Bæticam, Sexti Firmum traqstulisse*. Atque hæc quidem longiori a nobis disputatione tractata sunt, ut plane intelligatur, quænam sit fides Hispanis hisce Hagiologis adhibenda, cum vel Luitprandi fictitio opere, vel Pseudo-Dextri Chronico impudentissime utentes Sirmiensis præcipue Ecclesiæ Martyres sibi arrogant, & Sexti-Firmium in Hispaniam abducunt; quæque hic disseruimus, tum 72. Martyribus, & SS. Montano, & Maximæ in primis accommodata esse velim, tum aliorum Martyrum fastis, de quibus agemus, ab horum Scriptorum fabulis vindicandis.

eum contra Italos quosdam.

Ante Martyrium gesta;

Hactenus de genere S. Sireni: quæ ad ejus vitam attinent, & gesta ante martyrium, nota sunt ex Actis Ruinartii, nullo prorsus modo in dubium revocanda. *Apud Sirmiensium civitatem Serenus peregrinus, Græcus civis, cum de locis peregrinis venisset, hortum colere cæpit, ut inde vitam suam transigeret, eo quod aliam artem non nosset. Qui tempore persecutionis metuens temporales plagas latitavit non multum temporis, & paucis mensibus. Postea vero hortum suum cæpit iterum libere operari*. Quibus & Acta Bollandi consentiunt, addita *monachi* appellatione, sed latebræ tempore, exçultique palam iterum horturi narratiuncula omissa: *Apud Sirmiensium civitatem Syrenus peregrinus monachus..... qui tempore persecutionis metuens temporales plagas latitavit*. Igitur Sirenus Sirmium e Græcia adveniens, Christianis jam tum institutus mysteriis, hortorum culturæ in Sirmiensi suburbano operam dabat, vir nulla profecto generis nobilitate præclarus, quippe qui neque militiæ, neque literarum artibus excultus vitam a prima ætate in agro traduxisse videatur, eique sustentandæ victum exiguo olitoris quæstu, duroque labore comparasse. Unde Salazarii figmenta denuo rideas licet, qui Sireni sui *Acta penitus deperisse* dolens, se *illa ex more compaginare* scribit, suo nimirum ingenio, suoque Luitprando auctore, & Sireni illustre genus, doctrinam, aulicam institutionem, & initam cum Diocletiano familiaritatem uberrima oratione commendat; quæ in Hispano Martyrologio contractiore stylo ita complexus est; *Sexti-Firmi in Bætica S. L. Sereni Monachi, filii Q. Sereni Samonensis Gallæci, qui cum in domo Diocletiani Imp. aliquando aulicus versaretur, vitam periculosam relinquens, & empto hortulo, ibidem contemplationi vacasset, a fœmina quadam aulica persecutus, primo Maximiano imperante in Hispaniam relegatur, post ad martyrii coronam intrepidus agonista pervenit*. Sed hisce refutandis plus nimio immorati sumus paullo superius: de *Monachi* appellatione utilior est, eaque necessaria inquisitio, qua & Acta Bollandi, & Martyrologorum plerique Sirenum distinguunt; cujusmodi sunt antiquus auctor Romani parvi Martyrologii, *Apud Sirmium Sinerii Monachi*, & Centulensis ms. apud Bollandum & Sollerium in *auctariis* Usuardi, *Apud Sirmium S. Sireni Monachi, qui sub Maximiano capite cæsus est*; Bononiense vero S. Luciæ Martyrologium, *Apud Sirmium beati Sireni Monachi*, Bellinus & Usuardus, *Beati Sineri Monachi, & Martyris*, tum Baronius integra hac formula tribus aliis communi, *Apud Sirmium beati Sireni Monachi, & Martyris, qui jubente Maximiano Imp. tentus, cum se Christianum esse confiteretur, capite cæsus est*; præter illos, quorum formulas ante protulimus, eosque, quorum testimoniis opportunior locus patebit inferius. Equidem non Maximiani solum temporibus, ut Eusebio teste in lib. 8. histor. c. 22. adnotat productæ formulæ Baronius, sed 50. fere ante annos, Decio Imperatore, monasticæ vitæ cœpta sunt instituta; & Binghamus vir cæteroqui acatholicus, & Monachorum professioni necessario infensus, ad an. 250. retulit monachatus initia in Tomo 3. Orig. Eccl. Fuere tamen ab ipsis Ecclesiæ primordiis Christiani homines, qui, cujusque sexus forent,

Monachatus quinam;

Digitized by Google

& status. & ordinis, durioribus abstinentiæ, atque jejunii exercitiis severiorem vitam pro sua quisque voluntate agentes *ascetæ* Græco vocabulo dicebantur, ab ipsa vivendi norma, sive rigidiori exercitatione, quæ Græce ἄσκησις est, nuncupati; atque hos inter & monachos istud intererat, inquit Binghamus, quod hi quidem ab hominum consuetudine semoti in agris, atque eremis una solitarii degerent, laici status contenti primitus, & certis præterea legibus adstricti; illi vero in urbibus, propriaque domo versantes in Ecclesiarum quoque ministeria cooptari poterant, communibus tantum Christianorum præceptis, institutisque servandis impensius addicti. Qua in re discrepat a Binghamo Tillemontius in notatione Actis S. Sireni subjecta pag. 687. Tomo V. monum. eccl., cum ascetas in solitudines, aviosque recessus compellit, & vitæ genus utrumque sane diversum male confundit, id recte sentiens, monachorum originem ab ascetis esse verisimilius deducendam. At vero monachis, & ascetis certe distincta fuit vitæ institutio, & monachi nomen, atque disciplina inter Ægyptios primo exorta, nondum, sæviente adhuc Imperatorum tyrannide, per alias orientis, atque occidentis provincias disseminari cœperat, atque diffundi. Hinc facile adducor, ut credam, S. Sirenum, cum in illa hortuli solitudine, quem in alendæ vitæ subsidium sibi aut emptum pecunia, aut locatum comparaverat, divinarum rerum studio facilius vacare posset, & abstinentiorem prosequi cultum evangelicæ doctrinæ, ascetam professum esse, & propter quamdam vitæ, ac morum similitudinem, quæ ascetæ cum monacho intercedebat, monachum idcirco appellatum in Actis Bollandianis, cum minus nota forent monachorum instituta, & alterutrius nomen promiscue, insciteque usurpari vulgo soleret. Quare castigata quidem eruditione scripsit Ruinartius; *Monachi nomen, quod nostro Sereno omnia Martyrologia cum Actis Bollandianis tribuunt, nemo ipsi denegabit, si eo nomine homo in solitudine, vel in prædio aliquo peculiari degens intelligatur;* quo more non negamus veteres aliquando ascetas, pro suo quemque libito, asperius vixisse, eaque ætate, qua, pergit Ruinartius, *multos sane ejusmodi in extremis Ecclesiæ persecutionibus fuisse extra dubium est, quos μοναχὸς, sive μονάζοντας appellabant*, a Græcis & Latinis Scriptoribus monachos interdum dictitato impropria hujus vocabuli significatione. Tillemontius autumat, in Græco Actorum exemplari *ascetæ* nomen adhibitum fuisse, quod Latinus interpres in *monachi* appellationem suo ævo usitatiorem converterit, unde ab Hagiologis desumpta sit, & Sireni nomini adjecta; sed Græcum hocce Actorum exemplar, & Latina interpretatio omnino confingitur a Tillemontio nescio qua facta conjectura, quippe cum ex ipso Actorum stylo id deprehendi minime possit, & Bollandus, ac Ruinartius, quorum diligentiæ debemus latinum exemplar utrumque, de Græcis Actis, ne suspicantes quidem, nihil penitus prodiderunt: esset autem illud prorsus conjectarium, siquis memoria, animoque advertens die eadem, qua Sirenus noster colitur, alium Serenum monachum & abbatem Scythopolitanum Divorum Fastis inscribi opinaretur, librariorum sive oscitantiam, sive insciticm fuisse in causa, cur in exscribendis Codicibus huic Sireno monachi nomen & cultum affingerent, quæ Sereni Scythopolitani propria sunt perperam ab iisdem cum Sirmiensi confusi. At certe vel dormitasse dicam non secus, atque Homerus, Baronium, vel ignoto nobis Codice usum, qui citato alibi in loco indubitate affirmat, Sirenum non solum monachum, sed etiam Episcopum effectum fuisse a Petro de Natalibus in Catalogo Sanctorum. En ipsissima Baronii verba, *Agit etiam de Sireno Petrus in Catal. lib. 3. c. 145. licet eum etiam Episcopum fuisse dicat*: id enim ne verbo quidem innuit Petrus, cujus de Sireno narrationem ex Actis confectam huc e lib. 3. catal. sed cap. 148. transcribo alteri usui posteu commodiorem futuram; *Serenus monachus & martyr sub Maximiano Imp. apud Syrmium passus est. Nam cum ipse sibi hortum excoleret, & unius ex domesticis Imperatoris amicus intimus esset; quadam die uxorem illius in horto suo hora incongrua deambulantem reperit, eamque acriter de inhonestato increpavit, quod sola hora inepta monachi pomerium introisset, eam quoque cum indignatione ejecit. Quæ viro suo de Sereno conquerisur, & quod eam turpiter ejecerit lamentatur. Qui verbis conjugis ad iracundiam motus, quem dudum ut amicum caverat, Maximiano uti Christianum accusat. Sicque Serenus jubente Imperatore tentus, & se Christianum confessus, capite cæsus est 7. Calend. Martii.*

Hoc itaque suburbano in recessu cum Sirenus religionis, ac pietatis exercitiis quibusque fervens, atque alacre studium impenderet, nova in Christianum nomen persecutio exarsit, cujus furente æstu perterritus, sibique diffidens remotiori ab urbe in loco aliquandiu abdere sese penitius maluit, quam procellæ objici fluctibus, & inter vehementissimam suppliciorum vim, quibus in quodvis hominum, ac ætatis genus desæviri videbat crudelissime, fide, atque religione periclitari, divinam interim opem exoraturus, ut ne, si detegi se, & in religionis quæstionem vocari contingeret, ullis aut minis, aut suppliciis, ullisve pollicitationibus a recta in Deum fide posset dimoveri. Id perhibent Acta hisce verbis, *Qui tempore persecutionis motuus temporales plagas latitavit non multum temporis & paucis mensibus*. Sed quædam hic exoritur dubitatio, quodnam hoc tempus prrsecutionis fuerit in Actis expressum: namque, ut Diocletiani certe persecutio innuitur, ita e tribus, in quas distincta fuit, periodis inquiri necessario debet, cuinam sit potius Sireni fuga, sive occultatio re- & fuga persecutionis

referenda, ut quodam quasi gradu ad ipsum perpessi martyrii tempus inde statuendum tutius deveniam. Sed notanda in primis Tillemontii animadversio, qui integram dictionem, *qui tempore persecutionis metuens temporales plagas latitavit*, minus apte in Actis a Bollando vulgatis, in Ruinartianis concinne locatam esse contendit; confer enim utraque simul, & vide, quidnam sit discriminis inter hoc narrationis initium in Actis Ruinartii; *Apud Sirmiensium civitatem Serenus peregrinus, Græcus civis, cum de locis peregrinis venisset, hortum colere cœpit, ut inde vitam suam transigeret, eo quod aliam artem non nosset. Qui tempore persecutionis* &c.: & illud Actorum Bollandi; *Apud Sirmiensium civitatem Syrenus peregrinus monachus, Græcus civis, cum de locis peregrinis venisset, hortum colere cœpit, ut inde vitam transigeret, eo quod aliam artem non nosset. Qui tempore persecutionis* &c.; ut inde jure velit Tillemontius, dictionem eamdem esse *altius* in Actis Bollandianis transferendam: & multo æqua minus immutationis hujusce ratio ab illo indicatur, scilicet ut intelligamus, persecutionem ipsam *fuisse in causa, cur Sirenus patriam linquens Sirmium advenerit inibi commoraturus*. Quippe & ex Actis a Tillemontio probatis id ne conjicere quidem licet, & utraque Acta Sireni primum ad Sirmiensem urbem adventum commemorant & olitoriam vitam, tum, commota jam persecutione, ejus fuga, & occultatio narratur, demum ipsius ad pristinum vitæ genus, suumque agellum libere excolendum manifesta reditio. Quodnam vero ab illa Diocletiani procella esse poterat effugium homini in Pannoniam venienti, ubi Tyranni rabies, atque crudelitas ad divexandos Christianos immanius efferabat? Ut autem propositæ quæstioni insistam, verisimilius mihi videtur, Sireni fugam posse in illum annum conjici
anno 302, aut 303. 302, aut 303., cum vulgato per omnes Imperii partes Nicomediensi edicto, tertio demum Diocletiani & Maximiani tyrannide supremum pæne exitium Christianæ religioni imminebat: illud enim certo constat ex Actis, Sirenum Maximiani Imperatoris jussu in quæstionem illatæ injuriæ vocatum fuisse, eodemque Imperatore Præsidis sententia pro Christi fide capite mulctatum fuisse. Hæc præterea certa sunt, Maximianum Imperio se abdicasse an. 304. aut 305., tum Sirenum *non multum temporis, & paucis mensibus*, ut innuunt Acta, delituisse, & Sireni martyrium tertiæ hujus persecutionis periodo ab Hagiologis affigi. Igitur, cum Maximiano adhuc Imperatore is vita functus dicatur, ejus fuga sub initiis recrudescentis tertio
redit Sirmium; adversus Ecclesiam procellæ verisimilius erit constituenda; quod clarius fiet, cum de martyrii tempore agemus. Brevis itaque Sireni in suo secessu commoratio fuit, quam verba Actorum vel ad annum protrahi non vetant; indeque, seu potentis viri patrocinio fretus, cujus familiaritate utebatur, si Petro de Natalibus fides esse debet, qui unus Sirenum cuidam *ex domesticis Imperatoris amicum intimum*, & ab illo *dudum ut amicum colatum* fuisse scribit; seu potius in spem cœlestis auxilii magis erectus, alacer ad pristinum vitæ genus, suumque agellum se retulit, ubi divini de se consilii exitum opperiretur, si forte extremum vitæ spatium in religionis, morumque sanctimonia jam ad senectam productæ, vellet martyrii merito cumulare. Nec diu dilata occasio fuit, qua per calumniam primum postulatus in judicium, in eadem quæstione causam de religione dixit, & capitali sententia plexus est. Etenim cum die quodam vir sanctus hortulo operaretur sub meridiem, illuc ingressa cum puellis duabus nobilis fœmina quasi solatii causa cœpit perambulare, revera procax, oculisque intemperans, & lascivum quid animo versans; quam conspicatus Sirenus rem ægre tulit, quippe Christiana consuetudine indignum erat, honestam mulierem illa diei hora in alieno fundo ignotam vagari, & graviter reprehensam e loco jussit abire. At illa spe libidinis explendæ frustrata, tum justæ licet objurgationis impatiens, iræque stimulis acta calumniam Sireno intentat, datisque ad maritum literis, qui Maximiano comes & domesticus erat per hæc tempora in Italia degenti, factum exaggerat, & illatam sibi contumeliam ut ulciscatur, vehementer orat, contenditque. Hanc narrationem, præter Acta, & Petrum de Natalibus, breviter iisdem fere verbis complectuntur quatuor Martyrologia, vulgatum Bedæ, Notkerianum a Basnagio editum, & Bruxellense, & Hagenoyense. Usuardi Auctarium, *Apud Sirmium natale S. Sireni monachi*; in Notkero, *Apud Smyrnam sancti Siveri monachi*; in Bruxellensi, *Apud Smyrnam sancti Syveri monachi*; in Hagenoyensi, *Apud Smyrnam beati Syreni, qui tempore Maximiani Imperatoris cum unius ex domesticis ejus uxorem hora incongrua in horto, quem ipse sibi excolebat, deambulantem acrius increpando repulisset, jubente Maximiano tentus, & Christianum se esse confessus, capite cæsus est*. Sed aliqua hinc conjectura afferri posset, qua putaremus, Sirenum cum mulieris marito revera gratiam iniisse; quid enim, cum apud provinciæ Præsidem de injuria postulari potius, faciliusque debuerit, ad virum literis accusationem deferre opus erat? quid hominem dissita adeo in regione immorantem ad inusti criminis ultionem commovere? nisi verita fuisset fœmina, maritum, nullo nuntio præmisso, graviter de Sireni periculo offensum iri, quem ipse sui nominis, suæque dignitatis præsidio tutabatur. Nullum tamen in Actis indicium apparet, unde conjectatio ista probetur; quin ne verbo quidem aut Sirenus mulierem veluti amici, ac patroni sui conjugem noscere, aut ejus vir Sirenum se nosse unquam significant; quo suspecta fit Petri affirmatio de utriusque sive consuetudine, sive familiaritate. Interea reddita marito epistola conjugis, is cum Maximiano acerbe de injuria conquestus, ejusque ulciscendæ

tum per calumniam in judicium productus, atque absolutus,

dæ summa ab Imperatore potestate donatus, Sirmium advolat, Præsidem adit, & Sirenum in judicium jubet adduci, qui a satellitibus comprehensus Præsidis jussu se illico quæstioni stitit. Judici itaque interroganti, cur prænobilem fœminam contumelia affecisset, spreta insuper viri potentissimi dignitate, Sirenus conscientiæ securitate fretus liberrime respondit, neminem a se læsum fuisse, nihilque contumeliosum aut dictum, aut factum unquam in civium dedecus, ac probrum; mox rem ipsam, prout evenerat, ingenuis verbis exponens fœminæ impudentiam & indecorum actum adeo ipsa confessionis simplicitate redarguit, ut maritus, qui judicio intererat, inhonesto conjugis more erubuerit, & calumniam silentio confessus e judicis præsentia se proripuerit. Verum hoc erat beatissimo seni apertum iter divinæ pietatis consilio, quo, vitæ cursu absumpto, ad cælestem Martyrum palmam tandem evolaret effusi sanguinis testimonio promerendam. Nam Præses & hominis in dicendo libertatem miratus, & tantam pudici animi continentiam, qui indecentem mulieris habitum, atque consuetudinem ferre nequiverat, id, quod erat, cœpit suspicari; tum generis quæstione proposita, ubi deprehendit judex, Christianum hominem esse, illud præterea quærere instituit, quo in loco tamdiu latuisset; instar enim miraculi videbatur, siquis in teterrima illa persecutionis procella sagacissimas ad detegendos Christianos satellitum impiorum artes in abditiora urbium & agrorum latibula, ipsaque montium secretiores speluncas procursantium, effugere poterat: invictus vero Christi athleta quo senili corpore infirmior, eo divina quadam animi vi, ac magnitudine fortior, de se demissa, de summa Dei bonitate confidentissima verba loquutus sese morti paratissimum ultro offerebat; cum Præses Martyris constantiam indignatus, nec suppliciorum minis, nec præmiorum pollicitationibus tentandum duxit ulterius; dictaque in Sirenum sententia, statim extra urbem abductus est, & capite obtruncatus.

causam religionis in eodem judicio tuetur, & capite damnatur

Jam supra duos præter septuaginta Martyres memoravimus, quos nonnullæ Martyrologorum formulæ Sireno in martyrio socios adjunxisse videntur; sed hac opinione rejecta, & emortuali septuaginta duorum Martyrum anno ante annum, quo Sirenus occubuit, verisimilius præstituto, ad hunc locum distulimus diem ipsam inquirere tum Sireni, tum illorum nobilitatam triumpho, quæ tamen iisdem communis, sed varia in Martyrologiis notatur. Equidem, ut initio disquisitionis adverti, omnes pæne Martyrum, cæterorumque Divorum catalogi Sireni nomen habent inscriptum, ceu nobilissimi tum Christiana virtute, tum illustri pro religione certamine divinæ fidei cultoris, & pugilis, cujus iccirco recte gesta, & meriti honores in universa Ecclesia sive celebritatem publici cultus, sive alius cujusque laudationis decus obtinuerunt: quæ vero longiores de Sireno formulæ iis Fastis insertæ sunt, idem mortis oppetitæ genus commemorant; queis hac illac per totam disquisitionem productis adde Galesinii formulam: *Sirmii, sancti Syreni monachi, & martyris; cui, Maximiano Imperatore, in fidei confessione caput abscissum est;* & aliam Coloniensis S. Mariæ ad Gradus Martyrologii ms. *In Smyrna S. Sireni Monachi; qui a Maximiano Imp. capite cæsus est;* igitur de ipsa dierum, immo & mensium varietate, quibus Sireni & septuaginta duorum martyrium affigi video, nonnihil est disceptandum. Sane qui Januario mense, & die tertia, aut quarta supra vicesimam horum Martyrum nomina Hagiologiis suis inseruere, quadam videntur similitudine decepti, qua 10. Kal. Februarias tres ac septuaginta Martyres, & Sergius quidam Monachus & Martyr, sed Ilerdæ in Hispania interempti enuntiantur; Sirenus autem in Florario a nobis superius citato *Sergius* etiam nominatur; tum 9. Kal. item Februarias S. Suranus in Italia Martyr inscribitur; unde error profecto irrepsit & mendum iis, qui Martyres nostros e Februario mense in Januarium retulere. Hosce si demas, nemo unus Hagiologorum est, qui alium præter Februarii mensem eorumdem Martyrum nomine consignaverit; de die tamen dissentiunt, nam Aquicinctini, & Marchianensis apographi scriptores 9. Kalend. Martias Sirenum, cæterosque commemorant. Sed recte Sollerius monet in Usuardi *Auctariis* ad diem hanc, permixtum esse, atque confusum dierum, Divorumque ordinem in Codice Marchianensi; cum *hic ponat quæ Usuardus habet* XXIII. Februarii, qua die *ex dierum transpositione vacuus* est; Aquicinctinus vero *Marchianensi similis in perturbatione*, ut idem Sollerius notavit die ejusdem mensis tertia supra vicesimam, eidem subest errori; nisi forte, cum 9. Kal. Martias septuaginta novem Siciliæ Martyres, & Serena virgo & Martyr legantur inscripti, inde suborta fuerit erroris, atque confusionis occasios. Richardus Witfordus in Martyrologio Anglicano unus diem sextam ante Kal. Martias Sireno, aliisque dicavit hac formula, *S. Serenus Martyr Sirmii in Pannonia, & alii 72.*; reliqui omnes, pluresque numero Martyrologi inter VIII. & VII. ante Kal. Martias diem abeunt diversi: octo ii sunt, qui Sireni & septuaginta duorum natalem diem prætulerunt VIII. Kal. Martii, vetustissimi in primis Romani parvi, & Florentiniani Hagiologii auctores; tum Lyrense Kalendarium septingentos fere ante annos descriptum, & a Martenio in 3. Anecdot. Tomo vulgatum, in quo, & in Gellonensi Martyrologio Sireni unius inest mentio, ex iisque decem summa conficitur: at duo ferme supra viginti numerantur, qui Sirenum & cæteros, decem vero, qui Sirenum unice in diem ante easdem Kalend. septimum postponunt; & licet utrinque vetustas Codicum præstet, & scriptorum auctoritas,

Februario mense

tas, reor tamen postremos hosce præferendos, & cum Bedæ Codice Divionensi, tum Adone, Usuardo, Notkero, Rhabano, & neotericæ ætatis Martyrologis Canisio, Felicio, Maurolyco, Galesinio, præcipue Baronio, atque Bollando, diem martyrio Sireni & septuaginta duorum sacram tertiam esse supra vicesimam Februarii, scilicet VII. Kal. Martias. Nonnihil tamen animum movet Actorum fides, & auctoritas; eum dies martyrii VIII. Kal. Martii manifeste in illis exprimatur; *Et statim raptus & adductus ad locum, a diaboli ministris decollatus est octavo Kalendas Martii*. Num dicemus, librario Acta describenti mendum excidisse? num qui diem VII. Kal. Martias antetulerunt, Senerotis cum Sireno affini nomine adducti sunt, ut unum, eumdemque Martyrem esse putarent; cum Senerotem a Sireno plures distinguant Codices, & huic octavum, illi septimum diem ante Kalend. Martias voluerint adscribi, duobus quoque ac septuaginta Martyribus eidem diei, cui Sirenus, insertis? nos equidem a Senerote Sirenum disjunximus alibi, formulis Martyrologiorum productis, atque emendatis; sed neque mendo illo inspersum Actorum Codicem, neque auctores, qui ab illorum testimonio dissident, cujusvis negligentiæ culpa lapsos edicere certo licet. Si vero facilius Acta mendose exscribi, quam illi errare, potuerunt, cur non horum fides hac de re Actorum auctoritati, fideique præstabit? De loco Martyrii non est, cur disputemus; nam duos illos ac septuaginta Martyres antea jam Sirmiensi Ecclesiæ vindicavimus; Sirenum autem cum formulæ Martyrologiorum pæne omnes, tum Acta præsertim affirmant Sirmii revera sui sanguinis testimonium pro Christiana Fide dedisse; si corruptos Codices excipias, eosque paucos, in quibus *Smyrna* pro Sirmio ponitur librariorum culpa; quare Ruinartius isthæc Actis prænotavit: *Mendosius in Martyrologio Rhabani, aliisque mss. apud Bollandum Smyrna pro Sirmio scribitur. Sicut & Itali quidam auctores Firmium, Piceni in Italia urbem, & Hispani Sexti Firmium in Bætica reposuerunt. Sed Serenum Sirmii in Pannonia martyrium consummasse, non solum Acta, sed etiam Marsyrologia quæque vetustiora contestantur*. Horum autem errorem, qui Sirenum Firmana quoque civitate donarunt, superius jam redarguimus, & Tamaji celebres nugas, qui præterea Sirenum Roma *decreto Maximiani ejectum, navigasse in Hispaniam narrat, atque ad Sexti-Firmi portum appulsum, ibi a satellitibus comprehensum, cum se Christianum fassus esset, plexum capite 7. Kal. Martias, anno 290.*; ut ex ejus verbis refert Bollandus, qui præterea hunc annum obiti martyrii a Tamajo statutum merito rejecit. Sed aliqua nobis est cum ipso Bollando ab ejus opinione dissensio, cum anni ipso adscribat Sireni martyrium, quo ejusdem fugam probabilius nobis visum est constituere, anno nempe 302. aut 303. Verum quippe id esse concedimus, Præsidem valde admiratum, *usque nunc ubi latitavit vel quomodo subterfugerit, ut diis non sacrificaret* Sirenus; inde enim consequitur quidem non fuisse initio persecutionis cæsum, ut Bollandus ipse recte affirmat; immo, quæ sunt ejusdem auctoris verba, *postquam ea ita immodice exarsit, ut nullæ latebræ Christianos tegere, nullus abscondere angulus posset, quod præcipue duobus imperii Diocletiani, & Maximiani postremis annis accidit* 302., & 303. Distinctis tamen, ut par est, hujus persecutionis periodis, & in periodum tertiam, cujus initium fuit annus 302. aut 303., relato Sireni martyrio, advertere primum oportet, Imperatorem utrumque imperio se abdicasse an. 304. aut 305.; tum licet persecutio vehementius exardesceret, quam ut a Christianis nullas fere inter latebras furentissimum ubique ejus incendium vitari posset, & vero quidem similius fit, Sirenum crudelitate sævientium adeo Imperatorum exterritum fuga sibi cavisse, ubi primum impius illorum furor in universum Christianum nomen efferbuit; & Præsidem non injuria in Actis admirantem, illum diu abdi potuisse, rectissime monuit Sirenus, divino id potius consilio factum, quam humanæ sagacitatis ope, atque industria; *at ille respondit: Quemodo placuit Deo, ut huc usque me reservaret in corpore*. Neque in Martyrum historiis monumenta desunt, quibus comperimus, illorum plurimos longiori temporis mora, quam Sirenus delituit, persequentium actus, & iniquissimos dolos elusisse: hinc toto in summam tempore subducto tum ab fuga Sireni post edictam VII. Kal. Martii universalem persecutionem ad ejus Sirmium regressum, quod unius ferme anni spatium complecti potuit; tum ab ipso reditu ad supremum adepti martyrii diem, ex quo aliquot mensium cursus sane intercessit, quot sibi vendicat & calumniæ Sireno inflictæ ab impudica muliere, & hujus ad virum in Italia degentem delatæ epistolæ, ipsiusque viri ex Italia in Pannoniam adventus integra series, ita quidem sentio, Sireni martyrium, siquidem duos tantum annos post tertiam periodum Maximianus tenuerit imperium, eoque adhuc Imperatore palmam ille consecutus sit, in postremum tandem Maximiani Herculii Imperatoris annum conjiciendum esse; nimirum si tertiam persecutionis periodum ab an. 302. exordiare, in annum 304.; si ejusdem periodi caput sumas ab an. 303., in annum 305., quorum alterutro Herculius purpuram & reliqua imperii insignia Mediolani deposuit Kalendis Maiis. Huic opinioni obest Ruinartii sententia; (nam epocham ab auctore Florarii affixam anno 287. ne verbo quidem refellere juvat); is quippe *beati Sereni passionem ad annum circiter* 307. *sub Galerii Maximiani persecutione* postponit; quocum Farlatus consentit in Catalogo Martyrum Illyricorum Tomo 2. hujus historiæ; *Sirmii S. Serenus Monachus martyr sub Galerio an.* 307.

die vicesima tertia Sirmii

postremo Imperatoris Maximiani anno, 304., aut 305.

Digitized by Google

VII. *Kal. Martii*; tum Tillemontius monum. eccles. tomo 5. pag. 256. in eamdem opinionem propendet, & nihilo serius anno illo Sireni martyrium censet transferendum. Sed quanti valeat horum auctoritas, id probent necesse est, *Maximiani* nomen speciatim in Actis positum, potius ad Galerium Maximianum, quam ad Maximianum Herculium referri; etenim ne hujusce nominis similitudine oriretur confusio, Latini scriptores vel utrumque proprio distinguunt seu prænomine, seu cognomine, aut agnomine, quibus uterque vocatus fuit, vel Maximianum Herculium hoc plerumque *Maximiani* nomine, quod erat fortassis familiæ proprium, unde ortum habuit, Galerium vero Maximianum *Galerii* itidem gentilitio nomine absolute appellant; fateor equidem, tum Herculium, tum Galerium absque ulla distinctionis nota *Maximianum* quandoque dici, in Fastis præsertim Consularibus ab Idatio conscriptis, & in iis, qui Idatianis vetustiores a Norisio in publicam lucem vulgati sunt; in aliis tamen sive quos Cassiodorus confecit, sive quos ex antiquo Oxoniensi Codice edidit Hadrianus Relandus, Herculius simpliciter *Maximianus*, Galerius autem *Maximus* inscribitur, quod illi forte cognomen fuit, eoque distinguitur a Lactantio in libello de morte persec., sed in *Maximiani* vocabulum postea a Diocletiano immutatum, eidemque honoris causa impositum fuit, quo æque fidelem sibi hominem fore felici cognominis hujusce auspicio indicaret, ac illi arctissima voluntatis & consiliorum omnium societate obstrictus fuerat Maximianus Herculius. *Jam & ipsi Diocletianus nomen ex parte mutaverat hominis causa*, inquit Lactantius a Tillemontio citatus in 4. Hist. Impp. Tomo art. x., cui placet, legendum potius esse, *ominis causa*; & Nicolaus Toinardus in notis huic Lactantii opusculo adjectis hæc ita corrigi mavult, *Diocletianus nomen ex fratre, Herculio, mutuaverat*. Verum ad rem nostram quod attinet, ex hisce mihi multo probabilius fit, Maximianum illum, quem Sireni Acta enuntiant, revera Herculium fuisse, quo nomine veluti notiori, appellari vulgo, & publicis tabulis, ac Fastis, & Romanæ Historiæ monumentis solebat inscribi. Adde, ex Ruinartii sententia quædam consequi minus veritati consentanea; nam Sireni fuga sub initiis tertiæ periodi constituta, vel sui secessus mora longius producenda erit, quam fertur in Actis, vel post reditum plures annos liber perstitit & incolumis in suburbano Sirmiensi, quam verisimile videatur, ab anno ejusdem reditus circiter 303. aut 304. pro indicata superius opinionum varietate in definienda tertiæ periodi epocha ad annum usque 307. securum, tutumque persecutionis procellam evasisse. Sin lubet Ruinartio, statuitque cohærenter opinioni suæ Sirenum propius anno 307. in latebras abducere; utrum tandem verisimilitudini congruentius, & aptius esse arbitrabimur, illum incubanti jam turbini se surripuisse, ubi tertio horribiliorem in modum infremuit, an diu suspensum tunc sibi cavisse, cum periculosior fuga indicio religionis erat, nec ulla salus in ipsis abditissimorum montium spelæis, atque cavernis patebat? eoque magis, quo, sedata licet paululum in Occidente tempestate annis 305. & 306., in Dalmatia tamen, totoque Illyrico, atque Oriente ex novis Galerii & Maximini edictis & furentius in Christianos inquisitum est, & sævitum crudelius. Sibi autem patrocinari minime putet Ruinartius, quod Pannoniorum provinciæ, divisa quadripartito republica an. 304. aut 305., Galeriani juris jam forent, cum Sirenus martyrio functus est; siquidem imperii summa auctoritas penes Augustos Diocletianum & Maximianum integra stetit, quorum potestati Cæsares ipsi Galerius, & Constantinus subjiciebantur; & uterque non ante appellati sunt Augusti, quam Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani imperium deponerent Kalendis Majis anno 304. aut 305.; quare Herculio omnino licuit imperatorio jure, viro illi, cujus uxor calumniam Sireno fecerat, arbitrariam adversus hominem potestatem quamlibet impertire, utut Galerio Cæsari Sirmiensis provincia pareret. Atque hæc satis de anno, quo Sirenus pro Christiana religione interemptus occubuit.

Num delata sint in Galliam reliquiæ S. Sireni,

Superest, ut nonnulla expendam, quæ de reliquiis Sancti Sireni ad Arvernos in Galliam delatis memoriæ prodidit Saussajus. Is quippe, cum in Martyrologio Gallicano hæc retulisset de Sireno ad diem tertiam ac vicesimam Februarii; *Claromonte Arvernorum S. Syreni Martyris, qui propter egregiam in Christi nomine confitendo constantiam, dira perpessus, exacto illustri agone, palmam sempiternæ gloriæ accepit*; in Supplemento ejusdem operis hanc postea narrationem subnexuit: *In Arvernia vico Billonensi susceptio & veneratio pretiosi corporis S. Syreni Monachi Martyris, qui cum se Christianum esse confiteretur, jubente Maximiano Imp. apud Sirmium capite cæsus est. Cujus sacra gleba deinde in Gallias translata, in collegiata Ecclesia præsignati vici colenda reposita est, cum ossibus SS. Juvenalis Martyris & Maximini Episcopi & Confessoris. Fit autem ad tanti Cœlitis patrocinium perpetuus incolarum concursus: qui maxime occurrente necessitate serenitatis vel pluviæ, ad hujus gloriosi sui Tutelaris præsidium fideliter recurrentes, opem ejus meritis & suffragiis desideratam consequuntur. Beatissimi autem hujus Martyris bis in anno recolitur summa veneratione memoria: hac die scilicet in antedicta Ecclesia Billonensi; porro 6. Idus Maji ab Ecclesia matrice Arvernensi; forte quod hæc colat translationem, illa natalem propria solemnitate veneretur.* Utinam vero aliquid præterea indicasset, unde tutior de his, quæ narrat, hauriri posset notitia, eaque vetustatis monumentis, sin minus certa, effici tamen probabilia. Ad diem equidem decimam Maji hanc formulam *Prætermissis*

ad oppidum Billonense;

in-

Digitized by Google

inseruerunt Hagiologi Antuerpienses; *Sireni Martyris Translatio sub ritu duplici celebratur in ecclesia matrice Arvernensi; & indicatur a Saussajo ad ejus Acta, 23. Febr.*; & Henschenius in Commentario Historico S. Sireni videtur Saussajo consentire. Verum nihil certi affirmare ausus est Ruinartius, cum paucis innuit; *Ejus sacrum corpus asservari dicitur apud Billonum in Arvernia.* Tillemontius autem hæret & ipse in hujusmodi comprobanda opinione: *Billonense oppidum in Arvernia inferiori colis die 23. Februarii Sinerum Martyrem, vulgo Cerneaf dictum, cujus corpus in Collegiali Æde ejusdem dicata nomine creditur asservari; & in Claromontana Cathedrali Ecclesia dies festus illi institutus est decimus Maji. Contendunt quidam eumdem Sinerum esse cum Sereno, de quo hic egimus; sed nulla affertur probatio: nihilque hujusmodi comperio in historia Divorum, quocum cultus apud Arvernos celebratur, a P. Branchio descripta.* Quin & mihi Galliæ Christianæ monumenta evolventi a Sammarthanis Scriptoribus erudite probata, atque congesta, si forte quidpiam occurreret, unde Saussaji narratio minus dubia fieret, minusque falsitatis suspecta, nihil penitus lucis affulsit ad inquirendam veritatem vel exigue commodum: quamobrem infirma adeo appareret unius hominis auctoritas, quantumvis eruditione non mediocri polleat, ut neque illi assentiri, nec velim quicquam de hac Sireni translatione definire, usque dum probabili saltem monumenti alicujus testimonio firmetur. Quid porro? si alius fortasse Sinerus, sive Sirenus est, qui anniversarii cultus honorem in Arvernis obtinuit, a Sirmiensi Sireno? Prior Joannes Molanus in Usuardinis additamentis utrumque distinxit, hac de Arvernensi Sireno formula adjuncta 7. Cal. Mart. *In territorio Arvernensi, S. Syrenei martyris egregii*; ejusque fidem secutus Galesinius, & Galesinii fidem Ferrarius Sirenum nostrum a Billonensi disjungunt, eadem cuique festa die attributa vicesima tertia Februarii; ille hæc inserens in Martyrologio, *Arvernis S. Syreni, qui egregio martyrio coronatus est*; hic in Catal. SS. *Arvernis S. Sereni Martyris*. Horum vero auctoritatem ante oculos Saussajo fuisse, cum Martyrologium edere typis cœperat, censet Henschenius: at cur diversas formulas, diversosque fortasse Martyres in unum componit, si nihil habuit in promptu ex ecclesiasticis tabulis, atque Fastis, quo persuaderet, opinioni suæ aliquam ut minimum veri similitudinem non deesse? Miror tamen, Henschenium ipsum, postea quam Saussaji testimonium exscripsit, Gallici præsertim nominis *Cerneuf* etymo adduci, ut hisce verbis Saussajo assentiatur; *Franciscus Ranchinus in descriptione Franciæ pag. 296. primariam ejus oppidi (Billoni) ecclesiam, in qua numerosum Canonicorum collegium est, dicatam scribit Sancto cuidam, quem Cerneuf Gallice vocat: reor Serenum, vel Sirenum esse.* Immo & Sollerius, qui ab etymis nominum scrutandis abstinere sese fatetur in *Observatione* ad diem 7. Cal. Martias Usuardi formulæ apposita, in *Auctariis* ejusdem diei ne minimum quidem hæsitans hæc addidit Molani testimonio: *Idem ipse est, qui in textu* (Usuardi) *Sinerus dicitur, ab Arvernis cultus ob reliquias illuc ex oriente, vel ex Pannonia, translata.* At enim, si vana plerumque, & sæpe dubia est ratio ab etymis ducta, videant ii, qua fide Sirenum nostrum ab Arvernis coli, ornarique velint, cum, præter assertionem Saussaji, nulla iisdem suppetant ad rei probationem argumenta. Sed neque Molanus, aliique, qui sine ulla dubitatione alterum Sirenum ab altero diversum efficiunt, nihil ad rem hanc momento aliquo ponderandam auctoritatis attulerunt: vere quidem: & hinc cognoscas demum oportet, id esse hujus controversiæ genus, ut dirimi ante nequeat, quam antiquitatis monumenta in alterutram partem producantur. Ego tamen, si ex etymo nominis conjecturam quamdam proferre licet haud omnino absurdam, suspicarer potius, beatissimum virum, quem *Serneu, Cerneux, Cerneuf* Galli dictitant vernacula lingua, S. Serenicum, aut Sinericum esse, quocum nomine plus affinitatis habere mihi videntur eæ Gallicæ voces, quam cum Sireni vocabulo. Colitur hic die septima Maji solemni Ecclesiæ more; qui Monachi vitam cum egisset in Oximensi Sajorum diœcesi, ibidem diem supremum sanctissime obiit an. *669.*, & Divorum honorem a Cenomanis, Normannisque in primis obtinuit, ac anniversariam festi diei, publicique cultus celebritatem: corpus autem, quod in Sajensi S. Martini monasterio conditum fuerat, inde ad Castrum Theoderici translatum eximio religionis studio a popularibus honoratur. Quidni igitur aliquæ ejusdem corporis particulæ Billonum quoque deferri potuerint, ubi indigenarum pietate illi auctus honos, & per Arvernos late diffusus in hæc usque tempora constanti & sanctitatis laude, & miraculorum fama perseveret? Verum Billonensis Sirenus martyrii gloria donatus est; esto id in vulgi sermone; dubia tamen Molani, & cæterorum auctoritas, quæ vulgari opinioni facem fortasse prætulit. Sed corpus Billonum delatum dicitur; nimirum aliqua pars corporis, ut usitata est loquendi, scribendique ratio, qua corpus cujuspiam Divi alicubi repositum esse affirmant non pauci, ubi quædam tantummodo ex eodem corpore lipsana servantur; noruntque eruditi, quantum negotii id non raro facessat, ut probe discerni queat, quo in loco integræ Sanctorum quorumdam exuviæ tumulatæ fuerint. Item dies festus idem Sireno utrique status; & recte; neque idcirco idem utrique natalis; cur non Arvernensi Sireno ideo dies sacra vicesima tertia Februarii, qua ejus reliquiæ exceptæ primum, cultæque, eaque Billoni solemni celebritate instituta? Claromonte autem pro Cathedralis Ædis commodo, ejusque statis diebus liturgiæ servandæ neces-

& idem ac sit Billonensis cum Sireno Sirmiensi.

sitate, Sireni memoriæ, cultuique dicata dies decima Maji, quam Saussajus indicavit? Verum enim vero non decet, simplici conjecturæ, vel levi potius suspicioni tuendæ pluribus immorari: suum Sirenum habeat Billonensis Ecclesia, quem colat, cujusque sepulchro glorietur; Sirmiensem nostrum non ante illi concedam, quam Saussaji opinio aliquo argumento non dubium probabilitatis, sin minus certitudinis, indicium erit consecuta. Jamque disquisitione hac nostra absoluta, Præsidialia S. Sireni Acta subjicio.

Passio Sancti Sireni Martyris.

Sereni patria.

„ Apud Sirmiensium civitatem Serenus
1 „ peregrinus (1) Græcus civis, cum de locis
„ peregrinis venisset, hortum colere cœpit,
„ ut inde vitam suam transigeret, eo quod
„ aliam artem non nosset. Qui tempore per-
2 „ secutionis metuens temporales (2) plagas,
„ latitavit non multum temporis, & paucis
„ mensibus. Postea vero hortum suum cœpit
„ iterum libere operari; & dum hoc age-
„ ret, quodam die quædam mulier cum dua-
„ bus puellis ingressa est in hortum ejus, &
„ cœpit deambulare. Cumque eam vidisset
„ supramemoratus senex, ait illi: Quid hic
„ quæris, mulier? At illa ait: Ambulare
„ delector in horto isto. Ille autem dixit:
„ Quæ est talis matrona, quæ præterita ho-
„ ra hic deambulat? cum sit hora jam sex-

Mulierem ex horto suo pellit,

„ ta. Intelligo te non causa deambulandi
„ huc venisse, sed indisciplinationis & la-
„ sciviæ, ideoque egredere, & habe disciplinam, ut decet honestas matronas habere.„
„ At illa cum confusione egressa cœpit
„ intra se fremere, non dolore suæ expul-
„ sionis, sed quod libidinis suæ causam non
„ adimplesset. Quæ tamen scripsit ad virum
„ suum, qui erat domesticus Maximiani Im-
„ peratoris. insinuans & injuriam quam pas-

Ab ejus viro in jus vocatur;

„ sa fuisset. Cumque legisset vir ejus lit-
„ teras, statim conqueritur ad Regem &
„ ait: Nos cum lateri tuo adhæreamus, ma-
„ tronæ nostræ in longinquo positæ injurias
„ patiuntur. At ille dedit ei potestatem,
„ ut vindicaret se per Rectorem provinciæ,
„ ut sibi placeret. Hac igitur potestate ac-
„ cepta festinabat venire ut vindicaret inju-
„ riam, non matronæ, sed inhonestæ femi-
„ næ. Cum vero pervenisset ad supramemo-
„ ratam urbem, statim ingressus ad Præsi-
„ dem, & verbum injuriæ prosequitur, &
„ scripta imperialia porrigit, & ait ei: Vin-
„ dica injuriam, quam me absente passa est
„ mea matrona. At ubi audivit hæc Præses,
„ mirari cœpit, & dixit ei: Quis enim au-
„ sus est injuriam irrogare matronæ viri la-
„ teri Regis adhærentis? At ille dixit: Se-
„ renus quidam plebejus hortulanus. Cumque
„ de nomine audisset Præses, jussit eum sta-
„ tim exhiberi, qui exhibitus stetit in con-

sistitur coram judice;

„ spectu Præsidis. Et ait illi Præses: Qui
„ vocaris? At ille respondit: Serenus. Præ-
„ ses dixit: Cujus artis es? At ille ait:
„ Hortulanus sum. Præses dixit: Quare in-
„ juriam irrogasti matronæ tanti viri? Ille
„ respondit: Nulli matronæ aliquando injuriam feci. Præses autem furibundus dixit:
„ Argue illum, ut confiteatur cui matronæ
„ injuriam fecerit, cum in horto ipsius de-
„ ambulare vellet. At ille sine omni trepidatione respondit: Scio me retinere, ante
„ hos dies quamdam matronam in horto meo
„ hora indecenti ambulasse. Increpavi eam,
„ & dixi, quod non recte versaretur mulier,
„ quæ tali hora de domo viri sui egressa
„ fuisset. Hoc audiens vir suus impurissimæ
„ atque indisciplinatæ mulieris actum, eru-
„ buit, & obmutuit; nihilque amplius sug-
„ gessit Præsidi, ut vindicaret propter quam
„ venerat injuriam, quia nimium confusus
„ est.
„ Præses vero cum responsionem sancti vi-
„ ri audisset, intra se cogitare cœpit de ejus
„ libera objurgatione, & ait: Hic homo Chri-
„ stianus est, cui indecenti hora displicuit
„ mulierem videre in horto suo: & dixit

fatetur se Christianum;

„ ad illum: Quod genus tibi est: At ille
„ sine omni mora respondit: Christianus
„ sum. Præses dixit: Usque nunc ubi lati-
„ tasti, vel quomodo subterfugisti, ut diis
„ non sacrificares? At ille respondit: Quo-
„ modo placuit Deo, ut huc usque me re-
„ servaret in corpore. Eram autem sicut la-
„ pis projectus ab ædificatione; nunc autem
„ requiret me Dominus in ædificium suum.
„ Modo autem quia palam me voluit esse,
„ paratus sum pro nomine ejus pati, ut cum
„ cæteris sanctis ejus partem habeam in re-
„ gno ipsius. Præses autem cum hæc audis-
„ set, vehementer iratus dixit: Quia huc
„ usque subterfugisti, & imperialia præcepta
„ latendo contempsisti, & quia diis sacrifi-

capite plectitur.

„ care noluisti, jubemus te capite plecti.
„ Et statim raptus & adductus ad locum, a
„ diaboli ministris decollatus est octavo Ka-
„ lendas Martii, regnante Domino nostro
„ Jesu Christo, cui est honor & gloria in
„ sæcula sæculorum Amen. „

Notæ Ruinartii.

1 Apud Bolland. *Sirenus peregrinus monachus*.

2 Ibid. *Corporales plagas, latitavit; & dum incoleret hortum suum quadam die, quædam mulier ingressa hortum ejus cœpit deambulare hora incompetenti. Cumque eam vir sanctus causa lascivitatis discurrere cognovisset, increpavit eam, monens ut egrederetur, & ut honesta matrona disciplinate se haberet. At illa* &c. Quæ sequuntur sic etiam abbreviata sunt, sine tamen ulla rerum narratarum diversitate.

SS. Romulus Presbyter & Sylvanus diaconus.

In idem fortasse Sireni tempus incidit martyrium Romuli Presbyteri, & Sylvani Diaconi Ecclesiæ Sirmiensis, qui Diocletiano & Maximiano Imperatoribus dicuntur interfecti in Actis S. Donati Martyris & Diaconi

Digitized by Google

coni Singidunensis XII. Kal. Septembris. Edita in lucem, & probata ea sunt a Joanne Pinio tomo 4. Aug. Bolland., atque ex illis, quæ ad Romulum, & Sylvanum pertinent, solummodo exscribo.

Advenions Victorianus præses ex præcepto Diocletiani in partibus Sirmiensibus ad Christianos torquendos ita a clericis sumpsit exordium &c. *Presbyterum quoque nomine Romulum Sirmiensis Ecclesiæ, qui tum sancto Donato diacono & martyre Christi pro fidei constantia, & commissa sibi plebe fortiter dimicabat, ad cœlestem palmam simili, nempe eum Donato, sententia (prædamantum) provenit immitis. Item & alium diaconum Sylvanum nomine ejusdem Ecclesiæ, idolis renuntiantem, & impia præcepta contemnentem per varia tormentorum genera confectum temporali morte tradidit in æternitate victurum.* Itaque Romulus & Sylvanus in Sirmiensem Clerum cooptati dum tuendo gregi advigilabant, ac sese pro illius salute inimicorum telis fortiter objiciebant, testimonium fidei proprio sanguine obsignarunt *in partibus Sirmiensibus*, inquiunt Acta, & eo in loco, qui agri esset aut diœcesis Sirmiensis. De Donato in Ecclesia Singidunensi, cujus erat diaconus, disseremus. In Actis memorantur Venustus & Hermogenes martyres Cibalienses; sed de his in hist. Cibaliensi, ubi horum Martyrum omnium integra Acta proferenda. Equidem Donatus non videtur ab Divorum Sirmiensium illustri agmine sejungendus, cum ibidem vita suffatus sit, ubi Romulus & Sylvanus sed; illud adjungamus licet jure æquiore Ecclesiæ Singidunensi, cui in sacris muneribus inserviebat. Romuli & Sylvani reliquiæ in urbe Forojuliensi Venetæ ditionis asservantur religioso cultu, quo tamen modo a Pannonia illuc fuerint delatæ, ignoratur, uti in S. Donato fusius dicam.

DE SS. MONTANO ET MAXIMA.

SS. Montanus Presbyter, & Maxima

IN Sirmiensibus Fastis nobilissimum est nomen, atque martyrium Montani, & Maximæ, qui licet dissimili appellationis forma librariorum fortasse culpa in Martyrologiis nuncupentur, iidem jure debent haberi, iidemque Martyres sunt illustri certamine in eadem urbe defuncti; Montanus enim, *Munatus* modo, ac *Monatus*, & *Montianus*, *Montaninus*, *Montinus*, *Montio* dicitur, Maxima *Maximia*. Natalis utriusque civitas incerta; diutius tamen Singiduni commorati fuerunt, qua in urbe Montanus sacris mysteriis initiatus Sacerdotis ministerium obibat, ut colligitur ex Actis S. Pullionis Martyris Cibaliensis, quorum auctoritas proferenda erit inferius. Hac autem dignitate præditum fuisse præterea memorant Martyrologia ferme omnia, Gellonensi dempto, VII. *Kal. April. Alibi Monati*, Labbeano die eadem, *Alibi Monati Martyris*, & Autissiodorensi, *Monati Martyris*; unde intelligimus, præclara quæque eluxisse in Montano virtutum decora cum doctrina non vulgari conjuncta, siquidem hæ animi, ingeniique dotes severissime olim requirebantur in iis, qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptati ad Sacerdotii gradum & ordinem promoveri cupiebant, quare in Actis *diu Christianæ fidei virtutibus* dicitur conversatus. De ejus vero Episcopatu supervacanea omnino est inquisitio, & imprudens assertio, quæ uno, vel altero innititur testimonio, cujusmodi illud est ab Henschenio productum, in comment. de SS. Montano & Maxima, e duplici ms. Martyrologio Reginæ Sveciæ, *quorum alterum Holstenio in pretio fuit, alterum olim in Franconia exaratum*, & hanc nobis formulam exhibens die VII. Kal. Aprilis, *In Sirmia Montani Episcopi & Maximæ uxoris ejus*. Montani cum Maxima conjugium expressum invenio in pluribus Martyrologiis & Bedæ nimirum, VII. *Kal. April. In Sirmio Montani Presbyteri, & Maximæ uxoris ejus & aliorum quadraginta*; Rhabani a Basnagio emendati, *In Syrmio Montani Presbyteri, Maximæ uxoris ejus*; Senonensi Sollerii, *In Syrmia Montani Presbyteri, & Maximæ uxoris ejus*; & Corbejensi Dacherii, *In Syrmia, Munati Presbyteri, Maximæ uxoris ejus. Jocundi*; aliisque, præter illa, quæ opportuniore in loco producam. Non est autem hic inquirendum de Presbyterorum connubiis, quæ in Orientali Ecclesia nulla lege interdicta adhuc inter Græcos licite post susceptum sacerdotii munus servantur, Latina tamen Occidentalis Ecclesia severiorem primitus disciplinam adhibuit circa clericorum matrimonia, eaque postea Romani Pontifices, & plurima provinciarum, atque regnorum in Europa Concilia gravissimis decretis, pœnisque propositis vetita omnino esse jusserunt. Sirmiensis vero, ac Singidunensis Ecclesiæ, cujus Montanus Presbyter erat, hac in re consuetudo usque ad utramque urbem eversam nos penitus latet, Græcis ne, an Latinis institutis conformior esset, de quibus vide, quæ Thomasinius fuse, eruditeque scripsit in I. Tomo vet. ac nov. Eccl. discipl. p. I. lib. 2. c. 60. & inseq. Sed nescio, quo testimonio fretus Petrus de Natal. Maximam *Virginem* dixerit in lib. 3. Catal. c. 233. *Montanus Presbyter, & Maxima virgo in oppido Furnio passi sunt: qui dum Christum Dominum viva voce confiterentur, ab infidelibus tenti & vinculis ferreis colligati ambo in mare mersi sunt* VII. *Kal. Aprilis, ut Hieronymus in suo Martyrologio testatur*; cui formulæ recte subjungit Henschenius, Hieronymi *admittimus testimonium de dicto die, sed Maxima ab eo uxor appellatur*, ut certo liquet ex apographis Hieronymianis. Sin id Petrus sibi proposuit, ut Montano gloriam augesceret, & sancti, ac virginalis conjugii laudem utrique tribueret, ne hoc quidem is ullo teste probabit; quod tamen credi de utro-

conjuges

Digitized by Google

troque potest, virginalis continentiæ decus fuisse in illis cum matrimonii sanctitate conjunctum; quo, si mavis, sensu Galesinii testimonium intellige, qui Petri fortasse auctoritate fretus Maximam *virginem* nuncupavit. Quæ causa utrisque fuerit proficiscendi Sirmium, penitus latet; illic tamen suprema utrumque manebat Christianæ virtutis probatio, & gloriosum pro religione certamen, ut tertio sævientis Diocletiani furore persecutionis quædam veluti in Pannonia primitiæ, cæteris anteiret uterque præclaro fortitudinis exemplo, & maximum forent ad graviora quæque obeunda Singidunensi, ac Sirmiensi Ecclesiæ incitamentum. Namque, ut Acta S. Pulfionis testantur; *Probus præses imperata sibi persecutione a clericis sumpsit exordium, & comprehensum sanctum Montanum Presbyterum Ecclesiæ Singidunensis, diuque Christianæ fidei virtutibus conversatum jussit necari*; a quo divelli se minime passa est conjux fidissima, sed capitali damnata supplicio in proximum Sirmio flumen, sive Bacunthius, sive Savus fuerit, cum marito demersa est. Hoc necis genus plura Martyrologia commemorant, in primis Romanum Baronii, *Sirmii sanctorum martyrum Montani Presbyteri, & Maximæ, qui ob Christi fidem in flumen demersi sunt*; & Ultrajectinum S. Mariæ cum Rosweidano Usuardi *auctario*, *In Sirmio SS. Montani Presbyteri, & Maximæ uxoris ejus, qui comprehensi missi sunt in fluvium*. Galesinius autem ipsum Savi fluvium aperte nominat in formula alibi citata, cui fidem aliquam adjungit Trevirense S. Martini Hagiologium, cum *fluvium magnum* innuit, cujusmodi Savus est: *In Sirmio Montani Presbyteri, qui comprehensus missus est in fluvium magnum, & Maximæ uxoris ejus*. Sunt tamen inter Hagiologos quidam, qui Montanum, & Maximam in mare projectos fuisse scripserunt, Usuardus præsertim, cujus hæc formula est: *In Sirmio, Sanctorum Montani Presbyteri & Maximæ in mare mersorum*; inque Usuardinis *auctariis* a Sollerio prolatis, Hagenoyense, tum Antuerpiense-majus, & Centulense in hæc verba: *Apud Cirinium sancti Montani Presbyteri & Maximæ uxoris ejus in mare mersorum*, cum Bruxellensi, *Apud Syrinium, natale sanctorum Montani Presbyteri & Maximæ uxoris ejus in mare mersorum*; queis adde Bononiense S. Luciæ Martyrologium, *In Sirmio sanctorum Montini Presbyteri, & Maximæ in mare mersorum*. Sed ut Usuardum merito reprehendit Sollerius in *Observatione* ejus formulæ adscripta, *Minus*, inquit enim, *intelligo, quid eum movere potuerit, ut neglectis Adonis verbis, qui eos in fluvium præcipitatos disertissime asserit, maluerit ipse scribere, in mare mersorum. An Sirmium civitatem esse plane mediterraneam, eum ignorasse dicemus? Id fatendum arbitror, cum & alibi Geographiæ non satis peritum fuisse Usuardum satis ostenderimus*; e contra Henschenius *maris* vocabulo quemdam profundum lacum mavult intelligi, cujus aquæ in vicinum Savi amnem defluerent; opinionem vero suam hisce fuse persequitur, atque confirmat; *His inter se collatis colligimus per* mare *apud Usuardum, aliosque, ut sæpe alias, indicari lacum profundum, ex quo aqua defluens volvitur in vicinum fluvium: ita Martyres Trevirenses in mare, id est lacum vicinum projecti dicuntur, & mare salis, seu mare mortuum in Palæstina appellatum est lacus Asphaltites, seu bituminis. Imo apud Germanos tam lacus, quam mare transferuntur in eorum linguam eisdem vocibus* zee, *aut* mer, moer, mose. *Ita in Pannonia, sive hodierna Hungaria, Lacus Sidlerensis nuncupatur* Sidler zee: *& mare magnum, sive oceanus eodem modo* zee *appellatur: ita etiam in urbe Antuerpiensi præcipua platea a lacu ibidem concamerato* mera *dicitur, & in Flandria aliquot lacus* moeren *nominantur. Demersos ergo arbitramur hosce martyres in vicinum urbi Pannoniæ Sirmiensi lacum fluvio sive amni Savo adjectum*. Et erudite quidem Henschenius, immo & recte, si id quoque geographicis tabulis probasset, hujusmodi lacum in Sirmiensi agro exstare, aut olim exstitisse, qui non exiguæ sane magnitudinis fuerit necesse est, ut *maris* appellatio illi quodammodo convenisse dicatur, ideoque aut veteribus, aut nostris Geographis non omnino ignotus; cum tamen Ferdinandus Marsilius, qui Sirmiensem regionem accuratissime invisit, dimensus est, & in itinere Danubiano descripsit, ne verbo quidem cujusquam lacus per ea loca a se comperti meminerit. Ne vero contendam ulterius, mihi fit valde probabile, formulam Usuardi cæteros in errorem impulisse, qui illam exscripserint, aut ad Usuardinum exemplar Martyrologia, quæ plura citantur inter *auctaria* a Sollerio, exaraverint. Stet autem, beatissimos Christi Martyres hoc supplicii genere affectos fuisse, ut in aquas dejecti, intercluso spiritu, fortiter occumberent, quarum deinde decurrentium impetu corpora abrepta nono ab urbe lapide inventa sunt, ut Notkerianum exemplar perhibet editum a Basnagio: *Item apud Smyrnium nativitas S. Montani Presbyteri, qui cum Maxima uxore tentus, & in fluvium præcipitatus est: quorum corpora nono ab urbe lapide inventa sunt*, & a Christianis fortasse clam tumulata, ut Ado affirmat: *Et apud Sirmium natale S. Montani Presbyteri, qui cum Maxima uxore sua tentus, & in fluvium præcipitatus est: corpora eorum nono ab urbe lapide inventa & sepulta sunt*. Martyrologium Lubecæ, ac Coloniæ excusum an. 1490. *corpora eorum non longe ab urbe inventa* fuisse solum commemorat.

In flumen proj. cti.

De loco martyrii nulla est ambigendi causa, siquidem omnes Martyrologiorum formulæ clare, aperteque indicant Sirmiensem urbem, in qua Montanus, & Maxima nobilissimi martyrii decus & palmam sunt consecuti: neque, si in Barberiniano Codice legas, *In Firmia Montani Presbyteri & Maximæ uxoris ejus*, aut in Vaticano, *In Firmio Montiani*

Sirmii

viani Presbyteri & Maximæ uxoris ejus, illico existimes, Firmum Piceni urbem inibi denotari; corruptæ enim voces *Syrinium*, *Cirinium*, *Smyrnium*, *Firmia*, *Firmium*, quas in formulis quibusdam offendes, & in Petri catalogo *Furnium*, librariorum errore, sin minus inscitia in exscriptos codices irrepserunt. Hinc inter Sirmienses Martyres jure numeramus Montanum, & Maximam, licet utrumque diu Singiduni commoratos esse putem, Montanus certe in illa urbe sacerdotalia munera obierit. Et sane, inquit Sollerius, *neque Firmum, vel Firmium Italiæ, aut Sexti-Firmium Hispaniæ, salva veritate, eos transferri posse existimamus*, ut ex Pseudo-Dextri Chronico perperam opinati sunt Hispani quidam Hagiologi, in quo ad an. Ch. 100. hæc leguntur; *Sirmi in Hispania sancti Martyres Montanus Presbyter, & Maxima, clarissimi Crhisti martyres.* Cum enim Rudericus Carus in notis Dextro subjectis ingenue fateri debeat, *in Hispania nullum fuisse Sirmium*, & Tamajus Salazarius in Martyrologio Hispano ad diem Martii vicesimam sextam cum Ruderico consentiat, iidem tamen, ut Montanum & Maximam in censum Martyrum Hispanorum referrent, per summam vim, atque injuriam Sirmio Sexti-Firmium Hispaniæ urbem obtruserunt; quin Tamajus, nescio quæ Martyrii Acta confinxit, ediditque, & tempus, quo sanctissimi conjuges martyrium ipsum obierunt, in an. Ch. 100., Trajano Imperatore, rejecit. Sed hæ nugæ, & Hispaniensia commenta tum a Farlato in secundo Tomo Illyrici Sacri, tum alibi a nobis refutata satis fuerunt, & ubi sese occasio obtulerit, erunt refutanda; quamque opinionem de tempore martyrii *deficiente probatione* nolùit pluribus rejicere Henschenius, ipse apertæ falsitatis convincam ex Actis sinceris S. Pullionis, quæ in Cibaliensis Ecclesiæ historia producam; horum enim hæc verba sunt: „ Diocletianus, & Maximianus regnantes decreverunt, ut initiis sub persecutione omnes Christianos aut delerent, aut a fide deviare facerent. Quo tempore hæc præceptio cum venisset ad Sirmiensem civitatem, Probus Præses imperata sibi persecutione a clericis sumpsit exordium, & comprehensum sanctum Montanum Presbyterum Ecclesiæ Singidunensis, diuque Christianæ fidei virtutibus conversatum, jussit necari „. Igitur, Diocletiano & Maximiano Impp., Montanus, & Maxima pro Christo vita defuncti sunt; cumque persecutio illa tres in periodos distingui soleat, quarum tertia in Christianos, ipsosque potissimum Dei & Ecclesiarum ministros furentius debacchata an. 302. aut 303. initium habuisse fertur, hinc vel in alterutrum ex annis hisce, vel in an. 304. rejici omnino debet illorum martyrium, siquidem Acta tertiam persecutionis Diocletianæ periodum verisimilius indicant, & Ruinartius ipsius Pullionis mortem pro Christiana religione oppetitam eodem, quo Montanus, anno, in eumdem tercentesimum & quartum Christi annum esse referendam censuit. Hæc de Montano, & Maxima, quorum cultui dies anniversaria dicatur sexta supra vicesimam Martii, in omnibus Martyrologiorum formulis inscripta VII. Kal. Aprilis, in quibus plerisque utriusque conjunctim est commemoratio, ut in ipso Florentinii apographo Hieronymiano, *In Syrmia Munati Presbyteri, & Maximæ uxoris ejus*; præter Gallicanum, & Rhinoviense, ac Richenoviense Martyrologia, quæ solius Montani meminerunt, hæc eadem brevi formula, *Et in Syrmio Montani Presbyteri*, illud breviore, *Munati Presbyteri*. Arturus vero Monstierius in suo Gynæceo sacro Maximam solummodo, suppresso tamen nomine, commemoravit, VII. *Kal. Apr. Sirmii Sanctæ Martyris, quæ ob Cbristi fidem in flumen demersa est*; scilicet, subdit in notis, *in mare præcipitata, una cum S. Montano martyrio coronata est*,

anno circiter 304.

die 26. Martii.

DE SS. ADRIANO, INNOCENTIO, SEBASTIA, ET ALIIS MARTYRIBUS.

NUnc inquirendum nobis est de S. Adriano Martyre Nicomediæ, quem Græcorum monumenta perhibent filium fuisse Probi Imperatoris ortu Sirmiensis, quocum proinde communem patriam Sirmium habuit. De illo pauca attigit Farlatus Tomo 2. in hist. Diocletiani pag. 356. discutienda, ut ait, in historia Ecclesiæ Sirmiensis. Joannes Pinius Hagiographus Antuerpiensis protulit Acta S. Adriani ad diem Augusti vicesimam sextam, quorum initium satis est describere, quo illius genus ac patria probabilius declaretur. „ Sanctus hic Martyr Adrianus, qui „ sub Licinio martyrium confecit, Probi Imperatoris Romani filius exstitit, qui Probus duos habuit filios, Adrianum istum „ & Domitium, post mortem patris sui „ Christianam religionem amplexos, relicta „ superstitione Romanorum. Domitius autem „ ad Episcopi Byzantini dignitatem evectus „ est, Tito ejusdem Byzantinæ urbis Præsule vita functo. Titus, *l. Domitius*, vero „ ille duos etiam habuit filios Metrophanem „ ac Probum &c. „

S. Adrianus.

Ac primum animadvertimus, Vopiscum in vita Probi Imperatoris de ejus filiis neque asserere quidquam, neque negare; unum solummodo affirmat, *Posteros Probi* jam interfecti, *vel odio invidiæ vel timore Romanam rem fugisse, & in Italia circa Veronam ac Benacum & Larium in his regionibus Larem locavisse*; unde gravis exoritur conjectura, aliquem illi filium exstitisse, saltem Adrianum; nam de Domitio, qui & ipse filius Probi dicitur in Actis, aliter sentiunt Menæa Græca; & in his frater Probi nominatur contra atque tradit Vopiscus, cui potius fidendum, Maximum scilicet patrem Probi *apud Ægyptum vita functum esse uxore*

Digitized by Google

uore ac filio & filia derelictis. Vocabulum *Posteri* latine significat filios, & inde nepotes, atque abnepotes, ac quotquot ex uno parente successione gignuntur. Hinc Probi posteros ex ejus filio procreatos fuisse oportet, qui Vopisco auctore Veronam secesserunt, præsertim cum nullum habuerit fratrem; & siquos ejus soror filios genuit, non ad Probi familiam, sed ad eam, in qua nupsit, tum eos, tum ex iisdem posteros certum est attinuisse. Adde Probum *nobiliorem fuisse matre, quam patre, affinitate non magna*, inquit Vopiscus; ex quo fit, illius posteros ad suum genus æquiori ratione quam ad affine referri oportere. Quapropter sic statuo, Adrianum revera a Probo procreatum dici in Actis, & patria vere fuisse Sirmiensem; idcirco Martyrum Sirmiensium fastis adscribendum. Occubuit Nicomediæ pro Christiana religione, cum Licinius illius cultores impie persequi occœpisset an. 319. sed utrum hoc anno, an postea martyrium subierit, incertum, dies tamen consignatur VII. Kal. Septembris. Cætera, quæ in Actis leguntur de Adriano, partim falsa, partim de falsitate suspecta rejicimus cum Pinio, qui Adrianum nostrum recte distinguit ab alio ejusdem nominis Martyre, cujus memoria colitur a Latinis VI. id. Septembris.

SS. Innocentius & Sebastia, ac Socii XXX.

SS. Innocentius & Sebastia item Sirmii palmam martyrii sanguine effuso promeruere die 4. Julii, cum sociis triginta. De loco Martyrologia conveniunt; nomina vario exprimunt modo. Nam *Innocens* pro *Innocentio*, *Sabbatia & Sebastiana*, *Sebaste & Sebastie* pro *Sebastia*, socios *XXV. XIX.* pro *XXX.* afferunt nonnulla apud Hagiographos Antuerpienses hac die; qui monent in Hieronymiano Epternacensi confusam esse formulam; *In Aphrica Jucondiani. Sereni, Sabbatiæ & Innocentium*; ac ita corrigendam; *In Aphrica Jocundiani*; *Sirmii, Sabbatiæ & Innocentii*; sed & asserunt, male ab Usuardo *Sebastiam* poni pro *Sabbatia*, uti in pluribus legitur Codicibus. Nos cum Romano Martyrologio *Sebastiam* retinemus; *Sirmii, sanctorum Martyrum Innocentii & Sebastiæ cum aliis triginta*. Atque de his præterea nihil in ecclesiasticis monumentis.

SS. Ostratus, Spirus, Eralius, Eperentius, Cæcilia.

Eodem mense, & VIII. idus duo vetustissimi Codices Martyrologii Hieronymiani Martyres Sirmienses quinque memorant Ostratum, Spirum, Eralium, Eperentium, Cæciliam; VIII. *Idus Julii, in Sirmio natalis Ostrati, Spiri, Eralii & Eperenti Ceciliæ*; quam formulam veram censet Sollerius in Julio Bolland. hac die, & Hieronymianum Lucense Florentinii esse corruptum; *In Niceæ Lustrati, Speri, Eracli. In Austria passio S. Kyliani. In Sirminia sanctorum Perenti Ceciriæ*; uti & apographum Corbejense Acherianum. Videntur enim Sollerio Martyres Nicæni non esse a Sirmiensibus sejungendi, *Niceæ* nomine obtruso, & Kylianus revera in Germania martyr medius perperam interponi; duos vero laudatos Codices Epternacensem scilicet & Corbejensem uti vetustate, ita auctoritate præferendos existimat cæteris, qui recentiores, & minus sollerter descripti. Tria apographa Solleriana Tomo 7. Julii p. 2. ex Hieronymianis contracta hæc habent; Rhinoviense, *in Symio, Cyentritii, Parenti*; Richenoviense, *in Sirmio Citracii*; Senonense, *in Syrmia natalis sanctorum Parentii, Cætriæ*. Vides in nominibus librariorum seu inscitiam, seu oscitantiam, aut potius utramque; de loco tamen martyrii dubitatio nulla superest.

SS. Agrippinus, Secundus, Maximus, Fortunatus, Martialis.

Nec revocari in dubium potest Sirmiense martyrium Sanctorum Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis, queis sacer est dies Julii decimus quintus. Nam Notkerus inter Canisiana monumenta editus a Basnagio perspicue scribit; *Idibus Julii. In Sirmio Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis*. Eosdem Sirmio tribuit Rhabanus apud Basnagium, omittit vero *Fortunatum*, pro *Maximo Maximinum* ponit, additque *& Jacobi Episcopi*, scilicet *Nisibis*; & ab aliis disjungendus est. In Hieronymianis apographis Sollerii superius laudatis, Senonense Sirmium retinet; *In Syrmia*, l. Sirmio, *natale sanctorum Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis*; Rhinoviense, & Richenoviense trium solummodo meminit, *Sirmio, Agrippini, Secundi, Maximi*; at Augustani formula est confusa; *Alibi Agrippini, Catullini, Bonasi, Zosimi, Jacobi, Secundi, Maximi*; e quibus *Agrippinus, Secundus, Maximus* iidem profecto sunt ac Sirmienses; *Jacobus* ad Nisibim pertinet; *Catullinus, Bonosus, Zosimus* alibi martyrio affecti.

DE SS. SENEROTE, ANTIGONO, ET SOCIIS.

SS. Mm. Senerotes Antigonus, & socii.

SIrmiensis Ecclesiæ nobilissimos athletas, qui præclaram pro Christo mortem in illa urbe oppetierunt, numeramus Senerotem, Antigonum, Rutulum, Libium, Rogatianum, quorum nomina hagiologicis tabulis inscripta leguntur VII. Kal. Martii: sunt tamen nonnulla singulari digna animadversione, quæ de iis paullo diligentius expendam. Plura etenim Martyrologia horum certamen in Pannoniis constituunt, sed locum silent eorumdem sanguine decoratum; Corbejense Dacherii, *In Pannoniis Seneroti, Antigoni, Libii, Rutuli, Rogatiani*; alterum Corbejense breve Hieronymianum octingentis ætate annis Dacherianum excedens, cum a Martenio fuit evulgatum Tomo 3. pag. 1571., *In Pannoniis, Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii, Rogatiani*; & iisdem verbis Corbejense quartum Florentinii: tum Marchianense Usuardi auctarium, *Natale sanctorum Martyrum in Pannoniis, Seneroti* &c.; præter ea, quæ inferius proferemus. Verum & alia nobis præsto sunt ejusmodi monumenta antiquitate, ac pretio haud illis postponenda, quæ

Diversæ de his martyrologiorum formulæ

quæ indicant beatissimos Christi Martyres Sirmii passos fuisse; nimirum Anglicanum Vitfordi Martyrologium, hac formula adhibita, *S. Serenus Martyr Sirmii in Pannonia, & alii 72.*, *& Senerotes, Antigonus, Rutilus, Libius, Rogatianus;* cui Hieronymianum Antuerpiense cohæret, omisso Rogatiano: *In Sirmio, Sinerotis, Antigoni, Rutili, Libii*, ut a Bollando citatur; ut vero a Florentinio; *In Sirmi, Sinerotis, Antigoni, Rutuli, Libii;* & Richenoviense, ubi unius *Senerotis* habetur mentio; *In Sirmio Senerotis*; quare cum & provincia innotescat adeo illustri nobilitata martyrio, & in illa ipsum martyrii locum habeamus compertum atque testatum, non est, cur dubitemus, sintne Martyres isti hujus Ecclesiæ fastis inserendi. Diversa tamen in singulis pæne Martyrologiis inest formula, qua sanctorum Martyrum memoria enuntiatur, vitiatis modo nominibus, modo omissis; quatuor enim tantummodo commemorantur in Senonensi Codice Solleriano; *In Pannoniis, natalis Sanctorum Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii;* Rhabanus a Basnagio editus inter vetera Canisii monumenta; *In Pannoniis nativitas Sanctorum Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libi;* Galesinius; *In Pannoniis sanctorum martyrum Seroneti, Antigoni, Rutuli, & Libi;* Notkerus ejusdem Basnagii cura ibidem notis illustratus; *In Pannoniis sanctorum Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii;* Florentinius ex Hieronymiano apographo; *In Pannoniis Senerosi, Antigoni, Rutuli, Libii;* & Grevenius in Usuardinis additamentis; *Item Seneroti, Antigoni, Rutuli, Labi;* tres vero legimus expressos in Gallicano Martenii; *In Pannoniis Seneroti Antigoni Rutuli;* in Lætiensi codice Bedæ; *Et in Pannoniis SS. Antigoni, Rutuli, Libii;* quibus *Onimander*, & *Zeno* junguntur, in Pannoniis quidem passi, anne Sirmii, omnino incompertum. Unum *Senerotem* nominant Gellonense, & Labbeanum; *Seneroti;* Morbacense 900. pæne annis vetustius a Martenio productum in Tomo 3. Anecd. pag. 1547., *Serenoti;* Angustanum, *Senerati;* Autissiodorense, *Senerioti; Rutilum* autem VI. Kal., & *Antigonum* III. Kal. Martii posuerunt Gellonense, & Corbejense: sed hic Thessalonicæ, ille Romæ, vel Nicomediæ passus, a nostris omnino distinguendi sunt: non ita *Rogatianus*, qui in Parisiensi Labbei ms. die v. supra vicesimam Februarii inscribitur; ignotus is cæteris Martyrologis, inquit Bollandus ad hanc ejusdem mensis diem inter prætermissos, nisi forte idem sit, „ qui in „ duobus mss. junctus reperitur Martyribus „ in Pannonia trucidatis, ut diximus 23. „ Februarii.„ Quare singulis recte perpensis istorum Codicum testimoniis, quidquid in iis mendosum, atque corruptum vel loco martyrii subest, vel Martyrum nominibus, una formula complectentes in hunc fere modum corrigendum putamus; „ VII. Kal. Mart. „ Sirmii in Pannonia natalis SS. Martyrum „ Senerotis, Antigoni, Rutuli, Libii, & „ Rogatiani „. Quamquam de Senerote dubium moverit Castellanus, utrum a Sereno distingui debeat, cum hinc *Senerotis*, & *Seroneti*, inde *Sereni*, ac *Seneri* vocabula, quibus quandoque uterque appellatur, quamdam ejusdem nominis, atque adeo personæ præferant similitudinem: quid, quod editum a Basnagio Rhabani Martyrologium in apposita nota *Sirenum* Seneroti substituit? & Autissiodorense, ac Morbacense VII. Kal. Mart. unius *Senerotis*, nullibi *Sereni*, nomen consignant? Sed tanti ista non valent, ut persuadeant, ex duobus, quos Martyrologia ferme omnia discernunt ac discriminant, unam personam confici oportere, atque constitui: quod etiam Sollerius animadvertit in *Observatione* adjecta Usuardi Martyrologio ad diem Februarii tertiam supra vicesimam.

una formula emendata expressa.

DE LXXII. MARTYRIBUS ALIISQUE.

Martyres LXXII. anonymi.

HIsce Martyribus & alios multo pluses numero adjungimus, qui communi Hagiologorum consensu Sirmiensem Ecclesiam egregia fidei confessione illustrarunt. Singulorum nomina penitus intercepit nimia vetustas, aut verius in summa illorum temporum perturbatione minime licuit posteritati reservare. Non parva tamen Martyrologiorum dissensio in determinando horum Martyrum numero controversiam gignit haud aliter, quam plurium suffragiis decidendam. Tredecim igitur quorum censentur in Hieronymiano ms. Bollandi; *Sereni, & aliorum 13. natale Sirmii;* sexdecim vero in Epternacensi apud Sollerium, & in Corbejensi Florentinii; *& aliorum XVI.* Numerum auget, & duos supra quadraginta enumerat Romanum parvum editum a Rosweydo, quibus undeviginti ejusdem gloriæ socios adjiciunt, & unius atque sexaginta summam conficiunt Gellonense a Sollerio citatum, *& alibi LXI.*; Augustanum, *& aliorum LXI.*; Labbeanum, *Et alibi sexaginta unius Martyrum.* Multo autem plures, æque variæ formulæ sunt, queis sexaginta duo inscripti fuerunt, apographi nimirum Florentiniani; *& aliorum LXII.*, Bedæ ex codice Divionensi; *& sexaginta duorum Martyrum;* tum Centulensis Usuardi auctarii; *Item aliorum sexaginta duorum, qui ibidem*, Sirmii, *passi sunt.*; Usuardi ipsius, Adonis, & Bononiensis ms. S. Luciæ; *Item natalis sexaginta duorum, qui martyrii certamen in præfata urbe*, Sirmiensi, *consummantes regna mansura perceperunt;* demum Galesinii; *Eo ipso præterea loco Sanctorum 62. aliorum Martyrum, qui cœlesti præsidio, divinaque constantia ad omnem cruciatum perferendum communiti, coronati sunt.* Sed iterum novem adjunctis, septuaginta & unus fuisse feruntur in Richenoviensi; *& aliorum LXXI.*; queis uno superaddito, duos atque septuaginta enumerarunt Anglicanum Vitfordi, *& alii 72.*; Corbejense; *& aliorum 72.*, Gallicanum; *& 72. martyrum;* Notkerus cum au-

auctariis Usuardi Antuerpiensi-maximo, Leydensi, Lovaniensi, Albergensi, Danico, Ultrajecti-belgico, Lubeco-coloniensi, Belinensi, & Bruxellensi, *Item apud Smyrnam*, Sirmium, *natale Sanctorum LXXII.*; Petrus de Natalibus in Catal. lib. 3. cap. 151., *Septuaginta duo martyres sub Maximiano imperatore apud civitatem syrinium passi sunt. Qui martyrii certamen in præfata urbe consummantes regna mansura perceperunt sexto calen. martii, ut dicit Hieronymus in Martyrologio suo;* Maurolycus iisdem pæne verbis, & Baronius in Martyrologio Romano. Hinc calculis subductis, cum & numero, & auctoritate præstent ii, qui in eamdem duorum supra septuaginta summam conveniunt, hanc aliis præferendam omnino esse putamus; quod Baronius, Florentinius, & Sollerius antea comprobaverant. & numerus statuitur, Atque hic animadverte, in formulis a nobis productis hosce Martyres cum S. Sereno conjungi itidem Sirmii præclara Christi confessione perfuncto, & communem illis æque loci, ac gloriæ societatem attribui; de quo vide, quæ commodius ad Acta S. Sereni diximus contra nonnullos, qui Sirenum aliosque Martyres Sirmio abductos vel in Hispaniam, vel Firmum Piceni urbem nullo profecto jure ad obeundum martyrium abire compellunt. Neque obest quidquam obtecta in speciem Sollerii nostri subdubitatio, sintne isti Sirmiensibus Martyribus eo adnumerandi, quia Gellonense Martyrologium, *Seneri*, seu *Sereni* facta mentione, subjunxerit; *& alibi LXI.*; nam, si Gellonensem demas & locus martyrii adversus Sollerii dubitationem formulam, & Labbeanam, quæ martyrii locum non indicant, reliquæ quasi omnes vel Sirmium præferunt, vel silent, vel ita leguntur pro indicata superius numeri varietate expressæ; *& aliorum LXII.*; aut, *& LXII. martyrum*; quæ autem in apographo Usuardi, & in Bononiensi ms., ac Romano Baronii Martyrologio, tum apud Galesinium hujusmodi dictionem ponunt, *in præfata urbe, eo ipso loco*, Sirmium profecto respiciunt, ubi paullo ante, & proxime enuntiant, S. Sirenum martyrio fuisse sublatum. At subdit Sollerius; *Certe in utriusque Actis* (Sereni scilicet, vel Seneri; licet vocabulum *utriusque* male usurpetur, quasi uti nomina, ita distinguerentur personæ, quæ una est atque eadem in Actis & a Bollando, & a Ruinartio editis,) *veris & sinceris a Bollando primum, deinde inter selecta* Ruinartii *vulgatis nulla prorsus sociorum fit mentio*. Et recte quidem, ut intelligas, non idem obiti martyrii tempus & Sireno, & septuaginta duobus congruere, qui Maximiano quidem propugnatur. Imp. vitam absumpserint, ut Petrus autumat in Catalogo, & de Sireno Acta testantur; id tamen unice probat, in vicennali fere Maximiani imperio, sed non eodem, quo Sirenus, anno, ejusdem tyrannidem eos pertulisse. Hinc Bollandus emortualem S. Sireni annum inquirens, recte subjungit; *Atque adeo fortassis, qui post Sirenum huic subnectuntur 62. aut 72. Martyres, ante eum in urbe eadem palmam consecuti sunt*: & Ruinartius de eorumdem cum Sireno martyrii societate incertum sese declarat, hæc addens in prævia Sireni Actis admonitione; *Martyrologium Lucense Syreno alios sexaginta duos martyres socios adjungit. De istis autem martyribus, quos alii pauciores, alii plures enumerant, nihil in antiquis auctoribus reperire licuit*; quare & Farlati dubia licet opinio hisce expressa verbis in citato alias Martyrum Illyricorum catalogo, *ibidem* (*Sirmii*) *eodem die & fortassis eodem anno septuaginta duo martyres*, rectius falsa esse videtur. Dies tamen anniversario cultui tum Sireni, tum Martyrum septuaginta duorum ab Hagiologis decretus, communis omnibus, & idem est vicesimus tertius Februarii; sed, cum nonnulli dissentiant, qui vel diem hujus mensis vicesimam primam, immo & secundam, vel etiam tertiam, & quartam supra vicesimam Januarii eorumdem commemorationi addixerunt, de hoc in Actis S. Sireni, ceu proprio huic disquisitioni loco, diligentius egimus.

Alii XL., item anonymi. Adde his & alios, quadraginta numero Martyres, qui Sirmii pertulere martyrium cum Montano, & Maxima. Dies eorum cultui dicata sexta est supra vicesimam Martii in Martyrologiis, scilicet Bedæ, VII. *Kal. April. in Sirmio Montani Presbyteri, Maximæ uxoris ejus & aliorum quadraginta*; Hieronymiano Britanno-Saxonico, Rosweydiano inter Usuardi auctaria, Ultrajectino S. Mariæ, Trevirensi S. Martini, quorum eadem pæne est formula de Montano, & Maxima, ita XL. Martyrum subjecta mentione, *& aliorum quadraginta martyrum*. Hinc Henschenius in commentariolo de SS. Montano, & Maxima hæc subdit; *Adjungimus quadraginta socios seu milites, quos ex præcipuis Martyrologiis Hieronymi, Bedæ, aliisque ostendimus una passos esse: & confirmat Wandelbertus hoc dystichon,*

Septima Montanum memorat cum conjuge sancta,
Atque simul quadrageno cum Martyre passum:

die nimirum VII. ante Calendas Apriles; sed ne conjectura quidem ulla suppetit, qua *milites* dicantur fuisse: *una* vero cum Montano, & Maxima *passos esse*, concedi quodammodo potest, si communem iisdem locum & diem martyrii intelligamus, non autem & tempus, & modum; illud enim incertum nobis est, licet de martyrio Montani & Maximæ possit definiri ex Actis S. Pullionis martyris Cibaliensis, quibus nulla inest mentio quadraginta Martyrum, ut suo loco dicemus; & modum obiti pro Christi fide certaminis eumdem illis male tribuit Galesinius, ac Montano, & Maximæ: *Sirmii in Pannonia, Sanctorum martyrum, Montani Presbyteri, Demetrii Diaconi, Maximæ Virginis, & aliorum quadraginta, qui certamine pro fide confecto, demum præcipites in Savum fluvium, Diocletiano Imperatore, dejecti, cælesti corona donantur.*

SS. Rufina, Moderata, Romana, Secundus, & alii septem. Virilem sexum æmulatus est fœmineus, parique accensus religionis ardore, & invicta

ta animi fortitudine præstans inter quævis vitæ discrimina Ecclesiam hanc nobilitavit. Quæ vero glorioso martyrii certamine illustres in Divorum catalogis primæ censentur, Rufina, Moderata, & Romana sunt, earum victoriæ sociis Secundo, aliisque septem, quorum nomina intercepit antiquitas. Quo anno martyrio vitam impenderint, incertum quidem, dies tamen certa VIII. Idus Aprilis penes Martyrologos, qui illorum memoriam sacris Fastis inscripserunt. Hinc Blumiani apographi formula, *Et in Sirmia Rofinæ, Moderatæ, Romanæ, Secundi, cum aliis septem*, tum alia Florentiniani, *Et in Sirmia Rofine. Moderate. Romane. Secunde cum aliis* VII.; cæteris tamen emendatior est Corbejensis, quam retinemus, *Et in Syrmia Rufinæ, Moderatæ, Romanæ, Secundi cum aliis septem*; & huic similes inscriptæ Barberiniano, & Maximiano codicibus, tum Auctario genuini Bedæ Martyrologii; nam in Epternacensi confuse nomina permiscentur, *Rofinæ, Moderatæ. Item Romanæ, Secundi, & aliorum septem*; in Coloniensi S. Mariæ ad Gradus *Romana*, in Tamlactensi *Romana* simul omittitur, & *Secundus*, quibus *Successia* surrogatur, *Moderatæ, Rufinæ, Successiæ & aliorum septem*; & Grevenius in Usuardinis additamentis *Maximam* & *Macariam* suæ formulæ adjunxit, *Apud Syrmium Rufinæ, Moderatæ, Maximæ, & Macariæ*; sed de Maxima & Macaria postea. Dies nonus Aprilis V. Virginum Sirmiensium martyrio celebratur. De his satis est Henschenii verba referre ad hunc diem Tomo I. Aprilis Bollandiani. *Virginei cruoris festum appellari jure merito* posse *diem nonam Aprilis scribit Franciscus Maria Florentinius in notis ad Martyrologium Hieronymianum, quando, inquit, pro gemino sanctarum Virginum ac Martyrum choro antiquitus exultabat Ecclesia. A primo choro exorditur S. Hieronymi Martyrologium his verbis*; v. id. Aprilis. In Sirmia, natalis quinque Virginum, quorum nomina Deus scit; *ita apographa Lucense & Blumianum, Corbejense, & antiquum Epternacense, quo hactenus usi sumus; in hoc tamen deest additamentum de Dei notitia. In altero erant solum quatuor notatæ, sed amanuensium errore; cum in altero Corbejensi Martyrologio ante annos etiam octingentos scripto dicuntur quinque Virgines. Eadem omnia habentur in pervetusto Martyrologio S. Maximi, & alio Reginæ Sveciæ a Luca Holstenio plurimum laudato; item in Kalendario ms. ante aliqua S. Isidori opera in Vallicellana Congregationis Oratorii Bibliotheca reperto, sed pro Syrmia scriptum erat Syria. Eædem quinque memorantur etiam in Martyrologio ms. Tamlactensi & apud Notkerum; & ab his quinque sejunguntur aliæ septem Virgines* &c. Hactenus Henschenius.

SS. Virgines V.

alii VII.

Re tamen vera Martyrologium Romanum exhibet hanc formulam die nona Aprilis: *Sirmii passio sanctarum septem Virginum & Martyrum, quæ dato simul pretio sanguinis vitam mercatæ sunt æternam*; cui Baronius subjicit ista, *De quibus hac item die Beda, Usuardus, Ado & alii, consentiuntque vetera mss.* Beda, 5. *idus in Sirmio natale septem Virginum, quæ in unum meruerunt coronari*; Usuardus iisdem utitur verbis, queis postea Martyrologium Romanum, sed addit *Virginum Canonicarum*, quæ scilicet una in convictum degentes ferventius Deo & religionis & virginitatis reddebant obsequium. De his Wandelbertus in suo Martyrologio metrico;

Lampade septena, quinis nitet Idibus, alto
Virgineus radians simul æthere flosque decorque.

Hinc facile cognoscimus Ecclesiam Sirmiensem iis omnibus viguisse præsidiis atque ornamentis, quibus aliæ insigniores florebant in Romano imperio, nec persequentium tyrannorum immanitas Christianos illos absterrebat, quominus & sacra ministeria obirent impensius, & studiosius leges moresque colerent vitæ sanctioris, ac virgineum præsertim decus integre fortiterque servarent. Hisce Virginibus alii adjunguntur martyrii socii, quos a Martyrum nostrorum numero putamus esse expungendos, sed de his inferius. Laudatus Henschenius Tomo 3. Maji Boll. ac die XV. meminit aliarum Virginum VII. & Timothei martyrum Sirmiensium. Non ambigimus de Timotheo; quamvis enim mss. Martyrologiis Aquisgranensi, Augustano S. Udalrici, Parisiensi Labbei, aliique monasterii S. Cyriaci insit illius nomen absque certaminis loco, Epternacense tamen Hieronymianum apographum, illudque vetustissimum & nomen indicat & locum; *Idibus Maji in Sirmio natalis Timothei & VII. Virginum*. Eamdem habent formulam mss. Richenoviense, Rhinoviense, & ms. Kalendarium S. Maximini; sed *Virginis IV.* in Rhinoviensi, in Corbejensi veteri Solleriano solus Timotheus, *in Syrmia Timothei*, in Senonense Reginæ Sveciæ solus itidem Timotheus legitur, *in Sirmia natalis Sancti Timothei, & alibi* VII, *Virginum*; Rhabanus autem hæc habet; *in Sirmio natalis S. Timothei & VI. Virginum*. Igitur Timotheus Sirmii procul dubio certavit & corona donatus est. Haud aliter sentio de VII. Virginibus, quas incertum est, utrum eodem anno cum Timotheo victoriam, ac præmium retulerint. Hæret quidem Henschenius aliquantum; quin particula *& alibi* VII, *Virginum* adjecta post nomen Timothei in nonnullis mss. innuere videtur discrimen loci a Sirmio diversi. Verum eadem particula in citato superius Epternacensi apographo, cui grandis vetustas potiorem indit auctoritatem, VII. Virginibus postponitur, & ad alios pertinet Martyres, qui pone sequuntur; cum in cæteris extra locum sita ad alios æque Martyres referri debeat ibidem nominatis. Dubitare etiam quis posset eædem ne Virgines sint, de quibus paullo ante actum est; Rhabanus tamen & die Aprilis nona septem Virgines Sirmienses solum

S. Timotheus & VII. aliæ Virgines

commemorat, cum alias septem addit Timotheo & diei & loci societate; *quod & nos facimus*, inquam cum Henschenio, donec probabilior adsit ratio dijudicandi recte necne fuerint a nobis distinctæ.

Hæc Martyrum Sirmiensium series, quorum nomina & acta in ecclesiasticis monumentis atque Scriptoribus servata ad nostram ætatem notitiamque pervenerunt; nec dubium, quin multo plures, ac innumeri, pæne dixerim, ii fuerint, qui in hac amplissima civitate, & Christianæ religionis ardore ferventissima Ecclesia præclaram pro Christo mortem tum viri, tum mulieres invicto animo pertulere. Verum persecutorum odio atque malitia, tum eorum locorum vastitate sæpissime a barbaris in Pannonias illata, tum etiam temporum injuria plurimorum memoria penitus exstincta est; & eorum, quorum notitia superest, & nomina & gesta multis implexa difficultatibus, & hac illac in Martyrologiis, Kalendariis, & historiis dispersa, nec sine diligenti studio colligi, nec sine accurata disquisitione discerni a falsis ac depravatis potuerunt. Hinc multos sane Martyres e Sirmiensibus fastis duxi expungendos, quos Farlatus in catalogo Martyrum Illyricorum collegit Tomo 2. pag. 444. desunt enim aptæ rei probationes, quibus tuto Ecclesiæ Sirmiensi eos liceat adjudicare; nec aliter sensisset vir perspicacissimus, si singulorum monumenta suis postea in locis expendere ipsi fas fuisset a morte prærepto. Eorumdem tamen, de quibus subdubitandi mihi ratio visa, hic syllabum adtexo, & eruditorum judicio sententiisque permitto.

MARTYRES, DE QUIBUS INCERTUM EST, ANNE AD SIRMIENSEM SPECTENT ECCLESIAM.

SS. Maximianus, & socii.

PRimi igitur in hac Martyrum classe collocandi videntur SS. Maximianus, & socii, quorum anniversaria commemoratio inscribitur IV. Non. Jan. in Hieronymiano Bollandi Martyrologio sic: *Siridoni Episcopi Antiochiæ, & in alio loco Stratonico, Maccari, Abbatis. Saturi, Possessoris, Firmi, Maximiani, Acutionis, Timothei, Herissi, Artaxi in..... Acuti, Tobiæ, Eugendæ.* Hujus autem formulæ menda, quæ plura in suum apographum irrepsisse advertit ipse Bellandus, ut veri, quam fieri poterat, similius corrigeret, ita extremam ejusdem partem arbitratus est esse scribendam; *Sirmii, Maximiani, Acutionis, Timothei, Herissi, Artaxi, Viti, Acuti, Tobiæ, Eugendæ*; unius *Firmi* voculæ in *Sirmii* vocabulum variatione. Verum non levis dubitandi ratio est, utrum Sirmiensem revera Ecclesiam iidem martyrio suo decoraverint; cætera enim Martyrologia cum Antuerpiensi conveniunt, & *Sirmii* nulla uspiam mentio reperitur; quin alia Antiochiam, Africam alia, præclari certaminis quasi campum videntur SS. Martyribus tribuisse, Atque illos Antiochiæ quidem martyrio perfunctos fuisse memorat Hieronymianum Florentinii Martyrologium ad alteram Januarii diem: *In Antiochia Syridoni Episcopi ejusdem loci. Stracini. Macbari Abbatis. Saturi. Possessoris. Firmi. Maximiani, Ationis. Timothei. Herissi. Artaxi. Vitalis. Acutæ. Tobiæ. Eugendæ*; tum vetustissimum Corbejense Dacherii ante annos 600. exaratum: *Antiochiæ Siridonis Episcopi* &c..... *Firmi, Maximiani, Acutionis, Timothei, Heresii, Artaxa, Vitalis, Acutæ, Tobiæ; Eugenda* omissa. Rursum vero III. Non. Jan. quibusdam additis nominibus, immutatis quibusdam, vel prætermissis, hæc legitur Martyrum series Africanæ provinciæ adscripta in Antuerpiensi, & Florentiniano; *In Aphrica Lucidei, Martialis* &c..... *Firmi, Candidi, Rogati* (*Rogatiani* in apographo Florentinii), *Eugeniæ, Acutæ*; & Corbejense, cum eadem die *Firmi, Candidi, Rogatiani, Eugenie, Acute in Aphrica* meminisset, v. *Id. Jan. Artaxis* nomen signavit, uti Rhabani quoque Martyrologium a Canisio editum, martyrii loco non indicato. Cumque præterea videam, eorumdem Martyrum pleraque sane nomina aliis in Codicibus reticeri, in Richenoviensi nimirum Sollerii part. 2. Tomo 6. Jun. Boll., IV. *Non. Jan. Firmi, Acutionis*; in aliis *Firmi* etiam vocabulum desiderari, in Labbeano scilicet ejusdem Sollerii, cui hæc inest formula; *alibi Tobias, Rutula*, & in Grevenii additamentis Usuardo interjectis, quæ *Tubiam* solummodo, ac *Vitalem* enuntiant; gravior mihi suspicio fit, mendum ne Bollandus intulerit in suum apographum, cui studium erat illud auferre. Quid? quod Rhinoviensis Codex a Sollerio evulgatus habet, IV. *Non. Jan. Saturi, Possessoris, Firmi*; nec alius cujuspiam nomen adjungitur? ex quo intelligere omnino licet, *Firmi* vocabulo verum, ac proprium personæ nomen designari; haud secus, quam alia duo præferunt probatissimæ notæ Martyrologia, alterum Gallicanum annos ante 700. confectum, & sexto Thesauri Tomo insertum a Martenio, ubi legitur; IV. *Non. Jan. in Antiochia Syridoni Episcopi, Firmi, Macharii Abatis*; alterum Autissiodorense ab eodem editum in tertio Anecd. Tomo, & annos ferme 100. Gallicano vetustius, in quo habes; IV. *Non. Jan. Antiochiæ Isidori, Firmi, Macharii Abbatis, Tubiæ Abbatis*: nisi forte, *Firmi* voce in *Sirmium* immutata, eodem, quo memorati martyres, jure velis & Macarium Alexandrinum in Divorum Sirmienrium Fastos esse referendum. Non diffiteor ego, quotquot sacrorum Fastorum Codices nobis supersunt, antiquiores præsertim, pluribus librariorum mendis scatere, quibus expungendis requiritur singularis solertiæ vir, ac non modicæ eruditionis: quo tamen argumento probabile fiet in iis Codicibus quibusque, quorum protulimus testimonia, potuisse eumdem uno quasi consensu errorem intermisceri, & alterum alteri adeo incuriose, atque oscitanter nomen supponi? Bollandi quidem re-

ve-

Digitized by Google

veremur auctoritatem; at excogitatum sibi mendum non ante abradere æquum erat, quam ratione proposita, tale illud revera esse probaret.

SS. Anastasius, Jocundus, Ratites cum sociis.

Nec minor in Anastasium, & Jocundum, Ratitem, aliosque martyrii socios incidit suspicio, sint ne Sirmiensis Ecclesiæ tabulis inscribendi, cum uni Antuerpiensi apographo nitatur Bollandi affirmatio, quod ad faciendam fidem parvi momenti æstimari debet ac ponderis præ cæteris Martyrologiis, quæ pari testimonii consensu perhibent, fortissimos Christi athletas in Græcia martyrii corona fuisse donatos. Antuerpiensis formula hæc est; v. *Id. Jan. & in Sirmis Anastasi, Jocundi, Ratitis, Petri, Flori, Tilis, Floriani, Taciæ;* cui mendum dubio procul subesse etiam Florentinius animadvertit in notis Hieronymiano Lucensi subjectis ad diem octavam Januarii: *Notkerus*, inquit, *cum Timothco, & Rustico Jocundum Græciæ tribuit, non Sirmii, ut facile omnes martyres, qui in nostro simul numerantur, Græciæ tribui debeant, cum in nullo alio Martyrologio* Sirmio *assignari videam, & Corbejense ita fere cum nostro consonet. VI. Id. Jan. In Græcia Rustici, Phitei, Timothei, Jocundi, Ratitis, Lucii, Petri, Flori, Anastasii.* Lucense vero ita eosdem enuntiat; *In Græcia Rustici. Phisti. Timothei. Jocundi. Raditis. Luci. Petri. Flori. Tili. Fori. Anastasiæ.* Et de S. Anastasio dubitat ipie Bollandus, anne idem sit cum illo, de quo modo disseruimus; is tamen videri fortasse potest, quem in Pulsanensibus Usuardi auctariis diei sextæ Januarii adscriptum in diem nonam rejecit Sollerius Usuardinum exemplar secutus, ubi cum Antonino Presbytero, & Celso puero dicitur Antiochiæ pro Christo mortem obiisse v. Id. Jan., ejusque memoriam Romanum quoque Baronii Martyrologium eodem die consignavit. Adde his

S. Revocatus

Revocatum, quem in evolvendis Sollerii Martyrologiis modo comperimus, a Rhinoviensi, & Richenoviensi ipsamet formula, ipsomet die IV. Id. Jan. Sirmiensibus Martyribus accenseri; *in Sirmis Revocati:* colitur enim die hujusce mensis nona S. Revocatus inter Smyrnenses Martyres, quorum nomina Bollandus accurate proponit, & Revocatum Africanæ provinciæ a Martyrologis quibusdam adscitum Smyrnensi Ecclesiæ restituit: quare illorum Codicum fides in dubium revocari merito potest, ut si *Sirmis* vocabulum pro *Smirnis* minus diligenti librario excidisset; Richenoviense tamen apographum utrumque Revocatum distinguit, & v. *Id. in Smirna Revocate*, (lege *Revocati*), IV. *Id. Jan. in Sirmis Revocati* subjicit mentionem; qua die alium in Africa Revocatum cum Firmo, Possessore, & Sociis, Antuerpiense, & Lucense commemorant. At de Thyrso, Leucio, & Callinico ne ulla quidem esse potest quæstio, qui, Bollando auctore in altero Januarii Tomo, in Hispania nati, in Oriente martyrium constantissime obierunt; ex iis vero nullus Sirmii passus nec in vetustissimis Martyrologiis, nec in Actis perhibetur editis ab eodem Bollando: quare haud scio, quo auctore, quibusve testimoniis Farlatus hanc formulam confecerit in catalogo Martyrum Illyricorum Tomo 2. Op. inserto ad §. VIII. cap. 4. hist. Diocl. *Sirmii S. Thyrsus, Leucius, & Callinicus martyres* XIX. *Kal. Januarii;* in qua typographi fortasse errore editum est XIX. *Kal. Jan.*, cum dies eorum martyrio sacra celebretur XV. Kal. Februarii. Lucas quoque Dacherius in altero Spicilegii Tomo nov. edit. Sirmiensium Martyrum numerum auxit, addito in Indice S. Jocundo, cujus nomen in suo Martyrologio Hieronymiano Corbejensi ita legerat enuntiari; VII. *Kal. April. In Syrmia Munati Presbyteri, Maximæ uxoris ejus, Jocundi:* cujus quidem Codicis auctoritas ante an. 700., ut is autumat, exarati non est a nobis contemnenda; sed quanti illa esse debet præ cæteris Martyrologiis, quæ nullius hoc nomine Martyris eadem die meminerunt? num idem Jocundus, qui Jovinus VII. item Kal. Apr. sacris Fastis inscriptus? hæc opinio Henschenii est adversus Dacherium in Comment. de SS. Montano, & Maxima; *Jocundum socium* (Montano, & Maximæ) *adjungeremus, nisi supra in præcedenti classe de S. Jovino egissemus, qui aliis Juniui, Juninus, Junus, quidni & Jocundus? dicitur.* Crebra sunt in vetustis Martyrologiorum Codicibus hujusmodi menda, quibus librarii Divorum nomina turpissime corruperunt; iccirco rem in incerto relinquens nihil ego ausim inter scriptorem utrumque definire. Profecto hac ipsa librariorum sive inscitia, sive oscitantia factum est, ut in Pulsanense Usuardini Martyrologii exemplari integra formula pessime vitiaretur, qua SS. Montani, & Maximæ nomina describuntur; nam *Vincentius Presbyter*, & *Maximus*, incertum quis, martyrio Sirmii affecti exhibentur VII. Kal. Aprilis, procul dubio e sacris hujus Ecclesiæ tabulis expungendi, donec & nomina, & locus martyrii certo nobis constent plurium monumentorum testimonio. Id e Sollerii notis var. lect. huic diei sextæ Martii supra vicesimam adjectis in suo Usuardi Martyrologio deprehendimus, ubi hæc scripsit: Pulsan. *turpiter in fine labitur, scribens: in Sirmia, sancti Vincentii Presbyteri, & Maximi.* Difficilior est de S. Demetrio controvessia, quem Maurolycus, Felicius, & Galesinius martyrii socium adjunxerunt Montano, & Maximæ; Primus vero Cabillonensis Antistes perhibet in Topographia cum Irenæo Episcopo, & Montano Presbytero fuisse in Savum demersum: non levis enim suboritur dubitatio, anne hic Demetrius idem sit, qui VIII. Id. Oct. a Latinis, VII. Kal. Nov. colitur a Græcis Thessalonicæ illustri martyrii corona donatus. Et sane quænam iis scriptoribus e vetustate deprompta auctoritas? quemnam sibi e Martyrologis testem vindicent? In actis porro S. Irenæi sive Græcis, sive Latinis, ne Montani quidem, nedum Demetrii nomen

S. Jocundus.

SS. Vincentius, & Maximus.

S. Demetrius.

SS. Thyrsus, Leucius, & Callinicus.

Digitized by Google

reperies. Quid ergo? Demetrium ne e Sirmiensium Martyrum societate rejiciendum putem? si alius is, quam Thessalonicensis, esse probetur, & Sirmii pro Christo passus, æquo jure numerandus in nostris: sed vehemens animum urget suspicio, ne errore quodam contigerit, ut ii auctores Demetrium hunc in Sirmienses Fastos retulerint. Celebre enim fuit olim Sirmii S. Demetrii Thessalonicensis nomen, & cultus in primis magnificus, cujus sacri corporis reliquias Leontius quidam Illyrici Præfectus huc certo dicitur e Thessalonica detulisse, ubi ingens templum diu stetit ejus memoriæ a Leontio ipso exstructum, & populorum, qui eo confluebant divini Martyris opem exoraturi, adeo nobilitatum frequentia, ut urbs ipsa gloriosa nominis mutatione Mitrovitzium cœperit eorum lingua appellari, Demetrii scilicet urbs, quo magis, quam primigenio nomine tum in communi sermone, tum in pluribus eruditorum scriptis, & in neotericis tabulis Geographorum adhuc innotescit. Quis interea non sibi facile persuadeat, inde arripi potuisse ansam erroris, ut plures crederent, Martyrem illum, quem tanto religionis splendore in ea urbe coli, & omnium linguis, ac votis celebrari intellexerant, ibi, ceu natali in loco, martyrii gloria claruisse, ibique beata lipsana magnifico templi, atque aræ ædificio decorata integre asservari? Res mihi pæne certa est; idemque profecto error illos decepit, qui alium quoque, Demetrium nomine, martyrem, & ejusdem socios honoris Sirmiensi item Ecclesiæ videntur adscripsisse. Die quippe nona mensis Aprilis septem Virginum commemorationi decreta, quæ feruntur Sirmii pro Christo interemptæ, Demetrii præterea, aliorumque ita conjunctim censentur virorum Martyrum nomina, ut communis exstitisse utrisque æque, ac dies, martyrii locus videatur: nam Rhinoviense in primis Martyrologium hanc formulam exhibet; *In Sirmia, Dimetri Diaconi, Helari, Concessi, Fortunati, & Virginum* VII.; Richenaugiense idem, ac Richenoviense; *In Syrmia, Dimetri Diaconi, Helarii, Concessi, Fortunati & Virginum septem. Marii, Donati*; Corbejense vero Dacherii ab Henschenio productum in Comment. de his martyribus ab se edito ad hanc diem nonam Aprilis; *Sirmium Fortunati, Donati, & aliorum sex, & natalis septem Virginum Canonicarum.* Sed integram formulam non exscripsit Henschenius, quam hujusmodi legimus in alt. Spicil. Dach. Tomo; *In Sirmia natalis 4. Virginum, quorum nomina Deus scit, & alibi Demetri Diaconi, Hilarii, Concessi, Mari. Syrmium Fortunati, Donati, & aliorum sex, & natalis septem Virginum Canonicarum.* Aliæ autem formulæ sunt, quæ nullum indicant locum martyrii; Trevirensis scilicet Martyrologii 800. ante annos exarati, quam a Martenio vulgaretur Tomo 6. Collect.; *Natale sanctarum* VII. *Virginum, & beati Demetrii Diaconi*; Gellonensis; *Demetri, Hilari, Concessi, Mari, Fortunati, Donati, & aliorum septem Virginum*; Senonensis; *Et alibi Demetrii Diaconi, & septem Virginum, quæ in unum meruerunt coronari*; Epternacensis, sive Antuerpiensis; *Et alibi Demetri Diaconi, Hilari, Concessi, Mari, Sirmionis, Fortunati, & septem Virginum Canonicarum*; Florentiniani; *Et alibi Demetri Diaconi, Hylari, Concessi, Mari, Syrmionium, Fortunati, Donati, & natalis 7. Virginum.* Baronius tamen in Romano Martyrologio ad hanc diem nonam Aprilis Demetrium, Concessum, Hilarium, sociosque Romanorum Martyrum fastis inseruit hac formula, *Romæ, natalis Sanctorum martyrum Demetrii, Concessi, Hilarii, & sociorum*; hosque Romæ restitutos esse ex veteri ms. S. Cyriaci adnotavit; ut ex Kalendario Bergomensi Monasterii Ordinis Vallis-umbrosæ ante Baronium eosdem Romanæ Ecclesiæ adscripserat Galesinius; & S. Hilarius martyr Romanus colitur hac die Compluti in Hispania, Henschenio citato in loco auctore. Hinc mea quidem sententia Demetrius, Concessus, Hilarius, sociique, quicumque ii sint, Romano potius, quam Sirmiensi Hagiologio debent inscribi, præsertim cum reliquæ Martyrologiorum formulæ ferme nullam præferant hac in re auctoritatem. Quod vero ad Fortunatum, & Donatum attinet, Corbejensis, Epternacensis, & Florentiniani formulæ sunt hujusmodi, ut facile suspicionem creent, eos esse a Romanis Martyribus sejungendos; etenim post *Marii* nomen legimus, *Sirmium, Fortunati, Donati, & aliorum sex*, in Corbejensi; *Sirmionis, Fortunati*, in Epternacensi; & in Florentiniano, *Syrmionum Fortunati, Donati*; in quibus alterius formulæ species apparet a prima diversæ, immo interjecto etiam puncto in Corbejensi distinctæ. Quare hæ voces *Sirmium, Sirmionis, Syrmionium* corrupte pro *Sirmii* nomine exscriptæ possunt videri, quin Sirmionem Benaci lacus peninsulam hic innui putemus, ut ipse negat Florentinius hæc scribens in notis; *Sirmium oppidum in peninsula ad lacum Benacum olim erat, cujus Catullus meminit, & quod amphitheatro lateritio decoratum non ignobile ibi fuisse apparet. Sermione ab incolis vocatur, sed pagus hodie est, nullaque ibi septem Virginum memoria exstat, neque apud Ferrarium, neque apud alium, quem viderim*: septem vero Virgines præcipue commemorat, quia de illis quæstionem inibi movet, quas, martyres vere Sirmienses fuisse certissime constat; cumque in hisce formulis Fortunato & Donato jungantur, uterque aliquo jure posset nostris Martyribus adnumerari. Haud tamen Florentino concedo *Sirmionis vocabulum martyris nomen posse videri in Antuerpiense majori, quod in nominibus minus depravatum apparet.* Esto enim, ut placet eruditissimo viro, Antuerpiense majus diligentiori manu exaratum fuisse, num mendis omnino caret? num Sirmionis martyris nomen uspiam alibi in vetustis Ecclesiarum fastis, aut Divorum catalogis deprehendet? quidnam autem Antuerpiensis formu-

Demetrius alius, & socii.

SS. Fortunatus, & Donatus.

mu-

mula habet non commune cum cœteris, *Et alibi Demetri Diaconi, HNari, Concessi, Mari, Sirmionis, Fortunati, &* VII. *Virginum Canonicarum*, ut in hac *Sirmionis* nomen martyris personam indicet, minime in aliis? Sed incerta quæ sunt, ac dubia, fas non est, pro veris, ac certis dolosa venditione obtrudi; quapropter tum Fortunatum, Donatum, sexque alios natali martyrii loco restituam, cum tutius, clariusque e veterum monumentis dignosci queat, & quinam is tandem sit, certo constitui. In hunc quoque ordinem refer Florentinum, Geminianum, & Saturum, queis Farlatus in Catalogo Martyrum Illyricorum *Secundum* adjungit nescio ubi repertum; licet enim eorum memoria VIII. Id. Apr. inscripta sit cum aliis Martyribus vere Sirmiensibus, ita tamen in eadem formula videntur esse distincti, ut merito liceat de loco martyrii dubitare; namque in Blumiano, & Epternacensi apographo, tum Florentiniano, & Corbejensi, vel commate, vel puncto interjecto, post Sirmienses virgines quatuor, aliosque martyres septem, additur, *Florentini, Geminiani*, in uno Corbejensi, etiam *Saturi* nomen, qui profecto ad illos septem nequeunt referri. Et tamen quænam his cum illis conjunctio est, ut necessario, aut verisimiliter in eodem numero computentur? perinde atque in vitiatis plerumque Martyrologiorum codicibus non sæpe contingat, quosdam martyres ita conjunctim recenseri cum aliis, quorum certus est martyrii locus, ut idem illis communis esse videatur, non esse autem, jure Critici saniores suspicentur. Vidit hoc etiam Henschenius, qui dubitationem suam hisce verbis ingenue confessus est: *Difficultas est num Sirmiensibus Martyribus jungendi sint jam memorati Florentinus, & Geminianus, imo & qui in Corbejensi codice apud Parisios excuso additur Saturus, quod turma Martyrum Sirmiensium videatur cum* aliis septem *concludi, ac forsan incuria amanuensium locus, aut vox* alibi *desit. Verum potuerunt bi duo, aut tres seorsum ab aliis ibidem martyrium passi fuisse, uti seorsim collocantur:* cui cohæret Florentinius in notis ad diem sextam Aprilis, nimirum subdens, post Sirmienses Martyres, *Veluti alterius classis adduntur Florentinus, & Geminianus, sive, ut in Corbejensi M. etiam Saturus, Codicibus nostris, & Antuerpiensi præteritus*. Horum ego auctoritatem secutus huic classi adnumerandos censeo Saturum, Florentinum, & Geminianum, qui duo postremi in Tamlactensi codice *Florentius*, & *Geminus* dicuntur, *Florentina* item adjecto; sed *Florentius* in Bruxellensi apographo hac formula indicatur; *Item beati Florentii Martyris*; idem ne, ac *Florentinus*, inquirant alii; quem tamen Sollerius cum Sirmiensibus Martyribus videtur quasi dubius conjunxisse, *Est ne*, inquiens, *hic* Florentinus *ex numero martyrum Sirmiensium? Hactenus non satis liquet*. Verum e Divorum nostrorum censu omnino expunge Donatum, Xistum, Victurum, Gagium, quos corrupta Epternacensis formula Sirmiensi attribuit Ecclesiæ, *Sirmii, Donati, Xisti, Victuri, Gagi*: Henschenius enim, *Sirmii* vocabulo personale *Firmi* nomen substituens, & integram formulam aliorum Codicum ope recte emendans Nicomediensium Martyrum catalogo illos restituit hoc die VIII. Id. Apriles. Idem esto de *Successia* judicium, quam Tamlactense Martyrologium Sirmiensibus Martyribus Rufinæ, Moderatæ, Romanæ, Secundo, aliisque septem die eadem adjunxit; & de *Macaria*, & *Maxima*, quæ in Usuardinis Grevenii additamentis cum iisdem Martyribus memorantur; hæ namque ad Alexandrinos martyres spectant, illa ad Nicomedienses, nisi mendum subsit apographo illi, & pro *Successiæ* nomine Successum velis inscribere, de quibus vide primum Aprilis Bollandiani Tomum ad sextam diem mensis ejusdem.

SS. Florentinus, Geminianus, & Saturus.

SS. Macaria, & Maxima.

S. Successus.

Duo apographa Hieronymiana Sollerii alibi citata S. Rusticum martyrem Sirmiensem dicunt v. id. Augusti; Rhinoviense, & Richenoviense, *in Sirmio Rustici*; sed in aliis ejusdem Sollerii absque ulla loci mentione legimus, in Augustano, *Firmi Rustici*, in *Labbeano, Rustici*; in Corbejensi vetere additur, *in Oriente Firmi, Ruslici, Primus*. Hac die Sancti martyres Firmus & Rusticus solemni religione coluntur Veronæ, de quibus tum allata, tum alia Martyrologia debent intelligi; at cum Rhinoviense & Richenoviense præferant *Sirmium*, & unum *Rusticum*, quis divinet? erroris suspicio esse potest; haud vero repugnat, alium nomine *Rusticum* die eodem Sirmii fuisse capite damnatum pro Christo.

S. Rusticus.

Hoc in loco quædam pauca supersunt examinanda etiam de S. Metrophane Episcopo Constantinopolitano, quem Acta S. Adriani Martyris die 26. Augusti ajunt filium Domitii fratris Probi Imperatoris & civis Sirmiensis. S. Adrianum Probi filium Sirmiensibus Martyribus superius addidimus, ubi auctore Vopisco probatum satis est, Probi fratrem neminem fuisse ex eodem patre Maximo genitum; & hinc Metrophanes nihil commune habere potest cum Probi genere ac patria, Domitio patre rejecto. P. Conradus Janningus disserit de S. Metrophane ad diem IV. Junii Boll., utque Vopiscum cum Actis S. Adriani componat, Domitium Probi fratrem uterinum fuisse innuit ex eadem matre Probi, sed alio patre procreatum. Verum satis id non est, ut Metrophanes civibus & Divis Sirmiensibus adnumeretur; sive enim ante initum cum Probo conjugium, sive post alii cuipiam ea mulier nupserit, ex qua Domitius editus, hujusce viri patria ignota, ignotus vir ipse; unde de Domitio, ejusque filio Metrophane nihil constitui potest, quod ad genus spectat, & ad locum natalem. Cæterum in Actis laudatis falsa plura detexit Joannes Pinius, quæ referre huc quinam prorsus esset. In his Domitius evectus ad Episcopatum Constantinopolitanum, cui filius Metrophanes successerit. Sed Cuperus in hist. Antistitum Con-

S. Metrophanes Ep. Constantinopolitanus.

SS. Donatus, Xistus, Victurus, Gagius.

Constantinopolitanorum Tomo I. Aug. Boll. rejicit quotquot cum Domitio dicuntur a Græcis Scriptoribus Episcopi Constantinopolitani ante Metrophanem, & hunc præfuisse primum Ecclesiæ Constantinopolitanæ valide & erudite demonstrat. Metrophanes vero jam erat Episcopus ante Concilium Nicænum an. 325. a quo abfuit senio impeditus, & vel eodem anno, vel paullo post, uti mavult Cuperus, sanctissime obiit.

DOMNUS SEU DOMNION EPISC. SIRMIENSIS IV.

Domnus Episc. Sirmiensis

CUm Ecclesiæ pax post Licinium peremptum anno 325. reddita fuisset a Constantino M. & res Christiana Sirmiensis respirare visa est, & tranquillo sui Episcopi frui regimine; quem Salagii auctoritatem secuti lib. 3. de antiq. in Pannonia Episc. pag. 46. huic Ecclesiæ præfuisse æquis argumentis putamus. Atque is est, qui in Nicæno Concilio adversus Arii impiam hæresim legitur subscriptus, sed in uno Patrum Nicænorum catalogo ex provincia Pannoniæ *Domnus Pannoniensis*, in altero e provincia eadem dicitur *Domnus Stridonensis*; nec ullus alter e Pannoniis Antistes Synodo interfuit. Communis est eruditorum sententia, duos hosce Domnos in unum convenire Episcopum, qui *Pannoniensis* & *Stridonensis* appelletur. *Stridonensis*, inquiunt alii, quia revera Ecclesiam Stridonensem regebat, *Pannoniensis* alii autumant, quia incertæ Sedis Episcopus. Sed controversiam dirimit S. Athanasius in epist. ad Solit. tomo I. part. I. edit. Maurinæ, cum inter Episcopos fraude Eusebianorum, qui Arianis partibus favebant, in exsilium actos ab Imp. Constantino post absolutum Concilium, adnumerat *Domnionem Sirmii*; ac *Domni*, & *Domnionis* nomina non differunt quoad personæ appellationem, uti de S. Domno Salonitano Episcopo & Martyre recte disserit Farlatus Tomo I. Adde in utroque catalogo Domnum Pannoniæ provinciæ attribui; & Domnion Sirmiensis apud Athanasium profecto & Pannoniensis est; hinc in Codice Canonum, quo Hadrianus Pontifex donavit Carolum M., exstat Catalogus Episcoporum Synodi Nicænæ, inque illo *Domnus Metropolita* e provincia Pannoniæ; ac præter Sirmiensem nullus erat in iis locis Antistes Metropolita. Vide Tom. I. Concil. Germ. pag. 145. Verum quidem est, *Domnum Stridonensem Pannoniæ Provinciæ* nominari in altero e duobus laudatis catalogo; sed oscitantia librarii id effectum evincit Athanasii testimonium; nam pro *Sirmiensem* perperam scripsit *Stridonensem*. Cæterum Stridon exiguum oppidum in Dalmatiæ Pannoniæque confinio, teste Hieronymo, cujus patria fuit, Tomo 2. Opp. edit. Vallars. ad Dalmatiam verius pertinuit, quod & nos cum Stiltingo Tomo ult. Septemb. Bolland. & cum Vallarsio in Tomo paullo superius citato probare contendimus in opusculo de situ Stridonis. Præterea nulla superest, nec ex Hieronymi scriptis, memoria Episcopatus Stridonensis; & si demus Stridonem Pannoniæ, & Sedem Stridoni Episcopalem, non vero Metropoliticam; at Domnus *Metropolita* ex laudato mox Codice, & *Sirmiensis* ex epist. Athanasii Stridonensis Episcopus credi omnino nequit.

Itaque Domnus ante Synodum Nicænam Episcopatum Sirmiensem gerere cœpit, vir pietatis ac sanctimoniæ studio, ac professione dignus, qui an. 325. in celeberrimo illo & augusto Nicææ Concilio e tercentis & octodecim sanctissimis Episcopis unus, qui interfuerunt, Arianam impietatem damnaret, & Christum Dei filium Dei Patris Consubstantialem invictissime assereret. Synodo absoluta, Domnus Sirmium fortasse rediit, ut Nicæna dogmata per Pannoniam evulgaret, & ab hæretico veneno, qui late jam effundebatur, sui gregis arceret animos, & servaret incolumes. Verum Eusebianorum insidiis & calumniis apud Constantinum Imp. appetitus, & in exsilium pulsus Sirmiensem Ecclesiam ingenti mœrore perculsam & objectam Arianorum dolis ac serpentinis fallaciis quam maxime dolens reliquit. Nec locus exsilii, nec quoto tempore illud pertulerit, in historia ecclesiastica innotescit; ante an. certe 347. jam obierat, cum ei suffectus est

interest Concilio Nicæno an. 325.

obit in exsilio.

EUTHERIUS EPISC. SIRMIENSIS V.

Qui eo anno aderat Sardicensi Concilio, in catalogo Patrum Sardicensium *Euterius a Pannoniis* dictus. Eadem vero ratio, quæ in Domno, suadet, Eutherium Sirmiensem ac Metropoliticam rexisse Ecclesiam; cumque Nicænam fidem in eo Conventu fortiter propugnasset, & pro S. Athanasii in Alexandrinam Sedem restitutione suffragium tulisset, vita excessit, incertum quo anno, sed certo gravissimoque suæ Ecclesiæ detrimento; nam in ejus locum successit

Eutherius Episc. Sirmiensis in Conc. Sardic. anno 347.

PHOTINUS EPISC. SIRMIENSIS VI.

Ancyræ in urbe Galatiæ natus est, Socrate, Sulpitio Severo, aliisque auctoribus, quem Gallogræcum dixit S. Hieronymus in lib. de Script. Eccl., & perperam visus est nonnullis fuisse Sirmiensis patria ex verbis S. Epiphanii hær. 71. ubi ait Photinum prodiisse Sirmio, quia nimirum, subdit Fabritius in Bibl. Eccl., Sirmii primum suam hæresim palam protulit. Homo acuti ingenii, & naturali facundia præditus, præceptore usus est Marcello Episcopo Ancyrano, de cujus orthodoxia gravissima agitur inter eruditos controversia, quæ ad nos non spectat; suspicari tamen possumus haud immerito Photinum flagitiorum suorum semina inde accepisse. Jamque an. 344. dum funesto Arianæ sectæ incendio totus pæne orbis in Oriente potissimum conflagraret, Photinus novum igni pabulum addidit, auxitque in Jesum Christum Deum

Photinus hæreticus.

Digitized by Google

Deum vehementius debacchatus; & uno errore plurimos quidem complexus est; nam Pauli Samosateni, Sabellii, & Ebionis virulenta dogmata instaurare adnisus est, uti fuse docet Petavius lib. 1. de Trinit. cap. 13. & lib. 1. de Incarn. cap. 3. Cæterum summa Photinianæ hæreseos in eo sita erat; *in Christo verum & substantiæ nostræ hominem fuisse, eumdem vero Deum de Deo ante omnia sæcula genitum minime credendum; ideo autem unigenitum nominari filium Dei, quia solus sit natus ex Virgine;* propterea Photiniani *homuncionistæ* appellati sunt, quia Christum nisi hominem fatebantur; ab Hebione tamen hoc in uno discordes, quod hi ex virgine, ille communi hominum more Christum natum assererent. Hinc Photinus suo nomine indignus, quod *luce perfusum* significat græco vocabulo φωτεινὸς, σκοτεινὸς, id est *tenebricosus* dici solitus ab antiquis, quippe qui densiores tenebras offuderit præcipuis Christianæ religionis mysteriis. Supervacuum hic est enumerare, quot antiquitus sanctissimi doctissimique Patres, tum alii postea ecclesiastici Scriptores Photinianam impietatem oppugnaverint. Quin & Imperatorum leges eam severissime insecutæ sunt, & ne Photiniani uspiam in Romano Imperio conventicula inirent, caute ac provide vetuerunt. In God. Theod. lib. XVI. tit. 5. de hæret. leg. 6. Eucherio & Syagrio Coss. an. 381. *Photinianæ labis contaminatio, Ariani sacrilegii venenum, Eunomianæ perfidiæ crimen ab ipso etiam aboleantur auditu.* Leg. 65. Theodosio & Valentiniano AA. Coss. an. 421. *Photiniani, Pauliani, Marcelliani nusquam in Romano solo conveniendi grandique habeant facultatem.* Tomo ult. Cod. Theod. novel. 1. tit. 3. de hæret. an. 439. *Superest, ut quæ in.... Fotinianos...., innumerabilibus constitutionibus lata sunt, cessante desidia, celeri executioni mandentur.* Sed malo Poloniæ fato, atque Hungariæ, post tredecim fere sæcula e fœtidis cineribus eruta, vitam viresque resumpsit, ac per ea loca potentissime grassatur novo Socinianismi nomine.

Ejus hæresis damnata.

Igitur, ubi teterrima hominis blasphemia erupit, a pluribus primum Episcopis anathemate confixa fuit; & cum Antiochiam convenissent eo anno 344. aut insequente, licet Ariani, in formula fidei ab ipsis edita *Marcelli & Photini Ancyrogalatarum discipulos* damnarunt, utpote qui *existentiam Christi ante sæcula, ejusque divinitatem, & regnum æternum, ut Judæi, negant.* Sed hæc Fidei formula, μακρόστιχος dicta, quia cæteris Arianis formulis longior, in speciem catholica, rejecta est a S. Julio P. & ab Episcopis Occidentalibus, Mediolani in Synodum conjunctis an. 346. de industria enim omiserant Nicænum vocabulum *Consubstantialitatis*, certam nimirum Catholicos dignoscendi tesseram; quare Auctor libelli Synodici, *Phalanx*, inquit, *hæreticorum rursus Antiochiæ contra divinum symbolum confluens Photinum & Sabellium, & Marcellum Ancyræ anathemate notavit, & Romam definitionem exponens fidei ablegavit, quam tamen Occidentales & Julius non admiserunt.* Dum hæc Antiochiæ gerebantur, nihil perterritus audax Photini animus, & factione Eusebii Nicomediensis fretus vacuam Sirmiensem Sedem occupavit, ac tum liberius insanam de Christo homine doctrinam tueri atque inculcare adgressus est. Id anno circ. 347. evenisse statuimus cum Salagio, quo etiam in Concilio Sardicensi hujus anni damnatus, & ab Ecclesiæ communione abscissus est; ac paullo post in altero Mediolanensi anni ejusdem 347. & Romano an. 349. in eum repetita damnatio est, & Julii Pontificis sententia e sua Sede dejectus. Atque hæc priora ante Episcopatum & in Episcopatu acta Photini, in quibus enarrandis eruditissimum Pagium secuti sumus. Attamen Photiniana historia tot est implexa difficultatibus, tot clarissimorum virorum Sirmondi, Petavii, Petri de Marca, Valesii, Tillemontii, ipsiusque Pagii contentionibus agitata, præsertim quod ad Sirmiensia Concilia attinet, eorumque chronologicas notas, ut scribenti mihi hærere necesse sit, quorumnam in sententiam concedam; & potior ideo videri debet Pagii auctoritas, quia post alios, iisque inter se collatis, ac singulorum perpensis opinionibus, judicii maturitate difficile admodum argumentum discussit, & variis, novisque eruditionis luminibus collustravit.

Ecclesiam Sirmiensem occupat, damnatur, & e Sede dejicitur;

Quæ Mediolani, quæ Romæ fortiter gesserant Occidentales Episcopi adversus Photinum, commovere Orientales, ut & ipsi de illo judicium ferrent & sententiam. Nam, præterquam quod Medionalense Concilium ob multitudinem Episcoporum, qui eo convenerant ex Italica, Illyriciana, & Romana diœsi, uti Pagius animadvertit ad an. 347., in causa Fidei, & Episcopi Metropolitæ, cujusmodi erat Photinus, tum ob Legatorum Julii P. præsentiam, majorem obtinebat persuadendi auctoritatem, perversum Photini dogma æque Nicæni symboli propugnatoribus, ac Arianorum & Semiarianorum doctrinis etiam adversabatur, qui aliquam, ut ita dicam, divinitatis speciem Christo non denegabant. Quare, indicto Sirmii Concilio an. 351., cum ibi contemptis Mediolanensibus & Romanis decretis Photinus etiam consisteret, plures adfuere ex Oriente Episcopi, duo supra viginti, e quibus præcipui Narcissus Neroniadis, Theodorus Heracliæ, Basilius Ancyræ, Eudoxius Germaniciæ, Demophilus Berœæ, Cecropius Nicomediæ, Silvanus Tarsi, Macedonius Mopsuestiæ, Marcus Arethusæ, Ursacius Singiduni, Valens Mursæ; nam de Georgio Alexandriæ, & Hosio Cordubæ, quos Sozomenus cæteris adnumerat lib. 4. hist. eccl. cap. 6., falsum id esse ostendit Valesius in notis; & uno ore Occidentalium judicia secuti impium hominem ab Episcopatu detrusum edixerunt; tum arrepta occasione novam Fidei formam condidere, qua non solum Photini errores confodere, sed & suas tueri, & palam clariusque explicare opiniones

& iterum in Concilio Sirmiensi an. 351.

Digitized by Google

nes intendebant de iis religionis controversiis, quæ tum in contrarias partes & hostiles factiones miserandum in modum scindebant Ecclesiam. Prior hæc Sirmiensis formula, quam cum adjectis Anathematismis Athanasius græcam in lib. de Synodis, Hilarius latinam in lib. item de Syn. edidere, sed judicio dissimili. Hilarius veluti Catholicam approbat, & ad Catholicum sensum interpretatur, Athanasius improbat uti Arianam, & rejicit; ac sæpe de aliis formulis Fidei alter ab altero dissentit; cum Hilarius Orientales excuset, si novis obortis hæresibus novas crebro de Fide expositiones proferebant in vulgus; & Athanasius callide id ab Arianis fieri contendat, ut Nicæna dogmata verborum, sententiarum, formularum impie congesta mole obruant, & destruant. Profecto qui huic Concilio interfuerunt Orientales, Ariana fæce illitos fuisse suspicari, imo & liceat credere, præsertim quia præ cæteris adstiterunt Valens Mursæ, Ursacius Singiduni Episcopi omnium vaferrimi, & nulla de vocabulo ὁμοούσιος ibi facta est mentio. Integram hic formulam exhibeo ex Latino exemplari S. Hilarii cum ejusdem, aliisque huic argumento necessariis notationibus.

Exemplum Fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum scriptæ.

Prima Fidei formula Sirmiensis.

I „ Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, creatorem & conditorem, ex quo omnis paternitas in (1) cælo & in terris nominatur. Et in unicum ejus Filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui ante omnia sæcula ex Patre natus est, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta sunt omnia in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia. Qui est verbum, 2 & sapientia, (2) & virtus, & vita, & lumen verum: qui in novissimis diebus propter nos incorporatus est, & natus de sancta Virgine, & crucifixus, & mortuus 3 est, (3) & sepultus: qui & surrexit ex 4 mortuis tertia die, & (4) adscendit in cœ- 5 lum, & sedet in (5) dextera Patris, & 6 venturus est in (6) consummatione sæculi judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique secundum opera sua: cujus regnum 7 sine fine perseverans permanet in (7) perpetua sæcula. Erit enim sedens in dextera Patris, non solum in hoc sæculo, verum etiam & in futuro. Et in Spiritum Sanctum, id est, paracletum, quem promittens Apostolis, postea quam cœlum adscendit, misit docere eos, & commonere 8 (8) omnia, per quem & sanctificantur credentium in eum sinceriter animæ.

N O T Æ.

1 Cum, ut superius monui Petavii auctoritate, hæc fidei formula Græco sermone composita fuerit, ad vim, ac sensum Græci exemplaris expendenda est, ubi oportet, Latina versio ab Hilario vulgata: atque hic nota, hæc verba *in cælo* &c. ad Græcum sensum ita proprie referri; *in cœlis & in terra*; & congruit cum Græca, atque Latina Pauli dictione in epist. ad Ephes. cap. 3. 15.

2 Ex duobus Codd. Colbert. & Sorbon. additum est, *& virtus*, ab Maurinis editoribus Opp. S. Hilarii, quæ vox & in Sardicensi formula legitur huic conformis. Cassiodorus ex versione Epiphanii lib. 5. Trip. c. 7. *Verbum existens, & sapientia, & lumen verum, & vita.*

3 *Et sepultus*, deest in Græco.

4 Græce ἀναληφθεὶς τὰ, id est, *receptus est*.

5 *In dexteris* juxta Græcum exemplar.

6 Ἐπὶ συμπλείᾳ, *in perfecta plenitudine*.

7 *In interminata sæcula*, magis proprie ad Græcam vocem ἀπείρους.

8 In Græco & ἀπέστειλε legitur, & ἔπεμψεν; quare integræ locutioni hæc debetur interpretatio; *Quem promittens Apostolis, postea quam cœlum adscendit, ablegavit, & misit docere eos, & commonere omnia* &c. Cassiodorus citato in loco: *Et in Spiritum Sanctum Paracletum, id est consolatorem, quem promittens Apostolis post ascensionem ad cœlos esse mittendum, ut doceret, & commemoraret eis universa, transmisit. Per quem etiam sanctificantur animæ credentium in eo veraciter;* ita ad Græcum Epiphanii exemplar sententiam latine interpretatus.

(1) Anathematismi Formulæ subjecti. I

Latinum Exemplar.

„ (2) Eos autem qui dicunt, De nullis 2
„ exstantibus Filius, vel de altera substantia,
„ & non ex Deo; & quod erat tempus vel
„ sæculum quando non erat: alienos scit san-
„ cta & catholica Ecclesia. (3) 3

1 Ludovicus Miræus monet, se in quodam Cod. hunc titulum reperisse hisce Anathematismis præfixum: *Definitiones catholicarum propositionum 26. contra Photinum hæreticum, & contra omnes opiniones infidelitatis hæreticæ.*

2 Hæc locutio, *de nullis exstantibus* &c. ab Ario primum ejusque asseclis enuntiata, in Nicæna Synodo pari anathemate mulctata fuit; ubi vox ὑπόστασις ambigua juxta diversas ejus notiones, quibus modo pro *essentia*, ac *substantia*, modo pro *subsistentia*, seu *persona* a Græcis Patribus exprimitur, in Ariano sensu *hypostasim*, ac *subsistentiam* sonat, sive *personam*. Hilarius autem vertit, *de altera substantia*; quod Latinis Patribus non raro usuvenit, ut οὐσίαν, & ὑπόστασιν eodem Latino *substantiæ* vocabulo reddiderint: Hilarius præsertim & hic, & in lib. 6. de Trinit. atque alibi, ut notat Petavius lib. 4. de Trinit. cap. 5. num. 16. In subjecta vero huic anathematismo censura *substantiæ* vo-

ca-

Digitized by Google

cabulum Latine pro *essentia* usurpavit idem Hilarius.

3. Nota, priorem hunc *anathematismum* a cæteris esse disjunctum in Latino Epiphanii exemplari apud Cassiodorum, primus enim *anathematismus* ex illis est hic, *Siquis Patrem, & Filium* &c., numero secundus apud Socratem, & Hilarium: cumque Epiphanius, & Cassiodorus decimum quintum omiserint; integra fidei formula viginti quinque *anathematismis* solummodo constat.

Censura Hilarii. „ Quis hic ambiguitatis „ locus? aut quid ex sinceræ fidei conscien- „ tia reliquum est? Non est de non exstan- „ tibus: ut ei exstans origo sit. Non est ex- „ stans ei ad originem substantia aliqua alia, „ nisi sola, quæ Dei est: ut in eo nihil a- 1 „ liud natum esse possit, quam (1) omne „ quod Dei sit; quia non ex nihilo exstans, „ aliunde non substitit. Non differt in tem- „ pore: ut cum Patre sit intemporalis & Fi- „ lius. Inseparabilia itaque inter innascibi- „ lem Patrem & unigenitum Filium cuncta „ sunt, quos in tempore pares ipsa illa unius 2 „ tantum (2) paternæ exsistentiæ, ex qua „ nativitas sumitur, indifferentia in nullo „ discernat essentiæ „.

1 In excusis Hilarii editionibus, Miræana excepta, omittitur *omne*; sed recte in omnibus pæne Codd. inest: rejiciendus enim hæreticorum error est, qui Filium partem Patris esse asserebant.

2 Hæc locutio a Maurinis PP. emendata est Codd. fide, quæ in editis sic efferebatur; *paternæ innascibilitatis æternitas, ex qua nativitas sumitur*; in edit. Bad., *indifferentiam in nullo*; in Eras., Mir., Lips., & Paris., *indifferenti in nullo*.

I II. „ (1) Siquis autem Patrem & filium „ duos dicit Deos; anathema sit.

III. In Græco exemplari hæc præponuntur verba: πάλιν οὖν, ἐρῶμεν: *rursus igitur, dicimus, siquis* &c. „ Et siquis unum dicens Deum, „ Christum autem dicens Deum ante sæcula „ filium Dei obsecutum Patri in creatione o- „ mnium non confitetur: anathema sit.

1 Recte suppletur manca in Græco locutio, hoc adjuncto *unum Deum*: ubi vero legitur *obsecutum Patri*, Græca vox ὑπουργηκότα aptius reddi debet, *ministratum*: quæ loquendi ratio etiam a S. Irenæo usurpatur lib. 4. cap. 17., ubi ὑπουργίαν, & *ministri* functionem Dei Filio tribuit: *sed comiter ministri vox interpretanda est*, inquit Petavius lib. 1. de Trin. cap. 3. num. 7., quæ catholica est, si intelligatur, Dei Filium esse δύναμιν, hoc est, vim, & ἐνεργείαν, id est, *efficientiam* Patris, ut Græci æque, ac Latini Patres fere omnes loquuntur. Vide Petavium lib. 4. de Deo cap. 4. Epiphanii versio apud Cassiodorum est hujusmodi Græco Socratis exemplari cohærens: *Et siquis Deum Christum ante sæcula Filium Dei, ministrantem Patri ad creationem universorum non confitetur, anathema sit.*

Censura Hilarii. „ Rerum nobis absolu- „ tam intelligentiam ipsa illa nominis reli- „ giosa professio tribuit. Cum enim in dam- „ natione sit, Patrem & Filium duos deos „ dicere; & rursum anathema sit, Filium „ Deum negare: substantiæ diversæ alterius „ ab altera opinio in prædicandis diis duo- „ bus excluditur. Non enim est alia præter „ illam Dei Patris, ex qua Dei filius Deus „ intemporalis est natus, essentia. Nam cum „ necessario Deum patrem confitemur, & „ absolute Christum Dei filium Deum præ- „ dicamus; & inter hæc duum deorum sit „ irreligiosa confessio: non possunt, secun- „ dum naturæ indifferentiam, & nomen in- „ differens, non unum esse in essentiæ gene- „ re, quorum essentiæ nomen non licet es- „ se nisi unum „.

IV. „ Siquis innascibilem Deum, vel par- „ tem ejus, de Maria natum esse audeat di- „ cere: anathema sit,

Cens. Hil. „ Ne quod nuncupatæ essentiæ „ in Patre & Filio, per indissimilem natu- „ ram, nomen unum est, occasionem hære- „ ticis præstaret, ut innascibilem Deum, „ vel partem ejus, nasci de Maria prædica- „ rent; occursum est salutari definitione sen- „ tentiæ, ut anathema esset hoc confitens. „ Non enim religiosa unitas nominis, ex „ indifferentis naturæ essentia constituta, per- „ sonam genitæ ademit essentiæ, ut unici ac „ singularis Dei substantia per unionem no- „ minis intelligatur: cum utriusque essentiæ „ nomen unum, id est, Deus unus, ob in- „ discretæ in utroque naturæ dissimilem sub- „ stantiam prædicetur „.

I V. „ Siquis secundum præscientiam (1), & „ prædestinationem a Maria dicit Filium esse, „ non ante sæcula ex Patre natum apud Deum „ esse, & per eum facta esse omnia: ana- „ thema sit,

1 in Græco legitur κατὰ πρόγνωσιν tantum, *secundum præscientiam*; vertit autem Hilarius, *a Maria*, ἐκ Μαρίας; licet apud Athanasium in lib. de Synod. Græci Codd. præferant πρὸ Μαρίας, *ante Mariam*; hanc vero opinionem, *Christum ante Mariam exstitisse solummodo secundum præscientiam*, idem Athanasius Paullo Samosatensi adscripsit sub finem libr. de Incarn. Ch., sed paullo inferius repetita locutio a Maurinis PP. emendatur ad sensum Athanasii, Godd. prope omnium consensu.

Cens. Hil. „ Deum omnium nostrum Dei „ filium, antequam corporeus nascitur, nega- „ turi, tamen secundum præscientiam & præ- „ destinationem, non secundum naturæ sub- „ sistentis essentiam, fuisse confirmant: id „ est, ut per præscientiam Patris, quia eum „ prædestinavit ut esset aliquando, scilicet „ gignendus ex virgine, nuntiatus nobis fue- „ rit potius, quam ante sæcula in naturæ „ di-

Digitized by Google

„ divinæ substantia natus exstiterit: utque
„ omnia, quæ ipse in prophetis de corpora-
„ tionis suæ ac passionis sacramentis locutus
„ est, ipsa illa secundum præscientiam de
„ eo a Patre sint dicta. Itaque doctrinæ hu-
„ jus perversitas condemnatur: ut cognitus
„ nobis unigenitus Dei filius, natus potius
„ ex Patre ante sæcula, & ipsa sæcula cum
„ creaturis omnibus condens, quam prædesti-
„ natus sit esse gignendus „.

VI. „ Siquis substantiam Dei dilatari, &
„ contrahi dicit: anathema sit.

Cens. Hil. „ Contrahi & dilatari, corpo-
„ ralis est passio: Deus autem, qui spiritus
„ est, & spirat ubi vult, non se per demu-
„ tationem substantiæ aut dilatat, aut con-
„ trahit. Extra corporalis enim naturæ ne-
„ cessitatem liber manens, quod vult, &
„ cum vult, & ubi vult, id præstat ex se-
„ se. Impium ergo est, substantiæ demuta-
„ tionem libertati tantæ virtutis adscribe-
„ re „.

VII. „ Siquis dilatatam substantiam Dei fi-
„ lium dicat facere; aut latitudinem substan-
1 „ tiæ ejus, (1) sicuti sibi videtur, substan-
„ tiam nominet: anathema sit „.

1 Hæc dictio, *sicuti sibi videtur*, contra fidem Græci apographi intrusa est, quæ nullis in Græcis Codd. reperitur, neque in Cassiodori versione ex Epiphanio.

Cens. Hil. „ Superior sententia, etsi in-
„ demutabilem Deum docere voluerit, ad
1 „ hanc se tamen sequentem hæresim præpa-
„ ravit. Quidam enim ausi sunt (1) innasci-
„ bilem Deum usque ad sanctam Virginem,
„ substantiæ dilatatione procedere: ut latitu-
„ do deducta quodam naturæ suæ tractu as-
„ sumensque hominem filius nuncuparetur;
„ neque Filius ante sæcula perfectus Deus
„ natus, idem postea & homo natus sit.
„ Totum hoc itaque catholica fides damnat,
„ in quo & demutabilis Pater dicitur, &
„ natus Filius abnegatur „.

1 Hanc hæresim Sabellio tribuit ipsemet Hilarius lib. 1. de Trin. num. 16., & lib. 10. num. 50. eamdem refutat.

1 VIII. „ Siquis (1) insitum, vel prolati-
„ vum verbum Dei filium dicat: anathema
„ sit „.

1 Apud Cassiodorum legitur *affectivum*, quo vocabulo id vellent hæretici intelligi, Verbum Dei a Deo Patre prolatum Dei filium esse quodam voluntatis affectu, non vero natura. Filium Dei esse Verbum Patris *prolatitium* docuerunt Tertullianus, Lactantius, aliique ante Arianam hæresim Patres: qua de re, atque harum vocum *insiti* & *prolatitii* significatione, cum de Verbo Dei Filio usurpantur, vide Petavium lib. VI. de Trin. cap. 1., & 2.

Cens. Hil. „ Hæretici perimentes quan-
„ tum in ipsis est, Dei filium, verbum es-
„ se tantum confitentur, prodeuntem scilicet
„ loquentis ore sermonem, & (1) insubstan- 1
„ tivæ vocis incorporalem sonum: ut Deo
„ patri istiusmodi sit verbum Filius, cujus-
„ modi per insitam nobis loquendi naturam
„ verbum omne profertur in vocem. Fraus
„ ergo hæc omnis in damnatione est: quæ
„ Deum Verbum, quod in principio apud
„ Deum erat, tamquam verbum esse insitæ
„ ac prolatæ vocis affirmet „.

1 Vocabulum hoc antea a particula *in* divisum conjungendum esse monent hoc loco PP. Maurini: quod liquet ex lib. 10. de Trin. n. 21., ubi iidem hæretici arguuntur, *volentes unigenitum Deum..... non substantivum Deum esse, sed sermonem vocis emissæ*, &c. Sed de hoc vide, quæ fuse, ac erudite docet Petavius lib. 6. de Trinit. cap. 1. & 2.

IX. „ Siquis hominem solum dicit de Ma-
„ ria Filium: anathema sit.

X. „ (1) Siquis Deum & hominem de Ma- 1
„ ria natum dicens, Deum innascibilem sic
„ intelligit: anathema sit.

1 Recte in versione Latina distinctæ enuntiantur duæ propositiones, quæ in Græco exemplari perperam, corrupteque conjunguntur: quare hoc modo jure putamus esse corrigendum: εἴτις ἄνθρωπον μόνον λέγοι τὸν υἱὸν τὸν ἐκ Μαρίας: ἀνάθεμα ἔστω: huic vero probe respondet versio Latina primæ propositionis. Rursum: εἴτις λέγων, Θεὸν &c. Sed hic mendum subest voci illi ἀγένητον priori in loco positæ, cui ex eadem Latina versione hæc substituimus, & integram propositionem emendamus: εἴτις λέγων, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον τὸν ἐκ Μαρίας γενητὸν, ἀγένητον αὐτὸν ποεῖ, ἀνάθεμα ἔστω. Constat autem hæc distinctio etiam in Cassiodori exemplari, in quo altera propositio ita clarius enuntiatur: *Siquis Deum, & hominem ex Maria dicens, Deum ingenitum eumdem intelligit, anathema sit*.

Cens. Hil. „ Filium Dei de Maria non
„ prædicamus, nisi & hominem & Deum
„ prædicemus. Sed ne id, quod Deum, &
„ hominem prædicamus, fraudis habeat occa-
„ sionem, continuo subjecit: Siquis Deum,
„ & hominem de Maria natum &c. „

„ Conservatur substantiæ & nomen & vir-
„ tus. Cum enim in anathemate sit, qui ex
„ Maria Dei filium hominem sine Deo di-
„ xerit; & in eodem judicio sit, qui in ho-
„ mine innascibilem Deum dixerit: non Deus
„ is, qui in homine est, non esse Deus dicitur;
„ sed Deus innascibilis abnegatur, Patre a
„ Filio non naturæ nomine, quia nec (1) 1
„ diversitate substantiæ, sed sola innascibili-
„ tatis auctoritate discreto „.

1 In edit. Bad. corrupte legitur; *quia nec diversitate esset, sola*; corruptius in aliis edit., *quia nec diversitas esset, sola*.

XI. „ (1) Siquis quod dictum est, *Ego Deus* 1
„ *primus, & ego Deus novissimus, & præter*
„ *me*

„ *ne non est Deus*, ad destructionem idolo-
„ rum dictum & eorum qui non sunt dii,
2 „ in destructionem (2) unigeniti ante sæcula
„ Dei Judaice dictum intelligat: anathema
3 „ sit. (3)

1 Hanc propositionem, quæ in versione Hilarii ordine, ac numero est tertia supra vigesimam, hic censuimus esse aptius locandam ad fidem Græci exemplaris.

2 In excusis, & mss. *unici*; in Colbert. & Germ. mss. *quasi Judaice intelligens*: vulgatæ editiones præferunt; *Judaice dictum intelliget*: sed ad Græci exemplaris, *dictum* abrade, & corrige *intelligit*.

3 Clarior exstat hæc propositio apud Cassiodorum, quam idcirco putamus tum Græco Socratis, tum Latino Hilarii exemplari præferendam: *Siquis illud, quod scriptum est. Ego Deus primus, & ego postea, & præter me non est Deus; cum in destructionem idolorum non existentium dictum sit, ad destructionem magis Unigeniti ante sæcula Dei, Judaice percipit, anathema sit*.

Cens. Hil. „ Deorum numerositate damna-
1 „ ta (1), & Deo tantum uno prædicato, ne-
„ gari Deus filius Dei non potest. Verum
„ naturæ istud præstat genuina proprietas,
„ ut nomen, quod negatur ad numerum, de-
„ beatur essentiæ; & id, quod *non est Deus*
„ *præter me*, non possit Filio auferre quod
„ Deus est: quia Deus alius, præterquam
„ qui ex Deo est, nullus est. Et per hanc
„ vocem Dei patris non potest non Deus
2 „ esse, qui ex (2) se indifferenti ad natu-
„ ram suam est natus essentia. Quod idcirco
„ Judæi ad unionem Dei referunt, quia uni-
„ genitum Deum nesciunt. Sed nos cum duos
„ deos negamus, diversitatem in Patre & Fi-
„ lio naturalis abominamur essentiæ: quia
„ id, quod *non est Deus præter me*, impiam
„ de falsis diis perimit opinionem. Cum ve-
„ ro unum Deum confitentes, Filium quo-
„ que Deum dicimus, nihil diversum per
„ substantiam in utroque sub uno nomine
„ prædicamus „.

1 Licet hæc locutio *Deorum numerositate damnata* videatur esse referenda ad superiorem propositionem, in qua ordine vicesima secunda damnatur, qui *Patrem & Filium & Spiritum Sanctum tres dicit Deos*; & hinc de loco dimoveri nequeat, quem obtinet in versione Hilarii; potest tamen hic recte aptari tota propositio, & ejus locutionis vis ad propositionem secundam congrue referri, in qua anathemati subjicitur, qui *Patrem & Filium duos dicit deos*, eoque melius, quod Hilarius huic propositioni nullam censuram apposuerit.

2 Pronomen *se* adjectum est auctoritate mss. Colbertini, & Germani.

Johan. 1, 14. XII. „ Siquis *Verbum caro factum est* audiens,
„ Verbum in carnem translatum putet, vel
1 „ demutationem (1) sustinentem accepisse
„ carnem; anathema sit.

1 Adjectivum Græcum ὑτομεμεκότα proprie refertur substantivo λόγον: quare Græcæ dictioni hæc versio respondet; *vel cum demutationem sustinuerit*, seu *demutatione affectum accepisse carnem* &c.: docebant enim eo tempore quidam hæretici, Verbum Dei, cum caro factum est, humana anima assumpta, in ipsam defecisse, atque ita Divinitate minutum una cum anima *carnem accepisse*; ut idem Hilarius perspicue docet lib. 10. de Trinit. num. 50. *Defecisse omnino Deum Verbum in animam corporis volunt, ut non idem fuerit Jesus Christus hominis filius, qui & filius Dei; & de se defecerit Deus Verbum, dum corpus officio animæ vivificat*.

Cens. Hil. „ Conservatur dignitas (1) di- 1
„ vinitatis: ut in eo, quod Verbum caro fa-
„ ctum est, dum Verbum caro fit, non a-
„ miserit per carnem quod erat Verbum, neque
„ translatum in carnem sit, ut Verbum esse
„ desineret; sed Verbum caro factum est,
„ ut caro potius hoc inciperet esse (2) quod 2
„ Verbum. Alioquin unde carni in operibus
„ virtutes, (3) in monte gloriam, in cogita- 3
„ tionibus humanorum cordium scientiam, in
„ passione securitatem, in morte vitam? Sed
„ demutationem Deus nesciens, nihil ex sub-
„ stantiæ suæ bonis caro factus amisit „.

1 Id est, substantia Divinitatis.

2 Non ut caro esse desineret, sed ut Verbi potentiæ, gloriæ, aliarumque dotum consors facta, divinitatis in se esprimeret naturam, cujus virtutes ostenderet: quo sensu constat Hilarium hæc scripsisse ex lib. 1, de Trinit. num. 18., ubi ait; *Filius nunc caro factus orabat, ut hoc Patri caro inciperet esse quod Verbum; ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus quæ sine tempore est claritatis acciperet; ut in Dei virtutem & spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio absorberetur*.

3 In omnibus pæne Codd. legitur *in morte*; sed hæc locutio retinenda videtur, *in monte*, ad fidem Colbert. ms., & Sorbon., cum illa dictio *in morte* paullo inferius inepte repeteretur; & præterea cum iis congruit hic locus, quæ Hilarius idem scribit lib. 10. de Trinit. num. 23. *Naturæ propriæ ac suæ corpus illud est, quod in cælestem gloriam conformatur*.

XIII. „ Siquis unicum filium Dei crucifixum
„ audiens, dealitatem (1) ejus corruptionem 1
„ vel passibilitatem aut demutationem vel
„ demutationem vel interfectionem sustinuis-
„ se dicat: anathema sit.

1 *Dealitatis* vocabulum deest in græco Socratis exemplaris, sed in Codice Leonis Allatii, & apud Athanasium in libro de Synodis legitur expressum; ut notat Valesius ad lib. 2. Socr. in cap. 30.

Cens. Hil. „ Absolute ostenditur, cur
„ Verbum, licet caro factum sit, non tamen
„ translatum fuerit in carnem. Cum enim
„ hæc passionum genera infirmitatem carnis
„ afficiant, Deus tamen Verbum caro factus
„ non potuit a se (1) demutabilis esse pa- 1

„ tiendo. Non enim idipsum est, pati & „ demutari: quia omnem carnem passio cu- 2 „ jusque generis demutet sensu, dolore, (2) „ tolerantia. Verbum autem, quod caro fa- „ ctum est, licet se passioni subdiderit; non „ tamen demutatum est passibilitate patiendi. 3 „ Nam pati (3) potuit, & passibile esse non „ potuit: quia passibilitas naturæ infirmis si- „ gnificatio est: passio autem est eorum quæ 4 „ sint illata perpessio: quæ (4) quia inde- „ mutabilis Deus esl, cum tamen Verbum „ caro factum sit, habuerunt in eo passionis „ materiam sine passibilitatis infirmitate. „ Manet itaque indemutabilis etiam in pas- „ sione natura; quia auctori suo indifferens 5 „ (5) ex impassibilis essentiæ nata substan- „ tia est „.

1 In edit. Bad. *se demutabilis*: ex Mir. & mss. additur *a se*; hoc est, quantum ad naturam suam attinet, licet demutabilis non negetur, quantum ad carnem assumptam.

2 In vulgatis edit. adjicitur vocabulum *patientia*, quod abest omnibus mss.

3 Ita præferunt mss.: in cæteris edit. *pati quidem potuit passione, sed passibilitate passibilis esse non potuit.*

4 In vulgatis, *itaque quia*, & *passiones materiam*: melius in mss. *quæ*: hoc est, quæ illata sunt, quia Deus Verbum caro factus est, habuerunt in eo passionis materiam, ex cujus affectione passus esse prædicaretur; sed habuerunt tamen sine passibilitatis infirmitate, quia idem indemutabilis Deus est. Neque aliud hic sibi vult Hilarius, quam quod in Psal. 68. num. 9., licet aliis verbis, ait: *Non fuit in unigenito Deo naturalis infirmitas, sed assumpta*; & rursum num. 18. *Cunctæ nostræ, quæ in eo fuerunt, infirmitates non naturales sunt, sed assumptæ*: quod perinde est ac si diceret; Infirmitates ita in Verbi personam cadunt propter assumptam carnem ipsi substantialiter unitam, ut Verbi ejusdem naturam non afficiant. Hoc quippe passibilitatem vocat, quod naturam afficit; passionem autem, quod personæ attribuitur. At passio non attribuitur Verbo, nisi quia afficit carnem, quam assumpsit; & ut proxime docuit; *omnem carnem passio cujusque generis demutat sensu, dolore, tolerantia*; ne carne quidem Christi excepta: non sentit igitur Christum secundum carnem a dolore immunem. Et certe hic perspicuum est, eum uni Verbo hoc privilegium vindicare. Hæc pro Hilario PP. Maurini in nota censuræ subjecta.

5 Aliæ edit., *& impassibilis*, particula *quia*, & verbo *est* omissis; quæ Codd. auctoritate suo loco redduntur.

Genes. 1. 26. XIV. „ Siquis, *Faciamus hominem*, non Pa- „ trem ad Filium dixisse, sed ipsum ad seme- „ tipsum dicat Deum locutum; anathema sit.

Genes. 18. XV. „ Siquis Filium non dicat Abrahæ vi- 1 „ sum (1), sed Deum innascibilem, vel (2) 2 „ partem ejus; anathema sit.

1 Integra hæc propositio deest in Græco exemplari Epiphanii, & Socratis lib. 2. hist. eccl. cap. 18. edit. Vales., & apud Cassiodorum. Vide, quæ de hoc *anathematismo*, & insequentibus duobus adnotaturi sumus ad anathem. XVIII.

2 Vulgatæ omnes editiones & hic, & in sequenti, ac vicesima prima juxta Hilarii versionem propositione præferunt *patrem* contra fidem mss., & significationem Græcæ vocis μέρος.

Genes. 32. 24. XVI. „ Siquis cum Jacob non Filium, quasi „ hominem colluctatum, sed Deum innasci- „ bilem vel partem ejus dicat: anathema sit.

Genes. 19. 24. 1 XVII. „ Siquis (1), *Pluit Dominus a Domino*, non de Filio, & Patre intelligat, sed „ ipsum a se pluisse dicat: anathema sit. „ Pluit enim Dominus Filius a Domino Pa- „ tre,

1 Hoc testimonio e cap. 19. Genes. producto Patres bene multi Trinitatis mysterium asseverant adversus Judæos, ac Sabellianos: est autem hujusmodi vers. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem a Domino de cœlo.* Quibus verbis volunt Dei Filium significari, qui a Patre pluerit: atque hoc sensu, inquit Petavius lib. 2. de Trinit. cap. 7., *Sirmiensis synodus Arianorum non solum interpretata est, sed aliter etiam exponentibus, anathema dixit* &c.

Cens. Hil. „ Hæc quia Photinus, adver- „ sus quem tum conventum erat, negabat, „ inserenda fidei fuerunt: ne quis auderet „ non ante Dei filium quam virginis filium „ prædicare, & superiora omnia, quæ pro- „ pria Dei filio sunt, stultissima hæreticæ „ insaniæ perversitate Deo innascibili coapta- „ ret; & dum hæc ad Patrem referret, Fi- „ lio substantiam denegaret. Quæ quia abso- „ luta sunt, necessitatem nobis interpretandi „ non reliquerunt „.

XVIII. „ Siquis Dominum (1) & Dominum 1 „ Patrem & Filium (quia *Dominus a Domino*) „ duos dicat Deos: anathema sit. Non e- „ nim (2) exæquamus vel comparamus Fi- 2 „ lium Patri, sed subjectum intelligimus. „ Neque enim descendit in Sodomam sine „ Patris voluntate, neque pluit ex sese; sed „ *a Domino*, auctoritate scilicet Patris; nec „ sedet in dextera a semetipso, sed audit „ dicentem Patrem, *Sede ad dexteram me-* „ *am* (3). 3

1 Integra hæc propositio & verbis confusa, & sensu obscura accuratius est expendenda: & verba quidem Latinæ versionis in diversis editionibus diversa leguntur in prima propositionis parte. Editio enim Bad. hæc verba exhibet; *Siquis Dominum & Deum non Patrem, & Filium intelligat; quia Dominum & Deum duos dicat deos: anath.*; Erasmus vero, & Miræus ita locum hunc primo edi-

de-

Digitized by Google

derunt: *Siquis Dominum & Deum non Patrem & Filium quasi Dominum a Domino intelligat: quia Dominum & Dominum duos dicat deos: anath.*; novis deinde typis recusa eorum editio cum Bad. consensit. At Lipsiensis, & Parisiensis alia editio in hunc modum ea verba exhibent; *Siquis Dominum, & Dominum Patrem & Filium, quasi Dominum a Domino intelligat: quia Dominum & Dominum duos dicat Deos: anathema sit:* alia vero: *Siquis Dominum & Dominum non Patrem & Filium intelligat, cum Dominum & Dominum duos dicat deos: anathema sit.* In vetusto Codice Colbertino legitur: *Siquis Deum & Dominum Patrem & Filium, qua Dominum a Domino, duos dicat deos: anath.*; cui locutioni, inquiunt Monachi Maurini, *favet Facundus Hermianensis lib. 10. cap. 6., ubi Hilarii hæc versio mendose exhibetur.* Sed in nova Facundi editione a Sirmondo vulgata locutio eadem exhibetur longe diversa; *Et iterum; siquis Deum non Dominum Patrem, & Filium quasi Dominum a Domino, duos dicat deos; anathema sit:* licet in subjecta nota Sirmondus ipse moneat, hunc locum ita esse corrigendum, *Dominum & Dominum, Patrem & Filium* &c.; & subdit:, *favent huic lectioni Codices alii mss. plures ut videre est in nova editione S. Hilarii in lib. de Synodis seu de fide orientalium.* Qua diversitate Græcum exemplar consulere opus est, ut, qui sit verus hujus locutionis sensus, congrue, tutoque discernamus: sed & illud non uno, eodemque verborum contextu editum est in Socrate, & Athanasio. Sic enim Græce exhibetur apud Athanasium: Εἴτις ἀκούων κύριον τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν κύριον, καὶ κύριον τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν (ἐπεὶ κύριος ἐκ κυρίου) δύο λέγοι θεούς: ἀνάθεμα: *Siquis audiens dominum patrem, & filium dominum, & dominum patrem & filium (quasi dominus a domino) duos dicat deos: anathema;* quod Maurini PP. præferre malunt Socratis exemplari, utpote quod mendis scateat. Sed ab Henrico Valesio ad fidem Græcorum Codd. Florentino, & Sfortiano, ut ipse fatetur in notis subjectis cap. 30. lib. 2. Socraticæ Hist., accurate emendatum, & in Tomo 2. Venetæ Concil. edit. recusum, non adeo discrepat ab Athanasiano illo, quod tamen Valesius ibidem, ceu *simplicius, rectiusque* commendat, ut ex utroque nequeat genuina tandem hujusce propositionis sententia colligi, ac certo definiri. Est autem hujusmodi superius jam exscriptum: Εἴτις ἀκούων κύριον τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν κύριον, καὶ τὸν κύριον τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν κύριον, καὶ τὸν κύριον τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν εἴποι, καὶ κύριος ἐκ κυρίου λέγων λέγοι θεούς, ἀνάθεμα ἔστω: cui, inani horum verborum repetitione sublata, καὶ τον κύριον τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν κύριον, quæ typographi incuria in Venetam editionem irrepsit, hic sensus inest: *Siquis audiens dominum patrem, & dominum filium, et dominum patrem et filium dicat, et dominus a domino dicens duos dicat deos: anathema sit.* Hinc & ex Athanasii exemplari adempta particula ἐπεὶ, *quasi*, omnino otiosa, utriusque exemplaris sententia apprime concordat, obscurius in Socrate expressa per inserta hæc verba, *Et dominum patrem et filium dicat*, quæ tamen æquo jure non sunt expungenda. Quæ ex utroque confecta hujus propositionis emendatio Cassiodori quoque testimonio, atque auctoritate probatur, qui ex versione Epiphanii ita eamdem sententiam Latine exhibuit: *Siquis audiens Dominum Patrem, aut Filium Dominum, et Dominum Patrem et Filium, et Dominus a Domino dicens, duos asseruerit Deos, anathema sit.* Ii autem hoc anathemate notantur, qui, cum in testimonio superius prolato e cap. 19. Gen. intelligerent & Patrem & Filium *dominum* appellari, duos esse Deos impie docebant.

2 Nunc de sensu integræ propositionis quæstio est; quam, licet auctores hujusce formulæ suspecti essent corruptæ Ariano dogmate religionis, Hilarius non dubitavit explicare, atque defendere, quippe contra Photini errores necessario cæteris insertam; ubi primum adverte in prioribus Hilarii editionibus pro verbo illo *comparamus* legi *conformamus*, & in Græco nostro σῶμα pro σῶδμα typographi mendo excusum fuisse; licet enim Cassiodorus quoque eamdem vocem σῶμα ab Epiphanio versam legerit, ita integrum sensum interpretatus: *neque enim descendit in corpus sine Patris voluntate;* retinendum tamen omnino est vocabulum σῶδμα, quo hæc pars propositionis ad superiorem refertur numero decimam septimam. Igitur ambigua hic sententia est, qua *Filius non exæquatur vel comparatur Patri, sed subjectus intelligitur;* quam si ad mentem Hilarii declarare velimus, hujusmodi erit Catholicus propositionis sensus: quod nimirum Filius *sit obsequio subjectus et nomine; ita tamen ut subjectio nominis, proprietatem naturalis, atque indifferentis testetur essentiæ.* Illud enim assidue Ariani jactabant Paulli testimonium in prima ad Corinth. epist. cap. 15. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei:* ex quo id consequi manifesto arguebant, Divinam Christi naturam Patri esse subjectam, hinc nec Patris naturæ exæquandam. Sed illa Paulli sententia de humana Christi natura a plerisque Patrum, atque Theologorum solet explicari; quæ tamen si Christo Deo, ejusque Divinitati tribuatur, nullo negotio Catholicæ doctrinæ potest aptari; scilicet, utor Petavii verbis ex lib. 2. de Trin. cap. 3. exscriptis, *at Hilarius, qui lib. 11. de Trinit. non aliam subjectionem Filii, quam ad auctorem, & principium comparatæ sobolis, agnoscit. Necnon Cyrillus in Thesaur. lib. 29., qui hanc subjectionem non inferioris, aut inæqualis esse dicit, sed ejusmodi qualis ea fuit, quæ in prim. Genes. indicatur, cum Pater Filio dixit; Faciamus hominem; atque alia id genus, quæ non ad æqualitatem substantiæ, sed ad proprietatem pertinent personarum, ait Augustin. quæst.*

quæst. 69. de Gen. Sic igitur in beato illo statu post resurrectionem subjectus dicetur Patri Filius, quia per hunc Pater sanctis vitam, immortalitatem, gaudium, ac reliqua omnia communicabit. Vide quæ plura disserit idem Petavius in lib. 3. cap. 3. & 4. adversus Crellium, & neotericos Photinianos eadem, quæ olim Ariani, argumenta impie refricantes in Divinitatem, ac divinam Christi naturam. Hoc itaque modo Sirmiensium Patrum explicata sententia nulli obnoxia censuræ esse potest; si tamen & ea, quæ subsequuntur, cum Catholica veritate conveniant: nam Filium quidem a Patre missum docuerunt antiqui Patres, & primis Hebrææ gentis conditoribus, Abrahamo, Jacob, Isaaco, aliisque visum corpoream in speciem; de quo fuse, doctissimeque Petavius disputat in altero cap. lib. 8. de Trinit. Et *hinc Filium Dei Angelum appellari, quod a Patre identidem mitteretur*, ait eximius sane hic Theologus, & quintam ac sextam supra decimam propositionem hujusce Formulæ producit ad id comprobandum: *Eamdem etiam fuisse liquet Præsulum illorum sententiam, qui apud Sirmium contra Photinum concilium habuerunt anno* 351. *Ubi & Fidei professionem ediderunt cum anathematismis, hoc est damnatione dogmatum aliquorum, quæ a Photino, aliisque jactari solebant..... Isti, inquam, quod Ariano dogmati consentaneum erat, cujus erant participes, solum veteribus Patriarchis non solum conspectum fuisse, sed etiam posse conspici Filium decreverunt: Patrem vero nullo modo posse.* Et recte hasce propositiones appellat Ariano dogmati consentaneas, quo ii Præsules erant infecti; cum inde Ariani colligerent, *in Filio nescio quid agnosci, cur videri possit: Patrem vero non modo visum esse nunquam, neque per sese, neque per objectam imaginem; sed neque posse videri* subdit citato in loco idem auctor; hinc *Patrem proprie ἀόρατον, invisibilem esse dicebant; ut & solum verum, & immutabilem: Filium neque verum, neque immortalem, neque mutationis expertem: ex quo diversæ hunc ab illo naturæ, conditionisque faciebant.* Hæretica igitur infectum labe horum Patrum conventum, hæreticum in hisce propositionibus eorumdem animum, ingeniumque fuisse probe advertit, monetque Petavius; & ita descriptæ, editæque fuerunt, ut Arianum quidem scelus, venenumque celarent, sed possent æque Catholico dogmati absque ulla verborum mutatione facillime accommodari: æque enim invisibilis Filius ac Pater, nihil tamen ille habet in sese, *cujus gratia sensibilem sui formam, ac figuram objicere posse dicatur potius, quam Pater;* qui & ipse aliquando visus perhibetur ab Gregorio Nysseno, Ambrosio, Epiphanio, quorum doctrinam ibidem Petavius exponit. Idem autem de Filii missione statuendum est; quæ, uti a Petavio definitur *missionis* nomen cap. 1. lib. 8., non solum æternam, intimamque Filii ex Patre originem, sed *externam etiam efficientiam* significat, quæ uni illi, quæ mitti dicitur, personæ tribuitur. Constat enim ex utroque missio, cum hoc nomen in theologicis de Trinitate disputationibus usurpatur: „ Et missio quidem in „ eo qui mittit, ἀξίωμα, id est, dignita„ tem, sive auctoritatem inesse testatur ..... „ Hoc illud est ἀξίωμα, quo Patrem Filio, „ & Spiritu Sancto priorem esse, & ex iis „ hunc illo posteriorem, ac tertium a Patre „ Basilius affirmat lib. 3. contra Eunomium „ in eo loco, quem supra diligenter expo„ suimus. Nam Filium ideo auctoritate se„ cundum esse ait a Patre, quoniam princi„ pium & causa, ut sit, Pater ipsi est. „ Quam auctoritatem, dignitatemve nihil a„ liud esse, quam principii notionem, & „ originem, fides Catholica tradit &c. Vide cætera, quæ illo in cap. Petavius persequitur. Queis ita declaratis, nihil est profecto, cur propositio illa in erroris suspicionem vocetur; quippe *voluntate* Patris, atque *auctoritate* Filius *Sodomam descendisse*, idemque recte dicitur *a Domino pluisse de cælo;* hæc enim originis *subjectio* est, non divinæ in Filio imminutio naturæ, qua ὁμοούσιος est Patri: & in hoc non *comparatur*, nec *æquatur* Filius Patri; quia ex ingenito Patre genitus & *causam* ab illo, *ut sit*, habet, & ejusdem originem naturæ. Idem propterea, & germanus est sensus postremæ illius dictionis; *Nec sedet in dextera a semetipso, sed audit dicentem Patrem*, Sede ad dexteram meam. Veterum enim Theologorum, ac Patrum fere omnium opinio est, per dexteram Patris gloriæ, honoris, majestatis, potentiæ æqualitatem designari; ita Athan. orat. 2. cont. Arian. Basilius lib. de Spir. Sanct. cap. 6., August. lib. de agone Christi cap. 26., & lib. de fide & symb. cap. 7, illa verba Psal. 109. interpretantur; in quibus imperandi auctoritas *principii notionem, & originem* denotat, cujus vis non *a semetipso*, sed a Patre & naturæ ejusdem originem accipit, & æqualitatem majestatis; quamvis non diffitear, huic quoque sententiæ Arianum virus subesse facile posse, verborum condimentis oblitum, & fraude Sirmiensium Patrum callidissime obtectum; Ariani enim, teste Basilio in lib. de Sp. S. cap. 6., *dexteram Patris* supremum esse inter creaturas locum perhibebant Paulli auctoritate ex epist. ad Eph. cap. 1. producta. Sed quæ tandem fuerit eorumdem Patrum sententia in hisce sanciendis decretis, & necesse quidem erat, ut adversus Photini, de quo quæstio, judiciumque instituebatur, atque Sabellii errores ea condemnarentur, & verbis ac sensu ejusmodi profecto sunt, ut a Catholica veritate minime abhorreant.

3 in Græco Athanasii & Socr. exemplari subjicitur, ἀνάθεμα ἔστω: quæ verba sane supervacanea sunt; cum novus hic anathematismus non sit, sed quædam proxime antecedentis explicatio.

Cens. Hil. „ Et superiora & consequen„ tia suspicionem, siquæ esse in his dictis „ vi-

„ debitur, penitus excludant, ne diversitas „ dissimilium deitatum in domino & domino prædicetur. Et in eo non comparatur, „ quia duos deos dici impium sit: non autem idcirco non comparatur vel exæquatur „ Filius Patri, ne Deus ipse non esse credatur. Cum enim anathema sit Christum „ Deum denegans, non potest idcirco profanum videri, duos deos connominari, ne „ & Christus Deus prædicetur; cum per essentiæ naturalis proprietatem idcirco Deus „ unus est, quia ex innascibili Deo patre, „ qui unus est Deus, unigenitus filius Deus „ natus, non aliunde quam ex Deo habeat
I „ esse quod Deus est: & indifferenti ejus (1) „ qui genitus est ab eo qui genuit essentia, „ non potest non indifferentis unum nomen „ esse naturæ. Et vel in eo quidem maxime non comparatur nec coæquatur Filius „ Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est, dum pluit Dominus a Domino, ne a se ipse secundum Photinum aut „ Sabellium pluerit, ut Dominus a Domino; dum ad dexteram Dei tum consedit, „ cum sibi ut consideret dictum sit; dum „ mittitur, dum accipit, dum in omnibus „ voluntati ejus qui se misit obsequitur. Sed „ pietatis subjectio non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem efficit naturam: cum per id, quod cum & „ innascibilis pater Deus est, & unigenitus „ Filius Dei Deus est, Deus tamen unus „ sit, & subjectio filii doceatur & dignitas,
2 „ dum & ipsi (2) illi nomini Filius nuncupandus subjicitur, quod cum Dei patris „ sit, tamen sibi ex natura sit nomen. Habens nomen, sed ejus cujus & filius est, „ fit Patri & obsequio subjectus & nomine; „ ita tamen, ut subjectio nominis, proprietatem naturalis atque indifferentis testetur „ essentiæ „.

1 In vulgatis editionibus legitur: *Et indifferenti ipsi qui genitus est, ab eo qui genuit, non potuit esse: nam indifferenti unum nomen est naturæ*. Hæc autem subjicit Hilarius, ut explicet, quo sensu recte dicatur Filius non esse Patri coæquandus: in quo iniquæ fidei convincitur anonymus quidam de Calvini grege natus, qui tum ob hujus, tum ob tertii Anathematismi commodam interpretationem Hilarium a Catholico dogmate alienum cum hæreticis adnumerandum esse pronuntiat. Quidnam porro huic censuræ inest erroneum, quid Catholicæ veritati repugnans? & si obscurior fortasse videri possit ejus scribendi ratio, clarior fiet ex iis, quæ in lib. *de Trin. num.* 11. magis accurate disseruit: *Deum nasci non est aliud, quam in ea natura esse, qua Deus est: quia nasci cum causam nativitatis ostendat, non disproficit tamen in genere auctoris existere*. Ex quo infert num. 12. adversus Arianos, qui in medium prolatis Christi verbis ex cap. 20. Joan. *Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum, & ad Deum meum & ad Deum vestrum*, communem nobiscum Filio & *creationem ad naturam, & subjectionem, & servitutem* tribuebant; *hujus igitur piæ ac debitæ professionis modum ita in omnibus, quæ locutus est, Dominus temperavit, ne divinitati suæ contumeliam confessio nativitatis afferret, ne obsequii religio naturam majestatis offenderet*. Quæ sane cum iis, quæ in censura pronuntiat, apprime congruunt: eaque utitur verborum forma, qua, Petavio teste, cæteri Patres eo tempore Arianum dogma sermone, ac scriptis oppugnarunt: ait enim Petavius lib. 2. de Trin. cap. 2. de illo Hil. testimonio: *Ibi generis nomen eodem sensu, quo Cyrillus, accepit, cum ὁμογενὲς, & ἑτερογενὲς usurpat: est autem illa Cyrilli, Basilii, aliorumque ratio (nam & complures ea usi sunt, ut suis locis ostendimus) ad retundendos Arianos aptissima, si ita conformetur, non esse consequens saltem, ut si Pater Filio, qua genitus est hic ab illo, major sit, continuo non sit ὁμοούσιος*. Multo tamen iniquiorem se se in Hilarium ostentat Anonymus iste, quod noluerit certe in ea animum advertere, quibus in ipso censuræ initio monet Hilarius, huic Anathematismo nonnullam inesse suspicionem erroris, quam *& superiora, & consequentia excludunt*, queisque omnem a se calumniæ intentandæ ansam depellit: sed id fortasse calumniatori non placuit in Hilarii sententia, Filium scilicet αὐτόθεον ab illo non prædicari, ut suæ partis homines, Calvino, ac Beza magistris, non dicunt modo, sed etiam pessime sentiunt. Vide rursum Petavium in lib. 6. cap. 11. de Trinit. adversum illos ingeniosissime hac de re disceptantem.

2 In vulgatis: *Dum ei ipsi nonnisi Filius nuncupandus subjicitur. Quod cum Dei Patris sit, tamen sibi ex natura sit, nomen habens alienum, sed ejus cujus & filius est, ut sit* (in Bad. *& sit*) *Patri & obsequio* &c. Hic catholica totius propositionis habetur explicatio; cum enim Patrem & Filium Dominum & Dominum vocant, utrique tribuunt unum naturæ nomen: hinc & in lib. 5. de Trinit. num. 14. dixerat Hilarius: *Si in Filio natura non sit, naturæ non competit nomen; si autem naturæ in eo nomen est, non potest ab eo veritas abesse naturæ*. Præterea dum ita Dominum & Dominum vocant, ut nolint esse duos deos, sequitur Patrem & Filium unum esse Deum: ita tamen unum, ut alium Patrem, alium Filium nuncupent, qui proinde filii nomine sic ostenditur subjectus, ut eodem nomine testetur propriam sibi esse ipsam Patris substantiam. Hæc Maur. PP. in not. subjecta.

XIX. „ Siquis Patrem & Filium (1) unam I
„ personam dicit: anathema sit.

1 Deest *& Spiritum Sanctum*, quæ dictio a Cassiodoro quoque exprimitur, & paullo superius in continuata totius formulæ prolatione: attamen Hilarius videtur, duas tantum personas *Patrem*, & *Filium* respexisse, ut in subjecta censura manifesto apparet: qua-

Digitized by Google

qua tamen causa id factum, aliquod ne mendum irrepserit, divinari nefas.

Cens. Hil. „ Non habet necessitatem contradicendi sibi absoluta perversitas: & tamen stultus quorumdam furor in id prorupit, ut personam unam duum nominum ausus sit prædicare „.

XX. „ Siquis Spiritum-Sanctum paracletum dicens, innascibilem Deum dicat: anathema sit.

Cens. Hil. „ Adjectio nunc Paracleti, anathemati obnoxiam facit innascibilis in eo Dei prædicationem. Impiissimum enim est, (1) innascibilem Deum eum dici, qui ad nostram consolationem missus est „.

1 Negat Hilarius, Spiritum Sanctum *Deum innascibilem* dici posse, & anathematismi hujus sententiam probat, eo quod vox ἀγέννητος *innascibilis* in pravum sensum ab hæreticis detorqueretur ita, ut vel duos Patres in Trinitate, vel duos qui ab alio quopiam non ducunt originem, dogmate prædicarent. Quare veterum Patrum complures, ut venenum, „ quod sub istis latebat vocibus, evitarent, neutrum, ἀγέννητον scilicet, vel ἀγένητον, maluerunt Spiritui Sancto tribuere, medium quiddam inter utrumque illi assignantes, τὸ ἐκπορευτόν: ut Gregorius Nazianzenus Orat. 37. „ inquit Petavius lib. 7. de Trinit. cap. 14., qui recte probat, ἀγεννησία vocabulum Spiritui Sancto convenire. Vide S. Thomam Opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 8., a Petavio ibidem citatum.

XXI. „ Siquis, sicut docuit nos Dominus, 1 non alium dicat (1) Paracletum a Filio; dixit enim, Et alterum Paracletum mittet 2 vobis Pater, quem rogabo ego (2): anathema sit.

1 Mendose legitur λέγειν pro λέγει in Græco, in quo & vox κύριος, vel Θεὸς deest verbo ἐδίδαξεν.

2 Apte ad Græcum exemplar, & Codicum fidem: in vetustis editionibus legebatur, *quem vocabo eum*.

Cens. Hil. „ A Filio Paracletum missum meminimus, & in principio hoc fides ipsa exposuit. Sed quia frequenter Filius per indifferentis naturæ virtutem opera sua opera Patris esse dixit, dicens, *Ego opera Patris mei facio*: missurus quoque Paracletum, sicuti frequenter spopondit, interdum eum & mittendum dixit a Patre, 1 dum omne quod ageret pie referre (1) est solitus ad Patrem. Ex quo hæretici occasionem frequenter arripiunt, ut ipsum esse Filium Paracletum dicant: cum in eo, quod alium Paracletum mittendum a Patre sit precaturus, differentiam missi roganti sique significet.

1 Salva tamen naturæ suæ æqualitate: hinc idem Hilarius in Psal. 138. n. 28. subjicit; „ Contestatam de se potestatem per reverentiæ honorem ei, cui omnia meminerat confitenda, subjecit, non sibi adimens quod similia Patri posset, sed eum, per quem similia posset, ostendens „. Vide ejusdem Tract. in Psal. 141. n. 6.

XXII. „ Siquis Spiritum Sanctum partem dicat Patris vel Filii (1): anathema sit. 1

1 In Græco particula καὶ conjunctiva ponitur aptius, quam in Latina versione particula *vel* disjunctiva.

Cens. Hil. „ Stultitia hæretici furoris hæc coegit in scripta referre, non quæstio. Nam cum Spiritus-Sancti nomen habeat suam significationem, & Spiritus-Sanctus paracletus habeat substantiæ suæ & officium & ordinem, & cum ubique indemutabilis Pater & Filius prædicetur: quomodo pars esse aut Patris aut Filii Spiritus Sanctus asseritur? Sed quia sicut inter cætera insaniarum genera, etiam hoc quoque proferri ab impiis solet, idcirco a sanctis debuit improbari „.

XXIII. „ Siquis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum tres dicat Deos: anathema sit.

Cens. Hil. „ Duum deorum professio cum irreligiosa sit, quia nusquam nisi unum Deum prædicatum meminerimus & prædicemus, quanto magis trium deorum in Patre, & Filio, & Spiritu-Sancto nuncupatio damnabilis est? Quod tamen quia hæretici dicunt, recte catholici condemnant.

XXIV. „ Siquis voluntate Dei tamquam unum aliquid de (1) creatura Filium factum 1 dicat: anathema sit.

1 In exemplari Græco, *unum de creaturis filium Dei*.

Cens. Hil. „ Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit: sed naturam Filio dedit ex impassibili ac non nata substantia perfecta nativitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia esse Deus voluit; Filius autem natus ex Deo talis substitit, qualis & Deus est. Nec dissimilem sui edidit naturam: sed ex substantia Dei genitus naturæ secundum originem attulit, non secundum creaturas, voluntatis essentiam.

XXV. „ Siquis nolente Patre natum dicat Filium: anathema sit. Non enim nolente (1) Patre coactus Pater, vel naturali 1 necessitate ductus, cum nollet, genuit Filium; sed mox voluit (2), sine tempore 2 & impassibiliter ex se eum genitum demonstravit.

1 Dictio hæc *nolente Patre*, quam Erasmus e sua editione abraserat, ad fidem Græci exemplaris, & vetustæ Bad. editionis, & codicum omnium retinenda.

2 Mir. Lips. & Paris. editio post Erasm. *mox ut voluit*: sed integra pæne hujus propositionis versio indiget emendatione: abest enim

Digitized by Google

enim ab Græco exemplari particula *vel*. Hæc porro verba ἀὖθις ὡς ὐκ ἤθελεν ἐγέννησε τὸν υἱὸν, ἀλλ' ἅμα τε ἐβελήθη, hoc sensu reddenda sunt Latine; *rursum, cum nolebat, genuit Filium, sed simul ac voluit*; quæ vero sequuntur, ita interpretamur; *& extra temporis mensuram omnem, et impassibiliter ex se ipso ipsum genitum demonstravit; anathema sit*. Hinc habe: *Siquis nolente Patre natum dicat Filium: anathema sit. Non enim nolente Patre, coactus Pater, naturali necessitate ductus, rursum, cum nolebat, genuit Filium, sed simul ac voluit, et extra omnem mensuram temporis, et impassibiliter ex se ipso ipsum genitum demonstravit: anathema sit*. Placuit tamen Valesio corruptum Socratis exemplar ad formam emendare, qua hæc sententia in lib. Athanasii de synodis nitidius, veriusque legitur expressa: scilicet ut, his vocibus μὴ βελομένυ τῦ πατρὸς rejectis, scribendum sit; ὁ γὰρ βιαθεὶς ὁ πατὴρ ὑπὸ ἀνάγκης φυσικῆς ἀχθεὶς, ὡς ὐκ ἠδέλχτεν, ἐγέννησε τὸν υἱὸν: *non enim coactus pater naturali necessitate ductus, quasi cum noluit, genuit Filium*: quæ quidem versio Hilarianæ conformior cum Epiphanii quoque versione consentit, quæ est hujusmodi apud Cassiodorum: *Non enim invitus, et vim passus Pater necessitate naturali, quasi nolens, genuit Filium*. In hac autem propositione attendamus oportet diligenter, Sirmienses Patres per synonymas dictiones, nimirum *nolente Patre, coactus Pater, naturali necessitate, cum nolebat*, quamlibet pæne necessitatem ita Deo Patri denegare in generando Filio, ut latenter insinuent, æque liberum ad utrumque fuisse; quod Ariano dogmati cohæret; cum Arii sententiam secuti & impium facinus ejus assectatores docuerint, Dum Patrem *decreto quodam liberæ voluntatis ita produxisse Filium, ut neque ex æterno, neque naturaliter, atque ex ipsa illius substantia procederet*; inquit Petavius lib. 6. de Trin. cap. 8., sed *voluntate et consilio ante tempora substitisse*; quæ ipsissima sunt Arii verba in epistola ad Eusebium Nicomediensem, & Alexandrum Alexandriæ Episcopum scripta: unde sequeretur, *Filium non esse ϰυριάδιον coæternum Patri; quasi media inter utrumque voluntas intercederet; ut Athanasius Orat. 4. Gregorius Nyssenus lib. 7. cont. Eunomium, Cyrillus dial. 2. ac cæteri testantur*; tradit ibidem Petavius. Sed præstat integram ejus censuram exscribere, qua citato in loco num. 3. hunc canonem notavit. „ Quo in canone hæ„ reticorum licet indolem, ac morem cogno„ scere, qui ut virus suum clam, & latenter „ insinuent, falsam opinionem suam cum ejus, „ quæ apertiorem, ac damnatam ab omnibus „ impietatem habet, detestatione sententiæ so„ lent exponere: quemadmodum Valens, & „ Ursacius, qui creatum a Patre Filium es„ se credebant, non hoc simpliciter in Ari„ minensi Concilio promulgare ausi sunt; „ sed subdole id, quod vulgo invidiosum e„ rat, adjecerunt: Non esse creatum a Pa„ tre Filium, sicut cæteras creaturas, quo„ niam in creaturarum cæterarum ordinem „ revocare Dei Filium, id plane impium, „ atque exsecrandum est. Ita etiam Sirmien„ ses isti Patres, cum & voluntate libera „ Patris genitum esse vellent Filium, sci„ rentque naturaliter, & ex substantia ipsa „ dici eumdem a Catholicis esse productum, „ non ab invito tamen, coactove; hoc po„ sterius sumpserunt, damnaruntque qui di„ cerent, nolente, & invito Patre prodiisse, „ quo minus offensionis haberet, Patrem vo„ luntate sua genuisse dicere „. Quo autem modo Pater voluntate Filium genuerit, tum de naturali ejusdem Filii generatione, deque variis hac in re Catholicorum, atque hæreticorum sententiis, ac locutionibus, vide Petavium ipsum citato in loco pro argumenti dignitate fuse, docteque disputantem.

Cons. Hil. „ Cum non ex voluntate, ut „ cætera, Filius subsistere (1) doceretur, ne 1
„ secundum voluntatem tantum, non etiam „ secundum naturam haberet essentiam, data „ hæreticis occasio videbatur, ut necessita„ tem Deo Patri gignendi ex se Filii ad„ scriberetur, tamquam naturæ (2) lege co- 2
„ gente invitus ediderit. Sed hæc passionum „ non est in Deo Patre conditio: cum (3) 3
„ inenarrabili & perfecta nativitate Filii, „ nec voluntas sola genuit Filium, nec de„ mutata aut coacta imperio naturalis legis „ essentia est. Nec ad gignendum quæsita „ substantia est; nec gignentis in genito di„ versa natura est, nec in tempore paterni „ nominis solitudo: sed ante tempora omnia „ Pater ex naturæ suæ essentia, impassibili„ ter volens, Filio dedit (4) naturalis nati- 4
„ vitatis essentiam „.

1 „ Hilarius, *subdit Petavius censuræ a „ nobis superius exscriptæ*, qui in libro de „ Synodis professiones illas Arianorum, quæ „ nonnullam speciem pietatis haberent, pro „ Catholicis commendavit, ut recentem e Sir„ mio blasphemiam refelleret, istam etiam „ contra Photinum illic alias editam proba„ vit, & pie est interpretatus. „ Probat igitur, Filium voluntate genitum fuisse, sed ita, ut nihilominus *naturaliter, & ex ipsa substantia sit ortus*; ut notat ibidem Petavius; qui num. 12. Theologice docet, „ na„ turæ id esse proprium, quatenus opposita „ est libero, & ad utrumque facultatem ha„ benti, uti vim omnem exerceat, & quan„ tum potest, enitatur in agendo. Ut si i„ gnis voluntate esset præditus, siquidem „ naturali actione propagaret ex sese alterum „ ignem, naturam omnem suam, & quidquid „ in se habet, in eum generando transfunde„ ret „. Hinc etsi voluntate Pater genuerit Filium, necessario tamen genuit necessitate naturæ, quæ a coactione libera est; & hoc sensu explicata Sirmiensium Patrum propositio ad mentem Hilarii Catholicæ veritati consensit: *quare* pergit Petavius, *tametsi voluntate genitum a Patre Filium non-*

Digitized by Google

nulli antiquorum dixerint, quia naturalis eadem est illa productio, aequalitatem, ac τὸ ὁμοούσιον amborum inter se nihilominus retinet. Idem porro Hilarius aliis in locis generationem Filii voluntati, vel charitati, & omnipotentiæ Patris adscripsit, ut in lib. 3. de Trin. docet, Filium sic esse productum, *ut voluit, qui potuit, ut scit, qui genuit;* & in lib. 6., *genitum a Patre Filium omnipotentiæ suæ virtute* non ambigit. Hinc patet aperte, quo Hilarius spectet, cum *sponte*, ac *voluntate*, non *necessitate* genitum esse a Patre Filium affirmet; ita tamen, ut *naturaliter*, hoc est, ex ipsa Patris substantia prodierit: quod negabant hæretici. Monachi Operum S. Hilarii editores contendunt, eo sensu Filium dici genitum *voluntate*, quo in eodem lib. de Syn. num. 17. ad alteram Sirmiensis Fidei formulam, & in lib. 12. de Trinit. num. 50., generationem Filii *creationem* appellari permittit, *ad removendam scilicet omnem Patris in Filii generatione passionem aut repugnantiam:* unde in censura quoque huic Sirmiensium canoni subjecta hæc verba usurpavit; *hæc passionum non est in Deo Patre conditio;* impassibiliter volens, Filio dedit naturalis nativitatis essentiam.

2 In vetustis edition., *naturali lege coactus, invito se* &c.

3 Golbert. & Germ. Codd., *cui*.

4 Corrupte in cæteris edition., *nativitatem essentiæ*.

1 XXVI. „ Siquis innascibilem & sine ini-
„ tio (1) dicat Filium, tamquam duo sine prin-
„ cipio, & duo innascibilia & duo innata di-
„ cens, duos faciat Deos: anathema sit. Ca-
2 „ put enim, (2) quod est principium omni-
„ um, Filius; caput autem, quod est prin-
„ cipium Christi, Deus: sic enim ad unum
3 „ (3) ininitiabilem, omnium initium, per
„ Filium universa referimus „.

1 Subdola hæc quoque propositio est, & ambiguæ obnoxia interpretationi: etenim vox illa ἄναρχος, quam Hilarius Latine reddit *sine initio, sine principio*, a Græco nomine ἀρχὴ derivatur; in hujusce autem nominis notione stabilienda, tota olim inter Catholicos, & Arianos quæstio agebatur. Et duplex quidem huic voci subest significatio, altera nimirum, inquit Petavius lib. 5. de Trinit. cap. 5., *ut sit principium, a quo aliquid oritur, quocumque id modo fiat, sive in tempore, sive ex omni æternitate, dum ab aliquo originem capiat;* & hoc sane modo Deus Pater ἀρχὴ ab æterno est *coæterni, consubstantialisque* Filii, qui ἄναρχος propterea, ac principii expers esse nequit, quatenus Pater comparatur ad Filium; *est id, ex quo*, κατὰ μόνον τὸ ἐξ οὗ, inquit Cyrillus lib. 1. in Joan. Altera ἀρχῆς significatio ea est; *ut sit initium existendi, quando res, quæ antea non erat, esse jam incipit:* atque hoc sane modo non est ἀρχὴ Filii Pater, sed ἄναρχος uterque: sic etenim idem ἄναρχον dicitur, quod æternum, eique opponitur, quod ἀρχὴν, seu principium habet. Hinc cum Arianis eadem esset ἀγεννησία, atque ἀναρχία significatio, *tamquam nihil habere principium possit, quod sit æternum; neque principii vis alia sit, quam ut ab eo fiat aliquid, quod antea non erat;* in suspicionem jure vocatur Sirmiensium Antistitum propositio, qui & ἀγέννητον quidem, & ἄναρχον esse Filium negant.

2 Nec ambigua minus, atque fraudis suspecta parent ea, quæ insequuntur, & ad Græcum exemplar ita oportet Latine reddi: *Caput enim est, & principium omnium Filius: caput autem Christi Deus:* namque, ut in lib. 3. de Deo disputat Petavius, *Filius peculiari modo principium dicitur τῶν ὅλων, quoniam idea est, & exemplar, sive ars divina, qua Pater universa molitur;* qua tamen parte Deus, & Patri ὁμοούσιος, ac συγκλίδιος est; cum vero *caput Christi Deum* esse dicimus, sicut *caput mulieris est vir*, juxta testimonium Paulli 1. Cor. 11. 3., Filium, quatenus homo est, designamus; atque hoc sensu Paulli sententiam interpretatur Ambrosius lib. 4. de Fid. cap. 4., unde diversa fit in utraque dictionis parte principii significatio. Ita enim Deus Filius τῶν ὅλων principium est, ut sit initium existendi rebus, quæ antea non erant; ita Deus Pater caput, ac principium Filii, qua Deus est, ut idem Filius perfectam, atque absolutam æque naturæ ac æternitatis cum Patre communionem servet: quo revera fit, ut unius partis ad alteram in illa dictione comparatio nequeat institui, nisi utriusque vis, ac sensus perspicue declaretur. Præterea scito, illud Pauli testimonium tum ab Arianis, tum a neotericis Photiniani dogmatis sectatoribus impudentissime contra Christi Divinitatem jactari; de quo consule alterum Petavii librum de Trinit. cap. 3., & tertium itidem librum cap. 4.

3 Et hic Græco exemplari minime respondet versio Latina, quæ debet hujusmodi esse: *Sic enim ad unum ininitiabile universorum principium, per Filium pie cuncta referimus.* Sed quid illa ἀρχὴ μία, quæ nobis obtruditur? notæ sunt enim de *unico principio*, seu de *monarchia*, Arianos inter atque Catholicos controversiæ; cum illi ad μοναρχίαν omnia revocari oportere adeo contendebant, Eusebius in primis Cæsaræensis contra Marcellum scribens, ut, tradit Petavius lib. 7. cap. 10. n. 11. de Trinit., *Filium idcirco ejusdem cum Patre substantiæ, & æqualem ei profiteri nollent, ne duo principia cum antiquis hæreticis viderentur adstruere.* Hinc μίαν ἀρχὴν hoc sensu usurpabant, ut *unicus*, & *singularis* Patris *principatus*, seu *dominatus* exprimeretur: Catholici contra Patris μοναρχίαν commendari, eique μίας ἀρχῆς notionem præcipue tribui ita volebant, ut in illo *principii unitas*, & *singularitas* intelligenda sit, quatenus unicum principium Pater est, ad quem Filius & Spiritus Sanctus tamquam au-

Digitized by Google

auctorem, causamque referuntur, ea scilicet ratione, quam in nota priore ex Petavio descripsimus. Licet enim, pergit citato in loco Petavius, *personæ sint plures, iisque, & simul, & singillatim sumptis efficientia rerum omnium, & potentia, adeoque principii ratio congruat: ad unam tamen originem hæc ipsa redigitur: quia Filius, & Spiritus Sanctus non a se hoc habent, ut principium sint, sed a communi stipite;* quod Patrum, ac veterum Theologorum testimoniis tum hic, tum in lib. 4. cap. 15. commendat, & probat. Sed vides, quanta hisce Sirmiensium Patrum decretis, atque *anathematismis* similitudo intercedat cum Arianorum sententiis, atque definitionibus, quanta iisdem insit verborum ambiguitas, quam diligenti, & accurata explicatione indigeant, ut Catholico dogmati accommodari queant.

Cens. Hil. „ Filium innascibilem confiteri, impiissimum est. Jam enim non erit „ Deus unus: quia Deum unum prædicari „ natura unius innascibilis Dei exigit. Cum „ ergo unus Deus sit, duo innascibiles esse „ non possunt: cum idcirco Deus unus sit, „ (cum & Pater Deus sit, & Filius Dei „ Deus sit) quia innascibilitas sola penes „ unum sit, Filius autem idcirco Deus, quia „ ex innascibili essentia natus existat. Respuit ergo innascibilem Filium prædicari „ fides sancta; ut per unum innascibilem „ Deum, unum Deum prædicet: ut naturam „ unigenitam, ex innascibili genitam essen- „ tia (1), in uno innascibilis Dei nomine „ complectatur. Caput enim omnium Filius „ est; sed caput Filii Deus est. Et ad u- „ num Deum omnia hoc gradu, atque hac „ confessione referuntur: cum ab eo sumant „ universa principium, cui ipse principium „ sit „.

1 In mss. codd. *essentiam:* habes vero ex notis, quæ opus sunt, ut Hilarii mentem, sententiamque dignoscas.

XXVII. „ Et iterum confirmantes Christia- „ nismi intellectum, dicimus, Quoniam siquis „ Christum Jesum Filium Dei ante sæcula
1 „ subsistentem, (1) & ministrantem Patri „ ad omnium perfectionem non dicat; sed „ ex quo ex Maria natus est, ex eo & Fi- „ lium, & Christum nominatum esse, & „ initium accepisse, ut sit Deus: anathema
2 „ sit (2) „.

1 Aliter reddi latine debet hæc sententia, ut Græco exemplari cohæreat; nimirum, *Siquis Christum Jesum Filium Dei ante sæcula subsistentem ministratum fuisse Patri ad universorum creationem non dicat* &c. Hoc autem *anathematismo* Photini dogma præcipue multatur, in cujus impietatem, & vesanam doctrinam hæc Fidei formula a Concilii Patribus descripta, & per Orientis Ecclesias divulgata fuit. De ministerio a Filio præstito in rerum creationem, vide notam subjectam anathematismo III.

2 Deest Latinæ versioni hæc conclusio, quæ legitur in Græco Socratis exemplasi, ὡς ὁ Σαμοσατεύς; & in Latina Socratis ejusdem editione a Valesio vulgata ita vertitur, *sicut Samosatenus asserebat:* sed Paullus quidem Samosatenus asseruit, Dominum Jesum merum hominem fuirse, minimeque Deum, ac Dei natura Filium credidit, uti & Photinus; hujusce tamen dictionis sensus est; *anathema sit, sicut est Samosatenus*, Ita autem & Epiphanius vertit apud Cassiodorum.

Cens. Hil. „ Concludi damnatio ejus hæ- „ resis, propter quam conventum erat, ex- „ positione totius fidei, cui adversabatur, „ oportuit: quæ initium Dei Filii ex partu „ Virginis mentiebatur. Hoc enim fidei no- „ stræ secundum evangelicam, & apostolicam „ doctrinam principale est, Dominum no- „ strum Jesum Christum Deum & Dei Fi- „ lium a Patre nec honoris confessione, nec „ virtutis potestate, nec substantiæ diversi- „ tate, nec intervallo temporis separari „.

Photini damnatione exorta est Sirmiensium seditio, quorum animos æque infecerat pestifera doctrinæ lue, ac sibi devincire mentita oris, sermonis, atque consuetudinis affabilitate studuerat; neque a se avelli pastorem vi armisque sinebant, quem lupum non noverant agni pelle contectum. Quare Photinus licet Episcopi illum cohortarentur, ut, hæresi abjurata, propositæ fidei formulæ adhæreret, polliciti etiam suæ Sedi eum redditurос, civium fretus benevolentia & auxilio Constantium adiit, qui tum in Pannoniis, & Sirmii morabatur bellico adversus Magnentium apparatui intentus, & se inique de gradu depositum conquestus est, ac ab Imperatore judices deligi supplex petiit, & causæ suæ disceptatores, ut abrogato Episcoporum judicio, suæ Ecclesiæ integer restitueretur. Electi a Constantio acto doctrina, & dignitate in Aula illustriores, Thalassius, Datianus, Cerealis, Taurus, Marcellinus, Evanthius, Olympius, & Leonteus, qui præessent, & sententiam ferrent; atque Basilio Episcopo Ancyræ datum disputandi negotium adversus Photinum, tuendique Concilii decreta. Additi etiam Scribæ, qui Acta disputationis exciperent, *Anysius Imperatoris minister & Calicrates Exceptor Rufini Præfecti*, *Olympius*, *Nicetas*, *Basilius*, qui erant a memoria, id est *Memorarii*, quorum munus erat excipiendi leges & rescripta, duoque alii pro Basilio Ancyrano *Eutyches & Theodulus*. Hæc Epiphanius hær. 71. ex quo reliqua de hac controversia ab eo narrata exscribo; *Fuit haud medioeris illa cum Basilio suscepta disputatio. Sed nequissimæ mulierculæ more, quæ fucis colorem adulterat, sententias in disputando nonnullas injiciebat, quas a sensu veritatis abhorrentes depravata sua intelligentia corruperat. Sed sermonis calliditate, ac loquendi facilitate ad sui auditorumque deceptionem apprime instructus, illud etiam jactare arrogan-*

Photini cum Basilio Ancyrano disputatio,

ter ausus est, centum se Scripturæ testimoniis suam opinionem esse probaturum. Multi enim adversus illum in certamen descenderunt, ut in Actis collationis cum Basilio reperimus. Actorum autem paullo post, inquit Epiphanius, *tomus unus obsignatus ad Imperatorem Constantium missus est, alius penes Synodum, cui Basilius præerat, remansit; tertium perinde obsignatum apud se Comites habuerunt, ubi tota illius dogmatis expositio continebatur.* Itaque, uti liquet ex Sozomeno lib. laudato, *cum disputatio ob varias utriusque interrogationes longius protracta esset, Notariis eorum sermones excipientibus, victoria penes Basilium stetit, Photinus vero exsilio damnatus.*

& exsilium,

Quo in loco exsulaverit, nulli produnt illorum temporum Scriptores; opinionem vero suam tueri nunquam destitit obstinatior. Mortuo Constantio, & Juliano ad Imperium evecto, qui Jesu Christi Dei veritatem, & religionem perfide insectatus est, Photinus illius gratiam nactus, cum ejus hæresis Juliani impietati esset apprime consentanea, ab exsilio ad liberam vitæ exercitationem rediit, suosque errores per summam impudentiam jactare, & quovis posset studio docere perrexit. Exstat inter opera Juliani adversus Christianos fragmentum epistolæ ad Photinum, qua blasphemos ejusdem sensus in Deitatem Christi commendat, & Diodorum Tarsensem, a quo Photinus oppugnatus fuerat, contumeliis lacessit; & hic illam subjicere necessarium duco ad integram Photini historiam.

a quo revocatur jussu Juliani Imp.

Fragmentum Epistolæ Juliani Apostatæ ad Photinum.

Hujus ad Photinum epistola,

„ Tu quidem, o Photine, verisimilis videris, & proximus salvare, benefaciens
1 „ nequaquam (1) in utero inducere, quem
2 „ credidisti Deum. Diodorus (2) autem
3 „ Nazaræi magus, ejus pigmentalibus (3)
„ manganes acuens irrationabilitatem, acutus
„ apparuit sophista religionis agrestis. *Et*
„ *paullo post.* Quod si nobis opitulati fuerint dii & deæ & musæ omnes, & fortu-
4 „ na; ostendemus (4) infirmum, & corruptorem legum, & rationum, & mysteriorum paganorum, & deorum infernorum;
„ & illum novum ejus Deum Galilæum,
„ quem æternum fabulose prædicat, indigna
„ morte & sepultura, denudatum confictæ a
5 „ Diodoro deitatis. *Sequitur.* Iste enim (5)
„ malo communis utilitatis Athenas navigans, & philosophans imprudenter, musicorum participatus est rationem, & rethoris confectionibus odibilem adarmavit linguam adversus cælestes Deos, usque adeo
„ ignorans paganorum mysteria, omnemque
„ miserabiliter imbibens, ut ajunt, degenerum & imperitorum ejus Theologorum piscatorum errorem. Propter quod jamdiu
6 „ est, quod ab ipsis (6) punitur diis. Jam
„ enim per multos annos in periculum con-
„ versus, & in corruptionem thoracis inci-
„ dens, ad summam pervenit supplicium.
„ Omne ejus corpus consumptum est. Nam
„ malæ ejus conciderunt, rugæ vero in alti-
„ tudinem corporis descenderunt, quod non
„ est philosophicæ conversationis indicio, si-
„ cuti videri vult a se deceptis, sed justi-
„ tiæ pro certo, deorumque pœnæ, qua per-
„ cutitur competenti ratione, usque ad (7) 7
„ novissimum vitæ suæ finem asperam &
„ amaram vitam vivens, & faciem pallore
„ confectam. „

NOTÆ.

1 Impius nimirum apostata absurdum ducebat, Deum hominem fieri: quod tamen divini prorsus consilii, divinæque sapientiæ fuisse docet D. Cyrillus lib. VI. adversus eumdem Julianum; Deo quippe alia inest, atque hominibus rerum existimatio: *Imaginarium*, inquit, *sapientem virum agis, o strenue; & quod nos magnificamus, id etiam Deum putas magnificare. Ignoras autem omnino, quantum intersit, & quantum divina gloria excelsa sit, quamque sint cogitationes nostræ angustæ.* *Verisimilem* vero Photinum appellat, quippe qui Divinitatem Christo abstulerit; sed illum omnino non probat, quia & a Christo perpetratam hominum salutem, & veram esse Christi religionem hæreticus homo profiteatur. Quare Julianus in opere adversus Christianos a se conscripto Photinum quoque reprehendit; ut constat ex ejusdem operis fragmento, quod Cyrillus Alexandrinus profert, atque refutat in lib. VIII. pro Christiana religione adversus Julianum. Ibi enim dementissimus homo tres Deos a nobis adorari stolida ratiocinatione contendens, hæc subjungit: *Verum ego hoc ostendam quod ipsi dicant, testem adhibens Joannem dicentem: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Vides, quod apud Deum esse dicitur, sive is, qui ex Maria natus, sive alius quispiam sit, ut interim & Photino respondeam, differt nihil.*

2 Diodorus Presbyter primum Antiochenus, & anno 378. Episcopus Tarsensis, pietate, doctrina, religionis opere, ac scriptis tutandæ ardore celeberrimus; quem Julianus insanis adeo conviciis, probrisque lacessit, utpote qui adversus Ethnicos, idolorumque cultores acriter & ingeniose eximium opus conscripserit; illud fortasse, inquiunt Tillemontius Tomo 8. Monum. Eccl. in vita Diodori, & Fabricius volum. 8. Bibl. Græcæ lib. 5. cap. 24., quod Theodorus Lector commemorat apud Suidam hoc titulo inscriptum; κατὰ Πλάτωνος περὶ θεοῦ, καὶ θεῶν; *adversus Platonem de Deo, & Diis;* licet Guillelmus Caveus in Hist. Litter. geminum opus distinguere visus sit, alterum *adversus Platonem*, alterum *de Deo & Diis;* nisi mendum insit verborum interpunctioni. Atque

Digitized by Google

que hoc opus est, quod Julianus innuit, hominem polito cæteroquin stylo excultum, & summo præditum ingenio, veluti agrestem sophistam redarguens. Hinc ante annum 363. fuisse illud a Diodoro exaratum necesse est, siquidem hoc anno Julianus miserrime periit.

3 *Pigmentalibus manganes*; num *mangonis?* id artificum genus est, quod in pingendis fuco, pigmentisque rebus quibusve versatur; unde *mangonizata oratio* dicitur in Thes. linguæ Latinæ, id est *fucata*, sed rudi, agrestique more, quo solent mangones: idque in Diodoro Julianus calumniabatur.

4 Innuit Julianus famosissimum opus, quod adversus Christianam religionem composuit; sive, ut inquit Hieronymus in epist. ad Magnum Oratorem, *adversus Christum evomuit, & juxta fabulas Poetarum suo se ense laceravit*. Scriptum fuit septem constans libris *in expeditione Parthica*, eodem Hieronymo auctore, id est an. 363., vel paullo ante, & an. 362., ut censet Tillemontius Tomo 7. Monum. Eccles. art. 33. de persec. Jul. cum is Antiochiæ degeret in illa expeditione apparanda occupatus. Quo fit, ut Diodori opus ante id temporis confectum fuerit; præsertim cum in hac epistola Julianus aperte significet, se de opere adversus nos conscribendo tantummodo meditari; *si nobis opitulati fuerint dii, & deæ ..... ostendemus infirmum, & corruptorem* &c. unde consequitur, hanc ad Photinum epistolam in an. circiter 361. esse rejiciendam, cum Julianus Imperium adeptus Christianæ religionis sacramenta publice ejuravit, & Diodori libros *de Deo, & Diis*, primos fuisse ejus ingenii fœtus, ac religionis, pietatisque labores.

5 Athenis enim Philosophiam, & politiores literat coluit Diodorus.

6 Impia hominis calumnia, qua in Deos vindices refert afflictam Diodori valetudinem, & pulmonum tabe pæne consumptam. Nam infirma quidem valetudine quotidie confici videbatur, sed qua de causa intelligimus ex oratione de Diodoro habita a Joanne Chrysostomo, cum ejus vitam describens hæc subjicit: *Non erat illi mensa, neque lectus, neque domus super terram; sed neque huic aliquando fuit. Et hujus rei nos testes sumus, qualiter omne tempus vixit, Apostolicam demonstravit vitam, nihil proprium habens, sed a sociis semper nutritus, ipse in oratione, & doctrina verbi permanens prædicabat*. Quare in alio de Diodoro sermone *martyrem vivum* sæpe illum appellat: *Vivus est enim iste martyr, & martyr, siquidem mortuus est sæpius proposito ..... mortuus est mortificans membra sua, & conculcans naturæ cupiditates in humano corpore, & Angelicam nobis demonstrans vitam*.

7 Ad annum circiter 392. vitam produxit Diodorus, ut Tillemontius autumat in ejus vita; & *in Ecclesiæ pace, plenus dierum, cum gloria magna defunctus est*; inquit Facundus Hermianensis lib. 4. cap. 2.

Verum an. 364. Valentinianus Imperium adeptus audaciam Photini non tulit impune, eumque exsulare iterum jussit; qui, cum in errore jam obduruisset, scriptis pluribus libris, an. circ. 376. impiam denique vitam impio quoque fine confecit. *Plura*, inquit S. Hieronymus lib. de Script. Eccl., *scripsit volumina, in quibus vel præcipua sunt, contra Gentes & ad Valentinianum libri*. Rufinus in Comment. in Symb. *Photinum hæreticum scio eatenus conscripsisse non ut rationem dictorum audientibus explanaret, sed ut simpliciter ac fideliter dicta ad argumentum sui dogmatis traheret*; & Sozomenus plures ab eo scriptos libros affirmat *tum Græco tum latino sermone, quibus excepta opinione sua, reliquas omnes falsas esse conabatur ostendere*.

Exsul iterum moritur.

Ejus scripta.

GERMINIUS EPISC. SIRMIENSIS VII.

Lupus Photino rapacior, & Semiarianorum fautor audacissimus huic Ecclesiæ extremam intulit vastitatem; & quo modo Sedem Sirmiensem arripuerit, hisce narrat S. Athanasius in epist. ad Solitarios: *Ipse*, de Constantio inquiens, *omnes, qui ante ipsum fuere sceleritate vicit novo excogitato persecutionis modo .... & quinquaginta Sedium Episcopos, & cum satellitio militari ad populos invitos submittit; qui pro mutua invicem cum populo notitia minas secum adferunt & diplomata ad judices. Ita enim Georgium e Cappadocia Alexandriam, ita Germinium e Cyzico Sirmium* &c. Deinde cum alios enumerasset scelerum merito, & commendatione præcipuos, subjungit, *Unaque cum eis Eustachius, qui nunc est Sebasteæ, Demophilus, Germinius, Eudoxius & Basilius patrocinio impietatis ad istas fortunas subvecti*. Igitur Germinius patria fostasse Cyzicenus, inde certe a Constantio evocatus, qui pravam hominis indolem noverat, ac regiis stipatus militibus, populo licet & Clero Sirmiensi invitis, semet in Episcopatum intrusit an. circ. 352. ac paullo post ejectum Photinum. Nec dici facile, aut credi potest, quot in urbe turbas exciverit, cum, ut ait Athanasius, Imperatoris jussa & edicta secum detulisset minarum plena, queis cogebantur Catholici, ut Arianos in sacrorum communionem reciperent; ipse vero ad ejurandam fidem Nicænam eos compellere adnitebatur vi ac cædibus, uti & Georgius eodem tempore crudeliter Alexandriæ similia perpetrabat, ut a feritate & odio hujusce fæcis hominum par est existimare. Erat is conjunctissimus Valenti & Ursacio, quorum alter Mursæ, alter Singiduni Episcopus, eique suo Metropolitæ parebat uterque; atque in unum tres scelus conveniebant abrogandæ Synodi Nicænæ, simulque damnandi Athanasii, qui pro ea, quovis metu posthabito, constantissime decertabat. Coacto itaque an. 355. Mediolani concilio jussu Constantii, ut de caussa Athanasii ageretur, cum ibi adessent Legati Sedis Romanæ, paullo post ipse interfuit Liberius Pontifex, tum Eusebius Episco-

Germinius Episc. Sirmiensis an. circ. 352.

Digitized by Google

Interest Conc. Mediolan. an. 355. & ejus ad Eusebium Vercell. Episc. legatio.

piscopus Vercellensis, aliique Catholicæ partis Antistites. Quare eo advolat & Germinius cum Urfacio, & Valente; sed quia Eusebius moras trahebat præsentiens animo, quæ in hoc conventu essent eventura, Germinius legatus ad illum missus est ab Episcopis, qui Mediolani jam versabantur, cum Synodica Epistola, ut eum ad Concilium impelleret, & quod foret decernendum, ac pro Ecclesiæ pace constituendum, subdole edoceret. Epistolæ Synodicæ hoc est exemplum ex Tomo 2. Concil. Venetæ edit. an. 1728. pag. 829.

1 „ (1) CONCILIUM MEDIOLANENSE
„ EUSEBIO FRATRI IN DOMINO
„ SALUTEM.

„ Non ignorat carissima nobis dilectio
„ tua, quam sit pretiosum vinculum caritatis & pacis, domine carissime frater. Et
2 „ quia hoc custodire nos, qui ecclesiæ (2)
„ catholicæ præsumus, divina Domini præcepta docuerunt, ideo plenum sanctitatis
„ & justitiæ arbitrati sumus, ut carissimos
3 „ coepiscopos nostros Eustomium (3) & Germinium, qui ad concilium convenimus,
„ ut ad dilectionem tuam pergerent, mitteremus, & omnia quæ aguntur patienter insinuarent, & patefacerent, ut nobis conjuncta fides tua pariter atque concordia ea
„ sequantur, & quæ Deo & unitati placeant
„ complectantur. Itaque sincerissima prudentia tua (quod specialiter & salubriter admonemus) audiat supradictos, & communicato pariter cum his consilio definiat
„ quod de nomine hæreticorum Marcelli &
4 „ Photini, nec non & Athanasii sacrilegi (4)
5 „ totus prope definivit (5) orbis, ne non
6 „ tam veritati quam (6) intentioni parere
„ videaris. Multa in litteris nos scribere
„ non oportuit; eos enim ad te misimus, qui
„ quod litteris nunc necesse non fuit comprehendi, ipsi rectius prosequantur. Quod si
„ alias quam optamus, caritas tua putaverit
„ esse faciendum, scito juxta ecclesiasticam
„ disciplinam id nos definituros, quod regula
„ evangelica jubet; nec nobis postea imputabis,
„ qui infinitam patientiam retinentes fratres
„ nostros memoratos ut ad te venirent deprecati sumus.

NOTÆ.

1 Legitimum Concilium nondum erat, absentibus Episcopis Catholicis, & Legati Sedis Apostolicæ detinebantur in carcere a Constantio.

2 Arianæ scilicet, vel Semiarianæ ecclesiæ, quas ii catholicas ajebant.

3 Al. *Eudoxium*, an is qui biennio post Episcopatum Antiochenum invasit? Sed ejus nomen abest a catalogo Episcoporum, qui in hoc Concilio adversus Athanasium sententiam tulerunt; corrige potius vel *Eusbymium*, vel *Eustbatium*, ibidem nominatos.

4 Nil mirum ab iis Athanasium dici sacrilegum, qui eorum temporum hæreses contra divinitatem Christi exortas qua voce, qua scriptis libris prorsus contrivit,

5 Orbis Arianus, cum pestis Ariana per universum fere Imperium impune grassaretur; nam orbis vere catholicus innocentiam Athanasii acerrime tuebatur,

6 Al. *contentioni*,

Germinius hoc munere perfunctus rediit Mediolanum, cumque Eusebius adhuc cunctaretur, illius potissimum fraude, ac aliorum hæreticæ factionis Episcoporum de Athanasio conclamatum jam fuerat, cum Episcopi numero viginti novem Ariani, & Dionysius Mediolanensis Antistes Catholicus, ab iis deceptus, Athanasii damnationi subscripsissent, ante quam Liberius aliique Patres Mediolanum advenirent; qui subinde Arianorum dolis detectis, eorum Conciliabuli decreta uno ore improbarunt, & nihil veriti Imperatoris præsentiam sententiæ in Athanasium latæ assentiri firmiter omnes abnuere. Tum in exsilium acti Liberius, Eusebius, cunctique divini Symboli Nicæni, & Athanasii fortissimi defensores, Arianis ignem ultorem irato Constantio subjicientibus. Exstat in citato Concil. Tomo pag. 829. syllabus Episcoporum, a quibus S. Athanasius in ea synodo condemnatus est; sunt vero *Cæcilianus*, *Valens*, *Ursacius*, *Saturninus*, *Eutbymius*, *Junior*, *Proculus*, *Marinianus*, *Probus*, *Gregorius*, *Victor*, *Vitalianus*, *Gajus*, *Paullus*, *Germinius*, *Evagrius*, *Epictetus*, *Leontius*, *Olympius*, *Trypbon*, *Dionysius*, *Acacius*, *Eustatbius*. *Rhodanus*, *Olympius*, *Patrophylus*, *Florentius*, *Synedius*, *Quintillus*, *Cupreus*; numero omnes triginta. Subscribit condemnationis S. Athanasii.

Post Mediolanensem Conventum Germinius aut Constantio comitem se adscivit cum Valente, & Ursacio, qui Imperatori ubique adhærebant, aut Sirmium reversus est, ubi a lacessendis Catholicis, suaque hæresi stabilienda nunquam destitit. Tum an. 357. aliud Sirmii Concilium indictum est Valentis & Ursacii potissimum opera, & Constantio annuente, qui ex Italia in Pannoniam ac Sirmium venerat. Quot convenerint Episcopi, difficile est definire, cum in hac historiæ ecclesiasticæ parte, quæ Concilia Sirmiensia attingit, eorumque formulas fidei, & Liberii Pontificis Osiique Cordubensis acta & vices, viri doctissimi æque ac eruditissimi in diversas fere omnes abeant sententias. Id certum ex Arianis ac Semiarianis Episcopis fuisse Synodum conflatam, & æque certo constat, unum molitos esse, ut Nicænam fidem novisque crebrisque impietatis ictibus concuterent, concussamque prosternerent, etiamsi suis ipsi adversarentur erroribus. In hoc Concilio edita est secunda Fidei formula Sirmiensis, quam Hilarius *Blasphemiam* vocat in lib. de Synodis, quamque hic primum inde describo. Concilium Sirmiense secundum.

EXEMPLUM BLASPHEMIÆ APUD SIRMIUM (1) PER OSIUM ET POTAMIUM CONSCRIPTÆ. 1 Et secunda Fidei formula Ariana.

„ Cum nonnulla putaretur esse de fide di-
„ sce-

Digitized by Google

„ sceptatio, diligenter omnia apud Sirmium
„ tractata sunt & discussa præsentibus san-
„ ctissimis fratribus & coepiscopis nostris,
2 „ Valente, Ursacio, & Germinio (2). Unum
3 „ constat (3) Deum esse omnipotentem &
4 „ patrem (4), sicut per universum orbem cre-
„ ditur, & unicum filium ejus Jesum Chri-
„ stum Dominum Salvatorem nostrum, ex
„ ipso ante sæcula genitum. Duos autem
Joan. XX. 17. „ Deos nec posse nec debere prædicari; quia
„ ipse Dominus dixit; *Ibo ad patrem meum*
„ *& patrem vestrum, ad Deum meum, & ad*
5 „ *Deum vestrum*. Ideo omnium Deus (5) unus
Rom. III. 29. 30. „ est, sicut Apostolus docuit; *An Judæorum*
„ *Deus tantum? nonne & gentium? Immo &*
„ *gentium, quoniam quidem unus Deus, qui ju-*
6 „ *stificat* (6) *circumcisionem ex fide & præputium*
„ *per fidem*. Sed & cætera convenerunt, nec
„ ullam habere potuerunt discrepantiam. Quod
7 „ vero (7) quosdam aut multos movebat de
„ substantia, quæ græce *usia* appellatur, id
„ est ut expressius intelligatur, *homousion*,
8 „ aut quod dicitur (8) *homœusion*, nullam
„ omnino fieri oportere mentionem, nec
9 „ quemquam prædicare (9) ea de caussa &
„ ratione, quod nec in divinis Scripturis
„ inveniatur, & quod super hominis scien-
„ tiam sit, nec quisquam possit generatio-
Is. LIII. 8. „ nem Filii enarrare, de quo scriptum est.
„ *Generationem ejus quis enarrabit?* Scire au-
„ tem manifestum est, quomodo genuerit
„ Filium suum, & Filius quomodo geni-
„ tus sit a Patre. Nulla ambiguitas est ma-
10 „ jorem esse Patrem. Nulli potest dubium
„ esse, Patrem honore, claritate (10), ma-
„ jestate & ipso nomine Patris esse majo-
Jo. XIV. 28. „ rem, ipso testante, *Qui misit me major me*
„ *est*. Et hoc catholicum esse nemo ignorat,
„ duas personas esse Patris & Filii, majo-
11 „ rem Patrem, Filium subjectum (11) cum
„ omnibus his, quæ ipsi Pater subjecit. Pa-
„ trem initium non habere, invisibilem es-
12 „ se, immortalem esse, impassibilem (12)
„ esse, Filium autem natum esse ex Patre,
„ Deum ex Deo, lumen ex lumine. Cujus
„ Filii generationem, ut ante dictum est,
„ neminem scire nisi Patrem suum. Ipsum
„ autem Filium Dei Dominum & Deum no-
„ strum, sicut legitur, carnem vel corpus,
„ id est hominem suscepisse ex utero Virgi-
„ nis Mariæ, sicut Angelus prædicavit. Ut
„ autem Scripturæ omnes docent, & præci-
„ pue ipse magister gentium Apostolus, ho-
„ minem suscepisse de Maria Virgine per
„ quem compassus est. Illa autem clausu-
13 „ la (13) est totius fidei & illa confirmatio,
Matth. XXVIII. 19. „ quod Trinitas semper servanda est, sicut
„ legimus in Evangelio; *Ite & baptizate*
„ *omnes gentes in nomine Patris & Filii &*
„ *Spiritus Sancti*. Integer, perfectus nume-
14 „ rus (14) Trinitas est. Paracletus autem
„ Spiritus per Filium est, qui missus venit
„ juxta promissum, ut Apostolos & omnes
„ credentes instrueret, doceret, sanctificaret.

NOTÆ.

1 Utrum & Osius Cordubensis Episcopus hanc impietatis formulam cum Potamio concinnaverit, infesius disquirendum.

2 Post Germinium additur *& aliis* apud Athanasium lib. de Synodis, & Socratem lib. 2. cap. 31. Hinc Maurini Opp. S. Hilarii editores suspicantur ea verba posse referri ad Imp. Constantium, qui præsens Concilio adfuerit. Sed hoc incertum; recte tamen arguunt, hanc Synodum medio saltem anno 357. habitam esse, ut aliquod temporis spatium intersit a Sirmiensi ad Ancyranum Conventum, quo Blasphemia Sirmiensis eodem anno reprobata est.

3 Ex Græco Athanasii & Socratis *constitit*.

4 Particula *&* deest in Athanasio & Socrate.

5 Ita & *unus*.

6 Ex potioribus mss. *justificavit*, in Græco *justificabit*.

7 Alii legunt, *quosdam haud multos*; in Græco *quosdam multos*. Cæterum plurimi fuere, qui & *homousion* contra Catholicos, & *homœusion* rejiciebant contra Semiarianos, iique Ariani omnes, tum alii ad evitandas vocum contentiones, sed qui haud recte sentiebant de Symbolo Nicæno.

8 In vulgatis editionibus *homousion quod dicitur aut homœusion*; in mss. quibusdam deest *aut quod dicitur homœusion*.

9 *Ea de caussa & ratione* convenit cum Græco textu Athanasii; alii perperam *ea de caussæ ratione*.

10 Athanasius *deitate*, pro *claritate & majestate*; & melius *Patrem deitate majorem Filio* ad horum hæreticorum sententiam, qua Filio divinitatem prorsus detrahere contendebant.

11 Athanasius, *subjectum Patri filium*.

12 Phœbadius in lib. contra Arianos ad has Formulæ voces subjungit, *Hæc ideo proponunt, ut contraria his Filio adscribant..... qui si initium habere probatur, merito mortalis, merito passibilis* crederetur; tum hæc verba reprehendit, Filium hominem suscepisse, *per quem compassus est*, perinde atque duo passi sint *homo susceptus* & *suscipiens Filius*. Hinc Athanasius in lib. de salut. adv. J. C. hasce duas propositiones distinguit; *per Deum in carne ejus passionem contigisse*, & hæc catholica est; *Deum per carnem passum esse*, & hæc hæratica.

13 In vulgatis *clavis recte clausula, summa, caput* ad Græcum Athan. textum.

14 In mss. *Paraclitus*, aut *Paraclytus*.

Erat tum Sirmii Osius Cordubensis fortissimus Nicæni Concilii defensor, quem nonagenarium, immo centenario majorem, inquit Sulpicius Sev. lib. 2., Constantius anno ante eo accersiverat, ratus confectum ærumnis, ac carceris squalore, posse tandem pertrahi in Arianorum societatem. Hunc Hilarius auctorem ait fuisse cum Potamio allatæ formulæ; & de Potamio Ulyssiponensi Episcopo ac

in-

Digitized by Google

inter Arianos scelestissimo nemo est qui ambigat, eique socios Ursacium & Valentem haud obscure adjungit Phœbadius; atque Osii lapsus. sius quidem vi tormentorum compulsus, & urgentibus Valente, Ursacio, & Germinio confirmavit sua subscriptione impietatem formulæ, lugubri & miserando casu, quo boni flevere omnes, & triumphum egit Ariana perfidia; etsi postea eum pœnituit erroris, & crimen ejurare, ac lacrymis delere nunquam destitit ad obitum usque an. circ. 358. Creditu tamen difficile est, adeo semet excæcasse inimicorum aut metu, aut fallaciis, aut blandimentis, ut auderet ipse blasphema dogmata dictare. Equidem Epiphanius hær. 73. & Vigilius Tapsensis lib. 5. contra Eutych. videntur sensisse cum Hilario; sed titulus ab eo præpositus Sirmiensi formulæ abest ab exemplaribus Athanasii & Socratis; multoque verisimilius putaverim, ab Arianis additum Osii nomen, quo tanti viri celebritas auctoritatem formulæ augeret, & nulla fraudis suboriretur suspicio in iis litteris, quæ Osium præferebant scriptorem. Ut ut res fuerit, Sirmiensis hæc formula purum putum Arianismum continet, & quæ est hæreticorum in quamlibet partem volubilitas, ubi malitiæ prosit, haud mirum esse debet Germinium quoque Semiarianum contra sententiam Arianis deliramentis adhæsisse.

Paullo post editam Sirmii alteram Fidei formulam, Episcopi, qui probaverant, illico & improbavere, visa enim est sibimet repugnans & sensibus adversa, omnique studio exemplaria recipere conati sunt, ne latius dispergerentur; & Constantius, quo dedecus nefarii facinoris a suis amoveret, jussit, gravi pœna proposita, ut quisquis eam scriptionem penes se retineret, aut occultasset, inquirentibus seu regiis, seu Antistitum administris traderent. Eodem tempore, an. 358. jam inito, Semiariani convenerunt Ancyram, quo Basilius urbis Episcopus *ad dedicationem Basilicæ a se constructæ multos vicinarum urbium Episcopos convocaverat*, inquit Sozomenus l. 4., & acto Conventu præter alia ibi sancita duodecim anathematismi adversus Formulam Sirmiensem confecti fuerunt eidem omnino contrarii, & data Synodica Epistola, missi etiam legati, qui Constantium adirent adhuc Sirmii commorantem, & a se in Concilio decreta palam exhiberent. Igitur, cum Tertium Concilium Sirmiense. Imperator eos honorifice excepisset, nova, eo annuente, indicta Synodus Sirmiensis, cui & Germinius adfuit cum Valente & Ursacio. Ibi a Legatis lecta est Epistola Ancyrana, qua nimium prolixa id tandem decretum erat *homousii* vocabulum prorsus esse rejiciendum, retinendam autem vocem *homœusii*; tum propositis quibusdam Fidei formulis alio tempore evulgatis, præcipue Antiochena adversus Paullum Samosatenum, & Sirmiensi in Photinum, cura omnis & sollicitudo Legatorum eo conversa est, ut Episcopi novæ formulæ Ancyranæ subscriberent, & anathematismos laudarent; summa hæc est, ut *omœusii* unica fides & voce & scripto ab omnibus probaretur; quod præstitere omnes; sic damnata & abolita Sirmiensi blasphemia, magisque firmata *Filii ad Patrem similitudine in substantia*.

Hæc dum gerebant tumultuose utraque Arianorum & Semiarianorum factio, adversis quidem inter se consiliis studiisque, sed evertendæ Fidei Nicænæ unice intenta, Liberius Pontifex Berrhœæ in Thracia exsulabat, Liberii P. defensio. eumque hoc anno, cum Sirmiensi Fidei Formulæ suam subscriptionem adjecisset, damnato quoque Athanasio, Romanæ Sedi fuisse restitutum a Constantio, communis hactenus viguit opinio hominum vel eruditissimorum; id Sirmii factum asseverant, sed de formula, cui assensus est, controvertitur. Agitatam tandiu de Liberii lapsu disputationem in apertum revocare, non est hujus loci; præsertim cum quatuor in primis doctrina & eruditione insignes viri Liberium tandem ab omni culpa, & vel levi culpæ suspicione liberaverint, illiusque in tuendo Nicæno Concilio, ipsoque Athanasio invictam constantiam meritis laudibus extulerint; sunt hi, Corgnius Canonicus Suessionensis in Gallia in Dissert. critica & histor. de Pontif. Liberii, Card. Ursius T. 6. Hist. Eccl. lib. 14., Franciscus Antonius Zacharia S. J. dissert. de commentitio Liberii lapsu tomo 2. Thes. Theol. & Antuerpiensis Hagiologus in vita S. Liberii Pontificis Tomo 6. Septemb. Boll.; tantaque est in singulis argumentorum vis & copia, ut prudens nemo queat contradicere, prudens quisque se convictum fateatur, Liberium neque Sirmium venisse, neque Arianis aut Semiarianis erroribus unquam consensisse. Hinc cum Severino Binio rejicienda ejusdem Liberii epistola ad Valentem, Ursacium & Germinium, ceu falsa, & ficta ab Ariano aliquo, ut Pontificis nomen inter suos gregales in triumphi speciem referret; cum in ea testetur, se Orientalium adhærere sententiæ de Fide, & Athanasii condemnationi, & Germinium aliosque oret, ut a Constantio sibi reditum impetrent ad Romanam Ecclesiam; etsi Nicolaus Faber, Maurini Patres tomo 2. Opp. S. Hilarii Fragm. 6., & Petrus Coustantius in lib. de epistolis Rom. Pontif. eam esse contendant legitimum Liberii fœtum.

Tot hæreticarum opinionum turbis & dissidiis, tot Arianorum Antistitum præsentia, auctoritate, dolisque agitabatur interea Ecclesia Sirmiensis ac Pannonia ferme universa, actore potissimum & duce Germinio suo Episcopo ac Metropolita, vixque Catholicæ Fidei signa & umbram retinebat; dum Ariani & qui pauci Sirmii Episcopi cum Germinio remanserant post Concilium an. 358., novum aliquid moliebantur anno insequente, Constantio Imperatore impietatis conscio, ac patrono, qui Sirmii constitit hyeme tota. Hi igitur Episcopi, qui pessum merumque Arianismum profitebantur, indigne ferentes secundam Fidei formulam Sirmii cusam opera Ancyranorum, qui legati Sirmium advenerant, fuisse tacite abrogatam, propositis Conventus Sirmiensis. atque

atque approbatis in Concilio anathematismis eidem adversis, in Conventum coaluere coram Constantio cum Presbyteris & diaconis pluribus, & tertiam formulam excogitarunt, qua vox *omousii* denuo ejecta est Arianorum gratia, immo & prætermissum vocabulum *omœusii*; sed ne Semiarianos lædere viderentur, decretum est, ut *Filius per omnia similis Patri secundum Scripturas* diceretur. Hæc est tertia Sirmiensis a Marco Arethusæ Episcopo descripta, & ab Episcopis atque a Constantio recepta; illiusque hic profero exemplar.

Tertia formula Sirmiensis.

Exposita est Fides Catholica in præsentia D. N. Constantii, Consulatu Fl. Eusebii, & Hypatii VV. CC. Sirmii a. d. XI. Kalend. Jan.

Credimus in unum solum & verum Deum Patrem omnipotentem conditorem opificemque omnium, & in unigenitum Filium Dei ante omnia sæcula & initia, & ante omne tempus quod in intellectum cadere potest existentem, & ante omnem comprehensibilem substantiam, natum impassibiliter ex Deo, solum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri suo, qui ipsum genuit, cujus *secundum Scripturas* generationem nemo novit nisi solus qui eum genuit Pater. *Hunc scimus unigenitum Dei Filium nutu paterno advenisse de cœlis ad demolienda peccata, genitum ex Maria Virgine, versatumque cum discipulis fuisse; & ubi omne officium dispensationis adimplevisset, secundum Patris voluntatem, crucifixum & mortuum esse, & ad inferos descendisse, atque ibi quod sui officii erat peregisse; quem janitores inferorum conspicati exhorruerunt, eumque tertio die ab inferis resurrexisse, & versatum cum discipulis fuisse, eumque ubi negotia sua absolverat, impletis quinquaginta diebus in cælos assumptum esse, & sedere ad dexteram Patris, & ultimis diebus resurrectionis venturum in gloria paterna, ut tribuat unicuique secundum opera sua. Et in sanctum Spiritum, quem Unigenitus promisit se missurum humano generi Paraclitum; quemadmodum scriptum est;* Vado ad Patrem meum, eumque rogabo, & alium Paraclitum mittet vobis, Spiritum veritatis; ille de meo arcipiet, & docebit vos omniumque admonebit. *Vocabulum porro substantiæ, quia simplicius a Patribus positum est, & a populis ignoratur, & scandalum affert eo quod in Scripturis non contineatur, placuit ut de medio tolleretur, & nullam postbac de Dei substantia mentionem esse faciendam, eo quod sacræ Scripturæ nunquam meminere substantiæ Patris & Filii. Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum sacræ litteræ dicunt & docent.*

Post hæc indictum a Constantio œcumenicum Concilium, ut demum tot sublatis Fidei formulis, per quas contentiones & schismata pæne continua in diversis adeo factiosorum hominum opinionibus enascebantur, immo in populis turbæ, seditiones ac cædes, Nicæno etiam Symbolo proscripto, omnino omnes Episcopi in postremam hanc Sirmiensem Ecthesin consentirent. Constantii consilio obstitere Germinius, Valens, Ursacius, veriti, ne in hoc totius orbis Episcoporum Conventu ea tandem definirentur, quæ eorum molitionibus, & iniquis consiliis exitio forent. Quare Imperatori suaserunt, ut duo cogerentur Concilia, alterum Seleuciæ, quo Orientales, alterum Arimini, quo Occidentales Episcopi convenirent, sperantes fore, ut divisos judices vel per se ipsi, vel per collegas perfidiæ, atque insidiarum participes, tutius ad impietatem confirmandam compellerent. Annuit Constantius; & Arimini Episcopi quadringenti Catholici præter Arianos octoginta, Seleuciæ centum circiter ac sexaginta grande opus aggressi sunt, quo Christiani cognoscerent, quis esset Christus religionis eorum auctor, perinde atque sopore & ignorantia mersi incredibili nescivissent hactenus quem colebant, ut inquit Athanasius in lib. de Syn. Quid actum fuerit Seleuciæ, narrat S. Hilarius in lib. adv. Constantium, *Centum scilicet & quinque Episcopos Jesum Christum omiusion id est similis essentiæ, decem & novem anomiusion, id est dissimilis essentiæ, solos Ægyptios præter Alexandrinum hæreticum omousion seu Consubstantialem prædicasse;* Sirmiensi Formula prorsus contempta. Sed multo dissimilior eventus Ariminensis Concilii.

Germinii scelera in Concilio Ariminensi.

Nam Germinius factionis hæreticæ signifer cum Valente & Ursacio deceptos Patres in exitium perpulit ac ruinam. Et primo lecta palam a Valente Ecthesi Sirmiensi, horruere Episcopi; Nicænum Synodum proponi postulant, ut communibus suffragiis confirmetur; Germinium, Valentem, Ursacium miscentes turbas & repugnantes e gradu dejiciunt, tum selectos viginti Antistites mittunt ad Constantium legatos, qui gesta nuntient in Concilio. Germinius & una simul Valens & Ursacius ira perciti ad Constantium advolarunt caussæ patrocinium petituri, quos honorifice excepit, & ab iis incitatus Concilii legatos ne in sui quidem conspectum admitti jussit, ac paullo post Nicem abduci in parvum Thraciæ oppidum, dum Ariminenses Patres datis ad illum litteris constantissimos se fore in tuenda fide Nicæna libere testabantur. At Germinius fraude plenus & astu Nicem se contulit cum facinorum sociis; Legatos circumvenit; vi minisque adegit ad subscribendam formulam, fraudulentius corruptam, immutatis iis verbis *Filius Patri per omnia similis*, in hæc pejora *Patri similis secundum Scripturas*, utque in se, & in Valentem atque Ursacium latam a Synodo sententiam irritam, eos innocuos, ac rectæ Fidei cultores publico ac solemni actu & ritu pronuntiarent. Tum victoria lætus ovansque cum iis Ariminum reversus est, prosequentibus cæteris scelerum sociis; ubi tantum perfidia valuere, ac vafritie, tantum metus terrorisque in Ariminenses Patres injectum est, ut partim decepti, partim violentia fracti victique fere omnes prævaricati sint. Et hæc satis de Concilio Ariminensi, prout opus erat, quo impia Germinii acta

Digitized by Google

dignoscerentur, cui etiam, tum Valenti & Ursacio collata est ab Imperatore potestas Ecthesis per Occidentis provincias promulgandæ; qui obstarent, ab Ecclesiis ejicerent; quosque eis lubitum esset, crearent Episcopos; atque de his lege, quæ uberius tractat Farlatus Tomo 2. in Petro II. Ep. Salon. Nec ejus deferbuit hæreticus furor, nisi morte Constantii an. 361. Juliano in imperium suffecto, quievere aliquantum Episcoporum discordiæ, eoque exstincto, Valens atque Valentinianus rerum potiti sunt an. 364. & bipartito orbe, Valens Orientem, Valentinianus Occidentem sibi regendum delegit. Itaque Germinius, cum Valentiniani, cujus dominio suberat, fidem Nicænæ consentaneam haberet perspectam, ejus gratiæ aucupandæ causa nescio quam scripturam vulgavit, qua Arianos damnasse visus est, sed *omousii* omissa voce, *Filium Patri per omnia similem* confitetur perspicua Semiarianismi nota. Quamobrem a Valente Episcopo per litteras compellatus nihil respondit de iis, quæ præcipue quærebat. Iterum coacto Singiduni Conciliabulo an. 366. Valens & Ursacius aliique illum monuere, ut de Fide, quam Arimini defenderat, rationem redderet, cum pollicitus esset, *Filium absolute Patri similem secundum Scripturas*, non *substantia*, nec *per omnia* propugnaturum. Neque his responsum reddidit; demum per Vitalem quemdam sublimis Præfecturæ ministrum missa ad Germinium Synodica Conciliabuli epistola, denuntiatum est, responderet, quidnam sibi cum iis foret dissidii; tum is alia epistola post longam tractationem de recta fide in memoriam revocat, quæ Sirmii decreta fuerant, cum *post habitam usque in noctem de fide disputationem* iisdem præsentibus, *& ad certam regulam perductam*, *Marcum* Arethusiæ *ab omnibus electum fidem dictavit*, *in qua fide sic conscriptum est*, *Filium similem Patri per omnia*, *ut sancte dicunt & docent Scripturæ*; & huic velle se adhærere concludit.

Hæc ex Fragmentis Hilarianis, ubi & Germinii de sua Fide testimonium, & laudatæ epistolæ servantur; de quibus quid sentiendum, aliorum sit judicium; haud enim ignoramus, ea Fragmenta non magno esse in pretio apud eruditos quosdam præclari nominis. Sed neque assentior Salagio, qui ex Germinii discessione a Valente & Ursacio sibi persuadet illum ab Arianorum societate transisse ad Semiarianos. Ea est indoles hæreticorum & inconstantia, ut sæpe in facies varias immutentur, sive novandi libido, sive tuendi erroris pervicacia, sive sibi suisque rebus prospiciendi necessitas eos agat transversos. Annorum viginti spatio post damnatam Nicææ Arianam hæresim quatuordecim Fidei formulas enumerat Petavius lib. 7. de Trinit. cap. 9. ab Arianis exaratas, omnesque in varios sensus detortas, quibus nec Ariani esse viderentur, & Nycænum dogma de Filii *consubstantialitate* oppugnarent; ut occasio ferebat, quo eos æstus abripiebat, modo hanc, modo illam factionem sectabantur. Crediderim ego, Germinium suasione Semiarianum servisse tempori, & Ursacii ac Valentis familiaritate huc illuc pertractum fuisse; & Petavius cap. 10. illum cum Valente & Ursacio Semiarianis adjungit. Anno 380. jam obierat; utrum vero resipuerit aliquando, & Catholicas partes sit amplexus, nulla produnt monumenta; tamen locus est alicui de illius cum Catholicis consensione conjecturæ; cur etenim eadem, ac Ursacius & Valens, anathematis, & ab Episcopatu dejectionis pœna perculsus non est a S. Damaso in Concilio Romano an. 369? ab eorum certe consortio sese disjunxerat quinquennio ante; igitur aut morte fuerat ereptus, aut suspicari licet in Catholicam communionem, hæresi ejurata, fuisse admissum. Salagius autumat, mitius cum illo egisse Damasum, quia Semiariani, etsi *omousion* seu Patri *consubstantialem* Filium negarent, ab Arianis abhorrebant; & eorum Fides non re ipsa, sed in vocabulis a Nicæna differre videbatur etiam S. Hilario; hinc spes erat fore, ut fidei exprimendæ modum, & rectum sensum vocabulorum intelligentia facilius addiscerent, & confessione probarent. Quæ Salagii ratio conjecturæ vim addit, id et in Germinio evenisse. S. Isidorus l. 8. de Origin. nominat Sirmiensem Episcopum Luciferum, e cujus nomine Luciferiani exorti dicuntur; idipsum affirmat Honorius Augustodunensis in lib. de hær. Utriusque error facile deprehenditur; erat enim Lucifer Episcopus Calaritanus in Sardinia. Cumque jam obiisset an. 370., nullus ei locus est inter Sirmienses Antistites; quippe Germinius Photino suffectus an. circ. 352. vitam certe produxit ultra septuagesimum annum sæc. IV.

Ejus obitus.

ANEMIUS EPISC. SIRMIENSIS VIII.

Anemius Episc. Sirmiensis an. circ. 380.

Mortuo Germinio, tum Catholici, tum Ariani, quorum factio in urbe potentissima dominabatur, de novo Episcopo creando acriter contendebant. Erat Sirmii eo tempore Justina Augusta Valentiniani Senioris uxor, Junioris mater, & Gratiani Impp. noverca. Hæc Arianæ sectæ perdite addicta, qua auctoritate, qua occultis machinationibus conabatur Arianum Episcopum in hanc Sedem intrudere, impellente etiam Auxentio suæ partis Episcopo Mediolanensi, qui per Illyrici & Pannoniarum Ecclesias vel litteris vel emissariis illuc clam submissis Arianam sectam introducere, aut introductam firmare, atque augere assidue moliebatur, de quo vide Tomum 2. pag. 36. Quod ut sensit S. Ambrosius Mediolanensis Antistes, Sirmium profectus est, quo Catholicorum periclitantium saluti prospiceret, & novus ex iis Episcopus huic Ecclesiæ præficeretur; & nihil veritus Justinæ potentiam Anemium Episcopum Sirmiensem consecravit. Rem, ut gesta est, narrat Paullinus in vita S. Ambro-

brosii his verbis; *Sirmium cum ad ordinandum Episcopum Anemium perrexisset, ibique Justinæ tunc temporis reginæ potentia & multitudine coadunata de Ecclesia pelleretur, ut non ab ipso, sed ab hæreticis Arianus Episcopus in eadem Ecclesia ordinaretur, essetque constitutus in tribunali nihil curans eorum, quæ a muliere excitabantur, una de virginibus Arianorum, impudentior cæteris, tribunal conscendens apprehenso vestimento sacerdotis, cum illum adtrahere vellet ad partem mulierum, ut ab ipsis cæsus de Ecclesia pelleretur, ait ei, ut ipse solitus erat referre, Essi ego indignus tanto sacerdotio sim, tamen te non convenit vel professionem tuam in qualemcumque sacerdotem manus injicere; unde deberes vereri judicium Dei, ne tibi aliquid mali eveniret. Quod dictum exitus confirmavit; nam alio die mortuam ad sepulchrum usque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Et hoc factum non levem adversariis incussit metum, lucemque magnam Ecclesiæ Catholicæ in ordinando Episcopo tribuit.* Hinc existimandum, quam alte radices Sirmii fixisset hæresis; quantum viribus polleret, si vel ipsæ virgines Deo sacræ potentiorum fretæ præsidio in sacrilegum adeo facinus erumpere ausæ sunt. Verum impudentissimam illam virginem sui sceleris, & Arianæ hæresis pœnituisse Ambrosii reprehensione commotam, arbitratur Card. Ursius; neque enim ejus funus nisi Catholicæ virginis prosecutus esset sanctus Antistes, qui non juris usurpandi caussa, sed religionis & charitatis officio adductus in tanto rei Catholicæ discrimine labantem hanc erexit; quare P. Lupus Tomo 5. Ep. in dissert. de consecr. Rom. Pontif. cap. 4. probe censet, Ambrosium non jure aliquo metropolitico in Pannonias Ecclesias, sed Damasi Pontificis nomine & auctoritate, dedisse Sirmio Episcopum Anemium.

Ejicit Arianos e provincia.

Ubi Anemius Sirmiensem Episcopatum adeptus est, an. circ. 380., ejus cura pastoralis emicuit, & animi fortitudo, in repellendis hæreticorum conatibus, qui illi adversabantur, & tenebris errorum dispellendis, queis Clerus & cives fuerant miserrime obvoluti; ac uni Fidei Nicænæ obsequium ac obedientiam reddi jussit, & miro alacrique omnium consensu obtinuit, præterquam a Photinianis. Horum ut frangeretur audacia, lege cautum est ab Imperatore Gratiano, petente in primis Anemio, ne fierent Sirmii conventus Photinianorum; & hanc renovari orant Patres Concilii Aquilejensis, inter quos Anemius, scripta epistola ad Gratianum, Valentinianum, & Theodosium Imp. *Photinianos quoque, quos & superiori lege censuistis nullos facere debere conventus.... petimus, ut quoniam in Sirmiensi oppido adhuc conventus tentare cognovimus, clementia vestra, interdicta etiam nunc coitione, reverentiam primum Ecclesiæ Catholicæ, deinde etiam legibus vestris deferri jubeatis.* Eamdem sollicitudinem in purganda ab Ariana lue provincia sibi subjecta impense adhibuit exitu adeo felici, ut, ejectis jam ante Arianis ducibus Valente & Ursacio, testati sint iidem Patres aliis litteris ad eosdem Imperatores *per occidentales partes duobus in angulis tantum, hoc est in latere Daciæ ripensis ac Mœsiæ fidei obstrepi; quibus tandem nunc post Concilii sententiam vestræ favere clementiæ opinamur consulendum;* quæ verba de Palladio & Secundiano scripta sunt Arianis Episcopis, de quibus in superiori epistola, *Nec ulli*, inquiunt, *de hæreticis reperti sunt, nisi Palladius & Secundianus, nomina vetustæ perfidiæ.* Has vero epistolas habes inter Ambrosianas tomo 3. Opp. Maur. edit. Ignotum est cuinam præessent Ecclesiæ, parebant certe Metropolitæ Sirmiensi. Quare Anemii præsertim opera indictum est ab Ambrosio Concilium Aquilejense an. 381. & ambo in judicium vocati, eum pertinaci malitia cedere veritati renuerent, ab episcopali dignitate dejecti, & ab Ecclesiæ communione depulsi sunt. Interfuit Anemius; & se Metropolitam dixit, prolatis, dum de Palladio habebantur quæstiones, hisce verbis; *Caput Illyrici non nisi Sirmiensis civitas est; ego igitur illius civitatis Episcopus sum. Eum, qui non confitetur Filium Dei æternum, & coæternum Patri, quod est sempiternum, anathema dico.* Deinde anathema in illum intorsit; *Anemius Episcopus dixit, Quicumque hæreses Arianas non condemnat, Arianus sit necesse est. Hunc igitur alienum etiam a nostra communione, & sacerdotali cœtu denuo privatum esse censemus;* quo vocabulo *denuo* indicat, Palladium fuisse ante sacerdotio privatum; seque Concilio subscripsit, *Anemius Episcopus Sirmiensis Illyrici.* P. Chiffletius S. J. in notis ad Vigilium Tapsensem in dubium revocat acta Concilii Aquilejensis, & arrogantiæ arguit Anemium, quippe qui sese Metropolitam jactaverit, cum tribus solummodo annis 357. 358. 359. Sirmii jus ecclesiasticæ Metropoleos fuerit concessum, commorante ibi Constantio. Verum futilia adeo hæc sunt, ut risum potius moveant, quam refutandi voluntatem; sed Godefridus Hermannus Chiffletium notat ingeniose & erudite in vita S. Ambrosii lib. 3. cap. 3. Anno post Romæ erat in Concilio, quo allatæ sunt litteræ Concilii Constantinopolitani adversus Macedonium, inscriptæ *Carissimis & religiosissimis Fratribus & Comministris Damaso, Ambrosio, Britteni, Valeriano, Ascholio, Anemio, Basilio & reliquis sanctis Episcopis, qui in magna urbe Roma collecti sunt.* De caussa hujus Concilii non liquet; at Anemius Sirmium reversus ibi vita cessit, quo anno ignoramus.

interest Concilio Aquilejensi an. 381.

CORNELIUS EPISC. SIRMIENSIS IX.

Hujus meminit Innocentius I. in epistola ad Marcianum Episcopum Naissitanum anno 409. Cum enim duo Clerici Naissitani, Germanus & Lupentius conquesti essent cum. Pontifice, Marcianum denegasse iis Catholi-

Cornelius Episc. Sirmiensis ante an. 391.

Digitized by Google

cam communionem, quia a Bonoso Naissitano Antistite hæretico fuerant in sacrum ministerium adsciti, scribit Pontifex, eos in Clero tetinendos; id enim ante Bonosi condemnationem peractum fuerat; *cum*, ait Innocentius, Clerici *memorati asserant se in tantum anteriori tempore ordinatos. ut* sanctæ recordationis virum Cornelium Episcopum urbis Sirmiensis, *necnon & fratrem nostrum Nicetam aliosque nonnullos fuisse præsentes*, supple *testentur*, *cum honoribus*, *quos se habere commemorant*, *augerentur*. Anno autem circ. 392. Bonosus ab Illyricis Episcopis anathemate confixus est & in ordinem redactus; quare Episcopatus Cornelii ante an. 391. statuatur oportet; ac de illo nihil præterea in veteribus monumentis.

LAURENTIUS EPISC. SIRMIENSIS X.

Laurentius Episc. Sirmiensis an. 408 circa

Et hunc ex alia Innocentii epistola ad eumdem scripta an. circ. 408. cognoscimus Antistitem Sirmiensem. Licet enim inscripta legatur *Laurentio Episcopo Seniensi*, error facile deprehenditur; nam *Segniensis* in Dalmatia Episcopatus tum institutus nondum fuerat; vetusti vero Codices pro Seniensi præferunt nomen urbis *Siniensis*, & *Symensis*. Sed neque ad Siniensem in Italia Ecclesiam pertinet Laurentius, quem Ughellius silentio præterit, & Nicolaus Coletus patruus meus, Tomo 1. Ital. Sacr. in Episcopis Signiensibus, rati fortasse Laurentium Ecclesiæ Seniensi, cujus adhuc historia iis ignota erat, adscribendum esse. Itaque *Sirmiensis*, ecrrupte *Siniensis*, *& Symensis*, dici debet Episcopus; & incredibilis pæne videtur hujusce nominis vitiosa varietas in antiquis Martyrologiis; quod & nos advertimus de Martyribus Sirmiensibus. Favet sententiæ argumentum ipsum epistolæ. Scripserat Laurentius, Photinianos suæ diœcesi maxime nocuos esse, neque posse se eorum compescere audaciam; diximus autem superius, Anemii & Patrum Aquilejensium rogatu quascumque horum hæreticorum, qui Sirmii plurimi degebant, coitiones vetitas fuisse Imperatoria lege an. 381. At ii nihilominus pes pagos villasque impium virus libere effundebant in *simplices rusticanas* Catholicorum animas; quare Laurentius opem ab Innocentio petiit, quo tam gravi malo exstirpando acriora suggerat, adhibeatque remedia. Porro hæc Sirmiensi Episcopo verius conveniunt, quam alii seu Seniensi, qui non exstabat, vel Siniensi aut Signiensi in Italia Antistiti. Respondit itaque Innocentius, ægre se tristia Laurentii nuntia intellexisse; actum jam cum Magistratibus, ut illa pestis ab Sirmiensi diœcesi penitus expellatur; reliquum esse, ut is, quæ episcopalis sunt muneris, fortiter agat. Exemplum epistolæ hoc est.

I Ad cum epistola Innocentii I. P.

Innocentius Laurentio Episcopo (1) *Seniensi.*

Diu mirati sumus, dilectionis tuæ lectis litteris, hæreticos Photini venena sectantes in territorio dilectionis tuæ non solum esse, sed & publice sibi conventicula in aliquorum possessionibus præparare, cum de toto pæne orbe, nusquam tam multi, quam penes vos delegerint habitare. Quorum doctrinæ nefariæ auctor Mareus dudum ab urbe pulsus temeritatis tantæ ductus est audacia, ut primum sibi inter vos locum vindicet. Sed ne ulterius debacchandi habeant facultatem, & animas simplicium ac rusticanorum secum in gehennam, cui destinati sunt, trahant, actum est adversus eos a defensoribus ecclesiæ nostræ, quo eos possint expellere; ut qui Christum Deum ex Patris substantia ante sæcula negant genitum, hi cum Judæis, qui ejus deitatem negaverunt, & nunc usque negant, participium habeant damnationis. Tuum est, frater carissime, quæ præcepta sunt, non segnius agere, ne plebem sibi creditam dissimulatione deperdas, & incipias Deo de perditis reddere rationem.

1 in aliquot mss. *Sinienst*, in al. *Symensi*. Vide & Tomum IV. Op. nostri in Episcopis Scniensibus.

Quem ad annum vitam protulerit Laurentius, nos latet. At ea jam instabant tempora, quibus Barbari Romano minitabantur Imperio, ac proximiores sibi Pannoniarum provincias spectabant, in quas cum irrupissent; vastatis omnibus, demum Attila duce & Sirmio potiti sunt an. 441. Certo constat, dum urbs obsidione premebatur, suum ibi Episcopum fuisse, de quo Priscus in Excerpt. Legat. Num Laurentius adhuc præesset senio gravis, nulla ratio ad negandum impellit; & facile mihi persuadeo, eumdem illum esse, quem Priscus hisce innuit: *Hic Constantius ex Galliis occidentalibus ortus, ad Attilam & Bledam, ut illis in conscribendis epistolis operam daret, & post illum alter Constantius missus fuerat. Ille vero quo tempore Sirmium oppidum in Pœonia situm Scythæ obsidebant, aurea vasa* a Civitatis Episcopo *acceperat, ut ex eorum pretio, si se superstite urbem capi contigisset, quoad satis esset, pro sua libertate solveretur; sin periisset, cives in servitutem abducti redimerentur. Sed Costantius post urbis excidium de eventu Scythicæ obsidionis parum sollicitus Romam cujusdam negotii caussa profectus vasa ad Silvanum detulit.* Hinc abs re non arbitror, si huic anno, vel insequenti post Sirmium captam mors Laurentii illigetur. Sirmii captus an. 441.

Ejus obitus.

Post varias vices, queis provincia Sirmiensis fuerat ab Hunnis crudeliter lacessita, in potestatem venit Theodorici Gothorum regis æque in Italia atque in Pannoniis; sed nulla ab eo Ariano molestia illata Catholicis, qui ab Hunnorum feritate superfuerant. Salagius autumat, tum Sirmiensem Episcopatum emersisse e barbaricis ruinis, & Episcopum profert Justum, qui an. 503. erat in Concilio Symmachi P. Multa vero congerit argumenta, ut probet Justum ab alio ejusdem nominis Episcopo Signiensi posse distingui, qui *Signanus*, & *Signiensis*, & *Signinus* subscribitur

Digitized by Google

tur in Synodis an. 501. 502. 504. ab ipso Symmacho coactis. Acutum eruditissimi Salagii ingenium laudo; sed qui Italus & Signiensis seu Signanus tribus Synodis tempore conjunctis adfuit, cur non idem qui in Synodo an. 503. intermedii nominatur, licet corrupte Firmanus, Simiensis, Syrmensis? Causa nulla subest, qua ex uno duo fiant Antistites, & Salagius fatetur conatus sibi opus fuisse, quo Justum Sirmiensibus Episcopis adjiceret, sed adversariam opinionem probabili inniti argumento. Ego quidem Justum e nostra serie expungendum duco; atque Gothis Sirmio depulsis, deinde occupata urbe a Gepidis, postea ab Avaribus an. circ. 580. Ecclesia Sirmiensis jam ad interitum properare videbatur. Fuit tamen in illa rerum omnium ac temporum calamitate aliquis Sirmii Episcopus, quem Salagius detexit in Menandro Protectore, ubi narrat in Excerpt. Legat., Avares, dum urbem oppugnarent, pollicitos esse, se inde abituros, si Bonus dux Romani exercitus parvis saltem munusculis Chaganum regem deliniret, & ad pacem fœdusque faciendum alliceret; tum subdit, *Bono quidem duci & cæteris qui cum eo erant, inter quos erat supremus urbis sacerdos*, visum est Bajanum justa & rationi consentanea proponere. Hic vero *supremus urbis sacerdos* nequit alius esse quam Episcopus, cujus etiam consilio adjumentum aliquod, & levamen afferretur civibus obsessis. Nomen Episcopi Menander silet; at is Salagio esse videtur

SEBASTIANUS EPISC. SIRMIENSIS XI. ET POSTREMUS.

Hunc inter Episcopos Rhizinienses adnumerat Farlatus in Tomo VI. motus titulo, quo in litteris S. Gregorii M. ad eum datis inscriptus est Episcopus *Rhiziniensis*. Sed illum Rhiziniensi Ecclesiæ adimamus oportet. Habes litteras Gregorianas scriptas *Sebastiano Episcopo Rhiziniensi* lib. 1. Reg. ep. 27. & lib. 4. ep. 35. edit. Antuerp. Maurini tamen Patres, a quibus opera S. Gregorii diligentius fide veterum Codicum emendata & edita sunt, unam exhibent epistolam *Rhiziniensi*, alteram *Sirmiensi* Episcopo Sebastiano inscriptam. Porro in vita S. Gregorii, auctore Petro Diacono, & ab iisdem accurate recognita, Sebastianus bis dicitur *Smyrnensis*, l. *Sirmiensis* lib. 3. cap. 13., & perspicue *Sirmiensis* Episcopus cap. 49. & hinc potior auctoritas pro Episcopatu Sirmiensi Sebastiani, quem jam inierat ante annum 580. Eo anno excisa funditus urbe, & eversa Ecclesia Sirmiensi, Sebastianus Constantinopolim se recepit, ubi tum Gregorius versabatur Apocrisarii munere pro Romana Ecclesia ac nomine Pelagii II. Pontificis apud Tiberium; deinde apud Mauritium Impp.; & ob perspectas certe ejus virtutes in gratiam & amicitiam Gregorii admissus est. Is ad Pontificatum evectus an. 590. nihil veteris cum eo consuetudinis imminuit, & anno post per litteras conquestus est, se e Sebastiani memoria quodammodo excidisse, cujus tamen ipse oblivisci nequit; tum injungit, ut de mente Anastasii Patriarchæ Antiocheni inquirat, velit ne Romam proficisci, uti valde optabat. Degebat enim Sebastianus adhuc Constantinopoli, & intima illi erat cum Anastasio familiaritas: qui viri cognitis moribus optimo Episcopo dignis ultro illi obtulit nescio quam in Patriarchatu Antiocheno regendam Ecclesiam. Sed abnuit Sebastianus haud immemor prioris, cui fuerat illigatus, etsi nulla spes foret redeundi ad Sirmiensem diœcesim. Quod cum Gregorius comperisset, aliis litteris an. 591. ejus propositum maxime commendat; dolet etiam de molestiis a quodam Romano Ecclesiæ Romanæ illatis, quem Sebastiano amicum esse sciebat; denique monet esse in Sicilia Ecclesias aliquot Episcopis vacuas, & quam mallet, ei pollicetur; *Peto*, inquit enim, *ut amori meo alium minime præponatis*. Utramque epistolam edidit Farlatus laudato in loco, qui eo totus intendit, ut Rhiziniensem Sebastiani Episcopatum confirmet, & causam ab sua Ecclesia discessionis rejecit in barbaricas irruptiones, quæ Dalmatiam quoque inferiorem invaserant. Verum multo effrænatior Avarorum impetus & crudelior Pannonias tunc impie dilacerabat, unde præceps quærendum fuit Sebastiano effugium in urbe regia, qui, si Rhizinii ab hostibus jam ingruentibus sibi timuit, facilius tutiusque in Italiam fugam capessere debuisset, quam Constantinopolitanum iter aggredi, palantibus circumquaque barbaris qui vias omnes & aditus occultiores intercludebant. Cum hasce litteras Sebastianus accepit, Constantinopoli in Italiam venerat, & forte Ravennæ erat, ibique Romani amicitiam coluit; qui haud recte dicitur Exarchus a Farlato; hac enim dignitate tum Italiæ præerat Callinicus. Certe aliquo in republica munere fungebatur; *ejus* enim *in nos malitia*, inquit Pontifex in epistola altera, *gladius Longobardorum vicis ita ut benigniores videantur hostes qui nos interimunt, quam reipublicæ judices, qui nos malitia sua, rapinis atque fallaciis in cogitatione consumunt*. Videtur vero Sebastianus oblatam a Pontifice in Sicilia Ecclesiam recusasse. Nam anno 599. diœcesim Ariminensem lustravit jussu Gregorii, & Arimini constitit, quo novi Episcopi electioni præsideret; eamdemque ob causam scripsit Marinano Ravennati Antistiti, ac Metropolitæ, & Ariminensi clero ac populo, qui hoc negotium sollicite curarent, & sancte ad ecclesiasticas leges conficerent. Non est cur superiores ad Sebastianum litteras huc referam; legi possunt in historia Rhiziniensis Ecclesiæ; tertiam tamen epistolam hic subjicio ex lib. 7. Reg. Gregoriani ep. 52. edit. Antuerp. Data est autem Indictione 2., quæ convenit cum an. 599. & quamvis desit titulo nomen Ecclesiæ Episcopalis, non dubito quin ad hunc Sebastianum pertineat.

Sebastianus Episc. Sirmiensis an. 580.

Binæ ad eum litteræ S. Gregorii P.

„ Gregorius Sebastiano Episcopo.
„ Pastoralis nos cura constringit, Eccle-
„ siis

Alia ejusdem epistola.

„ siis Sacerdotis moderamine destitutis, sol-
„ licita consideratione concurrere. Et ideo
„ quia Ariminensis Ecclesia, cui fraternitas
„ vestra visitationis impendit officium, diu
„ Sacerdotis proprii, capitis qua nosti im-
„ pediente molestia, pastorali est regimine
„ destituta, cleri vel civium precibus per-
„ moti, eumdem Episcopum non destitimus
„ admonere, ut si ex eadem molestia se me-
„ liorατum esse sentiret, ad suscepti sacer-
„ dotii debuisset ministerium remeare. Qui
„ semel a nobis sæpiusve commonitus, ea-
„ dem urgente molestia nunc in scriptis
„ nobis supplicatione porrecta noscitur inti-
„ masse, nullatenus se ad regimen ejus-
„ dem ecclesiæ, vel susceptum officium
„ impediente molestia assurgere posse. Qua
„ personæ ejus desperatione compulsi, neces-
„ sarium duximus de ordinatione nos ejusdem
„ Ecclesiæ cogitare. Hortamur ergo, ut cle-
„ rum plebemque ejusdem Ecclesiæ sollicita
„ debeatis admonitione compellere, ut sibi
„ cum Domini auxilio talem præficiendum
„ eligant Sacerdotem, qui & aptus tanto mi-
„ nisterio valeat inveniri, & a venerandis
„ canonibus nullo modo respuatur. Qui dum
„ fuerit postulatus, cum solemnitate decreti
„ omnium subscriptionibus roborati, vestra-
„ rum quoque testimonio literarum huc sa-
„ crandus occurrat; quatenus Ecclesia ipsa
„ propriùm auxiliante Domino habere va-
„ leat Sacerdotem „.

Joannes ab. Episcopis Sirmiensibus expunctus.

Hæc de postremo veterum Sirmiensium Antistitum Sebastiano, quæ superfuerunt monumenta. Etenim Salagio non assentior, cum Joannem quemdam Episcopum a S. Gregorio memoratum lib. 9. Reg. epist. 10. Sirmiensi Ecclesiæ attribuit levissima sane conjectura. *Latores ad nos præsentium*, scribit S. Pontifex Metropolitæ Revennati Mariniano, *venerunt asserentes, quod in Castello, quod Novas dicitur, Episcopus quidam Joannes nomine de Pannoniis veniens fuerit constitutus, cui Castello eorum insula, quæ Capritana dicitur, erat quasi per diœcesim conjuncta*. E verbis hisce arguit Salagius, paucos, qui reliqui fuere Christiani a clade Sirmiensi, servandæ iis in locis religionis causa sibi Episcopum unanimes elegisse, qui in sacrorum ministeria & animarum culturam incumberet; hunc esse Joannem, qui barbarorum immanitate coactus paullo post in Italiam aufugerit; *Nullam enim, excepta Sirmiensi, ætate Gregorii in Pannoniis stetisse Ecclesiam in manifestis monumentis reperio;* concludit Salagius. At quæ hæc monumenta, quæ Ecclesiam Sirmiensem excipiunt? nonne ab Avaris cum ipsa urbe deleta est an. 580.? nonne a Sebastiano, desperatis jam rebus, eodem anno relicta? quo sane modo coire potuerint Sirmienses tuti ab Avaris Christianorum terrimis hostibus? & si nulla Pannonica Ecclesia hac ætate superstes, a quonam Episcopo Joannes episcopali consecratione donatus fuit? Præterea dicitur ille venisse *de Pannoniis*; num consequitur inde fuisse Episcopum in Pannoniis? Adde denique Nicæna decreta, quibus vetitum, ne, vivo Episcopo, alter ejusdem urbis Antistes eligatur, neque ante id decebat, quam certa de obitu prioris testimonia essent allata; etiamsi ob temporum difficultates hinc inde nuntia mitti ægerrime possent. At Sebastianus Constantinopoli versabatur, unde Sirmienses de illius vita exquirere debuissent, & erat profecto Arimini superstes ipso anno, quo Joannes Caprulas, & ad *Castellum Novarum* pervenit; qui si electus fuisset ad regimen Ecclesiæ Sirmiensis, ejus electio irrita nullum jus episcopale, nullam ejusdem Ecclesiæ in illum contulit potestatem. Cæterum Castellum Novarum, seu Nova castrum ostio Romatini fluminis olim adjacebat parum ab insula Capritana, scilicet Caprularum dissitum, et Novensis Episcopatus alius non est a Caprulano, ac perperam distinguitur in Geographia Sacra Caroli a S. Paullo; errant etiam Gussanvillæus, & Monachi Maurini in notis huic epistolæ Gregorianæ appositis, qui Novam confundunt cum *Civitate nova destructa*. Sed hac de re vide Tomum X. Ital. Sacræ a Nicolao Coleto patruo meo eruditissime elaboratum.

Hactenus de antiquis Ecclesiæ Sirmiensis Episcopis, quorum actis describendis potissime adjumentum attulit Stephanus Salagius pari ingenio ac eruditione laudabilis præ cæteris, qui de Pannonicis rebus sive sacris sive civilibus scripsere. Atque hunc in modum miserandum corruit civitas & Ecclesia Sirmiensis; *Quod vero*, scribit Hungariæ Chorographus, *supra cæteras aliarum etiam gentium urbes memorabile imo & venerabile Sirmium effecit, illud est, quod non modo primitus, aliisque multo citius orthodoxæ Fidei lumine fuerit collustratum, & religionis sanctissimæ sedes habita firmissima, sed & augustissimorum fidei nostræ pugilum, & Martyrum plurimorum parens & arena exstiterit gloriosa, ut sacro cruore irrigatus ager Ecclesiæ principalis felicior fertiliorque evaderet*.

Varius Sirmii status.

Ab excidio Pannoniæ Sirmiensis anni amplius septingenti effluxere, antequam e suis ipsa ruinis exsurgeret, & veteris nobilitatis ac splendoris quidquam recuperaret. Qua temporis diuturnitate, quæ tristia ac dura, quæ effera et immania passa sit, Barbaris & Romanis, Græcis, & Francis inter se de uberrimæ ac lætissimæ regionis possessione continue dimicantibus, non est nostri instituti longa persequi narratione. Pulsis Avaribus paruit Sirmium plurium dominatui, modo bello captum, modo deditione occupatum; cujus regimini aliquando Principes nuncupati, aliquando Duces præfuere, imo & unius imperio subjecta civitas Dominorum tyrannidem pertulit. Hæc a Salagio lib. 1. cap. 2. & seq. hæc a Farlato sparsim Tom. 2. & 3. tractata sunt. Anno 1019. Sermo quidam e Chrobatarum gente in urbe regnabat; hunc Constantinus Diogenes dolo interemit, cum antea Chrobati in potestatem Græcorum se tradidissent; tum & Sirmium cessit Basilio Imperatori; de quibus luculenter disserit Cin-

Digitized by Google

Cinnamus Græcus scriptor, & hisce gestis coævus; degebat enim Sirmii, cum Basilius urbe potitus est, & nescio quem Zeugmini Episcopum nominat lib. 4. hist., quem Græci ritus Antistitem fuisse autumo; Zeugminum vero situm erat in solo Sirmiensi ad Savum, Insequentibus annis ultro citroque dissidia, & bella & fœdera pacis sibi successere Græcos inter, & Chrobatos, & Hungaros, qui S. Stephano rege superiorem Pannoniam obtinuerant. Hoc tempore Sirmium & cingi mœnibus, & ædificiis ornari, & incolarum frequentia augeri cœptum; sed denuo dirutum quandoque. Denique inito sæculo duodecimo Græcis ademptum in partem transiit regni Hungarici cum Pannonia Interamnensi, & amissam tamdiu Sedem, & insignia episcopalia recepit, ac cæteris Hungariæ Ecclesiis suorum Antistitum dignitate & decore coæquatum est.

Attamen variam tum quoque experta est fortunam Sirmiensis civitas; nam præterquam quod Tartari late Hungariam populantes an. 1241. post victum prælio Colomannum regem, cædibus & rapinis agros circum & urbem desolarunt, nunquam defuere ab hostibus calamitates, qui trans Danubium huic regioni avide inhiabant. Vide historiam nostram Ecclesiæ Zagrabiensis. Sæculo xv. Matthias Corvinus Rex ducem Sirmii creavit Nicolaum postea Bosnæ Banum, cui Laurentius filius successit; sed Matthia mortuo, Sirmiensis ditio ei sublata est, & regiis Præfectis tradita ad regendum. Cum Turcæ sæculo xvi. infestis armis, crebris excursionibus, relatis victoriis provinciam diu lacessitam sub exitum ejusdem sæculi sibi subjecissent, centum fere annos immane barbarorum jugum perpessa est; nec ante spes ulla affulsit libertatis recuperandæ, quam Leopoldus I. Imperator, effræni illorum potentia domita, & ultra Danubium infami fuga iisdem depulsis, an. circiter 1686. Interamnensem regionem in suam potestatem redegit. Ut vero pius Imperator religionis & obsequentis gratique animi sensa testaretur erga sanctissimum Pontificem Innocentium xi., cujus effusis ad Deum precibus magis, quam ingenti pecuniæ vi ad belli subsidium erogata se adjutum maxime senserat, Livium Odescaleum Pontif. nepotem, ejusque hæredes mares e legitimo connubio natos regia munificentia Sirmiensis, ut ajunt, Ducatus perpetua possessione donavit an. 1698. verum Odescalea familia exstincta, in fiscum Hungarici regni iterum rediit ditio Sirmiensi. Porro cum Sirmium, aut Sirmiensem tractum nominamus, ne quis intelligat de veteri urbe, ejusque perampla provincia narrationem esse; etenim e Sirmii ruderibus, ejusque circum in loco hodie exstructum visitur nobile oppidum Mitrovitzium nomine, idest Demitrovitzium e vetusto æque ac celeberrimo templo S. Demetrii M. Thessalonicensis, quod olim condidit Leontius Præfectus Illyrici, de quo dictum superius. Inter plura hujus regionis loca, eaque non incelebria, eminet Vilakum, Illok appellatum, ubi olim sedes Ducum Sirmiensium eo a Laurentio translata; iidem quippe Sirmii & Vilachi Duces. Civitas ad radices collis prealti sita Savum respicit; septem in orbem cingitur aggeribus; quadrato opere turres interpositæ, ac bina propugnacula arcendis hostibus objecta urbem sepiunt ac tutissime muniunt; cui in collis vertice imminet arx fortissima, quæ late in campos dominatur. Supersunt e Turcarum vastationibus ædificia egregiæ structuræ, & veterum Principum palatium adhuc assurgit magnifice ad urbis portam ampliorem; irrigui ubique fontes & vineæ & horti hilarem præbent aspectum. Tellus tota, quam Dravus & Savus amnes circumfluunt & Bacunthius interfluit, solo plana, quibusve uber frugibus, pomis dives, pinguis pabulis, vino præsertim excellit, quo nullus ager in Hungaria feracior, Pagos præterea & oppida incolis frequentissima complectitur; in his nobiliora Banmonostra, Petrovaradinum, Carolovicium. Quibus donis naturæ & artis præsidiis atque ornamentis *Ducatus*, seu *Comitatus* Sirmiensis præ cunctis inferioris Pannoniæ illustrior atque ditior æquo jure habitus est, & Scriptorum cujusque ævi laudibus celebratus.

Sirmiensis tractus descriptio.

Sirmiensis Episcopatus restituitur.

Initia restituti Episcopatus Sirmiensis ante dimidium sæculum decimum tertium statuenda sunt auctore Ugrino Archiepiscopo & Metropolita Colocensi. Quamvis etenim Scriptores nonnulli in ea sint sententia, a S. Stephano primo Hungariæ Rege id opus inceptum fuisse, obstat iis temporum ordo, & ratio; quippe Stephano imperante sub exordiis sæculi xi. regio Sirmiensis suberat Græcorum potestati; & Georgius Pray us in Specimine Hierarchiæ Hungar. part. 2. pag. 362. certis comprobat monumentis, quam asseruimus, hujus Ecclesiæ renovationem duobus post sæculis ab Stephani regno. Itaque Ugrinus, cum eam partem suæ diœcesis, quæ trans Danubium Savum versus porrigitur, a Græcis hominibus, & a Sclavis colonis habitari cerneret, simulque Patarenorum hæresim, de qua in Tomo 4. plura diximus, e Bosnia tacite in ea loca irrepere, erat autem amplior Colocensis diœcesis, quam ut ab uno Episcopo regi commode & salubriter posset, necessum duxit, alium constituere ibi Antistitem, cui credita foret illius gentis Christiana institutio, animarum salus, & ab hæretico hoste fida defensio. Sedem etiam novi Episcopi designavit in Monasterio *Cebes* dicto ad Danubium monachis vacuum, atque desertum, cujus redditibus, & adjectis, quos ipse quotannis largiretur, proventibus Episcopi pro dignitate alerentur. His animo præstitutis, litteras primum dedit Ugrinus ad Pontificem Gregorium ix., postea celerrimo itinere Perusium contendit, qua in urbe is consederat, & præsens Gregorium enixe rogavit, ut suo assentiretur proposito, illiusque exsequendi tribueret pontificio diplomate libertatem. Sed veritus Gregorius,

ne

ne operi perficiundo materia deesset, Ugrino quidem animos addit, simulque Transylvano & Chanadiensi Episcopis mandat, ipsi inquirant, utrum congruum sit Ecclesiæ utilitati ac decori, quod Ugrinus optabat, reque mature perspecta & cognita, quod ii sentirent, Sedi Apostolicæ significarent. Paruere illi, suoque perfuncti officio, missis ad Pontificem litteris, testati sunt, e consilio Ugrini ingentes Ecclesiæ fructus accessuros; illiusque votis ut obsecundet, Gregorium orant, atque obtestantur. Tum ille, mora nulla interjecta, Ugrino erigendi novi Episcopatus quantum vellet, ac opus esset, liberrimæ potestatis hisce litteris elargitus est.

Gregorius Episcopus ..... Ven. Fratri Ugrino Archiepiscopo Colocensi salutem & Apostolicam Benedictionem.

Litteræ Greg. IX. ad Ugrinum Archiep. Coloc.

Jamdudum provide cogitans, quod Colociensis diœcesis adeo est diffusa, quod ipsam non valeas juxta officii tui debitum commode visitare, ne gregi dominico deesset cura Pastoris, nobis humiliter supplicasti, ut in monasterio Cuchet tuæ diœcesis Episcopalem Sedem noviter crearemus, cum paratus esses, creando ibi Episcopatum, de propriis tuis, tum de ipsius monasterii proventibus trecentas, & de bonis Ecclesiæ tuæ triginta marcas in annuo reditu assignare. Unde licet nobis tuæ intentionis propositum non immerito placuisset, ne tamen in tanto negotio subito procedere videremur, nequaquam mox tuis supplicationibus duximus annuendum, sed venerabilibus Fratribus nostris Csenadiensi, & Ultrasilvano Episcopis, nostris dedimus litteris in mandatis, ut super re hujusmodi, & ejus circumstantiis inquirentes plenius veritatem, quæ invenirent, nobis fideliter intimarent, ut ex eorum relatione sufficienter instructi procederemus exinde juxta divinæ beneplacitum voluntatis. Qui mandatum apostolicum exequuti, propositum tuum multipliciter commendantes, ut illud optato prosequeremur effectu, nos suppliciter exorarunt. Tu quoque in nostra præsentia constitutus illud idem multiplicatis intercessionibus instantius postulasti. Nos igitur attendentes pii propositi puritatem, cum nonnulli soleant potius ad non habita minus licite inhiare, quam licite habita taliter dispertiri, ne contra te valeat dici, messis quidem multa, operarii autem pauci, *tuis supplicationibus annuentes & sperantes, quod non solum prædicta promissa complebis, verum etiam alia studebis adjicere opportuna, novam Sedem Episcopalem in prædicto monasterio statuendi authoritate tibi præsentium concedimus facultatem. Quocirca Fraternitatem tuam monemus attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus prudenter attendens quod Episcopalis Dignitas facile quidem ex tenuitate vilescit, ne operis tanti defectus imputetur opifici, Episcopalem Sedem ita studeas rebus necessariis congrue stabilire, quod exinde cumulus tibi æternæ retributionis accrescat, & nos providam munificentiam & munificam providentiam tuam debeamus merito commendare. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire &c. Datum Perusii XIII. Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno II.* id. circ. 1229.

Nec multo post hunc annum Ugrinus novi Episcopatus fundamenta jecit, electo primo Antistite Oliverio, qui an. 1231. erat revera Episcopus, uti probant litteræ ejusdem Gregorii ad Ugrinum, easque suo loco proferam inferius. Monasterium de *Cuchet*, ubi primo posita sedes Episcopi Sirmiensis, & portio prima constituta fuit ejus diœcesis sane exigua, illud fuit, inquit Prayus, quod in Colocensi diœcesi condiderat Belus seu Bela Comes Palatinus dimidio sæculo XII., ac titulo S. Stephani Protomartyris dedicatum traditumque Monachis S. Benedicti communiori appellatione de *Keu*, *Kow*, *Ko* notum fuit. Hinc primitus Antistites Sirmienses subscripti leguntur in regiis diplomatibus Episcopi de *Keu* &c. Post Monachos Benedictinos Canonici Sancti Abrahæ de valle Ebron nuncupati illius possessionem acceperant ab Andrea Archiepiscopo Colocensi an. circ. 1170., iisque inde pulsis propter dissolutam vivendi rationem vacuum jam erat, cum Ugrinus animum illuc intendit, & sedem ibi delegit novis Episcopis. Nunc de loco inquirendum cum Prayo, ubi Bela Cœnobium exstruxerit; atque probabili conjectura eum esse putat situm in Sirmia ulteriori ad ripam Transdanubianam septemtrionem versus porrectam, unde flumen in meridiem vergens in angulum flectitur e regione oppidi Banmonostræ in Sirmia citeriori; & quamvis ne ullum quidem Cœnobii vestigium exstet, pagus tamen visitur Colocensis diœcesis vocabulo haud multum absimili *Keer* appellatus. Cum autem ulterior & citerior Sirmia a Scriptoribus designatur, citerioris nomine eam intelligas oportet, quam superius descripsimus, in qua vetus Sirmium stetit; ulterior trans Danubium Sirmia vocabatur regio, quæ pars Serbliæ erat, neque ad veterem Pannoniam, neque ad Hungariæ partem ullam certum est pertinuisse. Mihi opinio inest, illi Serbliæ tractui ad Danubium nomen Sirmiæ ulterioris inditum fuisse, cum Græcorum subesset ditioni, & antiquum Mœsiæ ripensis vocabulum adhuc retinebat post Justinianum Imp., ac primis Sirmii Principibus fuit subjecta, qui citra ultraque Istrum præsertim cum Sermone Duce, e Chrobatarum natione genito, sui regni fines fuere latius extensi. Ibi autem Ugrinus Episcopatum extra provinciam Sirmiensem, & *Sirmiam citeriorem* instituit, quia & suæ diœcesis confinium locus erat longius dissitum a sede Colocensis Ecclesiæ, quam ut posset animarum regimini opportune prospici, & præsentem poscebat operam sacrorum Præsidum, qui Christianæ incolarum cultioni sedulo advigilarent. Anno 1241. Tartari, deleto Hungarorum exercitu, cæsisque in acie rege Colomanno, & Ugrino Archiepiscopo, cum Danubium & Savum trajecissent, vicinam Serbliam cædibus op-

Episcopatus Sirmiensis sedes varia.

opplevere, obvia quæque depopulati, & Ecclesiam de *Keu*, Cœnobium, & quidquid ad Sedem Episcopi attinebat, funditus diruerunt. Testes immanis facinoris sunt litteræ Innocentii IV. an. 1248. XIV. Cal. Octobris datæ ad Benedictum Archiepiscopum Colocensem & ad Episcopos Transylvaniensem & Chanadiensem, queis jubet, ut Sedes Episcopalis de *Keu* ad Monasterium S. Gregorii, vel S. Demetrii transferatur; has innuit Prayus, nec mihi licuit comperire. Igitur ad Demetrianum Cœnobium Benedicto subjectum, ejusque assensu concessere Episcopi, ubi vetus Sirmium & oppidum Mitrovitzium; id enim arguit Prayus ex titulo S. Irenæi Episcopi Sirmiensis & Martyris, quo in subscribendis publicis tabulis ii olim utebantur; immo in litteris Belæ IV. an. 1258. *Laurentius Præpositus Capituli* Sirmiensis dicitur *Præpositus S. Yrynei*. V. Prayum. p. 2. pag. 383. Quonam autem tempore, ac jure ea portio diœcesis Quinquecclesiensis in Colocensem jurisdictionem transiverit, ignotum est ipsi Prayo. Utrum ea loca diu incoluerint, æque ignoramus. Sæculo tamen XV. *Banmonostræ* domicilium ac sedem fixerant; quod confirmat Jacobus II. Episcopus Sirmiensis litteris, quas an. 1437. scripsit Eugenio IV. Pontifici *in Monasterio Bani*, id enim sonat vocabulum *Banmonostra, in domo scilicet habitationis*. Ibi diuturnior fuit Antistitum Sirmiensium commoratio ad annos forte ducentos. Deinde post cladem Mohacsianam anno 1526. occupata armis Solimani Turcæ Imperatoris Sirmiensi regione, & miserrimæ servitutis jugo oppressa, Episcopis statio firma defuit compulsis modo hic, modo illic immorari, quo in loco tutius sibi, & Ecclesiæ bono consulerent. Sed barbarorum jugo tandem dejecto anno 1687. Leopoldi I. Imp. bellica virtute ac potentia in sua diœcesi ac provincia quievere, cum biennio post Franciscus II. Antistes ab eodem Leopoldo supremus Comes Sirmiensis est renuntiatus. Demum an. 1773. Sirmiensi simul ac Bosnensi Episcopatu conjunctis, ubi malint, & quo vocat utriusque Ecclesiæ procuratio, libere solent consistere.

Diœcesis Sirmiensis.

Fines diœcesis Sirmiensis solo Monasterio de *Keu*, & circumjecto agro continebantur. Ugrinus eodem anno, quo a Gregorio IX. institutionem novi Episcopatus impetraverat, ut stabiliori niteretur fundamento, petiit etiam, ut quidam tractus Sirmiæ ulterioris in partem illius cederet. Erat hic proximus confinio Monasterii, quem dono sibi datum a Bela IV. Rege olim possederat Anna vidua Ladislavi ducis Haliciæ, & dilatandæ diœcesi, ac augendis reditibus valde utilis; spes autem erat fore, ut prædia perampla, quæ Bela Banus Monachis alendis tribuerat, quæque ii, & subinde Canonici turpiter obligurierant, in censum episcopalem redirent. Verum præmonitus Pontifex, latere ibi quædam vestigia Græci cujusdam Episcopatus, scripsit ad Ægidium Capellanum suum, qui illis in locis versabatur, in hanc sententiam; siquis Græcus Episcopus incolas regeret territorii, quod Ugrinus postulabat, & spem haberet ejus revocandi ad Catholicorum communionem, ne ejusdem ditio Sirmiensi Episcopatui cederet; sin aliter vel nullus esset Græcus Antistes, vel ab schismate avertere se nollet, Ugrini petitioni assentiret; & hæc Gregoriana epistola 94. ex Reg. an. II.

Litteræ Gregorii IX. P.

„ Venerabilis Frater noster Colocensis Archiepiscopus in nostra fecit præsentia re„ citari, quod dilecta in Christo filia .... „ soror illustris Regis Ungariæ acquisivit „ quamdam terram, quæ appellatur ulterior „ Sirmia, ratione cujusdam partis Ungariæ, „ quæ citerior Sirmia nuncupatur, ac ad „ nutum & dispositionem præfatæ Regis so„ roris regitur terra prædicta, adeo quod „ quidam de Clericis Archiepiscopo ipsi sub„ jectis per eam in majori Ecclesia, quam „ terræ illius homines Episcopalem appel„ lant, provisor est deputatus ad tempus, „ donec de ipsa, quæ Græcorum ritum tenet, „ & nondum Sedi Apostolicæ obedivit, prout „ disponendum fuerit, disponamus. Sane idem „ Archiepiscopus humiliter supplicavit, ut „ cum præfata Ecclesia Colocensi vicinior & „ conterminata esse noscatur, ipsam novo E„ piscopatui, qui de licentia nostra debet „ creari in citeriori Sirmia, per ipsum an„ nectere dignaremur, maxime eum ad ho„ norem Apostolicæ Sedis pertineat, ut Scla„ vi & Græci, qui inhabitant terram il„ lam, in divinis, & ecclesiasticis sacra„ mentis ad Latinorum ritum & obedien„ tiam Romanæ Ecclesiæ, si fieri potest, „ convertantur. Quocirca discretioni tuæ per „ apostolica scripta mandamus, quatenus, si „ in Ecclesia illa sit Episcopus, & sub Ec„ clesiæ Romanæ obedientia esse voluerit, „ eum sine præjudicio juris alieni recipere „ non postponas; quod si non sit Episcopus „ in eadem, vel si existat ibidem, & no„ luerit Sedi Apostolicæ obedire, prædicto „ novo Episcopatui auctoritate nostra suffultus adjicias Ecclesiam memoratam. Datum „ Perusii v. Nonas Martii, Pontificatus „ nostri anno II. „ 1229.

Templum ac Monasterium S. Demetrii, ubi Ecclesia Cathedralis.

Quid Ægidius præstiterit, in incerto est. Pulsi deinde Episcopi e Monasterio Keu Tartarorum vi & armis, uti dictum est, Mitrovitzium se recepere, ac postea Banmonostram; queis subsidiis alerentur, quæ diœcesis esset, non est memoriæ proditum. Mitrovitzii tamen exstitit olim Ecclesia Cathedralis, ubi a Leontio Præfecto Illyrici dimidio circ. sæculo VI., cum Justinianus I. Imp. Pannoniam Saviam sibi bellico jure vindicasset, templum celeberrimum ædificatum est S. Demetrio Martyri Thessalonicensi, & sacris ejus reliquiis ornatum. Hinc loco cognomen inditum Mitrovitzii, id est oppidum S. Demetrii, ac tum cœptus cultus erga S. Martyrem, & inter Hungaros auctus adeo, ut diem ejus festum, octavum mensis Octobris, solemni religione venerentur. Czvit-

Digitized by Google

tingerus in suo Specimine Hungariæ literatæ pag. 241. Demetrium hunc Hungarum gente sibi effingit, melius Pannonem dixisset; cum Hunni Romanorum hostes annos fere centum post ingressi sunt Pannoniam quam Demetrius martyrium obierat Proconsulari dignitate præditus, qua certe barbari a Romanis Imperatoribus non donabantur. Prima Pannoniarum vastitas ab Hunnis illata affigitur an. 401. Demetrius Galerio Maximiano Imp. occubuit an. circ. 306. Anno 1055. Rado Comes Palatinus eamdem provinciam abstulit Chresimiro regi Chrobatorum, & Hungariæ regno restituit; templum vero Demetrianum pæne eversum ex integro refecit, unaque Monasterium, quæ Mauro Episcopo Quinqueclesiensi in possessionem tradidit. Exstant apud Prayum part. 1. pag. 229. tabulæ hujus donationis, e quibus hæc describo: *Regavi etiam Dominorum meorum gloriosissimi Andreæ Regis & optimi Ducis Adalberti ego Rada Palatinus, ut Monasterium meum sancti Demetrii super Savum fluvium, quod multis bellicis laboribus cum tota provincia illa Sanctæ Coronæ rectificavi, & iterum acquisivi, quia illud monasterium est in parochia Sancti Petri Quinquecclesiensis, sicut in spiritualibus, ita etiam temporale dominium, quod ego Rado in illo habeo, quod patronatum vocant, dedi etiam S. Petro Quinquecclesiensi, & Patri nostro Episcopo Mauro, ubi etiam sepulturam volo, & commisi animæ suæ, quod semper ibi post meam mortem memoria animæ meæ, & uxoris meæ fiat; & volui, quod curam ipsius Monasterii ipse Episcopus, vel post eum qui fuerit, habeat, & curam omnium Ecclesiæ possessionum seu Monasterii ipsius, quidquid ubique per regnum gloriosissimorum Dominorum nostrorum ipsum Monasterium possidet, Episcopus Quinquecclesiensis teneat.* Subjicitur Andreæ regis, & fratris ejus Adalberti approbatio, qua inquiunt: *Quicumque autem contrarium facere voluerit... primo Deo cœli, & gloriosissimæ suæ Genetrici beatissimæ Virgini Mariæ, & beatissimo Petro Apostolorum Principi & beato Demetrio Martyri obnoxius fiat .... maledictionem Omnipotentis Dei & gloriosissimæ Virginis Mariæ Genitricis ejus ac beati Demetrii Martyris incurrant.* Non est autem, cur de jure inquiramus, quo ea loca, quæ pars fuere diœcesis Quinquecclesiensis, postea obvenerint Episcopis Sirmiensibus. Iis tamen temporibus non defuisse sacrorum ministros, & Canonicorum collegium, qui ecclesiastica munia obirent, & Episcopo adessent, quoties id vel ejus dignitas requireret, vel officium episcopale, conjici potest ex instituto Archidiaconatu in ipsis novi Episcopatus exordiis, uti ex litteris Gregorii IX. superius allatis perspicue noscitur, cujus reditus ampliores multo erant, quam episcopales; hæc vero loca enumerat Prayus Archidiaconorum juri, & congruo emolumento tributa, *Monasterium S. Jacobi de Domba, Abbatia, Zalankemen, Pecb, Cber... S. Crux, Dobso, de sub Castro, Zemlimum, S. Michael de Hed, Bas... Gamanez, Nova villa, Petrovarad*, partim in Colocensi, partim in Bacsiensi diœcesi posita; quod de Bacsiensi docent litteræ Innocentii IV. anni 1244. inscriptæ Andreæ Archidiacono Sirmiensi *Bacsiensis Diœceseos*; & de Canonicis constat ex libr. decimarum, quas Episcopus solvisse dicitur pro *Capitulo anno Domini* 1338. *Episcopus Sirmiensis solvit pro Capitulo Ecclesiæ suæ de Keu* 8. *Marcas*, 41. *Banales*, 40. *Banales pro fertone computando. Ferton* vero in Glossario Dufresniano significat quartam partem unius Marchæ. Et hinc existimat Prayus, Episcopos rediisse hoc tempore ad Monasterium de Keu, unde a Tartaris fuerant ejecti, uti jam dictum, ac nulla adhuc ditione potitos fuisse, quæ speciem diœcesis quamdam exhiberet, præter Monasterium & Ecclesiam de *Keu*, cum per singula loca describi debuisset de more in decimis persolvendis. Jacobus II. Episcopus Sirmiensis in suis litteris an. 1437. ad Eugenium IV. Pontificem testatur, *nostram Ecclesiam & Diœcesim satis exiguam esse in confinibus ipsius regni circa Rascianos Schismaticos sitam*, fortasse quia aliquid in *Sirmia ulteriori* reliquum ei foret veteris jurisdictionis.

Quæ quidem omnia ante fatalem Hungarorum cædem anni 1521. ad campos Mohacsianos contigerunt. Inde Sirmienses Episcopi e diœcesi exsules, & divino freti unice subsidio alias sibi quæsivere sedes, & tuta ab hostibus perfugia, uti suis in locis est narrandum. Plura olim in regione, ac diœcesi Sirmiensi exstructa Monasteria colebantur a Patribus Benedictinis, inter quæ Mitrovitzianum illustre præ cæteris. Eorum memoria periit; hic vero notemus licet errorem Vuymphelii, qui in Epitome Rerum German. cap. 32. scripsit, Joannem Pseudopontificem adversus Alexandrum III. Sirmiensem Abbatem fuisse, cum Strumiensis Monasterii præses dicatur a Baronio ad an. 1170. & a Pagio ad an. 1160. & *Strumiensis* vocabulum facile in *Sirmiensis* appellationem immutatum est librariorum vel oscitantia, vel inscitia. Hinc & P. Samuel Timon Soc. Jesu in sua *Purpura Pannonica* Joannem hunc *Sirmiensem* dixit, & primum posuit, qui e gente Hungarica in Romanum Cardinalium Senatum fuerit cooptatus; Eadem sententia Czvittingeri in Specimine Hungariæ Litteratæ, qui Joannem natione Hungarum fuisse affirmat, nulla ratione probat. Villaki aliud olim Monasterium ab Ugrino, uti ajunt, Sirmii duce conditum exstitit, & Virgini Deiparæ sacrum, quod an. 1451. Patribus Franciscanis traditum fuit; ubi B. Joannis a Capistrano sepulchrum visebatur, populorum undique confluentium frequentia longo tempore celebratum; de quo alibi agemus. Virginum etiam Ecclesia & Cœnobium magni nominis & venerationis diu stetit; sed utrumque Turcica impietas, ac feritas vastavit an. 1523. Supererant tamen an. 1699. Cœnobii Franciscani reliquiæ, & inter septa, ac ad Ecclesiæ muros

Loca sacra

ros quamplura virorum nobilium e Romanis & Græcis sepulchra delecto marmore exstructa. Initio sæc. XVIII. qui fuerit adspectus, quæ forma Ecclesiæ Sirmiensis, postquam servile Turcarum jugum rejecerat, notum nobis est ex narratione, quam acceptam a P. Francisco Grossidio Franciscano Chrobata an. 1716., teste diutina commoratione locorum rerumque Sirmiensium peritissimo, retulit in commentarios P. Riceputus; & hic integram describo.

Status Ecclesiæ Sirmiensis initio sæc. XVIII.

„ Cathedralis Sirmiensis antiquitus erat „ in Mitrovizza, dicta alias S. Demetrii, „ cujus olim reliquiæ ibi colebantur. In „ Breviario Hungarico habentur lectiones hu„ jus Sancti, qui colitur in Octobri die 8. „ & etiamnum in Sclavonia magno cultu co„ litur etiam a Schismaticis .... Vestigia „ Mitrovizzæ exstant aliqua, plus arcis, „ quam templi; nihil habet mœnium, unde „ est tantum pagus, Mitrovizza a S. Deme„ trio dicta est.

„ Episcopus Sirmiensis modo nullam ha„ bet residentiam, neque modo habet ullos „ redditus. Principalis locus Sirmiensis diœ„ cesis Illochium, *Wilakum*, in ditione O„ descalchiana. Ditio hæc occupat id quod „ priori bello est occupatum, exceptis non„ nullis pagis penes Petervaradinum. Quod „ autem de Sirmiensi postremo bello est „ acquisitum, manet sub Camera Aulico„ Cæsarea.

„ Taurunum, quod ad Sirmiensem atti„ neat, nullam R. P. habeo memoriam, vel „ nostrorum traditionem. Videtur fuisse spe„ctans ad Semandriensem Episcopatum.

„ Non habet Canonicos, cum non habeat „ templum, nec mensam. Habet parochos a„ liquot, cum in potiori a Schismaticis iste „ tractus occupetur. Ubi sunt Catholici, „ habet Parochos vel Petrinos vel Francisca„ nos, præsertim Illochii &c.

„ Diœcesis Sirmiensis ad orientem claudi„ tur Danubio & Savo, ad septemtrionem „ iterum aliquo tractu eodem Danubio & „ Dravo, ad meridiem iterum Savo, per „ quem confinis est diœcesi Bosnensi; hoc „ usque ad eum locum, ubi est Diacovense „ dominium, in quo Bosnensis etiam spiri„ tualem potestatem prætendit habere, ubi „ ponit Parochos vel Franciscanos vel Petri„ nos, contendente tamen in contrarium E„ piscopo Quinquecclesiensi. Ad occidentem „ terminat cum Sclavonia....

„ Episcopus Sirmiensis præsens Petrus Ver„ nich, qui residet penes Possegam in Præ„ positura S. Petri de Possega vulgo Ca„ ptol, unde suam sustentationem habet, „ neque ut Episcopus, sed ut Præpositus, „ quam Præposituram ante eum habuere duo „ Episcopi Bosnenses Csernikovicsius, & „ Georgius Patachochius.

„ Dicta Præpositura Captol est eadem ac „ Possegana S. Petri, quam Csernikovicsius „ ab Episcopo Zagabriensi habuit, sed Pa„ tachochius a Cæsarea Majestate. Distat „ a Possega duobus horis in septemtrionem „ per continuam planitiem sita ad montes „ versus Velicam. Studuit Zagabriæ & Vien„ næ; est nobilis Berdovicensis. Berdovich „ est supra Zagabriam ad occidentem ad li„ mites Styriæ, seu Comitatus Celejæ. Est „ Petrinus, olim Canonicus Zagabriensis; vir „ præclarus zelo, humanitate, studiis, pietate.

„ In diœcesi Sirmiensi sunt Franciscanorum „ monasteria sequentia; Valcovari cum cura „ animarum; Idochini cum cura animarum; „ Izerengradi cum cura animarum; Petervaradi„ ni cum cura animarum per pagos extra. Isti „ pagi sunt obnoxii Episcopo Sirmiensi; habent „ vero Præsidium exemptum, dependetque im„ mediate a Primate; ibique Jesuitæ sacra ad„ ministrant, uti etiam per totum Sirmium, „ Germanis, mediantibus Patribos tribus aut „ quatuor Missionariis, qui degunt prout „ fert occasio & necessitas. Jesuitæ in hac „ diœcesi præter Petervaradinum nullam ha„ bent fixam stationem.

„ Nulla alia in Sirmio Religiosorum fa„ milia; sed sunt aliquot Sacerdotum sæcu„ larium parochiæ cum suis mediocribus e„ molumentis. „ Quæ sequuntur, alia ma„ nu & biennio post relata fuerunt. „ In Sir„ mio vix decima pars est Catholicorum. „ Rasciani in hoc habent monasteria unde„ cim, & celeberrima quædam, puta Oppovo „ & Racoviz.

„ Ista vix non omnia Monasteria erant „ etiam tempore Turcarum. Carlovizii eo„ rum residet Metropolita Schismaticus; „ nullum in Sirmio habent Episcopum. Me„ tropolita.,.. ad Episcopos, quos habet in „ finitimis diœcesibus. Habet unum Episco„ pum in diœcesi Quinquecclesiensi, quem „ recens ejecit modernus Episcopus, quia „ nullo pacto ipsum ad unionem adducere „ poterat, & vetuit reditum in suam Eccle„ siam &c. „.

Hæc de Ecclesia Sirmiensi initio sæculi XVIII. post bella adversus Turcas feliciter gesta, & receptam Sirmiensem provinciam. Crevit deinde dignitas & jurisdictio suorum Antistitum religiosa munificentia Caroli VI. Imperatoris & Mariæ Theresiæ Augustæ. Nunc diœcesis Sirmiensis hæc in se continet loca; Wilakum, Nestinum, Sussechium, Bingulam, Erdevikium, Lesimirium, aliaque minora, quæ sæculo XIV. suberant Ecclesiæ Quinquecclesiensi; ac postremo suos fines latius extendit inter Savum, & Dravum, cum Clemens XIV. annuente ipsa Augusta Sirmiensem Ecclesiam & Bosnensem in unum Episcopatum conjunxerit an. 1773.

Aggrediamur modo ad seriem texendam Antistitum novi, ut ita dicam, Sirmii, quæ non ante sæculum XIII. initium sumit; etsi P. Petterfius Soc. J. part. 1. Concil. Hungar. innuere videatur anonymum nescio quem Episcopum Sirmiensem in Strigoniensi Concilio an. 1114.; cum de revocanda ab interitu hac Ecclesia nondum quisquam cogitaverat.

Digitized by Google

EPISCOPI SIRMIENSES

POST RESTITUTAM SIRMIENSEM ECCLESIAM.

I. Oliverius an. 1231.
II. Joannes an. 1262.
III. Pouka an. 1279.
IV. Georgius an. 1292.
V. Ladislaus an. 1309.
VI. Georgius II. an. 1312.
VII. Gregorius an. 1334.
VIII. Petrus an. 1338.
IX. Thomas an. 1349.
X. Joannes II. an. 1360.
XI. Thomas II. an. 1361.
XII. Demetrius an. 1364.
XIII. Stephanus an. 1368.
XIV. Joannes III. an. 1374.
XV. Gregorius II. an. 1393.
XVI. Thomas III. an. 1397.
XVII. Ladislaus II. an. 1399.
XVIII. Dousa an. 1401.
XIX. Paullus an. 1410.
XX. Petrus II. an. 1415.
XXI. Franciscus an. 1419.
XXII. Jacobus Blasius an. 1420.
XXIII. Conradus an. 1433.
XXIV. Jacobus an. 1434.
XXV. Jacobus II. an. 1455.
XXVI. Urbanus an. 1464.
XXVII. Nicolaus an. 1469.
XXVIII. Sigismundus an. 1475.
XXIX. Joannes IV. an. 1481.
XXX. Stephanus II. an. 1490.
XXXI. Joannes V. an. 1494.
XXXII. Nicolaus II. an. 1499.
XXXIII. Stephanus II. an. 1502.
XXXIV. Nicolaus III. an. 1504.
XXXV. Dominicus an. inc.
XXXVI. Joannes VI. an. 1514.
XXXVII. Ladislaus III. an. 1520.
XXXVIII. Stephanus III. an. 1526.

INTERREGNUM EPISCOPALE.

XXXIX. Zacharias an. 1578.
XL. Petrus III. an. 1581.
XLI. Martinus an. 1582.
XLII. Stephanus III. an. 1589.
XLIII. Nicolaus IV. an. circ. 1593. Electus.
XLIV. Demetrius II. an. 1596. Electus.
XLV. Simon an. 1601.
XLVI. Stephanus IV. an. 1604.
XLVII. Ladislaus IV. an. 1616.

EPISCOPI SIRMIENSES SOLUMMODO ELECTI, AUT NOMINATI, USQUE AD AN. 1697.

XLVIII Andreas an. incerto.
XLIX. Gregorius III. an. 1624.
L. Georgius III. an. 1635.
LI. Nicolaus V. an. 1637.
LII. Michael an. 1640.
LIII. Benedictus an. 1644.
LIV. Andreas II. an. 1647.
LV. Petrus IV. an. 1654.
LVI. Paullus II. an. 1662.
LVII. Joannes VI. an. 1667.
LVIII. Joachimus an. 1674.
LIX. Joannes VII. an. 1676.

EPISCOPI SIRMIENSES RELIQUI CONFIRMATI.

LX. Franciscus II. an. 1697.
LXI. Josephus Maria an. 1703.
LXII. Franciscus Josephus an. 1717.
LXIII. Gabriel Hermannus an. 1731.
LXIV. Ladislaus V. an. 1734.
LXV. Nicolaus VI. an. 1753.
LXVI. Joannes Baptista an. 1762.
LXVII. Matthæus Franciscus an. 1774.

OLIVERIUS EPISC. SIRMIENSIS I.

Oliverius Episc. Sirmiensis.

ANte annum 1231. Episcopatum adierat, uti docent litteræ Gregorii IX. ad Ugrinum Metropolitam Colocensem. Statim enim ab suscepto suæ Ecclesiæ regimine Archidiaconus Sirmiensis jurisdictionem adversus Oliverium sibi arrogaverat in monasterio Cuchetano, ubi Cathedralis Ecclesia fuerat exstructa. Hac super re conquestus est Oliverius cum Pontifice, qui litteris ad Ugrinum datis jubet sua jura reddi Episcopo; siquid vero detrimenti inde Archidiacono inferatur, congrua ratione sarciendum curet.

Gregorii P. ad Archiep. Colocensem litteræ contra Archidiaconum Sirm.

„ Cum inferior (ita Gregorii litteræ ex „ Reg. anni V. ep. 197.) potiorem solvere „ nequeat vel ligare, sed potior inferiorem „ liget regulariter & absolvat, & satis in„ dignum & absonum videatur, ut major „ subditus sit minori, & filius potestatem „ habeat in parentem, miramur non modi„ cum & movemur, quod cum ex Monaste„ rio de Cuchet tuæ diœcesis Ecclesiam „ erexeris Cathedralem, Episcopum ad titu„ lum ipsius Ecclesiæ in Episcopum conse„ crando..... Archidiaconus Sirmiensis in „ tantam prorumpit temeritatis audaciam, ut „ in eumdem Episcopum & Ecclesiam suam „ jurisdictionem exercere præsumat. Quare „ idem Episcopus nobis humiliter supplica„ vit, ut cum eodem Archidiacono in ip„ sum, & dictam Ecclesiam jurisdictionem „ ejusmodi exercente, ipse in eadem Eccle„ sia Episcopus quodammodo non existat, „ providere sibi super hoc salubriter digna„ remur. Nos igitur eisdem Episcopo & Ec„ clesiæ paterno compatientes affectu, ipsos „ cum omnibus juribus & pertinentiis eorum„ dem a jurisdictione ipsius Archidiaconi pe„ nitus eximentes mandamus, quatenus præ„ fato Archidiacono, ne in eos jurisdictio„ nem aliquam de cætero exercere præsumat, „ ex parte nostra districte studeas inhibere, „ proviso prudenter, ut si ex hoc Archidia„ co-

„ conatus Sirmiensis jura læduntur, in diœ-
„ cesi tua, ubi expedire videris, absque ju-
„ ris alieni præjudicio recompensationem illi
„ facias congruentem, contradictores per cen-
„ suram ecclesiasticam appellatione postposi-
„ ta compescendo. Datum Reate XIII. Cal.
„ Aprilis, Poutificatus nostri anno V. „ id est 1231. Valuit Pontificis jussio; & pru-dentia Ugrini controversiam haud multo post sopivit, inquit Prayus. Anno 1241. fuga e-lapsus Oliverius ab Tartarorum armis, qui post relatam de Hungarorum exercitu vicio-riam, Sedem suam de Keu invaserant, intra Saviam regionem se recepit, ac an. 1248. Innocentii IV., jussu domicilium ei constitu-tum fuit Mitrovitzii in Monasterio S. De-metrii Colocensis diœcesis, uti dictum jam antea. Anno post ab eodem Pontifice man-datum accepit, ut eum Episcopo Chanadien-si inquireret de vitiosa Episcopi Zagrabien-sis electione. Et hæ litteræ pontificiæ ad utrumque.

„ Cenadiensi, & Sirmiensi Episcopis, & Ab-
„ bati de Pel. Cisterciensis Ord. Vespri-
„ mensis diœcesis.

Innocentii IV. ad Oliverium litteræ.

„ Dil. Fil. Albertus Archidiaconus Za-
„ grabriensis Ecclesiæ in nostra proposuit
„ præsentia constitutus, quod cum Capitu-
„ lum ejusdem Ecclesiæ Pastore vacantis ha-
„ berent de Pontificis substitutione tracta-
„ tum, idem Archidiaconus sciens nonnullos
„ de ipso Capitulo fore majoris excommu-
„ nicationis sententia innodatos; & consi-
„ derans quod propter eos scienter ad eli-
„ gendum admissos fieret electio vitiosa in
„ ipsius Ecclesiæ non modicum detrimen-
„ tum, vos in commune diligenter admo-
„ nuit, ne iidem excommunicati debe-
„ rent ad eligendum admitti, aut ipsi ele-
„ ctioni se ingererent sic ligati. Sed ipsi
„ hujusmodi admonitione contempta, illici-
„ tis illecti promissionibus, non sine labe
„ Simoniacæ pravitatis ipsum Archidiaconum
„ de Capitulo turpiter ejecerunt, eoque con-
„ tempto post appellationem ipsius ex præ-
„ missis causis ad Sedem Apostolicam in-
„ terjectam, Philippum carissimæ in Chri-
„ sto filiæ nostræ illustris Reginæ Hunga-
„ riæ Cancellarium patientem in ætate defe-
„ ctum per laicæ præsumptionis abusum con-
„ tra libertatem canonicam in Episcopum
„ eligere, ac recipere præsumpserunt, abso-
„ lutionis beneficio non obtento; qui cum hu-
„ jusmodi eorum processum a Ven. Fratre
„ nostro Colocensi Archiepiscopo loci Me-
„ tropolitano peterent confirmari, dictus Ar-
„ chidiaconus proposuit coram ipso, quod cum
„ iidem excommunicati, & Simoniaci, eo
„ contempto, qui volebat, debebat & pote-
„ rat, eis non impedientibus, interesse ad
„ electionem hujusmodi, post appellationem
„ tandem temere processissent, ipsa confir-
„ mari de jure non poterat, nec debebat,
„ sed potius irritari tamquam contra san-
„ ctiones canonicas attentata, ut ne ad con-
„ firmationem procederetur hujusmodi, præfa-
„ tus Archidiaconus iterato duxit ad nostram
„ audientiam appellandum; cujus appellatio-
„ ne contempta dictus Archiep. & talem
„ electionem confirmare ac eidem Philippo
„ sic intruso consecrationis munus impende-
„ re propria voluntate præsumpsit. Quare
„ dictus Archidiaconus providere super iis a
„ nobis ex circumspectione apostolica po-
„ stulavit. Cum igitur nostrum sit prava
„ dirigere, ac directa fovere, mandamus, qua-
„ tenus vocatis qui fuerint evocandi, & in-
„ quisita, super præmissis, & cognita ple-
„ nius veritate, quod Canonicum fuerit, si
„ de partium voluntate processerit, infra
„ quatuor menses post susceptionem præsen-
„ tium appellatione postposita decernatis, fa-
„ cientes quod decreveritis auctoritate apo-
„ stolica firmiter observari. Alioquin causam
„ sufficienter instructam ad Apostolicæ Sedis
„ remittatis examen præfigentes partibus pe-
„ remptorium terminum competentem, quo
„ per se, vel Procuratores idoneos nostro se
„ conspectui repræsentent, justam dante Do-
„ mino sententiam recepturæ. Quod si non
„ omnes &c. duo vestrum &c. Datum Lug-
„ duni Kal. Octob. an. 6. „ id est an. 1249.

Oliverius, cum a Laurentio Præposito Sir-miensis Capituli multum opis, præsidiique in rebus suis & Ecclesiæ receepisset, eumdem sua gratia cumulavit, & villam quamdam a-gri Sirmiensis ei possidendam tradidit, quoad viveret; cujus beneficii acta ab ipso Oliverio confecta, adhibito etiam Sirmiensium Cano-nicorum consilio, in litteris Alexandri IV. an. 1. leguntur, & a Prayo sunt exscripta.

Oliverii in Laurentium Præp. mu-nificentia.

„ Nos Oliverius Dei gratia Episcopus Sir-
„ miensis significamus universis præsentium
„ per tenorem, quod cum dilectus filius no-
„ ster magister Laurentius Ecclesiæ nostræ
„ Præpositus quamplurima grata & necessa-
„ ria nobis & Ecclesiæ nostræ servitia im-
„ penderit, nos ipsius devotioni paterno con-
„ currentes affectu, quamdam villam sitam in
„ Zlacho, quæ vulgariter villa Drasch ap-
„ pellatur, sibi de fratrum nostrorum consi-
„ lio, quoad vitam suam, contulimus pacifi-
„ ce & quiete possidendam, personæ tamen,
„ non dignitati. In cujus possessionem per
„ dilectum nostrum Magistrum S. Ecclesiæ
„ nostræ Cantorem ipsum mitti facimus cor-
„ poralem. Ad cujus rei testimonium præ-
„ sentes concessimus sigilli nostri munimine
„ roboratas, anno Domini 1250. die sexta,
„ intrante Novembri „.

Interfuit is Concilio provinciali Strigoniensi an. 1256., in quo de gravissimis Hungaricæ Ecclesiæ negotiis actum est, ut perhibet Schmittus in Archiepiscopis Strigon. part. 1. pag. 127. Sed *sola sui memoria Synodus ista ad nos transivit: arrosum, & magna parte vitiatum diploma, litis cujusdam testimonium, quæ Vesprimiensem diœcesim vexaverat, an. 1256. celebratam indicat;* scribit Peterffius in Tomo 1. Conc. Hung. pag. 86., vetusti Codicis auctoritate affirmans, Episcopos quo-que Colocensi Metropolitæ subjectos huic

Con-

Digitized by Google

interest Concilio Strigoniensi an. 1256.

Concilio affuisse, & inde Antistisum nomina producens, qui Conventui assederant. Inter hos Oliverius ordine decimus post Chanadiensem Episcopum iis Præsulibus adnumeratur, qui, nisi mendum in Codicem irrepsit, Abbatis nescio quo titulo, ac jure donati erant; hoc scilicet modo.

Abbates
Blasius Chanadiensis
Oliverius Sirmiensis
Paulus Quinque Ecclesiensis
Nicolaus Nitriensis
Homodeus Jaurinensis
Paullus Vesprimiensis Episcopi.

Sequuntur Ecclesiarum Præpositi, tum Monasteriorum Abbates.

Nihil præterea de Oliverio memoriæ proditum, nisi quod infirmam valetudinem causatus, Romam missis Magistro Thoma Thesaurario, & Petro Canonico suæ Ecclesiæ, facultatem ab Urbano IV. PP. petierit sese Episcopatu abdicandi, ut Franciscanæ familiæ nomen daret. Annuit Pontifex, si tamen Colocensi Metropolitæ id consultius fore videretur, nequid forte Sirmiensis Ecclesia detrimenti caperet; ipsumque Colocensem Archiepiscopum de re tota per litteras monuit Idibus Decemb. an. 1262., quas hic damus e Tomo 4. Waddingi Rom. edit. an. 1732., & Tomo 2. Bull. Franc. descriptas.

Litteræ Urbani IV. PP. ad Colocensem Archiepisc.

Urbanus &c. *Significavit nobis Venerabilis frater noster Oliverius Sirmien. Episcopus suffraganeus tuus, quod gravi corporis languore gravatus pastorale, ut expedit, officium exercere non potest, quodque apud se mente recogitans invenit, quod commissam curæ suæ Sirmien. Ecclesiam salva nequit conscientia retinere. Unde volentes* (forte *volens*) *suæ conscientiæ, & saluti consulere, ac eidem Ecclesiæ, ne sub umbra sui nominis in spiritualibus & temporalibus irreparabiliter corruat, præcavere, a nobis per litteras, & dilectum Filium Magistrum Thomam Thesaurarium, & Petrum Canonicum ejusdem Ecclesiæ nuntios suos ad hoc specialiter destinatos humiliter postulavit, ut cessionem ipsius per te Metropolitanum suum recipi, & transeundi ad Fratrum Minorum Ordinem sibi dari licentiam mandaremus. Nos itaque de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus consideratis diligenter circumstantiis universis, quæ circa hoc fuerint attendendæ, si expedire videas, recipias a prætacto Episcopo, cum ab eo requisitus fueris, cessionem hujuscemodi vice nostra, & eum a vinculo, quo tenetur Ecclesiæ supradictæ*, &c. *licentiam sibi tribuas ad dictum Ordinem transeundi. Dat. apud Urbem veterem. Idibus Decembris Anno II.* id est an. 1262.

In Regesto autem Urbani IV. legitur ad hunc annum; *Idibus Decembris Oliverio Episcopo Sirmiensi conceditur licentia redeundi & transferendi ad Ordinem Minorum.*

Quid postea factum fuerit, & an Episcopus facultatem dimittendi suam Ecclesiam obtinuerit, incompertum; subdit Hiacynthus Sbaralea in notis Bullario eidem adjectis. At Oliverium Episcopatu cessisse certo liquet; & eodem anno 1262. Joannes Orodiensis Præpositus in ejus locum electus est, *Thesaurarii* autem, & *Canonici* munus, quos Urbanus memorat, sane indicat, Sirmiensem Ecclesiam hoc tempore & ministris decoratam fuisse, & reditibus præditam; erat enim Mitrovitzii templum cathedrale, & sedes Episcopi.

JOANNES EPISC. SIRMIENSIS II.

Joannes Ep. Sirmiensis an. 1262.

Quem Episcopis nostris adnumeramus, licet designatum unice Sirmiensem Antistitem nobis illum prodiderit diploma Stephani Junioris Hungariæ Regis datum in Porozlò an. Dom. 1262. 9. Id. Decemb., & a Belio editum primo in priori Tomo Notit. Hung. pag. 118., tum a Prayo inde relatum in primam Annalium Hungariæ partem, in quo conditiones pacis dicuntur inter Stephanum ipsum sancitæ, & ejus patrem Belam hoc nomine IV., & cum cæteris Hungarici regni Episcopis nominatur *Jobannes Præpositus Orodiensis Electus Sirmiensis*. Quæstio tamen est non levis in notis mensium tum diplomatis regii, tum epistolæ Urbani IV. de Episcopatus abdicatione ab Oliverio petita ad Colocensem Archiepiscopum scriptæ quam paullo superius produximus: hæc enim data est Idibus Decembris an. 1262., qui secundus in Urbani Pontificatu numeratur, tres ante menses incœptus; illud 9. Id. Decemb. ejusdem anni. Quo igitur modo *Sirmiensis Electus* dici potest Joannes, si Oliverii causa nondum Colocensis Metropolitæ judicio definita fuerat? Anne Oliverius antea obiit, quam pontificiæ litteræ in Hungariam deferrentur, & concesso Hungaricis regibus jure Joannes designatus fuit Sirmiensis Antistes? At is electus certe fuit, antequam Urbanus ad Colocensem Præsulem scriberet, quem de re hac ipsa æquum erat certiorem fieri. Penitus hæreo; & stet lis sub judice, necesse est, qnoadusque illius ævi monumenta, siqua latent, in lucem prodeant, quibus & lis dirimatur, & Joannis in Episcopatu gesta nobis adhuc incomperta illustrentur. Erat is Præpositus Ecclesiæ Orodiensis. In tabulis Georgii Episcopi Jaurinensis confectis an. 1263. in Conventu Budensi, ubi coram Angelo Urbani V. P. *Nuncio* quædam controversia inter Philippum Archiepiscopum Strigoniensem & Paullum Episcopum Quinqueclesiensem proposita fuit judicio eorum qui aderant Episcoporum, nominatur *Procurator Consuffraganei nostri Episcopi Sirmiensis*, nimirum Joannis. Cur vero dicatur una cum Jaurinensi Antistite *Suffraganeus* Metropolitæ Strigoniensis, haud satis intelligo; nam Ecclesia Sirmiensis nunquam paruit Strigoniensi; sed forte spectant ea verba Primatum

Digitized by Google

tum Strigoniensium Præsulum, cui subjiciuntur Episcopi Hungariei omnino omnes. Vide Prayum p. 1. pag. 237. Anno 1274. Episcopatum vel morte, vel voluntaria cessione dimiserat.

POUKA EPISC. SIRMIENSIS III.

Pouka Ep. Sirmiensis an. 1279.

Cum Sirmiensis Ecclesia idibus Aprilis an. 1274. suo careret Episcopo, uti notat Prayus, anno tamen 1279. aliquis erat Antistes Sirmiensis, quod perhibent litteræ Martini IV. hujus anni ad Episcopum Sirmiensem, & ad alios, allatæ ab ipso Prayo in Thoma Episcopo Varadiensi. Igitur post Joannem vita functum an. 1274. vel alius interjiciendus anonymus ante Poukam, cui data sit Martini epistola, vel Pouka an. 1279. Episcopatum susceperat, & is est, ad quem scripsit Martinus. Hinc error Prayi, qui harum litterarum oblitus Poukam Episcopum Sirmiensem signavit an. 1287. Sed ne absque causa multiplicemus Episcopos, censendum potius est, episcopalia Poukæ initia an. circ. 1279. vel paullo ante figi oportere.

Pouka igitur, & Poka, & Pooka dictus, quod nomen Paullum latine sonat, uti Prayus autumat, a Martino IV. jussus est an. 1282. ut cum Archiepiscopo Colocensi & Bosnensi Episcopo munus consecrationis conferret Thomæ Varadiensi, quam huic denegaverat Philippus Episcopus Firmanus & Pontificis Legatus, quia cum Præposituram gereret S. Michaelis de Castro ferreo intra anni cursum in ordinem sacerdotalem non fuerat adscitus; verum Ecclesia S. Michaelis nec titulo nec jure parœciæ ornata, nec Præpositum poscebat sacerdotem; quare Martinus Pontifex decrevit, Thomam ad sacrorum Canonum præscripta posse episcopali consecratione donari. Nihil præterea de hoc Episcopo compertum.

GEORGIUS EPISC. SIRMIENSIS IV.

Georgius Ep. Sirmiensis an. 1292.

Anno 1292. huic Ecclesiæ præerat; in regiis litteris subscribitur *S. Irenæi & Keu Ecclesiarum Episcopus*, de quo titulo alibi dictum.

LADISLAUS EPISC. SIRMIENSIS V.

Ladislaus Ep. Sirmiensis an. 1309.

Anno 1309. Episcopatum susceperat, & in regiis litteris subscriptus est *S. Irenæi & Keu* Ecclesiarum Episcopus. Ipso anno 1309. interfuit Concilio Udvardensi coacto a Thoma II. Archiepiscopo Strigoniensi pro instauranda ecclesiastica disciplina. Cum Archidiaconus Nitriensis quosdam sui Archidiaconatus fundos locasset Ladislao, hic diu pensionis solutionem neglexerat; & hanc ob causam in judicium vocatus dicitur Reg. Clementis V. tomo 1. lib. 2. fol. 39. & Ind. Clement. pag. 2. *Coram D. Auditore Reverendissimi Cardinalis Legati instantia facta ab Angelo de Narnia Archidiacono Nitriensi in Ecclesia Strigoniensi contra Ladislaum Ep. Sirmien. ad effectum habendi annuas solutiones decursus fructuum dicti Archidiaconatus, quos dederat in affictum dicto Episcopo*. Erat tum in Hungaria Legatus Romanæ Ecclesiæ F. Gentilis Card., ad quem Archidiaconi Strigoniensis querela delata fuit; eumque ad regni Proceres legaverat Clemens V. ut de eligendo rege dissidia tollerentur, quæ diu multumque Hungariam vexabant cruentis factionibus. His se immiscuisse ferunt etiam Ladislaum, qui ante annum 1312. vitam finivit. Vid. hist. Eccl. Zagrabiensis in S. Augustino Episc. Zagrab.

GEORGIUS II. EPISC. SIRMIENSIS VI.

Georgius II. Ep. Sirmiensis anno 1312.

Annos duos supra viginti Episcopatum tenuit; sed regiminis adeo longi monumenta periere. Difficillimis tamen temporibus huic præfuit Ecclesiæ; nam Bohemi ante annos ferme novem in Hungariam hostili manu irruperant, & ecclesiasticas diœceses gravibus affecerant malis; quod testati sunt Canonici Agrienses litteris an. 1304. a Prayo allatis part. 2. pag. 170. ac pag. 169. profert epistolam plurium in Hungaria Antistitum ad Pontificem Clementem V. scriptam an. 1313., in qua convenisse se ajunt, ut *miseranda sortis regni Hungariæ* prospiciant *incommodis*, *& reformationis ejusdem negotia* procurent *supreme necessaria*, *licet quisque nostrum proprii parietis incendia*, *destructionesque ac devastationes Ecclesiarum suarum intus & extus describere non sufficeret*. Potissimum vero conqueruntur de horribili vastitate, quam Matthæus Trenchiniensis Palatinus intulerat in Ecclesiam ac diœcesim Strigoniensem; ac Pontificis consilium & opem efflagitant. Ex his Episcopis unus est suo nomine adscriptus *Georgius Sirmiensis*. Is nominatur in diplomate Caroli Roberti regis an. 1315. secundum Archiepiscopum Strigoniensem; in alio ejusdem anni 1324., & in epistola Episcoporum Provincialium ad Boleslaum Strigoniensem Primatem; tum in altero an. 1326. pro Ecclesia Zagrabiensi, & an. 1329. pro Præpositura Demesiensi in Caroli diplomate. In publicis tabulis & is legitur subscriptus *Episcopus S. Irenæi*, & *de S. Irenæo*. Anno 1332. Joannes XXII. Pontifex sibi jus nominandi eligendique Episcopi Sirmiensis pro sua potestate servatum voluit, ipso Carolo Rege petente; ita ex tab. Avenion. *Reservatio provisionis Ecclesiæ Sirmien. in finibus regni Hungariæ constitutæ, & Infidelibus vicinæ, si per obitum proprii Pastoris vel alias vacat, vel quamprimum vacaverit, instante Carolo rege. Dat. Aven. IV. id. Mart. an. Joan. XVI. tomo 8. fol. 212. & in Ind. Clem. pag. 423.* Vicina erat *Infidelibus* Ecclesia Sirmiensis, cum trans Istrum Tartari adhuc in iis regionibus insiderent Savo & Istro proximis. Georgius an. 1334. jam obierat.

GRE-

Digitized by Google

GREGORIUS EPISC. SIRMIENSIS VII.

Gregorius Episc. Sirmiensis an. 1334.

Franciscani instituti assecla an. 1334. Sirmiensem Cathedram conscendit jussu Joannis XXII. *Promotio Gregorii Ord. Fratrum Minor. ad Episcopatum Sirmiensem post obitum b. m. Georgii prævia & speciali reservatione vacantem. Dat. Avenione 16. Kal. Julii an. Jo.* 18. Ex arch. Avenion. Tomo 9. p. 1. fol. 459. & Ind. Clem. pag. 240. Habeo & Joannis litteras ad Gregorium in hanc sententiam scriptas.

Litteræ ad illum Joannis XXII.

„ Ven. F. Gregorio Episcopo Sirmiensi, „ In supernæ dignitatis specula licet immeriti disponente Domino constituti curis „ continuis angimur & pulsamur insultibus „ successivis, ut de personis talibus provideatur Ecclesiis Pastoribus destitutis, quarum industria & virtute eædem Ecclesiæ, „ ne longæ vacationis dispendia patiantur, „ in suis juribus & libertatibus conserventur, reddatur tranquillior Clericatus, & „ commodis salutis & gaudiis plebs lætetur. „ Olim siquidem bonæ memoriæ Georgio „ Sirmiensi Episcopo regimini Sirmiensis „ Ecclesiæ præsidente, nos intendentes eidem Ecclesiæ, cum eam vacare quovis modo contingeret, nostræ operationis ministerio idoneam præsidere personam, provi„ sionem ejusdem Ecclesiæ, cum vacaret, ordinationi ac dispositioni nostræ & Sedis „ Apostolicæ ea vice duximus specialiter reservandam. Postmodum præfata Ecclesia „ per obitum ejusdem Georgii Episcopi, qui „ in partibus illis diem clausit extremum, „ Pastoris solatio destituta, nos vacatione „ hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, „ ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem & „ felicem, de qua nullus præter nos se hac „ vice intromittere potest, reservatione & „ decreto obsistentibus supradictis, sollicite „ cogitantes, ac cupientes talem ipsi Ecclesiæ præesse Pontificem, de quo spes certa „ verisimiliter haberetur, quod salubriter „ præesse posset, & prodesse eidem Ecclesiæ, „ post deliberationem &c. ad te Ordinis Minorum professorem &c. direximus &c. Quibus omnibus debita meditatione pensatis de „ tua persona eidem Sirmiensi Ecclesiæ &c. „ providemus, teque illi præficimus in Epi„ scopum & Pastorem &c. & subsequenter „ per Ven. Fratrem nostrum Guncelinum „ Episcopum Albanensem fecimus tibi mu„ nus consecrationis impendi &c. Datum A„ venione XVI. Kal. Julii anno 18. „ 1334. Igitur Sirmiensis Ecclesia suo Episcopo non carebat VI. *id. Decembr.* hujus anni, uti Prayus innuit, si XVI. Kal. Julias Gregorius jam fuerat renuntiatus Antistes. Biennio post vel morte, vel abdicatione Sedem vacuam reliquit.

PETRUS EPISC. SIRMIENSIS VIII.

Petrus Ep. Sirmiensis an. 1338.

Cognomento Beke; erat Præpositus Ecclesiæ Bacsiensis, idemque *secretarius Cancellarius & Comes Capellæ*, inquit Prayus, queis muneribus in aula regia fungebatur. Post annuum interregnum Sirmiensem Episcopatum suscepit regendum an. 1338. Petrus in publicis actis subscriptus & ipse est *Episcopus S. Irenæi de Keu*, quo rursum suspicamur cum Prayo translatam Sedem Episcopalem & ad illum hæc referenda ex tabulis Romanis; *Anno* 1338. *Episcopus Sirmiensis solvit pro Capitulo Ecclesiæ suæ de Keu 8. Marcas. 43. Banales. 40. Banales pro fertone computando*, quæ superius allata a nobis sunt. Interfuit solemni pompæ, qua Ludovicus Rex Hungariæ inauguratus est; suaque opera cautum est, ne quidquam sua & Strigoniensis Ecclesia detrimenti caperent, cum Ludovicus regios fundos in Sirmiensi & Quinquecclesiensi diœcesi positos cuidam magistro Csimpelino elocare vellet. Anno 1347. subscripsit decimus ab aliis Episcopis diplomati ejusdem Ludovici pro Gregorio & Georgio Comitibus de Ostrovicha. Videtur anno post obiisse in provincia Colocensi.

THOMAS EPISCOPUS SIRMIENSIS IX.

Thomas Ep. Sirmiensis an. 1349.

Cognomen illi *Benedicto*, e sacra Augustiniana familia ad episcopale hujus Ecclesiæ regimen evectus a Clemente VI. an. 1349. Ita in tab. Rom. ad hunc an. *Kal. Decemb. Thomas Benedicti ordinis Eremitarum S. Augustini Presbyter fit Episcopus Sirmiensis per obitum Petri in provincia Colocensi*. Hic primus legitur subscriptus in decreto Regii Conventus Ladislavi I. an. 1351., nam hujusmodi decretis *dietalibus*, inquit Szorenius in Vindiciis Sirmiensibus, mos non erat apponendi Episcoporum & *Baronum* regni nomina. Episcopatu & vita decesserat an. 1360. quo ei suffectus

JOANNES II. EPISC. SIRMIENSIS X.

Notus ex tabulis donationis factæ hoc anno Cœnobio S. Claræ in oppido Monyaras. Vix annuum Pontificatum gessit.

THOMAS II. EPISC. SIRMIENSIS XI.

In locum Joannis an. 1361. successor & post triennium exstinctus; de quo præterea nihil.

DEMETRIUS EPISC. SIRMIENSIS XII.

Non is, qui auctoribus Schmitio in Archiep. Strigon., Kerchelichio in hist. Eccl. Zagrab., Ganoczyo in Episc. Varad., Timone in Purpura Pannon., Varadiensem Ecclesiam rexit, inde ad Zagrabiensem transiit, postea Archiepiscopus Strigoniensis Romana purpura donatus est ab Urbano V. Etenim Demetrius Varadiensis Antistes electus est anno 1345. cum Petrus Ecclesiæ Sirmiensi jam ab anno 1338. præesset & ad an. usque 1349. vitam cum Episcopatu produxit. Hunc secuti tres

Epi-

Digitized by Google

Demetrius Ep. Sirm. anno 1364. postea Transylvaniensis.

Episcopi Sirmienses ad an. usque 1364. quo Demetrius noster huic Ecclesiæ præfectus est, & an. 1368. ad Transylvaniensem migravit. Vide Prayum. par. 2. pag. 175. Ejus nomen solummodo nobis innotescit ex duplici diplomate Ludovici Regis, altero pro Cœnobio Virginum veteris Budæ, altero pro Arbensi Ecclesia, quod habes in Tomo V., in eoque ad Episcopos Zagrabienses corrigendus error Farlati, qui Demetrium Antistitem Sirmiensem cum Zagrabiensi confundit.

STEPHANUS EPISC. SIRMIENSIS XIII.

Anno 1368. notus ex diplomate regis Ludovici anno 1373. pro Virginibus de Valle Vesprimiensi, & anno post in ejus locum successit

JOANNES III. EPISC. SIRMIENSIS XIV.

De quo in diplomate ejusdem Regis secundum Monasterium Pecs-Varadiense anni 1379. & an. 1388. testis nominatur in tabulis donationum, quas Joannes de Kanisa Archiepiscopus Strigoniensis suæ Ecclesiæ largitus fuerat. In tabulis Romanis an. 1375. 27. *Jan. obligat pro communi servitio florenos* 100. Annos ferme septemdecim præfuit huic Ecclesiæ.

GREGORIUS II. EPISC. SIRMIENSIS XV.

Electus an. 1393. post quadriennium ad Chanadiensem Ecclesiam translatus est.

THOMAS III. EPISC. SIRMIENSIS XVI.

Ab Ludovico Rege nominatus anno 1397. etsi Bonifacius IX. rursum sibi jus servasset eligendi Antistitis Sirmiensis, inquit Prayus. Erat nescio cui religiosæ familiæ addictus. Exstant tabulæ, queis Thomas remittit Ladislao de Bozgon decumam vini sibi debitam e reditibus episcopalibus in villis Varagno, Hozgomezeu, & Cregon.; has citat Prayus. Vix triennium rexit Ecclesiam.

LADISLAUS II. EPISCOPUS SIRMIENSIS XVII.

Ab an. 1399. ad Kal. Martias anni 1401. tenuit Episcopatum. Cætera de illo ignota.

DOUSA EPISC. SIRMIENSIS XVIII.

Dousa Ep. Sirmiensis an. 1401.

Post quadriennium e quopiam Ordine religioso ad hanc Sedem evehitur an. 1401., quam Non. Februariis anni insequentis seu morte, seu aliam ob causam reliquit. Insequentibus annis nullus erat Episcopus Sirmiensis; & an. 1410. Branda Castillionius dicitur a Prayo Administrator Sirmiensis, cum iis in locis legatione apostolica fungeretur nomine Joannis XXIII. cujus electioni consenserat in Concilio Pisano adversus Gregorium XII. & ab hoc de Placentino Episcopatu fuerat dejectus, dum universa Ecclesia diro schismate, & turbulentis factionibus tres in partes scindebatur.

PAULLUS EPISC. SIRMIENSIS XIX.

Electus IV. Kal. Junias an. 1410. solo nomine cognitus; & quinquennio post vita functus.

PETRUS II. EPISC. SIRMIENSIS XX.

Ab anno 1415. ad annum 1418., neque præter nomen de illo quidquam memoriæ proditum. Hunc subsecutus

FRANCISCUS EPISC. SIRMIENSIS XXI.

Anno 1419., cujus nomen in diplomate Reginæ Mariæ pro Cœnobio S. Paulli. Vix annuum Episcopatum gessit, decessitque an. 1420.

JACOBUS BLASIUS EPISCOPUS SIRMIENSIS XXII.

Jacobus Blasius Ep. Sirmiensis an. 1420.

In actis Consist. Tomo I. veterior. pag. 107. 3. *id. Maji.* an. 1420. *provisum est* a Martino V. an. III. sui Pontificatus *Ecclesiæ Syrimiensi vac. propter mortem de persona Jacobi Blasii Mikola de Szalankemen electi*; qui Episcopatum perduxit ad an. 1432. inscriptus duplici Mariæ Reginæ diplomate, altero an. 1424. secundum Virgines de Valle Vesprimiensi, altero pro Præpositura de Eors an. 1431. Post hujus obitum

CONRADUS EPISC. SIRMIENSIS XXIII.

Nominatus in tab. Rom. 1433. VI. *Kal. Augusti Frater Conradus Snosputger de Ratisbona ordinis Eremitarum S. Augustini fit Episcopus Sirmiensis.* Anno post

JACOBUS EPISC. SIRMIENSIS XXIV.

Jacobus Ep. Sirmiensis an. 1434.

Subscriptus decretis a Sigismundo Rege latis VIII. id. Martias an. 1435. Infelicissimo tempore huic præfuit Ecclesiæ; nam regni Procerum dissidia, & vicinæ Bohemotum hæreses, & quæ imminebant a Turcis pericula, Hungariæ statum ac religionem graviter obturbabant. Attulit tamen aliquid præsidii atque solatii Ecclesiæ Sirmiensi adventus B. Jacobi Piceni viri sanctissimi e Franciscana familia, qui in Bosniam venerat an. 1355. ad sui Ordinis disciplinam restituendam, & fidem Catholicam adversus Patarenos tutandam. Vide Wadingum Tomo X. & Tomum 4. Op. nostri. Hunc anno eodem ad se evocavit e Bosnia Sigismundus Imperator, ut ejus opera Bohemi rebelles ad pacis justa pacta inducerentur, datis ad eum litteris an. 1435., quas habes in Waddingo. Nec inanis fuit Jacobi labor, & ardor religionis Catholicæ in Bohemia

Digitized by Google

servandæ adversus Hussitas, e quibus plurimi in Hungariam aufugerant. Ne vero ea pestis Hungaricas Ecclesias inficeret, jussus est Jacobus ab Eugenio IV. an. 1436. eo se conferre; eique inquirendi in hæreticos munus datum est pontificio diplomate ibidem a Waddingo allato. Quot vero eo in regno beneficia Jacobus præstiterit Catholicis hominibus, quot ab erroribus & hæreticorum insidiis dioeceses servaverit incolumes, testantur Strigoniensis & Colocensis Archiepiscopi, tum aliorum Antistitum ad Pontificem litteræ a Waddingo laudatæ. Ex his etiam Jacobus Episcopus scripsit ad Eugenium an. 1437. cujus epistolæ particulam exhibet Prayus par. 2. pag. 380., ac dolemus integram ab eo non fuisse exscriptam; hinc enim plura fortasse innotescerent illustrandis ipsius Episcopi, & beati Jacobi actis utilia. *Harum serie*, inquit Jacobus, *eidem vestræ duximus declarandum sanctitati, quomodo venerabilis & religiosus pater dominus Frater Jacobus de Marchia Vicarius Bosnensis Ordinis Fratrum Minorum per ipsam vestram sanctitatem in hoc regno Hungariæ Inquisitor..... hæreticæ pravitatis.... nuper ad nostram Ecclesiam & diœcesim satis exiguam in confinibus* ipsius *regni circa Rascianos Schismaticos sitam advenit*; queis verbis postremis innuere videtur suæ diœcesis partem trans Savum sitam ad Bosniæ ac Rasciæ confinia fuisse. Interea Amurathes rex Turcarum pluribus elatus victoriis, quibus Græcorum imperium labasci jam cœperat, Adrianopoli capta, Bulgariæ, ac Serbliæ, & ipsi Hungariæ instare videbatur. Hujus impetum ut frangeret, Uadislaus Rex comparato exercitu ad Varnam fluvium hostem aggreditur an. 1444. consertoque prælio IV. id Novembres infaustis auspiciis, cum die fere tota dimicatum esset, denique victus ac telis confossus in acie periit, Hungarorum copiæ partim cæsæ, partim in fugam actæ. Ex his duodecim, eoque amplius hominum millia cecidisse dicuntur, ex hostibus millia triginta; quam suorum eædem. ut Amurathes conspexit, *Nollem*, inquit, *sic sæpe vincere*. Hac clade accepta, contremuit Hungaria universa, dum victor Turcarum exercitus in regni fines excurrens obvia quæque crudelem in modum depopulabatur. Tum Jacobum e Sirmia ulteriori profugisse arbitror Banmonostram aut Mitrovitzium, ubi rursum statuta ab eo fuerit sedes episcopalis; quamquam, quo tutior ei locus esset ab hostilibus incursibus, non dubito, quin in arcem Villacensem satis munitam sese receperit; ibique ad an. fortasse 1526. constitere aliquando Episcopi Sirmienses vel precario, vel voluntario Episcopi Quinquecclesiensis concessu, cui Willakum suberat, quodque postea in Sirmiensem dioecesim transiit sæc. XVIII.

B. Jacobus Picenus Sirmium venit.

Clades Varnenses.

Erat eo tempore Willakum sub ditione Nicolai Principis, sive ut ajunt Waywodæ Transylvani, qui pio studio consulendi oppidanorum egestati petiit a Nicolao V. Pontifice, ut sibi liceret domum hospitalem exstruere, in qua conjunctim pauperes alerentur, tum ut loci Præsidem ipse patroni jure nominaret, simulque altaris D. Nicolao erigendi in sua Æde titulo Omnium Sanctorum sacra potestate donaretur, Annuit itaque Pontifex, & Andreæ Episcopo Quinquecclesiensi misit diploma cum mandatis hujusmodi,

Diploma Nicolai V. pro domo Hospitali Willacensi.

„ Nicolaus &c. Venerabili Fratri Episco-
„ po Quinquecclesiensi salutem. De his, qui
„ divini cultus augmentum & animarum sa-
„ lutem, necnon pauperum & miserabilium
„ personarum commodum & utilitatem re-
„ spiciunt, libenter annuimus, eisque ut ef-
„ ficacem consequantur effectum, apostolici fa-
„ voris præsidium impertimur. Exhibita si-
„ quidem nobis nuper pro parte dilecti filii
„ nobilis viri Nicolai de Vylac Waywodæ
„ Transylvani petitio continebat, quod ipse
„ de propria salute recogitans, ac cupiens ter-
„ rena in cælestia, transitoria in æterna feli-
„ ci commercio commutare, in quadam Ca-
„ pella oppidi sui Vylak sub vocabulo O-
„ mnium Sanctorum constructa, cujus ipse
„ Patronus exsistit, de bonis sibi a Deo
„ collatis unum altare in honorem S. Nico-
„ lai construere, & illud opulenter dotare,
„ ac juxta dictam Capellam pro usu & ha-
„ bitatione pauperum & miserabilium perso-
„ narum unum Hospitale similiter fundare, ac
„ pariter pro copioso numero eorumdem pau-
„ perum dotare, lectulos quoque fulcire,
„ & de necessariis providere proponit. Qua-
„ propter pro parte dicti Nicolai nobis fuit
„ humiliter supplicatum, ut præmissa facien-
„ di licentiam concedere, sibique ac suis suc-
„ cessoribus in perpetuum Juspatronatum Pri-
„ orem ad ipsum hac prima vice, & quoties
„ postea illud vacare contigerit, præsentandi
„ Rectori quoque Plebano nuncupato parochialis
„ Ecclesiæ S. Petri dicti oppidi.... in re-
„ gimine dicti Hospitalis superstes sive pro-
„ visor existat, & supra ipsum Priorem ju-
„ risdictionem & potestatem obtineat, con-
„ cedere ac alias super his opportune provi-
„ dere de beniguitate apostolica dignaremur.
„ Nos igitur, qui Fidelium mentes ad pie-
„ tatis & charitatis opera libenter inducimus,
„ volentes eumdem Nicolaum in hujusmodi
„ suo laudabili proposito confovere, Frater-
„ nitati vestræ per apostolica scripta man-
„ damus, quatenus eodem Nicolao altare &
„ Hospitale prædicta fundandi & construen-
„ di, seu construi faciendi atque dotandi,
„ ut præfertur, auctoritate nostra licentiam
„ largiaris; & nihilominus jus Patronatus &
„ præsentandi personam idoneam in Priorem
„ dicti Hospitalis, postquam, ut præmittitur,
„ institutum, fundatum, ac dotatum fuerit,
„ hac prima vice, & deinceps quoties....
„ vacare contigerit, eidem Nicolao suisque
„ hæredibus & successoribus antedictis in
„ perpetuum prædicta auctoritate reserves;
„ jure tamen parochialis Ecclesiæ supradictæ
„ & cujusvis alterius in omnibus semper sal-
„ vo. Volumus autem, quod Rector dictæ
„ parochialis Ecclesiæ S. Petri Provisor &
„ Superior in regimine dicti Hospitalis exi-
„ stat,

Digitized by Google

„ stat, nec non Missæ & alia divina Officia „ per modernum ejusdem Capellæ Omnium „ Sanctorum & alios Capellanos ad altare S. „ Nicolai instituendos dicantur, qui una „ cum ipsius Hospitalis Priore regimini & „ correctioni Rectoris Plebani nuncupati præ„ dicti subsint, ipseque Rector Plebanus cul„ pas & excessus Capellanorum & Prioris „ eorumdem, siqui per eos pro tempore per„ petrati fuerint, corrigere non postponat, „ non obstantibus Constitutionibus Apostoli„ cis, cæterisque contrariis quibuscumque. „ Datum Romæ apud S. Petrum An. Incarn. „ Dom. Millesimo quadringentesimo quinqua„ gesimo primo, tertio Nonas Maji, Pontifi„ catus nostri Anno quinto. „

Cœnobium Franciscanum Willacense.

Et quo certi reditus constituerentur pauperum eo in loco alimoniæ, Nicolaus anno 1454. impetravit a Pontifice Eugenio IV., ut dimissis e cœnobio Patribus Franciscanis, quos *Conventuales* appellant, eorum proventus in Hospitalis possessionem transferrentur. Sed ne oppidani Willacenses iis adjumentis carerent, quæ animarum cultui sedulo impendunt viri Deo sacri, & Franciscana disciplina obstricti, in Conventualium locum alios accersivit ejusdem Ordinis, qui *Observantes* dicti; & aptas illi instituto ædes ædificavit in veteri cœnobio intra Arcis mœnia sito. His tamen obsistentibus, ne Conventualibus injuria inferri videretur, jussit Pontifex datis litteris ad Dionysium Archiepiscopum Strigoniensem Nicolai consilio eos acquiescere, & obsequi voluntati. V. Waddingum anno 1454. Nicolai hujus præclara in Rempublicam Christianam & Hungaricam merita commemorant Hungarici Scriptores: neque solum pluribus religionis operibus, sed etiam armis utrique profuit adversus Turcarum impetus. Strenuus Joannis Hunniadis adjutor post ejus obitum præfuit Hungaricis copiis, & hostiles acies fortiter repulit e regni finibus. Si vero Matthiæ Corvino Regi visus est aliquando obsistere, cum eo demum pace constituta, pietate morum, animi fortitudine, belli artibus clarus diem supremum Willachi obivit. Jacobus Episcopus hoc anno, vel paullo ante vita decessit.

Jacobi Ep. obitus.

JACOBUS II. EPISC. SIRMIENSIS XXV.

Jacobus II. Ep. Sirmiensis anno 1455.

Cujus Episcopatus initia tristia fuere. Nam Mahometes II. Amurathis II. filius postquam an. 1453. regiam urbem Constantinopolim cepisset, & interfecto Constantino postremo Græcorum Imperatore, eorumque deleto imperio Thracia, Bulgaria, Serbliæ ac Rasciæ regnis potitus esset, improviso cum lectissimo quadringentorum hominum millium exercitu in Hungariam castra movit, & Belgradum ad Danubium arcta obsidione cinxit; qua urbe expugnata, ejus impetus, ac furor retardari nulla armorum vi, nedum retundi potuisset. Sed afflictis ac pæne desperatis gentis Hungaricæ rebus præsto adfuit bellica virtus Joannis Hunniadis, in quo cum patria charitate flagrans fervebat religionis ac pietatis amor, illique ad exstimulandos in teterrimum hostem Hungarorum animos comes additus B. Joannes a Capistrano, ut quod ille armis, hic hortandi milites suadendique sacra facundia, potissimum fusis ad Deum precibus barbarorum superbiam frangeret, & irrumpentes acies ab iis regionibus arceret. Hunniades igitur parva militum fortissimorum manu collecta hostem adortus est Joanne impulsore, ac devictis Turcarum copiis, & ad internecionem cæsis, quæque superfuerant, in turpem fugam conjectis, illustrem retulit victoriam, regnumque & Christianam rempublicam omni metu liberavit. Id cælesti potius ope, quam humana virtute effectum est anno 1456. Nec multo post Hunniade primum III. Idus Augusti hujus anni, mox Capistranus IX. Kal. Novembres mortalem vitam heroicis gestis cumulatam cum æterna commutarunt. De Hunniade, ejusque præclaris meritis in Catholicam religionem & Hungariæ regnum nullæ silent eorum temporum historiæ, & tanti ducis memoria omnium Scriptorum litteris consignata adhuc gloriose vivit in ecclesiasticis annalibus & in Hungariæ fastis. Quod ad Capistranum attinet, & ad historiam nostram, vir ille sanctissimus, cujus apostolicis laboribus ferventique adversus hæreticos Fidei ardori, & eximiæ in Deum pietati Hungaria universa, nec minus regio Sirmiensis debet tum servata sacra avitæ religionis, servatos patrios lares, totiusque regni incolumitatem, mortuo Hunniade, cui in supremo vitæ agone fidus adstiterat, lethali demum morbo correptus, Willakum, quod cupiebat maxime, perductus est in cœnobium sui Ordinis. Nicolaus oppidi Dynasta, qui Joannis sanctitatem sincero animi obsequio affectuque reverebatur, omnia ei officia impendi jussit, quæ ægritudinem levarent saltem, si non tollerent omnino; cumque morti jam proximus esset, ingens ad eum visendum principum virorum concursus factus est, magnus etiam omnium mœror & luctus; nec ab ejus lectulo abesse voluit Pontificis Callisti III. Legatus & Cardinalis, cui pontificio nomine belli contra Turcas gerendi procuratio tradita fuerat. Exstincti Joannis corpus, inquit Waddingus Tomo XII. pag. 413., *dum per dies aliquot insepultum mira populorum ex tota circumquaque regione confluentium multitudo veneraretur, quidam urbis Plebanus, qui olim e Minoritis recesserat, Religiosis & Capistrano adversus, Cardinali Legato per litteras suggessit, nimiam defuncto exhiberi venerationem, & pretensa Capistrani sanctitate Fratres nundinari. Utque magis irritaret, subjunxit passim & ubique a Fratribus celebrari victoriam Albæ Regalis totam Capistrano adscribi absque ullo aliorum participio. Misit statim Legatus, qui curaret sepeliri, idque factum die Veneris septimo post obitum. Toto hoc tempore in choro diligenter custoditum, omnibus expositum, suavem mittebat odorem, flexile, molle, pulchrum,*

Hungarorum de Turcis victoria.

B. Joannis a Capistrano mors.

Digitized by Google

simile dormienti. Adveniens postea Nicolaus Vaivoda, urbis regulus, impatienter tulit Cardinalis præceptum, jussitque exhumari cadaver. Etiam tunc visu gratum incorruptionis perpetuæ videbatur signa præferre, excitavitque herois animum, ut nobili theca bene munitum peculiari collocaretur sacello, & perpetuo noctis dieque coram tumulo accensa collucerent funalia, ubi hoc insculptum epitaphium.

Hic tumulus servat præclara laude Joannem
Gente Capistrana, Fidei defensor & auctor,
Ecclesiæ tutor, Christi tuba, tum Ordinis ardens
Fautor, in Orbe decus, tum veri cultor & æqui,
Et vitæ speculum, doctrinæ maximus index,
Laudibus innumeris jam possidet astra beatus.
Vixit annos XXXCI. M. III. D. XXII.

Quatuor vix anni ab illius obitu excesserant, & sanctitatis fama, ac prodigiorum, quæ Joannis meritis Deus operabatur in cunctis Europæ provinciis, adeo percrebuerat, ut Germaniæ præsertim, atque Hungariæ principes viri, ipsique Reges, & nobiliores civitates pari studio religiosum esse duxerint, & Catholicæ Fidei bono & decori valde consentaneum, a Pio II. Pontifice exposcere, ut præscriptis Ecclesiæ legibus, & consueto solemni ritu Divorum honor & cultus Joanni decerneretur. Id a plurimis præstitum, quod Waddingus commemorat Tomo XIII., multoque magis Willacenses cives, qui sacri corporis possessione gloriabantur, pium incensumque desiderium illius gloriæ amplificandæ publicis hisce litteris testati sunt.

Willacensium de illo pnblica testificatio.

Universis & singulis Orthodoxæ Fidei cultoribus, Principibus videlicet, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Judicibus, Civitatumque & Communitatum Rectoribus, nec non Venerabilibus DD. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & quarumvis dignitatum præeminentia refulgentibus in Italiæ partibus, vel alibi ubivis in orbe Christiano demorantibus DD. nostris colendissimis, & in Christo Jesu amicis peramantissimis, Judex Juratique cives, & tota Communitas Civitatis Huuylak regni Hungariæ, salutem & prosperos successus cum paratissima obsequendi voluntate.

Quandoquidem omnium fere Christianorum nostri potissimum regni vota desideriaque ad id aspirare atque accendi certa experientia dierum comperimus, & claris indiciis nobis ostendi intuemur, ut præclaræ memoriæ vir beatus frater Joannes de Capistrano Ordinis Minorum de observantia catalogo Sanctorum adscribatur, nos quoque, qui in nostra Civitate ejus Reliquias corporis recónditas habemus, & plurima beneficia erga ejus sepulcrum multi incolarum nostræ Civitatis receperunt, & in dies recipere non desinunt, tanto fervidius id desideramus, imo procuramus, prout vires nobis suppetunt, tenemur & obligamur, ut Vir iste beatus, nostræ Civitatis fulcimen & ornamentum atque decor, inter alios Sanctos catalogo adscribatur Sanctorum. Nos equidem, qui jugem in hac nostra Civitate moram trahimus, isterum, quæ Altissimus per beati Viri merita operari non cessat, prodigiorum & miraculorum, veri testes esse valemus; quandoquidem ex diversis partibus longe propeque positis, hinc inde populum innumerum turmatim ad ipsius beati Viri sepulcrum conspicimus, inter quos alios a cæcitate ad lumen clare videndi concernimus, alios a surditate curatos, alios a mutitate sanatos, alios ab impotentia ambulandi recto gressui restitutos, alios a paralysi plene liberatos, quosdam vero contractos & aridos integræ sanitati restitutos, plurimos a dæmonibus liberatos, in extremis queque laborantes & agonizantes a faucibus mortis erutos, cæterosque quoque, quibus vivendi spes perierat, & mortui fuerant, emisso pro ipsis voto ad ipsum beatum Joannem, incolumes rediisse jam toties experti sumus, & experimur incessanter. Multa nihilominus alia sunt, quæ longum foret calamo exarare, quæ apud nos registrata tenentur in Monasterio Virginis gloriosæ apud Fratres Minores, quorum veritas nobis clara est & manifesta; quæ profecto omnia quadam aviditate certiores voce attestamur, ipsum Beatum nostræ patronum Civitatis, ut speramus, perpetuo futurum, Sanctorum catalogo adscribi fore dignissimum. Quapropter præstantissimi Domini, & amici nostri in Christo, partium præcipue Italiæ prænominatis nominibus vocitati, universi ejus cives, in Domino requirimus per præsentem præclaras Dominationes vestras, qui Sedi Apostolicæ propinquiores existitis, potentesque apud eamdem Sedem vos esse non ambigimus, quando pro extollentia dicti hominis, proque augmento Catholicæ Fidei & favore devotionis populi Christiani, necnon pro conversione Infidelium, vestræ placeat Dominationi apud prædictam Sedem Apostolicam vestras porrigere supplices tam humiles, quam devotas & frequentes preces ad Sanctissimum D. N. Pontificem Romanum, ut virum prænominatum sanctum Joannem catalogo dignetur adscribere Sanctorum, quod nos miro affectu desideramus pariter, & postulamus, prout Magnificus Dominus noster Nicolaus Huuylak Vayvoda idipsum desiderat & affectat, operamque huic rei sanctæ dare spondet, prout suo scripto mandavit, ab illo una nobiscum speraus recipere mercedem, qui suos Sanctos mirifice in terris prodigiorum signis, & stola immortalitatis vestit in cælis, Dominus noster Jesu Christus, in quo vos speramus & desideramus bene valere. Datum in dicta Civitate Huuylak die IX. Aprilis anno Domini nostri Jesu Christi MCCCCLX. Ad prædictorum vero robur & testimonium verax præsentes munimus nostri majoris & consueti sigilli appensione.

Sed res sero contra votum Willacensium sucessit; & provincia Sirmiensis in miseram servitutem inciderat, ut dicemus inferius, cum Joannes Beati titulo cultuque a Romano Pontifice ad aras elatus est.

Inter hæc autem læta & fausta non est ambigendum, quin Jacobus Episcopus suam & ipse operam in eommunem salutem contu-

Digitized by Google

tulerit, & variis objectam periculis diœcesim tueri simul, atque solari provide ac peramanter sategerit; eique non parum adjumenti putamus obvenisse a B. Jacobo Picено, qui, ut auctor est Waddingus, in Hungariam venit rursus, & Capistrani vice Christianorum animos in sacro bello adversus communem hostem persequendo confirmavit. Illius acta nos latent. Ad annum circ. 1464. vitam produxit.

Jacobi Ep. mors.

Hoc Antistite, nomen Sirmiense nobilitavit litteris, ac civilibus & ecclesiasticis clarus muneribus Janus vulgo Pannonius appellatus. Mitrovitzii, uti est in lib. Angeli Collocii de republ. litter., humili loco natus est, patre Ludicio fabro lignario, matre Barbara, quæ mercenario manuum opere victum procurabat. Joannis nomen ei impositum in sacro baptismate, quod postea pro more litteratis illius ævi hominibus communi in Jani vocabulum convertit; ita enim suo quodam Epigrammate ipse lusit.

Jani Pannonii elogium.

Joannes fuerat, Janum quem pagina dicit,
Admonitum ne te, lector amice, neges.
Non ego per fastum sprevi tam nobile nomen,
Quo nullum toto clarius orbe sonat.
Compulit invitum mutare vocabula, cum me
Lavit in Aonio flava Thalia lacu.

In Italiam venit adolescens, ac Ferrariæ annos septemdecim in liberales disciplinas incubuit, præceptore Guarino Veronensi; poesim vero excoluit quam qui maxime, ope Galeotti poetæ eo tempore laudatissimi. In Hungariam redux, & ingenii, ac morum celebritate illustris a Matthia Corvino Rege Episcopus Quinquecclesiensis nominatus est an. 1462. juvenili admodum ætate, ipso teste libro 1. Poemat. eleg. 1.

At postquam patriæ me reddidit Itala tellus,
Obtigit & juveni Pontificalis honos.

Quo in munere omnia egregii Episcopi officia præstitit suæ Ecclesiæ, omnesque tum ecclesiastici ordinis, tum civilis sibi devinxit religione, charitate, munificentia in alendis Clericis, egenis sublevandis, exstruendis ornandisque Ecclesiis.

Sed cum regni Proceres in Matthiam Regem conspirassent, Joannes infenso in eum animo ardens, se ad arma convertit, & factionis impulsor ac princeps cum avunculo suo Joanne Vitezio Archiepiscopo Strigoniensi diu in castris versatus est malo suo fato. Etenim rebelles viribus impares ad Regis imperium & obsequia rediere; Strigoniensis Antistes militum custodiæ a Matthia traditus est, & Joannes sibi metuens Zagrabiam aufugit, ac paullo post audita avunculi morte, dolore correptus interiit an. 1471. ejus vero cadaver clam Quinquecclesias delatum, & ligneo loculo pice illito inclusum Canonici absque honore ullo, veriti Regis indignationem, absconderunt. Id cum Matthiæ postea innotuisset, tanti viri casu indoluit immemor injuriarum; corpus illius lugubri pompa efferri jussit, & justis rite persolutis honesto sepulchro condi; cujus epigraphem ipse sibi Joannes composuerat hisce versibus.

Hic situs est Janus, patrium qui primus ad Istrum
Duxit laurigeras ex Helicone Deas.
Hunc saltem titulum, livor, permitte sepulto;
Invidiæ non est in monumenta locus.

Joannem summis laudibus prosecuti sunt docti ea tempestate viri Hungari & Itali, ejusque honorifice meminere posteri Scriptores, cujus opera metrica pluries edita fuere; aliaque mss. aut deperdita sunt, aut latent in Bibliothecis, præsertim Annales patriæ heroico carmine elegantissime descriptos, quos Vindobonæ se vidisse testatur Sambucus in præfat. præposita illius Poematibus. Inter epistolas Marsilii Ficini Tomo 2. Op. duæ exstant ad Pannonium, qui Marsilium noverat in Italia, ejusque coluit amicitiam. Bonfinius dec. IV. Rerum Hungar. lib. 3. hoc eum ornavit elogio.

Æternum sui desiderium non minus Pannoniæ, quam Italiæ reliquit. Annos septemdecim sub Guarini Veronensis disciplina fuerat; utramque ab ineunte pueritia linguam imbiberat. Præceptor ejus sæpe dicere solebat, se nullum adhuc ex Italis peregrinisque discipulum habuisse, qui præstantia, docilitate fœcunditateque ingenti cum Joanne Pannonio conferre posses. Si latine loquebatur in urbe Roma, si Græce, mediis natum Athenis affirmasses. Nil barbarici actio & oratio redolebat. Natum ad carmen ingenium reputaveris; in prosa oratione non injucundum. Quod si in publicis curis & procellis non fluctuasset, nimirum cum priscis oratoribus & poetis certare potuisset. De Joanne habes plura in Czvittingeri Specimine Hung. litter. pag. 287.

URBANUS EPISC. SIRMIENSIS XXVI.

Solo nomine innotescit ex Prayo. Præfuit ab an. 1464. ad an. circ. 1469.

NICOLAUS EPISC. SIRMIENSIS XXVII.

Et hunc suppeditat Prayus an. 1469. cognomen illi de Bathor; an ex vetustissima familia Hungarica de Bathor, quæ in duas divisa, altera Bathori de Bathor, altera Bathori de Somlyo dicta, nobilitate, litteris, armis, & infulis & Romana purpura inclaruit. Vide laudatum Czvittingerum. Nicolai acta ignota. Annos ferme VI. vixit in Episcopatu. Siquid tamen conjecturæ haud levi est concedendum, suspicor ego, Nicolaum nostrum, cujus Episcopatus a Prayo producitur ad an. 1475., eumdem esse, quem idem auctor ipso anno nominat Episcopum Vaciensem. Conveniunt in utroque nomen Nicolai, & cognomen de Bathor; congruit & annus dimissæ Ecclesiæ Sirmiensis cum an-

Nicolaus de Bathor Ep. Sirmiensis an. 1469.

Digitized by Google

anno iniți Episcopatus Vaciensis; quæ duo vim habent persuadendi; & Prayus aut memoriæ defectu omisit, aut monumentis cum careret, fortasse ignoravit Nicolai ab una ad aliam Ecclesiam transitum. Nicolaus familiariter usus est doctissimo illius temporis viro Marsilio Ficino, dum in Italia studiorum causa commorabatur, tresque exstant Ficini ad illum epistolæ in tomo 2. Op. suorum, quarum tertia scripta est VIII. *Kal. Junias MCCCCLXXIX. Florentiæ*. Sed in his nullum vestigium, unde suspicemur cum Prayo Nicolaum docuisse publice in Italis Lycæis theologicas disciplinas. Est & alia Marsilii epistola ad Matthiam Regem Hungariæ *die* VI. *Septembris MCCCCLXXXIX. in agro Caregio*; ibique multa honorifice scribit de Nicolao quodam Hungaro, qui nuper ex Italia in Pannoniam se contulerat, quique e Marsilii verbis videtur publico docendi Theologiam munere perfunctus fuisse; quis vero Nicolaum jam Vaciensem Episcopum in Italia tum constitisse credat, ut tradendis theologicis doctrinis vacaret? cum Ficinus eum in Pannoniam reversum dicat *nuper*, hoc scilicet anno 1489. & paullo ante mensem Septembrem; cur vero titulum Episcopatus negligit, qui aliis litteris Nicolai dignitatem reveretur? De alio quopiam Nicolao hic agi existimo a Ficino, qui ingenii & doctrinæ laude nomen Hungaricum apud Italos auxerit; cujusmodi plures eo inde conveniebant ad litteras addiscendas tum magistrorum fama allecti, tum Matthiæ studio impulsi, qui doctis hominibus regia plane munificentia atque humanitate favere solitus fuit. Hæc attigisse satis, quæ aliorum subsint judicio.

SIGISMUNDUS EPISCOPUS SIRMIENSIS XXVIII.

Hanc Sedem conscenderat, ab ætatis impedimento pontificis gratia solutus; e familia Paloezia ortus dicitur a Prayo. Vitam & Episcopatum finivit an. circ. 1480.

JOANNES IV. EPISCOPUS SIRMIENSIS XXIX.

Joan. IV. Epsc. Sirmiensis an. 1481.

Vitezius cognominatus, etsi Prayus de illius genere dubitet, & aliqua fortasse sanguinis cognatione cum Joanne III. Vitezio Strigoniensi Archiepiscopo & Cardinali conjunctus, cujus cognominis clarus exstitit eodem tempore Ladislaus Vitezius Matthiæ Regis legatus ad Sixtum IV. Pontificem, ejusque coram illo oratio Romæ habita typis fuit evulgata. Vide Czvittingerum, a quo mendose Sixtus III. dicitur, qui quartus hoc nomine tunc gerebat Romanum Pontificatum. Joannes igitur egregiis ornatus virtutibus, & ea doctrina instructus, quæ Episcopum decet, anno 1481. huic Ecclesiæ præfectus fuit, quem Bonfinius dec. 1. lib. 1. hisce verbis commendat; *Joanne Episcopo viro nobili, & gravissimo, ac multis animi corporisque dotibus prædito universus ille Scordiscorum tractus nunc magnopere gloriatur; cujus virtuti si fortuna comitem se præbuerit, longe majora sperare poterit*. Is confidenter nimis Scordiscos ponit in Pannonia secunda, ubi Sirmium; nam, auctore Livio, ea gens Mœsiam inferiorem incoluit inter Dardanos & Dalmatas; vide Tomum 1. Op. nostri. Inito a Joanne Episcopatu, fervere jam cœperat Turcicum bellum; quam ob causam Joannes de Arragonia Archiepiscopus Strigoniensis, & Sedis Apostolicæ Cardinalis Legatus in Hungaria eo anno sacrum Jubilæum indixit per Hungaricas provincias, & ecclesiastica noxarum remissione plene impertivit omnes, qui arma sumerent adversus immanem hostem nominis Christiani; & hinc additus Joanni ardor, quo diœcesis incolas animaret ad hanc veniam promerendam, ac pro aris & focis fortiter dimicandum. Attamen ea regio a Turcis erat securior; Matthias enim Rex crebris victoriis eorum vim longe repulerat, ac potentiam fregerat; quare licuit Joanni Banmonostræ tuto degere, & episcopale domicilium constituere. Multum valuit gratia apud Regem, & ab eo auctus beneficiis orator ad Pontificem Innocentium VIII. missus est de gravibus regni negotiis, a quo tradita illi fuit administratio Olomucensis in Moravia Episcopatus. Potiebatur tum Olomucensi Ecclesia Joannes de Pruis Episcopus Varadiensis sola regis auctoritate, & utraque in Sede jura episcopalia exercebat; & ab Olomucensis illegitima possessione recedere cum nollet, eamque committere Joanni, Pontifex mandatum dedit suo in Hungaria Internuntio Legato, ut adversus Varadiensem Antistitem ageret cum potestate, & obsistentem de possessa contra canonica scita Ecclesia detruderet; ita legitur, *In Instructione Innocentii VIII. ad suum Oratorem missum ad Regem Hungariæ*, quæ inter Latinos Codices Bibliothecæ Venetæ Nanianæ ab eruditissimo viro Jacobo Morellio in lucem editos, est in Cod. CII. *Item quia D. N. intellexit, quod R. D. Jo. Varadiensis de facto & sine aliqua canonica institutione in Ecclesia Olomucensi, quæ dudum per obitum bo. me. D. Prothasii dum vixit Episcopi vacaverit, & cui R. P. D. Jo. Episcopum Sirmiensem prædicti D. Regis Hungariæ Oratorem in Administratorem perpetuum præfecit, se intrusit, ac illam temerario ausu occupavit. Mandat D. Noster per suas litteras eidem D. Varadiensi, ut prædictam Ecclesiam eidem Domino una cum fructibus a tempore occupationis & intrusionis hujusmodi restituat ac dimittat, & Ecclesiam eamdem necnon castra & loca omnia, quæ tempore suæ invasionis alienavit & destruxit, reintegrare; quod si restituere, reintegrare ac dimittere recusaret, mandat D. N. eidem Nuntio & Oratori suo, ut contra eumdem Episcopum Varadiensem, omnesque alios & singulos cujusvis status &c. procedat cum potestate &c.* Qui rei exitus fuerit, narrat Ephraim Ignatius Naso in lib. *Phœnix redivivus*

Orator Matthiæ regis ad Innoc. VIII. & Administrator Olomucensis.

in-

Digitized by Google

inscripto, & an. 1667. edito Uratislaviæ. *Anno 1476. Joannes Episcopus Varadien. Ecclesiam Olomucensem diu vacantem, & in manibus hæreticorum constitutam occupabat, neque tradere voluit Joanni Episcopo Sirmiensi oratori Regis Hungariæ ad Papam, cui eam Pontifex contuleras. Quare opus fuit, ut a Papa excommunicaretur: verum ad preces Episcopi Portuensis, & Nicolai Boscbai Nuntii ejusdem Regis, ad tres menses Pontifex censuras suspendit, & Episcopum absolvit, & hortatur Regem, ut interim Episcopus ad cor redeat.*

Nomen Joannis hoc ipso anno adscriptum est decreto IV. Regis, typis vulgato ad calcem historiæ Bonfinianæ in edit. Colon. Agrip. an. 1690., & anno 1489. is subscripsit diplomati regio pro Præpositura de Eors, quo etiam Sirmiensem Episcopatum cum Vesprimiensi commutavit: *Die 3. Junii anno 1489. Pontifex absolvit Rdmum P. D. Johannem Episcopum Sirmiensem a vinculo* &c. *& ad Vesprimien. Eccl. transtulit*; ita in tabulis Rom. Hinc error deprehenditur Ladislai Szoreny Ep. Sirmiensis, qui in suis *Vindiciis Sirmiensibus* Joannem ad Strigoniensem Archiepiscopatum transisse scripsit; certum præterea est Hippolytum Estensem tum Strigoniensi præfuisse Ecclesiæ.

Ad Ecclesiam Vesprimiensem transfertur.

STEPHANUS II. EPISCOPUS SIRMIENSIS XXX.

Stephanus II. Episc. Sirmiensis an. 1490.

Cognomine Crispus, Hungarico idiomate *Fogor*, inquit Prayus, de Nagy-Luche oriundus, cujus patruus fuit Urbanus de Nagy-Luche Episcopus Agriensis. Magni ingenii virum, Ferrariæ antea ac Romæ liberalibus disciplinis instructum excultumque, & hinc magni etiam nominis, & ingentis exspectationis, ad hanc Sedem evexit Innocentius VIII. *Anno* 1490. *providit 26. Februarii de persona R. i. D. Stephani Crispi..... Jauriensis diœc. Sirmiensem Eccl., cui Eccl. unitum est Monasterium S. Gregorii.... Ord. S. Ben., vacantem per translationem R. P. D. Johannis de Sirmien. ad Vesprimiensem factam; & eidem D. Stephano commendatur, quoad vixerit, Monasterium S. Gregorii de Domblo Coloc. diœc. Ord. S. Ben. certo modo vacant.* Ex tomo 2. Veter. de Provis. Sacr. Coll. &c. De conjunctione prioris Monasterii Gregoriani cum Sirmiensi Episcopatu jam diximus, cum de Sirmiensi Ecclesia restituta actum est. De Stephani virtute, & ad magna gerenda animi alacritate ac fortitudine hæc Bonfinius Dec. 1. lib. 1. *Episcopatus Diacensis, qui maximam Mysiæ partem quondam obtinebat, nuperrime excellentissimum Episcopum sortitus est Stephanum Crispum inaudita humanitate, mira optimarum artium disciplina, præterea fide, clementia, liberalitate, ac prudentia incredibili, cui si fata vitam prorogabunt, nihil est tam magnum, quod virtute & probitate sua sperare non possit.* Diacensis Episcopatus idem est ac Bosnensis, de quo vide Tomum 4. Fallitur vero Bonfinius, cum Stephanum nominat Antistitem Diacensem; nam in tabulis Romanis, quas attulimus, nulla inest rei mentio; & e Diacensi ad Sirmiensem Ecclesiam translatio prætermitti certe non poterat, si decreta fuisset. Puto ego, rumorem tunc pervagatum esse de collata Stephano, vel jam jam conferenda episcopali dignitate Diacensi ob ejus meritorum laudem, & in eum propensam Regis voluntatem: cui famæ facilius quam par erat Bonfinius adhæsit; nam lib. 5. dec. 4. Sirmiensem an. 1490. Episcopum nominat, de Diacensi Sede ne verbum quidem. Ad episcopale tamen fastigium & decus sibi viam paraverat Stephanus gestis ab eo summa prudentia, & incredibili dexteritate legationibus pro Matthia Rege; quarum primam in Polonia obivit an. 1484. ad Regem Casimirum, quocum gravissima dissidia Matthiæ intercesserant, quæ & in apertum quandoque erupere. Rem narrat Bonfinius dec. 4. lib. 6. in Stephani laudationem effusus. *Hoc anno Stephanus Crispus, Urbani quæstoris e sorore nepos, Ferrariæ primum, deinde Romæ mirum in modum humanitatis studiis eruditus, claro item ingenio, & profusa eloquentia præditus ad Casimirum Poloniæ regem primum legationis munus obivit, ad quod omnium judicio nimis videtur idoneus. Nam aspectus huic erat usque adeo hilaris, faustus & jucundus, ut primo spectatores obtutu conciliaret; accedebat summa comitas, item compta & suavis oratio, nec non ingenita probitas cum incredibili humanitate conjuncta, ut vel invitum hominem amare cogat, vel infestissimum quemque animum vincat, vel implacabilem exoret, neque deest animi magnitudo libertasque loquendi, & mens simplex, nullius mali conscia, insuper animus ad benemerendum semper intentus, nec iracundiæ expositus.* Biennio post, cum in Hungariam adveniret Hippolytus Estensis Strigoniensem Ecclesiam aditurus, *Stephanus Crispus*, inquit idem Bonfinius lib. 8. dec. 4., *in occursum orator a Regina missus est, qui nepotem suo nomine visitaret, & faustum gratularetur adventum.* Sed & alia ei legatio decreta fuit hoc an. 1486. ad Ducem Mediolanensem, de qua ibidem Bonfinius. Anno etenim 1484. Franciscus Fontana civis Brixiensis Mediolanum profectus est a Matthia missus orator, qui Blancam Mariam Ducis sororem uxorem deposceret filio Joanni, quod & præstitum, facta utrinque sponsione more solemni: *Anno* 1484. *ultimo Julii, Maria Ducis Mediolanensium soror Joannimatheo Regis Pannoniæ legitimo filio annis nato quatuordecim nubit, Francisco Fontana Brissiensi cive regis oratore procurante;* hæc Donatus Bossius coævus scriptor Mediolanensis in suo Chron. Sacer nuptiarum ritus dilatus est ad an. 1486. *Tum die sextodecimo novembris Joannes episcopus ecclesie varadiensis primarius scribarum ac consiliarius Mathie Pannonie ac Boemie regis legatus: ab eodem missus: cum comitatu centum ac quinquaginta equitum Medio-*

Ejus legatio ad Regem Poloniæ,

& ad Ducem Mediolanensem.

diolanum applicuit. Vigesimoquinto dicti mensis prefatus Joannes episcopus: ac legatus regis Pannonie solemne regis sui ad hoc mandatum habens: nomine Joannis Corvini memorati regis filii Opamie ducis ac comitis Uniarb. in arce porte iovis solemniter: regalique pompa Blanchan Mariam ducis Mediolanensium sororem desponsavit: paranympho Joanne Francisco Marliano: qui luculentissimam super nuptus habuit orationem: dictumque est dotis ac rerum paraphenalium: & monilium nomine aureorum mille centies ac quinquagies: fueruntque tractata sponsalia hec auctore Ludovico gubernatore: qui divino suo ingenio previdebat quantum conjunctio hæc Christianitati universe profutura esset. Die secundo Decembris Joannes Regis Pannonie legatus compositis ex sententia Mediolani rebus in patriam proficiscitur. Hæc Bossius laudatus. Illico missi fuere a Ludovico oratores duo ad Matthiam Mapheus Naso, & Franciscus Fontana, qui transacta Mediolani ab Antistite Varadiensi referrent; hique honorifice & excepti a Rege & dimissi sunt. Verum, cum gravia plurima obstarent Matthiæ, ne sponsa in Hungariam cito deduceretur, regalem connubii pompam ad annum saltem differre constituit; & incœpto jam anno 1487. Stephanum Ep. in Italiam legavit ad Mediolanensem Ducem, ut necessariæ huic prorogationi libens consentiret. Legationis acta ex Bonfinio dec. 4. lib. 8. suis verbis describo.

„ Stephanus Crispus, nunc Sirmiensis E-
„ piscopus, humanitatis studiis omnium sane
„ Hungarorum eruditissimus, & elegantissi-
„ ma dicendi copia præditus, edicto regis o-
„ rator ad inclytum Mediolanensium Ducem
„ profectus, ut Corvini Blancæque nuptias
„ in proximum annum prorogaret, faustissi-
„ mamque affinitatem confirmaret, honorifi-
„ centissime a Mediolanensibus exceptus est,
„ & in senatum admissus. Facta dicendi po-
„ testate, orationem verborum ornatu &
„ sententiarum gravitate præstantem, quæ
„ adhuc exstat, habuit, ac ad alia secretio-
„ ra mandata pervenit. Hic totius Hunga-
„ riæ nomine congratulationem instaurat, Re-
„ gis & senatus auctoritate initam olim af-
„ finitatem confirmat, ratas & firmas condi-
„ tiones omnes esse jubet. Demum illustrem
„ Ducem, & Ludovicum patruum, ejus con-
„ siliorum omnium moderatorem, ea tempe-
„ state circumspectissimum apud omnes ha-
„ bitum, ac universum denique senatum e-
„ xorat, ut cum Rex eo anno gravissimis
„ rebus foret implicitus, in posterum differ-
„ ri nuptias filii æquo animo paterentur,
„ uti magnificentius ac tranquillius pro u-
„ triusque partis dignitate fierent. Id non
„ ab re a Rege postulatum. Nam cum ex le-
„ gibus affinitatis filium Regem ante nuptias
„ præstare oporteret, & Ungariæ ipse coro-
„ nam tuto resignare non posset, veritus
„ Beatricis acerrime adversantis, & proce-
„ rum seditionem, Boemiæ regnum in Lusa-
„ tiam & Silesiam propagatum gnato renun-
„ ciare destinarat. Et siquid in hac re
„ novi moliretur, ipse scivit, quam ob rem
„ nuptias in posterum annum prorogari po-
„ stulabat, ut Principibus Mediolanensibus
„ promissa præstaret. Omnia Crispus & sua-
„ vitate orationis & Regis auctoritate ab il-
„ lis impetravit, Compositis rebus, ne il-
„ lius Ducis vires ignoraret, in ærarium in-
„ troductus est, ubi thesaurum immensum,
„ & inauditam margaritarum & lapillorum
„ copiam spectavit. Antequam reversurus in
„ Ungariam iter iniret, multa in Italia mer-
„ catus est; reversus ad Regem nec ipsum,
„ nec Reginam, imo neminem amicorum
„ prætermisit indonatum „. Hactenus Bonfinius. Stephanus igitur hisce naturæ ingeniique dotibus illustris, quæ, & quam grandia bona in suam Ecclesiam contulerit, inito jam Episcopatu, facile est conjicere, cum præterea & Regis gratia, & procerum favore tantopere in universo regno valeret. Sed illorum temporum calamitas, & crebræ urbium atque ecclesiarum direptiones episcopalia Stephani gesta posterorum memoriæ abstulerunt. Quin a sua Sede abesse plerumque coactus est. Anno enim 1491. aliam legationem obivit ad Albertum Poloniæ Regem, qui Uladislavum fratrem, & ad Hungariæ regnum rite evectum armis lacessebat; anno autem insequenti Duumvir creatus est cum Andrea Bathorio tuendæ regiæ coronæ, Duumviris sacramento adstrictis, ne quo unquam modo inde ab arce Visegradi, ubi servabatur fortissima excubiarum manu, sinerent aut vi aut furto asportari; eoque amplissimo magistratu fere biennium perfunctus paullo post & an. circ. 1493. vita excessit.

Creatur Duumvir regiæ coronæ.

Ejus obitus.

JOANNES V. EPISC. SIRMIENSIS XXXI.

De quo in Act. Consist. tomo 1. veterior. pag. 144. 1499. 29. *Apr. admisit* Alexander VI. *resignationem Ecclesiæ Simiriensis per R. Joannem factam sponte, & illi de persona D. Nicolai providit*, uti inferius dicendum. Itaque post Stephanum Joannes Sirmiensis Episcopus creatus fuerat anno saltem 1494. Quisnam fuerit, penitus ignoratur; ignotus certe & Prayo, qui inter Stephanum & Nicolaum, de quo mox, sex annorum circiter spatium interjecit. Joannes alio dicitur translatus in Actis, sed quo, non constat; cui successit

Joannes V. Episc. Sirmiensis an. 1494.

NICOLAUS II. EPISCOPUS SIRMIENSIS XXXII.

Annn 1499. 17. *Nov. Providit* Alexander VI. *Eccl. Sirmiensem de persona D. Nicolai per translationem* &c. *& insuper eidem Nicolao reservavit, & de novo commendavit Monasterium de Domble.* Ex Actis laudatis. Nicolao cognomen fuit de Rachka apud Prayum, de Boiscka apud Szorenium in Vindic. Sirmiens. & in Actis, quæ postea proferam, *Boscayus* dictus. Vix hunc Episcopatum adeptus

Nicolaus II. Sirmiensis Episc. an. 1499.

Digitized by Google

postea Nitriensis an. 1501.

ptus transivit ad Nitriensem; etenim an. 1501. idem Pontifex Nonis Junii absolvit *Nicolaum Sirmiensem & transtulit ad Nitriensem*; ex iisdem Actis pag. 191. t.

Post Nicolaum II. duos hic Episcopos Sirmienses exhibet Prayus, Sigismundum II. qui an. 1501. & Gabrielem, qui anno 1502. huic Ecclesiæ regendæ fuerit præpositus; sed de utriusque Episcopatu gravis suboritur difficultas ex Tabulis Romanis. Etenim Nicolaus electus an. 1499. dicitur ad Nitriensem Sedem translatus Nonis Junii an. 1501. Qui locus igitur superest Sigismundo, nisi paucissimorum mensium, a Junio scilicet mense ad initium circ. anni insequentis, cum Gabriel primum Bosnensis ante mensem Majum anni nimirum 1502. jam erat Sirmiensis Antistes? Ita præferunt Acta pro Ecclesia Bosnensi; *Anno* 1502. 30. *Maji providit*, Alexander VI, *de persona Michaelis Chesulii Ecclesiæ Bosnensi vacanti per translationem D. Gabrielis ad Ecclesiam Sirmiensem dudum*, id est paullo ante, haud multo ante, *factam*. Præterea eadem Acta de Stephano II. Episcopo Sirmiensi hæc habent; *Anno* 1502., non ut scribit Prayus anno 1504., 2. *Sept. providit*, idem Pontifex, *Ecclesiæ Sirmiensi de persona D. Stephani de Zarmach propter translationem D. Nicolai Boscay illius ultimi Episcopi dudum factam*. At si Nicolaus, de quo jam actum, *ultimus* ante Stephanum Episcopus Sirmiensis fuit, quid ergo de Sigismundo & Gabriele statuendum? Ego quidem sic censeo fretus hoc Actorum Consistor. testimonio, Sigismundum forte designatum Episcopum ante fuisse morte præreptum, quam possessionem episcopalem obtineret; & quod ad Gabrielem attinet, decreta jam ejus e Bosnensi ad Sirmiensem Ecclesiam translatione non licuisse ei legitima canonici juris forma illam adire seu mortis, seu alius cujuspiam causæ impeditione; neque aliter Actorum formulæ inter se componi queunt; hinc utrumque e numero Sirmiensium Antistitum puto hisce de caussis expungendum. Ultimo igitur, ut est in Actis, Episcopo Sirmiensi suffectus est

STEPHANUS III. EPISCOPUS SIRMIENSIS XXXIII.

De quo Acta superius laudata; cognomen illi de Zarmath, seu Zarmach; in judiciis locum tenuit *regiæ præsentiæ*, inquiunt Prayus & Szorenius; cætera gesta oblivione sepulta. Vix biennium in Episcopatu vixit.

NICOLAUS III. EPISCOPUS SIRMIENSIS XXXIV.

Nicolaus III. Episc. Sirmiensis an. 1504.

E Chanadiensi Episcopatu ad Sirmiensem evocatus an. 1504. ex tabulis Romanis, quas Prayus indicat in Episcopis Chanadiensibus. Cumque docuerim paullo superius, Stephanum III. an. circ. 1502. electum fuisse Sirmiensem Antistitem, locus est Nicolao in hac Sede, ad quam e Chanadiensi migravit, eo anno 1504. licet Prayo aliter videatur. Nicolaus cognominatus est de Chak. Quoto tempore præfuerit, incertum.

DOMINICUS EPISCOPUS SIRMIENSIS XXXV.

Dominicus Episc. Sirmiensis an. incerto.

Prayus & Nicolaum expungit e nostra serie, uti dictum, & Dominicum omittit; Stephano vero subjicit Joannem Orszagh de Guth, cui a Szorenio præponitur Dominicus anno incerto. Uterque rem asserujt, neuter comprobat, quod affirmat; mihique desunt tabulæ Romanæ, quæ lucem afferant; animo tamen in Szorenium inclino, & Dominicum Sirmiensi Episcopatu ornatum fuisse existimaverim post Nicolaum. Dominici cognomen latet; erat autem, Szorenio auctore, Præpositus Albensis, Albæ scilicet regalis, nobilissimæ in Hungaria urbis, in qua duæ olim exstitere illustres Præposituræ, altera titulo Deiparæ Virginis, altera S. Nicolai nomine distincta. Cui Dominicus præfuerit, Szorenius non indicat; inde cathedram Sirmiensem conscendit, in eaque sedit ad annum 1514. quo dicitur a Szorenio electus

JOANNES VI. EPISCOPUS SIRMIENSIS XXXVI.

Joannes VI. Episc. Sirmiensis an. 1514.

Erat e familia Orszaghia de Guth. Ad hunc, & ad Episcopum Quinquecclesiensem inscriptæ sunt litteræ Leonis X. an. 1519. iisque mandat Pontifex, ut uterque quæstionem agant de rebus gestis a Joanne de Capistrano, & miris ab eo patratis; omnia probatis testibus investigent, atque examinent, tum juridiciali forma in tabulas referant, quas eorum sigillis obsignatas Romam mittant; vehementius enim eo tempore studium fervebat extollendi ad Divi honores Joannis; sed piorum vota irrita adhuc fuerunt. Litterarum Leonis hanc exhibet particulam Raynaldus ad an. 1519.

Leonis X. ad cum litteræ.

„ Venerabilibus Fratribus Quinquecclesiensi „ & Sirmiensi Episcopis &c.

„ In hujusmodi tam gravi negotio matu„ ra, ut decet, deliberatione procedere cu„ pientes, ac de præmissis certam notitiam „ non habentes, discretioni vestræ, de qua „ in his & aliis specialem in Domino fidu„ ciam obtinemus, conscientiam vestram su„ per hoc onerantes committimus & manda„ mus, quatenus de præmissis vel conjunctim „ vel divisim vos diligenter informetis, ac „ testes, qui coram vobis & vestrum quoli„ bet producentur, diligenter examinetis, eo„ rumque attestationes & depositiones in „ scriptis redigi faciatis, illasque sub sigil„ lis vestris quantocyus ad nos destinare cu„ retis in publica & authentica forma, ut „ super illis cum Venerabilibus Fratribus „ nostris S. R. E. Cardinalibus matura de„ liberatione habita providere valeamus. Dat.

Digitized by Google

„ Romæ &c. die XII. Octobris MDXIX.
„ Anno VII.

Post sexennium Joannes ad Vaciensem Episcopatum transivit.

LADISLAUS III. EPISCOPUS SIRMIENSIS XXXVII.

Ladislaus III. Ep. Sirmiensis an. 1520.

Macedonius cognomine; alii Macedonem, de Macedonia, & Macedonay appellant. Erat is Canonicus Quinquecclesiensis, & Archidiaconus de Baranya, qui locus olim, arcis in modum, celebris ac munitus, unde Comitatui, ut ajunt, Baraniensi nomen inditum; hic sita civitas Quinquecclesiensis. Cum plurimum valeret probitate morum, & agendi prudentia, a Stephano Bathorio Palatino in Poloniam orator missus est, qui sponsam ei deposceret Sophiam sororem Ducum Massoviæ; ac aliis perfunctus egregie muneribus Ludovici II. Regis nominatione Sirmiensem Episcopatum promeruit. Litteras regias hic subjicio.

Diploma regis Ludovici pro illius Episcopatu.

„ Nos Ludovicus Dei gratia Rex Hungariæ &c. Memoriæ commendamus &c. quod „ nos inducti meritis & virtutibus fidelis „ nostri R. D. Ladislai de Macedonia, quibus eumdem præditum esse cognovimus; „ eumdem igitur tamquam personam idoneam „ & benemeritam ad Episcopatum Ecclesiæ „ Sirmiensis, nunc per translationem fidelis „ nostri R. D. Joannis de Orszag de ipso „ Episcopatu Sirmiensi in Episcopum Vaciensem de jure & facto vacantem, auctoritate juris patronatus nostri eligendum & „ nominandum, ac tandem eidem cum universis suis castris, castellis, oppidis, villis, & quibusve ejusdem pertinentiis dandum & conferendum, imo eligimus, nominamus, damusque & conferimus præsentium „ per vigorem. Quocirca vobis, Fidelibus „ nostris, Capitulo ejusdem Ecclesiæ Sirmiensis harum serie mandamus firmissime, „ quatenus a modo in posterum præfatum „ Ladislaum Macedonay pro vestro vero & „ legitimo Prælato tenere, & recognoscere, „ eidemque in omnibus licitis & consuetis „ obedire & obtemperare debeatis. Secus non facturi &c. Præsentibus perlectis exhibenti „ restitutis. Datum Budæ Sabbatho proximo „ ante festum beatorum Innocentium anno „ Domini 1520.

Ex his autumamus, jus nominandi Episcopi Sirmiensis, quod Joannes XXII., ut in Gregorio Antistite Sirmiensi VII. constat, sibi reservaverat an. 1334., rursus Regi concessum fuisse a Pontifice regii *Patronatus* causa, uti ajunt.

Ladislai Episcopatum producimus ad exitum an. 1525. aut ad initia an. 1526., Prayo auctore ex litteris Internuntii Pontificii in Hungaria ad Sadoletum Episcopum Carpentoratensem, quas proferemus inferius; scribit enim IV. id. Martias an. 1526. egisse Regem, ut Ladislaus suam Ecclesiam dimitteret; idque revera effectum est. Atque is est profecto Ladislaus, qui, abdicato jam Episcopatu, erat in Regis castris paullo ante prælium Mohacsianum, & jussus est celeri cursu Budam pergere ad Reginam Ludovici conjugem; moneret, quanto in discrimine versaretur Regis exercitus, Solymano Turcarum Imperatore ad pugnam properante cum innumeris copiis; ac regia mandata exponeret, ut scilicet fratrem Ferdinandum Austriæ Ducem, & si absit, provinciæ præsides urgeat ad mittenda, quæ Rex petiverat, subsidia, præcipue tormenta bellica, quibus haud satis exercitus erat instructus; tum Boemos impellat, ut auxiliares milites, quos Ludovicus suo nomine ac proprio ære conduxerat a Mezenico Moraviæ regulo, quantocius ad castra festinent. Hæc Brodericus in historia cladis Moachsianæ; quod & innuit in litteris inferius describendis ad ipsam Reginam. Brodericus idem narrat Ladislaum post dimissam Sirmiensem ad Ecclesiam Quinquecclesiensem translatum fuisse a Rege *in gratiam Cancellarii* hoc ipso an. 1526, & *dimidii argenti summæ ex Ecclesiis* colligendæ in belli sumptus præfectum. Sibi tamen non constat; etenim nominatur ab eo inferius Philippus More Archiepiscopus Quinquecclesiensis, qui teste Prayo hanc Ecclesiam adiverat anno 1524., & in prælio Mohacsiano interiit, ejusdem Broderici testimonio. Quæ adeo inter se dissidentia nescio componere. Certum est, Szorenium falli, cum asserit, Ladislaum Episcopum Sirmiensem in prælio Mohacsiano cecidisse, quippe antea Episcopalem Sedem reliquerat; quo fato neque ejus successor, ut dicturi sumus, exstinctus est.

STEPHANUS IV. EPISCOPUS SIRMIENSIS XXXVIII.

Stephanus III. Episc. Sirmiensis an. 1526.

Natus est in ea Pannoniæ superioris parte, quæ Slavonia hactenus dicebatur, e familia Boderithia. Vir optimis moribus & disciplinis excultus Regis Ludovici gratiam consecutus est; & illius nomine orator ad Pontificem Romæ aliquanto tempore constitit. Inde in Hungariam reverso grave regii *Cancellarii* munus collatum est; *majore* tamen *ad bene agendum animo, quam facultate* præditum se ipse fatetur in laudata historia Moachsiana; Paullus vero Jovius tomo 2. histor. sui temporis lib. 27. illius *ingenii eruditi vim, & dexteritatem in omni rerum actione singularem* commendat. Verum cum aliqui Episcopi ægre ferrent, Stephanum nulla ecclesiastica dignitate ornatum, nisi tenui nescio qua Præpositura, sibi præferri; etenim Cancellarii magistratu soli Episcopi fungebantur; Rex persuasit Ladislao Sirmiensi Antistiti, ut Ecclesiam sibi traditam renuntiaret, statimque Stephanum Episcopum Sirmiensem nominavit. Id docent litteræ Pontificii in Hungaria Internuntii ad Sadoletum, quas innui superius, & ex Italo idiomate latinas hic refero.

He-

Digitized by Google

Epistola Interrunntii P. de electione Stephani.

Heri die XII. *hujus mensis Martii, Rex Cancellarium renuntiavit D. Stephanum, sedes a Pontifice expetitum ad Episcopatus honorem; idque placuit cunctis; quia vero nonnulli Episcopi obloquebantur, præseferentes molestiam animi ex Præpositi ordine virum, non ex Episcopali, hoc munere fuisse donatum, ut querimonias de medio tolleret, & Racosii susurrationes compesceret, Rex ita se gessit, ut Episcopus Sirmiensis sibi Episcopatum resignaverit, isque in Stephano Cancellarii officium cum Sirmiensi Episcopatu conjunxerit; qui licet exiguus, majori illum, quam Præpositura, auget auctoritate.* Ex hisce litteris anni 1526. duo cognoscimus, & Pontificem Clementem VII. de ornandis Stephani virtutibus ac meritis serio cogitasse, & Stephanum ante mensem Martium illius anni Ecclesiæ Sirmiensi fuisse præfectum; cui alia honoris facta fuerat aliquanto ante accessio accepto a Ludovico regio sigillo, quod secretum appellant, cujusque servandi jus unice ad Archiepiscopum Strigoniensem & regni Primatem spectat, utpote qui inter regios Cancellarios summum locum obtineat.

Bellum Turcicum.

Interea Hungariæ imminebat dies ille nefastus, horrore plenus, atque miseratione, quo de toto pæne regno actum fuit, & magna pars ferro, igne consumpta, diuturna demum ac barbara servitute oppressa fuit, & in extremum dejecta exitium. Nam hoc anno Solymanus Turca Imperator, composita cum finitimis Regibus ac Dynastis pace in annos plures, hostilem impetum adversus Hungaros convertit, eosque aggressus cum validissimo exercitu in regni fines irruperat. At Rex Ludovicus ferme imparatus illico arma parat, copias militum instruit, subsidia undique colligit, & qua potuit celeritate obviam fit hosti, impar quidem viribus, minime vero animi fortitudine. Convenerant in castra omnes fere Hungariæ proceres, ipsique Episcopi cum delecto milite, quos inter Stephanus, quippe qui a regis latere pro suo munere abesse nequibat, cuique Regina mariti salutem anxie commendaverat. Hinc paullo ante prælium cum Hungarorum acies pluribus teneretur angustiis, hanc scripsit epistolam, qua illam de rerum statu admonuit, & quanto essent in discrimine, ne Buda tamen, ubi erat, prius discederet, quam a Rege ei deferrentur nuntia, & mandata.

1 Stephani Episc. litteræ ad Reginam Hungariæ.

Intellexi litteras (1) *Majestatis vestræ. Deus scit, in tanta rerum omnium confusione, nescio quid consilii regiæ Majestati sit capiendum. Ita & ego arbitror, sicut Majestas vestra scribit, vix posse esse, ut intra* 20. *vel etiam* 30. *dies tantum exercitum habeamus, ut cum boste sine aperta ruina nostra manum conserere possimus. Hostis autem instat, & jam vires ejus navales sunt circa Erdeud prope eum locum, ubi Dravus influit in Danubium, qui, si hucusque non occupavit, occupabis quamprimum Eszecb ab omnibus derelictum, locum illum,* 2 *ad quem* (2) *Palatinus fuerat missus. Res nostræ, sacratissima Regina, ita se habent. Ego enim aliud consilium dare non potui, neque possum, nisi ut regia Majestas eat ad Tholnam* (3), *ne ipsi posset imputari, sicut Majestas vestra scit, quod imputabatur. Ulterius meo etiam consilio non procedet nisi fortasse eo versus, quo per dominum Macedonium significavi. Sed credat mihi Majestas vestra esse omnia sera, & sumus, quidquid dicamus, in extremo periculo. Ego quidquid facere potero, nihil penitus prætermittam. Hoc unum mihi multum nocet, quod neminem habeo, qui me juvet, & qui idem sentiat mecum. Miraretur Majestas vestra consilia nostrorum, si interesset, qui fere omnes volare se posse credunt sine alis, & me, quia cautius loquor, & tam Majestati regiæ, quam ipsis consulo, cavendum, desperatum timidumque appellant. Utinam mea desperatio esset sine causa. Non mihi certe timeo, sed Regi & regno, & maxime regi, cui non video, quod adhuc aliqua immineant a suis pericula. Neque possum mihi persuadere, nostros ea, quæ faciunt, Regem his periculis objiciendo facere consulto in Regis perniciem, sed quod ita eum progredi, & hæc, quæ agit, agere melius existimant. Ego in quamcumque partem accipiantur mea consilia, non desinam ea loqui etiam mei cum capitis periculo, quæ mihi ad securitatem Regis pertinere videbuntur. Hodie etiam & heri item habui mirabiles contentiones. Majestatem vestram de omnibus faciam certiorem, & scribam veritatem. Majestas vestra non turbetur; sit forti & constanti animo; Deus inn centiam & bonitatem Regis non deseret. De Colocensi* (4) 4 *expecto responsum, vix est aliud remedium. De hoc autem scripsi heri ad dominum Thurzonem; de gentibus domini Thurzonis* (5) 5 *Sybrich habuit responsum in consilio; ego nuntiavi domino Thurzoni per eumdem. Faciat me Majestas vestra certiorem quid velit fieri de gentibus domini* (6) *Vesprimiensis, quas* 6 *tamen jam non videtur satis conveniens hinc remittere. Bonum erit loqui de hoc cum domino Vesprimiensi. Majestati vestræ quidnam sit faciendum, de hoc quoque locuta est Majestas Regia me præsente cum domino Strigoniensi. Non videtur ullo modo vestræ Majestati locus adhuc mutandus. Motus vestræ* (7) *Majestatis* 7 *timemus, ne multos verteret in fugam. Majestas regia statim, postquam aliquid tale contigerit, quod Deus avertat, dicit, se vestram Majestatem facturam dies & noctes certiorem de eo, quid vestræ Majestati sit faciendum* (8) &c. *Ex S. Georgio prope Tholnam VI. Augusti anno Domini* 1526. 8

Vestræ Sacratissimæ Majestati
Humillimus servulus & Capellanus
S. Broderich Cancellarius.

NOTÆ.

1 Maria Caroli V. Imperatoris, & Ferdinandi Austriæ Archiducis soror, Ludovico II. Hungariæ Regi nupta infaustis ominibus, marito exstincto, cum vix annum vicesimum ætatis attigisset.

Digitized by Google

2 Stephanus Bathorius Comes Palatinus, qui, Essechio ad Dravum hostium potestati relicto, ad Regem sese recepit.

3 Tholna oppidum Comitatus Tholnensis ad Danubium, unde Ludovicus Rex castra movit Mohacsium versus XIX. Kal. Septembris Solymanum aggressurus.

4 F. Paullus Tomorius e Franciscana familia ad Colocensem Archiepiscopatum evectus an. 1522. virtute bellica magni habitus a Rege, dux hujusce belli princeps, & in acie misere interemptus.

5 F. Alexius Thurzonius Reginæ familiaris, & militaribus hisce negotiis adjutor.

6 Thomas de Zalahaza erat Episcopus Vesprimiensis, & Reginæ aderat consilio.

7 Tum Budæ degebat Regina, quæ urbs millia passuum sexdecim e Tholna & a regiis castris distabat.

8 Sed Regina, audita clade regii exercitus, incerta adhuc de Ludovici interitu Buda Posonium confugit cum Episcopo Vesprimiensi, & Alexio Thurzone, & Oratore Pontificio, rerum suarum magna parte per Danubium subvecta.

Clades Mohacsiana.

Stephanus cum hæc Reginæ scripsisset, Tholna cum Rege, & toto fere exercitu digressus est Mohacsium versus, ubi metatis castris, constitere Hungarorum copiæ pæne in hostium conspectu. Mohacsium oppidum erat non incelebre media in planitie ingenti positum in Comitatu Baraniensi, a Dravo flumine mille passus quatuor dissitum, ubi in Danubium influit, ad meridiem, nec multo abest spatio a minori alveo Danubii, qui a majori divisus insulam efficit Danubianam in septemtrionem; & hoc in tractu palustria interjacent loca militi ad pugnam armato inimica magis, quam hostis. Hic de prælio a ducibus consultum; & IV. Kal. Septembris hora fere tertia post meridiem dato signo congrediuntur utrinque Hungarorum & Turcarum acies. Duas fere horas justo certamine dimicatum est; & victoria ad Hungaros inclinare parumper visa est; sed igneis globis, quos grandinis instar e bellicis tormentis hostis jaculabatur, exterriti Hungari, fumi etiam densitate impediti, ne Turcarum, qui irruebant undique, aggressiones discernerent, in fugam dilabi omnes cœpere, magna exercitus parte gladio cæsa, ac multo milite in palude demerso. Turcæ castris potiti & victoria ab insequendis fugitivis se abstinuerunt, nocte ingruente. Postero die ovantes effusique, quo furor impellebat, obvia quæque, & oppida & urbes diripiunt, incendunt, cujuscumque sexus & ætatis innumeros obtruncant, nec ante desiere, quam præda & sanguine saturi. Ferunt ducenta hominum millia ex Hungaris hac clade occubuisse; sexcenti e principibus viris ac nobilibus cecidere in prælio; Rex ipse misere periit, aquis, ut fama fuit, suffocatus; cujus corpus postea repertum prope ferme Mohacsium, funebri pompa elatum in Albensi urbe regali sepulturæ traditum est.

At Stephanus felici fato e pugna evasit incolumis, cum e collegis Episcopis, qui regi adstabant, septem interfecti fuissent; nec quo fuga se proripuerit, ipse memoriæ prodidit. Ad suam vero Ecclesiam reverti ei haud amplius licuit. Etenim vastata Turcarum armis diœcesi, & provincia Sirmiensi, horribile dictu est, quam sæva quamque nefaria & impia facinora patraverint, præsertim Villachi, ubi, aris eversis, templa in Mahumetica fana immutarunt, Cœnobium Franciscanum in horrea, & in Stabula equorum. Aperto tumulo, sublatum corpus B. Joannis a Capistrano projecerunt in puteum, & inde extractum turpis lucri avidi nescio cui Græco homini, Calogero inquiunt, vili pretio vendidere, quod ubi lateat nemini unquam compertum est. Cumque intelligerent, esse oppidum situ aptissimum toti regioni propugnandæ, in duas partes divisum est, quarum una arcem, altera oppidum ipsum complectebatur, & utramque duplici mœnium ambitu validissime munierunt, unde nulla vis potuit eos expellere integro septuaginta fere supra centum annorum cursu.

Diœcesis Sirmiensis a Turcis vastatur.

Itaque, sua Ecclesia amissa, Stephanus vacuum Episcopi Sirmiensis nomen retinuit ad annum usque 1537. quo ad Vaciensem transiit Episcopatum; etsi nonnulli autument, ipso anno 1526. post cladem Mohacsiensem cum Ecclesia Vaciensi Sirmiensem commutasse, eosque refellit Prayus in Episc. Vaciensibus testimonio præsertim Matthiæ ejus fratris, qui suas ad illum litteras Februarii mensis an. 1535. ita inscripsit, *Reverendissimo Domino Stephano Broderico Episcopo Syrmiensi Consiliario regio, Domino & fratri meo*. Obiit VII. id. Novembris an. 1539. vir multa laude dignus, & a suis merito celebratus. Scripsit latine non inelegans Commentarium de prælio Mohacsiano, cujus & ipse præsens discrimen subiit; & a Joanne Sambuco editum est in Appendice Rerum Hungaricarum, quas Bonfinius descripsit.

Stephanus Episc. Sirmiensis ad Vacien. Eccles. transit.

Ejus obitus.

Post Stephanum creari desierunt Episcopi Sirmienses ad an. 1578. quo tandem visum est Gregorio XIII. Pontifici, & Imperatori Rodulpho consulendum esse Sirmiensi Ecclesiæ; spes enim erat, depressa Christianorum victoriis in Hungaria & ad Echinadas insulas Turcarum potentia, fore, ut si quis præficeretur Episcopus, aut præsens, aut propinquo aliquo e loco afferre posset opem & solatium disperso gregi, & diuturnæ servitutis ærumnis, quibus adhuc erat obnoxius, pæne confecto. Quare anno eodem renuntiatus est

ZACHARIAS EPISCOPUS SIRMIENSIS XXXIX.

Mossoczyus cognomine, sed ne integrum quidem annum præfuit, translatus ad Sedem Vaciensem; cui suffectus

Zachar. Ep. Sirmien. an. 1578. quo fit Episc. Vacien.

PETRUS III. EPISC. SIRMIENSIS XL.

Petrus III. Episc. Sirmiensis an. 1581.

Paullinus, inquit Prayus, num cognomine,

ne, an quia ex Ordine S. Paulli primi Eremitæ evocatus ad episcopale munus anno 1581? Et is paullo post seu obitu, seu abdicatione Episcopatum reliquit.

MARTINUS EPISC. SIRMIENSIS XLI.

Martinus Ep. Sirm. an. 1582. circ.

Cognomen illi Pethe de Hetes; initia illius Episcopatus rejicit Prayus in an. 1582. sed a Szorenio, cui Petri III. Episcopatus fuit ignotus, affiguntur an. 1580. Prayus vero intra biennium concludit regimen Martini, quod ad an. circ. 1589. produci debet. Cum enim Martinus ad aliam transisset Ecclesiam, Sedem Sirmiensem obtinuit

STEPHANUS V. EPISCOPUS SIRMIENSIS XLII.

Stephanus V. Episc. Sirmiensis an. 1589.

De illo hæc in Actis Consistor. 1589. 20. *Mart. ad nominat. Cæs. Majest. providit* Sixtus V. *Eccl. Sirmien. per transl. Martini ad Eccl..... vacant. de persona religiosi viri Fr. Stephani de Tyrnavia Prioris Gener. Ord. S. Paulli primi Eremitæ Presbyteri vitæ integritate commendati, & item eruditione.... gradu non sit insignitus, super quo S. S. disposuit* &c. *cum retentione dignitatis & officii dicti Prioratus Gener.* Acta Stephani habeo descripta part. 2. histor. Ordinis S. Paulli primi Eremitæ, cui titulus, *Fragmen panis* &c., edita Vindobonæ an. 1663. Natus is est in pago Ternava prope Zagrabiam, unde illi cognomen *Ternavinus*, haud recte *de Tarnovia*, aut *Ternavia*, vel *Tyrnaviensis* dictus; Tyrnavia enim celebris est Hungariæ urbs in Comitatu Posoniensi. A Georgio Cerasino, qui supremam Ordinis Paullini Præfecturam gesserat, in suam familiam cooptatus fuit, in qua adeo pietate ac litteris excelluit, procera etiam corporis statura, & nativa quadam vultus gravitate conspicuus, ut primum vicario munere Ordini universo præfuerit, deinde generalis ejusdem Moderator electus fuerit an. 1576. In oppido Lepoglavæ seu Lupoglavæ Comitatus Sagoriensis plerumque commoratus est in suo Paullino monasterio præ cæteris celeberrimo: ubi insignis ædes Mariana, & in ea cimeliarchium sane pretiosum a Stephano pulchro ordine dispositum; quæ enim sacra in primis, monumenta superfuerant e rapinis & incendiis bellorum & huc illuc fuere tutiora in loca translata, hic religiose servantur, Stephani cura in unum collecta, *paludamentum* scilicet *regium Matthiæ Corvini a Beatrice conjuge opere phrygio elaboratum, indumenta sacerdotalia, calices, mitra, thecæ reliquiariæ, cum particula Sanctissimæ Crucis, omnia auro, argento, adamantibus, pyropis, chrysolithis prisco, eoque polymito artificio distincta.* Religionis studio scholas ibidem instituit informandæ causa orthodoxa fide & Christianis moribus, tum etiam litteris juventutis; hisque intentus operibus, & toti Ordini provide sancteque regendo a Sixto V. Pontifice Episcopatu Sirmiensi ornatus fuit an. 1589. & cum episcopali Præfecturæ Paullinæ dignitatem ac munus retinuit Sixti V. concessu; nunquam tamen ad suam Ecclesiam videtur accessisse, neque de episcopalibus ejus gestis quidquam reperio in historia laudata. Plurimum profuit suo Ordini consilio, vigilantia & opere; ac anno post initum Episcopatum in Lepoglaviensi cœnobio e vita decessit an. 1590. uti est in citata hist. Qui duo sequuntur Episcopi, omissi a Szorenio, nominantur alter a Prayo, & alter in tabulis Collegii Hungarici Bononiensis. Utrumque electum puto nominatione regia, sed caruisse pontificia approbatione; nam in Actis Consist. Simon, de quo mox, suffectus perhibetur Stephano, cujus notitiam hic edidimus.

antea Moderator Gener. Ordinis Paullini.

Ejus obitus.

NICOLAUS IV. EPISCOPUS SIRMIENSIS XLIII. ELECTUS.

Nicolaus IV. Episc. Sirmiensis anno circ. 1593.

E familia Zelniczeya, huic Ecclesiæ præfectus an. circ. 1593. quem annum consignat Prayus, idemque erravit Episcopatum Stephani protrahens ad an. 1592., ut ex dictis superius constat. Erat Nicolaus Præpositus major Ecclesiæ Zagrabiensis. In catalogo, quo Farlatus enumerat Præpositos majores Ecclesiæ Zagrabiensis legitur quidem nomen Nicolai Zelniczii, qui an. 1600. Zagrabiensem Episcopatum consecutus est, nulla vero inest mentio Nicolai Zelniczeyi; fortasse quædam cognominis similitudo in errorem induxit Prayum, cum huic Zagrabiensem Præposituram attribuit, quam gessit Zelniczius; potuit tamen Zelniczeyus eo munere fungi ante an. 1593. quo Episcopus designatus fuit; & septem anni adhuc supersunt pro Zelniczii Præpositura usque ad an. 1600. cum Episcopatum Zagrabiensem inivit. Nicolaus post triennium ab Ecclesia Sirmiensi abiit ad Quinquecclesiensem anno 1596.

postea Ep. Quinquecclesiensis.

DEMETRIUS II. EPISCOPUS SIRMIENSIS XLIV. ELECTUS.

Demetrius II. Episc. Sirmiensis el. an. 1596.

Cui cognomen Napragyus, alii Napradyum vocant. Erat alumnus Collegii Hungarici Bononiensis. In Actis mss. *Scholarium* hujus Collegii *Demetrius Naxagi* dicitur *major Præpositus Agriensis an. 1596. Episcopatum Sirmiensem adeptus, postquam eumdem R. D. Andreas Monesslayus acceptare noluisset.*

SIMON EPISC. SIRMIENSIS XLV.

Simon Ep. Sirmiensis an. 1601. postea Zagrabiensis.

De quo satis in Episcopis Zagrabiensibus. In Actis Consist. *An. 1601. 15. Januarii ad nominat. Cæs. M. provis.* a Clemente VIII. *Ecclesiæ Sirmien. vacanti per obitum Stephani de persona F. Simonis General. Ord. S. Paulli primi Erem. cum retentione dicti Generalatus usque ad tempus præfinitum, & facultate, quod de novo eligi possit, quatenus ita Constitutionibus ipsius religionis caveatur, & non*

Digitized by Google

& non alias cum clausulis &c. Tres fere post annos Ecclesiæ Zagrabiensis regimen suscepit; *An.* 1604. 13. *Septembris*, non. Novembris, uti est in Prayo, *providit*, Clemens VIII. *Eccl. Zagrabien. vacanti per obitum Nicolai de persona Simonis Bratalis*, corrige *Bratulichii, Episc. Sirmien. quem ad Zagrab. ad Cæsar. Maj. nominat. transtulit cum annua pensione ducat.* 400. *monetæ illarum partium sup. Eccl. Toletanæ fructibus.*

STEPHANUS VI. EPISCOPUS SIRMIENSIS XLVI. ELECTUS.

Stephanus IV. Episc. Sirmiens. el. an. 1604.

Nominatur a Prayo ad an. 1604. Cognomen illi Erdeudyus; sed cum tabulæ Ramanæ Simoni sufficiant Ladislaum, jure censendum Stephanum a Pontifice probatum non fuisse, vacua Sirmiensi sede ad an. 1616.

LADISLAUS IV. EPISCOPUS SIRMIENSIS XLVII.

Ladislaus IV. Episc. Sirmiensis an. 1616.

In oppido Papa haud ignobili Comitatus Vesprimiensis ortus ex familia Masthenyia. In Clerum adscitus virtute ac doctrina ad Presbyteri dignitatem conscendit, quo in gradu promeritus illustrem S. Petri Præposituram veteris Budæ in Comitatu Pilisciensi. Cum Posonii comitia regni haberentur an. 1608. nominatus est Episcopus Sirmiensis; quod docent Acta Bononiensis Collegii Hungarici, sed non ante annum 1616. Pontificis consensum obtinuit; *An.* 1616. 18. *Maji providit* Paullus V. *Eccl. Sirmien. vacant. per translat. Simonis ad Eccl. Zagrab. de persona Ladislai Maythinii Presb. Papensis cum retentione Præposituræ veteris Budæ.* Sane errasse Prayum liquet, qui ejus Episcopatus initium illigavit an. 1607. Octo vero annos præfuit Ladislaus suæ Ecclesiæ; quo tempore Tyrnaviam vocatus a Francisco Forgachio Archiepiscopo Strigoniensi & Cardinali interfuit cum Varadiensi & Vaciensi Episcopis, pluribusque principibus ac nobilibus viris splendidissimæ pompæ, ac cærimoniæ, qua Patribus Soc. Jesu tradita est possessio Collegii Tyrnaviensis, ejusdem Forgachii studio, ac eximia pietate instituti. In vita ms. P. Bartholomæi Cassii Franciscani Instituti memoriæ proditum est, anno circ. 1613. Paullum V. Pontificem cogitasse de creando Episcopo, qui seu Villachi, seu Tauruni, vel Semandriæ consisteret curaturus per ea loca rem Christianam, actumque de Bartholomæi electione, quam a se ipse constanter avertit; virumque episcopali muneri parem Pontifici proposuit Simonem Matteorichium Presbyterum; sed haud levibus objectis causis, negotium prorsus evanuit.

Hic porro duo necesse est ut advertamus; alterum, Episcopis, quos ab an. 1578. usque ad Ladislaum hunc percensuimus, non licuisse Sirmiensem diœcesim invisere, nisi celeri fortasse excursu, & clam, ne a Turcis dignoscerentur, qui mitiores nunquam Christianis sacris erant infesti, neque a lacessendis plus minusve religionis Christianæ cultoribus destiterant. Revera horum Antistitum acta nulla memorantur; qui tamen per suos Vicarios, quam possent, curam, & crediti sibi gregis sollicitudinem omnem in ejus salutem impenderint.

Controversia de regio Jurepatronatus in Eccles. Sirm.

Alterum quod moneam, hoc est, post Ladislai IV. Episcopatum in Actis Consistor. nullum Antistitem Sirmiensem nominari, nisi Franciscum Janium an. 1697. qui dicitur Ladislao vita functo suffectus. Igitur qui a Prayo in serie Sirmiensium Episcoporum positi sunt omnino tredecim, sola nominatione regia electos fuisse oportet, quorum electionem Sedes Apostolica censuit non esse sua auctoritate confirmandam. Equidem fuit aliquando disceptatum de regio Jurepatronatus in Ecclesiam Sirmiensem; & hoc potissimum tempore controversia videtur viguisse. Nostrum non est hanc tractare quæstionem, de qua in tabulario Sacr. Congr. de Propag. Fide scriptæ in utramque partem disputationes servantur; nec ideo omittendos puto Episcopos a Prayo productos; eosque hic continuata serie, sed alio ordine subjicio, uno Electi aut Nominati Episcopi titulo comprehensi, ne idem repetam fastidiose vocabulum.

EPISCOPI SIRMIENSES NOMINATI AUT ELECTI USQUE AD ANNUM 1697.

XLVIII.

Andreas.

Andreas, ignotus Prayo & Szorenio, notus est ex lib. 2. Hist. Ord. Paullini. Is e Tablera familia, Paullo & Margarita parentibus Austro-Neapolitanis natus an. 1610. in Ordinem Paullinum adscriptus fuit Lepoglavæ in proto-eremitico cœnobio. Romam missus in Collegio Germanico-Hungarico Soc. Jesu sacris disciplinis institutus fuit, & a P. Aloysio Albritio Collegii moderatore hoc promeritus est suæ virtutis testimonium: *P. Andreas Tablerus Ven. Ord. S. Paulli primi Eremitæ professus venit ad Collegium Germanicum & Hungaricum an.* 1611. *in eoque permansit usque ad an.* 1618. *quo tempore pietatis, modestiæ, cæterarumque virtutum studio non vulgare exemplum præstitit, cultui divino in primis addictus, in omnibus suis actibus perpetuo sibi constans, suique in bene cœptis memor. Philosophiæ, & Theologiæ operam dedit, in quibus studiis optimi ingenii specimen præbuit.* Hactenus Albritius; cui & P. Antonii Job in eodem Collegio administri verba addi possunt, quæ de Andrea effatus est P. Martino Bercoviehio Paullino, & Collegii alumno, eum scilicet a Deipara Virgine, ope D. Catharinæ Martyris, prodigio simlem sibi impetrasse humanarum divinarumque rerum scientiam, cum illis minus aptus antea videretur. Roma redux cœnobio sui Ordinis præfectus fuit in vico S. Wolffgangi prope Sopronium. Ibi res accidit digna, quæ ad illius commendationem memoretur; cum enim ab hæretica muliere impudice

Digitized by Google

dice aggressus fuisset, vim fortiter repulit, eoque vocis æstu illi facinus exprobravit, ut facti pœnitens mox etiam hæresim ejuraverit; quo tempore designatus Episcopus Sirmiensis, paullo post in cœnobio Neostadiensi piissime obiit VII. Kal. Januarias anno 1620.

XLIX.

Gregorius III. Gregorius III. an. 1624. cujus meminit & Szorenius, qui in an. 1625. ejus electionem postponit. E familia Nagyfalvaja ortus dicitur, fortasse in Comitatu Szaladiensi, & in Insula Murana, ubi pervetustum æque, ac præ cæteris nobilissimum monasterium Ordinis Benedictini titulo S. Petri, in quo regni Hungarici archivum olim conditum, ac Abbatum & Monachorum vigili fidæque curæ creditum fuit; cujusque Gregorius Abbas a Prayo perhibetur. In historia Ecclesiæ Antibarensis pag. 125. innuimus controversiam, quæ Petro III. Archiepiscopo Antibarensi intercessit cum Thoma II. Episcopo Scardonensi; hic administrator erat Ecclesiæ Bosnensis; illi ab Urbano VIII. regimen impositum fuerat Episcopatus Samandriensis, tum aliorum, qui in Hungaria Turcico suberant dominatui, quos inter & Sirmiensis. Petrus igitur conquestus est, partem diœcesis Sirmiensis a Thoma injuria fuisse occupatam, & Bosnensi adjectam; ac re delata ad Sacr. Congreg. decretum est a Patribus XII. Kal. Decembris an. 1626. Bosnensis Ecclesiæ fines Dravo flumine, & oppido Essechio deinceps conclusos fore, *totum vero Sirmium sub Episcopo Samandrien. remaneat, & non amplius sub Episc. Scardon.* Unde innotescit Ecclesiam Sirmiensem a Petro Samandriensi Administratore procuratam tunc fuisse, Gregorium vero pontificia consensione minime confirmatum in Sede Sirmiensi.

Ecc. Sirm. a Petro III. Archiepisc. Antibar. administratur.

L.

Georgius III. Georgius III. Jakusius de Orbova an. 1635. insigni antea ornatus Præpositura Posoniensi. Anno 1637. Episcopatum Vesprimiensem obtinuit.

LI.

Nicolaus V. Nicolaus V. Boythe an. 1637. notus & Szorenio, a quo anno post perhibetur Episcopus. Præposituram gessit B. Mariæ V. de Sang, olim Patrum Præmonstrasensium in Comitatu Barsensi.

LII.

Michael. Michael Kopesanyius an. 1640., ita & Szorenius. Fuit Præpositus Posoniensis.

LIII.

Benedictus. Benedictus Kisdius nominatus Idibus Septembris an. 1640. omissus a Szorenio. Varadiensis Ecclesiæ Episcopus an. 1644., uti notat Prayus in Episcopis Varadiensibus, qui in serie Sirmiensium Antistitum illum retinet, sed perperam, ad an. 1651.

LIV.

Andreas II. Andreas II. quem Prayus innuit in notis, Szorenius prætermisit, ex Ordine Paullino designatus Sirmiensis Episcopus an. circ. 1647. Patria illi Varadinum, cognomen de Franciscis; an. 1618. in sacram Paullinorum familiam cooptatus est. Romæ theologicis disciplinis operam dedit, & in Hungariam reversus plura sui Ordinis munera, etiam Vicarii Generalis obivit. Adjutor deinde datus est, futurusque successor Joanni Baptistæ Agalichio Episcopo Seniensi & Modrussensi an. circ. 1644. suisque litteris subscriptus reperitur, *F. Andreas electus Episcopus Ecclesiarum Signen. & Modrusien. canonice unitarum*. De illo actum etiam in Tomo 4. pag. 140., ubi perperam natale solum illi tribuitur Buccarum oppidum Japidiæ maritimum: aliter enim docet historia Paullina alibi laudata; & ante Agalichii obitum an. 1649. priore dimissa, titulum sumpsit Episcopi Sirmiensis. Ita Ritterus; 1647. *Fr. Andreas Francisci ord. S. Paulli I. Eremitæ Electus*, Seniensis, *Petro Mariano cessit translatus ad Sirmiensem*. Novi igitur Episcopatus nomine ornatus Præposituram D. Thomæ de monte Strigonio gerendam accepit a Georgio Lyppai Archiepiscopo Strigoniensi, suo quondam Romæ contubernali, ita tamen ut Tyrnaviæ consisteret; ac an. 1653. Posonii in æde archiepiscopali mortuus, illatusque est in vallem Marianam Comitatus Posoniensis; ibi in templo, & sepulchro Patrum sui Ordinis quiescit. Hæc ex historia Paullina lib. 2.

Huic Petrus Marianus, seu Marianyus esset subjiciendus, quem Prayus nominat an. 1652. & Szorenius an. 1649. Ego neque Electum fuisse Episcopum Sirmiensem censeo, & confundi cum Petro Mariano Episcopo Seniensi, qui an. 1650. nominatus fuit a Ferdinando III. Imp., & an. 1652. Seniensem Ecclesiam adivit. Vide Tomum IV. Post Ladislavum IV. Episcopum Sirmiensem nemo alius, ut diximus, seu Nominatus seu Electus, reperitur, a Pontifice confirmatus ad an. usque 1697., igitur nec Marianus. At in Tomo V. pag. 581. Petrus III. Episcopus Zagrabiensis munus consecrationis accepit a Georgio Lyppajo Archiepiscopo Strigoniensi administris Grorgio Draskovitio Jaurinensi, & Petro Mariano Sirmiensi Episcopis, inquit Farlatus; Episcopus tamen non erat Petrus, nisi designatus, aut electus, quod in actis peractæ consecrationis addi debuisset; & peculiari certe Pontificis permissu opus est, ut Electus tantummodo Antistes manus veluti administer Præsuli consecrando imponat. Error facillime irrepere potuit in exscribendis

Petrus Marianus ab hac serie expunctus.

Actis,

Digitized by Google

Actis, ut pro Seniensi *Sirmiensis* titulus poneretur. Nomen idem Petri Mariani in Sirmiensi, & Seniensi Episcopo, annus idem 1652. quo uterque Episcopatum inivit, mihi suadent unum eumdemque esse Petrum Marianum, qui uni præfuerit Ecclesiæ Seniensi, quem Prayus, & Szorenius Sirmiensi attribuunt unius tituli cum altero confusione; idque certum, Petrum Sirmiensem nunquam Episcopum vere exstitisse.

LV.

Petrus IV. Petrus IV. Jurevicsius an. 1654., apud Szorenium anno post; sacerdos & parochus Mitrovitzii, nominatus Antistes Sirmiensis die IV. Julii illius anni; adeo sapienter hanc rexit Ecclesiam, & cuivis ordini satisfecit, ut primores parœciæ viri suo judicio, suoque testimonio ejus virtutes comprobaverint, eumque litteris honorifice commendaverint Sacræ Congreg. de Propag. Fide. Hoc circ. tempore, & an. 1661. agi cœptum apud Pontificem Alexandrum VII. de conjungendo Sirmiensi Episcopatu cum Bosnensi, illius titulo prorsus exstincto.

LVI.

Paullus II. F. Paullus II. de Tauris, cujus Ordinis fuerit, nemo indicat; electus XIII. Kal. Octobris an. 1662.

LVII.

JoannesVII. Joannes VII. Szaszius, electus III. id. Octobris an. 1668. omissus a Szorenio.

LVIII.

Joachimus. Joachimus Lusinszkius, nominatus XIII. Decembris anno 1674., apud Szorenium 1675.

LIX.

JoannesVIII F. Joannes VIII. Kerius de Ipolyther, Præses totius Ordinis Paullini, an. 1676., penes Szorenium 1679. sed perperam; an. etenim 1678. erat Episcopus Chanadiensis.

FRANCISCUS II. EPISCOPUS SIRMIENSIS LX.

Franciscus II. Episc. Sirmiensis an. 1697.

Erat illi cognomen Janyus, & Doctoris Juris utriusque insignibus ornatus Præposituram Csornensem, seu Chornensem gerebat in oppido Chorna Comitatus Soproniensis, titulo etiam ac jure addito Abbatis Pesfardiensis. A Leopoldo I. Augusto electus fuit Episcopus Sirmiensis an. 1678. inquit Prayus, decennio post Szorenius, cui potius assentior; non enim confirmata fuit electio ab Innocentio XII. nisi an. 1697. *An.* 1697. I. *Julii providit*, idem Pontifex, *Eccl. Sirmien. vacanti per obitum Ladislai Maythei*, Majthenyi, *de persona Francisci Janyi Presb. cum retentione Præposit. Csornensis, & Abbatiæ Pesfardiensis, quas obtinet;* in Act. Consist. e quibus liquet, post Ladislaum & an. 1624. nullius e Præsulibus, quos enumeravimus, aut nominationem, aut electionem ratam fuisse, Pontifice non annuente. Atque hoc demum tempore Sirmiensis Ecclesia & provincia, excusso Turcarum jugo, in libertatem restituta felicibus Leopoldi I. Imperatoris auspiciis, ejusque præclaris de communi hoste victoriis. Quare Franciscum electum Episcopum præesse voluit toti regioni decreto an. 1689. XVII. Kal. Apriles integra supremi Comitis Sirmiensi jurisdictione, eique primo aditum patuit ad gregem suum invisendum coram, & ruinas eversæ Ecclesiæ reparandas. Ante vero suæ feritatis, suique odii in nomen Christianum postrema signa reliquere barbari, quam omnino e provincia pellerentur. Tres enim e sanctissima D. Francisci familia ab iis comprehensi crudelissima morte affecti sunt. Primus Gregorius Jacsichius an. 1693. præses Morovichiensis parœciæ, qui, capto ab hostibus oppido, impie cum oppidanis universis obtruncatus est, parvulis & mulieribus in servitutem abductis; alter Augustinus a Plumbo an. 1694. Villachi parœciam cum administraret, ferreis catenis vinctus deportatur Sabacium Bosnam versus, ac in teterrimum carcerem detruditur, sed inde qualibet sexta hebdomadis feria eductum adeo diu flagellis cædere, quasi per ludum, & in contemptum cæsi ea dic a Judæis Jesu Christi, ut tandem animam inter verba efflaverit. Tertium Laurentium de Salines e sua parœcia abreptum, & Serajum in Bosniam perductum tam gravibus toto corpore tormentis dilacerarunt, ut dimissus postea in cœnobio Bacensi piissime obierit an. circ. 1695. Vide Marangonium in Thesauro Paroch. pag. 478.

Sirmium a Turcico dominatu liberatur.

Franciscus Episc. Comes Sirmiensis.

Franciscani PP. a Turcis interfecti.

Franciscus, inita suæ Ecclesiæ possessione, nihil prætermisit, quod episcopalis & civilis illius provinciæ administratio requirerent; ac an. 1701. transisse illum ad Ecclesiam Chanadiensem docet Prayus. Acta Consist., quæ proferam, mortuum indicant in Episcopatu Sirmiensi; libet tamen ita Prayum cum Actis componere, ut an. 1701. collata fuerit ei Chanadiensis diœcesis, sed anno eodem vita ante exiverit, quam & Sirmiensem dimitteret, & Chanadiensem susciperet. Francisco suffectus est a Prayo Petrus Lubibradiesius an. 1701. vixque annuum Pontificatum ei tribuit; neque innuit, unde hunc Episcoeum hauserit. Nominatus fortasse fuit; de illo nihil Szorenius; eumdemque nos expungimus secuti Acta Consist., a quibus Francisco subjicitur

Mors Francisci Ep.

JOSEPHUS MARIA EPISCOPUS SIRMIENSIS LXI.

Josephus M. Episc. Sirmiensis an. 1703.

Patria Cremensis e familia Favina, in cœtum Franciscanum admissus, qui Conventualium appellatur, & an. 1703. huic Ecclesiæ

siæ præpositus. In Actis Consistor. *An.* 1703. 14. *Maii ad nominat. Imper. providit* Clemens XI. *Eccl. Sirmien. vacanti per obitum Francisci Janii de pers. Josephi Mariæ Favini Ord. Min. Convent.* Prayus annum 1702. per errorem signavit. Ante an. 1709. Josephus Maria e vita decesserat; nam hoc anno Lucas Natalis erat Vicarius Apostolicus Sirmiensis, & hujus Episcopatus Administrator, atque cum suo Clero adfuit Synodo diœcesanæ Bosnensi a Georgio Patachichio Episcopo celebratæ; vide Tomum IV. pag. 89. In libro ms. Collegii Illyrici Lauretani hoc de Luca litteris consignatum reperio; cum a Turcis, qui regionem adhuc habebant infestam, quæreretur ad necem, ac bis terque domo pulsus posset ex insidiis evadere, noluit bonus pastor commissas sibi oves vili metu deserere, seque pro sui muneris religione obtruncari fortiter passus est. Josepho Mariæ Prayus sufficit an. 1716. Petrum Bakiesium, postea ad Bosnensem Ecclesiam translatum; idque repetit in Episcopis Bosnensibus; sed sibi nimium fidit. In Tomo 4. ad Episcopos Bosnenses pag. 84. retulimus Acta Consist. hujusmodi; 1716. 7. *Decembris* &c. *providis* Clemens XI. *Eccl. Bosnen.* &c. *de persona Petri Baccich de Lack Presbyteri Spalatensis*; ubi hic Sirmiensis Petri Episcopatus? Josephus Antonius Ciolnichius in sua epitome a nobis eodem loco subjecta pag. 81. ait Petro Bakichio delatam Ecclesiam Bosnensem nominatione Caroli VI. Imp.; nihil ne hic quidem de Sirmiensi. In Actis mox subjiciendis Josephi Mariæ successor datus dicitur Franciscus Vuernichius. Quid igitur clarius adversus Prayum, ne Petrum hunc cum Sirmiensibus Episcopis numeremus?

FRANCISCUS JOSEPHUS EPISCOPUS SIRMIENSIS LXII.

Franciscus Jos. Episc. Sirmiensis an. 1717.

In pago Riglinouezio ad fines Stiriæ ortus est e locuplete familia Verniesia. Dum Zagrabiæ humanioribus litteris operam dabat, Ecclesiæ ministerio se addixit; deinde Viennæ, Bononiæ, atque iterum Zagrabiæ in philosophicas ac theologicas disciplinas incubuit ad an. 1696., quo Sacerdotio initiatus haud multo post in Chasmensium Canonicorum Collegium, & inter Presbyteros secundi ordinis in Zagrabiensi Collegio, quos Mansionarios dicimus, admissus fuit. Anno 1707. cum sua virtute & doctrina de re ecclesiastica bene in dies mereretur, Posseganam S. Petri Præposituram obtinuit, & Posoniensis Abbatis dignitate ornatus, cum in ea urbe esset, ritum ecclesiasticæ benedictionis sibi impertiri voluit ab Emerito Csakyo de Keresztszeg Episcopo in templo Trinitariorum. Demum an. 1717. ad Sirmiensem regendam Ecclesiam evectus est: *An.* 1717. 22. *Novemb. providit* Clemens XI. *Eccl. Sirmien. vacant. per ob. Favini de pers. Francisci Josephi de Vuernichi: Presbyt. cum retentione Præpositura S. Petri Possegien.; & Abbatiæ de Verengrad Coloc. diœc.* in Act. Consist. Non igitur an. 1716., quem notat Prayus. Statim vero V. Non. Januarias anni insequentis Viennæ in templo D. Stephani episcopali consecratione donatus a Sigismundo Kollonichio Archiepiscopo Viennensi una operantibus Ottone Joanne Baptista a Valkra Vesprimiensi, & Michaele Friderico Althano Vaciensi Episcopis. Duodecim circiter annis suæ Ecclesiæ pie sapienterque præfuit.

GABRIEL HERMANNUS EPISCOPUS SIRMIENSIS LXIII.

Gabriel Herm. Ep. Sirmiensis an. 1731.

Ortus est e nobilissima familia Patacsichia, quæ inter Dynastas locum habet, qui *Liberi Barones* nuncupantur. Inter Canonicos Zagrabienses adlectus Archidiaconatu Bechinensi auctus est; quæ dignitas est una ex septem secundi ordinis Archidiaconis in Ecclesia Zagrabiensi institutis. Magnæ mentis vir, magnique animi sibi omnium benevolentiam & existimationem acquisivit; multoque magis valuit gratia apud Imp. Carolum VI. qui Gabrielis merita ornari voluit metropolitico honore Colocensis Archiepiscopatus. Quare biennio post, relicta Sirmiensi, Colocensem Ecclesiam adivit an. 1733. eodemque tempore intimus Cæsaris consiliarius renuntiatus est.

transit ad Eccl. Colocensem.

LADISLAUS V. EPISCOPUS SIRMIENSIS LXIV.

Ladislaus V. Ep. Sirmiensis an. 1734.

Szorenyo illi cognomen de Kis-Szorenyo; forte in Comitatu Zeurinensi, Hungaris *Szoreniensi* natus est. Nomen dedit ecclesiasticæ militiæ, & sacris initiatus ordinibus Præposituram Marianam de Rajk adeptus, etiam in Nitriensium Canonicorum Collegio Lectoris munere fungebatur, cum Olciniensis Episcopatus titulus ei collatus fuit, ac IV. idus Augusti an. 1733. designatus a Cæsare Sirmii Episcopus, Pontificis approbationem obtinuit XV. Kal. Martias an. 1734., ipsoque anno pridie Non. Apriles rite episcopalem consecrationem suscepit. Igitur, ut erat æque doctrina, ac pietate clarus, & religionis incensus ardore, nihil sibi prætermittendum duxit, quod pastoralis sollicitudo exposceret, & nullis unquam incommodis, nullis laboribus impediri se passus est, ne gregi suo quamcumque ferret opem, & omnium adjumento ac solatio, & animarum incolumitati præsto esset; quodque potissimum est Episcopi officium, ita salutaribus præceptis, atque monitis clerum & populum instituit, ut ea exprimeret & firmaret exemplo. Octodecim fere annos Ecclesiam rexit, quam pie sancteque cultam cum vita dimisit XVII. Kal. Decembres an. 1752., dignus propterea, quem universi ordines gravi luctu deflorent & sincera ejus virtutum prædicatione, quemque Benedictus XIV. P. M. suo ornaret elogio in litteris ad Antonium Grassal-Kovichium nos

Ejus obitus.

Digitized by Google

bilissimum virum, & regii in Hungaria Aulici Conventus Præsidem datis XII. Kal. Junias an. 1754. Edidit Ladislaus eruditum opus, quod inscripsit *Vindiciæ Sirmienses*, & a Prayo laudatur. Ex eo excerpta quædam monumenta ad me humaniter misit, cum illius legendi facultas deesset, Marcus Gerlyczius Cantor & Canonicus Zagrabiensis, ac Præpositus Vesprimiensis, cujus recordatione delector, cum illi adessem Venetiis, ubi aliquantum commoratus est religionis caussa erga D. Evangelistam Marcum, cuique in hac historia scribenda multum me debere profiteor.

NICOLAUS VI. EPISCOPUS SIRMIENSIS LXV.

Nicolaus VI. Ep. Sirmiensis an. 1753.

Oriundus Sabioncello pago haud ignobili peninsulæ Stagni, ubi ejus domus Givovichia, in ditione Ragusina. Cooptatus in Clerum vitæ integritate & scientia, his præsidiis atque ornamentis aditus illi patuit ad ecclesiasticas dignitates. Nam in Hungaria cum esset, consilio & ministerio egregiam navavit operam Ladislao, de quo superius, in suæ diœcesis procuratione, eique a Pontifice datus est adjutor titulo & consecratione sumptis Episcopi Annemuriensis, cui etiam in Sedem Sirmiensem successit. Provide, ac vigilanter sancteque suam Ecclesiam administravit decem circiter annis, & morte abreptus XVII. Kal. Junias an. 1762. ingens sui desiderium reliquit.

obiit anno 1762.

JOANNES BAPTISTA EPISCOPUS SIRMIENSIS LXVI.

Jo. Baptistæ nobilitas, virtutes, ac munera.

Ex antiquissima, nobilissimaque familia Paxia natus est Zagrabiæ Idibus Aprilis an. 1718., & ab ineunte ætate cum indolis, atque ingenii ad optima quæque amplectenda aptissimi, tum animi præsertim ad pietatem, & religionem compositi non obscura protulit indicia. E puerilibus annis, & politiorum literarum studiis egressus, gravioribus disciplinis se tradidit, in quibus tantos effecit progressus, ut æquales cæteros, atque condiscipulos facile antegressus sit. Quare multiplici rerum naturalium, & divinarum scientia optime instructus, quacum virtutes omnes viro ecclesiastico dignas conjunxerat, ad plebem Christianam regendam Parochi munere accessit; at vix hanc animarum procurationem susceperat, cum Franciscus Klobasiczkius Episcopus Zagrabiensis illum Canonicum Ecclesiæ Collegiatæ Chasmensis renuntiavit; quam dignitatem summa cum laude ita gessit, ut cum anno 1754. publica Regni Hungariæ haberentur comitia, idoneus habitus fuerit, qui Capituli Chasmensis nomine illi Conventui interesset, & paullo post in Collegium longe illustrius Canonicorum Zagrabiensium cooptaretur. Hinc, Francisco Zagrabiensi Antistite e vita sublato, Franciscus Thausius in ejus dignitatem suffectus præclarum sui decessoris testimonium de Joannis Baptistæ virtute, ac sapientia adeo comprobavit, ut, novis in illum munerum, ac honorum titulis congestis, Canonicum a latere sibi delegerit, & Chasmensi Præpositura ornatum suum in Slavonia Inferiori Vicarium constituerit. Itaque cum & Præsuli, & Capituli proceribus, atque universis Canonicis ejus pro religione studium, summa fides, consilii magnitudo, rerumque agendarum experientia in dies magis, magisque probaretur, ad difficillima quædam Zagrabiensis Ecclesiæ negotia curanda adhibitus est, & Viennam subinde missus Ecclesiæ & Capituli Zagrabiensis Procurator, quo in Aula Cæsarea gravissimam rerum tractationem obiret. Attulit quidem hæc procuratio Joanni Baptistæ uberem suæ doctrinæ, pietatis, atque consilii, industriæque, quibus summopere pollebat, ostendendæ materiam; neque id solum, sed quod caput est, Aulicorum Procerum, & ipsius in primis Mariæ Theresiæ Augustæ, Hungariæque Reginæ singularem gratiam & existimationem adeptus incredibili dexteritate omnia e sententia transegit. Propterea cum omnes intelligerent, quid de illo sibi quisque polliceri posset, siquid majus & gravius ejus sapientiæ, ac virtuti committeretur, ubi prima Reginæ Augustæ oblata est occasio egregia tanti viri promerita remunerandi, Sirmiensis Ecclesiæ, quæ Pastore vacabat, Episcopum nominavit anno 1762. Pontificatum adorsus luculentissimam edidit epistolam ad Clerum & populum suæ diœcesis singulari charitate in utrumque, summa doctrina refertam, & Vindobonæ typis in vulgus emissa est an. 1763. Tum multa statim meditari, ac moliri cœpit, quibus Dei gloria, & concrediti sibi gregis utilitates potissimum augerentur; & quamvis nobilissima æque, ac antiquissima Sirmiensis Ecclesia nunc exiguis admodum finibus contineatur, nihil suæ curæ deesse voluit, quod in divini cultus splendorem, & animorum salutem posset apprime conferre. Illud autem egregiam sane laudem, & præclaram novo Antistiti commendationem promeruit, quod cum Christianæ catechiseos prima rudimenta valde necessaria esse cognosceret, ut teneræ puerorum mentes divinis præceptis, ac mysteriis ante imbuantur, quam humanarum rerum illecebris, insidiisque cœperint irretiri, hujusmodi scholas paterno sane studio fovit, & in Kaptolinensi Præpositura primus ipse aperuit, tum consilio, hortatione, opimisque propositis præmiis & numero auxit, & in ingentem existimationem provexit. Igitur ejus præclare factis, & in regimine hujus Ecclesiæ sapientissime institutis permota Maria Theresia alios ex aliis honores, ac titulos in illum contulit; & anno 1767. novo rebus publicis Dalmatiæ, Chrobatiæ, & Slavoniæ curandis instituto regio Consilio, præcipuo inter Consiliarios illum subsellio donavit, simulque nobilissimum, nec exiguis profecto vectigalibus instructum Sacerdotium S. Crucis Keresztu-

fit Episcopus Sirmiensis.

Novis honoribus cumulatur,

rien-

riensis attribuit. Jamque annos ferme octo Sirmiensem tenuerat Ecclesiam, suamque in rebus ecclesiasticis administrandis scientiam, sollertiamque honorificentissimo sapientum judicio probaverat, cum Zagrabiensi Ecclesia vacante, ad amplissimum hujus Ecclesiæ regimen, ingenti quidem Sirmiensium luctu, at Zagrabiensium civium lætitia translatus fuit an. 1770.

& ad Ecclesiam Zagrabiensem transfertur.

MATTHÆUS FRANCISCUS EPISCOPUS SIRMIENSIS LXVII. ET POSTREMUS.

In oppido S. Viti diœcesis Polensis, & e familia Kertiza genitus, clericali vitæ sese obstrinxit, & virtutis ac doctrinæ merito dignitatem ac munus Canonici Theologi adeptus est in Ecclesia Quinquecclesiensi. Hoc tempore Sirmiensis Episcopatus cum Bosnensi conjunctus fuit, an. scilicet 1773., Maria Theresia Augusta id petente a Pontifice Clemente XIV., cujus auctoritate una eademque censetur Ecclesia Bosnensis & Sirmiensis. Hinc nobilissima & antiquissima Sirmii Metropolis & Ecclesia jam desiisse dicenda est, ejusque diœcesis cura & administratio Antistiti Bosnensi data, qui & titulum Sirmiensis præfert. Cum vero uterque Episcopatus eo anno careret suo Præsule, delectus est Cæsarea nominatione Matthæus, qui utrumque gereret legitime conjunctum, & Kal. Januariis an. 1774. ejus electio comprobata est a Pontifice, quo ipso anno III. Kal. Martias impositis ei manibus a Georgio Klimoke Episcopo Quinquecclesiensi rite consecratus est, duobus Abbatibus e Pontificis consensu administris. Hunc postremum in nostra serie Sirmiensem Episcopum collocamus, cum & is, & qui deinceps creati Antistites, revera Bosnenses sunt, & ad Bosnensem Ecclesiam spectant, servata Sirmiensis appellatione.

EPISCOPI

SIRMIENSI METROPOLI SUBJECTI.

AC primum de his agemus, quorum Ecclesias certum est in Pannonia Inferiori, & Sirmio propiores constitisse.

ECCLESIA BASSIANENSIS.

Bassianæ notitia civilis.

AB Ecclesiis Sirmiensi Metropolitæ subjectis exordiri æquum est, quas in Inferiori Pannonia sitas fuisse certo scimus, ac suæ Metropoli proximiores, quarum prima Bassianensis nobis occurrit. Bassiana civitas Pannoniæ secundæ dicitur a Ptolemæo, prope Tarsium oppidum, ubi Maximianum Imp. occubuisse scribit Aurelius Victor, & ad ripam Savi, qua parte Mitrovitzium versus, seu Sirmium protenditur. In Itinerario Antonini media est inter Taurunum, unde mille passus triginta, & Sirmium, a quo octodecim millia passuum distabat. Hinc diligentissimus Salagius ea loca perlustrans comperit Bassianam stetisse olim, ubi nunc exiguus vicus *Kralyevcze* dictus; nam eadem hinc distantia a Mitrovitzio, & a Semelino, quod Belegradæ adjacet, seu veteri Tauruno. Quin inter Sirmium & Bassianam locus exstitit *ad Fossas* nuncupatus in Itinerario laudato, nunc ab incolis *Arke*, id est *Fossa* Hungarico sermone, cujus a Sirmio distantia novem milliarium, & decem a Bassiana æquat integrum itineris spatium, quod Sirmio percurritur Bassianam usque, nimirum mille passuum circ. decem & octo. Præterea & quæ ibi supersunt ingentia rudera, & vetusta effossa monumenta perspicue indicant reliquias esse urbis Romanæ nec ignobilis, cujusmodi Bassiana. Equidem in Notitia Imperii legimus, *Sub dispositione viri spectabilis Ducis Pannoniæ secundæ Ripariensis sive Saviæ Tribunus cohortis primæ* Thracum civium Romanorum, *caput Basensis*; & Pancirolus in Comment. recte pro *Basensis* vocabulo *Bacsianensis* seu *Bassianensis* nomen ponit; quia Bassiana sedes Tribuni, *Caput Bacsianensis*, veluti præcipua, appellabatur. Eamdem *Bassinam* nominat, sed male cum Bachia confundit, uti & Moletius; Bachia enim, ex qua Bachiensis Comitatus, longius distat in Colocensi diœcesi, quam ut Bassianæ situi queat aptari. V. Salagium l. 1. c. 1. Inest in Notitia eadem iterum Bassianæ mentio sub dispositione viri illustris Comitis Sacrarum Largitionum, cui suberat Procurator Gynecii Pannoniæ secundæ constituti Bassianæ, ubi conductæ fœminæ militum vestes, lintea, vela, aliaque exercitui, aut classi necessaria apparabant.

De Bassianensi Episcopatu ambigere prudenter non possumus, sed nec initia statuere, quæ Salagius lib. 3. cap. 4. quasi conjiciens affigit dimidio circ. sæculo IV. Qui fuerint Episcopi, inquirit; sed meo sane judicio neminem invenit, de cujus Episcopatu tuto quidpiam affirmet. Nam Eulalius Arianus ab Amantia, qui subscripsit Philippopolitano Conciliabulo an. 347., erat Amantinus Episcopus in Epiro nova, uti dictum a nobis est in Dyrrachiensi Metropoli. Huic subjicere videtur Paullum illum, qui cum

& ecclesiastica.

Digitized by Google

Valente, Ursacio & Gajo e Conciliabulo Singidunensi an. 366. litteras dedit Germinio Episcopo Sirmiensi; *Sedem Paulli*, inquit, *statuere nequeo, attamen ex prædicta cum illis conjunctione*, id est cum Valente præcipue & Ursacio Pannoniis Episcopis, *Pannenium illum fuisse, ac Sedem Bassianæ habuisse suspicor*. Meræ conjecturæ, & imbecilles, cum nominatis pluribus Episcopis Arianis, ad quos Germinius scripserat an. 367., plerosque eorum Pannonios, & Germinio Metropolitæ subjectos fuisse conjicit, & ex iis aliquem Bassianæ Antistitem. Unus fortasse est Anonymus, quem ego non rejicio, & de quo hanc, duce Salajo, narrationem instituo.

N. N. EPISCOPUS BASSIANENSIS UNICUS.

N. N. Ep. Bassianensis an. 535.

Bassiana, etiam Sirmio everso ab Hunnis dimidio sæc. V., aliquam retinuit nominis celebritatem. Nam Dintzic Attilæ filius, & Rex Hunnorum, *Bassianam Pannoniæ civitatem circumvallans fines ejus cœpit prædari*, inquit Jornandes cap. 53. Inde vero pulsus est a Gothis, qui, Theodorico Rege, Pannonia inferiore potiti sunt; sed victi acie a Justiniano Imp. an. 535. has sedes relinquere coacti sunt aliqua parte, quam Græci occuparant, Bassianam in primis. Hic porro fuisse Episcopum ante illum annum indicat Novella XI. Justiniani eodem anno edita, qua Archiepiscopo Justinianæ primæ præter alias provincias subjicitur *pars secundæ etiam Panneniæ, quæ est in Bacensi civitate*. Bacensis civitas eadem ac Basensis in Notitia superius laudata, utroque vocabulo Bassiana intelligitur. Erat igitur in ea Pannoniæ parte Episcopalis Ecclesia, & hæc in civitate Bacensi, id est Bassianæ, quæ illi subderetur Archiepiscopo; & ideo Bassianensis aliquis Antistes tum ea loca regebat. Qui idem ne fuerit an alius an. etiam 541. non decerno; sed fuisse hactenus Bassianensem Episcopatum innuit quodammodo Nov. 331. ejusdem anni, quo Justinianus totam suò imperio secúndam Pannoniam jam subegerat; rursum enim Episcopi *Pannoniæ* jubentur parere cum aliis Archiepiscopo Primæ Justinianæ. Sex vero annorum spatio, quod inter utramque Novellam intercedit, eumdem vixisse Episcopum non repugnat. Sed decennio post & anno 551. civitas & Ecclesia Bassianensis æque ac Sirmium eversa penitus ac deleta est ab Avaris, solo superstite illarum nomine.

Episcopatus Bacensis alius a Barcensi.

Bacensem & Barcensem unum esse Episcopatum autumat Farlatus Tomo 2. pag. 140. ubi disserit de Ecclesia Episcopali Barcensi ab Honorio II. Episcopo Salonitano fundata in Pannonia an. circ. 530., quam eamdem cum Bacensi, seu Basensi esse opinatur, cujus meminit Justinianus. At Metropolitæ Salonitani jurisdictio nunquam Pannonias attigit; & si in diplomate Tirpimiri Ducis Chrobatorum sæc. IX., quod is protulit Tomo 3. & innuit Tomo 4. pag. 42. ac Tomo 5. pag. 329. illius fines ad Danubium protenduntur, verum id concedimus quod ad Bosnensem attinet Ecclesiam, quæ tum Salonæ parebat, cujusque diœcesis fines ad Savum prope Danubio aberant; & Tirpimirus quadam sermonis amplificatione id expresit, ut Metropolis Salonitanæ dignitatem & potestatem augeret; & licet ad Danubium usque porrigeret imperium, minime vero in Pannoniam, quæ trans Danubium sita erat. Cum vero inquirit *locum*, ubi Bacensis exstiterit civitas, illum esse suspicatur, in quo nunc *Baia* oppidum, & *Batba* vicus, & *Bacbia*, unde nomen Comitatus Bachiensis, & *Bacs* civitas episcopalis, quæ postea cum Archiepiscopatu Colocensi conjuncta fuit; sed hæc regio ad veterem Pannoniam non pertinet, potius ad Mœsiam ripensem trans Danubium, & nunc pars dicitur Hungariæ Transdanubiana. Sed Bacensis Justiniani civitas in Pannonia inferiori quærenda, cujus possessionem primum Græci adepti sunt bello Gothico; & hæc Bassiana est. Quinam igitur Barcensis Episcopatus ab Honorio institutus? hunc quæramus oportet in provincia Salonitana, inquit Salagius; sed cum ne loci quidem nomen supersit, inutilis est inquisitio. Causa hujus quæstionis Farlato fuere verba Andreæ Episcopi Jadertini, qui in secundo Concilio Provinciali Salonitano adhortatur Honorium III. Archiepiscopum, ut cum ipse ob locorum distantiam nequeat sacri Chrismatis sacramentum per provinciam conferre, neque ob eamdem caussam facile, liberumve sit consignandis Salonam adire, Episcopos alicubi instituat, qui hoc fungantur munere, quemadmodum Honorius II. effecerat in Barcensi Ecclesia. Sed aliud est novum erigere Episcopatum, aliud adjutores sibi Episcopos deligere, qui vicariam, ubi opus fuerit, operam navent; fortasse hujusmodi fuit Antistes, qui in oppido Barcensi degebat, hujusmodi Episcopi, quos Andreas Honorio suadet in ejus, aliorumque Antistitum, qui illi suberant, opem creandos. Sed ad rem nostram satis.

ECCLESIA CIBALIENSIS.

Cibalis, quæ Ciballis quoque, & a veteribus Eutropio, Ammiano, Paullo Diacono, aliisque Cibalæ denominatur, non exigua fuit inferioris Pannoniæ urbs, oppidum ab Ammiano dicta lib. 30. cap. 7., a qua diffusa circum regio Cibaliensis Pannoniæ cognomen habet apud Paullum Diaconum in additamentis Eutropianæ Historiæ lib. XI. Ejus positionem antiquam Zosimus diligenter descripsit lib. 2. hist. hisce verbis: *Id oppidum est Pannoniæ in colle situm, ad quod oppidum via sursum ducit arcta, cujus longitudo quinque stadiorum est: ejusdem majori parti profunda palus imminet*, (quam Hiulcam vocat Victor in Epitome); *reliquum mons est, quo in monte collis est ille situs, in quo esse oppi-*

Cibalis Pannoniæ urbs.

Ejus situs.

pidum ipsum diximus. Mons adhuc eversæ urbis cognomen retinet, & in Hiulcam paludem vergit, ubi elephantum ossa, veterum monumenta præliorum, effodi interdum perhibet Ferdinandus Marsilius in Tomo 2. Itin. Danub.; *Ad Julcam paludem, quæ protenditur ad montem Cibale, inveniuntur ossa, & reliquiæ elipbantum*. Salagius rerum Pannonicarum eruditissimus Cibalim exstitisse docet, ubi nunc Vincovicium in confinio Brodensi diœcesis Quinquecclesiensis. Vidit is ea loca, notavit, dimensus est ipse; conveniunt omnia cum Zosimi narratione, & cum Itinerario Antonini quod ad distantiam spectat inter Cibalim & Sirmium, seu Vincovicium ac Mitrovitzium. Ibi non pauca visuntur Romana monumenta, & nummi eruti & lapides Romanis litteris signati; e quibus unus paucos ante annos effossus omnem adimit dubitationem.

LIBERO. ET LIBERÆ SACR
M. VLPIO. ERONIO
AEMILIANVS DEC
MUN. CIB. FEC

Id est, *Libero & Liberæ Sacrum. M. Ulpio Eron. Æmilianus Decurio Municipii Cibalensis fecit*.

non idem, qui Bubaliæ oppidi,

Ii tamen falluntur, qui Cibalim urbem unum & idem esse existimant ac Bubaliæ oppidum; etenim Antoninus in Itinerario utriusque nomen, & positionem aperte distinguit; & Cibalæ m. p. 48. aut 50., Bubalia, seu Budalia, eadem quippe est Latinis Scriptoribus, m. p. 8. Sirmio aberant. Sic in itinere:

A Sirmio Salonas
Budalia m. p. 8.
Hispaneta m. p. 8.
Ulmos m. p. 10.
Cibalis m. p. 22.

unde m. p. 48. summa conficitur; 50. vero milliorum initur ratio ex itinere

A Sirmio Cærustum
Ulmos m. p. 26.
Cibalis m. p. 24.

tum

A Sirmio per Sopianas Treviros usque
a Sirmio Ulmos m. p. 26.
Cibalis m. p. 24.

& quacumque viam Sirmio arripueris Cibalim usque, alterutram tandem milliariorum summam percurres:

Ab Æmonia per Sisciam Sirmium usque
Cibali Ulmos m. p. 22.
Sirmium m. p. 26.

Itidem in veteri Itinerario Burdigalis Hierosolymam usque producto:

Cibali Mutatio Celena m. p. 11.
Mansio Ulmo m. p. 11.
Mutatio Spaneta m. p. 10.
Mutatio Vedulia m. p. 8.
Civitas Sirmium m. p. 8.

Et veteris Mansionis ad Labores dictæ.

Quidam etiam Cibalim in locum veteris Mansionis *ad Labores* dictæ protruserunt, cujus meminit Tabula Peutingeriana; atque id nominis obtinuisse autumant ab acerrimo Licinium inter & Constantinum armorum conflictu, quo ejusdem urbis fama apud posteros celebratur. Sed Mansio illa Sirmio distabat m. p. 44., uti in eadem Tabula perspicuum est, unde m. p. 4. aut 6. reliqui erant Cibalim usque: potuit tamen utraque Imperatorum acies eo in loco pugnam conserere, atque ex valido decertandi labore novum inde cognomen ab incolis derivari: etsi non inepta videri opinio debeat, quæ appellationem hanc ab improbis Romanorum militum laboribus, operibusque deprompit, queis in exsiccanda Hiulca palude, aliisque circum molibus exstruendis defatigati, & adversus Probum Imperatorem, cujus jussu opus adorsi fuerant, gravissime commoti, dein seditione facta, illum interfecerunt.

Fuit civitas Episcopalis,

Cibalis episcopali claruit dignitate, & munere, Sirmiensi tamen subjecta Metropolitæ, qua super re alibi disseruimus; & Episcopatus initium referri potest ad sæc. I. Epeneto, vel Andronico auctore qui rem Christianam in iis locis procurabant. Vehementer autem Lazius erravit in Comment. lib. 12. cap. 4., qui Cibalianam Africæ urbem perperam cum Pannonica Cibali confundens hæc scribit; *Quin & Tripartita historia, Conciliaque hujus municipii nomen in litteras miserunt, utpote quo loco vetus episcopalis sedes fuit. Quare decretis Cornelii Papæ, qui sub Decio Cæsare sedit, inter alios Pannoniæ, Illyricique Episcopos legitur subscripsisse Donatus a Cibalis*. Nullum quippe genuinum exstat Cornelii decretum, ut

ab Cibaliana Africæ urbe,

diserte monet Petrus Constantius in eximio opere de sinceris Romanorum PP. epistolis; & unum illud de jurejurando, quod Ivo, Burchardus, aliique ediderunt, siquidem Cornelii sit, nullius Episcopi manu legitur obsignatum: Donatus vero is est, qui in Carthaginiensi Concilio an. 258. Stephano I. PP. sententiam dixit cum cæteris Africæ Episcopis adversus hæreticorum baptismum, & *Donatus a Cibaliana* inscribitur, sive, ut alii præferunt Codices, *a Cybalina*, ut Corbejensis, *a Gubaliana*: neque in Tripartita historia quidquam invenies, quod Lazii opinionem probet, præter nudum Cibalis nomen lib. 1. c. 7. expressum, ubi devicti, fugatique a Constantino Licinii inserta est mentio. Sed pergit Lazius, & gravius eidem cap. mendum inspergit, cum in locum Cibaliensis Episcopatus suffectum Bosnensem fuisse tradit; *Is Episcopatus multis postea seculis & apud Hungaros mansit Bosnensis appellatus, quod Bosniæ regno, & proximus ad Savum esset, & incolas ejus quondam Christo vendicasset*. Bosnensis enim Ecclesia citra Savum constituta nihil sibi juris in Sirmiensem regionem, ubi Cibalis, attribuit: suamque ibi originem nacta, olim Bistoensis fortasse dicta, novum deinde tota cum

& a Bosnensi Episcopatu longe diversa,

re-

Digitized by Google

regione nomen obtinuit, & supremam in Bosnensi regno auctoritatem: donec anno 1469. episcopali sede Diacovum translata, integra tamen iis Præsulibus in Bosnensem provinciam jura steterunt. Vide in Tomo 4. hujusce operis, quæ de Bosnensi Ecclesia erudite scripsit Farlatus. Auctor Epitomes Chronicorum Cassinensium, quæ tribuitur Anastasio Bibliothecario Seniori, & edita est Tomo 2. Script. Rerum Italic. pag. 351. narrat, Cibalim in Pannonia dono datam a Justiniano Imp. S. Benedicto ejusque Monasterio Cassinensi. Tempora congruunt. Justinianus an. 535. Sirmiensi aliquo tractu potiebatur; Benedictus aliquantum vixit hoc Imperatore, ejusque eximia sanctitas ubique innotescebat; fieri itaque potuit, quod ille Scriptor affirmat, non vero ut certum statui; in agro vero Cibaliensi, nunc Vincovicii ne rudera quidem restant alicujus monasterii Benedictini, cum plura ejusdem Ordinis sint in alijs Hungariæ locis. *Justinianus monarchiam adeptus in utraque Roma..... propter amorem, quem in P. Benedictum habebat, concessit eidem Patri & ejus Casinensi..... in Pannonia Cibalim* &c. Hæc in Epitome, cujus stylus longe differt ab Anastasiano, illiusque Auctor ad sæc. XI. rejicitur a Muratorio laudato in loco. Ut ad propositum redeam; illud quidem æquo jure reputandum est, fuisse olim Cibaliensem urbem tum sacris, tum civilibus ornamentis illustrem, cum cives habuerit Valentinianum, & Valentem Impp., atque Gratianum Valentiniani filium, qui Sirmii genitus eamdem assecutus est imperii gloriam, atque administrationem, eosque studuisse de patriæ splendore benemereri. Illustrem locum fecit victoria Constantini de Licinio relata; quem Constantius Imp. vallo communivit, ne a Magnentio caperetur. Cibalim eodem, quo Sirmium, tempore periisse certum est. Cum Hungariæ regnum floreret retroactis sæculis, in eo solo stetit Palina exigua urbs, nec contemnenda, quæ postea Vincovicio locum cessit; unde ortus Georgius Palinæus Bosnensis Episcopus virtute & doctrina clarus, sed misere exstinctus in prælio Mohacsiensi adversus Turcas an. 1526.

patria vero trium Imp.

sed nunc penitus excisa.

Sacrorum Antistitum Cibaliensium nulla exstat memoria; unum habeo S. Eusebium, de quo mox, & aliquot Martyres, qui Ecclesiam Cibaliensem effuso sanguine ornarunt. Perstitisse sæc. IV. Episcopatum Cibaliensem non repugno, immo & ad sæc. V. quod placet Salagio; cum vero conjicit, Gajum Episcopum Arianum, cujus litteræ Germinio Metropolitæ Sirmiensi scriptæ in Ecclesia Bassianensi citantur, præfuisse diœcesi Cibaliensi, non suadet tamen, esse illum eum hujus urbis Episcopis adnumerandum; qui demum an. 369. cum Arianæ impietatis collegis Ursacio & Valente anathemate perculsus a S. Damaso in Romano Concilio, & e sua Sede dejectus est.

S. EUSEBIUS EPISC. CIBALIENSIS UNICUS.

Eusebius Episcopus & martyr.

Eusebii nomen, Episcopatum, & martyrium breviter meminerunt Acta S. Pullionis Martyris Cibaliensis hisce verbis; *In qua*, scilicet Cibaliensi urbe, *superiori persecutione Eusebius ejusdem Ecclesiæ venerandus Antistes moriendo pro Christi nomine, de morte, & de diabolo noscitur triumphasse. Superior*, quæ innuitur persecutio, forte ea est, quam Valerianus in Christianum nomen acriter excitavit, & Diocletianæam illam sane immanissimam præcessit, in qua Pullio pro Christi religione fortiter occubuit; idque Tillemontio verisimile apparet in Tomo V. monum. Eccles., & cum Actis quodammodo convenit, in quibus S. Episcopus *ante plurimos annos* vita functus perhibetur. Nam quæ tempestates subsecutæ sunt, Impp. Claudio II., Aureliano, Probo, Caro, & Numeriano, quasdam solummodo Ecclesiæ partes afflixere; nec in Inferiorem Pannoniam eas irrupisse constat, neque videntur solemni illo *persecutionis* vocabulo in Actis S. Pullionis significari. Sed cum Judices aliquando, & magistratus, immo populares ipsi vesano impulsi furore, & Imperatorum injussu in Christianos sævierint, atque privata veluti aut provincias, aut urbes persecutione cruentaverint, liberum cuique est suspicari, nobis non repugnantibus, num Eusebius in illa ex hisce post Valerianum cladibus capitali fuerit affectus supplicio. Ejus memoria pluribus inserta est Martyrologiis, sed non eodem die, neque iisdem notis. Martyrologium Hieronymianum Henschenii, & aliud Henrici Blumii, tum apographum Lucense, Corbejense unum, & alterum Dacherii, Corbejense brevius, & Senonense Sollerii, Atrebatense Henschenii, tum Notkerus a Basnagio editus in Thesauro Canis., & Wandelbertus hæc adnotarunt: IV. *Kal. Maji in Pannonia Eusebii Episcopi;* ms. Reginæ Sveciæ; *in Pannonia S. Eusebius Episcopus;* Trevirense S. Maximini; *S. Eusebius Episcopus;* Autissiodorense Martenii: IV. *Kal. Maji in Pannonia S. Eusebii Episcopi;* Gallicanum ab eodem Martenio evulgatum; IV. *Kal. Maji in Pannonia Euseppi Episcopi;* Sangermanense & Gellonense Dacherii, Morbacense Martenii, Augustanum, & Labbeanum Sollerii; IV. *Kal. Maji Eusebii;* demum in Menologio Græcorum legitur; III. *Kal. Maji eodem die sanctus Martyr Eusebius pro Christiana confessione martyrio consummatur.* Certo tamen ex Actis liquet, Eusebium *eodem die* vitam finiisse, quo Pullio; & notatur *dies quintus Kalendarum Majarum*, qui septimus est supra vicesimum Aprilis; huic propterea ejus Martyrium affigimus; idque nobis probandum erit, cum de natali Pullionis die Actorum verba expendemus. Hic, ut advertas, velim, alterius Eusebii nomine hanc diem IV. Kal. Maji in apographo Lucensi consignari in hunc modum; *Carilippi Presbyteri. Agapi Lectoris. Eusevi.*

Martyrii tempus incertum;

dies certa, Aprilis 27.

Eu-

Digitized by Google

Eunuci; cui Romanum Martyrologium cohæret: *Eodem die sanctorum Aphrodisii, Caralippi, Agapiti, & Eusebii martyrum*. Quare Florentinius in notis Lucensi Martyrologio adjectis, hæc scripsit; *Eusebius in Romano Martyrologio non indicato certaminis loco, cum Charalippo, Aphrodisio, & Agapio memoratur, sed alius ille Eusebius est, qui neque Episcopus dicitur, neque cum Pollione & Tiballo martyrium fecisse in Pannonia narratur, sicuti docent Codices nostri*. Ego quidem in Florentinii sententiam lubens concedo; idemque sentiendum esse existimo de Eusebio illo, quem Usuardus Sollerii commemorat IV. Kal. Maji iisdem ferme verbis, atque Romanum Martyrologium; *Eodem die, Afrodisii, Carilippi, Agapii & Eusebii martyrum*. Utrum vero par judicii ratio conveniat Richenoviensi ejusdem Sollerii Martyrologio, non ausim affirmare; ibi sane a cæteris disjunctum legitur Eusebii nomen, & Episcopus appellatur; IIII. *Kal. Maji. Et in Tarso Ciliciæ, Afrodisii, & aliorum CLXX. Eusebii Episcopi*; unde non injuria quis autumet & nostrum hunc esse, & Episcopum Cibaliensem.

DE S. PULLIONE LECTORE ET MARTYRE.

Varium Pullionis nomen,

Diversum Pullionis nomen veteres Hagiologi scripsere; aliis etenim *Pallio*, aliis *Apollio*, & *Appollio*, quibusdam *Polio*, plerisque demum *Pollio* dicitur; hisque adhærere maluit Henschenius in Tomo 3. Aprilis, & Baronius in Martyrologio ad diem hujus mensis 28. Puto tamen, Actis esse fidem habendam, quæ, licet nonnullis subsint librariorum mendis, Pullionis appellationem constanter retinent, quam Henschenius ipse noluit immutari. Is patria Cibalitanensis, in illa Ecclesia Lectoris munere fungebatur, cum Romani Præsidis ingruit adventus, ut de Christiana religione quæstiones ageret, & impia Imperatorum jussa cædibus; suppliciisque confirmaret; unde liquet, Pullionem adolescenti adhuc ætate floruisse, siquidem Lectorum officio prima antiquitus ætas exerceri solebat, immo & pueri, & infantuli in hunc ordinem cooptari. Haud porro existimandum est, minorem illi ætatem constitisse, quam quæ singulari multæ virtutis firmata progressu primum inter collegas honorem potuit adipisci, eumque *Lectorum Primicerium* constituere, qui auctoritate, & exemplo cæteris anteiret; licet hac de re quamdam quasi dubitandi ansam præbuerit Tillemontius Tomo V. Monum. Eccl. in not. de S. Irenæo Sirmiensi not. 2., eo quod existimet, nullum, præterquam in Actis, monumentum superesse pro gradus dignitate inter *Lectores* admittenda primis Ecclesiæ sæculis. Sed neganti argumento vis omnino deficit, ut ipse fatetur, præcipue cum antiquis Illyricæ Ecclesiæ ritus, & pleraque instituta nobis sint incomperta. Atque hanc etiam ob causam primus ipse martyrii gloriam est assecutus, quippe qui *fidei ardore notissimus*, & suis charus in primis, & religionis hostibus infensus admodum haberetur. Quo anno mortem pertulerit, Acta non produnt; fuerit autem an. Ch. 304., per me licet Ruinartio ita opinari; quamvis Farlatus in Catalogo Martyrum Illyrici cap. 4. §. 8. Hist. Diocl. adjecto annum 294. vel 304. Pullionis martyrio adnotaverit. Ambigua vero sunt Actorum verba, quæ martyrii tempus quodammodo indicare videntur, nimirum eum *Diocletianus & Maximianus regnantes decrevernnt, ut initiis sub persecutione omnes Christianos delerent ..... Quo tempore ..... Probus Præses* (Pannoniæ) *imperata sibi persecutione, a clericis sumpsit exordium* &c. Tribus enim periodis Diocletiani persecutio distinguitur; prima an. Ch. incœpit 286., ejus imperii secundo, sed diuturnitate brevior, acerbitate cæteris mitior; & tunc illa Actorum locutio *ut initiis sub persecutione* possunt de utroque imperii, & persecutionis exordio commode explicari, contra atque senserit Tillemontius in citata superius notatione. Periodum alteram in an. 294. referendam esse censent eruditi, quam puto ego in Actis non spectari; verisimilius autem mihi est, initia tertiæ periodi ibidem innui huic ad. 303. vel 304. communiter affixa, cum proposito Nicomediæ solemni edicto, universalis demum, & teterrima omnium persecutio penitus exarsit. Henschenii tamen sententiæ non adscribo, cui visum est, Pullionis pro Christo martyrium posse in Majum mensem transferri, inquit enim; *At die* XXIX. *Maji in quatuor apographis Martyrologii Hieronymiani iterum recolitur* Natalis S. Pollionis Lectoris in Cibalis, *ut possit dici hic referri* (nempe IV. Kal. Majas) *occasione S. Eusebii Episcopi, sed tunc martyrium passus*. Scio equidem in pluribus Divorum fastis hanc diem Maji 29. S. Pullionis commemoratione inscriptam esse, queis præter Hieronymiana apographa ab Henschenio producta, adde Martyrologium Morbacense Martenii, & Labbeanum Sollerii; in hisce etenim leges; IV. *Kal. Junii. Pollionis*; tum in Gallicano ejusdem Martenii; IV. *Kal. Junii Natale Pollionis*, in Corbejense brevi Dacherii, & breviore Sollerii; IV. *Kal. Junii in Cibalis natalis S. Pollionis Lectoris, & martyris*; quæ Lucensi cohærent apographo, ubi IV. *Kal. Junii* Pollionis mentio repetitur; *In Cibalis Natale S. Pollionis Lectoris*; tum in ms. Aquisgranensi, Augustano, & Parisiensi Labbei apud Papebrochium inter *prætermissos* hac die Maji 29., tum in Grevenii additamentis Usuardo subjectis, & Sollerii diligentia ac studio una cum ejusdem Usuardi Martyrologio evulgatis in Tomo VI. Jun. Boll. part. 1. ad diem IV. ante Kal. Junias sic; *Item Sanctorum Pollionis, Crispoli, Cirilli*. Verum hisce præstat Actorum fides; & nullus dubito, quin sit illorum auctoritati assentiendum, cum perspicue nimis affirment, Pullionem

& martyrium an. Ch. 304.,

patria, munus, ætas,

Apri-

mense Apri. li, Aprili mense passum esse, scilicet *die quinto Kalendarum Majarum*, quæ dies est Aprilis septima supra vicesimam; iisque plura consentiunt Martyrologia vetustatis honore & pretio plurimi habenda apud Criticos viros: quorum testimonio hac formula expresso v. *Kal. Maji*, propterea fit, ut *dies quintus Kalendarum Majarum*, quem Acta enuntiant, nequeat de die quinto illius mensis intelligi; ne aliquis in hanc opinionem veniat, & aliter, quam par est, verba illa interpretetur. Difficilius est diem ipsum definire anniversario S. Pullionis cultu in ecclesiastica liturgia consecratum; cum Martyrologi ipsi abeant diversi, & dies ille quin-
die 27. tus Kalendarum Majarum ab Actis expressus in erroris suspicionem vocetur. Firma tamen nobis inest opinio, non oportere ab ipsorum auctoritate, nisi justa causa intercesserit, dissentire, & siquam ex mendosa Actorum exscriptione obvenire aliquis putat, eadem Martyrologiis quibusve communis esse debet, quæ nemo scitus vir, atque cordatus, vetustiora præsertim, ab omni mendorum culpa liberabit; quæque idcirco *diem quartum*, *aut tertium* ante Kal. Majas si mendose tribuerint S. Martyris commemorationi, non secus est ac alii fortasse volunt *diem quintum* in Acta vitio librariorum irrepsisse. Iis itaque, superius adductis, juvat & alia attexere de cultu S. Pullionis testimonia, servato ordine dierum, quem in Ecclesiæ Fastis, & apud Hagiographos obtinuerunt. Galesinius
Testimonia de cultu S. Pullionis. die Aprilis 27. hæc S. Martyris elogium protulit e mss. *In Pannonia S. Pollionis Martyris, qui Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, in Christi studio luctatus gravibus certaminibus præclare obeundis, egregium fidei testimonium profuso sanguine dedit*. Longiorem autem de illo laudationem ex Actis confecit, exscripsitque Petrus de Natalibus in lib. 4. cap. 95. eadem Aprilis die; qua colitur in Bononiensi quoque ms. Kal. S. Salvatoris; v. *Kal. Maji Pollionis Martyris*: ea vero est; *Pullio Martyr, in Civitate Cibalitana, Prior Lectorum fuit, de qua quidem urbe Valentinianus Imperator oriundus extitit: in qua & ipse Martyr sub persecutione Diocletiani & Maximiani Imperatorum martyrium pertulit, agente Præside Probo. Hic enim Præses, postquam in civitate Sirmiensi S. Hyrenæum ejusdem urbis Episcopum cum S. Montano Presbytero, Smeruleum* (ignota vox, uti notat Henschenius, & nulli pervia significationi) *in flumine demergi fecerat, Sanctum quoque Demetrium ipsius Ecclesiæ Diaconum decollaverat, venit ad urbem Cibalitanam, in qua pridem S. Eusebius ipsius civitatis Pontifex passus fuerat, fecitque teneri Pullionem Lectorem, quem Christum constantissime confitentem ac sacrificare nolentem, dicentemque se velle Patrum suorum, qui pro Christo passi fuerant, imitari vestigia, flammis jussit exuri, qui passus est v. Kal. Maji*. Ast in diem ejusdem mensis 28. S. Martyris memoriam rejecit apographum Lucense, & cum Vitale, Eusebio, atque Tiballo ita conjunxit; IV. *Kal. Maji in Pannonia Natalis S. Vitalis. Eusebi Episcopi. Tyballi. Pollionis*; eamdemque diei notam retinent Corbejense Martyrologium Dacherii; IV. *Kal. Mai in Pannonia Eusebi Episcopi, & Vitalis, Pollionis*; Autissiodorense Martenii; IV. *Kal. Maji in Pannonia Sancti Eusebii Episcopi, & S. Pollionis Martyris*; Bononiense S. Luciæ; IV. *Kal. Maji in Pannonia S. Pollionis Martyris*; Rhinoviense, & Richenoviense Sollerii; IV. *Kal. Maji in Pannonia natale Pollionis*; Notkerus Basnagii; IV. *Kal. Maji in Pannonia Eusebii Episcopi, Tiballi, & Pollionis*; Usuardus Sollerii; IV. *Kal. Maji. In Pannonia Sancti Pollionis Martyris*; & Romanum Baronii Martyrologium; IV. *Kal. Maji. In Pannonia Sancti Pollionis Martyris sub Diocletiano Imperatore*; cui testimonio hæc apposuit Baronius: *de eodem Beda, ac cæteri, qui supra* (nimirum Usuardus, & Ado). *Hujus acta summatim complexa recitat Petrus in Catalogo lib. 4. cap. 94.* (in nostra ejusdem Catalogi editione, cap. 95.) *licet in mendoso Codice pro Pollione Pullio, pro Cibali Civalis, & pro Sirmio Firmus legatur*. Nescio tamen, quo Bedæ apographo usus sit Baronius, in quo Pullionis nomen invenerit; certe probatum illud Bedæ opus, quod ejus titulo Martyrologium inscribitur, & ab Henschenio præpositum fuit Tomo 2. Martii Boll., tum in Aprili, tum in Majo mense Pullionem penitus silent. Denique & Maurolycus die quarto ante Kal. Majas hujus martyrium commemorat; *In Pannonia S. Pollionis Martyris sub Diocletiano Imperatore, ac Præfecto Probo, urbe Cibalitana*; & Felicius, & Canisius iisdem ferme verbis, uti tradit Henschenius. Qui diem Aprilis 29. illustri Pullionis obitu consignaverit, neminem usquam reperio præter mss. duo Martyrologia, Vaticanum alterum, alterum Neapolitanum inter *prætermissos* III. Kal. Maji ab Hagiographis Antuerpiensibus. Unum adjungo; Ghinium in Divorum numerum, quos ipse *Canonicos* appellat, retulisse S. Pollionem Lectorem: verum sive hac *Canonicorum* appellatione illos designet, qui divino cultui, & sacris peragendis officiis sese dicabant in Episcoporum ædibus, & cathedrali templo sedulam navabant operam ecclesiastici ministerii, sive nobilissimam sane, & perantiquam ab illis hominibus derivatam religiosorum virorum familiam velit intelligi, cui *Canonicorum Regularium* cognomen inditum est, fatpor me non posse in ejus opinionis partem venire, quæ ineptum quid sonat, atque a veritate nimis dissentaneum, tum eruditorum omnium sententiæ omnino contrarium, qui *Canonicorum* & nomen, & munus vix ineunte sæc. V. in Ecclesiam inductum agnoverunt.

Ghinii opinio rejecta.

Ad Acta quod attinet, hæc e vetustissimo Codice Monasterii Bertiniani primus edidit Henschenius, suoque judicio probavit, utpote quæ germanam referant antiquitatem, & ser-

Acta martyrii probantur.

servatam in publicis tabulis judicialium quæstionum formam, quæque idcirco Proconsularia vere sint, & nulli obnoxia falsitatis suspicioni. Henschenio Tillemontius assentitur, & Ruinartius in egregio opere de sinceris Martyrum Actis a se conscripto, quamquam is maluerit, Acta *Præsidialia* dici; & jure quidem, cum Probus, quo judice Pullio sententiam mortis subivit, Præsidis tantum dignitate provinciam administraverit, ut ex iisdem Actis liquet; in quibus indicium præterea est, hæc legi olim consuevisse in publicis, sacrisque Christianorum conventibus, ex supremis hisce verbis; *Quam passionem hodie cum gaudio celebrantes, deprecamur divinam potentiam, ut nos eorum meritis participes esse concedere dignetur*. Præfatio tamen, & in calce conclusio Christiani hominis manu fuerunt adnexæ, cui vel Acta exscribere licuit, vel e Cibaliensi tabulario extracta tuto apud se retinere; de quo recte conjicit Tillemontius, supparem illum fuisse ætate Valentiniano I. Imp., cum hæc verba, *de qua* (id est Cibalitana urbe) *Valentinianus Christianissimus Imperator oriundus esse cognoscitur*, nulla nota Imperatorem distinguant ab iis, qui eodem nomine imperii possessionem tenuerunt in Occidente, Valentiniano nimirum II., ac Valentiniano III., quorum alter exeunte sæc. IV., alter inito jam V. regnavit. Utrum autem Acta Græco sermone confecta fuerint, ne divinandum quidem esse arbitramur; levissima enim est hac de re Tillemontii conjectura, quam in quibusdam dictionibus e Græco exemplari, ut illi videtur, minus apte in Latinam linguam conversis ineptius ipse fundavit. Nos huc illa transcribimus e Tomo 3. Aprilis Boll. ab Henschenio emendata; & nostras, tum Henschenii, atque Ruinartii notationes mox subjiciemus.

Acta S. Pullionis Lectoris ac Martyris Cibaliensis.

Præfatio anonymi.

1 *Diocletianus, & Maximianus regnantes decreverunt, ut* (1) *initiis sub persecutione omnes Christianos aut delerent, aut a fide deviare facerent. Quo tempore hæc præceptio cum venisset ad Sirmiensium civitatem, Probus præses imperata sibi persecutione, a clericis sumsit exordium, & comprehensum sanctum*
2 *Montanum* (2) *Presbyterum Ecclesiæ Singidunensis* (3), *diuque Christianæ fidei virtutibus*
3 *conversatum, jussit necari. Hirenæum quoque* (4) *Episcopum Sirmiensis Ecclesiæ, pro*
4 *fide, & commissæ sibi plebis constantia fortiter dimicantem, ad cælestem palmam simili sententia coegit, renuntiantemque idolis & impia præcepta contemnentem, vario tormentorum genere confectum, temporali morti tradidit, in æternitate victurum. Sed cum his ejus satiata crudelitas non fuisset: vicinas peragrandas esse credidit civitates: & cum sub specie publicæ necessitatis ad urbem Cibalitarum pervenisset, de qua Valentinianus* (5) *Christianissimus Imperator oriundus esse cognoscitur, & in qua superiori persecutione Eusebius* (6) *e-*
5 *jusdem Ecclesiæ venerandus antistes moriendo pro Christi nomine, de morte & de diabolo noscitur triumphasse; contigit Domini misericordia providente, ut eodem die comprehensus Pullio primicerius Lectorum, fidei ardore notissimus, a ministris crudelitatis ipsius offerretur examini, dicentibus: Hic in tantam prorupit superbiam, ut non cesset Deos & Principes blasphemare.*

S. Pullio comprehenditur.

Quæstio coram Præside.

Quo adstante Probus præses dixit: Quis diceris? Respondit: Pullio. Probus præses dixit: Christianus es? Pullio respondit: Christianus. Probus præses dixit: Quod officium geris? Pullio respondit: Primicerius Lectorum. Probus præses dixit: Quorum Lectorum? Pullio respondit: Qui eloquentiam divinam populis legere consueverunt. Probus præses dixit: Illi qui leves mulierculas, dum vetant ne nubant, pervertere, & ad unam (7) *castitatem* 7 *suadere dicuntur? Pullio respondit: Levitatem & vanitatem nostram hodie poteris comprobare. Probus dixit: Quomodo? Pullio respondit: Leves & vani illi sunt, qui relicto Creatore suo vestris superstitionibus acquiescunt. Ceterum devoti & constantes probantur in fide Regis æterni, qui mandata quæ legerint, etiam tormentis prohibentibus implere contendunt. Probus præses dixit: Quæ mandata legendo, vel cujus Regis? Pullio respondit: Christi regis pia & sancta mandata. Probus præses dixit? Quæ? Pullio respondit: Quæ unum Deum in cœlis indicant intonantem: quæ non posse dici Deum ex ligno & lapide salutifera admonitione testantur: quæ corrigunt noxas, & emendant: quæ innocentes in propositi sui perseverantia & observatione corroborant: quæ virgines integritatis suæ edocent obtinere fastigia; conjugem pudicam in creandis filiis continentiam custodire; quæ dominos servis plus pietate quam furore persuadent, unius conditionis contemplatione, dominari; quæ servos plus amore quam timore persolvere: quæ docent regibus justa præcipientibus obedire; sublimioribus potestatibus, cum bona jusserint, obtemperare: quæ præcipiunt parentibus honorem, amicis vicem, inimicis veniam, affectum civibus, hospitibus humanitatem, pauperibus misericordiam, caritatem cunctis, malum nemini facere: accipere patienter illatas injurias, facere omnino nullas: suis bonis cedere, aliena ne oculorum quidem delectatione concupiscere: in perpetuum esse victurum, qui pro fide momentaneam mortem, quam vos potestis inferre, contemserit: Hæc si displicent, optime cognita tuo judicio poteris derogare.*

Probus præses dixit: Et quid proderit, si homo interfectus hac luce careat, & bona corporis sui universa deperdat? Pullio respondit: Quia hac brevi melior est lux illa perpetua, & dulciora sunt quæ permanent, quam quæ pereunt bona; nec est prudentiæ caducis postponere sempiterna. Probus præses dixit: Quid igne damnatur: *ista? Fac quod jusserunt Imperatores. Pullio respondit: Quid hoc est? Probus dixit: Ut*

sacrifices. Pullio respondit: Fac quod tibi præceptum est. Ego hoc facturus non sum, quia scriptum est: Sacrificans dæmoniis, & non Deo eradicabitur. Probus dixit: Gladio ferieris, si non sacrificaveris. Pullio respondit: Fac quod tibi præceptum est. Me autem Episcoporum, Presbyterorum, & omnium Patrum, quorum doctrinis imbutus sum, sequi (8) *tota veritate vestigia oportet, unde & omnia quæ inferre volueris, tota exultatione suscipio. Probus præses data sententia flammis jussit eum exuri. Moxque raptus a ministris diaboli, & ductus milliario longe a civitate, agonem suum implevit Martyr* (9) *intrepidus, laudans, benedicens, & glorificans Deum, qui ejus venerabilem passionem, sed & sancti episcopi ejusdem civitatis Eusebii, ante plurimos annos, eodem die vita (functi) martyrium prænovit ad cœlestem gloriam, quam hodie cum gaudio celebrantes, deprecamur divinam potentiam, ut nos eorum meritis participes esse concedere dignetur. Hæc autem acta sunt in civitate Cibalitana die quinto* (10) *Kalendarum Majarum, jubentibus Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, regnante Domino nostro Jesu Christo in sæcula sæculorum, Amen.*

NOTÆ.

1 De hac persecutione vide, quæ innuimus in disquisitione prævia Actis martyrii.

2 Egimus de S. Montano inter Martyres Sirmiensis Ecclesiæ.

3 Singidunum olim episcopalis civitas Sirmiensi Metropolitæ subjecta, de qua suo loco uberius erit disserendum.

4 Locus hic corruptus erat, *Fidelium quoque Episcopum Hirenensi Ecclesiæ*; sed facilis fuit restitutio Sanctorum antehac notorum, Hensch.

5 Valentinianus hoc nomine primus Imperatorio jure, atque dignitate Occidentem tenuit, Valente fratre Orientis imperium gubernante; hæc de illo Ammianus lib. 26. cap. 1. *Valentinianus nulla discordante sententia, numinis adspiratione cælestis electus est* Imperator.

6 De Eusebio quoque supra disseruimus.

7 *Vanam*. Ruinart.

8 Idem, *tota virtute*.

9 Hæc etiam periodus correctione aliqua eguit. Hensch.

10 Videntur alii legisse, *die quarto Kalendarum Majarum*. Hensch. Sed de hoc satis est in disquisitione disceptatum.

DE S. TIBALLO MARTYRE, INCERTUM AN CIBALIENSI.

Daniel Farlatus in altero hujusce operis Tomo Historiam Diocletiani complectens, & cap. 4. *de persecutione Diocletiana* §. 8. Illyricorum Martyrum conficiens catalogum inter *Martyres ex Pannonia* hæc de Pullione scripsit, atque de Tiballo, quem Triballum nominavit; *Cibali S. Pollio Lector, & S. Triballus Martyres sub Diocletiano, Probo præside an. 294. vel 304. IV. Kal. Maji*: incertus tamen hæreo, num Cibalitanis Martyribus hic quoque sit accensendus. Inde vero dubitandi suborta est ratio, quod viderim in vetustis Martyrologiis Tiballum alicubi memorari, omisso S. Vitale, cui sacer est dies Aprilis duodevigesimus, uti & Tiballo; alicubi vero S. Vitalem, mentione Tiballi posthabita. Quis enim nequeat in suspicionem adduci, Vitalis nomen fuisse facile in Tiballum immutatum librariorum aut culpa, aut inscitia, qui contractas forte in Codicibus nominum syllabas, seu vetustate obtritas explicare nescierint, vel cognoscere? Etsi suspicio aliquantulum minuitur Lucensis apographi auctoritate, quod utriusque meminit & *Vitalis*, & *Tiballi*, quocum Corbejense concordat Parisiis excusum, teste Henschenio in animadversione Actis S. Pullionis præposita; unde fit, ut alter ab altero vere distingui queat. Sed cum beatissimi Martyris nomen protulerimus, superest præterea nihil, quod addas; namque & Pannonium fuisse genere, & in Cibaliensi urbe martyrio defunctum, conjectura est ex eo deducta, quod cum SS. Eusebio & Pullione ejus memoria conjungatur IV. Kal. Majas; quæ ratio si valeat, jam & Vitalis erit inter Cibalitanos Martyres adnumerandus, cum in apographis Lucensi, & Corbejensi fuerit illis adjunctus ad diem Aprilis 28. Certum tamen est, Vitalem, cui patria Mediolanum erat, illustrem martyrii gloriam Ravennæ retulisse, ubi sacra ejus lipsana perhonorifice coluntur in celeberrimo templo ejusdem nomine nuncupato; neque fas est absque ullo monumentorum indicio alterum Vitalem effingere, qui Pannonicæ Ecclesiæ Fastis inseratur. Verisimilius tamen arbitror, ex ipsa cum Eusebio, & Pullione Cibalitanis martyribus conjunctione Tiballum quoque Ecclesiam Cibaliensem suo martyrio decorasse; & ex Martyrologiis nonnulla de S. Tiballo testimonia adjungimus, nequid eorum desit, quæ illustrandæ hujusce Martyris memoriæ possunt quoquo modo inservire. Lucense primum apographum IIII. *Kal. Maji* expressis verbis exorditur; *In Pannonia Natalis S. Vitalis. Eusebi Episcopi. Tyballi. Pollionis*; quo in loco Florentinius *Tiballum*, & *Triballum* in scriptione usurpat. Hieronymianum Antuerpiense, IIII. *Kal. Maji Pannoniæ Eusebi Episcopi, Pollionis, Tiballi*; Corbejense breve Dacherii; IV. *Kal. Maji in Pannonia Eusebii Episcopi, Tibaldi*; brevius Sollerii; IV. *Kal. Maji in Pannonia Eusebii Episcopi, Tiballi*; demum Notkerus Basnagii; IV. *Kal. Mai. in Pannonia Eusebii Episcopi Tiballi, & Pallionis.*

Quæ de S. Tiballo feruntur, incerta.

Ejus nomen nonnullis insertum martyrologiis.

DE

DE SS. VENUSTO, ET HERMOGENE MM. CIBALIENSIBUS.

Cibaliensem Ecclesiam illustri fidei confessione ornarunt Venustus quoque, & Hermogenes, quorum memoria sacris Fastis inscribitur XII. Kal. Septembres una cum martyrii sociis Donato, Romulo, & Sylvano. De his, nimirum de Romulo, & Sylvano, sat egimus in historia Sirmiensis Ecclesiæ; de Donato inter Singidunenses Martyres erit uberius agendum. Ad Venustum, & Hermogenem quod attinet, unice ex Actis comperio, Venustum quidem Donati fratrem fuisse, & Hermogenem Lectoris munere in Ecclesia Cibaliensi perfunctum, unde adolescens hominis ætas conjici potest, ut de S. Pullione superius innui: quare hoc unum superest, ut de Actis ipsis inquiramus, quam disquisitionem consultius duximus in hunc locum reservandam. Atque Philippus quidem a Turre vir nobilitate non minus inter primores Forojulienses, quam doctrina & eruditione præstans, e situ vetustatis illa primus eduxit, & ad Hagiologos Antuerpienses humanissime voluit transmitti an. 1692. S. Donati nomine inscripta, hac forte de causa, quod ibi singularem sibi præ cæteris & cultum vindicet, & venerationem; licet potior illorum pars in enarrando Hermogenis martyrio demoretur, & de Donato, aliisque, veluti arrepta occasione, paucula tantummodo inseruerint, haud aliter quam in Actis S. Pullionis factum esse cognoscimus. Sed re probe perspecta, Donati, Venusti, & Hermogenis Acta rectius illa appellarem, cum horum unice quæstio descripta sit coram Præside habita, deque his proposuisse sibi narrationem significet Actorum scriptor supremis hisce verbis; *Passi sunt autem beatissimi Martyres Christi Donatus, Venustus, & Hermogenes* &c. Unde porro Philippus hæc deprompserit, ipse per literas monuit socios Antuerpienses: *Acta S. Donati & sociorum descripta sunt ex breviariis vetustissimis, quibus olim nostra Ecclesia utebatur, disposita secundum lectiones*; utiliorem operam eruditis hominibus præstiturus, si ætatem quoque Codicum indicasset. Quæret hic fortasse aliquis, utrum pura & sincera habenda sint hæc Martyrum Acta, utpote quæ eumdem præ se ferant stylum, eamdemque scribendi ingenuitatem, atque Acta S. Pullionis; immo ea est in utrorumque præfatione ordinis, ac verborum similitudo, ut ejusdem hominis manu non immerito suspicemur fuisse præpositam. Verum enim vero nolim ego mihi tantum tribuere, ut quod Joannes Pinius Antuerpiensis summæ eruditionis Hagiographus silentio maluit præterire, ipse ultro decernam, atque definiam. Si tamen illa recte inspicias, tibi videri queunt e distinctis, iisque sinceris singulorum Martyrum Actis in unum conjuncta ab anonymo quopiam Scriptore, ejusque ingenio consuta, & veræ Actorum formæ, quam fieri poterat, verisimilius conformata. Edita primum fuere ad Philippi apographum, & notis illustrata a Joanne Pinio in Tomo IV. Aug. Boll., & nequid fraudis in illud irrepsisse quis vereretur, aut ab exemplari ms. diversum, hoc religiosi viri testimonio cautum fuerat diligentissime: *Hæc Acta SS. Martyrum Donati & sociorum extraxi, & exemplavi ex antiquo breviario ms. existente in archivio reverendissimi Capituli civitatis Fori Julii, ego Thomas Minisinus ejusdem Capituli canonicus, & archivista, & meo sigillo munivi. At enim*, inquit Pinius, *voces quasdam in nostro apographo, quæ legi non potuere, omissas videbis, lector; quasdam etiam uncinis inclusas, ut earum defectus ex conjectura utcumque suppleatur*. Ego itaque, ut Actorum integritati consulerem, denuo ex Forojuliensis Ecclesiæ tabulario illa exscribenda curavi: quod Antonii Pesentii Forojuliensis civis, & nobilis viri humanissimi beneficio cum essem assecutus, illico suborta est difficultas non levis, idem ne esset exemplar a Philippo repertum in veteri Breviario, cum illo, quod Pesentius monet e Passionario ejusdem Ecclesiæ transcriptum fuisse. Equidem si Pesentianum apographum cum apographo Philippi componas, nulla intercedit dissimilitudo, pauculis exceptis, quæ videntur in ms. Breviarii exemplari omnino deesse; codex vero utriusque vel ipso nomine diversus apparet. Verum ne humanitati illius hominis molestiam renovarem, hoc mihi propositum fuit, ut Philippi apographum Pesentiani ope perspicuo satis, ac nitido charactere descripti, pristinæ veritatis formæ restituerem, & integrum illud, atque perfectum typis nostris ederetur: quod cum effecero, breves eidem una cum Pinii notis notationes adnectam. SS. Venustus, & Hermogenes coluntur hoc die XII. ante Kal. Septembres in Civitate Forojuliensi, & Aquilejensi Ecclesia.

Acta a Philippo a Turre reperta

Donati, Venusti, & Hermogenis propria sunt,

atque e sinceris singulorum actis in unum congesta;

edita autem primum a Joanne Pinio,

ope Pesentiani apographi emendantur,

& notis illustrantur.

ACTA EX BREVIARIO FOROJULIENSI MS.

Præfatio Anonymi.

„ In diebus illis regnantibus Diocletiano
„ & Maximiano Imperatoribus, decreverunt,
„ ut immensis persecutionibus (1) Christia- 1
„ nos persequerentur de civitatibus eorum,
„ & castellis, qui essent, qui diligenter
„ Christo deservirent, ut eos in Fide Chri-
„ sti facerent deviare. Et ecce adveniens
„ Victorianus præses ex præcepto Diocletia-
„ ni in partibus Sirmiensibus ad Christianos 2
„ torquendos (2) id a Clericis sumpsit exor-
„ dium. Apprehensum S. Donatum Diaco-
„ num S. Ecclesiæ Singidunensis (3) *divque* 3
„ *vanæ fidei pro viribus colluctantem* (4), 4
„ misit in carcerem. Alia autem die, pri-
„ mo diluculo exurgente, dixit Victorianus
„ præses: Donate, quis te persuasit, ut non
„ colas Deos nostros, sicut & nos, & judi-
„ ces nostri? Dixit ei S. Donatus: Deos
„ tuos surdos, & mutos non colo. Colo au-

Digitized by Google

„ tem Dominum meum Jesum Christum, „ Filium Dei vivi, qui est verus, & omnipotens Deus. Iratus autem Victorianus „ præses dixit ei: Recede ab hac stultitia. „ Dixit ei Beatus Donatus: Stultus tu es, „ & judices tui. Audiens autem hæc Præ-
Donatus capite plectitur. „ ses, furore accensus, jussit eum apprehendi, & statuit eum capitalem subire sen-
„ tentiam,

S. Romulus. „ Presbyterum quoque Romulum nomi-
5 „ ne (5), Sirmiensis Ecclesiæ, qui cum S. „ Donato Diacono, & Martyre Christi, pro „ Fidei constantia, & commissa sibi plebe „ fortiter dimicabat, ad cœlestem palmam
6 „ simili sententia prædamnatum (6) provexit „ immitis. Item & alium Diaconum, S.
S. Sylvanus. „ Sylvanum nomine ejusdem Ecclesiæ, idolis „ renuncjantem, & impia præcepta contemnentem, per varia tormentorum genera „ confectum temporali morte tradidit in æ-
7 „ ternitate victurum. Sed cum in eis ejus (7) „ satiata crudelitas non fuisset, vicinas civi„ tates peragrandas suscepit, & cum specie „ publicæ necessitatis in Civitatem Civalita-
8 „ nam devenisset, de qua Pullio (8) vir „ Christianissimus esse cognoscitur: conti-
9 „ git Domini misericordia (9) apprehensum „ esse S. Venustum, germanum S. Donati „ Martyris, a ministris ipsius impiissimi
S. Venustus eadem cum Donato fratre sententia „ Victoriani, & præcepit eum sisti suis ap- „ paritoribus: qui dum eam intuitus fuisset, „ Victorianus præses dixit ei. Venuste, re-
„ cordare, quomodo germano tuo Donato ca-
10 „ put feci amputari? Consule (10) vel tu ti- „ bi, veni, & sacrifica Dijs nostris, quos „ & nos, & principes nostri veneramur, ne „ tibi similiter fieri præcipiam. S. Venustus „ subridens dixit: Vivit Dominus meus Je- „ sus Christus, quia nescio plures Deos es-
11 „ se, quos tu dicis; sed scio unum Deum (11) „ vivum, & verum, Patrem, & Filium, &
12 „ Spiritum Sanctum, qui & (12) trinus, & „ unus Deus. Dixit ei Victorianus præses. „ Quid plura? Sacrifica Dijs. Dixit ei S. „ Venustus. Non sacrifico Dijs tuis vanis, „ sed sacrifico Deo Patri sacrificium laudis, „ qui regnat in cœlis. Tunc furore repletus „ Victorianus præses jussit ministris suis „ eum apprehendi, & foras civitatem adduci, „ & ibi decollari. Et dum diutius orasset
mulctatus. „ ad Dominum, decollatus est in eodem „ loco.

„ Et ecce appropinquavit B. Hermoge-
Quæstio in B. Hermogenem. „ nes, qui cum cognovissent eum ministri „ Reipublicæ Christianum esse, apprehen-
13 „ dentes eum (13) adduxerunt ad Præsidem:
14 „ & dum sibi eum præsentem (14) fecisset, „ dixit ei præses. Dic mihi, Hermogenes, „ & tu vis seduci? Dixit ei B. Hermoge- „ nes: Tu seduceris miser. Dixit ei Victo- „ rianus: Fortassis & tu Christianus voca- „ ris? Dixit ei B. Hermogenes: Christia- „ nus vocor. Victorianus præses dixit; Quod
15 „ officium geris Christi tui (15)? S. Her- „ mogenes dixit. Lectoris. Dixit ei præses: „ Vel quorum lectorum? B. Hermogenes di- „ xit (16): qui scientiam populis legere con- 16
„ sueverunt (17). Dixit ei præses: Quæ man- 17
„ data legis, vel cujus salutis gaudia doces? „ S. Hermogenes dixit: De Domino meo „ Jesu Christo Rege sæculorum pia & sancta „ mandata. Præses dixit: Et quem Deum a- „ doras? B. Hermogenes dixit: Unum Deum „ verum, qui fecit cœlum, & terram, ma- „ re, & omnia, quæ in eis sunt. Dixit ei „ præses: Nunquid Dij nostri veri Dij non „ sunt? Dixit ei B. Hermogenes: Dij tui „ lignei, & lapidei sunt, nec aliquid in se „ divinum habent, nec sibi, nec alicui præ- „ stare possunt salutem. Dixit ei præses: „ Hermogenes, consule tibi. Veni & sacri- „ fica Dijs magnis (18); nam faciam te ce- 18
„ lerius puniri. Respondit S. Hermogenes: „ Jampridem tibi, dixi: non sacrifico Dijs „ tuis vanis, mutis, & surdis. Tunc iratus „ præses jussit eum in carcerem trudi. Ap- „ prehendentes custodes, vinctis manibus, „ trahebant ad carcerem.

„ Et dum traheretur conspiciens idolum, Ejus miracula, „ facto signaculo Christi, comminatus est „ spiritui, qui in eo latitabat: & statim „ cecidit maxima pars templi. Et ecce exiens „ dæmon ab eo clamabat dicens: Quid no- „ bis, & tibi vir Dei: venisti ante tempus „ torquere nos, & introivit in filiam præsi- „ dis, & clamabat per os ejus dicens: si „ non venerit vir Dei, quem in carcerem „ misisti, non exeo hinc. Audiens autem „ hæc præses, jussit eum silentio ad se per- „ duci: & cum venisset B. Hermogenes ad „ præsidem, dixit ei præses: Hermogenes, „ potes filiam meam salvam facere? Dixit ei „ B. Hermogenes: Non ego, sed Dominus „ meus Jesus Christus: in ipsius nomine pos- „ sum eam salvam facere. Dixit ei præses: „ Si potes, fac, quod dicis.

„ Dixit ei vir Dei: Si credis in Deum „ meum Jesum Christum Filium Dei vivi, „ qui tertia die resurrexit a mortuis, ego „ faciam quod promisi. Præses dixit: Si „ jam sanam videro (19) filiam meam, cre- 19
„ dam in Deum tuum. S. Hermogenes di- „ xit: Scio, quod falles (20), & non cre- 20
„ des, quia obduratum est cor tuum: sed „ propter populum adstantem faciam eam sal- „ vam. Et posuit genua sua in terram, & „ rogavit Dominum dicens: Domine Deus „ Omnipotens, qui cognitor es omnium, „ præsta, ut in (21) tua virtute exeat Dæ- 21
„ mon de puella hac. Et hæc dicens erexit „ se, & posuit manum suam super caput „ puellæ, & facto signaculo Christi dixit: „ Præcipio tibi immunde spiritus in nomine „ Domini nostri Jesu Christi, recede ab „ hac puella, & non amplius eam fatigare „ audeas. Et statim exiit ab ea, & facta „ est quasi mortua. Et elevavit vocem suam „ laudans, & glorificans Deum, qui salvam „ fecit.

„ Et videns pater ejus, quod ipsa Domi- Et Præsidis duritiem, „ num Deum cœli benediceret, obdurato cor- „ de dixit ei: Filia, Dij tui te salvam fe-

„ ce-

Digitized by Google

„ cerunt. Audiens hæc vir Dei subridens
„ ait: Dij tui vani sunt, sicut & tu factus
„ esse cognosceris, & nihil tibi nec aliis præ-
„ stare possunt. Victorianus iniquus præses
„ dixit: Hermogenes, noli tam vana, & tam-
„ diu inutilia verba persequi: sed veni, &
„ sacrifica Diis, qui filiam meam salvam
„ fecerunt. S. Hermogenes dixit ei: Vivit
„ Dominus Deus meus, qui filiam tuam sal-
„ vam fecit, quia ipsum adoro, & ei sacri-
„ ficare non desisto. Victorianus præses di-
„ xit: Hermogenes doleo de pulchritudine
„ tua, & nisi celerius mihi acquieveris, diu-
„ tissimis pœnis te affici præcipiam. Post
„ hæc jussit eum apprehendi, & iterum in
„ carcerem recludi, & non diu iterum jus-
„ sit eum ante suum tribunal consisti (22):
22 „ & dum staret ante tribunal, dixit ei præ-
„ ses: Jusserunt Domini nostri Imperatores
23 „ cærimoniari (23). Dixit ei S. Hermoge-
„ nes: Neque Imperatorum præceptis obedio,
„ neque sermonibus tuis acquiesco. Tunc re-
„ pletus furore Victorianus jussit frænum in
„ os ejus mitti, & foras civitatem duci, &
„ ibidem decollari præcepit. Et dum ad lo-
„ ca damnatorum pervenisset, posuit genua
qui capitali demum supplicio in Hermogenem animadvertit. „ sua in terram, & Dominum nostrum Je-
„ sum Christum rogavit, ut ejus spiritum
„ acciperet; & statim decollatus est in eo-
„ dem loco. Venientes autem viri Religio-
„ si, & tollentes corpus ejus sepelierunt
„ eum prope corpora SS. Martyrum. Passi
„ sunt autem Beatissimi Martyres Christi
„ Donatus, Venustus, & Hermogenes sub
„ die duodecimo Kalendarum Septembris im-
„ perantibus Diocletiano, & Maximiano Im-
„ peratoribus; Regnante Domino Nostro Jesu
„ Christo, cui est honor, & gloria, laus, & po-
„ testas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

NOTÆ.

1 Videtur hic designari famosa persecutio, quæ anno ære vulgaris 303. die 23. Februarii inchoata fuit, publicato postridie edicto destruendi templa, libros sacros comburendi &c. De hac persecutione legi potest Lactantius cap. 12. de mortibus Persecutorum. *Pin.* Vide tamen, quæ hac super re præmisimus Actis S. Pullionis; & quæ Parlatus in Historia Diocletiani cap. 4. §. præcipue 6. eruditissime disserit Tomo altero Illyrici Sacri.

2 In edito Philippi apographo *ita*.

3 *Singidonum*. Cellarius in notitia orbis antiqui lib. 2. cap. 8. pag. 363. inter ea, quæ collegit de Mœsia Superiore, *Post confluentem*, inquit, *& Taurunum, qui finis erat Pannoniæ, primum oppidum superioris Mœsiæ Singidunum est, ut Latini scribunt*. Observat item, alibi scribi *Singidonum*, *ac Pannoniæ tribui vel propter vicinitatem, vel quia vere quidem post Singidunum limitem constituerunt. Quod oppidum hodie sit, aut quo loco, non plane constare* dicit. De eo mentio facta est apud nos die 13. Jan. Tomo 1. pag. 768. *Pin.* Sed de hoc fusius in Ecclesia Singidunensi.

4 Hæc in edito desunt; sed *vanæ fidei* loco, *veræ fidei* dictionem substituendam censeo.

5 Hunc Presbyterum anonymum posuit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

6 Ita & Pinius supplevit.

7 *Ejus* deest in apographo Pesentiano.

8 In Actis S. Pullionis iisdem fere verbis legimus; *Cum ad urbem Cibalitarum pervenisset, de qua Valentinianus Christianissimus Imperator oriundus esse cognoscitur*. Vereor autem, ne mendum irrepserit in Pesentianum exemplar librarii culpa, & illa verba *Pullio vir* perperam fuerint intrusa. Igitur meo quidem judicio videtur locus iste ad superiorem formulam corrigendus.

9 *Domini misericordia*; quæ verba ex Pesent. addidimus.

10 Ita ex Pesent. emendavi: *consule vel tu tibi*.

11 *Unum Dominum* in Pesent., sed edita immutare non placuit.

12 Pesent. *qui est trinus*.

13 Integra hæc dictio, *qui cum cognovissent eum ministri Reipublicæ Christianum esse, apprehendentes*, abest ab edito, sed in Pesentiano corrupta ita restitui potest, *quem cum cognovissent ministri* &c.

14 *Eum* ex Pesent.,

15 Et pronomen *tui*.

16 Imperfectum dictionis hujusce sensum ita ex nostro apographo emendavimus, namque in edito legebatur; *quod officium geris Christi? respondet Hermogenes: qui scientiam populis legere consueverunt*. Manca tamen in iis adhuc verbis apparet dictio; *vel quorum lectorum?* cui noluimus calamum adhibere.

17 Indicat se lectoris officio fungi, qui libros sacros populo in Ecclesia congregato prælegebat. *Pin.* De officio autem lectoris nonnulla monuimus in disquisitione prævia Actis S. Pullionis.

18 *Dijs nostris* in edito.

19 *Videro* ex Pesent. melius, quam *video* in edito.

20 In edito *falleris*, sed corrupte.

21 *In* præpositio ex Pesent. adjecta.

22 *Sisti* in nota Pesentiano Codici apposita.

23 Id est, *diis sacra offerri*, e Glossario Cangii. *Pin.*

ECCLESIA MURSENSIS.

MUrsa urbs ab Octaviano Augusto fundata dicitur, & colonia Romana fuit in Pannonia inferiori, teste Ptolemæo. Sita erat Danubium inter, Dravum & Savum, sed Dravo propior, ac Cibali distans m. p. XXIV., & Sirmio milliaria quatuor supra septuaginta, uti constat ex Itinerario Antonini. Hinc errarunt profecto Socrates & Sozomenus, qui Mursam Galliæ castellum appellant, ille lib. 2. cap. 32 hic lib. 4. cap. Mursæ situs,

Digitized by Google

cap. 7. imo & Baudrandus in Lex. Geogr. & Ortelius. In Notitia Imperii ponitur *sub dispositione Ducis Pannoniæ secundæ Ripariensis seu Saviæ*, ibique *Præfectus classis Istricæ*, id est Danubianæ morabatur. Plura hic memoria digna gesta sunt, quæ ab Historicis narrantur. Ingenuus unus e triginta Tyrannis ad Mursam victus & occisus est a Gallieno Imp. teste Pollione. Mursæ imperium sibi arripuit Vetranio, ibique illud deponere coactus fuit a Constantio Augusto, qui ad eamdem urbem Magnentium insigni clade affecit; ut passim meminere veteres Scriptores, qui Mursam in Pannonia nominant. Fuit in eadem regione Mursa minor, seu Mursella oppidum, de quo Antoninus in Itinerario & Tabula Peutingeriana, idem ac Mursillum seu Murgillum, ubi a Constantino Lex. *dat.* XV. *Kal. Nov. Murgillo Constantino A.* IV. *& Licinio IV. Coss.* id est an. 315. Exstat in Cod. Theodos. lib. 1. de Judæis, & in Cod. Just. Ad Arrabonem fluvium aliam stetisse Mursellam Sabariam versus in Pannonia Superiori nonnullorum opinio est. Quatuor fere sæculis cum dimidio floruit Mursæ fortuna usque ad tempora Attilana & an. 441. quo cum Sirmio corruit; quamvis Tillemontio visum sit, urbis excidium anteferre in an. 378. cum Hunni minitari Pannoniis, & in eas jam irrumpere cœpissent v. cap. 3. in vita Gratiani Imp. Mursæ locum nunc occupat Essecum munitissima Hungariæ urbs in Comitatu Valkoviensi; id affirmant Lazius & Bonbardius in Topographia Hungar. præterea Marsilius in Itin. Danubiano, & Salagius lib. 3. cap. 2. qui loca ipsi diligenter & erudite inspexerunt. Nam Essechii positio ad Dravum, illius Sirmio seu Mitrovitzio distantia, & ampla, quæ inde prospicitur, planities, eædem sunt, quas de veteri Mursa describunt Itinerarium Antonini, Zosimus lib. 2. aliique. Adde vetusta Romanorum monumenta ibi detecta, exstantes murorum reliquias, vastam ruderum molem, Romanas inscriptiones, sepulchrales urnas, quæ se vidisse & legisse testatur Salagius; ac Marsilius Tomo 2. *Sunt ea rudera ex lateribus coctis, quæ a terra aliquantum elevata prospiciuntur, sed ob plures vicinæ arcis Essechii erectas propugnationes, dispersa atque destructa... Haud dubitamus hic sitam fuisse Mursam .... Multa in effossione hujus terræ inventa sunt numismata. Per paludes vero illas, quæ ultra Dravum flumen se late diffundunt, Agger longissimus transire visitur, ut qui a Dravi ripa ulteriori incipiens ad duo circiter milliaria Germanica extenditur; totusque glarea mixti operis. Cujus fortasse usus fuit Romanis, ut communicationem Pannoniæ ultra citraque Danubium defenderent atque tuerentur.* Hæc Marsilius incertus Mursæ an Mursellæ sint tribuenda; sed dubium nullum, quin ad Mursam spectent, quam censet ab Adriano Imp. conditam fuisse. P. Jacobus Pejaczevisius S. J. in nova & veteri Geogr. Valeriam Pannoniam cum Ripariensi, seu Inferiore confundit, ubi Mursa, de qua a nobis dicta & ipse refert, ac Romanorum nobilium effossas ibidem fuisse effigies affirmat cum inscriptis nominibus.

ubi nunc Essec m in Hungaria.

Ecclesiæ Mursensis initium.

Ecclesia Mursensis auctore gloriatur S. Clemente I. Pontifice ac M. qua de re fuse Farlatus Tomo 1. & Salagius lib. 2. cap. 1. Sæculo II. jam erectum Mursensem Episcopatum affirmat Hansizius Tomo 1. German. sacræ. Sæculo IV. innotuit Valentis Episcopi Mursensis impietate. Fuere igitur antea Mursenses alii Antistites, quorum nomina prorsus interierunt. De sacris Mursæ ornamentis unum nobis notum est in historia Sulpicii Severi, Basilica Martyrum parum ab urbe dissita, in qua Constantius Imp. constitit cum Valente Episcopo, dum Romana acies contra Magnentium præliabatur, pugnæ exitum opperiens. Nunc de Valente narrationem subjicio.

VALENS EPISCOPUS MURSENSIS UNICUS.

Valens Ep. Mursensis an. circ. 335.

Cujus ignota patria, nec quibus virtutibus aut meritis in ordinem Presbyteratus fuerit adscitus, memoriæ proditum comperimus. Nulla in eo hæc fuisse, eventus probavit; nam post e gradu dejectus ad Arium confugit, qui jam venena suæ hæreseos late disperserat, seque totum illius tradidit impiæ doctrinæ cum Ursacio postea Episcopo Singidunensi. *Ursacius & Valens, quos utpote juniores religionis rudimentis imbuit ipse Arius, cum de gradu Presbyteri fuissent, antea dejecti, postmodum ob impietatem Episcopi sunt designati;* inquit S. Athanasius in ep. ad Solitar. Id post Nicænum Concilium effectum est ab Eusebianis, qui Eusebio Nicomediensi fautore aperte Ario favebant; utrumque vero Valentem & Ursacium *juniores ætate & moribus in Pannonia Episcopos* appellant Patres Synodi Alexandrinæ in Ep. Synod. Anno 335. coacta est Tyri Synodus Eusebianorum adversus Athanasium; vocati Episcopi jussu quidem Constantini, sed ad Eusebii voluntatem, fuere omnes Arianæ partis; in his Valens & Ursacius; quibus a Synodo datum negotium, ut Alexandriæ & per Mareotidem inquirerent de criminibus Athanasio objectis. Quam vero inique, qua vi, quo furore id sint exsecuti, Patres Concilii Alexandrini an. 339. testantur in Ep. Synodica ad Catholicos Episcopos; *Nàm soli cum Præfecto Ægypti Philagrio in Mareotem abscedunt; soli pro libidine sua cum prædicto viro quæstiones instituunt, nulla permissa Presbyteris adeundi facultate ..... Præfectus Ægypti manu militari succinctus, omnes ecclesiasticos terrefaciens nulli permisit ex Clero testimonium dicere; & quod absurdius est, in ipsis ædibus accusatoris & commorabantur, & quæstionibus operam dandam prout libuit decernebant; eoque tam judices quam testes suæ & Eusebianæ voluntatis administri conveniebant.* Tum scelera & flagitia describunt, quæ

interest Concilio Tyrio adversus Athanasium,

di-

districtis gladiis in sacras Virgines, & Catholicos fratres Alexandriæ perpetrata fuerant. Hisce actis Alexandria Tyrum reversi sunt ovantes; quorum facinus & Patres Sardicenses an. 347. abominati sunt in litteris ad Ecclesiam Alexandrinam hisce verbis; *Quin monumenta in Mareote edita a sceleratissimis & perditissimis quibusdam adolescentibus*, Valente, & Ursacio, *quibus ne minimum quidem Clericatus gradum quispiam contulisset, una solum e partibus præsente facta fuisse constabat*. Assedit itaque uterque in eo Concilio, testis & judex contra fas, & Athanasii damnationi, quam unice sibi proposuerant Eusebiani, uterque subscripsit. Inde Valens cum Ursacio, aliisque Eusebianæ factionis Episcopis Hierosolymam profectus est, ut una omnes Basilicam nuper erectam Constantii jussu dedicarent ritu solemni. Orationem habuit Eusebius Nicomediensis, in qua plurimorum, qui aderant, Episcoporum cœtum commendat, *Pannonios* præsertim & *Mysios*, id est e Pannonia Valentem, e Mysia Ursacium, eosque *juventutis florem, impuberem Dei cœtum* appellat, quippe in Arianam perfidiam cum eo consenserant. Cæremoniis peractis, coiere rursum Eusebiani; & proposita Fidei formula, quam Arius Constantino obtulerat post Synodum Nicænam, probata ab iis fuit, etsi Nicænæ contraria, Ariumque pœnitentiam simulantem Ecclesiæ communioni restitutum esse edixere; nec dubium, quin Valens & Ursacius magistri causam defenderint. Hinc Athanasius in lib. de Synodis conqueritur ab Eusebianis insidias sibi structas fuisse, *ut Arium cum sociis resiperent, hæresimque introducerent*. Hæc eodem anno 391. gesta sunt.

et Hierosolymitano pro Ario.

Valens, Ægypto & Palæstina peragratis, ut Ariomanitis Episcopis adjumento esset in tuenda suæ eorumque hæresis insania, in Pannonias rediit, non de Mursensi Ecclesia sollicitus, sed eo consilio, ut & Arianos latius errores propagaret, & suæ ambitioni satisfaceret. Inerat enim Episcopis Arianis impius æstus concursandi urbes & provincias, ut seditiones molirentur, Catholicos vi minisque in suas partes pertraherent, & neglectis prorsus, quibus præerant, Ecclesiis, in alienos & illustriores invaderent Episcopatus. Itaque Valens Aquilejam contendit ea mente, turbas excitavit; commota civitas in civile exarsit dissidium, quo misere periit Catholicus quidam Episcopus Viator nomine; detecto autem Valentis scelere, ab urbe turpiter ejectus est. Id facinus commemorat epistola Sardicensis Concilii ad Julium I. Pontificem, *Valentem, relicta Ecclesia, aliam invadere voluisse; eo tempore quo seditionem commovit, unus ex fratribus nostris, qui fugere non potuit, Viator obrutus & conculcatus in eadem Aquilejensium civitate die tertia defecit. Causa utique mortis Valens, qui perturbavit, qui sollicitavit*. Nec longe abest a vero, Domnium Sirmiensem Episcopum suumque Metropolitam opera Valentis in exilium actum fuisse a Constantio Imp., quo illius Sede potiretur; sed eum fefellit ambitiosa spes, suffecto in locum Domnii Eutherio. Vide Athanasii Arianam historiam.

Aquilejæ pellitur.

Cum vero hæretica lues in dies luctuosius grassaretur per Orientales Ecclesias, Constans qui Occidentis, ejusque frater Constantius, qui Orientis imperium tenebat, Concilium Sardicense indixerunt an. 347., quo convenire jussi Episcopi ex imperio utriusque rursum de Fide decernerent, & malis mederentur, quæ insanabilia fieri videbantur. Eo & Ariani jam adveniebant, Valens in primis, & Ursacius, sed ex condicto *Synodos per diversa loca agebant privatim, adhibitisque minis fœdera ineibant, ut cum Sardicam advenissent, nullatenus sese judicio sisterent, neque una cum sancta Synodo convenirent, sed perfunctorie duntaxat adventu suo significato statim aufugerent*. Hæc in Ep. Synod. Conc. Sard. idque revera præstiterunt. Quare Concilii Patres prolata in omnes sententia, nominatim illos, & *Ursacium a Singiduno Mœsiæ & Valentem a Mursa Pannoniæ ab Episcopatu deposuerunt; eosque non solum Episcopos non esse, sed ne communione quidem fidelium dignos esse habendos* decreverunt; ex eadem ep. Quo decreto in furias acti Philippopolim abiere Thraciæ oppidum & Conciliabulo inito parem in Patres Sardicenses, ipsumque Romanum Pontificem sententiam scripsere, & sane longam epistolam, ementito titulo Concilii Sardicensis, impudentissime ediderunt in vulgus, cui & Valentis nomen legitur subscriptum. Interea Constans Fidei Nicænæ cultor eximius Sardicensia decreta probaverat; quare Valens & Ursacius illius iram veriti, cujus civili potestati suberant, ne in exilium abigerentur, Mediolanum venerunt, ubi celebris habebatur Episcoporum conventus cum pontificiis legatis, in quem admissi *rogaverunt veniam*, ut est in Ep. Synod. Conc. Arimin. & *meruerunt*, ita tamen, ut Julii Pontificis se sisterent judicio. Idcirco Romam profecti Arianam hæresim exsecrati sunt, quin & a se dicta in Athanasium, atque perpetrata omnia palam damnavere; ac *pœnitentiam suam scripto tradidere*, inquit in Arian. hist. Athanasius. Exstant apud Hilarium in fragm. litteræ Valentis & Ursacii ad Julium Pontificem, & ad Athanasium; utraque describitur ab eodem Athanasio in ep. ad Solit., quæ Arianam continet historiam; & utramque hic subjicio.

Ab Episcopatu deponitur in Concil. Sard.

Veniam petit in Concil. Mediol.

„ Exemplum Epistolæ, quam post renun- I
„ tiationem (1) Orientalium, Athanasium
„ reum non esse, in urbe Roma holographa
„ manu Valens perscripsit, & Ursacius sub-
„ scripsit.

DOMINO BEATISSIMO PAPÆ JULIO VALENS ET URSACIUS S. Ejus ad Julium P. epist.

„ Quoniam constat, nos antehac multa
„ gravia de nomine Athanasii Episcopi lit-
„ te-

2 „ teris nostris insinuasse, atque litteris (2)
„ Sanctitatis tuæ conventi, ejus rei, de qua
„ significavimus, non præstitisse rationem:
„ profitemur apud Sanctitatem tuam, cunctis
„ præsentibus Presbyteris fratribus nostris,
„ omnia, quæ antehac ad aures vestras per-
3 „ venerunt de nomine prædicti, falsa (3) a
„ nobis esse insinuata atque omnibus viribus
„ carere: atque ideo nos libentissime am-
„ plecti communionem prædicti Athanasii;
„ maxime cum Sanctitas tua, pro insita si-
„ bi benevolentia, errori nostro veniam fue-
„ rit dare dignata. Profitemur etiam, quod
„ si aliquando nos Orientales voluerint, vel
4 „ idem (4) Athanasius, malo animo ad cau-
„ sam vocare, citra conscientiam tuam non
„ adfuturos. Hæreticum vero Arium, sed &
„ satellites ejus, qui dicunt, Erat tempus
„ quando non erat Filius, & qui dicunt ex
5 „ nihilo Filium, & qui negant (5) Dei Filium
„ ante sæcula fuisse, sicut per priorem li-
6 „ bellum (6) nostrum, quem apud Mediola-
„ num porreximus, & nunc & semper ana-
„ thematizasse, hac manu nostra, qua scri-
„ psimus, profitemur: & iterum dicimus,
„ hæresim Arianam, ut superius diximus,
„ & ejus auctores in perpetuum damnas-
7 „ se. (7) *Et manu Ursacii:* Ego Ursacius
„ Episcopus huic professioni nostræ subscri-
„ psi.

NOTÆ.

1 Id est, postquam Orientales Episcopi in gratiam, & pacis communionem cum Athanasio redierunt, eo anno, quem superius innuimus. Latino autem sermone conscripta fuerat Epistola, & ab Athanasio in Græcum conversa, uti ipse testatur in epistola ad Solitarios. *Quæ Latine ad Julium Romanum Episcopum scripta, in Græco sermone hanc sententiam complectitur*, mox illam subjiciens. Athanasius vero a Paullino-Episcopo Tyburis se eamdem accepisse monet in Apologia secunda una cum litteris sibi ab Ursacio, & Valente missis: *Litterasque & ad Julium veteris Romæ Pontificem, & ad nos quoque in hanc formam misere, quorum exempla mihi transmissa sunt a Paullino Episcopo Tyburis.*

2 Iis nimirum, quas Sardicense Concilium ad Julium PP. scribens hisce verbis commemorat: *Conventi per Presbyteros tuos & per epistolam, ad Synodum, quæ futura erat in urbe Roma, venire noluerunt.*

3 Præpositio *a*, uti notant Maurini Operum S. Hilarii editores, in vulgatis omissa editionibus, restituitur ex Pithœano ms. Ita sensus recte cohæret initio epistolæ, quo sese calumniæ reos accusant Valens, & Ursacius: *quoniam constat nos antehac multa gravia..... insinuasse* &c. Athanasius integram particulam omisit in Græca epistolæ versione. Ejusdem vero ms. fide verba illa fuere emendata *ad aures vestras*, cum perperam fuisset editum antea *ad aures nostras*.

4 *In libello Ursacii, & Valentis*, inquit Severinus Binius in notis huic epistolæ adjectis, *quem recitat Sozomenus lib. 3. cap. 22., de Eusebio nulla mentio habetur, & recte: nemo enim illorum Eusebiorum, Cæsariensis, Emisseni, Nicomediensis superstes erat, qui longe ante pœnitentiam Ursacii & Valensis defuncti fuerant. Unde nomen Eusebii apud Athanasium irrepsisse videtur.* Idem in notis advertunt Maurini editores paullo superius laudati: *At*, inquiunt, *hanc lectionem nostram confirmat vetustum exemplar græcum operum S. Athanasii, quod in regia Bibliotheca asservatur.* Cujus ope Montfauconius epistolam hanc probe emendavit in nova Operum S. Athanasii editione ab se diligentissime, eruditissimeque concinnata.

5 Hic addi posset *Deum* ex apographo Athanasii in apologia secunda, & Sozomeni lib. 3. cap. 22.

6 Hoc libello impiam Arii hæresim damnarunt Valens, & Ursacius, atque impietatis, scelerumque patratorum veniam orantes Catholicæ communioni fuerunt a Patribus Concilii restituti. De Athanasio vero nulla ab iis mentio facta est apud Mediolanenses Patres, neque de calumniis in eum graviter illatis, cum de Fide solum quæstio tunc esset adversus hæresim Photini.

7 In apographo Athanasii: *Ego Ursacius huic confessioni meæ præsens subscripsi, simul & Valens*; apud Sozomenum; *Ego Ursacius, cum præsens meæ confessioni interessem, subscripsi: quod itidem & Valens fecit.* Vereor itaque, ne in apographo Hilarii subscriptio Valentis desideretur iisdem, ut ego puto, verbis concepta: ideoque Codex ita meo quidem judicio corrigendus: *Ego Valens Episcopus huic professioni nostræ subscripsi. Et manu Ursacii. Ego Ursacius Episcopus huic professioni nostræ subscripsi.*

Eodem ferme tempore Valens Roma profectus cum Ursacio Aquilejam, & Presbyterum quemdam ibidem natus, qui Alexandriam conveniendi Athanasii studio pergebat, litteras eidem Athanasio scripsit suo, Ursaciique nomine, ecclesiastica communione sese illi conjunctos jam esse monens, & mutua deposcens salutationis officia.

„ Exemplum alterius Epistolæ Valentis &
„ Ursacii, quam post aliquantum temporis
„ ab Aquileja, postquam hanc superiorem (1) 1
„ Romæ emiserant, ad Athanasium mise-
„ runt, & Episcopos.

DOMINO FRATRI ATHANASIO URSACIUS & VALENS. ad S. Athanasium.

„ Dedit se occasio fratris & Compresby-
„ teri nostri Moysetis (2) venientis ad tuam 2
„ dilectionem, frater carissime, per quem
„ tibi salutem largissimam dicimus, ex A-
„ quilejensium civitate, & optamus ut in-

„ co-

Digitized by Google

„ columis litteras nostras recenseas, Dederis „ enim fiduciam, si tu quoque in rescri„ bendo vicem nobis rependas. Sane habere „ nos locum tecum & communionem eccle„ siasticam his litteris scito. Divina pietas „ te custodiat Frater.

NOTÆ.

1 Sirmond. *Roma emiserant*. Pith. ms. *Romæ miserant*.

2 In Græca Athanasii versione hic Presbyter *Museus* appellatur.

Quo tempore scripta fuerit epistola ad Athanasium.

Sed in titulo huic epistolæ ab Hilario præfixo aliqua quæstio est; cum affirmet scriptam fuisse, *postquam hanc superiorem Romæ emiserant*, illam scilicet, quæ Julio tradita fuerat. Hilarii vero opinioni repugnat tum Osii testimonium, qui in epistola ad Constantium Imperatorem scribit, Valentem, & Ursacium coram Julio *Presbyterisque ibi præsentibus confessionem suam scripta edidisse, cum prius pacatas litteras & amicas ad Athanasium dedissent*; tum Athanasius ipse citatis antea verbis ex epistola ad Solitarios: *Quin Ursacius, & Valens...., pœnitentiam professi sunt, literasque, & amicas, & pacatas ad Episcopum, quas nullas ab eo acceperant, misere. Romamque abeuntes pœnitentiam egere* &c. Sententia autem aliis probabilior inest, eos in litteris Julio datis mentionem hujusce epistolæ facile facturos fuisse, si prius Athanasio scripsissent, ut eo sincerior animorum conversio, & criminum pœnitentia Pontifici appareret. Alii putant Hilarium ideo hac in parte illius tituli errasse, quod Ursacius, & Valens, postea quam Athanasio ac Julio litteras dedere, *ultro subscripserint epistolis pacificis, quas Athanasii Presbyteri Petrus, & Irenæus, & Ammonius laicus ad id circumeuntes colligebant, quum tamen Athanasius nihil tale ab Ursacio, & Valente postulasset*, inquit idem Athanasius in laudata crebro ad Solitarios epistola; Quo sese modo res habeat, mihi quidem fit verisimilius, Valentem, & Ursacium Roma profectos, & in Illyricum properantes, ubi novæ adversus Photinum turbæ miscebantur, novi motus ardebant, tum Julii monitis, ac persuasione inducti ad Athanasium scripsisse, cum Aquilejæ consisterent: illud tamen certo constat, litteras non fuisse a Moysete ad Athanasium delatas, sed a Paullino Tyburis Episcopo una cum *pœnitentia* libello Alexandriam transmissas, uti Athanasius in secunda Apologia testatur iis verbis, quæ in prima ad aliam epistolam notatione produximus.

Valens ad Arianos revertitur,

Quam vafre hæc a Valente & Ursacio, quam perfide gesta tamen fuerint, statim innotuit, ac interfecto Magnentii insidiis Constante Imp. an. circ. 350., Constantius Arianæ partis fautor acerrimus Occidentale Imperium adeptus est. Tum Valens quavis potuit arte, illius gratiam aucupari sibi contendit; nec defuit impio homini occasio, cum Constantius ad Mursam prælium adversus Magnentium committeret, qui Occidentis Imperator fuerat renuntiatus a militibus. Rem ipsis Sulpicii Severi lib. 2. hist. verbis, a quo memoriæ prodita est, enarremus. *Eo tempore, quo apud Mursam contra Magnentium certatum, Constantius descendere in conspectum pugnæ non ausus, in Basilica Martyrum extra oppidum sita, Valente ejus loci Episcopo in solatium assumpto, diversatus est. Ceterum Valens callido per suos disposuerat, ut quis prælii esset eventus, primus cognosceret, vel gratiam regis captans, si prior bonum nuncium detulisset, vel vitæ consulens capturus fugiendi spatium, siquid contra accidisset. Itaque paucis qui circa regem erant metu trepidis, Imperatore anxio, primus nunciat hostem fugere. Cum ille indicem ipsum intromitti posceret, Valens ut reverentiam sui adderet, Angelum sibi fuisse nuncium respondit. Facilis ad credendum Imperator palam postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus vicisse.* Ita Valens tanta apud Constantium pollere cœpit auctoritate, ut quidquid postea ei lubitum fuit adversus Nicænam Fidem & S. Athanasium, dolose obtinuerit & nefarie ac crudeliter fuerit exsecutus. Hinc primum Imperatoris decreto cogi jussit Occidentales Episcopos, ut latam ab Arianis in Athanasium sententiam scripto confirmarent. Huic malo ut remedium afferret, Liberius Pontifex petiit ab Imperatore, ut cogeretur Mediolani concilium, in quo Athanasii causa cognosceretur ante, quam in ejus condemnationem Episcopi consentirent. Assensus est Constantius Valentis consilio, qui id moliebatur, ut Patres vi adigerentur ad Arianorum voluntatem. Anno igitur 355. conveniunt ex Occidente trecenti Episcopi cum Legatis Liberii, pauci ex Oriente; adest & Constantius. Quæsivere Episcopi, ut primum subscriberent omnes Formulæ Nicænæ, deinde de Athanasio ageretur; cumque Dionysius Episcopus Mediolanensis chartam manu teneret, qua Fidem profiteretur, Valens *calamum & chartam e manibus ejus violenter extorsit clamans, non posse fieri, ut aliquid inde gereretur*. Tum Episcoporum rumor subsecutus est, & facta contentione, plebs, quæ aderat, Catholicorum in Arianos Episcopos commovebatur, qui veriti seditionem e Basilica in Palatium secassere. Ibi Valens Imperatoris nomine hæreticam epistolam ad populum misit tentans, si forte probaretur; nec id assecutus scelera sceleribus cumulavit. Illico enim hoc decretum Constantii promulgatum est; Athanasium reum esse, & juste damnatum; Catholicorum Ecclesias in Arianorum esse potestate; qui non subscripserint Imperatorio edicto, exsilio mulctentur. Enituit tamen Episcoporum constantia, & Legati Pontificis exsilii pœnam primi alacriter subierunt, e quibus Hilarium Diaconum flagellis præterea cædi crudeliter Valens voluit; nam *auctores hujus facinoris Ursacius & Valens*

& fraude Imp. gratiam aucupatur

Ejus facinora in Conc. Mediolan. an. 355.,

Digitized by Google

lens cum Eunuchis, qui ibi aderant, inquit S. Athanasius in ep. ad Solit. Vide & S. Hilarium lib. 1. ad Constantium. Nec Valentis rabies expleta fuit; quippe eodem tempore, per Occidentem missi Judices, & Præfecti cum satellitibus, qui pœnarum terrore Episcopos ad condemnandum Athanasium, populos ad Arianorum communionem compellerent, *qui habebant secum in Comitatu Ursacii & Valentis Clericos*, ceu ad flagitia vehementissimos impulsores, teste Athanasio in ep. laudata.

Et in Liberium P. atque Osium Ep. Cordubensem.

Post immania hæc convertit furoris impetus contra Liberium Pontificem, cujus sanctitas & auctoritas maximi erat præsidii & adjumenti in gravissimo hoc Christianæ religionis negotio atque discrimine. Valentis & Ursacii opera Constantius imperat, Liberium Roma vi abreptum ad se Mediolanum pertrahi; minis ac pollicitationibus aggreditur illius constantiam; ac fortiter obsistentem Berrœæ in Thracia a suis relegat; etenim *Ursacio & Valenti eorumque asseclis quidvis agendi contra Ecclesias liberam potestatem* dederat..... *Liberius Romanæ urbis Episcopus..... in exilium mittitur, Felice in ejus locum ab Ursacianis suffecto*; Socrates lib. 2. cap. 37.

Unus supererat infensissimus Arianorum hostis Osius Episcopus Cordubensis, qui omnes illorum astus pluribus in Conciliis cluserat, minas spreverat, & aperte Nicænam fidem profitebatur. Adeunt igitur impii sycophantæ Imperatorem, obstrepunt auribus, nihil se egisse queruntur, dum Osius liber est & quietus, eum auctorem symboli Nicæni incusant, & Arianorum insecutorem; *Omnes contra nos verbis & auctoritate inducit, siquid scribit, ab omnibus auditur. Incipe & hunc persequi, neque illi ob annos parcendum putes*; quæ hæreticorum sensa in epist. ad Solit. refert Athanasius; ac veluti a Valente & Ursacio profecta fuerint, his verbis indicat Osius ipse in epistola ad Constantium, quam Athanasius ibidem describit; *Cum Ario ne sentias, neu Ursacio & Valenti fidem præbeas*. Cumque Osium semel ad se accersitum Imperator flectere in Ariana dogmata nequiret, iterum ad se Sirmium vocat, ubi tamquam exul constitit integro ferme anno. Tandem Valentis dolo & vi deceptus, ac tormentis & illatis plagis compulsus secundæ Sirmiensi formulæ, quæ omnino hæretica, subscripsit tanto Arianorum gaudio, ut Osii lapsu triumphum agerent, sibique hoc uno vicisse omnes Occidentis Episcopos gratularentur. *Hosius*, inquit Sozomenus lib. 4. cap. 12., *vi coactus apud Sirmium consenserat, ad exstinguendam Valentis, Ursacii & Germinii*, hæretici Episcopi Sirmiensis, *pertinaciam. Ad eos epistolam misit Eudoxius* Arianus Episcopus primum Germaniciæ, deinde intrusus Antiochiæ, *gratias agens, eorumque ministerio adscribens, quod Occidentales recte sentirent*.

Nefariis hisce modis Ariana perfidia grassabatur impune per Romanum imperium, duce potissimum Valente, qui purum Arii dogma sectari se jactabat; & cum Sirmii ederetur Fidei formula, quam Semiariani Ancyræ concinnaverant, *Filium per omnia Patri similem esse* docentes, Valens, deletis verbis *per omnia*, eidem subscripsit; quod cum Constantio delatum esset, Valentem adegit ad probandam omnino Semiarianorum sententiam, teste Epiphanio hær. 73. At versipellis homo conatus quidem est, quæ scripserat, in Arianum sensum detorquere, cum ad suæ mentis impietatem ea vertere non potuisset. Et nequid detrimenti caperet Arii hæresis, imo una demum dominaretur ubique terrarum, novum scelus excogitavit. Tertiam cudi Ecclesim Sirmiensem suasit, in qua dicebatur *Filius similis Patri per omnia secundum Scripturas*; hoc autem doloso additamento, *secundum Scripturas*, id consequebatur, ut is fateretur Filii ad Patrem similitudinem *per omnia*, quæ de illo in sacris libris dicuntur, non vero Patri *consubstantialitatem*; hoc quippe vocabulum nusquam in iis legitur; quare nemo poterat Valentem arguere, perinde ac si *Filium Patri* crederet *similem per omnia*, ac proinde *in substantia*; nam *secundum Scripturas* hæc vox *substantia*, & altera *consubstantialis* nullibi exprimitur; *Consubstantialitas* vero, & ὁμοούσιον erat Catholicorum tessera, ex adverso Arianæ doctrinæ, quæ Filium puram esse creaturam ajebat, & *Consubstantialitatem* prorsus negabat. Vide quæ diximus in Photino & Germinio Episcopis Sirmiensibus. Hac sua vafritie lætus eam prorupit in audaciam, ut rejectis, quæ hactenus vulgatæ fuerant, fidei formulis, etiam Nicæna, illi uni assentiri voluerit omnes Imperii Episcopos. Convenit igitur Imperatorem, Concilium proponit, sed in duas partes divisum; altera ex Orientalibus, qui Seleuciæ, altera ex Occidentalibus constaret, qui Arimini se congregarent; sperabat enim, si non ambæ, alteruteram suis dolis in ejus sensa concessuram. Annuit Constantius; an. 358. consederant jam Arimini trecenti, eoque amplius Episcopi Occidentis; & illico Valens adfuit cum Ursacio, Germinio aliisque sceleris consciis; qui, cum Patres esset allocutus, & abrogandas omnes Fidei Ecteses, Substantiæ, & Consubstantialis vocabula rejicienda insinuasset, Sirmiensem formulam legi imperat, petit ut subscripto singulorum nomine confirmetur. Responsum a Patribus, hæreses cæteras cum Ariana prius damnari oportere communi Episcoporum sententia. Excanduere cum Valente Ariani; nequaquam id a se permitti testati sunt. Tum cognita a Catholicis fraude, Concilium uno ore, ac suffragiis cunctis Nicænam Synodum probavit; & *inscitos, dolosos, ac potius hæreticos* Valentem & collegas pronuntiavere Episcopi omnes, litteris etiam scriptis, quibus eos ab ecclesiastica communione esse rejectos significabant. Athan. lib. de Syn. Non concidit animo Valens hoc veluti fulmine fra-

Acta Valentis in Conc. Ariminen.

Digitized by Google

fractus ; rediit Sirmium ad Constantium cum suo Arianorum comitatu, & calumniis, quot furor & ultio suggerebat, Patres Ariminenses onerat apud Imperatorem ; qui ira commotus Legatos Concilii Arimino missos, ut Acta referrent, e suo conspectu prohibuit ; & Nicen Thraciæ oppidum abire jussit, ubi suum adventum præstolarentur. Et hoc callida Valentis opera effectum ; eo enim & ipse advolans cum Ursacio cæterisque factiosis, habito conventiculo, aliam quidem verbis, sed re eamdem cum Sirmiensi Arimini proposita formulam Fidei effingit ; hanc Legatis porrigit, cui subscribant ; secus, minatur aspera quæque, & sæva. Hi decepti territique in assensum prolapsi sunt ; quin immo Valentem, aliosque recte de Fide sensisse edixere, & sententia Concilii abolita, in Catholicam communionem esse recipiendos. Tum in Constantii gratiam admissi Ariminum cum Valente, & comite Arianorum Antistitum turba redierunt ; Taurus etiam Præfectus illuc pervenit cum Imperatoris mandato, ut in exilium mitterentur Episcopi, qui Valentis voluntati non obsecundarent, si tamen numero ultra quindecim forent. Cum Ariminum pervenissent, usitatis doli & fraudis artibus cogunt Episcoporum cœtum, qui hyeme tota Arimini commorati fuerant ad Imperatoris jussa ; jamque viginti ex iis in partem Valentis secesserant ; cæteri nulla vi flecti adhuc poterant. Tum Valens & Ursacius subdola oratione testantur, formulam Fidei, cui Legati assensum dederant, Catholicam esse ; cur Occidentales non probent, quod Orientalibus placeret? quis tandem finis sit futurus discordiarum? audiant Ecclesiam illam ; siquid videatur minus cum Fide, de qua agitur, consentire, *ipsi adderent quæ addenda putarent* ; pollicitique sunt, *præbituros se in his quæ essent adjecta consensum*. Eduntur itaque professiones Fidei, damnatur Arius, Arianis non repugnantibus ; plura proferuntur additamenta, quæ Valens approbat ; is demum quasi Catholicos adjuvans sententiam protulit, *cui occultus dolus inerat* ; nimirum, *Filium Dei non esse creaturam, sicut cæteræ creaturæ*. Placuit Patribus, consentiunt cuncti ; & uno rete comprehensi omnes, uno laqueo constricti fuere ; *Fefellit* enim *audientes fraus professionis*, qua *similis esse cæteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen, potior tantum cæteris pronuntiabatur. Hoc modo concilium dimissum, bene initio, fœdo exitu consummatum* ; inquit Severus lib. 2. hist. sacr. eademque narrat Hieronymus in dial. contr. Lucifer ; in hæc verba exclamans ; *ingemuit Catholicus orbis & se esse Arianum miratus est*. Hujusmodi fuit Ariminense Conciliabulum Julio mense absolutum an. 359. Valente & Ursacio sacrilegæ scenæ auctoribus ; in quibus fraus & crudelitas certarunt, utra esset in scelere potior ; nam & illud in eo conventu funestum accidit, ut Gaudentius Episcopus Ariminensis, quia in Fide Nicæna constantissimus, fustibus ac lapidibus appetitus a militibus martyr occumberet ; dum *Valens & Ursacius*, utor verbis Hieronymi laudato in loco, *cæterique nequitiæ eorum socii, egregii scilicet Christiani, sacerdotes, palmas suas jactabant dicentes, se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis*.

Hoc postremum flagitiorum Valentis. Mortuo enim fere biennio post Imperatore Constantio, Ariana hæresis inclinare cæpit. Catholici Episcopi ab exilio omnes revocati sunt, jussu Juliani ; & qui postea secuti Romano imperio præfuerunt, si Valentem demas fratrem Valentiniani, Arianis se præbuere infensissimos. Nihilominus Valens cum collega Ursacio seu clam, seu palam pro viribus impiam sectam tueri conati sunt præsertim in Pannoniis, non obsistente Sirmiensi Metropolita Germinio ; cujus ad Semiarianos defectionem suspicantes, in Concliabulo Singidunensi an. 366. per litteras monuerunt, ut significaret, quodnam revera dogma, Arianum ne an Semiarianum profiteretur ; sed de his in Ecclesia Singidunensi. Denique an. 367. cum Damasus Romanus Pontifex renuntiatus esset, in Concilio I. Romano anni ejusdem is Valentem & Ursacium anathemate percussos etiam e suis sedibus ejectos esse solemni sententia declaravit ; qui licet ecclesiasticas pœnas sprevissent antea, & petulanter iis irriderent, hoc tamen fulmine adeo prostrati sunt, ut deinceps nihil moliri auderent ; & nulla amplius de utroque exstat memoria ; unde credere fas est, utrumque invisum omnibus, e suis Ecclesiis extorrem vagumque obscuro in loco miserrime periisse. *Nunc quoque diversis factis Synodis tam in Gallia & Hispania, tam in magna Roma omnes qui convenerunt, eos qui adhuc latent, & sentiunt eadem quæ Arius sensit, Auxentium dico Mediolanensem, & Ursacium & Valentem & Gajum de Pannoniis, utpote ab uno spiritu moti anathematizarunt* ; hæc S. Athanasius in Ep. ad Epictetum ; & in Ep. ad Afros ; *Sufficiunt scripta Damasi magnæ Romæ Episcopi, cæterorumque tot numero inibi congregatorum ad astruendam eam, quæ in nobis est, fidem ; adeo ut siquis resteret ex Ariana radice progerminante amaritiem, loquimur autem de Auxentio, Ursacio, Valente cæterisque qui idem sentiunt, per ista scripta abscissi rejectique comperiantur*. Ac paullo post de Damaso scribens ; *Gratiam habemus & illius pietati & cæteris qui Romæ convenerunt, quod Ursacio & Valente cum sociis suis ejusdem sententiæ ejectis concordiam Catholicæ Ecclesiæ conservaverint*.

Damnatur in Conc. Rom. an. 367. & obit.

Annos circ. triginta nomen gessit Episcopi Mursensis, non munus, nec ullam Ecclesiæ suæ curam, a qua fere semper abfuit, quamque impiis doctrinis infecit, pessimis morum exemplis polluit, ac veluti lupus immanis dilaceravit. Omnes vero illorum temporum Patres & Historici de Valente & Ursacio ea scripsere, quæ duo iniquitatis portenta in iis demonstrant, duos Arianæ hæreseos fautores potentissimos, duosque Nicænæ Fidei ejusque propugnatorum insidiis, a-

Digitized by Google

stu, vi, sævitia hostes omnium perniciosissimos. Post Valentem nullus notus est Mursensis Episcopus; sed, cum civitas ad Attilana usque tempora & an. 441. in suo statu viguerit, putandum est non defuisse illi unum alterumve Antistitem, qui veram Fidem, & Christianos mores in Mursensem Ecclesiam ac diœcesim revocaret.

Nunc de Episcopis, qui in Savia provincia Metropolitæ Sirmiensi paruerunt. Aemonenses hi & Siscienses. De Sisciensibus actum est in Tomo V., quare de sola Aemonensi Ecclesia hic erit tractatio.

ECCLESIA AEMONENSIS.

Pannoniæ inferioris divisio a Savia Pannonia,

SAviam Pannoniæ provinciam, de qua initio breviter diximus, eam esse definimus cum eruditissimo Salagio lib. 4. pag. 81., quæ distincta a Pannonia inferiori, & ducta linea ab Arrhabone ad montes Bebios in septemtrionem Cetiis montibus, meridiem versus Bebiis jugis, ad orientem solem Pannonia Sirmiensi seu Inferiori, ad occidentem Juliis Alpibus & monte nunc Caravanca dicto concludebatur; Savia proinde appellata, quia Savus eam mediam interfluit. Saviana autem regio, seu provincia eum tractum complexa est, quem nunc obtinent Crisiensis, Varadinensis, Zagrabiensis Comitatus *Hungaricæ*, ut ajunt, *Coronæ* adnexi, aliaque circum loca, tum Stiriæ pars & Carnioliæ usque ad Alpes Julias, quibus Pannoniam versus adjacet *Labacum* vulgo *superius*; præterea Transsavana Chrobatia pars Saviæ fuit, quæ veteris Dalmatiæ & Liburniæ fines etiam attigit; de his vide Tomum I. Hujus Saviæ provinciæ ab inferiori Pannonia divisionis videtur auctor fuisse Diocletianus, qui, teste Lactantio lib. de morte persec. cap. 7. *provincias in frusta* conciderat, *multos Præsides, plura officia in singulis regionibus, ac pene jam civitatibus* constituit. Ast divisæ certe hæ provinciæ dicuntur in Notitia Imperii, in qua seorsim descriptæ *Pannonia prima, Pannonia secunda & Savia*, distincti Magistratus, qui *Præsidis & Consularis* titulo utrique Pannoniæ, *Correctoris* nomine Saviæ præerant; cumque Notitia edita Arcadio & Honorio Impp. nihil fere immutaverit de civili Imperii forma a Constantino M. decreta, ad eum hæc divisio referri commode potest. Si vero in laudata Notitia legeris *Ducem provinciæ Pannoniæ secundæ ripariensis, seu Saviæ*, perinde atque una sit eademque & Pannoniæ secundæ, & Saviæ provincia, advertendum est, ità fuisse a Constantino institutum, ut civiles Magistratus uni tantum provinciæ, militares seu Duces pluribus imperarent; equidem sub uno Duce ponitur in Notitia eadem Pannonia prima & Noricum Ripense, & certo constat Pannoniam primam a Ripensi Norico fuisse omnino discretam.

in qua Aemona civi-

His necessario præmissis, in Savia Pannonia Aemonam sitam fuisse ut probemus oportet. Ptolemæus Aemonam Pannoniæ attribuit; Plinius in Pannonia duas colonias nominat Aemonam, Sisciam; & qua in Pannonia? ubi Siscia, quæ neque primæ, neque secundæ Pannoniæ urbs erat; vide in Tomo V. Eccles. Sisciensem; quæque cis Savum in parte superiori Pannoniæ meridianæ ponitur recte in tab. nostris Geograph. Tomo I. Et hæc ea regio est, quam Pannoniam justo vocabulo adnumerant Plinius & Ptolemæus; ac deinde Pannoniæ Saviæ nomen accepit, Hic Siscia, hic igitur & Aemona; & Siscia quidem Sirmiensi paruit Metropolitæ, hinc & Aemona; cum intra Saviæ fines alia nulla Metropolis ecclesiastica protenderit imperium; quam materiem uberrima eruditione tractat Salagius citatis sæpe in libris. Verum Aemonam Italiæ urbem dixere plures Historici, & ab Ughellio Ital. Sacræ tomo 5. Aemonensis Episcopatus inter Italicos censetur. Attamen in describendis regionibus potior est Geographorum, quam Historicorum auctoritas; hi enim narrandæ historiæ intenti non raro locorum situs, ubi res gestæ, negligenter observant; cum hæc prima sit in Geographis cura positionis urbium, montium, fluminum, aliorumque hujusmodi inquirendæ.

tas ad Alpes Julias,

Porro nemo dubitat, quin Aemona steterit ad radices Alpium, queis Juliis nomen; hinc quæstio est, utrum cis Italiam, vel trans Alpes Pannoniam aspiceret, perpensis historicorum, qui objiciuntur, verbis. Et primum Zosimus lib. 5. narrat *Alaricum superatis angustiis, quæ a Pannonia transitum ad Venetos impediunt, apud Aemonam oppidum castra locasse*; igitur eis Alpes in Italia; at Græco histor. non ita facile acquiescendum, qui minus perspectos habere potuerit Italiæ terminos; & profecto erravit, cum Pannoniam primam, seu Superiorem Aemonam usque producit; ad hanc quippe urbem Saviæ, Norici, & Italiæ fines concurrebant. Sozomeni verba ambigua sunt, cum ait lib. 1. cap. 6. Aemonam ab Argonautis conditam fuisse *in fines Italorum*; nam ubi Aemona, ibi & Italia & Norici, & Saviæ confinium; quare urbem quisque pro suo libito Italis æque, & Noricis tribuet, & Saviæ provinciæ, si Sozomeni verba spectemus. Gravior difficultas exoritur ab Herodiani testimonio; hic lib. 8. iter Maximini e Pannonia in Italiam describens, *ubi*, inquit, *totam planitiem servatis ordinibus transmiserunt, ad Italiæ urbem pervenerunt, quæ Ema a cultoribus vocatur. Ea sita est in extrema planitie ad alpium radices*. Hinc Aemonam, quam *Emam* appellat, in Italia collocat verbis perspicuis; contra tamen est narrationis ordo; etenim subdit paullo post; *cum noctem exegissent partim intra patentes communesque omnibus domos, partim in planitie ipsa, statim sole oriente ad alpes accesserunt*; milites igitur Aemonæ ante constiterant, quam alpes transirent; & plane patet inde Aemonam cis alpes Julias Maximino e Pannonia venienti primum

mum occurrisse; postea juga transgressus in Italiam venit; & Aemonæ situs re quidem vera in Savia ponitur ab Herodiano, *in planitie ad alpium radices;* locorum tamen peccavit inscitia, & verbo duntaxat Italicam urbem Aemonam esse affirmat; cui Græco Scriptori venia danda est aliqua; non item Julio Capitolino, qui Herodianum secutus est, & nosse debuit e Latinis Geographis, Aemonam inter urbes Pannonicas adnumerari. Neque auctor Itineris Hierosolymitani quidquam obest sententiæ nostræ; homo Gallus, cum e Galliis egreditur, sæpe in itinere errat; hæc ejus verba; *Inde sunt alpes Juliæ.... ad pyrum summas alpes.... civitas Aemona.... Mansio Hadrante.... fines Italiæ & Norici*. Quid inde? summitas Alpium Italiam a Pannonia dividit, teste Ptolemæo; Aemona ponitur post summas Alpes in Itinerario; hinc extra Italiam in Pannonia; verum post Aemonam & Mansionem Hadrante *Fines*, inquit, *Italiæ & Norici;* hoc de suo addit, nisi forte Noricam Aemonam intelligat, de qua Plinius, a nostra diversam; vel quia ex Italia in Noricum cohærens alia via militaris & publica attingeret ad Aemonam Pannoniæ angulum, & ibi alteri viæ jungeretur, quæ ex summis alpibus Aemonam usque procurrens per Saviam provinciam iter in inferiorem Pannoniam aperiret; in qua viarum conjunctione recte & ea parte statuuntur fines Italiæ & Norici, immo & Savensis Pannoniæ haud ab Aemona procul. Causa tamen, cur laudati historici in errorem fuerint inducti, fortasse tribui potest Ptolemæi verbis, quæ non recte perpenderunt; *intra Italiam sub Norico Pannoniæ civitas Aemona;* ex Italiæ cum Pannonia & Norico propinqua conjunctione putarunt Aemonam posse intra Italiam collocari; sed quid hac locutione clarius? *Pannoniæ civitas Aemona;* & recto *intra Italiam sub Norico* id est *& Noricum*, aut *prope Noricum*, quia inter Noricum & Pannoniam media Italia est & inter Italiam & Noricum media Pannonia, & medium Noricum inter Italiam & Pannoniam, harum provinciarum terminis intra se invicem ad Alpes Julias conjunctis.

In extrema igitur planitie, quæ per Saviæ Pannoniæ partem extenditur ad juga Alpium Juliarum, ad montis radices, & ante transitum in Italiam Aemona olim fuerat exstructa, nobilissima postea Romanorum colonia, & civium frequentia populosa, cui Attilanis temporibus commune fuit cum pluribus urbibus fatum & excidium. Quærit Salagius, quo revera in loco constiterit; eique ea loca erudite, diligenter, & coram semel atque iterum lustranti certum est, in veteri Aemonæ situ nunc Labacum stare, quem Teutones *superius*, Slavi *Planinam* appellant, & aliud est a Labaco *Lubiana* Italice dicto, cui notæ non conveniunt antiquæ Aemonæ; etsi aliter eruditis nonnullis videatur; etenim & protensa camporum spatia & in Pannoniam prospectus, & sedes subalpina eadem sunt *superiori Labaco*, atque Aemonæ nostræ.

ubi nunc Labacum superius.

De Ecclesia Aemonensi.

Ecclesiæ & Episcopatus Aemonensis initia referri possunt ad sæculum IV. & incredibile prope est, Apostolorum saltem discipulos eam urbem neglexisse celebrem Romanæ Coloniæ titulo, & honore, quin Christianæ religionis semina jacerent, & sacerdotalia præsidia in ea constituerent Fidei servandæ augendæque necessaria; & Aemonæ via erat publica & militaris Sisciam versus, & usque Sirmium, a qua nemo ex Italia proficiscens deflectere poterat in Pannonias iturus. Et quamvis ante sæculum IV. nullius Aemonensis Episcopi memoria supersit, eo tamen sæculo episcopali dignitate, rerum ecclesiasticarum cultu, sacrarum Virginum cœtu, ad quas epistolam scripsit S. Hieronymus, hæc Ecclesia enituit, ac ab Arianis erroribus, ut conjicere fas est, immunis, licet hæreticis obnoxia Metropolitis Photino & Germinio; neque hic repetere oportet, quæ jam exposuimus de Metropolitico Sirmiensium Antistitum jure in Pannoniam Saviam.

Illud etiam a nobis est prætermittendum, quod de Aemona Istriana disserit Ferdinandus Ughellius tomo 5. Ital. sacræ; nostra enim nihil interest, Istriæ ne, an alibi fuerit, quæ mari adjacens omnino a nostra distinguitur. Fuit quidem, teste Plinio, Aemona Norica, & Dorica; & Thessala apud Stephanum lib. de urbibus; sed Aemonam Istriæ se nunquam reperisse in antiquis Scriptoribus testantur Ortelius in Thes. Geog. & Schoenlebius in annal. Carnioliæ, qui a Salagio dissentit, quod ad situm attinet Aemonæ Pannonicæ, eamque exstitisse putat, ubi nunc Labacum, seu Lubiana, urbs Carnioliæ princeps, & plura veterum lapidum monumenta in ea circum regione effossa profert; unde arguas ea loca oppidis & municipiis Romanis decorata fuisse, haud vero Labacum ab Aemonæ ruderibus condi cœptum. Quæ in Istria Aemona creditur, Civitas nova dici solet; hinc Episcopi Civitatis novæ, quos Nicolaus Coletus in urbe cognomine in Venetis æstuariis primum sedisse ait in Ughellianis additamentis. Hanc litem dirimere nostrum non est; sive tamen in Istria, sive inter Venetos originem hic Episcopatus sumpserit, certo constat, ante an. 1029. eos Episcopos titulum Civitatis novæ constanter gessisse, ac XI. fere sæculo Aemonenses Antistites semet inscripsere aliquando; idque in monum. Aquilejens. cap. 27. & passim eruditissime probat P. Bernardus de Rubeis; ac tum forte suborta opinio est, Civitatem novam ibi exstructam fuisse, ubi Aemona insederat. Si autem velit aliquis, aut conjiciat, eversa Pannonica Aemona, incolas in Istriam profugisse, ubi novam urbem ædificaverint, quam nonnullis libuerit antiquæ patriæ honore Aemonam appellare, assensum cohibeo; nec mirum videri debet, cum e continenti tractu Forojulien-

si,

Digitized by Google

si, Veneto, ac Patavino innumeri incolæ, eorum urbibus aut dirutis aut incensis Hunnorum aliarumque barbararum gentium furore sæc. IV. & V. in proximi maris littoribus atque insulis sibi effugium quæsierint & salutem. Aemonensem Ecclesiam martyris alicujus sanguine ornatam fuisse non ambigo, cum ea circum loca pluribus nobilitarentur pugilum Christianorum victoriis, atque coronis in Norico, & in Pannoniis. Unus ex his fertur S. Pelagius an. circ. 283. aut 284. cum Numerianus imperium vix annuum gessit, si fides actis martyrii adhibenda, quæ non omnino probantur a Joanne Pinio ad diem Augusti 28. cætera vero de illo memoriæ prodita tricis dubiisque obvoluta esse fatetur. At acta non solum Aemonæ passum Pelagium affirmant, sed etiam Notkerus, Grevenius, Martyrologium vulgo Canisianum, ac Petrus Equilinus v. Kal. Septembris; Notkerus addit *in provincia Carniæ*, per errorem *Acarnaniæ* in Grevenio, & Canisio, & Equilino. Hinc Pinius hanc Aemonam in Carnia requirens Schoenlebium sequitur, & ubi nunc Labacum seu Lubiana, ejus situm constituit, quem nos Planinæ in Labaco superiori rectius posuimus. De loco igitur martyrii dubium esse non videtur, ubi etiam, Aemonæ scilicet, natus dicitur in actis, ac demum sub Evilasio judice capite plexus est. Ejus sacrum corpus Constantiam delatum creditur; sed alii Constantiam Germanicam urbem, alii in Gallias ad Constantia castra translatum affirmant. Schoenlebius nescio quam Constantiam maximam urbem sibi effingit a Constantio Constantini M. filio exstructam in Carniolia inferiore, cujus adhuc exstent perampla rudera, & quo Pelagii exuviæ fuerint asportatæ. Huic opinioni refutandæ non immoramur, etiam a Papebrochio quodammodo rejectæ in Actis S. Maximi M. die Maji vicesima nona. De Constantia Gallicana quis sibi persuadeat Pelagiana lipsana potuisse Aemona in Normanniam usque, ubi Constantia Castra, deferri? Ast hic, inquiunt, pro Christo occubuit; qua super re Saussajus multa falsa congessit in Martyrologio Gallicano jure a Pinio reprehensus. Baronius etiam formula de S. Pelagio ad hunc diem adhibita in Romano Martyrologio erravit; *Constantiæ in Gallia S. Pelagii Martyris, qui sub Numeriano Imp. & Evilasio judice Martyrii coronam accepit*. Hic enim animadvertendum est, Imp. Carum in Persica expeditione an. 283. creasse Cæsares Carinum, & Numerianum filios; illum Galliis & Occidenti præfecit, hunc in Persiam duxit cum exercitu. Anno insequente Carus periit e cælo tactus, Numerianus Imp. dictus eodem anno interfectus est, dum Chalcedonem cum copiis veniret; quid igitur illi juris & potestatis in Galliis? imo quid temporis in brevissimo Imperio superesse potuit, ut de lacessendis Christianis cogitaret, erga quos Carus pater se mitem præbuerat? Miserit quidem Evilasium, ut perhibent acta, non in Gallicanam Constantiam, quæ ei non suberat, sed Aemonam, Judicem, ac juri dicundo Præsidem, minime tamen ad Christianos vexandos; qui, atque ex iis Pelagius, vel populari seditione, vel Evilasii in illos odio ac sævitie persecutionis procella jactati fuerunt. Mihique ea opinio vero propior est, Pelagium Aemonensem civem Aemonæ quoque martyrii corona donatum fuisse. Neque Hansizii moveor auctoritate, qui tomo 1. Germ. Sacr. Pelagium Aemonæ Noricæ martyrem tribuit, eum condiscipulum asserit S. Maximiliani Laureacensis Martyris; quippe & Pinio futilia hæc visa sint, & nulli innixa fundamento.

S. Pelagius M. Acmonensis;

Constantia igitur, quo reliquiæ S. Pelagii Aemonensis advectæ sunt, nulla videtur esse alia, quam Germanica, ubi, teste Wandelberto Prumiensi Ab. sæc. nono in Martyrologio metrico, jam tum colebantur;

Urbs Allemanorum recolit Constantia sanctum
Hac quoque Pelagium fuso pro sanguine clarum.

Hac, id est die Augusti vicesima octava. Quo tempore, quove modo, quam ob causam id evenerit, nulla produnt monumenta; sed cave, ne Aemonensem Pelagium cum Romano confundas, cujus corpus dono acceptum a Joanne X. Roma Constantiam detulit Salomon III. Ep. Constantiensis sæc. V. Vide laudatum Pinium, qui subdit, Salomonem condidisse in Cathedrali Ecclesia sacrum pignus, & Pelagium inter urbis Patronos fuisse ab eo relatum; hinc Ferrarius falso hunc honorem Pelagio Aemonensi attribuit. Prætermittenda censeo, quæ de cultu S. Pelagii scribit ibidem Pinius; fateor enim ingenue discerni a me non posse, Romano ne an Aemonensi sint potius referenda, cum utrumque coluerint Constantienses. Sæculo IX. Corpus S. Pelagii Aemonensis, quem Constantiensem dicit Pinius, erat jam Constantiæ, Wandelberto auctore; sæculo X. Corpus S. Pelagii Romani illuc ab Urbe tulit Salomon III. Ep. Constantiensis, teste Chronico Constantiensi. Recte. Anno 1053. pars quædam Corporis Pelagiani Constantia Pragam defertur a Carolo IV. Imp. Cujusnam Pelagii? an. 1472. Rotvillæ, quæ urbs Sveviæ, inventus Pes sancti Pelagii; cujus? Rotvillani donant Constantienses sacro osse Pelagiano; annon Constantiæ duo Pelagiana corpora? quodnam inde avectum? quo tempore? Gesta hæc narrat Pinius; quæro a Pinio, de quo Pelagio dicta sint; nihil ex integra ejus tractatione certum eruo, quæ obscura & aliis queat videri. De S. Pelagio vero, quem sibi vindicant incolæ Civitatis novæ in Istria, quemque ab Aemonensi distinctum autumat idem Pinius, mihi verisimilius unus cum nostro esse videtur. Certum id est, incolas illos, quæ de veteri Aemona memoriæ tradita sunt ab Historicis, sibi propria credidisse, suæque urbi e ruderibus Aemonæ, uti male opinantur, exortæ; hinc etiam

idem qui in Civitate nova in Istria colitur.

Digitized by Google

etiam Pelagium & martyrem, & diaconum hujus Ecclesiæ perhibent exstitisse. Nicolaus Manzolus in descriptione Istriæ, eique adjectis Divorum provinciæ hujus historiis aut auctor, aut fautor certe fuit opinionis, quæ tum in vulgus ferebatur, de Diaconatu S. Pelagii; quas historias, seu *vitas sibi valde suspectas esse, ac vel ex toto confictas plerasque, vel saltem plurimum habere fictionis*, testatur Schoenlebius in litteris ad Papebrochium, quas ipse innuit in actis S. Maximi die Maji vigesima nona; Manzoli igitur auctoritas nihili habenda. Equidem, cum *Anno Dominicæ Incarnationis MCXLVI. IV. Id. Octob, recondita sunt hæc Sanctorum corpora Pelagii & Maximi tempore domini Adami Episcopi* in Æde Cathedrali Civitatis novæ, ubi hæc exstat Epigraphe, neque diaconale Pelagii decus, neque episcopalis Maximi, de quo inferius, dignitas erant in lapide omittenda, si tum Adamo hæc utriusque Divi decora innotuissent, quæ nullis deinde aut scriptoribus aut monumentis antiquis probari possunt. Mirum sane, post annos ab Adamo fere quingentos, *Pelagii & Innocentium Sanctorum Reliquiæ hic positæ fuerunt* XII. *Decembris D.* III. *Adv. MDCXXI.* quæ verba leguntur in adversa parte epigraphes superius laudatæ, cur omissus Diaconi titulus? atque hisce inspectis, unde Manzolus hausit, Pelagium eo munere functum fuisse? At enim *Corpus* in Civitate nova servatur; igitur Pelagius hic diversus ab alio, cujus Corpus Constantiæ conditum fuit; sed in altera epigraphe mox prolata, *Pelagii Reliquiæ* dicuntur; & nota est formula in Hagiologiis, qua Corpus Divi alicujus alicubi positum intelligitur partem esse ejusdem corporis, & Caput, & Tibiam, aliaque hujusmodi exprimi solere pro Capitis Tibiæque portione. Quomodo hæc Pelagii lipsana in Istriam advexerint, res non est cognitu facilis; si tamen longinqua in loca, & in Sveviam, & in Bohemiam Pelagii Constantiensis, quisquis is sit, reliquiæ perlatæ sunt, annon & in Istriam a civibus Civitatis novæ ob nominis & cultus celebritatem expetitæ devehi poterant Constantia? Neque juvat Manzoli ac cæterorum opinionem aut titulus Patroni, quo Pelagium veneratur urbs illa & Ecclesia, aut honor quo colitur in provincia Aquilejensi; ut enim alia omittam exempla, Constantia Pelagii auspiciis gloriatur, cujus Corpus Roma accepit, & Civitas Forojuliensis sese in clientelam contulit Donati martyris Singidunensis, cujus Caput unice possidet, & adhuc ignorat, quo Dei ductu illuc allatum fuerit.

De Episcopis Aemonensibus nihil compertum habemus ante sæculum IV. qui tamen aliqui fuerunt in ea prænobili civitate. Unius memoria effugit interitum, isque est

MAXIMUS EPISC. AEMONENSIS UNICUS.

Maximus Ep. Aemonensis an. 381.

Qui an. 381. interfuit Concilio Aquilejensi; & in caussa Palladii & Secundiani Antistitum Arianorum hanc adversus Palladium sententiam tulit; *Maximus Episcopus Emonensis dixit: Palladium, qui blasphemias Arrii nec damnare voluit, sed magis ipse confessus est, juste ac merito esse damnatum, & Deus novit, & fidelium conscientia condemnavit;* deinde cum cæteris Episcopis utriusque condemnationi subscripsit *Maximus Episcopus Emonensis;* idemque in Concilio Mediolanensi an. 390. contra Joviniani hæresim Patrum sententias adscripto nomine confirmavit in Epistola Synodica ad S. Siricium P. *Maximus Episcopus;* omisso Ecclesiæ Episcopalis titulo, qui deest & cæteris Episcoporum subscriptionibus. Ut vero tuendæ fidei ardor illum impulit ad Aquilejense Concilium, facile in pari religionis negotio ab Ambrosio, qui eum Aquilejæ noverat, invitatus Mediolanum se contulit ad retundendam Joviniani insaniam atque perfidiam.

An Divi titulo & honore cultus?

Ferdinandus Ughellius Tomo 5. Ital. sacræ in Episcopis Aemonensibus Maximum nota & cultu sanctitatis exornat, eumque esse arbitratur, quem Ecclesia Civitatis novæ suum Patronum præcipuo honore colit. Verum Maximus hic alius a nostro est, ipsumque & Episcopum & Martyrem Civitas nova reveretur. Quam tamen opinionem de illius Episcopatu & martyrio non probat Papebrochius ad diem Maji vicesimam nonam; Acta enim hujus martyrii eadem sunt cum Actis Proconsularibus S. Maximi martyris, qui Decio Imperatore, in Asia, & quidem Ephesi, uti Baronius censet, martyrii coronam adeptus est pridie Kal. Majas; in quibus exscribendis fraude factum est, ut hæc verba, quæ in suis Actis profert Maximus Ephesinus, *homo sum plebejus meo vivens negotio*, immutarentur in isthæc; *homo sum Pastor gregis Domini mei Jesu Christi*, quo illi Episcopatus affingeretur. Schoenlebius aliique Acta, inquiunt, mendosa esse; & ubi *Asia* legitur, *Assisia* corrigunt; urbs quippe hujus nominis sita olim fuit in Liburnia, teste Ptolemæo, ibique Maximum martyrio exstinctum perhibent; subdit autem Papebrochius, *Asiæ* nomen pluries in Actis repeti, & *provincia Asia* notatur perspicue, imo mentio iis inest Dianæ, cujus templum celeberrimum Ephesi exstabat; & hinc Baronii sententia de Ephesino Maximi martyrio. Quæ si recte perpendas, in suspicionem, ne dicam in certum animi sensum, adduci poteris, nullum fuisse eo nomine martyrem, neque Episcopum Aemonensem, id est, quod ipsi contendunt, Civitatis novæ; ejusque corpus cujus possessione diu gloriati sunt, ex Asia & Epheso a Venetis, aut Istrianis mercatoribus ablatum, quod sæpissime pluribus in locis evenisse olim certum est aliis Divorum corporibus, & in Istriam devectum in templo principe Civita-

Digitized by Google

vitatis novæ X. fortasse sæculo, vel XII., quo Adam Episcopus præfuit, conditum est; & nunc Venetiis omnino integrum visitur in Ecclesia S. Canciani. Vide laudatum Papebrochium, & notationem Nicolai Coleti Ughellio subjectam. Verum enim vero Maximi nostri sanctitas, & in Ecclesia Divi titulus & honor si nequit probari ex iis quæ de alio Maximo attigimus, nec rejici prorsus debet; & de illius cultu conjecturam Papebrochii sequi lubet, quæ est hujusmodi; Maximum nostrum antiquitus fortasse cultum fuisse in provincia Aquilejensi, ac de illo instituta in divina liturgia solemnis precatio, qua *Episcopus* dicebatur, & *resuscitandi mortuorum corpora gratia decoratus*. Delato deinde in Istriam corpore Maximi Asiani ac progressu temporis post Adamum Episcopum, crebrescente vulgi opinione, fuisse illum Episcopum Aemonensem, Assisiæ martyrio affectum, & inde Civitatem novam ejus lipsana asportata, promiscua facta sunt Acta ita, ut Maximo vere Aemonensi, cujus gesta ignorabant, cujusque cultum longe ante ab Ecclesia Aquilejensi didicerant, ea aptarent, quæ de Maximo Asiano ex vetustis nec dubiis monumentis innotuerant, & hujus Martyris coronam alterius capiti imponerent, hujus corpus prioris esse crederent, & ad Decii tempora transferrent Maximum, qui obierat in suo lectulo quietus sæc. IV. fere expleto. Quæ nec nova, nec mira videri queunt in illorum temporum barbarie & inscitia e veterum tabularum ac monumentorum defectu profecta; ac innumera sunt exempla, queis constat Divorum gesta, & lipsana inter sese confusa fuisse, & vera falsis, falsa dubiis, dubia veris permixta. Et animadverte, in laudata superius liturgia tribui Maximo virtutem mortuos revocandi ad vitam; quod in Actis Asianis non legitur; & hinc instituta ab antiquo pro nostro Maximo precatio eadem, qua peculiaris hæc illius virtus celebrabatur, integra cum adjecto Martyris titulo servata est, ut Maximum Asianum invocarent, quem Aemonensem esse existimabant. Hæc conjectando dicta sunto. Cultum Maximi Aemonæ Pannonicæ Episcopi ajo esse incertum; neque de illo definire mihi fas est, nisi probabiliora quis argumenta suppeditet.

Ad Episcoporum Mœsiæ superioris historiam aggredior.

ECCLESIA HORREO-MARGENSIS.

Horreo-margi notitia.

HUmanum est quandoque errare, & hominis sapientis est errata corrigere etiam in liberalibus artibus; quod Salagius, ut alibi, sic præstat ingenue, cum de urbe Horreo-margensi disserens, quam lib. 3. cap. 11. in Dacia mediterranea collocaverat, in lib. 4. cap. 1. num. 45. fatetur Mœsiæ superiori esse restituendam. Fuit autem Horreo-margus a Margo ejusdem provinciæ urbe distinctus, de quo Itinerarium Hierosolymitanum, & Hierocles inter Mœsiæ superioris loca meminere, corrupto tamen vocabulo; nam in Itinerario *Oromago*, & a Hierocle *Orthemarco* dicitur; sed utrumque corrigit Vesselingius in notis, & Horreomargo substituit. Idem mendum deprehenditur in notitia civili Imperii Orientalis edita ab Holstenio, de qua inferius in Ecclesia Viminaciensi; ibique Horreo-margus subest civili metropoli Viminaciensi. Ab Antonino in Itinerario post Margum nominatur, & post Viminacium, a quo abest mille passus unum supra sexaginta, & a Danubio haud parum distat penes Ptolemæum. In Codice regio Itinerarii Antoniniani, in tabula Peutingeriana, & in Anonymo Ravennate legitur *Horrea-Margi*, multo melius; locus enim erat ad Margum fluvium rei frumentariæ pro militibus servandæ destinatus, & ita Cellarius sentit, atque Sirmondus in notis Chronico Marcellini adjectis. Margus fluvius nunc Morava dicitur, quem laudatus Anonymus perperam in Dalmatiam transtulit; & Salmasius in Carino Capitolini Horreo-Marci, non Margi appellanda esse, nullo auctore, contendit, quia condita a Marco Imp. Nihil de urbe, nihil de Ecclesia Horreo-margensi celebre reperitur in vetustis Scriptoribus, Episcopi nulli memorantur Horreo-margenses; ante sæculum vero IV. institutum opinamur hunc Episcopatum sub Metropolita Sirmiensi. Unius Episcopi memoria exstat, cui nomen

Fuit civitas Episc.

ZOSIMUS EP. HORREO-MARGENSIS UNICUS.

Interfuit Concilio Sardicensi an. 347. Non legitur subscriptus Concilii decretis in Veneta Conciliorum edit.; unus enim hoc nomine *Zosimus a Naiso* subscripsit; in epistola vero Concilii ad omnes Episcopos duo Zosimi absque suæ Ecclesiæ titulo nominantur; & alter quidem *a Naiso*, alter hic noster; nam in veteri interpret. Canonum Nicæn. & Sardicensium, quam Ballerinii Veronensibus typis edidere in Tomo 3. Opp. S. Leonis I. P. inest nomen Zosimi hujus, & in Ep. S. Athanasii ad Mareoticas Ecclesias ibidem vulgata.

Zosimus interest Conc. Sardic. an. 347.

ECCLESIA MARGENSIS.

Margi descriptio.

HUjus urbis situm brevites describit Priscus rhetor & sophista in Excerptis ex historia Gothica, tomo 1. hist. Byzant. *Margum urbs in Illyrico Mysorum ad Istrum sita ex adverso Constantiæ arcis ad alteram fluminis ripam collocatæ*. Sed *Margum* ab *Horreo-Margi* Antonini in Itiner. distinguas oportet, uti diximus in Horreo-margensi Ecclesia. In Vopisco *Murtium*, in Eutropio *Murgum* dicitur, vitio tamen librarii; a Marcellino autem & Jornande *Margum planum*, & *Margum planum oppidum*, quod in ampla planitie exstructum esset; errat vero Lazius, qui *Margum planum* cum *Castra Martis* confundit. In notitia Imperii orientalis a Pancic-

lo

lo illustrata inter *Auxiliares* copias *sub dispositione viri spectabilis Ducis Mœsiæ primæ* legitur *Auxilium Margense Margo*, & inter *Legiones Præfecturæ militum contra Margum in castris Augusto-Flavianensibus*; subjicit vero Pancirolus, milites illos *Exploratores* fuisse in quatuor Præfecturas divisos, quarum una *Margensis*, & castra *Augusto-Flavianensia* ita a Flavio Vespasiano appellata, qui *Flaviam* etiam legionem instituit. In eadem Notitia *sub dicpositione viri illustris Magistri officiorum* e quatuor armorum *fabricis* in Illyrico una est *Scutaria Horreomargensis*. Cum enim Margum in ea Mœsiæ primæ parte cis Danubium primis barbarorum incursibus, crebrisque aggressionibus objectum esset, opus erat, ut validioribus militum armorumque præsidiis muniretur; quæ demum post varias bellorum ac temporum vices deserta ab incolis & excisa sæculo saltem VI. videtur. Erat Civitas Episcopalis Sirmiensis Metrópolitæ; sed qui fuerint, & quot ejus Episcopi, in densissimis tenebris latet. Unius tamen, & quidem Anonymi meminit laudatus Priscus in Excerptis ex hist. ejusque hic narrationem expono.

N. EPISCOPUS MARGENSIS UNICUS.

N. Episc. Margen. sæc. V.

Urbis & imperii proditor. Nam Scytharum turmæ plurimæ Istrum transgressæ in Romanos fines cum irrupissent, conquesti duces fractum fœdus a barbaris hoc calumnia adhibita responsum retulere, Episcopum Margensem armatorum hominum vi stipatum in suos agros impetum fecisse, & effossis regum tumulis conditos in iis thesauros expilasse; hanc motuum hostilium caussam; posci a Scythico duce, ut Episcopus in ejus potestatem tradatur. Abnuit Romanus, & infestis armis utrinque congressum est; at victor Scytha Viminacium cepit urbem munitissimam. Tum inita consilia a Romanis de caussa Episcopi, quem Scythis tradendum reipublicæ salus postulabat. Id ut ille præsensit, clam in hostium castra aufugit, eumque secuti sunt cives Margenses amplius mille. Læti Scythæ horum adventu in spem venere facilius Margi occupandi. Porro Episcopus, ut erat Romanis infensus, spopondit, urbem se in hostium manus daturum; ac præstito ab utrisque sacramento, ipse tum Scytharum copiis instructus, tum Margensium manipulis, qui loca noverant insidiis apta, exercitum iu latebris ita disposuit, ut in Romanos ne ulla quidem doli suspicio incesserit, aut improvisæ aggressionis. Itaque intempesta nocte Scythæ, dato signo, hostium castra repente adoriuntur, imparatos obruunt, partim ferro cædunt, partim in fugam agunt, ac Romanis disjectis ad urbem advolant, qua, oppugnato nulla mora militum præsidio, celerrime potiti sunt.

Quo anno id gestum, statuere difficillimum. Prisci rethoris narratio congruit cum imperio Theodosii Junioris; quo rempublicam gerente anno 441. & anno 442. barbarorum innumera multitudo orientale Illyricum & Thraciam depopulata est; narrat autem Priscus, Margo capta, Scythas ac cæteros barbaros fortiores, audacioresque in Romanum Imperium evasisse. Quare alterutri anno videtur Margi oppugnatio posse illigari, & ad tempora referri Anonymi proditoris Episcopatus.

Duo Epi scopi Margenses titulares.

Sæculo XV. nomen & titulum Episcopatus Margensis restitutum comperio in Bullario Dominic. Tomo 3. pag. 636. Dicitur enim creatus a Sixto IV. an. 1475. *Episcopus Margaritensis seu Margensis vulgo* Margo *in Mœsia prima seu superiori* F. Jacobus Derslaus Polonus e Dominicana familia, datusque adjutor Episcopo Plocensi in Polonia inferiori. Ita Fontana in Theat. Dominic. pag. 225. ex Regestis Leonardi de Mansuetis Generalis Magistri Ordinis, Cavalerius Tomo 1. pag. 283., & Dominicus Frydrychovitcz in S. Hyacintho Poloniæ patrono &c. Equidem nulla exstitit unquam, neque exstat in Ecclesiarum catalogis urbs & Ecclesia Episcopalis nomine *Margarita*; sed & vocabuli *Margaritensis* in *Margensis* contractio vi detorta videtur. Est oppidum *Margita* in Hungarico Comitatu Krasnensi, est *Margarita* olim *Vega* insula maris Tyrrheni; neutri vero tributa est dignitas episcopalis; & ubi *Margum* fuit, oppidulum ponitur a Geographis *Heram* cognomine. Itaque de redivivo Episcopatu Margensi anceps hærco; nec omnino inficior, titulum *Episcopi Margaritensis* intelligi posse de *Episcopatu titulari Margensi*, quo Sixtus Pontifex Jacobum ornavit. Præsertim cum in Tomo 4. laudati Bull. pag. 681. iterum legerim, F. Valerianum de Varso Cracoviensem Dominicani instituti an. 1543. electum fuisse a Paulló III. Episcopum *Margaritensem seu Margen. vulgo* Margo *in Mœsia prima*, eumque vicariam operam præstitisse Episcopo Uladislaviensi, uti ex Actis Consist. Pauli III. asserit Fontana, & allati superius Scriptores.

ECCLESIA SINGIDUNENSIS.

Singidunum in Mœsia superiori positum,

PRinceps Mœsiæ Superioris urbs olim Singidunum habita fuit, quam etsi Eutropius & Aurelius Victor in Pannonia inferiori constituant, Ptolemæo, ac Plinio diligentissimis Geographis magis fidendum est ac Notitiæ Imperii, a quibus Mœsiæ tribuitur. Salagius lib. 3. cap. 11. & libro 4. cap. 1. fusissime disserit hac super re, & Plinii aliorumque sequitur auctoritatem. Nam certum est, tum Plinii, tum Ptolemæi testimonio Mœsiam superiorem a Pannonia disjungi medio Savo flumine, qua parte in Danubium se immittit; & Dio Cassius lib. 59. *Mysiæ nomine*, inquit, *omnis ea regio, quam Savus in Istrum incidens a Pannonia dirimit, vocari cœpit*. Ad confluentes autem fluminis utriusque aquas hinc ad Savi oram in se-

ptemtrionem Taurunum stetit, ubi nunc Semelinum in Pannonia, illinc trans Savum ad meridiem Singidunum in Mœsia, ubi nunc Belgradum in Semelini conspectu. Et de Tauruno non est ambigendi locus; etenim præter Plinium, qui Pannoniam describens Taurunum mille passus XLV. Sirmio distare affirmat, Ptolemæus & Notitia imperii Taurunum adnumerant Pannoniæ civitatibus, & Arrianus docet Savum & Danubium eo loco *apud Pannones* misceri, qui Taurunum vocatur. Quod vero ad Singidunum attinet, Ptolemæus inter urbes Mœsiæ Singidunum ad Danubium ponit; Simocatta Danubio & Savo cinctum Singidunum describit. Itinerarium Antonini inter Taurunum & Singidunum classem collocat, Savo interfluente, eaque oppida quatuor passuum millibus disjuncta signat; & in tabula Peutingeriana Singidunum *ad Confluentes* Danubium & Savum notatur, Taurunum tres mille passus *a Confluentibus* dissitum. At enim Salagius *testis oculatus* loca inspexit, spatia mensus est, & Semelino, ubi Taurunum, ad Danubii Savique conjunctionem iter peregit unius integræ horæ, qua mille passus quatuor circiter percurri solent; Belgradum ex obversa parte, ubi Singidunum exstitit, *trans Confluentes* ipsis adjacet, & imminet *Confluentibus*. Hinc liquet, quantum ad dignoscendos locorum situs prosit eorumdem accurata & erudita inspectio, ac veterum cum novis æqua collatio. Quidquid vero alii senserint Scriptores, aut sentiant, eorum errores Salagius arguit; præcipue Bonbardii in Topographia Hungarica, qui de hisce locis male disserit; duplex Singidunum effingit, in Pannonia alterum, alterum in Mœsia; atque hujus in situ Semendriam exortam esse scribit. Nec obstat sententiæ nostræ veritati S. Athanasius, cum in Apolog. contr. Arianos, & in ep. ad Epictetum Pannoniæ Episcopos nominat Valentem Mursæ, & Ursacium Singiduni; vulgo enim in Pannonia censebantur, uterque Pannonico Metropolitæ Sirmiensi subjectus erat. Mursa quidem in Pannonia fuit, & Singidunum urbs Pannoniæ ob proximitatem haberi poterat. Cæterum in litteris synodicis Patrum Sardicensium Ursacius dicitur Episcopus Singiduni in *Mœsia*.

ubi nunc Belgradum in Serblia.

Nulla Singiduno ornamenta tribuunt veteres historici præter militaria opera, quibus muniebatur adversus barbarorum incursus. Gloriatur tamen Joviano Imperatore sane optimo, qui in agro Singidunensi natus perhibetur, de quo Aurelius Victor in Epitome; *Jovianus genitus patre Varroniano incola agri Singidunensis*; sed multo nobilior fuit Christiana religione ab ipso Petro Apostolo suscepta, dum Mœsiam peragraret; videtomum I. Operis nostri; ac sæculo III. sede episcopali erat insignita, & plurium Martyrum sanguine ornata; de iis vero hic agendum, quorum memoria in fastis ecclesiasticis celebratur.

Fuit civitas episcopalis.

Atque S. Montanum Presbyterum Singidunensis Ecclesiæ Martyribus Sirmiensibus esse adnumerandum suo loco probavimus. In Ecclesia Cibaliensi Acta prolata sunt Martyrum nonnullorum, qui in ea urbe capitali supplicio a Præside Romano affecti sunt, eorumque initio dicitur S. Donatus Diaconus Singidunensis vitam profudisse pro Christo in partibus Sirmiensibus, quæ dictio ambigua est, nec certum martyrii locum designat; fortasse in ipsa urbe Singiduno passus est. Fratrem habuit Venustum, qui Donati certamen & victoriam æmulatus est; & hinc beatissimi hi duo fratres Martyrum Singidunensium cœtui sunt adscribendi. Quamvis vero dies eorum martyrio sacra non eadem sit, & Donatus aliquanto ante Venustum occubuerit, uterque tamen cum sociis colitur XII. Kal. Septembris. Huc revoca & eorum Acta, & quæ de Actis disseruimus in Ecclesia Cibaliensi. Cultus S. Donati etiam nunc celebris est in Civitate Forijulii, & in Ecclesia Aquilejensi. Forijulii princeps Patronus est; quo, cur, qua occasione, quove tempore delata sint ejus, aliorumque pretiosa lipsana, nullis proditum est monumentis. In Codice Ecclesiæ Forijuliensis ante annos septingentos exarato hæc scripta leguntur; *XII. Kal.* Septembris, *Donati Rom.* Romuli *Silvani & Hr.* Hermogenis *mr.* Ibidem ubi totius anni Evangelia indicantur, *Donati mr. & sociorum ejus. Evang. Videns Ihs turbas* &c. Rursum, *Donati, Venusti & socior. ejus*; necnon, *Fr.* feria. *Passio eria beatissimorum Donati, Venusti, Silvani Romuli & Hermogenis mrum X. omnes*. Atque eadem fere verba perhibent duo ejusdem Ecclesiæ Necrologia vetusta, & tertium Monasterii majoris Forijuliensis Virginum S. Benedicti. S. Donatus multis abhinc sæculis inter Patronos Ecclesiæ & Civitatis Forijuliensis summo colitur honore hac die Augusti XXI., quamvis in Liturgia sacra celebrentur ipsa die & nomina & acta sociorum ejus, præsertim S. Venusti fratris Donati, eorumque non integra corpora, sed quædam pretiosa portio, qua par est reverentia servatur. Insignior tamen cimelii Forojuliensis pars est theca argentea inaurata ad hermæ formam affabre elaborata jam ab anno 1400. varii coloris encausto ornata, ac duobus e chrystallo montana globis argento innexi fulta; ex collo pendet crux aurea, cui inclusa est particula veræ Crucis Dominicæ; munus, ut creditur, alicujus Patriarchæ Aquilejensis. In theca vero conspicitur S. Donati caput, ejusque cranium quavis in parte integrum, nullaque carie vel leviter obesum. Quotannis post celebrata magnifico aulæorum, luminum, ac musicorum concentuum apparatu divina mysteria, cui solemni pompæ intersunt urbis magistratus, sacrum Caput ipso die festo circumfertur publica supplicatione ne per nobiliores vias, tum religionis, tum voti causa ob accepta Divi ope a Deo beneficia; aliaque eduntur popularis lætitiæ signa; equestris & pedestris cursus decretus, proposito victoribus magni pretii præmio, decretæ ce-

Cultus S. Donati.

De Martyribus Singidunensibus.

reo-

Digitized by Google

reorum & bellariorum largitiones; tum quidquid augendo cultui Donati, & fovendæ erga illum populi devotioni aptius visum & religiosius, pia Magistratuum munificentia institutum est. Hæc descripta ex annalibus Communis Forijuliensis hic adjicio lectu non injucunda.

„ Anno Domini 1368. Indictione sexta die „ Veneris Junii in Civitate Austeia super Do„ mo Consilii in pleno Consilio ad sonum „ campanæ, ut moris est, solemniter congrega„ to electi, & confirmati fuerunt in Provisores „ per sex menses Domini Rodulphus de Por„ tis, & Joannes Tonius, quibus data fuit „ solita auctoritas.

Statutum de Bravio in perpetuum qurrendo.

„ Dicto anno, ac dictis Consulibus die ve„ neris XXI. mensis Julii in Civitate Austria „ super Domo Consilii in pleno Consilio ibi„ dem ad sonum campanæ, ut moris est, sole„ mniter congregato, diffinitum, statutum, & „ deliberatum fuit matura, & deligenti delibe„ ratione præmissa, quod in perpetuum in quo„ libet festo Sancti Donati, protectoris, & „ patroni terræ Civitatis Austriæ, ad ejus ho„ norem, & bonum statum totius terræ Civi„ tatensis curratur ad bravium equestre, ac pe„ destre, itaque bravium equestre sit XIV. bra„ chiorum Scarletti, & si ullo tempore futuro „ deficeretur, quo minus non current ad ipsum „ bravium equestre, & pedestre, Provisores „ Civitatis Austriæ, qui fuerint pro tempore, „ sub quibus obmitterent curri ad ipsum bra„ vium, pœnam incurrant 50. librarum Vero„ nensium parvulorum pro quolibet persolven„ dam: Camerarius vero, qui eo tempore fue„ rit, in XXV. libris Veronensium parvulorum „ Communi predicto absque diminutione sol„ vendis puniatur. Ita quod nulla in contra„ rium defensio habeat locum. Insuper diffini„ tum, statutum, & plebiscitum, ac delibera„ tum fuit, quod nullus in perpetuum Consi„ liarius Civitatensis proponere in Consilio „ præsumat aliquo modo, seu forma, nec con„ sulere, quod ad ipsum bravium perpetualiter, „ vel ad tempus non curratur, aut quod Pro„ visores, & Camerarius in casu præmisso non „ condemnentur, ut supra expressum, & diffi„ nitum est, una marcha denariorum Aquile„ giensis monetæ Comuni prædicto absque di„ minutione solvenda pro quolibet vice multe„ tur. Præsentibus autem diffinitione, statuto, „ ac deliberatione perpetuo inviolabiliter vali„ turis.

1424.

„ Die Lunæ VII. Augusti.
„ Symeon Vice Gastaldio.
„ Nicolaus de Portis Vice Provisor.
„ Jacobus Provisor.
„ Gabriel.
„ Symon de Formentinis.

Omissis &c.

„ Item diffinitum fuit quod emantur bra„ chia XV. Veluti.

„ Item quod fiant XL. ceria, & dentur „ Consiliariis.

„ Item quod in facto confecturarum sit in „ libertate Camerarii, & emantur lib. X. Con„ fectionum.

„ Item diffinitum fuit quod fiant tunicæ „ suæ præconibus secundum consuetudinem.

Ex Annalibus Magnificæ Civitatis Fori Julii exst. Julius a Turre dicta Civitatis Cancell. seq. in fidem sub., & sig. &c. Die 16. Augusti 1768.

SS. Hermyli & Stratonici MM. Acta.

Post S. Donatum duo alii Singidunensem Ecclesiam nobili martyrio illustrarunt, Hermylus Diaconus & Stratonicus Commentariensis, de quibus hic disquirendum.

Celebris existit apud Græcos in primis memoria, & cultus SS. Hermyli, & Stratonici; ex iisque in Ruthenos derivata religio erga beatissimos Christi Martyres, postremo ad Latinos quoque dimanavit, & præclarum utriusque martyrium Latinis Divorum Fastis invexit. Supersunt adhuc illorum Acta Metaphrastis inserta Hagiologio; & multa præterea invenies de utroque Martyre testimonia Græcis descripta litteris, & Latinis, eaque partim ex Actis decerpta, partim aliunde repetita, quæ illustribus verbis Scriptores haud pauci adornarunt; unde conjicere par est, singulari semper in honore Martyrem utrumque fuisse, & promerita affectum Christianæ pietatis veneratione: sed ex iis, quæ feruntur, neque adeo certa nonnulla, neque adeo eruditis hominibus video esse probata, ut ab omni vacent disceptationis fastidio, Horum itaque fortissimorum pugilum pro nostra religione certamen cum simus illustraturi, ne confusa disserendi ratione vagari quodammodo, & errare videatur oratio, rem ita persequi, complectique statuimus, ut primum singula tum Græcorum, tum Latinorum elogia ordinatim digesta proferamus; deinde, quæ ad ipsos Martyres propius attinent, edicere, & quæ de loco præsertim, ac tempore martyrii fuerunt in controversiam adducta, distincte, atque accurate definire oportebit; demum de Actis quæstio erit, & judicium. Et quod primum spectat;

Testimonia e Græcis.

E Græcis: Christophorus Patricius in Menologio Metrico ms. Bibl. Vatic. *Hymnis celebro martyrem Stratonicum, & certaminis socium Hermylum.*

Horologium Græcum Martyris utriusque, Maximus Cythæreus in minori Menologio solius *Hermyli* meminerunt.

Menologium Sirleti: *Id. Jan. Natalis sanctorum Martyrum Hermilli, & Stratonici sub rege Licinio. Erat autem Hermillus in ordine Diaconatus, qui pro Christi confessione post verbera, & dilaniatas carnes, & alia tormentorum genera una cum Stratonico in flumen Istrum conjicitur, ubi uterque beatum finem consecutus est.*

Digitized by Google

Idem: *Kal. Jun. Eodem die sanctorum Martyrum Hermilli, & Stratonici.*

Menologium Metricum Menæis Magnis interjectum.

Id. Jan. Rete navigium est Hermylo & Stratonico
Communis portus in profundum mersis.
Hermylum & socium decima tertia suffocavit Ister,

Queis e versiculis extremum solummodo Papebrochius exscripsit in Metricum Menologium Tomo 1. Maji Boll. præfixum; & Græca ad Latini carminis constructionem ita convertit:

Hermylus & socius post hanc merguntur in Istrum.

Id est, *post diem ejus mensis duodecimam.*

Pone carmina Menæorum sequitur testimonium: *Hi temporibus Licinii Imperatoris vixerunt. Erat Hermylus ordine ecclesiastico diaconus. Qui cum coram Imperatore Christi religionem confiteretur, primum æreis quibusdam ferulis maxillæ illi converberantur; exin innumeris plagis laceratur. Interea Stratonicum familiarem suum ipsius cruciatuum commiseratione permotum, ad fidem libere confitendam provocat. Nam cum Hermylus virgis ferreis ita caederetur atrociter, ut jam venter, corque aperta biarent, conversus, eumque intuitus Stratonicus illacbrymavit. Illico proditus est, quod ejusdem esset religionis. Interrogatus ergo ab Imperatore, Christianum se profitetur. Itaque verberibus quoque multatus, in Istrum flumen cum Hermylo mergitur, ubi uterque beatum finem consecutus est. Agitur vero eorum Synaxis in æde S. Michaelis Archangeli in Oxia.*

Menæa eadem. *Kal. Jun. Eadem die sanctorum martyrum Hermyli, & Stratonici; eorum autem Synaxis perficitur in sacello Archangeli Michaelis in Oxia, & in Pbirmopoli, & in ædibus Spudæi juxta orphanotrophium.*

e Ruthenis, E Ruthenis autem; Ephemerides figuratæ Moscorum: XIII. *Jan. HERMILUS ✠ Martyr.* Sed Possevinus ad hanc diem Kalendarii Rutheni, quod in eximio *Apparatus* opere ad verbum *Rutheni* evulgavit, *Hermogenem* Hermylo substituit; *nescio tamen, unde Hermogenes Possevino positus sit*, inquit Papebrochius in nota illi formulæ adjecta, quæ omnino debet retineri.

Codex Vatic. Ruthenus 2us apud Assemanum in Tomo VI. sui operis de Kalend. Univ. Eccl., hac die Jan. 13. *Hermylus, & Stratonicus.*

Kal. Moscovit. apud eumdem, & ibidem, ac die eadem; *Mart. Hermyli.*

Atque e Latinis deprompta. Demum e Latinis hæc sunt: Kal. Capuanum Monasterii S. Joannis editum in opere *Sanctuarium Capuanum* inscripto part. 4. 16. *Jan. Et S. Hermuli M.*

Molanus inter Usuardi Auctaria; *Die decima tertia sanctorum Martyrum Hermyli & Stratonici:* quam formulam existimat Sollerius e Græcorum Horologio fuisse a Molano descriptam.

Galesinius in Martyrol. *Idib. Januar. In Græcia sanctorum Hermili & Stratonici.*

Idem in subjecta notatione: *SS. Hermyli, & Stratonici martyrium, Licinio Imperatore. Eorum martyrium Simeon Logotheta multis exponit: Surius autem retulit in Tomo 1. de Sanctis. Est eorumdem mentio in Menol., & Horologio Græcorum.* Censet vero Bollandus, librarii errore factum esse, ut superior formula rursum prid. Id. Jan. ederetur in notis.

Baronius in Martyrol. *Singidoni in Mysia superiori sanctorum martyrum Hermyli, & Stratonici, qui post sæva tormenta sub Licinio in Istrum flumen demersi sunt.*

Idem in adscripta notatione; *De iisdem hac die Græci etiam in Menologio, ubi eorum martyrium paucis complexum legitur. Porro fusius Metaphrastes apud Lipom. tomo 5. & Surium Tomo 1.*

Papebrochius ad diem primam Junii in *prætermissis: SS. Hermylus, & Stratonicus, Martyres Singiduni in Mysia, referuntur a Græcis in Menæis, & Menologio Sirleti, sed majore encomio, quando eum Latinis eorum Actu dedimus XIII. Januarii.*

Tillemontius Tomo V. Monum. Eccl. art. 34. *Novus hoc anno, 307., in Imperio Princeps Licinius III. Id. Novemb. Augustus a Galerio creatur, & Rhætiam, ac penitiores Illyrici Occidentalis partes regendas assumit. Vero autem quam simillimum est, novum Imperatorem ad ingenium, moresque illius, a quo summam dignitatem fuerat consecutus, in Christianos desæviisse: quare nequis commodius, quam huic tempori, affigi martyrium SS. Hermyli, & Stratonici, qui dicuntur ob religionem Singiduni interempti in Mœsia Superiori.*

Idem fusius art. 37. „ Verosimilius est, „ in hunc circiter annum, 309., esse rejiciendum martyrium S. Hermyli, & S. „ Stratonici, qui prope Singidunum in Mœsia superiori certamen pro Christo obierunt, sub Licinii potestate. Illud quidem „ verum est, hunc Imperatorem anno præsertim 320. Christianam religionem esse „ insecutum; at post Cibaliense prælium & „ Mœsia, & reliquæ Illyrici provinciæ cesserant Constantino an. 314., quare Hermyli martyrium huic anno anteponamus „ necesse est: quin immo Galerii etiam interitum illud præcessisse oportet, cum Licinii nomen edicto Galerii legatur inscriptum, quo persecutionem quiescere jussit „ die tertia Aprilis an. 311.; nec quisquam „ memoriæ prodidit, legem hanc a Licinio „ fuisse violatam; quod nefas a Maximino „ commissum Historici veteres perhibuerunt. „ Immo sociali fœdere, ac vinculo propinquitatis cum Constantino conjunctus mitissimum sese Christiano nomini præbuit „ usque ad Cibaliense prælium, uti auctor „ nobis est Sozomenus lib. 1. cap. 7., ne-

„ mi-

Digitized by Google

„ mine Scriptorum repugnante. Supersunt „ Acta S. Hermyli, & S. Stratonici, quæ „ Metaphrastis æque nomen præferunt, ac „ ingenium, & fucos. Quidquid porro ex „ iis, & Menæorum testimonio colligi po„ test, in summa hoc est: S. Hermylum „ Diaconum Licinio coram sisti primum, „ & variis excruciari tormentis, tum in car„ cerem conjici, cui custos præerat Strato„ nicus Hermylo valde familiaris; isque a„ nimo quidem erga Christianam religionem „ probe affectus, amici tantum ærumnas con„ dolescens, illam profiteri hactenus vereba„ tur. Interea, dum acerbiores Hermylo ad„ moventur cruciatus, conspicati quidam Stra„ tonicum mœrere, & illachrymari, rem „ Licinio deferunt, qui hominem ad se ac„ cersitum rogat, num sit Hermyli amicus: „ tum Stratonicus, & amicum se, & Chri„ stianum ultro, ac palam confessus, multis „ ille etiam tortus est pœnarum, ac supplici„ orum modis; uterque demum, lata a Li„ cinio sententia, in Istrum submersi sunt. „ Corpora in desertum littus a fluvio eje„ cta, & a Christianis elata V. ab Urbe „ Singiduno lapide sepeliuntur.

„ Græcis solemnis est beatorum Martyrum „ commemoratio Idibus Januariis, Constan„ tinopoli præsertim, in Ecclesia S. Mi„ chaelis Archangeli in Loxia, tum aliis in „ locis; & repetita Kalendis quoque Juniis „ festivitate celebratur. Latinis vero, & „ Martyrologio Romano una, eademque il„ lorum cultui constituta dies est Januarii „ decimatertia. Cum autem in vita S. Mar„ ciani, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ „ οἰκονομίαν gerens vixit dimidio ferme sæ„ culo V., sit memoriæ proditum, instau„ ratam ab illo fuisse Ecclesiam S. Strato„ nici Martyris in Rhegio portu XV. ab „ Urbe lapide, credibile dictu est, de Stra„ tonico Hermyli socio ibidem esse men„ tionem.

Hæc postrema de cultu Sanctorum Martyrum videntur e Bollando exscripta ad diem Jan. 13., cujus ideo a nobis omissum est testimonium, quia e pluribus constat eorum, quæ modo attulimus: ejusdem vero de tempore martyrii opinio in altera propositæ divisionis parte proprium sibi locum vindicat.

Farlatus in Tomo 2. Illyr. Sac., in Catal. Martyr. Illyric. Historiæ Diocletiani interjecto, inter Martyres ex utraque Mœsia: *Singiduni SS. Hermylus Diaconus, & Stratonicus Commentariensis sub Licinio an.* 315. *Idibus Januarii.*

Idem, eodemque in Tomo in Synopsi vitæ, & persecutionis Diocletianeæ: *Ann. Ch.* 315. *Sylvestri Pp. I.* 2. *Constantini Imp.* 9. 10. *Constantinus IV. & Licinius IV. Augg. Coss. Hermylus Diaconus, & Stratonicus Commentariensis Singiduni in Mœsia inferiori, & alii plures in Macedonia, jussu Licinii ob religionem interempti.*

Hactenus testimonia, quæ quidem legerim, quæque uno velati sub adspectu in hunc locum congesta proposui, ut clarior ex iis seu veritas rerum dicendarum, seu probabilitas constet.

Nunc ad alterum quod attinet; de *Hermyli* nomine prima est inquisitio; *Hermyli* enim, & *Hermilli* vocabulum diverse legimus usurpatum: nam *Hermuli* appellatio in Kalend. Capuano mendo fortasse subest mutatæ in *u* litteræ *y*: sed cum ipsa nominis Græcum quiddam sonantis natura nullum pro se afferat tollendæ quæstioni momentum, & Scriptorum plerique in unam *Hermyli* appellationem conveniant, hæc nobis visa est alteri præferenda. Hermyli nomen quod?

Quæri hic etiam de Stratonico posset, num qua erat Hermylo familiaritate, pari fuerit & religione devinctus, antequam Licinio manifeste proderet Christiani nominis confessionem: qua in re dubium movet Tillemontius, qui Actorum verba describens timidam Stratonico affinxit profitendæ religionis conscientiam, quam solo animi colebat affectu; *Is animo quidem erga Christianam religionem probe affectus, amici tantum ærumnas condolescens, illam profiteri hactenus verebatur*; unde illud consequi necesse est, beatissimum Christi Martyrem divinis adhuc non fuisse imbutum mysteriis, præceptisque, & cœlesti repente instinctum afflatu, proprii sanguinis sacramento ad religionem una, atque ad palmam martyrii sibi aditum reserasse. Attamen, si Actorum ratio habeatur, facile deprehendes, id in illis dubitanter innui, quod Tillemontius pæne certum affirmat; legitur enim in 2. quæst. *Qui videbatur quidem eadem sentire, quæ amicus, & esse in religione ejusdem sententiæ, nondum autem audebat pietatem libere profiteri*; quæ scribendi ratio, & vis quamdam quasi suspicionem indicat Christianæ fidei ab Stratonico pridem susceptæ, cujus se cultorem non audebat libera professione producere: quare, cum in neutram quæstionis partem ferri sententia debet, tum justa inuritur Tillemontio nota, quod Actorum verba minus accurate perlegerit. Tillemontius notatur.

Publicum erat Stratonico munus inter civilis Magistratus ministros, quippe qui carcerum custodiæ præerat, & reorum curam gerebat, *Commentariensis* ideo dictus, quo appellari more sueverunt hujuscemodi homines, quia *Commentarios*, inquit Cangius in Gloss. lit. C., *id est rationes custodiarum*, ac *reorum conficerent, & inscriptiones criminum reciperent*; *Clavicularii* quoque, & *Carcerum Custodes*, immo & *Cornicularii* aliquando vocati, a *Corniculis*, subdit ibidem Cangius, *id est stramentariis*, quorum illis præcipue usus erat: quo ignobile constat Stratonici genus, ab illo tamen Christiana professione, & martyrii gloria, quam fieri poterat, maxime nobilitatum. Stratonici.

Hermylus ecclesiasticis initiatus ordinibus Diaconi munere fungebatur, & quod verius existimo, in Singidunensi quidem Ecclesia: huic autem peragendo ministerio cum ii potissimum illa ætate ad- & Hermyli munus.

Digitized by Google

addicerentur, qui tum vitæ sanctimonia, & sedulo in omnes charitatis officio, tum fideli Divini Verbi prædicatione, atque singulari in sacris obeundis muneribus reverentia, animique alacritate præstarent, tali profecto fidei, religionis, cæterarumque virtutum laude is claruisse putandus est, qui non modo in sanctissimi ministerii partem adscisci, verum etiam cœlesti martyrum choro mereretur adjungi. Hinc & ejus ætatis aliqua fieri potest conjectura; siquidem, vicesimus quintus, aut tricesimus circiter annus ineundo Diaconorum ordini erat antiquitus definitus; neque ultra alterutrum annorum numerum videtur Hermylus ita multum excessisse, cum ab annis triginta prope absit ejus effigies, quam imberbem, & juvenili forma expressam exhibent figuratæ Moscorum tabulæ hac die Januarii decima tertia, ut adolescens hominis ætas inde præ cæteris dignoscatur, qui plus, minusve barbati, ut est illius gentis consuetudo in hominibus divino cultui addictis, pro certa virilis ætatis significatione efficti sunt.

huius ætas.

Utriusque martyrium.

De martyrii genere convenit inter omnes; & in Menæis præterea modus exprimitur, quo extremum uterque supplicium subiit, nimirum retibus inclusi, nequod demersis esset ab aquarum impetu effugium:

Rete navigium est Hermylo, & Stratonico
Communis portus in profundum mersis.

& cultus, præsertim apud Græcos.

Græci æque, ac Latini utriusque Martyris nomen, ac memoriam suis Hagiologiis inscripserunt; sed Græca in primis Ecclesia singulari utrumque veneratione affecisse videtur, Constantinopoli præsertim, ubi tribus in locis potissimum colebantur; *in Phirmapoli* scilicet, & *in ædibus Spudæi*, uti Menæa referunt. Vereor tamen, ne hic mendum librario exciderit, & *Phinopoli* sit scribendum, suburbani oppidi nomen, de quo fuse disserit Gyllius lib. 2. de Bosphoro Thracio cap. 23. *Spudæi* vero *ædes* dictum olim fuerat Monasterium, quodnam nescio, junioribus quoque Græcarum rerum Scriptoribus ignotum, sed idem fortasse, ac σπουδῆς, seu *Festinationis* Monasterium ab Anna Leonis Isauri Imp. conjuge ædificatum. Tertius est *Rhegii* locus, cujus meminit Metaphrastes in vita S. Marciani Presbyteri cap. V., ubi sacra ædes visebatur S. Stratonici titulo dedicata, & ab eodem Marciano sæc. V., quo vixit, novis sumptibus splendidius restituta; *Etenim*, scribit Metaphrastes, *hoc harum solum fuit conditor, sed multarum quoque aliarum ædium non tantum se præstitit opificem, verum etiam refectorem, atque reparatorem. Ut Magni quoque Martyris Theodori, qui fuit in Tænaro, & Stratonici Martyris, qui fuit Rhegii.* Cum vero dubitet Bollandus in subjecta nota, idem ne *Rhegii* nomen sit, quod *Rhesii*, omnis tollitur Cangii auctoritate ambiguitas, dum lib. 1. Constantinopolis Christ. cap. 15. diserte probat Ῥήσιον, Ῥίσιον, immo Ῥέσιον, & Ῥήγιον a Byzantinis Historicis promiscue usurpari, ut eam urbis partem indicent, qua in Meridiem protendebatur usque ad Portam Auream, eodem cognomine *Rusii* portam quandoque nuncupatam: hinc vellem, aliquo saltem auctore, Tillemontius probasset, hoc *Rhegii* vocabulo portum designari XV. ferme mille passus ab urbe dissitum. Demum in Oxia, corrupte *Loxia* apud Tillemontium, qui locus non urbis regio, uti Bollandus autumat, sed insula est ad urbis pæne conspectum sita meridiem inter, & occasum, ara utrique Martyri sacra exstabat, privata cujuspiam religione in domestico sacello exstructa, cui S. Michaelis titulum Menæa superius inscribunt; & hic rursum Tillemontii fidem desidero, cum idem sacellum Ecclesiæ nomine impertit, non satis Græcæ Menæorum dictioni advertens; ἐν τῷ εὐκτηρίῳ οἴκῳ τοῦ Ἀρχαγγέλου Μιχαήλ: εὐκτήρια enim, notat Cangius in Constantinopoli Christ. lib. 3. cap. 1., *proprie appellantur ædes sacræ privatæ, quæ nec usui publico, ut sunt Catholicæ, nec ad Monasterii usum excitatæ erant: .... in iis autem Oratoriis sacra officia per Sacerdotes exsequi cum Episcopi indulto Dominis licebat, ex Can. XXXI. Synod. Trull., & Nov. IV. & V. Leonis:* ubi illo *Catholicæ* vocabulo publicas designat auctor Ecclesias. Hisce igitur in locis & Martyrum memoria singulis annis, & Divina peragebantur Mysteria sive Idibus Januariis, sive Kalendis Junii, cum utraque dies eorum sit commemorationi in Græcorum Fastis decreta, sive dies tandem uterque peculiarem habuerit religionis causam, atque celebritatis: inde tamen liquet, quanto pietatis cultu Hermylum, & Stratonicum prosecuta fuerit Constantinopolitana Ecclesia, & insigne eorumdem martyrium venerari consueverit.

Tempus martyrii.

Sed de tempore martyrii gravior est disceptatio, quæ duas in opiniones distrahitur: altera auctores habet Bollandum, & Farlatum, altera Tillemontium; nec ulla inter utramque potest esse consensio, cum illi quidem anno 315. vel superiori Hermyli, & Stratonici martyrium tribuant, Tillemontius in annum 309. illud existimet conjiciendum: re tamen utrinque sedulo, accurateque perpensa, neutra videtur alteri præstare sententia. Namque Licinianæ persecutionis initia ante Cibaliense prælium exarsisse, monent Bollandus, & Farlatus, hic in Appendice Historiæ Diocletiani subjecta, ille in prævio Actis horum Martyrum Commentario ad diem Januarii 13., & idem utrique annus est Cibaliensis pugnæ 315., quo tamen ineunte, vel superiori 314. & persecutio fuerit a Licinio instituta, & Hermylus, ac Stratonicus martyrio affecti: & utrumque quidem illi cladi præposuit Tillemontius, sed eadem clade in an. 314. rejecta, contendit eo primum anno Christianos a Licinio divexari cœptos esse, quo is & Cæsar & Augustus renuntiatus est concordibus Galerii,

a Bollando, & a Farlato in annum circiter 315.

Dio-

Diocletiani, & Herculii suffragiis; &. hic illi est annus 307. Quamnam etenim gratiam accepti beneficii parem redderet Licinius sævissimis Christianorum hostibus, nisi quod cum iis eamdem illico impietatis, atque sævitiæ societatem coiret? quadriennio autem post intermissa certe a Licinio persecutio fuit, cum Galerius decretum secundum Christianos fecit an. 311., nequis quemquam in posterum ob Christianam Religionem lacesseret, cui Licinius ipse adscripsit; & violati ab illo edicti nulla ad annum usque 320. appareat in historia mentio; quæ tamen tantæ perfidiæ scelus in Maximino non siluit, quippe qui insequenti anno 312. ad suum Christianos persequendi institutum sese retulerit. Ita fit, ut Hermylus, & Stratonicus intra illud tempus martyrio, ac vita defuncti fuerint, quod ab initio Licinii imperio, & an. Ch. 307. procurrit ad Galeriani decreti promulgationem, & an. Ch. 311., siquidem Licinio post Cibaliensem cladem extra Illyrici fines compulso, nulla eidem deinceps potestas fuit Christianos Illyricos exagitandi; & tempestatis ab eo motæ incrementa, & finis Orientis tantummodo pervasit Ecclesiam. Hæc Tillemontii mens, hisque argumentis firmata opinio, qui, ut certi demum quidquam de hoc martyrio determinaret intra superius præstituti temporis spatium, suopte omnino arbitrio hunc præ cæteris annum Ch. 309. tam insigni Christianæ virtutis facinore consignavit. In qua sententia video, quid Bollandianæ repugnet, scilicet inchoata cito nimium hujus persecutionis procella, quam auctor iste sibi persuadet paullo ante furere occœpisse, quam, devicto jam Licinianis armis Maximino an. 313., Constantinum inter, atque Licinium civile bellum exardesceret sub initia saltem an. 315., teste Orosio in lib. Hist. 7. cap. 28. *Maximianus* (imo *Maximinus*) *persecutionis incentor, executorque infestissimus, apud Tharsum dum civile bellum contra Licinium disponit, interiit. Licinius repentina rabie suscitatus omnes Christianos e palatio suo jussit expelli. Mox bellum inter Licinium ipsum, & Constantinum efferbuit.* Sed chronologicus Orosii error facile deprehenditur, cum hanc Palatinorum expulsionem rejici oporteat ex communi sententia ad annum undevicesimum quarti sæculi, quo Licinius Augustus bellum in Christianos redintegravit; idque Farlati etiam constat auctoritate, qui ejusdem cum Bollando opinionis fautor in Anonymum Sirmondianum animadvertit, Consulatum Constantini, atque Licinii, cui Anonymus subjicit ab Licinio Augusto Christianos omnes fuisse palatio expulsos, quintum esse Constantini, in quo collegam habuit Licinium Cæsarem Licinii Augusti filium an. 319., eoque ad Petavii calculum primo recrudescentis jussu Licinii patris persecutionis: quamquam nolit Farlatus, iccirco ab sua sententia Orosii testimonium dimoveri, & primordia Licinianæ adversus Ecclesiam feritatis recte ab illo constitui affirmet inter Maximini interitum, & primum Constantini cum Licinio bellum. Sed quæ hunc ratio præcipue movit, ut hujusce persecutionis exordia in annum referret 315., ea est, neque a Lactantio, neque ab Eusebio Licinium inter illos adnumerari, qui temporibus illis acerbissimis ecclesiam ferro, & igni devastarunt, neque usquam litteris proditum esse, quidquam damni, aut molestiæ per Licinium Christianis illatum fuisse, antequam inimicitias cum Constantino susciperet. Cui argumento hæc contra reddimus, neque Historicorum quemquam tradidisse, Galerianum pro nostra religione decretum fuisse ab illo suis edictis, legibusque revocatum ante annum 319., quo tempore, cum inimicitiæ adversus Constantinum acrius, ac vehementius ferverent, hic commode potest adnecti, quidquid de justa, legitimaque unius Licinii persecutione veteres scripsere. Rem præterea minime confecit Farlatus, cum ex ipsis Martyrum Singidunensium Actis epocham desumit hujus historiæ; *Nulla quippe*, inquit, *in illis Galerii mentio, unus nominatur Licinius, qui solus esset in illis regionibus Imperator*: quod contigit, *cum Licinius, Galerio, & Maximino exstinctis, integram, & absolutam rerum omnium potestatem nactus sine ullo Collega in Asia, Oriente, totoque Illyrico summum imperium obtinebat*: & hæc illi integro ferme triennio fortuna stetit, atque imperii magnitudo, ad annum nempe 315.: *itaque Martyres Singidunenses pertinent ad annum Christi 315., vel superiorem; alterutro enim anno Licinius Christianos vexare instituit*: hæc pro sua sententia Farlatus. Verumenimvero puto ego, ad illorum arbitrium, qui Martyrum Acta collegerunt, nomina Imperatorum fuisse iisdem inscripta; nam quo anno Ch. 304. S. Pollio martyrium subiit Cibali in Inferiori Pannonia, summum hujus provinciæ dominium penes Galerium erat; in Actis tamen nulla Galerii mentio perhibetur, Diocletiani tantummodo, & Maximiani memorato imperio, cujus in partem Constantius & Galerius fuerant cum provinciarum partitione antea adsciti: & rursum an. 308. Galerius Orientem, Asiam, totumque Illyricum imperatorio jure regebat, cum Diocletianus, & Maximianus Augustalem auctoritatem, atque procurationem jam deposuissent; Acta vero S. Quirini Siscensis itidem in Inferiori Pannonia Episcopi, qui eodem anno martyrium indeptus est, Galerium silent, Diocletiani, & Maximiani nomen ingerunt, atque supremam utriusque in Illyricis regionibus potestatem. Unde dignoscas, licet, hisce Actorum inscriptionibus nullum momentum inesse, quo universim possimus tuto decernere, cuinam e tot Imperatorum numero, qui integros pæne quatuor annos supra viginti Imperium ipsum potius dilacerare, quam justo videbantur dominatu tenere, provinciæ tunc subessent, aut urbes, cum Acta ferunt, in universali illa

ac

a Tillemontio in annum 309. conjicitur:

sed Bollandi, & Farlati opinione perpensa,

ac teterrima omnium persecutione cujuspiam martyrio fuisse nobilitatas: quibus accedit, Acta ipsa Singidunensia minime sincera probari; sed de hoc sumus inferius dicturi. Igitur ut, hac in re quid sentio, ingenue fatear, mihi id primo persuasum est, Licinium divexandis cædendisque Christianis fuisse animo impulsum, cum in locum Severi subrogatus an. 307. e Tillemontii sententia eodem anno Augustus dictus est Carnuti in Pannonia: qui, cum Christiani sanguinis aliquid forte degustavisset Galerii consuetudine antea devinctus, nihil huic carius fore, gratiusve existimavit, quam ut publicum sese Christianorum hostem profiteretur, iisque morem omnino gereret, a quibus fuerat ad summam dignitatem evectus, præsertim Diocletiano, cujus præterea cognomen, *Jovium*, stultitiæ, atque intolerabilis arrogantiæ plenum assumpsit, quasi in illius impietatis partem, non secus, ac in Augustam familiam cooptatus. Sedata interea Galerii decreto persecutione an. 311., Licinius, cui de illo edicto cum Galerio & Maximino convenerat, pii, benevolique in Christianos principis personam induit, adeo in veri speciem, ut *sectator Christiani dogmatis* videretur. Nam, licet Sozomenus Licinium perspicue nobis adjungat, & simile quidquam innuat Eusebius, Socrati potius assentimur, qui lib. 1. cap. 2. homini vafritiem etiam adversus Constantinum persequitur, quippe qui *callens assentari, amicitiam simulate cum eo jungere, se astringere jurejurando, nunquam quidquam so moliturum, in quo aliqua tyrannidis significatio existeret*; eamdemque erga nos simulationem annotavit Joannes Presbyter Nicomediensis, cum Acta S. Basilei Amaseni Episcopi describeret: *Nam cum feliciter, quod cupiebat, ei processisset, quæque sperabantur, in ejus potestatem venissent, ostendit non longe postea qualem animum haberet, & cujusmodi revera esset*; nimirum ficta hæc benevolentiæ officia sive ad spem absolutæ potestatis referret, sive ut Christianos ad suas partes pelliceret, sive ne Constantinum ab se alienaret, quem, tyrannis Maximino, ac Maxentio penitus profligatis, sibi amicitia, & an. 313. etiam affinitate conjunxerat, cujusque virtutem, ac fortunam magnopere verebatur. Igitur ab Licinio pax integra toto pæne quadriennio Ecclesiæ stetit; immo, Eusebio auctore, *in eos acerrime vindicavit, qui Tyrannorum tempore adversus Christianos aliquid crudele moliti sunt*: cum repente *humano vitio pulsatus*, scribit idem auctor lib. 9. Hist. cap. 10., *immo inhumana invidiæ clade perculsus* adversus Constantinum insidias parat, animumque in ejus perniciem convertit; hinc primi bellorum motus, hinc redintegratæ in Christianos inimicitiæ causa, quos privato tantum, latentique odio insequi fortasse cœpit, minisque terrere ea animi confidentia, ut metu compulsi sibi impensius studere, suisque partibus cogerentur adjungi: inflictæ certe persecutionis ante Cibaliense prælium anno 315. nullum prodit historia vestigium; cujus, non obscura demum, veluti occulti ignis, eruperunt indicia, cum Licinius eodem anno Mardiensi pugna iterum a Constantino superatus, & pace constituta, in traditam sibi imperii partem extra Illyricum sese recepit. Hoc manifesto tradit Sozomenus, cujus testimonium e lib. 1. Hist. Tripart. cap. 7. & 8. proferimus. *Post prælium itaque Cibalæ Dardanii, & Macedones, & qui circa Istrum tunc morabantur, necnon et Hellas, et Illyriorum gens omnis sub Constantinum redacta est. Porro Licinius hinc fugatus, cum prius sectator fuisset Christiani dogmatis, mutata voluntate plurimos Sacerdotum in suæ partis afflixit imperio, multos quidem et aliorum, præcipue tamen de collegio militari. Nimis enim Christianis erat infensus propter Constantini bellum, æstimans eum posse contristari propter calamitatem suæ religionis. Simul etiam arbitratus, quia orarent, & studerent redigi sub illius solius imperio. Super hac autem pugnaturus denuo contra Constantinum spem victoris habebat per divinationes, & sacrificia, & seductus ab aliquibus promittentibus, quia bello vinceret Constantinum, in paganitatem conversus est:* & paullo post, *Futuro namque Licinio persequi Ecclesias in suo imperio constitutas, bellum in Bythinia factum est, quo novissime pugnaverunt inter alterutros ipse, & Constantinus.* Qua ex auctoritate certo deprehendimus, initium Licinianæ procellæ postea emersisse, quam *Dardanii, & Macedones, & qui circa Istrum tunc morabantur, necnon & Hellas, & Illyriorum gens omnis* Constantini imperio inter pacis conditiones adjecta est; quæ pax Mardiensem cladem consequitur a Sozomeno omissam: causæ vero odii expromendi, innatæque crudelitatis exercendæ hæ Licinio fuerunt; altera, quod suspicabatur, Christianos in sacris conventibus crebriores, fervidioresque preces facere pro Constantini, quam pro suamet salute, ac incolumitate; altera, quod propter illatas sibi clades odio, ac rabie vehementius exarserat in Constantinum, hanc viam ratus imminuti imperii pœnas ab illo deposcendi, si rem Christianam calamitatibus, & piissimi Imperatoris animum hanc ob causam mœrore, tristitiaque cumularet: quare video, me non posse iis consentire, qui primam illam persecutionis causam Cibaliensi pugnæ anteponunt; & cum Farlatus diserte testetur, in initas novi fœderis conditiones additum esse, ut Licinius vim omnem, molestiamque a Christianis abstineret, id præcavendæ quidem persecutionis, quam ab inquieto Licinii ingenio, pravoque Ecclesiæ metuebat Constantinus, non vero cohibendæ remedium fuisse puto. Eusebius sane lib. 9. c. 10. hosce turbarum motus describens Sozomeno cohæret, & Licinii primum insidias, vimque apertam bellorum adversus Constantinum commemorat; inde secutæ in Christianos querelæ, privatæque semina offensæ; demum indicta palam ab Palatinorum expulsione persecutio: *Verum Lici-*

& primis Licinianæ persecutionis motibus

Cibaliensi, ac Mardiensi pugnis postpositis,

Licinius, ubi neque beneficiorum memoria, neque affinitatis gratia reprimere immanitatem concepti sceleris poterat; neque tamen ei per occultas machinas insidiæ procedebant, ratus quod Imperator Christianorum precibus juvaretur, & ideo tutus permaneret, stulta iracundia permotus, Imperatori quidem apertum bellum indicit, regnique fidem, & societatem contaminat. Nostros vero privato, ac speciali odio persequi parat, hoc in querelam devocans, quod non ita pro se, sicut pro Constantino Christiani in solemnibus, & ex præcepto sibi traditis orationibus excubarent. Versa igitur vice is, qui paullo ante acerrime in eos vindicaverat, qui Tyrannorum tempore adversus Christianos aliquid crudele moliti sunt, nunc in nostros tela contorquet, et tyrannidis suæ prima sacrilegia nostrorum cruore delibat. Primo namque omnium de Palatio suo, siquis Christianus esset, exire jubet, tum et de omni militia. Ita Licinii odio paulatim in nos recrudescente, ac præsertim in Episcopos, & milites, quos vel ficta prætexens crimina, vel speciem publicæ fovendæ quietis acerbissime vexari jubebat, eo tandem ejus furor prorupit, ut apertum Christianis bellum indiceret an. 319., cujus impetum aulici primum excepere, quos Palatio expulit, edictis quoque propositis, & toto Oriente sæviter promulgatis, ne cui Christianæ legis cultori, exilio, suppliciis, nece ipsa parceretur. Atque ingens hæc tempestas quatuor fere annos in Orientis Ecclesiam incubuit, sævioribus quotidie fervens impietatis, atque feritatis incrementis; donec Licinius violati fœderis reùm Constantinum accersens, hic autem Licinii cohibendi, & Christianis opitulandi occasionem adeptus, pace dirempta, civilibus utrinque armis tertio conflixerunt terrestri pugna ad Hadrianopolim in Thracia an. 324., eodemque anno rursum altero maritimo apud Hellespontum prælio, altero ad Chalcedonem debellatum cum Licinio fuit; quo tandem prostrato, & in ordinem redacto, usquequaque pax Ecclesiæ restituta, & parta tranquillitas. Hæc aptior mihi visa est, & propior vero Licinianæ persecutionis digerendæ ratio; unde ad id, quod est propositum, regrediens sic demum statuo; martyrium SS. Hermyli & Stratonici ad annos Cibaliensi, ac Mardiensi prælio posteriores non pertinere; cum Singidunum, sive Pannoniæ eam urbem tribuas, sive Mœsiæ Superiori, de quo alibi dictum est, inter pacis conditiones Constantino obvenerit, una cum iis provinciis, quæ sub ejus præsidio ab omni metu immunes esse, & Christiana religione efflorescere mirum in modum cœperunt. Igitur ad ea tempora utriusque Martyris certamen rejicias omnino oportet, quibus ante Galerianum pro nostris decretum Licinii primo efferbuit impietas, atque sævities cum cæteris ejusdem sceleris, imperiique collegis in omnem crudelitatem effusa ab an. Ch. 307. ad pacem Ecclesiæ a Galerio redditam an. Ch. 311., quod intra annorum spatium putamus, horum Martyrum cædem esse concludendam, vel cuivis e quatuor anno, vel 309. cum Tillemontio illam adscripseris: cumque eo tempore Licinius certe Imperator fuerit, qua de re anceps Bollandus quodam quasi scrupulo ab hac opinione sese abstinuisse videtur, ejusdem fautorem illum, ac testem nobis liceat asserere, quo majus sententiæ nostræ accedat auctoritatis momentum: *Potuit*, inquit enim citato in loco, *hæc sanctorum cædes esse commissa, antequam cum Constantino amicitiam iniret Licinius, cum solum Cæsar esset: ast in Actis diserte Imperator dicitur*; eodem autem anno 307. Licinius primum Cæsar, deinde Augustus III. Id. Nov. fuerat Carnuti renuntiatus.

quos justa demum persecutio subsecuta est an. 319.

ad primum Liciniani

imperii quadrienium hocce martyrium revocamus:

Hac absoluta quæstione, nonnulla adhuc contentio existit de loco martyrii, quem perhibent Singidunum fuisse, de quo tamen dubium movet Tillemontius Tomo 5. Monum. Eccl. not. 45. de persec. Diocl. Namque si, quadripartito totius imperii regimine, Rhætiæ, Pannoniæque provinciæ, quæ Severo ante obtigerant, in Licinii partem cessere, quænam huic in illa urbe auctoritas, quæ intra Mœsiæ Superioris fines constituta Galerii suberat potestati? quapropter alius Martyrum certamini locus quærendus, urbs alia Licinii dominio subjecta. Verum cum certi non essent, neque immutabiles Provinciarum limites definiti, & in summa illorum temporum, rerumque perturbatione novæ identidem fierent partitiones, minime constat, Singidunum in Pannoniæ, Mœsiæque finibus situm alterutri potius esse concedendum; & illa dubitandi ratio tanti esse non debet, ut Singidunensi civitati suos Martyres, suumque hoc decus sane eximium denegemus. Quid vero? si Galerius, dum Sardicam profectus est an. 310., ut denuo bellum adversus Maxentium moliretur, Superiorem quoque Mœsiam, unaque Singidunum Licinio aliquandiu permisit. Præterquam quod, ut Imperatores ii nefario studio, & immani animorum conspiratione in perniciem Christiani nominis, interitumque consenserant, ita mihi valde verisimile fit, exercendi in Christianos judicii mutuam sibi singulos in alieno quoque dominatu potestatem retinuisse, si forte illi adessent aut itineris, aut rerum publicarum causa, quo nullus uspiam locus, nullum unquam tempus, facultas nulla ab intentato religionis nostræ excidio eorum crudelitati, libidinique deesset: unde fieri facile potuit, ut Licinio Singiduni commorante in ditione Galerii, beatissimi Martyres ad ejus tribunal producti, ejusdem jussu supremo afficerentur supplicio. At enim eorum obitum, atque martyrium Singiduni non constituitur ab Actorum scriptore, qui solummodo tradit, utriusque corpora deserto in loco fuisse reperta XVIII. ab urbe stadia remoto; quod controversiam omnino dirimit, inquit Tillemontius; si propterea dicamus, utrumque Martyrem ad

quod tamen Singiduni fuisse confectum defendimus

contra Tillemontii opinionem;

Digitized by Google

Pannoniæ fines in Istrum quidem demersos, indeque jam exanimes secundo fluminis cursu in vicinam Mœsiam abreptos prope Singidunum constitisse. Inepta tamen conclusio est, quæ recte nequit ex Actis deduci, cum adhuc incerta sit loci positio, ubi duo corpora in vado fluminis hæserunt, ultra ne Singidunum Pannoniam versus, an citra, & ex parte adversa. Nonne pro urbis conspectu in flumen projici potuerint, & cum retibus essent inclusa, objectis sæpe dumorum, virgultorumque e ripa prominentium impedimentis adeo contra aquarum impetum hic illic detineri, ut toto triduo modicum sane XVIII. stadiorum spatium percurrerint? Equidem mihi persuasum est, illa argumenta satis non esse ad probandam Tillemontii opinionem; & Romani Martyrologii testimonium lubens amplector, quo unice fretus verius existimo, Hermylum, & Stratonicum vitam pro Christi religione Singiduni profudisse. Nam de Galesinio solliciti non sumus; cui profecto necesse est, vel exiguum Istri rivulum, detorto violenter amne, in Græciam derivare, ut probet, hosce Martyres fuisse ibidem ab Istri aquis peremptos, atque sublatos.

Restat de Actis judicium, quorum exemplar a Surio primum Latine editum, dein a Bollando ad Græci codicis fidem magis emendatum, & Tomo I. Januarii insertum est hac die mensis decima tertia. Duo autem

Acta vero nec genuina esse,

sunt, quæ in iis præcipue animadvertas: primum illud est, Acta non esse quidem Proconsularia cum horum formæ repugnet inanis illa verborum, sententiarumque elocutio, qua sunt adeo hæc nostra infuscata, ut posteriorum temporum fœtum esse pro ingenio scriptoris conceptum merito affirmemus, qui genuinam forte hujus martyrii nactus historiam nihil pensi habuit, integrum sacræ antiquitatis monumentum pigmentis, fucoque illitum, atque adulteratum posteritati obtrudere. Illud deinde certum est, pervulgata

nec a Metaphraste conscripta.

hæc Martyrum Acta non esse a Metaphraste conscripta, ut Surius existimavit Codicum inscriptione fortasse deceptus. Hoc Leo Allatius probe cognovit, & in libro de Simeonum scriptis, Metaphrastis opera, Divorum præsertim historias ab illo descriptas, critico, quo pollebat, acumine a falsis, dubiisque accurate discernens, tum in catalogum referens, martyrium Hermyli, atque Stratonici, tamquam suppositititium auctoris opus, explosit; ejus vero judicio omnis habenda fides, quippe qui natione Græcus Græcarum rerum eruditionem apprime calluit. Idem autem præstiterunt Allatium secuti tum Hanckius part. 1. de Script. Byzant. cap. 24., tum Guillelmus Caveus in Bibl. Eccl. ad an. Ch. 901. Quocirca Joannes Bollandus considerate quidem vel suopte, vel Allatii examine nitens in titulo Actis præfixo admonuit, eadem e Metaphrastis libris desumpta, Anonymo tamen auctori esse tribuenda; qui, ut ego reor, Metaphrastis ævo suppar, & huic gente æqualis hoc opusculum Græco sermone exaravit. Cæterum, cum nihil in hisce Actis fabulosum, aut commentitium deprehendas, nihil, quod non religionis, atque pietatis justam commendationem obtineat, sua sunt approbatione dignissima; immo, utpote Menæorum testimoniis valde conformia, eamdem cum illis sibi jure vindicant auctoritatem. Atque hæc hactenus pro liberanda fide, qua memet initio obstrinxeram, ut de singulis, quæ criticæ inquisitioni erant obnoxia, enucleate dissererem. Acta modo e Bollandiano exemplari subjiciam cum Suriano collata, & notationibus instructa.

ACTA AB ANONYMO AUCTORE CONCINNATA.

„ QUÆSTIO I. (1)

„ In Hermylum: malæ ei converberatæ.

„ Impio imperante Licinio, & magnum (2) 2
„ circa idola studium adhibente, ut ea honc- Persecutio Licinii.
„ rarentur sacris, & sacrificiis, impendebat
„ mors gravis omnibus Christianis, civitates-
„ que propter ipsos indagabantur, & regiones,
„ vicique, & agri, (3) & familiæ curiose per- 3
„ quirebantur: & quicumque Christianum unum
„ deferebat ad Imperatorem, videbatur is esse
„ ei benevolus, & dignus maximis honoribus.
„ Quocirca & ipse, & quicumque ei suberant,
„ hac in re magna utebantur diligentia: cum
„ ille quidem variis diis, hic vero Imperatori gratificarentur impio & scelerato.
„ Ad hunc ergo Licinium aliquando in sublimi sedentem tribunali accedit quidam ex
„ ordine militari, divinum deferens Martyrem: S. Hermylus defertur,
„ Est, dicens, vir quidam Hermylus nomine,
„ qui ordinem obtinet Diaconi, qui jamdu-
„ dum quidem (4) ritus colit Christianorum, 4
„ deos autem, & te subsannat, & nihili fa-
„ cit, o Imperator. Hæc cum audiisset Licinius, non distulit, nec (5) rejecit, sed iis, 5
„ qui aderant, (6) mox præcepit, eum, ubi- 6
„ cumque esset, comprehenderent, & ad tribunal adducerent. Atque illi quidem cum in
„ omni loco scrutati essent, & eum alicubi
„ orantem, & sanctas manus tollentem com-
„ prehendissent, ei significant jussum Imperatoris. Is vero statim alacer alacres est secutus, nihil ignavum nec molle adspectu præse-
„ ferens, quibus ex rebus manifesta fit animæ
„ affectio; sed gaudens potius, & magna repletus voluptate, quod propter Christum pas- 7
„ surus esset. (7) Imperatori ergo se stitit. sistitur Licinio,
„ Ille vero, Responde, inquit, & aperte significa; An te Christianum fateris esse, sicut audivimus? Hic vero, Non solum hoc,
„ inquit, cum præclara sententia, & voce confiteor; sed etiam, quod Deo, qui sub visum
„ non cadit, sum consecratus, & ei assisto, ut
„ qui illius factus sim Diaconus. Imperator autem volens se ostendere urbanum & valde ingeniosum, Ergo te, inquit, diis diaconum,
„ hoc est, ministrum exhibe. Martyr ergo in
„ risum vertens ejus promptum & versatile re-

„ spon-

Digitized by Google

„ sponsum, Videris, inquit, mihi esse surdus, „ o Imperator, aut etiam stultum agere. „ Dixi tibi, me ministrare Deo, qui non „ cadit sub adspectum: non autem horum, „ qui videntur, aut potius ne vident quidem, „ esse Diaconum; quos ipse, ut qui falleris, „ perinde ac Deos colis, cum sint lapides & „ ligna omnino inanima, & surda opera ma- „ nus humanæ, & quæ iis qui sapiunt, sunt „ potius ridenda, quam adoranda.

„ Non tulit Imperator dicendi libertatem, „ sed statim quibusdam instrumentis æneis, „ ad sumendum supplicium confectis, jubet „ genas quidem verberari Martyris, præconem
cæditur. „ autem hæc proclamare: Ne sis lingua ni- „ mium profusus, o Hermyle, honora Impe- „ ratorem, diis sacrifica, & liberare a supplici- „ cio. Is autem, etiamsi sic verberaretur, pe- „ rinde ac si nihil subiret molestum, contra „ Tyranno etiam exprobrabat imbecillitatem, „ ut qui dubii perplexique esset animi, & „ plane victus, & ideo non secus ac ii qui „ sunt pusilli & abjecti animi, ex ira inferret „ supplicium. Deinde etiam clariori voce utens, „ Plagas, inquit, quæ nunquam desinunt, & „ divinas experieris, quod eo, qui te fecit, „ relicto, surdis & mutis diis attendis; & „ quod est gravius, aliorum veluti saluti invi- „ dens contendis ad eumdem trahere interitum.

„ Postquam autem visum est Imperatori suf-
traditur in carcerem, „ ficere supplicium, & ira aliquid remisit de „ nimia acerbitate, tradit Martyrem carceri, „ & tres dies jubet in eo manere, Fortasse, „ dicens, ducetur pœnitentia vanæ suæ perti- „ naciæ. Martyr itaque abiens in carcerem,
8 „ psallebat, (8) Dominus mihi adjutor, non ti- „ mebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi „ adjutor, non timebo quid faciat mihi ca-
9 „ ro. Jam autem ingrediens custodiam, (9) „ Qui pascis Israel, dicebat, attende, qui dedu- „ cis velut ovem Joseph. Qui sedes super Cheru- „ bim, manifestare, & veni ad nos servandos. „ Sed sic quidem Martyr, & sic quæ erant „ gravia & molesta, propter Christum pati „ voluit. Christus autem quomodo se habuit? „ Num famulum contempsit? Num illo patien- „ te, neglexit ipse consolationem? Et quomo- „ do fuerit hoc nostri Dei, benignitatisque, & „ clementiæ, quæ superat omnem cogitationem? „ Non ergo defecit opem ferens, sed etiam
ab Angelo confortatur. „ incitavit ad animi fortitudinem, & ad eum „ Angelum mittit consolatorem, dicentem: „ Hermyle: esto bono animo, & noli time- „ re: loquere, & noli tacere: decerta, & no- „ li timere. Mox enim vinces Tyranni ma- „ chinas, & desuper feres præclaram coronam „ martyris. Sic Deus armat potius adversus „ tyrannum, qui non apparet. Sic accingit
10 „ virtute, & docet quidem (10) manus ad „ bellum, dat arcum autem æneum: ponit „ brachia, & clypeum salutis.

„ Quæstio II.

„ Virgis cæditur.

„ Post tertium certe diem, cum tribunal „ ascendisset Licinius, protinus divino ad- „ ducto Hermylo, Num modo, inquit, sta- „ tuisti diis sacrificare, & ab imminentibus „ terroribus minisque & periculis liberari? „ An adhuc, inquit, fereris per præcipi- „ tium, & eadem rursus te cepit amentia? „ Ad hæc fortiter admodum Christi miles, „ & pro dignitate ejus, qui illum armave- „ rat, Semel, inquit, dixi tibi, o Impera- „ tor, & oportet contentum prioribus, de „ iisdem non movere amplius. Est enim mi- „ hi Deus in cœlis, cui soli vivo, & cui „ mox meipsum hostiam offerre propero: & „ a quo spero maximum mihi venturum au- „ xilium. Videam ergo, inquit Imperator, „ an is, qui cœlos habitat, satis tibi affe- „ ret auxilii. Statimque jussit, & viri sex „ raptim, quod jussi fuerant exequentes, „ viri manibus robusti, immites, & crude- „ les animo, cædem & furorem spirantes, „ cum humi Martyrem extendissent, virgis „ cædebant crudelissime. Atque illi quidem Cæditur virgis. „ sic faciebant, mortali regi servientes. Mar- „ tyr autem, perinde ac si nihil haberet „ commune cum carne, quæ sic patiebatur, „ neque dolorum ullum sensum caperet, in- „ trepide, & quiete perseverabat in oratio- „ ne, & Deo attendebat. Hæc autem erat „ oratio.

„ Domine Deus meus, qui propter me „ sub Pontio Pilato flagella & plagas tole- „ rasti, ipse me rursus propter te patien- „ tem confirma, ut possim cursum præsen- „ sem perficere, ut cum socius fuero perpes- „ sionis, dignus quoque sim, qui splendoris „ efficiar socius. Et talis quidem fuit ejus „ oratio, vox autem protinus audita est de- Voce cœlesti confirmatur. „ super, dicens: Amen, Amen Hermyle, „ post tres dies liberaberis a præsentibus mo- „ lestiis: præclaras autem & magnificas acci- „ pies præsentium laborum remunerationes. „ Et vox quidem Martyri magnam attulit „ audaciam & animi fortitudinem; lictori- „ bus autem magnum incussit timorem: o- „ mnesque repente in terram procidentes „ tremebant & trepidabant, adeo ut nec ipse „ Imperator, nec ulli alii fuerint immunes „ ab animi perturbatione, sed omnes ex æ- „ quo moti fuerint: etiamsi ille præ impie- „ tate cæcutiens & gravissime furens, noluit „ intelligere ut bene ageret, (11) nec ma- 11 „ litiam odivit, ut dicam cum divino Da- „ vide, nec ulla Dei (12) hæc facientis mi- 12 „ racula, vel minimam accepit notitiam: „ sed in carcerem rursus obscurum & tene- Reducitur in carcerem. „ bricosum lucisque expertem tradidit Mar- „ tyrem.

„ Sed mentem adhibere oportet orationi, „ & Dei sapientiæ arcanum intelligere. Hinc „ enim proficiscitur id, quod est orationi „ jucundissimum, & est athletæ conjunctu- „ rum commilitonem. Is enim, cui in cu- „ stodiam fuerat Sanctus creditus, & qui „ curam gerebat carceris, erat ei valde ami- „ cus & familiaris. Quis ille? Stratonicus il- „ le sapiens, qui videbatur quidem eadem „ sentire quæ amicus, & esse in religione

„ ejusdem sententiæ, nondum audebat pietatem libere profiteri, neque Joseph (13) occultam superaverat disciplinam; se amici tamen misereri, & ejus ægre ferre cruciatus, ostendit multorum oculis. Sed de Stratonico quidem illo sapiente in præsentia dicere differamus, ea enim persequitur oratio, quæ ad divinum pertinent Hermylum, nec patitur eorum abrumpi consequentiam.

13 Stratonicus ei compatitur.

14 (14) Martyr ergo Hermylus ingrediens carcerem, hæc opportune canebat & prudenter: Dominus illuminatio mea, & Salvator (15) meus, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Dum appropinquant super me nocentes, ut edant carnes meas; qui tribulant me & inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Si consistant adversus me castra, non timebit cor meum. Si insurgat adversus me bellum, in hoc ego sperabo. Sic dixit: & statim lux mirabilis desuper in illum erumpit ad confirmandum id quod canebatur: & vox rursus illinc est audita, jubens athletam bono esse animo, & psalmum similiter confirmans, & sicut erat ei pollicitus, post tertium diem finem esse venturum.

15

Hermylus luce, & voce cœlesti animatur.

„ Quæstio III.

„ Rursum cæditur, unaque Stratonicus.

„ Sequenti autem die cum procedendum esse significaret Licinius, & præsedisset in tribunali, proclamari jussit per præconem, ut duceretur Hermylus. Ille vero læto animo ductus est, lætis oculis, & cor habens plenum voluptate, externus enim adspectus hoc aperte significavit. Subridens autem & caput movens Licinius, & veluti Sanctum aperte ludificans, Age, inquit, quam tibi conducibilis fuit illa obscura custodia? Quomodo hoc quod intercessit spatium tibi revera attulit aliquam sententiæ mutationem, & persuasit jussis cedere Imperatoris, & diis reddere ea, quæ debentur? An adhuc nobis opus erit tormentis adversus tantam tui cordis duritiem? Martyr autem, Mihi quidem, inquit, tetrum illud & tenebricosum domicilium magnam lucem conciliavit: & nunc mea versatur anima in tranquillitate, & voluptate, & inexplicabili illuminatione, quæ futuri mihi spem bonam porrigit. Ego autem valde miror, quemadmodum, quæ in te habitant tenebræ, nullam suscipiunt mutationem: sed semper profundæ & concretæ insident tuis animæ oculis, quæ nequaquam sinunt adspicere veritatem. Cum tam aperte impietatem Imperatori exprobrasset, Licinius illi vehementer, & cum magna respondens acerbitate, Nihil aliud, inquit, ut videtur, didicisti, nisi solummodo appetere contumeliis: quod quidem est linguæ intemperantia, & animæ audacia, &, ut semel dicam, amentia. Sed tamen responde, & dic aperte: Diis ne sacrificabis, & nobis cedes sic imperantibus, an tecum agere oportet, ut mereris? Christi autem Martyr Hermylus, Habes, inquit, responsa, o Imperator, & nihil eorum a nobis amplius audiveris: fac deinceps quod velis, & exsequere ea quæ statueris. His ira percitus Licinius, jubet eum porrectum supinum virgis figura triangulis in ventre verberari. Et erat quidem hoc grave tormentum, & corporibus humanis minime tolerandum. Anguli enim virgarum, non secus ac quidam enses, carnes vehementer tangebant. Sed Athletæ etiam cum verberaretur tam immisericorditer, unum erat solatium, nempe Christum fixis oculis adspicere: unum benignum medicamentum, preces, quas ad illum fundebat, quas plagis jucunde adspergebat: Domine ad adjuvandum me festina. Ille vero cito ei adfuit, & faciens ut ferret dolores facilius, & annuntians ejus consummationem. Imperator igitur, ut qui esset irritatus eo quod non pareret, & egregiam illam athletæ pro pietate constantiam existimaret esse suæ contemptum patientiæ, manebat adhuc puniens, & vi se ei persuasurum arbitrans. Quocirca jussit ejus ventrem perfodi aquilarum unguibus, Donec suis, inquit, oculis sua videat intestina. Propter quæ dixit Martyr: Cor meum, & caro exultaverunt in Deum vivum. Sicut ex adipe & pinguedine (16) repleta est anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Et hæc quidem sic. Quæ autem sunt deinceps consecuta, quomodo?

Virgis trigonis verberatur.

Divinitus recreatur.

Tortus exultat.

16

Iterum intrepide tyranno respondet.

„ In animo quidem habebat Tyrannus rursus in custodiam dare athletam, ut eum deinde puniret acerbius. Egregius autem Stratonicus (jam enim postulat oratio, ut ad finem deducam promissum) cum videret Hermylum sic patientem, nec ei posset omnino opem ferre, faciebat id quod poterat, amici miserebatur, & acerbum dolorem capiebat, vultusque ejus concidebat, & ex ejus oculis guttatim profluebant lacrymæ. Quo factum est, ut cum sic se haberet, non potuerit latere: sed cum quidam ex commilitonibus eum tristem vidissent & mœrentem, & causam rei deprehendissent, ad Imperatorem accedentes, Stratonicus, inquiunt, o Imperator, Stratonicus custos carceris, aperte ostendit se erroris & Christianismi societatem habere cum Hermylo. Videtur enim ejus misereri, & magnum ejus causa nutrire in animo dolorem. Ille vero cum statim accersivisset Stratonicum, rogavit an esset amicus Hermyli. Discipulus autem veritatis minime est mentitus, nec sustinuit ignavam, & pusilli abjecti animi pietatem apud se occultare. Sed tempus esse arbitratus, ut hæc Dei otiosa cognitio prodiret ad opus, & magnum sibi pararet fructum

Lacrymis proditus Stratonicus.

Christum confitetur.

„

„ ctum per confessionem, se esse amicum Hermyli, & Christianum protinus est confessus, & eos qui colunt simulacra (17) amentes judicare. Timeo enim, inquit, ego solum Deum, qui fecit cœlum & terram.

Flagellatur atrocissime;

„ His commotus Imperator jubet eum gravissimum subire supplicium. Id autem erat, ut ex illis virgis plagas nudo toto corpore acciperet, atque eousque, donec ipsa vox eum deficeret. Et sic quidem Licinius. Martyr autem etsi esset tot malis implicatus, amicum fixis adspiciebat oculis, & eum in auxilium vocabat, eoque utebatur ad Christum intercessore, dicens: Hermyle, ora pro me Christum, ut cum erga ipsum firmam ac stabilem servavero confessionem, possim facile superare tyranni insidias. Interim autem ipsum quoque deridebat Licinium, cæcis diis sacrificare

18 prohibens, & (18) veri Dei vindictam ei intentans, in cujus manus incidere, vere terribilem habet perfectumque interitum.

„ Licinius autem cum vidisset S. Stratonicum satis saucium, (19) parcit eum am-

19 plius punire. Parcit: non sensu humanitatis, aut propenso ad misericordiam animo, sed ut locum daret pœnitudini, cum eum prius tormento terruisset. Et ideo eum in præsentia tradidit in custodiam. Ille vero etsi esset in custodia, J sum ducebat suam esse consolationem, & cum eo

voce divina corroboratur.

per preces colloquebatur, Domine, dicens, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. (20) Fer opem nobis, Deus Salvator noster, propter gloriam nominis tui. Et simul vox divina est consecuta, dicens: Cursum consummavistis, fidem servastis. De cætero reposita est vobis corona justitiæ, quam cras accipietis.

20

„ Quæstio IV.

„ Ambo submerguntur.

„ Cum autem jam esset dies, adductum Hermylum rursus interrogavit Licinius, an diis sacrificaret. Ille autem, Eadem, quæ prius, inquit, o Imperator, do tibi nunc responsa. Quamobrem ure, puni, scinde, fac de me quidquid tuo insederit animo. Didici enim non timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Hæc cum audivisset Imperator, & desperaret fore omnino, ut Sanctum in aliam traduceret sententiam, eum suspendit in ligno, & jubet dure concidi. Sed etsi ejus carnes tam acerbe scinderentur, non ignorabat undenam esset salus justorum, nempe quod a Domino, & quod est eorum defensor in tempore afflictionis. Et ideo, Esto mihi adjutor Domine & Redemptor, dicebat assidue, & perinde ac si videretur aliquem desuper audire dicentem, Noli timere: sum enim tecum, & Deus tuus ego sum.

Hermylus rursus conciditur;

„ Veritus ergo Licinius, & ex auditione veluti conturbatus, ex ligno deducit Martyrem, & eum condemnat, ut in Istro fluvio intereat, jubens ut in eum jaceretur: stultus fortasse arbitratus, quod sic passus Hermylus omnino interiret, & nec venerabilis quidem ejus corporis futura esset inventio. Ad ipsum autem adducto Stratonico, visus est suggerere, & admonere ea quæ essent utilia. Crede, inquit, mihi, o miser, crede, & diis velis sacrificare, ne tu eadem quoque patiaris, quæ amicus, & ambo subeatis eamdem pœnam contumaciæ. Respondens autem Stratonicus, Revera, inquit, miser fuerim, si tibi parens, cum ille sit mortuus propter Christum, ipse velim vivere. Licinius autem, Quid ergo? Vis mori cum Hermylo? Maxime quidem, inquit divinus Stratonicus. Etenim, inquit, si oportet amicos communes habere calamitates, oportet omnino eos quoque bonis frui communiter. Quid autem nobis fuerit jucundius, aut honorificentius, quam pati propter Christum? Propter quæ, cum desperasset Imperator fieri posse, ut persuaderet Stratonico, similem quoque in eum fert sententiam, & eodem fine utrumque condemnat: quos etiam revera par finis excepit, communisque beatitudo & exultatio,

& in Istrum jubetur projici

una cum Stratonico

„ Ad mortem itaque ducebantur Martyres, dicentes: (21) Gloria in altissimis

21

Deo: & in terra pax, in hominibus bona voluntas: qui quidem est hymnus conveniens iis, qui sunt bonum aliquid consecuturi: non eorum, qui deducuntur ad mortem, aut ad aliquam aliam causam tristitiæ. Postquam autem jam pervenissent ad fluvium, in rete injecti ab iis, quibus hoc datum erat negotium, transmittuntur in profundum. Cum suscepisset autem fluvius corpora Sanctorum, & quanto oportuit fluento esset sanctificatus, ea rursus tradit manibus fidelium: ut qui talem, quemadmodum arbitror, thesaurum apud se diutius abdere non sustinuisset, & tanti boni jactura afficere Christianos, cum prima eorum non apparuisset bonitas. Tertio ergo die postea, in loco deserto jacientia, visa sunt corpora Martyrum: in quæ cum incidissent quidam viri pii, & quorum erat officium venerari corpora Sanctorum, & ea optantibus manibus pie ac religiose suscepissent, & sacros hymnos cecinissent, & quæcumque mos est Christianis, peregissent; in quodam loco, qui octodecim stadiis abest a civitate Singedone, ea simul deponunt, ut eis essent omnia communia, & amica in Christum confessio, in carcere habitatio, in flumine demersio, (22) superna quies, in uno loco corporum depositio; gratia & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu gloria, potentia, honor & adoratio, nunc & in sæcula sæculorum. Amen.

Merguntur in fluvium

Emergunt eorum corpora,

& sepeliuntur.

22

NQ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1 Hæc Actorum in *Quæstiones* divisio abest ab exemplari Suriano.

2 *Cineæ idola* deest in Surio, &

3 *Et familiæ*.

4 Sur. *abhinc observat, & ritus colit Christianorum*.

5 *Protelavit* in Sur.

6 Sur. *statim jussit, ut eum ubicumque esset comprehenderent*.

7 *Imperatori ergo se stitit* abest a Sur.

8 Ps. 117. sed hic versiculus tum a vulgata Latina discrepat, tum a Græca communi dictione; quæ sunt hujusmodi; *Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor; & ego despiciam inimicos meos*.

9 Ps. 79.: in vulgata legitur: *Qui regis Israel, intende*: Græca tamen vox προσχες utrumque sonat, *intende*, & *attende*. *Et veni ad nos servandos*, juxta Græcam locutionem καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ σῶσαι ἡμᾶς: in vulgata editione; *& veni, ut salvos facias nos*.

10 Sensus hic Ps. 143. vers. 1. non autem verba; porro scribendum est, *ponit brachia ut clypeum salutis*.

11 Sur. *noluerit intelligere, ut bene ageret: nec vitium est aversatus*. In Latina versione vulgata legimus; *noluit intelligere, ut bene ageret*; Græca dictio est, *bene agere: Malitiam autem non odivit; malitia* aptius, quam *vitium*, juxta Græci vocabuli κακία significationem; ita in Ps. 35. v. 4. 5.

12 In Sur. *ejus, qui hæc faciebat miracula*.

13 Josephum forte ab Arimathæa designat, qui Joan. 19. vers. 38. dicitur *discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum*.

14 *Martyri ergo Hermylo ingredienti carcerem, hæc opportune canebantur, & prudenter*. Sur.

15 Ut in Græcis Bibliis Ps. 26. καὶ σωτήρ μου; in vulgata Latina, *& salus mea*. Rursum, *dum appropinquant super me nocentes*; versio vulgata præfert, *dum appropiant*: dein, *qui tribulant me & inimici mei*, dictio est Græcæ elocutioni omnino conformis, οἱ θλίβοντές με καὶ οἱ ἐχθροί μου; nam in vulgata editione legimus, *qui tribulant me inimici mei*; &, *si exurgat adversum me prælium*, aliter ac versio in Actis usurpata; *si insurgat adversus me bellum*.

16 Ps. 62, & Græcæ consonat dictioni; ὡς ἐκ στέατος καὶ πιότητος ἐμπλησθείη ἡ ψυχή μου; editio autem Latina sic vulgo vertit; *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*.

17 Sur. *magnæ condemnat ignorationis*.

18 In Sur. *& veri Dei vindictæ ei terrorem incutiens*.

19 *Persit eum amplius punire: non quod humana mens & clemens animus eum moveret ad misericordiam, sed ut locum daret ei pœnitentiæ*. Sur.

20 Ps. 78. ad Græcam versionem, Βοήθησον ἡμῶν ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ἕνεκεν τῆς δόξης τοῦ ὀνόματός σου. In vulgata enim Latina legitur, *Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui* &c.

21 Ita in Græcis Bibliorum editionibus: δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία: Latina vero vulgata versio est hujusmodi; *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

22 Sur. *supernæ gloriæ consecutio*.

Hæc Martyrum Singidunensium monumenta testantur, quo fidei ardore Ecclesia ista flagraret ad hæc usque tempora, suorum Antistitum exemplo ac voce animata; e quibus quin aliqui exstiterint, dubium esse nequit, Dolendum, eorum nomina & acta excidisse, sed multo magis suffectos illis postea fuisse, qui hunc Christi gregem sanctissimum vitiis fœdarent, & Ariana hæresi discerperent crudelissime, Ex his

URSACIUS EPISC. SINGIDUNENSIS I.

Ursacius Episc. Singidunen. an. circ. 335.

Valentis Mursæ Episcopi impius collega, consiliarius, adjutor, omnium scelerum socius, cujus facinora, quæ in Valente descripsimus, cum eo prorsus communia, huc revoca. Cum mortuo Constantio Imp. deferbuisset in Catholicos furor Arianus, nihilo tamen minus Ursacii perfidia pro Ario qua poterat vi & arte decertabat, ac Semiarianos in suas partes pertrahere conabatur, præsertim suum Metropolitam Germinium, de quo suspicio & illi, & Valenti inerat, ipsum ab Arianis castris omnino defecisse. Vide dicta in Episcopis Sirmiensibus.

Ut igitur illum compellerent ad expromenda sui animi sensa absque ulla vocum ambiguitate, miserunt cum litteris Jovianum Diaconum, & Martyrium Subdiaconum, qui illius sententiam explorarent. Nihil ad rem Germinius respondit; sed cognita ex relatoribus ejus hæsitatione, seu potius in Semiarianum dogma propensione, facto Singiduni conventu quatuor Episcoporum Ursacii, & Valentis, atque ignotæ sedis Gaji & Paulli, qui Singidunense Conciliabulum dictum est, Germinio rursum scripsere; meminisse vellet, quam Fidem Arimini professus fuerit; ab ea ne deficeret, neque in Basilii Ancyrani *perfidam assertionem* concederet; testaretur præterea, *dixisse* se nunquam, nec *dicere*, nec modo ullo *dicturum* in posterum, *similem esse per omnia Patri Filium, excepta innativitate*; quæ locutio Semiarianorum tessera erat. Litterarum exemplar profero; datæ vero sunt XV. *Calendas Januarias, Gratiano et Dagalaiso Coss.* qui Consulatus cohæret cum an. 366.

Conciliabulum Singidunense an. 366.

Domino Religiosissimo Fratri Germinio Valens, Ursacius, Gajus et Paullus S.

Hujus litteræ ad Germinium Ep. Sirm.

Cum de spe & salute sollicitudo incumbit, magis laudandi esse debent, qui solliciti sunt,

quam

Digitized by Google

quam reprehensionem aliquam sustinere. Salus autem ac in principaliter spes fide Catholica consistit. Et ideo quamvis conventione a Dominis nostris fratribus & Coepiscopis nostris Valente & Paullo admonita noluerit ad id, quod rumor jactitat de te, respondere, Domine religiosissime; tamen quia litteris tuis testificatus es, te in eadem caritate perseverare, & paratum esse illibatam dilectionem erga nos ostendere, propterea in unum apud Singidunum congregati iterum bis commonefacimus Sanctitatem tuam, ut omni occasione ambigui exclusa, digneris rursus rescribere nobis, si a
1 *fide Catholica, quæ Arimini* (1) *a sancto Concilio exposita, confirmataque est, cui etiam universi Orientis Episcopi consenserunt, sicuti*
2 *jam professus* (2) *es te non recessurum, apertius quæritur significes. Est autem hoc, sicut*
3 *in ea cautum est;* (3) Similem dicimus Patri Filium secundum Scripturas, *non* secundum substantiam, *neque* per omnia, *sed absolute. Si enim hæc expositio immutata fuerit, manifeste*
4 *quondam* (4) *Basilii perfida assertio, propter*
5 *quam Synodus* (5) *facta est, qua etiam merito damnata est, reparabitur. Dignare igitur hoc, quod quæritur, evidenter litteris tuis declarare, non dixisse, aut dicere, vel dicturum, si-*
6 milem esse per omnia Patri Filium, (6) excepta innativitate; *ne quod perlatores litterarum Jovianus Diaconus & Martyrius Subdiaconus verbo deprecationis suæ ante prædictos Domines Fratres & Coepiscopos nostros Valentem & Paullum asserebant, magis credibile esse videatur, quia per omnia similem es-*
7 *se Patri Filium* (7) *profitearis.... Hæc per Secundianum Presbyterum, Pullentium Lectorem, & Candidianum Exorcistam transmisimus Caritati tuæ XV. Calendas Januarii Gratiano Nobilissimo Puero & Dagalaiso Conss. exemplum penes nos retinentes.*

NOTÆ.

1 Intellige Ariminense Conciliabulum, quo Ariana blasphemia confirmata fuit. Vide facinus in Valente Ep. Mursensi.

2 Germinius nimirum & ipse cum Valente & Ursacio illius impietatis auctor fuerat.

3 *Secundum Scripturas*, inquiunt, in quibus ὁμοούσιος vocabulum non legitur expressum; hinc illis ansa negandæ Filii *consubstantialitatis* cum Patre, & Fidei Nicænæ rejiciendæ; cum Semiariani, additis verbis *per omnia*, propius Catholicis accedebant, ὁμοούσιον tamen Filium constantissime negantes. Videntur tamen *Consubstantialitatem* Nicænam probasse in Concilio Antiocheno an. 363.; & hinc locutio illa, qua Filium Patris similem affirmabant, *secundum substantiam*. Vide Petavium lib. 1. de Trin. cap. 13. num. 8. & lib. 2. cap. 11. & ac l. 4. cap. 6. l. 6. cap. 5. ubi de catholico & hæretico sensu hujus vocis *similis* & *similitudinis* disserit.

4 Basilius Ancyræ Episcopus Semiarianæ hæresis auctor & fautor, quæ Filium ὁμοιούσιον similem Patri docebat, unde *Omiusiani* dicti. De illo Petavius lib. 1. de Trinit. cap. 10. num. 1. qui fatetur horum hæresim valde obscuram, neque ipsis Patribus probe cognitam fuisse. Hinc & ab Athanasio, & ab Hilario lenius cum illis agitur; *Fratres* appellantur, quippe qui de solis vocabulis visi cum Catholicis litigare. Vide & Epiphanium hær. 73.

5 Conciliabulum Ariminense non Basilii ejusve hæresis causa coactum revera fuit, sed ut Occidentales Episcopi in Arianam sententiam partim vi, partim dolo traherentur; quod & inique effectum est; quam ob causam necesse erat, ut & Semiarianorum formulas & locutiones anathemate configerent, quas Ariani suis adversarias dogmatibus exsecrabantur.

6 Una hæc erat ex Semiarianis formulis; de vocibus autem *nati* & *innati*, *geniti* & *ingeniti* vide eumdem Petavium docte & erudite pluribus in locis Operis de Trinit. disserentem.

7 Similem esse Filium Patri *per omnia*, idem erat Semiariano sensu ac similitudo *essentiæ* atque *substantiæ*, quæ vocabula Ariani exhorrebant; ὁμοιούσιον vero κατὰ πάντα, *similem esse per omnia* plurimam habet eum ὁμοουσίῳ id est *Consubstantiali* affinitatem; sed nunquam Semiariani id aperte professi sunt. V. lib. 4. cap. 6. Petavii laudati.

Hisce litteris nihil omnino respondit Germinius; & ex iisdem cognoscimus, qua animi obstinati impudentia Arianum dogma fueri, & nutantem sectam pro viribus fulcire adnisus sit Ursacius; qui demum eadem, ac Valens, damnatus sententia a Pontifice Damaso an. 369., & e Sede dejectus, quo loco, quo anno incertum, nefariam vitam finivit. Ursacii obitus.

SECUNDIANUS EPISCOPUS SINGIDUNENSIS II.

Is, qui hujus Ecclesiæ Presbyter a Singidunensi Conciliabulo missus est ad Germinium Sirmiensem Antistitem cum litteris paullo superius allatis. Videtur huic Sedi præfectus an. 370. ab Ariana factione; homo & ipse ejusdem fæcis, uti mox dicemus. Nam in Concilio Aquilejensi an. 381. duo in judicium vocati Ariani Episcopi nominantur Palladius & Secundianus, & alter in Dacia Ripensi, alter in Mœsia Episcopatum gessisse dicitur a Patribus Aquilejensibus in epist. ad Impp., iique Palladium Secundiano constanter præponunt. Verba ep. hæc sunt: *Per occidentales partes duobus in angulis tantum, hoc est in latere Daciæ ripensis, ac Mœsiæ fidei obstrepi videbatur*. Quare conjicit non injuria Salagius l. 3. c. 11. Palladium Daciæ Ripensi esse adscribendum, cujus adhuc ignota sedes, Secundianum Mœsiæ, & Ecclesiæ Singidunensi; ac Mœsiæ quidem Superiori, quæ Imperio Occidentali parebat; sed Inferior Orientali; & Gratianus in Occiden- Secundianus Ep. Singid. an. circ. 370.

tem

Digitized by Google

te Imp. Secundianum in concilio sisti jusserat æque atque Palladium, sibi utrumque subjectos. Ac quod ad Ecclesiam Singidunensem spectat, huic verisimilius præfuit, quam alii cuiquam ex episcopalibus ejusdem provinciæ urbibus; etenim Presbyteri dignitas & munus, Arianæ sectæ cum Ursacio communio, ad Germinium legatio nomine Arianorum & Singidunensis impii conventus ante Episcopatum, & hoc adepto pertinax Arianismi professio, & in eo tuendo audacia suadent unum esse eumdemque Secundianum Episcopum hujus Ecclesiæ, qui ante ministerio ibidem fungebatur sacerdotali.

Citatur ad Aquilejense Conc. anno 381.

Hic igitur Ursacii vestigia premens, dum Arianæ impietati acriter, ac liberrime favebat, cum Palladio delatus est apud Gratianum Augustum, qui utrumque Sirmium accersitum jussit Aquilejam proficisci, ubi in Concilio jam indicto caussam dicerent. Viginti adfuere Episcopi præter legatos Gallicanæ & Africanæ Ecclesiæ, viri doctrina & sanctitate illustres; inter hos eminebat S. Ambrosius, qui primas in Concilio partes agebat, cuique præcipue negotium adeo grave videtur Gratianus commendasse; totum vero erat de Palladio, & Secundiano, & hinc de evellendis penitus in Occidentis Imperio Arianis zizaniis. Consederant itaque Patres III. non. Septembris an. 381. cum primum, auditis accusationibus, & adhibitis testibus de criminum veritate cognovissent, Ambrosius proposuit, ut *Acta fierent*, & coram in quæstionem vocatis Palladio ac Secundiano, tum interrogata, tum reorum responsa in publicas tabulas referrentur; *quoniam*, inquit, *omnibus Episcopis placet, ut fiant Acta, ut unusquisque professionem suam negare non possit. Quid ergo vobis, sancti viri, placeat, declarandum est. Omnes Episcopi dixerunt. Placet.* Palladius primus in judicium adductus; cumque de illo quæstio ageretur, *Eusebius Episcopus* Bononiensis *dicit; Etiam Secundianus ad hoc respondeat*, scilicet nobiscum anathema dicat; *cumque Secundianus reticeret, Ambrosius Episcopus dixit;* Qui tacet, integrum vult judicium. Quapropter absoluto de Palladio judicio, eoque Patrum sententia damnato, in Secundianum conversa quæstio est, a qua se quidem subripere nitebatur, sed frustra; & qui fuerit hujus judicii ordo, hic describo ex ejusdem Concilii Actis.

Acta in illum Concilii.

Cum Secundianus subripuisset, Ambrosius Episcopus dixit. Audisti Secundiane, cujusmodi Palladius impiam sententiam sacerdotali Concilio damnatus exceperit; licet nobis displicuerit, quod ejus, hoc est, Palladii non horrueris amentiam, tamen de re aliqua specialiter quæro, Utrum Dei Filium dominum nostrum Jesum Christum verum vel non verum Deum dicas?

Secundianus dixit. Qui negat Deum verum esse Patrem domini & Dei nostri Jesu Christi, non est christianus, nec qui negat dominum Filium Dei verum. Ambrosius Episcopus dixit; Deum verum Dei Filium confiteris?

Secundianus dixit, Verum Dei Filium unigenitum Dei Filium verum dico. Ambrosius Episcopus dixit, Verum dominum dicis?

Secundianus dixit, Verum unigenitum Filium, quis negat verum Filium Dei?

Eusebius Episcopus dixit, Non sufficit, quod Filium Dei unigenitum confiteris, nam hoc omnes confitentur; sed hoc movet, quod Arrius dixit, solum Dominum Patrem, solum verum, negavit Filium Dei Dominum verum. Simpliciter Filium Dei Deum verum confiteris?

Secundianus dixit, Quis fuerit Arrius, ignoro; quid dixerit, nescio. Mecum loqueris vivus ad vivum. Illud dico, quod Christus dixit; Unigenitus qui est in sinu Patris, *ergo Unigenitum Filium se adserit Patris; Filius igitur Unigenitus est Dei Filius verus.* Jo. I. 18.

Ambrosius Episcopus dixit, Deus verus est verus Dei Filius Deus? *& addidit,* In divinis libris scriptum est; *Quia qui jurant super terram, jurabunt Deum verum.* Quod utique de Christo esse, non dubium est. Nos ergo verum Deum profitemur; & fides nostra hæc est, & professio, quia Unigenitus Patris Filius Deus verus est. Dic & tu de Deo vero, deinde Filium Deum verum. Is. LXVI. 16.

Secundianus dicit, De Deo vero.

Ambrosius Episcopus dixit, Filius Dei Deus verus est?

Secundianus dixit, Ergo mendax.

Ambrosius Episcopus dixit, In hoc fraudem facis, ut non Deum verum dicas, sed Deum Unigenitum verum, ac per hoc dic simpliciter, Unigenitus Dei Filius Deus verus est.

Secundianus dixit, Unigenitum dixi Dei Filium.

Eusebius Episcopus dixit, Hoc Photinus non negat, hoc Sabellius confitetur.

Ambrosius Episcopus dixit, Et qui hoc non confitetur, jure damnatur; ac per hoc sæpe te convenio, licet cavillando negaveris veritatem. Non quæro, ut tantummodo, unigenitum verum Filium Dei dicas, sed etiam Deum verum.

Secundianus dixit, Veritatis me servum profiteor. Quæ dico non scribuntur, & quæ dicis scribuntur. Christum verum Dei Filium dico. Quis neget Filium Dei verum esse?

Ambrosius Episcopus dixit, Qui negat Deum verum unigenitum Dei Filium, anathema sit. *Secundianus dixit, Deum verum unigenitum Filium Dei; quid mihi profiteris quod non est scriptum?*

Ambrosius Episcopus dixit, Apertum sacrilegium est, quando Christum Dei Filium Arrius Deum verum negavit.

Secundianus dixit, Jesum Christum Filium Dei Deum, qui Christus dicatur Filius verus, Filium Dei dico, sed verum Deum non est scriptum.

Ambrosius Episcopus dixit, Nondum resipuisti? *& adjecit.* Nequid illi videatur esse subreptum, confirmat sententiam suam. Dicat ergo Unigenitum Christum Dei Filium Deum verum.

Se-

Digitized by Google

Secundianus dixit, Jam dixi. Quid mihi exterquere vis amplius?

Ambrosius Episcopus dixit, Quid dixisti? Certe si dixisses tanta, quod gloriose dicitur, sæpe repetendum est.

Matth. V. 37. *Secundianus dixit, Dictum est*, Sit sermo vester, est est, non non.

Ambrosius Episcopus dixit, Qui dicit ipsum Patrem Filium sacrilegus est.

Hoc a te quæro, ut dicas de Deo vero Deum verum Filium natum.

Secundianus dixit, Ego Filium a Deo genitum, dicente ipso Genui te, *& confitentem se genitum esse, dico.*

Ps. CIX. 3. *Ambrosius Episcopus dixit*, A Deo vero Deus verus est?

Secundianus dixit: Et cum nomini etiam addis & verum, *audis qualis in te fides sit. Et Christianus es?*

Eusebius Episcopus dixit, Qui negavit illum Deum verum? Arrius & Palladius negavit. Tu si Deum verum credis, debes simpliciter designare.

Ambrosius Episcopus dixit, Si non dixeris, Deum verum de Deo vero natum esse, Christum negasti.

Secundianus dixit, Interrogatus de Filio dedi responsum; quemadmodum deberem profiteri respondi. Habemus nostram professionem; afferemus, legatur.

Ambrosius dixit, Hodie afferre debueras; cæterum tu subterfugere conaris, Professionem a me exigis, & professionem a te exigo. Deus verus est Dei Filius.

Secundianus dixit, Unigenitus est Dei Filius. Et ego eum, al. *te* mel. *interrogo, Unigenitus est.*

Ambrosius Episcopus dixit, Ratio permoveat nos, & impietas & insipientia tua.

Cum dicis Deum verum Unigenitum, non dicis Deum verum, sed verum Unigenitum.

Ac per hoc, ut istam adimas quæstionem, ita responde; Ex Deo vero Deus verus est.

Secundianus dixit, Ergo Deus Deum non genuit? Deus verus ille qui est, quod est genuit, unum verum Unigenitum Filium genuit.

Ambrosius Episcopus dixit, Non confiteris Deum verum, sed vis dicere verum Unigenitum. Et ego unigenitum dico, sed & Deum verum.

Secundianus dixit, Ego dico genitum a Patre, verum genitum dico omnibus.

A quo damnatur, & e Sede pellitur. Hactenus Acta; quibus deesse videntur Patrum anathemata in Secundianum, quemadmodum leguntur in caussa Palladii; utrumque vero damnatum, & e Sede fuisse dejectum testatur Epistola Synodica Concilii ad Episcopos Viennensis & Narbonensis provinciæ in Gallia hisce verbis; *Adversarii & inimici Dei, Arrianæ sectæ ac hæresis defensores, Palladius ac Secundianus, duo tantum, qui ausi sunt ad Concilium convenire, debitam præsentes excepere sententiam super impietate convicti.*

N. EPISCOPUS SINGIDUNENSIS III. POSTREMUS.

Varia fortuna urbis & Ecclesiæ Singidunensis. Post Secundianum variæ fuere vices & urbis & Ecclesiæ Singidunensis, quæ suos fortasse habuit Episcopos nobis ignotos usque ad dimidium sæc. V. cum urbs corruit ab Hunnis una cum Sirmio, aliisque Inferioris Pannoniæ oppidis excisa; sed non omnino. Nam Theodorico Italiæ Rege, cum & Mœsiæ dominaretur, Singidunum e ruinis sese aliquantum erexerat sæc. VI. teste Procopio lib. 1. de bel. Goth. cap. 15. Gothis deinde victis, ac e Pannonia & Mœsia expulsis a Justiniano an. 536., hic Singiduni urbem, *quanta est, instauravit, mœnibusque cinxit firmissimis, at jam denuo urbs clara sit & insignis*, inquit Procopius lib. 4. de Ædif. cap. 5. Quo tempore verisimile putat Salagius restitutum fuisse Episcopatum Singidunensem; quippe Justinianus Nov. 131. jubet ab Archiepiscopo Justinianæ primæ *Mysiæ Superioris* Episcopos ordinari & Daciæ mediterraneæ & Ripensis; ac in Mœsia nulla tum urbs clarebat præter Singidunum, cui dignitas episcopalis aptius conveniret. Sæculo VI. ad exitum vergente, Chaganus Avarum Singidunum aggredi molitus est; quod veriti Singidunenses, juramento Chaganum obstringi voluerunt catholico jurisjurandi ritu, urbi se non accessurum; quod præstitit, sacris Bibliis reverenter contactis; *Qui in Singidone urbe summam sacrorum potestatem habebat, statim sancta Biblia, quæ in medio continebant sacrosancta Evangelia, protulit*; hæc Menander Protector tomo 1. hist. Byzant. edit. Ven.

N. Episc. Singidunensis an. circ. 580. At cui summa sacrorum potestas inest, nisi Episcopo? quem Singiduni tunc sedisse arbitror an. circ. 580.; & quamvis Anonymum, Episcopis Singidunensibus lubet adjungere. Biennio post Chaganus urbe potitus est; sed an. 602. in potestatem Græcorum redierat; eisque paruit ad an. 641., uti innuit Porphyrogenitus cap. 32. de Administ. Imp. quo temporis spatio alios post hunc Anonymum fuisse censeo Episcopos vere Singidunenses. Etenim Heraclius Imp. paullo post, eodem Porphyrogenito auctore, Mœsiam Superiorem Serblis possidendam tradidit, unde Serblia postea appellata; & Singidunum mutato nomine *Belegradum* vocari cœptum, id est Serbliana lingua *Albam Arcem*; ac Singidunensis Episcopatus in Belegradense oppidum transiit, de quo locus erit disserendi in postremo totius Operis Tomo.

ECCLESIA VIMINACIENSIS.

Viminacii descriptio. IN Mœsia Superiore situm erat Viminacium, auctoribus Hierocle, Itinerario Hierosolymitano, & Notitia Imperii. A Procopio lib. 3. cap. 1. de bello Gothico ponitur in Dacia Ripensi; sed intellige Daciam Au-

Digitized by Google

reliani, quæ partem Mœsiæ Superioris continebat. Videtur sedisse ad Margum fluvium, qua parte in Danubium influit; & quia stagnantibus fortasse aquis, & a Margo erumpentibus circumluatur, ac insulæ speciem exhibuerit, a Paullo Diacono, & Nicephoro Callisto apud Ortelium insula dicitur; suspicarer ego a viminibus, quæ in locis paludosis sponte germinant, nomen Viminacii accepisse. Eo colonia Romana deducta fuit, si fides lapidi Gruteriano ad Ulpiam Trajanam reperto pag. 371. *Aurelio, Constantio, Eq. R. Dec. Col. Vim.*, quo in loco Diocletianus insignem adversus Carinum victoriam retulit; quod Eutropius narrat lib. 9. cap. 13. *Carinum apud Margum ingenti prælio vicit inter Viminacium & Aurelium montem.* Urbem munierunt Imperatores validis præsidiis, quippe quæ nec longissime aberat a ponte Trajani, & primis barbarorum incursibus post Danubii trajectum esset exposita; hinc in Notitia Imperii legimus; *Sub dispositione Viri spectabilis Ducis Mœsiæ primæ.... Cuneus equitum Promotorum Viminacio... legionis septimæ Claudiæ Viminacio Præfectura Classis Histricæ Viminacio*. Et quamvis ea loca a belliçis tumultibus libera nunquam fuerint, stetit diu Viminacium usque ad imperium Justiniani, & ad VII. fortasse sæculum; immo in Notitia civili Imperii Orientalis, quæ Hierocli tribuitur, ab Holstenio edita ad calcem Geogr. Sacræ Viminacium ad fastigium metropoliticum civile jam erat evectum. *XVIII. Provincia Mysiæ*, primæ, *sub Præside Urbes* 5. 1. *Vimenace Metropol.* 2. *Singedones.* 3. *Graziana.* 4. *Pritornia.* 5. *Orthemarcus.* In illius loco Vidinum, aliis Vodenum, & Bidinum ac Bydenam ædificatum ferunt; quæ urbs Bulgariæ est, & civilis metropolis sub Turca Imperatore. Episcopatus Viminaciensis jam exstabat sæc. IV., unde æqua conjectura, fuisse eo tempore antiquiorem. Unus vero nobis notus est

ubi sedes episcopalis.

AMANTIUS EP. VIMINACIENSIS.

Amantius Ep. Viminaciensis an. 347.

Qui, cum præsens non esset Concilio Sardicensi an. 347., illius Acta probavit, & *per Presbyterum Maximum* iisdem subscripsit. Vide Veter. Interpr. Canonum Nicæn. & Sardic. T. 3. Opp. S. Leonis P. edit. Ballerin.; sed in Epistola Synodica ad universos Episcopos, in prima Patrum serie suo nomine subscriptus legitur Α'μάντιος, *Amantius*. Non dubito, quin alii postea Viminacienses Episcopi creati fuerint, præsertim cum civilis erat metropolis; sed eorum periit memoria. Hujus Episcopatus nomen abest a Geographia Sacra Caroli a S. Paullo.

Superest nunc, ut de Episcopis Daciæ Ripensis & eorum Ecclesiis ea enarremus, quæ pauca injurias temporum effugerunt.

ECCLESIA AQUENSIS.

NOmen urbis *Aquæ* Latinis, Ἄκυϊς, Ἄκυιϛ Græcis est, quæ nulla celebritate unquam claruit. Illius meminit Antoninus in Itiner. *per ripam* Danubii *a Viminacio ad Nicomediam*; sita igitur erat ad oram fluminis in Mœsia superiori, propior oppido *Novarum*; eamque diversam fuisse autumat Vesselingius in notis Itiner. subjectis a colonia Aquensi in Dacia Trajani trans Istrum, de qua lapis Gruterianus. Procopius lib. 4. de ædif. cap. 6. urbem *ad Aquas*, fortasse nostram, memorat, *cujus modicam partem collapsam* Justinianus *erexit*. Sedem habuit episcopalem, paruitque Metropolitæ Sirmiensi; a Hierocle subjicitur Ratiariæ jure civili. Vestigium urbis nullum superest; ex Episcopis unus nominatur

VITALIS EPISC. AQUENSIS UNICUS.

Vitalis Episc. Aquensis an. 347.

Qui anno 347. interfuit Concilio Sardicensi, ejusque Acta subscripto nomine confirmavit, *Vitalis a Dacia Ripensi de Aquis*. Dacia vero Ripensis pars erat Daciæ Aurelianæ inter Mœsiam utramque, unde conjicias Vitalem natione Dacum fuisse. Subscripsit etiam epistolæ Concilii ad omnes Episcopos, *Vitalis*, alius a Vitali, qui cum Episcopis e *canalia Italiæ*, id est quorum episcopalis sedes in via est, qua cursant tabellarii, & vehicula publica, eidem subsignavit. Hinc error detegitur Caroli a S. Paullo, cum in Geographia Sacra pro Sardicensi Concilium Chalcedonense supposuit, cujus Acta nullum exhibent Vitalem Aquensem Antistitem.

Aquensis Episcopatus meminit sæc. VI. Novella XI. Justiniani Imp. de privilegiis Archiepiscopi Justinianæ primæ; verum hujus Constitutionis Justinianeæ falsitas satis superque a nobis cum Salagio probata est in Ecclesia Sirmiensi. Idem Salagius lib. V. de statu Eccl. Pannon., integram Novellam per partes singulas justo judicii acumine expendens, eamque, uti adulterinam, probe rejiciens, hæc allatis ad rem nostram Novellæ verbis subjicit pag. 217.

Novella. Sed & in Aquis, quæ est provincia Daciæ ripensis, ordinari volumus a tua Sanctitate, id est a Catelliano Archiepiscopo Achridæ, *Episcopum, ut non in posterum sub Meridiano Thraciæ oppido Episcopo sit constituta, sed Meridianus quidem maneat in Meridiano nulla communione cum Aquis servanda. Aquensis autem Episcopus habeat præfatam civitatem, & omnia ejus castella & territoria, & Ecclesias, ut possit Hunnisaeorum scelus ex ea civitate & terra repellere, & in orthodoxam fidem transformare.* Hisce autem subdit Salagius, *Animadversio. Omitto vitiosam syntaxim in illis;* Ut non in posterum sub Meridiano Thraciæ oppido Episcopo sit constituta; *cum dicendum fuerit;* sub

Me-

Digitized by Google

Meridiani Thraciæ oppidi Episcopo. *Ego profecto capere non possum, qui fieri potuerit, ut Aquensis civitas provinciæ Daciæ ripensis sub Episcopo, qui esset in oppido Thraciæ, constituta unquam fuerit? Monstrumne hoc est, an somnium? Procopius inter ea, quæ ab Justiniano in territorio Aquensi refecta sunt, locum recenset, cui nomen* Meridio, *lib. 4. de ædif. cap. 4. Hoc sine dubio oppidum est Meridianum, cujus sub Episcopo Aquensis civitas constituta fuit. At oppidum hoc non fuit in Thracia, sed in Dacia ripensi, erat enim in territorio Aquensi, quæ civitas, Novella quaque hac attestante, fuit provinciæ Daciæ ripensis. Si Sedes Episcopalis restitui jubetur Aquis, eique subjiciuntur* omnia ejus castella & territoria & Ecclesiæ, *non intelligo, quomodo* Episcopus Meridianus manere in Meridiano *potuerit; nam hoc oppidum, teste Procopio, exstitit in territorio Aquensi; ideoque cum reliquis castellis & territoriis transire debuit in Episcopatum Aquensem.*

Meridiani Ecclesia eadem ac Aquensis.

Verum, cum sub commentitiis narrationibus aliquid veri quandoque lateat, haud negare ausim, exstitisse adhuc, Justiniano Imp., aut ab eo restitutum fuisse Aquensem Episcopatum; qui tamen fuerint Episcopi Aquenses, vel inquirere inutile prorsus. Cæterum Salagius ipse lib. 4. cap. 1. num. 46. non omnino rejicit hac in parte Novellæ testimonium. Sed quid de Meridiano censendum? Num & ipsa sua origine urbs episcopalis in Dacia Ripensi & olim Sirmiensi Metropoli subjecta? Hujus urbis, seu oppidi Scriptores nulli meminere præter laudatam Novellam, & Procopium, qui in territorio Aquensi Meridianum positum fuisse aperte indicat, ac proinde in Dacia Ripensi. Hinc errarunt & Ortelius in Geogr., & Lucas Holstenius in notis Geogr. Sacræ Caroli a S. Paullo, cum Meridiani nomine intelligunt Mesembriam Thraciæ urbem in provincia Hæmimonti. Quare sic ego existimo, Meridianum non fuisse Episcopalem Ecclesiam ab Aquensi distinctam; cumque hæc a barbaris eversa cum civitate fuerit, Episcopi Meridianum veluti tutiorem in locum suæ diœcesis se recepere; & instaurata a Justiniano urbe Aquensi, Episcopatus restitutus est, ita ut suus Aquensibus præficeretur Antistes, & qui Meridiani erat, solius oppidi possessionem retineret, dum vita superesset. Sed hæc obiter; & aliorum esto judicium.

ECCLESIA AD CASTRA MARTIS.

HIerocli aliisque Scriptoribus Castra Martis nomen urbis est, de qua Sozomenus lib. 9. cap. V. ubi ab Uldi Barbarorum duce proditione captam fuisse scribit, Theodosio II. Imperatore; *cum urbem Mœsiæ, quæ Castra Martis dicitur, proditione cepisset.* In Dacia ponitur a Procopio lib. 4. de ædif. cap. 6. scilicet Aureliani Dacia, quæ in Ripensem & Mediterraneam dividebatur; utraque vero ex utriusque Mœsiæ partibus constabat. Urbem ad ripam Danubii collocat Ammianus Marcellinus lib. 31. cap. 11. *Gratianus*, inquit, *permeato Danubio, per idem flumen ad Castra Martis descendit;* a flumine Procopius removet, & validissime a Justiniano munitam asserit, *Ad oppida non opposita flumini, sed longe remota, quæ ruinam jamdiu minabantur, intento animo, ea mœnibus validissimis incinxit, videlicet Castra Martis, Zetnocorrum, & Iseum.* Temporis ac bellorum injuria eversa urbe, ejus vestigia in pago *Marota* superesse ait Lazius; sed, uti advertit Bombardus in Topogr. Hung. pag. 254., Castra Martis permiscet cum Castris Martianis seu Marianis ad amnem Bacunthium in Pannonia Savia. Castris Martis sui præfuere Episcopi subjecti Sirmiensi Metropoli; unus tamen est e pluribus, quem proferam,

CALVUS EPISCOPUS AD CASTRA MARTIS UNICUS.

An. 347. in Sardicensi Concilio illius Acta probavit, *Calvus a Dacia ripensi, de Castro Martis*, & Patrum epistolæ ad Julium Pontificem subscripsit *Calvus ab Achaja*, corrige *Dacia, ripensi de Castra martis*, uti & in fragm. 2. operis hist. S. Hilarii, in quo ms. Pithœanum habet *Cajus* pro *Calvus*; ejus nomen & alteri Epistolæ Concilii ad universos Episcopos adscriptum est.

ECCLESIA ISCENSIS.

ISCus haud exiguum oppidum tribuitur a Hierocle Daciæ Aureliani, quam diximus Tomo 1. partem Mœsiæ superioris & inferioris complecti, & Retiariæ civili metropoli subjicitur; Surita vero & Vesselingius idem esse putant cum Oesco in Itiner. Antonini, ubi stativa legionis V. Macedonicæ. Ptolemæus Οἴσκον Iscum in Dacia collocat ad flexum Danubii, idem cum Oesco in Notit. provinciarum sub Duce Daciæ Ripensis, ibique auxilium *Mariensium Oesco*, & *Leg. V. Maced. Oesco*. Oescus fluvius e Rhodope decurrens per Thraciam ad hanc urbem cognominem in Dacia nihil pertinet, etsi aliter sentire Ortelius videatur in Geog. Iscensis vero oppidi, seu urbis meminit Jornandes cap. 50. rer. Getic., ejusque potitos fuisse narrat Emnedzar, & Uzindar duces Barbarorum; verba Jornandis mendosa ita corrigit legitque Vesselingius in notis Itin. Anton. adjectis, *Emnedzar, & Uzindar in Dacia Ripensi, Uto & Isco Almoque potiti sunt;* Iscus quippe fere medius est inter Almum Utumque in eodem Itiner. Justinianus Imp. Iscum validissime muniit, teste Procopio l. 4. de ædif. cap. 6. sed eversum postea fuit crebris

Digitized by Google

bellorum motibus, & qua Ischer fluvius cum Danubio conjungitur, illius rudera adhuc visuntur, uti auctor est Marsilius Tor. 2. Danubii Pannonici pag. 35. Existimat Lucas Holstenius in additamentis Geogr. Caroli a S. Paullo, hanc urbem, quam subjicit Metropoli Sardicensi, episcopali dignitate fuisse ornatam, quod verisimile est. En unum illius auctoritate Antistitem Iscensem hic affero.

VALENS EPISCOPUS ISCENSIS UNICUS.

Qui anno 347. adfuit Concilio Sardicensi, & ejus Actis subscripsit *Valens a Dacia ripensi Scythopolitanus*, & *Valens ab Achaja*, lege *Dacia, ripense de Scio* in epist. ad Julium Pontificem; & in altera ad omnes Episcopos *Valens*; sed in utramque subscriptionem mendum irrepsit; una enim est Scythopolis in Palæstina Metropolis, nullus Daciæ Episcopatus Scythopolitanus; quare *Valens Iscopolitanus, seu Iscensis* Episcopus videtur fuisse; & perperam *de Scio* dicitur, qui locus in Dacia ripensi omnino ignotus, cum verius *de Isco* scribi a librario debuerit. Quare Salagius recte affirmat, mendosos Codices esse, in quibus scriptum Valens *Sciopolitanus*, nam *Iscopolitani* vocabulum cum Hieroclis, & Notitiæ Imp. & Ptolemæi, & Itiner. Anton. verbis apte convenit; seque errasse fatetur l. 3. cap. 1. num. 21. ubi Valentem *Scytopolitanum* dixerat.

ECCLESIA RATIARIENSIS.

Ratiariæ notitia.

RAtiaria urbs Daciæ ripensis fuit, cujus duo præcipue meminere veteres Scriptores, Hierocles Grammaticus in Synecdemo, ubi velut civilis Metropolis describitur, cui Iscus parebat; & Priscus in Excerptis de Legationibus; a quo urbs magna, & frequentissima appellatur. Hinc Salagius arguit, Ratiariam pro illorum temporum ecclesiastica consuetudine ornatam fuisse Sede Episcopali, a quo non dissentio; sed nulla Episcopi alicujus Ratiariensis mentio reperitur. Apud Ptolemæum legitur *Ratiaria legio XIIII.* Inest urbis nomen in Anton. Itiner. & in lib. 6. Cod. Ortelius innuit vetustum lapidem, in quo inscriptum vocabulum *Ratiaresis*, pro *Ratiarensis*; non est vero Ratiaria eadem cum Nicopoli Thraciæ urbe, ut nonnulli putant. Lazius *Ressanam* postea dictam fuisse & Ferrarius affirmant; nunc a Bulgaris *Arizar* nominari scripsit Baudrandus; sed illorum, & Ortelii error est, cum Mœsiæ Superiori urbem attribuunt.

FINIS.

Digitized by Google

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 17. *col.* 1. *lin.* 53. *pro* 1190. Corrige 1199.

col. 2. *lin.* 33. 1746. — 1745.

Pag. 54. *col.* 2. *lin.* 14. Mariæ — Marci.

Pag. 61. *col.* 1. *lin.* 17. a Fontana — a nonnullis.

Pag. 84. de Ludovico Bonito Antibarensi Archiep. hæc Blasius Aldimarius in hist. Geneal. familiæ Carafæ tomo 3. pag. 205.

Ludovicus e familia Bonita Amalphitana Siculi stipitis Archiep. Panormitanus ab Urbano VI. Antibarensis an. 1395. *postea Thessalonicensis. Episc. Bergomensis an.* 1399. *Archiep. Pisanus an.* 1400. 15. *Nov. Tarentinus an.* 1400. *mox Legatus Pontif. ad Ladislaum regem Neap. Cardinalis titulo S. Mariæ Transtiber. an.* 1408. *dictus Card. Tarentinus an.* 1413. *ob. Arimini.*

Pag. 93. *col.* 2. *l.* 38. post verba *commendatas esse voluit*, Adde. Simon erat Mantuæ an. 1459. & cum Episcopo Chanadiensi interfuit Mantuano conventui, in quo Pius II. cum Regum aliorumque Europæ Principum legatis de fœdere adversus Turcas una jungendo multam habuit, & enixam, quam maxime poterat, tractationem. Is vero auctor fuit cum Chanadiensi & Senensi Episcopis detegendi proditionem, quam Stephanus Bosniæ Rex cum Turcis molitus fuerat in gravem reipublicæ Christianæ perniciem. Equidem Simonem indicant verba Æneæ Sylvii lib. 3. Comment. de rebus Pii II., *Ad legatos Hungarorum primum delata est* proditio; *ii fuerunt Episcopi duo Chanadiensis & Segniensis.., & Tarvisinus quidam doctor, cui postea Pius apud Dalmatas Episcopatum commisit*; nam præter Simonem hunc comperies neminem e civibus Tarvisinis Illyrici nostri Ecclesiis a Pio præpositum.

Pag. 96. *col.* 2. *lin.* 4. Adde. In Diario Romano Jacobi Volaterrani de vita Sixti IV. edito inter Script. rer. Ital. tomo 23. hæc de Stephano memoriæ prodita; *Anno* 1480. 27. *Dec. die Mercurii in Laterano orationem habuit Archiep. Antibar. Stephanus nomine, patria Venetus, vir majoris elegantiæ quam doctrinæ; commendata est oratio.* Huc revoca orationem in materia Fidei an. 1481. in Laterano dictam, de qua *lin.* 56. Pergit Volaterranus; 1482. 1. *Jan. Stephanus Zeliacius* l. *Teglatius, Venetus Archiep. Antibar. orationem habuit, qui quantum alias in eodem munere dicendi fuerat commendatus, tantum præsenti actione damnatus fuit.* 1482. *die Martis* 12. *Nov., in Ædo B. Mariæ de Populo sacra funebria celebrata sunt pro Salernitano*, Archiepiscopo, *Cardinea fere pompa. Antibarensis illis operatus est.*

Ibidem lin. 7. huc revoca, quæ a *lin.* 57. ad *lin.* 62. dicta sunt, & pro *triennio post* corrige *anno post*; & in *lin.* 7. rursum corrige *ibidem quoque erat* 30. *Decembris ejusdem anni, ut docet tomus 6. Brevior. pag. 9. t.* Tum adde. Vix vero Innocentius VIII. Pontificatum adivit, de componendis cum Republica Vencta dissidiis valde sollicitus Stephanum Venetias misit die Februarii 27. an. 1485., qui suaderet Senatui, Ferrariæ obsidionem solveret; id si effectum fuerit, se urbem ab ecclesiastico interdicto, cui erat obnoxia, soluturum. Et res quidem a Stephano strenue gesta; Ferraria ab hoste liberata; Veneti, restituto sacrorum usu, Romanæ Sedi reconciliati sunt; hæc Navagerius in sua hist. Ven.

Pag. 101. *col.* 1. *lin.* 4. post ea verba, *Præfectura signatur*, adde. Exstat in Ecclesia S. Marci, oppidi Montisgaldæ in agro Vicentino elogium, quod Francisci fratris tumulo inscribi jussit Ludovicus, cum illius corpus Bononia, ubi VIII. id. Decembris an. 1539. vita decesserat, illuc fuisset delatum; est autem hujusmodi:

D. O. M.

Francisco Cheregato Episcopo Aprutino, & Principi Terami sub Leone X. Adriano VI. Clemente VII. Pontif. max. legationibus pluribus & magistratibus prudentissime & integerrime functo, dum majora de se promitteret, Bononiæ adempto Ludovicus Archiepiscopus Antibarensis Fratri opt. & cariss. P.

Ib. col. 2. *lin.* 18. ante ea verba, *erat autem Tridenti*, adde. Anno 1550. Vicetiam profectus altare in templo Dominicano sacrum Spineæ Coronæ Jesu Christi consueto ritu consecrasse dicitur in annalibus mss. illius Cœnobii. *Notate RR. PP. & vos omnes religiosi Fratres Ord. S. Dominici, quod ad instantiam R. P. Prioris, & aliorum nonnullorum PP. Conventus S. Coronæ de Vincentia Magnificus Dom. Ludovicus de Valmarana Doctor & Eques Aureatus consecrari fecit Altare Sacratissimæ Spinæ Coronæ Domini in Sanctuario collocatum per Reverendiss. DD. Ludovicum Clericatum Archiep. Antibarensem in die SS. MM. Dionysii & Sociorum ejus, videlicet die 9. Octobris MDL. Et tunc Reverendiss. Archiepiscopus dedit & concessit quotannis in die Anniversario prædictæ Consecrationis XL. dierum Indulgentiam perpetuis temporibus duraturam* &c. Ludovicus donavit etiam aliquot libris bibliothecam ejusdem Cœnobii, hac nota singulis inscripta; *Ex dono*

Re-

Digitized by Google

Reverendiss. P. F. Ludovici de Cheregato Ord. Min. Observ. Archiep. Antibarensis; ut mihi significavit humanissimis litteris P. Thomas Facciolius Ord. S. Dominici ecclesiastica eruditione, & editis eruditis operibus clarus, cui plura accepta refero monumenta ornandæ historiæ nostræ valde utilia.

Pag. 102. *col.* 2. *lin.* 29. post verbum *floruit*, adde. P. Franciscus Barbaranus in hist. Eccl. Vicet. lib. 4. cap. 44. Joannis familiam ex alia cognomine, quam *de Bruni*, *de Bruno*, aut *a Bruna* dictam narrat cap. 40. exstitisse Vicentiæ an. circ. 1027., oriundam esse affirmat, cujus atavi Scodræ primum, deinde, capta urbe a Turcis, Olcinii sedem domumque delegere; hinc ortus Matthæus, qui e nobilissima fœmina Lucia de Nico tres habuit filios, Joannem scilicet, Casparem & Seraphinum; hujus præter nomen nulla superest memoria; de Caspare addendum fuisset illum Consentiæ, ut ajunt, Commendatorem; cujus eximia in Venetam Rempublicam merita paullo inferius referam. Antonius autem, de quo dictum suo loco, affinis revera, non frater Joannis fuit, ut constat ex verbis Andreæ Mauroceni pag. 104. allatis; ac de illo rursum dicendum in Ecclesia Olciniensi.

Pag. 104. *col.* 2. *lin.* 2. De Antibarensi turpissima deditione eadem confirmat Joannes Baptista Verus lib. 4. hist. Ven. *Turpis similisque exitus contagium contraxit Alexander Donatus & Augustinus Pascbalicus; hic Butuam reliquit bostibus; ille, quamvis incitante Joanne Bruno Præsule, ut pensitaret, quid patriæ, quid sibi deberet, Antibaris exstitit inutilis Prætor.*

Pag. 105. *col.* 1. *lin.* 55. Adde. Tristem Joannis exitum, sed invictæ ejus religioni & constantiæ gloriosissimum testantur litteræ Sebastiani Venerii, & Marci Quirini ad Senatum Venetum, quibus virtus etiam commendatur Casparis fratris; & uterque afflictis hujus rebus opem a Senatu implorat. Et Venerius quidem Imperator Venetæ classis paullo post relatam de Turcis ad Echinadas victoriam nonis Octobris an. 1571. hæc scripsit XII. Kal. Nov. *Miserandus bis accedit casus Casparis ac pietate dignus; dum enim plures e suis consanguineis bonesti viri Olcinii fuerint a Turcis interfecti, & ejusque frater Joannes Brunus Archiep. Antibarensis, & fratris filius Nicolaus dux equitum levis armaturæ in captivitatem abducti, uterque hac die faustissima obtruncatus est;* quæ repetit in alia epistola ad Senatum data III. non. Martias anni insequentis, quo ipso XIII. Kal. Novembris rursum Senatu Casparem commendat. *Ea sunt merita Casparis Bruni Equitis Hierosolymitani, & primæ M. Antonii Columnæ triremis Præfecti atque ductoris, ut nequeam, quin hoc ejus virtutis testimonium vobis exhibeam, illum scilicet ea die victrici maximum in gravissimis rebus adjumentum nobis attulisse; qua etiam gravi vulnere affectus est; quodque miserabilius est, ejus frater Archiepiscopus Antibarensis, & Nicolaus Brunus alterius fratris filius strenuus dux jam Turcici Bassæ captivi fuere interempti.* Quirinus etiam suis ad eumdem Senatum litteris VII. Kal. Novembris an. 1571., *Cum sæpe*, inquit, *perspectum habuerim erga vos devotum valde animum Casparis Bruni Equitis, & in M. Antonii Columnæ triremе Navarchi, quantumque res vestras, ubi erat opus, juverit, & illo præsertim adversus bostium classem pio facinore, in quo & is graviter vulneratus est, quia & summopere dolens, uti debeo, erumnosum hominis statum propter Antibarensis Archiepiscopi ejus fratris interitum, & Nicolai Bruni alius fratris filii strenuissimi ducis, qui, opibus, patria Olcinio & libertate amissis, Bassæ Turcici captivi hoc die fuere perempti* &c.

Narrat præterea Barbaranus, Brunæ familiæ in Albania superstites e clade Turcarum Justinopolim aufugisse; ubi cum is esset an. 1623., novit Matthæum Brunum virum grandi ætate venerandum & apprime doctum, qui variis Romæ perfunctus muneribus Concilio etiam Tridentino, forte cum Joanne Archiepiscopo, adfuerat; atque Matthæi obitu ejusdem Joannis familia exstincta est; cujus memoriæ hoc elogium dicavit Hieronymus Gualdus Vicetinus.

Elogium

Joannis Bruni Mysiæ Superioris Primatis Archiepiscopi Antibarensis, qui pro Fide, quam præsens Concilio Tridentino est professus, & pro grege sibi commisso acerrime pugnans non tam voce quam manu obsidentibus Turcis diu restitit. At inclutabile fato dedita urbe, ipse in prædam concessit vivus. Tandem a Barbaris ad Echinadas non semel profligatis, quasi constantissimi viri exemplo reliqui acriter reluctarentur, in frusta discissus est. Hæc pia in majorem suam recordationem Hieronymus ex Comitibus de Gualdo posuit.

Pag. 212. *col.* 1. *lin.* 14. 1500. — 1509.

Pag. 272. *col.* 2. *lin.* 17. 1191. — 1199.
lin. 41. 1458. — 1459.

Pag. 276. *col.* 1. *lin.* 7. Sappatensis — Sappatenses.

Pag. 302. in titulo. Sardenses — Scodrenses.

Pag. 305. *col.* 1. *lin.* 12. 1496. — 1495.

Pag. 308. *col.* 1. *lin.* 3. Epicopi — Episcopi.

Pag. 327. *col.* 1. *lin.* 20. Adde. Commota vero per ea tempora iterum a Turcis persecutione, an. circ. 1639. tres e Patribus Franciscanis severioris Instituti, Cherubinus e Valle bona, Carolus e Mirandula, Evangelista e Venetiis teterrimum in carcerem conjecti plurium mensium cursu tormentis gravissimis cruciati sunt, ac pæne enecti, quos postea liberos impia gens dimisit. Salvator etiam ab Offida, & Paullus, ejusdem Ordinis Apostolici viri in religionis Christianæ contemptum occisi sunt a scelestis hominibus quibusdam in regione Clementum an. 1644.

Pag. 332. *col.* 1. *lin.* 21. Adde. Anno etiam

Digitized by Google

tiam 1688. P. Gaudiosus a Cuneo in oppido Gudæ diœcesis Scodrensis, abscisso a Mahumetanis capite pro Christi fide, lætissime occubuit; eamdemque ob caussam P. Antonius a S. Jacobo an. 1693. barbarorum gladiis obtruncatus est.

Pag. 340. *col.* 2. *lin.* 20. Eustachius — Eustathius.

lin. 22. 1201. — 1207.

Pag. 449. *col.* 1. *lin.* 12. Salvum — Savum.

Pag. 451. *col.* 2. *lin.* 13. Jornandi — Jornandis.

Pag. 452. *col.* 1. *lin.* 52. commorare — commorari.

Pag. 454. *col.* 1. *lin.* 10. Sirmim — Sirmium. —

Pag. 457. *col.* 2. *lin.* 52. Adde. Et nos diximus Tomo 6. in Ecclesia Sisciensi, & suo loco dicemus, ubi de Ecclesiis huic Metropoli subjectis. De Savia provincia, ejusque Correctoribus rursum in Aemonensi Ecclesia agendum.

Pag. 458. *col.* 1. *lin.* 19. fasius — fusius.

col. 2. *lin.* 52. Catelerio — Coterio.

Pag. 520. *col.* 2. *lin.* 35 „(2)—J. „(2).

Pag. 540. in marg. col. 1. *lin.* 4. in circa — circiter.

Pag. 543. *col.* 2. *lin.* 32. post *Colocensi* adde. Cui deinde, utpote suo Metropolitæ, subjecta fuit, una ex Episcopalibus provinciæ Colocensis Ecclesiis semper habita.

Pag. 548. *col.* 1. *lin.* 36. Stephanus II. — Stephanus III.

Lin. 41. Stephanus III. — Stephanus IV.

Lin. 45. Stephanus III. — Stephanus V.

Lin. 49. Stephanus IV. — Stephanus VI.

Col. 2. *lin.* 6. Joannes VI. — Joannes VII.

Lin. 8. Joannes VII. — Joannes VIII.

Pag. 543. *col.* 1. in fine, post verba *redeundi*, *& transferendi ad Ordinem Minorum*; adde. Et hinc conjicere jure possumus, Oliverium ante Episcopatum nomen dedisse Franciscanæ familiæ, si ad illam reditum Pontifex eidem permisit.

Pag. 564. *col.* 2. *lin.* 17. post verba *compertum* est; adde. In Chorographia Patriarchatus Ipekiensis, quam concinnavit Michael Maria Milliscichius, & edidit Prayus part. 2. Specim. Hierarch. Hung., narrat ille in ea Sclavoniæ parte, quæ subest Austriaco imperio, ubi montes Truschæ appellati provinciam separant a Turcica regione, celeberrimum esse Opovi cœnobium, quod incolunt Calogeri, seu monachi ritus Serbliani, ibique condita quiescere ossa S. Martyris Theodori Tyronis. *Hanc vero, quam impendunt S. Martyri venerationem, in confesso est apud omnes hujus provinciæ Catholicos dari S. Joanni de Capistrano ex Franciscana familia viro sanctissimo* &c. cujus scilicet corpus, ut diximus, a Turcis Willachi venditum cuidam Calogero, delatum forte fuit Opovum; quo in loco a Serblianis colitur, mentito Theodori nomine; ne, re prodita, sibi a Catholicis, seu clam, seu Imperatoris jussu, seu alio quoppiam modo surripiatur.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM

ET VERBORUM MEMORABILIUM.

Prior Numerus paginam, alter columnam notat.

A

Abbates Commendatarii cœnobii Scodrensis SS. Sergii & Bacchi, 313. 1.

Abbates monasterii S. Nicolai prope ostia Bollianæ, 256. 1. 2.

Abellonenses Episcopi ab Aulonensibus diversi, 398. 2.

Abensis Episcopus, an idem ac Albensis, vel Albanensis. 195. 2.

Acroceraunia Ecclesia, 434. 1. ejus status. 435. 1.

Acroceraunii montes describuntur 434. 1.

S. Adrianus Martyr Sirmiensis. 509. 2.

Ægidius Quinctius Archiepiscopus Antibarensis ex Episcopo Sappatensi. 171. 1. 290. 2. De Historia Illyrici Sacri optime meritus. 171. 2.

Æmona civitas in Savia Pannoniæ ad Alpes Julias 588. 1. 2. ubi nunc Labacum superius. 589. 1. 2.

Æmonensis Ecclesia 588. 1. quando incœperit. 589. 2.

Albani Episcopi cum suis Metropolitis duo petunt decreta a sacra Congregatione de Propaganda Fide. 176. 1.

Albaniæ descriptio & nomen. 191. 1. Quæ fuerit ejus metropolis. *ibid.* inter Albaniæ Episcopos de finibus diœceseon discordiæ. 193. 1.

Albanenses sive *Arbanenses* Episcopi. 191. Græcus alter, alter Latinus. 191. 2. 192. 1. Metropolitæ Antibarensi subjecti. 192. 2. eorum lites de finibus diœcesis cum Episcopis Albaniæ. 193. 1. eorum jurisdictio 193. 2. recensentur. *ibid.*

Albanensis Ecclesia Dyrrhachiensi conjuncta. 205. 2.

Albanensis Episcopus anonymus obedientiam negat Metropolitæ Antibarensi 194. 2. 195. 1. alter itidem anonymus e Græco schismate ad communionem redit Ecclesiæ catholicæ. 195. 1. tertius anonymus. 197. 1. quartus anonymus. 198. 2. quintus & sextus anonymi. 202. 2.

Albanensis urbs ubi sita. 191. 1. 2. an ab Albanopoli diversa. *ibid.*

Albricus Episcopus Aulonensis. 399. 1. Divorum sacra lipsana invisentibus in templo Antoniano Patavii indulgentiam concedit. *ibid.* interest consecrationi ecclesiæ S. Pantaleonis Venetiis. 399. 2.

Alexander II. P. pallium mittit cum litteris Petro Archiepiscopo Antibarensi. 17. 2. 18. 1. 2.

Alexander III. P. Dyrrhachium mittit cum suis litteris Archiepiscopum Ragusiensem. 356. 2.

Alexander IV. P. commendat Fratres Franciscanos in Slavonia Archiepiscopis Antibarensi & Jadrensi. 44. 1. Episcopum Sardensem eligit, datis litteris ad Laurentium Archiepiscopum Antibarensem. *ibid.* 273. 2.

Alexander Blancus Episcopus Pullatensis. 269. 1.

Alexienses seu Lissenses Episcopi. 384. recensentur. 386. 2.

Alexiensis Episcopatus primordia, diœcesis, & status. 385. 2. 386. 1.

Alexium, olim Lissus, urbs Illyrica. 384. 385. 1. ejus situs & varii casus. *ibid.*

Alphonsus de Carcere Episcopus Balleacensis ex Ordine S. Francisci. 207. 2.

Alphonsus de Sanabria Episcopus Drivastensis ex Canonico Hispalensi. 247. 2.

Alphonsus Cavallerius Episcopus Sardensis & Sappatensis, ex Ordine S. Francisci. 281. 1.

Amantia urbs in Epiro. 394. 1. ejus situs. *ibid.*

Amantini Episcopi. 394.

Amantius Episcopus Viminaciensis subscribit Concilio Sardicensi. 610. 1.

Ambrosius Capisius Archiepiscopus Antibarensis ex Ordine S. Francisci. 106. 1. Ecclesiam Buduensem administrat. *ibid.* 226. 1. & Coronensem. 106. 2. Ecclesiam S. Sepulcri Venetiis consecrat. *ibid.* Romæ degit. 107. 1. Buduam reversus diœcesim lustrat. *ibid.* obit. *ibid.*

Ambrosius Montesinius Episcopus Sardensis & Sappatensis. 279. 2.

S. Anastasia & Sociæ Martyres. 491. 2. ejus martyrium Sirmiense probatur. 491. 2. 492. 493. 494. 1. 2. ejus Acta in compendium redacta. 494. 2. 495. 1. ejus martyrii tempus & socii. 495. 1. ejus cultus & litteræ ad S. Chrysogonum, & S. Chrysogoni ad illam. 495. 2. 496. 1. 2.

Andegavenses Dynastæ Dyrrhachium obtinent. 338. 1. recensentur. 338. 2.

Andreas Episcopus Scodrensis. 325. 1.

Andreas II. Galata Episcopus Scodrensis. 331. 2.

Andreas Episcopus Bendensis & Priscensis. 404. 2.

Andreas Episcopus Crojensis confirmat Archidiaconum Dyrrhachiensem. 414. 1.

Andreas II. Episcopus Crojensis ex ordine S. Francisci. 414. 2.

Digitized by Google

Andreas Zuacomakebius Archiepiscopus Crainensis ex ordine S. Dominici, 438. 2. Friderici Imp. legatus apud Sixtum IV. P. 439. 1. quædam ejus acta, *ibid.* respondet nomine Federici Sixto IV. de rebus gravissimis. 439. 2. 440. & ab eodem Sixto responsa recipit ad Fridericum. 441. 1. apud Pontificem offendit. 443. 2. in carcerem Romæ conjectus 444. 1. Basileam secedit, & schisma in Pontificem conflat. *ibid.* jussu Imperatoris Basileæ comprehenditur. 445. 1. obiit in carcere. 446. 1. 2. ejus scripta. 446. 2. ab hæreticis commendatus. 447. 1. non fuit Episcopus Maccarensis. *ibid.*

Andreas Jubiza Episcopus Olciniensis ex Archidiacono. 259. 2. obsistit electioni anticipatæ Canonicorum. 260. 1.

Andreas Rheginius Episcopus Alexiensis ex Ordine S. Dominici. 387. 2.

Andreas Archiepiscopus Antibarensis ex Ordine S. Francisci a Clemente V. P. electus. 60. 2. ad Concilium Viennense vocatus. 63. 1. ejus errata. 65. 2. 66. 1. Episcopatu se abdicat. 66. 2.

Andreas II. de Mule Archiepiscopus Antibarensis ex Ordine S. Francisci. 89. 1. a solutione Cameræ Apostolicæ debita ad tempus absolvitur. 89. 2. jussus per litteras a Nicolao V. P. ut de Fratrum cœnobii Antibarensis S. Nicolai postulatis inquirat. 90. 1. ad Nicolaum V. P. a Scanderbego legatus missus. 90. 2. controversias inter Scanderbegum & Ducaginos proceres componit. 91. 1. obiit. 92. 1.

Andreas III. Zmajevichius, Archiepiscopus Antibarensis ex Abbate S. Georgii Perasti. 133. 1. consecratur Perasti. *ibid.* ejus elogium & apud omnes existimatio. 133. 1. 2. Buduensem Ecclesiam administrat 133. 2. 228. 2. Synodum indicit. *ibid.* & seq. Ejus Oratio ad Synodum. 138. 1. Ejus Monita ad Marinum Episcopum Sappatensem. 139. 1. 2. Libri scripti & alia ab eo gesta. 140. 1. ejus mors ac titulus sepulcralis. 140. 2.

Andreas Episcopus Daynensis & Sardensis. 231. 1. 275. 2. ad Ecclesiam Albanensem translatus. 197. 1. 231. 1.

Andreas II. Episcopus Albanensis ex Alexiensi Ecclesia translatus. 197. 2. 388. 1. de misero suæ Ecclesiæ, & Serbliæ statu Eugenium IV. P. certiorem facit. *ibid.* a quo illi litteræ sunt redditæ. 198. 1.

Andreas Citer Episcopus Balleacensis ex ordine S. Francisci. 207. 2.

Andreas de Montanea, vel de Montagnana, Episcopus Drivastensis, ex ordine S. Francisci. 237. 1.

Andreas Episcopus Pullatensis citatur ad Curiam pontificiam. 264. 1.

Andreas Tablerus, ex Ordine Paullino, Episcopus Sirmiensis solum nominatus. 566. 2.

Andreas II. de Franciscis, Episcopus Sirmiensis, ex Ordine Paullino, nominatus tantum. 567. 2.

Andreas Archiepiscopus Scodrensis. 305. 2. Relationem seu epistolam mittit Hormisdæ P. de schismate Acaciano. 306. 1.

Andreas Hungarus & Andreas Burgbesius e catalogo Archiepiscoporum Antibarensium expuncti. 59. 2. 60. 1. 2.

Andreas Angelus, Dux Drivasti. 233. 1. 2.

S. Andronicus Episcopus Sirmiensis. 469. 1. an vere cognatus fuerit D. Paulli. 470. 1. 2. Judæum fuisse & Galilæum evincitur. 471. 1. 2. unus ex septuaginta duobus Christi discipulis. 472. 1. 2. laudatus cum S. Junia a D. Paullo. 473. 1. ab eodem Paullo conceptivus quomodo dicatur. 473. 1. 2. in Græcorum Menologiis celebratus. 474. 1. 2. quoties Romam adierit, 475. 1. 2. Sirmiensis fuit vere Episcopus. 475. 2. 476. 1. 2. 477. 1. ejus Episcopatus initia. 477. 2. ejus obitus. 479. 2. ejus Corpus Constantinopolim translatum. *ibid.* cultus apud Græcos. 480. 1. altera ejus translatio. 480. 2. miraculis claruit, 481. 1. ejus cultus apud Ruthenos. 481. 2.

Andruinus Episcopus Scodrensis. 310. 2.

Anemius Episcopus Sirmiensis a S. Ambrosio consecratus, 538. 2. Arianos ejicit e sua provincia. 539. 1. Interest Concilio Aquilejensi. 539. 2.

Angeli, familia Drivastensis nobilissima, quæ dominatum Drivasti obtinebat. 233. 1. 2.

Angelus Episcopus Albanensis, Maceratæ natus. 198. 2.

Angelus Leoninus, Legatus apud Venetos pontificius jubet, ut sacra supellex, quæ Brundusium translata fuerat, Venetias deducatur. 375. 2.

Angelus Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 367. 2.

Angelus Calmetus, Episcopus Pullatensis. 269. 2.

Anselmus Episcopus Buduensis ex ordine Heremitarum S. Augustini. 213. 2

Antibarense Interregnum Archiepiscopale 105. 1. 2. alterum. 132. 2.

Antibarenses Archiepiscopi recensentur. 17. 1. administratores Ecclesiæ Buduensis. 229. 2.

Antibarenses discordiæ civiles. 97. 2. 98. 99. componuntur. 99. 2.

Antibarensis Provinciæ Ecclesiæ in interregno Antibarensi Archiepiscopo Ragusino attributæ. 23. 1.

Antibarensis Ecclesiæ exordia. 10. 1. 2. diversis attributæ Metropolitis. 10. 2. 11. 1.

Antibarensis Virginis egregium facinus. 104. 2.

Antibarensis Metropolis institutio. 7. 1. 2. 11. 2. ejus diœcesis. 11. 2. 12. 1. Ædes cathedralis, ecclesiæ, cœnobia ac monasteria. 12. 1. 2. 13. 1. quibus villis & parœciis constet. 13. 2. quas Ecclesias episcopales subjectas habuerit. 14. 1. 2. 25. 2. 31. 2. & quas nunc habeat. 15. 1. 31. 2. subjicitur a Gregorio IX. P. Metropolitæ Ragusino. 35. 2.

Antibarensis Metropolita idem est Primas in Serblia Mœsiaca. 15. 2. 16. 1. 2. quando Primatum obtinuerit. *ibid.* 25. 2. Ecclesiæ novem Mœsiæ superioris eidem commendatæ. 17. 1.

Digitized by Google

Antibarensium decreta de rebus ecclesiasticis, 87. 1.

Antibaris positio & descriptio, 8. 1. 2. 9. 1. 2. sub Orientali Imperio florens, 9. 2. nunc sub Turcis squalet, 10. 1. variis dominis paruit, *ibid.* 86. 1. 2. Venetis subjicitur, 86. 2. a Turcis obsidetur, 101. 2. in potestatem Turcarum cadit, 103. 2. 104. 1. conditiones deditionis, 104. 2. Veneti frustra recipere tentant, 131. 1. 2. 171. 1.

S. Antigonus, Martyr Sirmiensis. 510. 2.

Antonius Episcopus Drivastensis & Canonicus Hispalensis. 244. 1. fit Episcopus Cuprę montanę *ibid.*

Antonius Angelus Radovanus, Episcopus Sardensis & Sappatensis. 291. 2.

Antonius Archiepiscopus Antibarensis. 80. 1. Collector apostolicus in Albania, *ibid.* approbat tabulas compositionis inter Archiepiscopum Spalatensem & Margaritam viduam Comitis Cetinæ. 80. 2.

Antonius Civrelia, Episcopus Buduensis. 222. 2. Stephanum Mariovichium Vicarium generalem declarat. 223. 1. interest Concilio Tridentino. 223. 2. de ejus impudentia & temeritate in Concilio queruntur Legati Pontificis in litteris ad Card. Carolum Borromæum, 224. 1. 2. a Bariensibus accusatus, Buduam redire cogitur, 225. 1. postremus fuit Episcopus Buduensis. 225. 2.

Antonius Episcopus Olciniensis ex monacho Benedictino. 254. 1. monasteria sui ordinis in Albania lustrat & corrigit. *ibid.* Episcopatu se abdicat. 254. 2.

Antonius I. II. & III. Episcopi Sardenses. 275. 1.

Antonius de Montesono, an Episcopus Sardensis & Sappatensis. 279. 2. 280. 2.

Antonius Episcopus Svaciensis ex Ordine S. Dominici. 298. 1.

Antonius II. Episcopus Svaciensis ex Ordine S. Francisci. 299. 1. in Italia continue commoratur. 299. 2. 300. ad Ecclesiam Caprulensem transfertur. 300. 2.

Antonius de Soluris, Episcopus Scodrensis ex Ordine S. Dominici. 310. 1.

Antonius II. de Beccariis, Episcopus Scodrensis ex Ordine S. Dominici. 321. 2. adjutor Episcopi Veronensis. 322. 1. & Archiepiscopi Hydruntini. 322. 2. obiit Anconæ. *ibid.* ejus Opera. 322. 2. 323. 1.

Antonius III. de Nigris, Episcopus Scodrensis. 332. 1. ejus acta & martyrium. 332. 1. 2.

Antonius IV. Babbius, Episcopus Scodrensis. 332. 2. interest Concilio Albanensi. 333. 1.

Antonius V. Vladagnius, Episcopus Scodrensis. 334. 1.

Antonius VI. Dedmassejus, Episcopus Scodrensis. 334. 2.

Antonius Matthæuccius e Sora, ordinis S. Francisci, martyrium subit, ei a Turcis ob Catholicam Fidem illatum. 333. 1. 2. ejus corpus incorruptum invenit Episcopus Pullatensis. 334. 1.

Antonius Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 349. 1. De monachi cujusdam temeritate scribit ad S. Theodorum Studitam. 349. 2. ab eoque responsum accipit. 349. 2. 350. 1. 2. & aliam epistolam. 351. 2. 352. 1. 2.

Antonius II. Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 362. 2. duo ejus diplomata ad eos, qui Divorum Lipsana in Patavino S. Antonii templo condita venerantur. *ibid.*

Antonius III. de Banstro, Archiepiscopus Dyrrhachiensis ex Ordine S. Francisci, Ecclesiam S. Pantaleonis Venetiis consecrat. 363. 2. Beati titulo insignitus. *ibid.* ejus elogium & obitus. 364. 1.

Antonius IV. Archiepiscopus Dyrrhachiensis ex Archiepiscopo Hierapolitano, Ordinis S. Francisci, litteris acceptis a Clemente VI. P. 367. 2. & alias de Græcis schismaticis. 368. 1.

Antonius V. Provanus, Archiepiscopus Dyrrachiensis. 380. 2. ad Taurinensem Ecclesiam translatus. 381. 1.

Antonius Griesesius, Episcopus Alexiensis, ex Ordine S. Francisci. 394. 1.

Antonius Ventura, Episcopus Crojensis ex Ordine S. Francisci. 415. 1. quousque vixerit, incertum. 415. 2.

S. Apollo num Dyrrhachii Episcopus. 341. 2.

Apollonia urbs in Epiro describitur. 395. 1.

Apolloniensis Episcopi. 395.

Apollonienses Martyres. 395. 2. 396. 1.

Apostatæ a Fide catholica quomodo recipiendi in sinum Ecclesiæ in Albania. 145. 2. 146. 1. 2. 147. 1. 2.

Aquensis Ecclesia in Mœsia superiori. 610. 2. eadem fortasse ac Ecclesia Meridiani. 611. 1.

Arbanenses, sive *Albanenses*, Episcopi. 191.

Ariminense Concilium. 537. 2.

Artemius Episcopus Scampensis subscripsit Epistolæ Episcoporum novi Epiri ad Leonem Imp. 433. 2.

S. Astius, sive *Astejus*, Episcopus Dyrrhachiensis. 342. 1. martyr obiit sub Trajano. *ibid.*

Athanasius, vel *Anastasius*, Episcopus Drivastensis, testis compositionis inter Hugolinum Archiepiscopum Spalatensem & Margaritam Cetinæ dominam. 237. 1.

Aulon, sive *Aulona*, nunc Vallona. 397. 1. Ejus situs & vices. *ibid.*

Aulonenses Episcopi. 397. recensentur. 398. 2.

Aulonensis Episcopatus initia & vices. 398. 2.

B

B Episcopus Drivastensis. 236. 2.

Bacensis Episcopatus alius a Barcensi. 572. 1.

Balleacenses Episcopi. 206. recensentur. 207. 1.

Balleacensis Ecclesiæ primordia. 206. 1. positio dubia & incerta 206. 1. 2.

Balsichii, Dynastæ Albaniæ potentissimi. 86. 1. 2.

Bartholomæus de Missenes, Episcopus Budua-

duanensis e serie Buduensium expunctus. 225. 2.

Bartholomæus Puonbiolus, Episcopus Drivastensis. 237. 2. a sua sede amotus, Parochus fuit S. Bartholomæi Arimini. *ibid.*

Bartholomæus Barbadicus, Episcopus Scodrensis. 314. 2. ad Episcopatum Parentinum transfertur. *ibid.*

Basilius Lindius, Episcopus Sardensis & Sappatensis 290. 2.

Basilius Episcopus Svaciensis. 292. 1.

Bassiana urbs in Pannonia inferiori. 571. 1. ejus notitia civilis & ecclesiastica. 571. 1. 2.

Bassianensis Episcopus unicus, cujus nomen ignotum. 572. 1.

Bassianensis Ecclesia subjecta Sirmiensi Metropolitæ, 571. 1.

Bassus Archiepiscopus Scodrensis. 305. 1.

Bendenses Episcopi. 401. recensentur. 404. 1.

Bendensis urbis & Ecclesiæ descriptio. 401. 1.

Bendensis Episcopatus cum Stephanensi conjunctus. 403. 1.

Benedictus XI. P. epistolam dedit Martino Archiepiscopo Antibarensi adversus corruptam ecclesiasticorum disciplinam. 54. 2. 363. & alias duas eidem de hæreticis & de Episcopis Scodrensi & Suaciensi. 55. 2. aliam itidem ad Præsidem Dominicanæ provinciæ in Hungaria de viris ejusdem Ordinis in Albaniam mittendis. *ibid.* 363. Urosium Serbliæ regem hortatur per litteras, ut ad Communionem catholicam redeat. 56. 2.

Benedictus XII. P. Petrum eligit Archiepiscopum Dyrrhachiensem, datis ad eum litteris. 366. 2.

Benedictus XIV. P. quid de apostatis Dalmatis judicaverit. 146. 1. 2. 147. 2. Concilium Albanum confirmat, datis litteris ad Episcopos, clerum & populum Serbliæ 172. 1. & seq. postulatis Lazari Archiepiscopi Antibarensis respondet. 176. 2. & *seq.* alias litteras de eadem re mittit ad Congregationem de propaganda. 185. 1. & *seq.* vetat nomina Turcica a Catholicis Albanensibus haberi, ad Episcopos Albaniæ datis litteris. 188. 1. 2.

Benedictus Kisdius, Episcopus Sirmiensis nominatus, fit Episcopus Varadiensis. 567. 1.

Benedictus Ursinus, Episcopus Alexiensis, ex Ordine S. Francisci. 392. 1. controversia, quæ de finibus habuit cum Episcopo Albanensi, componitur. 203. 2. 204. 1. 2. 392. 2. Ecclesiam Scodrensem administrat. 326. 1. 392. 1. Abbatiam Scodrensem SS. Sergii & Bacchi cedit Georgio Vuscovichio, *ibid.* ejus Acta. 392. 1. 2.

Benedictus Kornis, Episcopus Drivastensis. 244. 1.

Benedictus Episcopus Svaciensis ex Canonico Antibarensi. 295. 2. Ecclesiam Bosnensem administrat, 296. 1. fit Archiepiscopus Ragusinus. 296. 2.

Benevenutus Episcopus Sappatensis ex Ordine S. Francisci. 276. 1.

Benignus Episcopus Canoviensis ex Ordine S. Francisci, 409. 1. Indulgentiam elargitur iis qui adjuvant tertium Ordinem S. Dominici. 409. 1. 2.

Bernardus de Yvanis, Episcopus Balleacensis ex Ordine S. Francisci. 207. 2. primo Coronem, deinde Utinum, in bello Turcico profugit. 208. 1. Præfecturam altaris SS. trium Regum in æde Glemonensi obtinuit. *Ibid.*

Bernardus Leonius, administrat Ecclesiam Buduensem. 229. 1. 2.

Bernardus, Episcopus Drivastensis, ad Ecclesiam Catharensem transfertur. 237. 1.

Bernardus Vivaris, ex Ordine S. Francisci a Martino V. P. eligitur administrator Ecclesiæ Drivastensis, 239. 1. 2. an fuerit Drivastensis Episcopus. *ibid.*

Blasius Episcopus Daynensis ex Ordine Prædicatorum. 230. 2.

Blasius II. Episcopus Daynensis ex Ordine Prædicatorum, cui Martinus V. P. potestatem fecit cujuslibet sacerdotii recipiendi. 231. 1. 2.

Blasius Episcopus Sappatensis & Lissiensis. 278. 2. 389. 2.

Blasius Episcopus Alexiensis ex Ordine S. Dominici. 389. 1.

Bonifacius VIII. P. jubet per litteras Ministro provinciali Fratrum Minorum, ut duos Inquisitores contra hæreticos in Bosnam mittat. 54. 1.

Bonifacius IX. P. mandat Archiepiscopo Antibarensi, ut Ducaginorum factionem tollat in Albania. 82. 2. Abbatem eligit monasterii Rotaciensis, datis ad monachos litteris. 83. 1. Othonem eligit Episcopum Buduensem per litteras ad eumdem datas. 215. 1. eligit, datis litteris, Blasium Episcopum Daynensem. 230. 2. ad Georgium Balsam litteras mittit, ut Dyrrhachium eripiat Ludovico Andegavensi. 369. 1. Georgium Episcopum Bendensem & Priscensem eligit per litteras. 405. 1.

Bravium quod curritur in civitate Forijulii in honorem S. Donati. 595. 1.

Budua civitas Dalmatiæ, 209. 1. ejus antiquitas, nomina & positio. *ibid.* primum Romanis, deinde aliis dominis paruit, demum Venetis *ibid.* 218. describitur. 210. 1. a Turcis eversa. 225. 1.

Buduenses Episcopi. 209. recensentur. 211. 2. in quorum locum Vicarii apostolici nunc Ecclesiæ præsunt Buduensi. 212. 1. tres Episcopi e serie Buduensium rejecti. 216. 1.

Buduenses perhonorificum de Marino III. Archiepiscopo Antibarensi reddunt testimonium. 113. 1. ut sibi agrum Stephanus Vaivoda restituat, orant Senatum Venetum. 218. 2. & ne decimas persolvere cogantur Archiepiscopo Antibarensi. 219. 1.

Buduensis Ecclesiæ initia. 210. 1. varie appellata. *ibid.* subjecta Diocletano Metropolitæ, dein Antibarensi & Ragusino, tandem Antibarensi subest. 210. 2. ejus diœcesis fines. 211. 1. ejus ædis cathedralis, aliarumque in urbe descriptio. 211. 1. 2.

Digitized by Google

cur Ecclesia Buduensis in partibus Rassiæ sita dicatur, 217. 1. cum Ecclesia Antibarensi conjungitur, 219. 2. 220. 1. Administratoribus traditur, 225. 2.

Buduensis Episcopus anonymus, 214. 2.

Buduensium leges ecclesiasticæ, 218. 2.

Buduensium religio in templum S. Mariæ de Puncta, 220. 2.

Bullidenses Episcopi, 407.

C

S. *Cæsar* Episcopus Dyrrhachiensis primus, 341. 1. unus e Christi discipulis, 341. 2.

Callistus II. P. F. Marianum Senensem ad pecuniam colligendam pro bello adversus Turcas in Dalmatiam, datis litteris, mittit, 91. 1. nec non F. Joannem de Albania ad Scanderbegum Albaniæ regulum, 91. 2. & F. Eugenium in Albaniam. 92. 1.

Callistus III. P. scribit ad Georgium Episcopum Sappatensem, ut pœnis ecclesiasticis afficiat Paullum Crainensem Archiepiscopum, 277. 2. litteras & subsidia mittit Georgio Castriotæ in bello contra Turcas. 419. 1. 2. 420. 1. 2. 421. 2. Alphonsum Regem Neapolis hortatur ut eidem Georgio subveniat, 422. 1.

Calyus Episcopus ad Castra Martis, Actis Concilii Sardicensis subscripsit, 611. 2.

Canevia urbs Epiri novæ ubi sita, 408. 1.

Canevienses Episcopi. 408. recensentur, 408. 2.

Caneviensis Ecclesiæ & diœcesis descriptio, 408. 2.

Carolus Topia Crojæ urbis conditor. 412. 1.

Castra Martius urbs episcopalis in Mœsia. 611. 1.

Castriotæ Crojæ dynastæ. 412. 2. 413. 1. 414. 2.

Catharius, sive *Zacharias*, Episcopus Suaciensis ex Ordine S. Dominici, 296. 2.

Christophorus Episcopus Scodrensis. 310. 2.

S. Chrysogoni duæ litteræ ad S. Anastasiam, & duæ ad eum S. Anastasiæ. 495. 2. 496. 1. 2.

Cibaliensis Ecclesia Metropoli Sirmiensi subjecta. 572. 2. a Cibaliana in Africa & a Bosnensi diversa. 573. 2. Episcopatus Cibaliensis initia & finis, *ibid.* 574. 1.

Cibaliensis pugnæ annus statuitur. 453. 1.

Cibalis urbis Pannoniæ situs. 572. 2. 573. non idem est ac Bubalia. 573. 1. nunc excisa, 574. 1.

Cimariotæ Catholici sæculo XVII. & XVIII. 436. 1.

Clemens V. P. in clientelam Sedis apostolicæ monasterium Rotaciense prope Antibarim recipit, 59. 1. F. Andream Ord. Minorum creat Archiepiscopum Antibarensem, 60. 2. legatos & litteras mittit Urosio regi Serbliæ, 61. 1. 2.

Clemens VI. P. hortatur, datis litteris, Stephanum regem Serbliæ, ut ad Fidem Catholicam redeat. 71. 1. in tutelam recipit monasterium Antibarense S. Mariæ, 71. 2. Episcopatum Balleacensem Gervico datis ad eum litteris confert, 207. 1. & Archiepiscopatum Dyrrhachiensem Antonio IV. datis itidem ad eum litteris. 367. 2. scribit etiam de Græcis schismaticis ad eumdem & ad alios duos Antistites, 368. 1.

Clemens VIII. P. jubet Thomæ Archiepiscopo Antibarensi, ut operarios apostolicos mittat ad Pastrovichios, 108. 2.

Concilii Mediolanensis Epistola ad Eusebium Episcopum Vercellensem, 534. 1.

Concilium Dalmitanum, in quo Metropolis Dioclefana instituitur. 5. 1. 2.

Concilium provinciale Dioclefanum. 29. 1. 2. & seq.

Concilium nationale Albanense, 142. 1. & seq.

Confirmationis Sacramentum quando a Presbyteris conferri possit. 152. 2.

Conradus Episcopus Sirmiensis ex Ordine S. Augustini, 553. 2.

Constantius Archiepiscopus Scodrensis, 307. 1. litteras accipit a S. Gregorio Magno de sceleribus Paulli Episcopi Diocleensis. 307. 2.

Controversia de finibus diœcesis inter Episcopos Sardensem & Alexiensem composita, 285. 2. 286. 287.

Corvelius Episcopus Sirmiensis. 539. 2.

Cosmas Episcopi Anconitani scriba, quæ egerit in controversia inter Metropolitas Ragusinum & Antibarensem. 40. 2. 41. 1.

Cosmas Episcopus Stephanensis interest Conciliabulo Constantinopolitano, & adhæret Photio, 405. 1.

SS. Cosmas & Rufus martyrium non sunt passi Dyrrhachii, nec fuerunt Dyrrhachienses, 343. 1.

Costa quidam Archidiaconus Dyrrhachiensis a Joanne XXII. P. confirmatur. 366. 1.

Craina quid significet. 436. 2. ejus situs. 437. 1.

Crainenses Archiepiscopi. 436. ubi habuerint sedem, incertum. 437. 2. 438. 1. recensentur, 438. 2.

Croja, urbs Epiri, 411. 1. ejus nomen, situs, & conditores. 411. 1. 2. describitur. 412. 2. sub Dynastis Castriotis. 412. 2. 413. 1. quibus a Turcis eripitur. 413. 1. 414. 1. Turcis erepta a Georgio Scanderbego, 415. 2. a Turcis oppugnata & a Scanderbego defensa. 418. 1. Crojæ status. 422. 1. iterum a Turcis obsessa, 426. 1. & iterum liberata. 428. 1. & tertio. 428. 2. quarto obsessa & liberata, 430. 2. demum Turcis dedita. 431. 1.

Crojenses Episcopi. 411. recensentur, 413. 2.

Crojensis Ecclesiæ initia & diœcesis. 413. 2.

D

D. *Damianus* Episcopus Pullatensis Minor, 270. 2.

S. Dana clericus Aulonensis martyr occubuit. 397. 2.

Daniel Zabender, Episcopus Balleacensis postremus ex Ordine S. Francisci. 209. 2.

Daynenses, sive *Dagnenses*, Episcopi. 229. recensentur, 230. 1.

Day-

Digitized by Google

Daynensis Ecclesia Sardensi conjuncta, 232. 2.

Daynum, sive *Dagnum*, urbs in Epiro nova describitur, 229. 1. Turcis subest. 229. 2.

Decius Caraffa, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 380. 2. Cardinalis creatus ad Ecclesiam Neapolitanam transfertur, *ibid.*

Decreta Sac. Congregationis S. Officii de non conferendo ficte baptismate Turcis in Albania, 287. 2. 288. 1.

B. Demetrius ex Ordine S. Francisci, Aulonensis, 400. 1. ejus acta, 400. 2.

Demetrius Valmius, Episcopus Stephanensis, 406. 1.

Demetrius Episcopus Sirmiensis, 552. 2. transit ad Ecclesiam Transylvaniensem. 553. 1.

Demetrius II. Naprayus, Episcopus Sirmiensis electus. 565. 2.

Demitrovitzium, oppidum e ruderibus Sirmii. 543. 1. sedes olim Episcopi Sirmiensis, ubi templum S. Demetrii. 545. 2. 546. 1.

Didacus Episcopus Pullatensis Minor ex Ordine S. Francisci. 270. 2.

Didacus Fernandez, Episcopus Sardensis & Sappatensis ex Ordine S. Dominici, acceptis litteris a Leone X. P. 280. 1.

Dioclea situs, varia nomina, vices & excidium. 1. 1. Justinianæ primæ subjicitur. 3. 2. Regibus Serblis paruit. 4. 2. a Rege Bulgariæ evertitur. 6. 2.

Diocletana Ecclesia antiquissima, olim Metropolis. 1, 2. subjicitur Primati Justinianæ primæ. 3. 2. quando in Metropolim erecta. 5. 1, 2. Antibarim translata. 7. 1.

Diocletani Episcopi & Archiepiscopi recensentur. 1. 2.

Diocletani Archiepiscopi tres primi anonymi, 5. 1. 2.

Diocletianus Imp. an ortus Dioclea? 1. 1.

Dionysius de Knin, Episcopus Drivastensis, ex Ordine Prædicatorum. 238. 1. a Martino V. P. electionis litteras accipit, *ibid.* Episcopatu indignus amovetur. 238. 1. 239. 2.

Dionysius de Pagaciis, Episcopus Canoviensis. 410. 2.

Dominicani Patres Divorum lipsana & sacra supellex, quæ Dyrrhachii erant in eorum templo, Brundusium transferenda curant, antequam urbs caperetur a Turcis. 375. 1.

Dominicanum Cœnobium Dyrrhachii illustre. 361. 1.

Dominicus Episcopus Albanensis. 197. 1.

Dominicus Garcia, Episcopus Sardensis & Sappatensis ex Ordine S. Dominici, acceptis litteris a Julio II. P. 279. 1.

Dominicus Andreasius, Episcopus Scodrensis ex Ordine S. Francisci. 325. 1. diœcesim lustrat. *ibid.* exsulare coactus titulum Naroniensis & Stephanensis Episcopi sumit. 325. 2. 403. 1. 2. Romæ detinetur, postquam de Naroniensi Episcopatu causam amisit. 326. 1. 403. 1. 2.

Dominicus II. Babichius, Episcopus Scodrensis. 328. 1. adjutor Archiepiscopi Antibarensis & administrator Ecclesiæ Buduensis. 228. 2. 328. 2. 331. 1. Synodum convocat & sanctiones edicit. 328. 2. 329. 1. subsidium petit suæ diœcesi a sacra Congregatione. 329. 2. ab eadem a sacro ministerio depelli jubetur Clericos vitæ licentiori deditos. 330. 2. tertiam Synodum convocat. *ibid.* controversiam de finibus cum Episcopo Alexiensi redintegrat. 331. 1. alteram Synodum habet, 329. 2. 330. 1. 2. diœcesim lustrat. 330. 2. ad quem Cardinalis Alterii Congregationis de propaganda fide præfecti litteræ sunt redditæ. 228. 2. obit. 331. 2.

Dominicus Episcopus Drivastensis. 236. 1.

Dominicus Paulonus, non fuit Episcopus Buduensis. 225. 2.

Dominicus Episcopus Svaciensis. 292. 1. de homicidio accusatur, *ibid.* de Episcopatu deponitur, 292. 2. ab Innocentio III. P. Archiepiscopo Antibarensi commendatur. 293. 1. 2. litteras pontificias confingit, & in monasterium detruditur. 294. 1. 2.

Dominicus Crustphi, Episcopus Pullatensis Minor. 271. 1.

Dominicus Jannusius, Episcopus Diocleensis nomine tantum. 7. 2.

Dominicus Episcopus Sirmiensis e Præposito Albensi. 561. 2.

Dominicus Archiepiscopus Antibarensis ex Archipresbytero Ecclesiæ S. Petri Antibarensis. 71. 2. contra schismaticos multum laboravit. 77. 2. obiit. 78. 1.

Dominicus Archipresbyter Albanensis interest Synodo Diocletanæ, sui Episcopi nomine. 194. 1.

Dominicus Bogorreus, Episcopus Albanensis ex Fratre Hospitalis Jerusalem. 202. 1. Episcopi Albiensis in Gallia Vicarius. *ibid.*

Domnus, seu *Domnion*, Episcopus Sirmiensis. 518. 1. interest Concilio Nicæno. 518. 2. obit in exsilio. *ibid.*

S. Donatus Martyr, Singidunensis. 594. 2. ejus cultus, præsertim in Ecclesia Forojuliensi. 594. 2. 595. 1.

Donatus Peracha, Episcopus Daynensis. 230. 1.

Dousa Episcopus Sirmiensis. 553. 1.

Drivastenses Episcopi. 232. recensentur. 234. 1. 2.

Drivastenses Episcopi anonymi. 234. 2. 235. 1. E quorum unus interficitur. 235. 2. & alter, qui Metropolitæ Ragusino subjici abnuebat, ad Curiam Lugdunensem ab Innocentio IV. P. citatur. *ibid.*

Drivastensis Episcopatus initia. 233. 2. 234. 1.

Drivastum, civitas Dalmatiæ superioris, ubi sita. 232. 1. 2. variis dominis paruit, nunc Turcis. 233. 1. obsidetur a Scanderbego. 240. 2. a Turcis capitur. 243. 1.

Ducaginorum factio tyrannica in Albania. 82. 2. 422. 2.

Ducas Armanus, Episcopus Scodrensis. 324. 1.

Dussus Episcopus Pullatensis Minor. 270. 2.

Dyrrhachiense Interregnum archiepiscopale. 380. 1.

Dyr-

Digitized by Google

Dyrrhachienses Episcopi Græco schismati adhærentes, 357. 1.
Dyrrhachienses Archiepiscopi, 335. recensentur. 340. 2. primum Episcopi. 341. 1.
Dyrrhachienses Martyres septem. 342. 1.
Dyrrhachienses Inscriptiones. 336. 2. 337.
Dyrrhachienses varias subeunt vices & status. 336. 2. 357. 2. 361. 1. sub Romanis. 336. 2. sub Imperatoribus Græcis. 337. 1. sub Northmannis. 337. 2. sub Theodoro Angelo Comneno & sub Dynastis Andegavensibus. 338. 1. 2. sub Venetis, demum sub Turcis. 339. 1. 369. 2. 375. 2. litteras accipiunt ab Alexandro III. P. 356. 2.
Dyrrhachiensis Archiepiscopus anonymus schismati Acaciano adhæret. 346. 1.
Dyrrhachiensis Ecclesia. 335. ejus initia & jus metropoliticum. 339. 1. & Ecclesiæ eidem subjectæ, 339. 2. ejus status. 355. 2. partim Græcorum schismati adhæret. 356. 2. frustra ab eodem schismate revocatur. 382. 1.
Dyrrhachiensis Archiepiscopus anonymus, conjurationis in Romanum Imperatorem suspectus, absolvitur. 353. 1. 2.
Dyrrhachiensium Antistitum series. 340.
Dyrrhachii conditores & coloni. 335. 1. ejus situs & descriptio, 336. 1. terræ motibus eversum, 347. 1. 361. 362.

E

Ecclesiæ Metropoli Sirmiensi subjectæ. 462. 2. 463. 1. 2.
S. Eleutherius non fuit Sirmiensis Episcopus. 585. 1. 586. 1. 2.
Emanuel de Candia, Episcopus Scodrensis ex Ordine S. Dominici. 313. 2.
Emmanuel Episcopus Sappatensis. 278. 1. antea Episcopus Scodrensis. 314. 1.
S. Epænetus primus Sirmiensis Episcopus. 465. 1. non fuit ex Asia, sed ex Achaja. 465. 1. 2. ejus patria & genus incerta, *ibid.* facile D. Paulli discipulus. 466. 1. ejus elogium ex D. Chrysostomo & Origene. 466. 2. bis fuit Romæ. 467. 1. 2. fit Episcopus Sirmii. 467. 2. 468. 469. 1. ejus memoria & cultus in Ecclesia Græca. 469. 2.
Episcopi suffraganei Metropolis Antibarensis. 191.
Episcopi Sirmiensi Metropoli subjecti. 571.
Epistola Synodica Lucæ Archiepiscopi Dyrrhachiensis & Episcoporum novæ Epiri ad Leonem Imperatorem. 344. 2. 345. 1. 2.
Evander Episcopus Diocletanus interest Concilio Chalcedonensi. 1. 2. fortasse etiam Romano, aut alii incerti loci & anni. 2. 2.
Eucharius Episcopus Dyrrhachiensis. 343. 2. interest Concilio Ephesino. *ibid.*
Eugenius IV. P. Patres Dominicanos in Albania & Serblia degentes Episcopis earum regionum per litteras plures commendat. 87. 2. 88. 1. 2. 371. 1. item commendat Petro Archiepiscopo Antibarensi Stephanum Sardensem Episcopum, 88. 2. in misero Ecclesiæ Albanensis statu plurimas Andreæ Episcopo Albanensi facultates concedit. 198. 1.
Eulalius Episcopus Amantinus interest Concilio Sardicensi, 394. 2. Semiarianum dogma profitetur. *ibid.*
S. Eusebius Episcopus Cibaliensis & Martyr, 574. 2.
Eusebius Episcopus Apolloniensis interest Concilio Chalcedonensi, 396. 2.
Eustathius Archiepiscopus Dyrrhachiensis interest an. 1156. Concilio Constantinopolitano, 354. 2. quamvis eidem subscripserit, e sede episcopali dejicitur. 355. 1.
Eutherius Episcopus Sirmiensis interest Concilio Sardicensi, 518. 2.

F

Felix Episcopus Apolloniensis & Bullidensis interest Concilio Ephesino contra Nestorium. 396. 1. 407. 2.
Ferdinandus Ughellius, corrigitur quoad Ludovicum Clericatum Archiepiscopum Antibarensem. 102. 1.
Ferdinandus de Rosas, Episcopus Alexiensis, ex Ordine S. Mariæ de Mercede. 390. 1.
Ferdinandus de Saxamone, Episcopus Crojensis, 431. 2.
Formula Fidei a Nicolao IV. P. ad Urosium missa regem Serbliæ pro Græcis schismaticis. 47. 2.
B. Franciscus Dyrrhachinus ex Ordine S. Francisci. 364. 1. ejus acta. 364. 2. 365. 1. 2.
Franciscus Gravanus, e catalogo Archiepiscoporum Antibarensium expunctus. 67. 1.
Franciscus de Leonardis, Archiepiscopus Antibarensis. 126. 2. antequam Archiepiscopus fieret, controversiam de finibus inter Episcopos Albanensem & Alexiensem composuit. 203. 2. Missionarius Apostolicus in Serblia. 127. 1. scribit commentarium de statu Ecclesiæ Græcæ & Rascianæ. *ibid.* Marderium Episcopum schismaticum Montisnigri ad communionem Ecclesiæ Romanæ revocat. 128. 2. Archidiaconus Traguriensis componit controversiam de finibus diœcesis inter Episcopos Sardensem & Alexiensem. 285. 2. 286. 287. creatur Archiepiscopus. 129. 2. moritur. 130. 1.
Franciscus II. Borzius, Archiepiscopus Antibarensis ex Episcopo Scodrensi. 290. 1. 334. 2. pie hanc Ecclesiam administrat. 290. 2. administrator etiam Ecclesiæ Buduensis. 229. 2.
Franciscus Episcopus Drivastensis, dein Olciniensis, ex Ordine S. Francisci. 237. 2. ad ecclesiam Olciniensem transit. 238. 1. 256. 2.
Franciscus II. ab Ecclesia, Episcopus Drivastensis. 243. 2. adjutor Episcopi Tridentini. *ibid.* ejus epigraphe sepulcralis. *ibid.*
Franciscus III. de Mora, Episcopus Drivastensis ex Ordine S. Francisci. 246. 2. obiit. 247. 1.
Franciscus IV. de Solis, Episcopus Drivastensis. 247. 2.
Franciscus Blancus, Episcopus Sardensis & Sap-

Digitized by Google

Sappatensis. 285. 1. contendit de finibus dioecesis cum Episcopo Alexiensi. 285. 2. obsignat litteras compositionis cum eodem. 285. 2. 286. 287. PP. Franciscanos in gratiam recipit. 287. 2.

Franciscus Episcopus Scodrensis. 310. 2.

Franciscus II. de Sanctis, Episcopus Scodrensis ex Ordine S. Francisci. 314. 2. ejus acta. 317. 1.

Franciscus Cruta possessionem quorumdam praediorum ecclesiæ S. Joannis Buduensis obtinet. 226. 2. Administrator Ecclesiæ Buduensis. 227. 1. ejus Constitutiones. *ibid.* fit Episcopus Scodrensis. 228. 1. 327. 1.

Franciscus Quirinus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis ex Archiepiscopo Crainensi. 375. 1. 447. 2. Ejus obitus & inscriptio sepulchralis. 376. 1.

Franciscus de Comitibus, Episcopus Alexiensis, ex Ordine S. Francisci. 389. 2.

Franciscus de Scio, Episcopus Crojensis, ex Ordine S. Francisci. 431. 2.

Franciscus Episcopus Sirmiensis. 553. 2.

Franciscus II. Janyus, Episcopus Sirmiensis. 568. 1. Comes Sirmii. 568. 2. obiit, *ibid.*

Franciscus Josephus Vrmiesius, Episcopus Sirmiensis. 569. 1.

G

G. Episcopus Olciniensis confirmat PP. Dominicanis hospitium S. Mauri in civitate sua. 250. 2.

G. Episcopus Svaciensis. 294. 1. 295. 1.

Gabriel Episcopus Sappatensis electus, ex Ordine S. Francisci. 278. 2.

Gabriel Fuscus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, ex Ordine S. Augustini. 377. 2. Sacrista Papæ. 378. 1. Administrator Ecclesiæ Castrensis. *ibid.* ejus acta. 378. 2. 379. 1. ejus obitus & elogium. *ibid.*

Gabriel Hermannus Patacsichius Episcopus Sirmiensis fit Archiepiscopus Colocensis. 569. 2.

Gaspar Archiepiscopus Antibarensis ex Ordine S. Dominici. 44. 2. An ipsi scriptæ sint litteræ Gregorii X. & Innocentii V. P. 45. 1.

Gaspar Episcopus Canoviensis postremus, ex Ordine S. Dominici. 411. 1.

Georgius Castriotus, cognomento Scanderbegus, nascitur. 414. 2. Crojam eripit Turcis. 415. 1. 2. Crojæ dynasta. 413. 1. 415. res ab eo gestæ in Epiro. 415. 2. 416. 1. litteras accipit ab Uladislavo Rege Poloniæ. 416. 1. quibus respondet. 417. 1. Crojam a Turcis oppugnatam defendit. 418. 1. Pontificis, Regum Neapolis, & Hungariæ, & Burgundiæ Ducis legationes excipit honorifice 417. 2. 418. 2. uxorem duxit, ex qua filium suscepit 418. 2. Callistus III. P. litteras & subsidium illi mittit 419. 1. 2. 420. 1. 2. insigni victoria fugat Turcas 421. 1. alias litteras & subsidia recipit a Callisto P. 421. 2. item litteras a Pio II. P. quibus illi negat quod petierat 422. 2. in Italiam transit 423. 2. litteris Joannis Antonii Ursini dynastæ Tarentini contumeliosis respondet 423. 2. 424. 1. in Epirum redit, & duos Turcarum exercitus fugat 424. 2. pacem conficit cum Mehemete, quam postea abrumpit. 425. 1. 2. Turcas in fugam vertit. 425. 2. Pii II. P. morte extremæ tristitiæ se tradit, *ibid.* a Croja Turcis iterum fugatis, Romam venit, & Paullum II. P. auxilium petens alloquitur 426. 1. 2. 427. 1. in Epirum redit & Crojam ab obsidione bis liberat 427. 2. 428. 1. 2. Venetias venit 428. 2. domum revertit. *ibid.* moriens filium alloquitur 429. 1. obiit Alexii 389. 1. 429. 2. ejus funus & elogium. 429. 2.

Georgius Episcopus Pullatensis Minor. 270 2.

Georgius Episcopus Sappatensis ex Archipresbytero S. Michaelis de Plebe. 277. 2. litteras accipit a Callisto III. P., ut Paullum Crainensem Archiepiscopum pœnis ecclesiasticis afficiat, *ibid.*

Georgius Episcopus Sardensis & Sappatensis. 280. 1.

Georgius II. Palma, Episcopus Sardensis & Sappatensis ex Primicerio Antibarensi 282. 1. ejus elogium. 282. 2.

Georgius IV. Theodorus, Episcopus Sardensis & Sappatensis. 290. 1. præest Concilio nationali Albanensi. *ibid.*

Georgius V. Vladagnus, Episcopus Sardensis & Sappatensis. 291. 1.

Georgius Episcopus Alexiensis ex Ordine S. Dominici a Leone X. P. electus, datis ad eum litteris. 389. 2.

Georgius II. Vladagnus, Episcopus Alexiensis. 393. 1.

Georgius Sgutus, Episcopus Stephanensis. 406. 2.

Georgius Blancus, Archiepiscopus Antibarensis ex Episcopo Sardensi & Sappatensi. 126. 1. 284. 2. de liberando Epiro ab Turcarum captivitate consilium init. 126. 2. ad Ecclesiam Sappatensem redit. *ibid.* 288. 1.

Georgius II. Junchius ex Ecclesia Alexiensi ad Archiepiscopatum Antibarensem translatus 189. 2. Ecclesiam Buduensem administrat 229. 2. 394. 1. obiit. *ibid.*

Georgius III. Angelus Radovannus, Archiepiscopus Antibarensis ex Episcopo Scodrensi 189. 2. 334. 2. Ecclesiam Buduensem administrat 229. 2. Ejus obitus & epitaphium, *ibid.* primum fuit Episcopus Pullatensis. 269. 1.

Georgius Episcopus Scodrensis. 308. 1.

Georgius Sumina, Episcopatum Scodrensem invasit. 310. 1.

Georgius Pandusius, Episcopus Bendensis & Priscensis ex Ordine S. Dominici. 404. 2.

Georgius Episcopus Sirmiensis. 551. 1.

Georgius II. Episcopus Sirmiensis. 551. 2.

Georgius III. Jakusius, Episcopus Sirmiensis nominatus transfertur ad Ecclesiam Vesprimiensem. 567. 1.

Gerardus Galata, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 383. 1.

Germinius Episcopus Sirmiensis. 533. 2. interest Concilio Mediolanensi, & a Concilio

Digitized by Google

lio legatus mittitur ad Eusebium Vercellensem Episcopum. 534. 1. condemnationi S. Athanasii subscribit, 534. 2. secundo præest Concilio Sirmiensi, 534. 2. 535. 1. tertio Concilio Sirmiensi interfuit, 536. 1. & Conventui, ubi edita est tertia Fidei formula, 537. 1. 2. Ejus scelera in Ariminensi Concilio. 537. 2. an constans in Semiarianismo, aut ad Catholicos reversus fuerit. 538. 1. 2. obiit. 638. 2. Ursacii Episcopi & conciabuli Singidunensis ad eum litteræ, ut a Semiarianismo ad Arianos deficiat, 606. 2. 607.

Gervicus Episcopus Balleacensis ex Ordine S. Francisci per litteras Clementis VI. P. eligitur. 207. 1.

Gadefridus Greverayus, Episcopus Daynensis, ex Ordine Carmelitarum. 232. 1.

Gratia Episcopus Olciniensis ex Ordine S. Francisci 253. 1. litteras accipit a Joanne XXII. P. 253. 2. diu Avenione versatur *ibid.* ad Ecclesiam Polensem transfertur. 254. 1.

Gregorius Episcopus Sirmiensis ex Ordine S. Francisci 552. 1. litteras electionis recipit a Joanne XXII. P. *ibid.*

Gregorius II. Episcopus Sirmiensis ad Chanadiensem Ecclesiam translatus. 553. 1.

Gregorius III. Nagyfalvagius Episcopus Sirmiensis solum nominatus. 567. 1.

S. *Gregorius Magnus P.* Paullum Episc. Diocletanum e sua sede dejectum & Nemesionem ei rite substitutum declarat. 4. 1. ut sententiam contra Paullum exsequatur, mandat Constantio Archiepiscopo Scodrensi 307. 2. scribit Malcho Episcopo Delmitano, ut controversias componendas curet, quæ Stephano Archiepiscopo Scodrensi erant cum Joanne consiliario Georgii præfecti Italiæ 306. 2. ad Joannem Archiepiscopum Scodrensem scribit 307. 1. transfert ad Ecclesiam Squillitanam Joannem Episcopum Lissensem, datis ad eum litteris 387. 1. tres Sebastiano Episcopo Sirmiensi mittit epistolas. 541. 2.

Gregorius VII. P. litem inter Archiepiscopos Spalatensem, Ragusinum, atque Antibarensem curat componendam 21. 1. 2. 22. 1. de eaque scribit ad Michaelem Regem Slavorum 22. 2.

Gregorius IX. P. Priori Fratrum Prædicatorum jubet, ut viros selectos sui Ordinis mittat in provinciam Antibarensem ad res ecclesiasticas reformandas. 35. 1. Ecclesiam & provinciam Antibarensem subjicit Metropolitæ Ragusino. 35. 2. de restituendo Episcopatu Sirmiensi scribit ad Ugrinum Archiepiscopum Colocensem 544. 1. & ad Ægidium Capellanum suum 545. 2. litteras mittit ad eumdem Archiepiscopum Colocensem contra Archidiaconum Sirmiensem. 548. 2.

Gregorius XIII. P. litteras dedit ad Tossolum Episcopum Sardensem & Sappatensem, & de eodem ad Joannem Barabbium. 281. 2. 282. 1.

Gregorius e gente Chrysogona Archiepiscopus Antibarensis. 23. 2. Raynerium Archiepiscopum Spalatensem suum Primatem agnoscit, eumque ut pallium a Pontifice obtineat, rogat per litteras. 24. 1. 2. pallium impetrat 25. 2. 26. 1. ad Canonicos duos Spalatenses scribit, se Romam proficiscentem commendaturum Pontifici Ecclesiam Spalatensem. 26. 1. & ad Gualterium Legatum Apostolicum de Ecclesia sua. 26. 1. 2. testis cujusdam sententiæ Petri Arch. Spalat. 26. 2. Archiepiscopatum dimittit, & testamentum facit, *ibid.*

Gregorius Episcopus Svaciensis ex Ord. S. Franc. 295. 2. electus Archiepiscopus Antibarensis, Archiepiscopatum dimisit. 60. 1. & Episcopatum Suaciensem 295. 2.

Gregorius de Novaria, Administrator Ecclesiæ Buduensis. 228. 1.

Gregorius Episcopus Pullatensis Minor. 270. 1.

Gregorius Fratinius, Episcopus Scodrensis ex Ordine S. Francisci, & Administrator Buduensis 327. 1. Venetias se recipit. 327. 2.

Gregorius Archiepiscopus Dyrrhachiensis 354. 1. interest Concilio Constantinopolitano. 354. 2.

Gregorius II. Stemagu, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 379. 2.

Gregorius Episcopus Alexiensis ex Ordine S. Dominici. 387. 1. 2.

Gregorius Episcopus Crojensis. 414. 2.

Guffridus Archiepiscopus Antibarensis ex Ordine S. Francisci. 41. 2. matrimonium in quarto consanguinitatis gradu auctoritate apostolica ratum fecit. 42. 2.

Guillelmus Archiepiscopus Antibarensis ex Episcopo Soltaniensi. 67. 1. erat ex Ordine S. Dominici, *ibid.* diu abfuit ab Antibari. 69. 2. jubetur a Benedicto XII. P. ad suam ecclesiam redire. 70. 1. Episcopatum dimittit. 70. 2.

Guillemus Episcopus Balleacenris. 207. 1.

Guillelmus Agieton, Episcopus Daynensis postremus, ex Ordine S. Dominici. 232. 2.

Guillelmus Fourbius, Episcopus Alexiensis, Carmelita 390. 2. adjutor Episcopi Bellicensis. *ibid.*

Gundisalvus de Ubeda, Episcopus Drivastensis. 247. 1.

Gundisalvus Carvagial, Episcopus Buduensis. 220. 1.

H

Hansizius, qui Sirmiensem Ecclesiam Metropolim fuisse negat, refellitur. 454. & seq.

Helena, *Regina Serbliæ*, monasterium fundat S. Mariæ de Rotacio prope Antibarim. 43. 2. ejus pietas & munificentia, *ibid.* ad fidem catholicam filios suos reducendos curat. 46. 2. litteras accipit a Nicolao IV. P. ut filios ad Catholicam religionem reducat. 48. 2. aliasque duas de suæ conscientiæ moderatore eligendo, deque Bulgariæ Imperatore ad Catholicam communionem reducendo. 52. 2. quatuor cœnobia fundavit. 59. 1. & templum Scodrense SS. Sergii & Bac-

Digitized by Google

Baccbi. 60. 1. 308. 2. ejus obitus & filii. *ibid.*

Henricus Episcopus Scodrensis, 310. 2.

S. Hermes Martyr Sirmiensis. 482. 1. 2. martyrium subiit Sirmii. 483. 1. 2. fortasse Sirmii Episcopus. 483. 2. 484. 1. quando martyrium subierit, 484. 2.

S. Hermogenes Martyr Cibaliensis. *Vide* SS. Venustum, & Hermogenem.

S. Hermylus Diaconus, Martyr Singidunensis 595. 2. Græcorum, Ruthenorum, & Latinorum de eo testimonia. 595. 2. 596. 1. 2. 597. 1. ejus verum nomen 597. 2. & munus, & ætas, *ibid.* 598. 1. ejus martyrium & cultus, præsertim Constantinopoli. 598. 1. 2. quo tempore martyrium subiverit. 598. 2. 599. 600. 601. 1. Singiduni passus est. 601. 2. Acta ejus martyrii cum notis. 602. 603. 604. 605. 606.

Hieremias, Archiepiscopus Crainensis, forte Tranensis, 447. 2.

Hieronymus Luciebius, Episcopus Drivastensis ex Ordine Franciscano. 248. 1. ad Ecclesiam Guardiensem translatus. *ibid.*

Hieronymus de Carpo, Episcopus Scodrensis ex Ordine S. Francisci, 321. 2.

Hieronymus Montaneus, Archiepiscopus Antibarensis, e Clerico Ecclesiæ S. Bartholomæi Venetiarum. 97. 2. interest Concilio Lateranensi. 99. 2. obiit, 100. 1.

Hieronymus Magnan, Episcopus Buduensis ex Ordine S. Francisci. 219. 2. censecrat Ravennæ Episcopum Archadiensem. *ibid.* interest Concilio Lateranensi. *ibid.* ad Ecclesiam Vestanam transfertur. *ibid.*

S. Hilarii Censuræ in Concilium Sirmiense, & Anathematismi in Photinum, 520. & seq.

Hilgerus, Episcopus Buduanensis an a serie Episcoporum Buduensium expungendus. 217. 2.

Hippolytus a Gurgo, Archiepiscopus Antibarensis, an retinendus in Archiepiscoporum serie. 125. 2.

Honorius III. P. tres dedit litteras ad Joannem Archiepiscopum Antibarensem. 33. 2.

Horreo-Margensis Ecclesia in Mœsia superiori. 592. 1.

Horreo-Margus urbs Mœsiæ inferioris episcopalis. 592. 1. 2. distinctus a Margo. *ibid.*

Hyacinthus Demetrius, Episcopus Seniensis, non fuit Episcopus Buduensis, 225. 2.

I

Jacobus de Breberio, Episcopus Buduensis ex Ordine S. Francisci, litteris acceptis a Nicolao V. P. 216. 2. potestas illi facta a Callisto III. P. sacerdotia obtinendi. 217. 1.

Jacobus II. de Medio, Episcopus Buduensis, ex Ordine S. Francisci. 220. 1. idem & Olciniensis Episcopus, 220. 2. 259. 1. cognominatus etiam Dalmatius. *ibid.* controversias inter Patres Franciscanos S. Mariæ de Puncta, & Canonicos Buduenses componit. 221. 1. litteras accipit a Julio III. P. ut prædii locationem confirmaret, quam Abbas S. Nicolai ad Bollianam fluvium fecerat Antonio Bruto. 259. 1.

Jacobus Humanus, Episcopus Scodrensis ex Abbate S. Spiritus Caltanisettæ. 320. 1. Vicarius Episcopi Syracusani cultum B. Conradi instituit Neti in Sicilia. 320. 2.

Jacobus Episcopus Albanensis, natione Hispanus. 200. 1.

Jacobus Episcopus Sardensis 274. 2. ad Ecclesiam Giraclensem transfertur. 275. 1.

Jacobus II. Episcopus Sardensis. 275. 2.

Jacobus Episcopus Sirmiensis 553. 2. de adventu B. Jacobi Piceni ad suam diœcesim scribit Eugenio IV. P. 554. 1. sedem ingruentibus Turcis Villacum transfert. *ibid.*

Jacobus II. Episcopus Sirmiensis. 555. 1.

B. Jacobus Picenus, Sirmium venit. 554 1.

Jacobus Blasius Mikola, Episcopus Sirmiensis. 553. 2.

Jacobus Episcopus Aulonensis ex Ordine Carmelitarum. 398. 2. 399. 2. ejus obitus & inscriptio sepulcralis. 400. 1.

Jacobus de Sulizio, Archiepiscopus Crainensis. 447. 2.

Jacobus II. Archiepiscopus Crainensis postremus. 448. 2.

Jani Pannonii gesta & elogium. 557. 1. 2.

S. Ignatius M. Dyrrhachium venit. 342. 2.

Incellerius Episcopus Buduensis, ex Ordine Heremitarum S. Augustini. 212. 2. 213. 1.

Innocentii I. P. epistola ad Laurentium Episcopum Sirmiensem. 540. 1. 2.

Innocentius III. P. ad duos Legatos, ad Vulcanum Regem Dalmatiæ missos, monita dat per litteras. 27. 2. ad eumdem Vulcanum de eo ipso scribit, ad ejus uxorem, ad ejus fratrem hujusque uxorem, ad Archiepiscopum Diocleensem, Antistites, & clerum Dalmatiæ. 28. 1. 2. ad eosdem Legatos alias scribit litteras de pallio Archiepiscopo Antibarensi tradendo, 29. 1. a Vulcano Rege aliisque responsum recipit. 31. 2. *& seq.* Joanni Archiepiscopo Antibarensi mandat per litteras, ut de redditibus Ecclesiæ Svaciensis Episcopo Svaciensi subveniat. 33. 2. 293. iterum & tertio ad Joannem Arch. scribit. 33. 2. 294. 2. Albanensi Episcopo jubet, ut Prætorem Dyrrhachii ad restitutionem adigat eorum, quæ abstulerat Dyrrhachiensi Archiepiscopo. 194. 1. 359. 1. & de eadem restitutione scribit ad Episcopos Patavinum, & Cenetensem, & ad Abbatem S. Martini de Colle. 359. 1. 2. Episcopum Dyrrhachiensem electum a Canonicis confirmat. 360. 2.

Innocentius IV. P. rescissa electione Capitulari, eligit Archiepiscopum Antibarensem F. Joannem de Carpino. 36. 1. eidem duas dat epistolas de direptoribus bonorum episcopalium, & de Clericis excommunicatis. 38. 1. de bonis Ecclesiæ Antibarensis scribit ad Episcopos Dulchiniensem, & Suaciensem, 38. 2. & de decimis ad Joannem Archiepiscopum Antibarensem, *ibid.* Episcopos Provinciæ Antibarensis, ut Archiepiscopo Ragusino morem gerant, Lugdunum citari jubet,

Digitized by Google

bet. 39. 2. controversiam inter eosdem duos Archiepiscopos Episcopo Sabinensi, & Anconitano demandat. 39. 2. 40. 1. Alteram Guffrido Archiepiscopo Antibarensi a se electo, alteram epistolam dedit Episcopis illi Suffraganeis. 41. 2. 42. 1. mandat per litteras Centiberio Episcopo Catharensi, ut Episcopum Albanensem adigat ad suum Metropolitam Antibarensem agnoscendum. 194. 2. 195. 1. in sinum Ecclesiæ Catholicæ recipi jussit Episcopum Arbanensem Schismaticum datis litteris ad Archiepiscopum Antibarensem. 195. 2. Marcum Episcopum Olciniensem citari jubet in controversia Archiepiscopi Ragusini, & Antibarensis. 251. 2. de electione vitiosa Episcopi Zagrabiensis ut inquirat, Oliverio scribit Episcopo Sirmiensi. 549. 1.

Innocentius VI. P. legatos eum litteris ad Stephanum Serbliæ Regem mittit, qui ad Ecclesiam Catholicam redire cupiebat. 72. 2. in eamdem sententiam scribit Helenæ Reginæ ac primariis Serbliæ proceribus. 74. 2. itidem ad Patriarcham Serbliæ. *ibid.* ad Serbliæ Præsules. 75. 1. & ad suos ipsos legatos. 75. 2.

Innocentius Stoicinus, Episcopus Alexiensis, ex Ordine S. Benedicti. 391. 2. sententiam tulit secundum Virgines Dominicanas Ragusienses contra Franciscum Restium. 392. 1.

SS. Innocentius, Sebastia, & triginta Martyres Sirmienses. 510. 1.

Interregnum Episcopale Antibarense. 22. 2. 23. 1.

Interregnum Archiepiscopale Antibarense. 85. 1.

Joachimus Kerius, Episcopus Sirmiensis nominatus, ex Ordine Paullino. 568. 1.

B. Joannes a Capistrano Willachi obiit in diœcesi Sirmiensi 555. 2. ejus epitaphium. 556. 1. ut in album Sanctorum referatur, curant Willacenses. *ibid.*

Joannes XXII. P. Catholicos Albaniæ solatur, datis ad eos litteris. 63. 2. legatos, & litteras mittit ad Stephanum Urosium Serbliæ Regem. 68. 1. iisdemque legatis, ut Serbliæ regnum in communionem Catholicæ Ecclesiæ recipiant. 69. 1. dato diplomate Episcopum Olciniensem eligit F. Gratiam. 253. 2. Gregorium eligit suis litteris Episcopum Sirmiensem. 552. 1.

Joannes Rosa, Episcopus Suaciensis. 301. 1. ad Ecclesiam Scardonensem transit. 301. 2.

Joannes Episcopus Drivastensis. 236. 2. Avenionem missus a Dominico Archiepiscopo Antibarensi. *ibid.* interest Scodræ publicæ fidei professioni a Balsichiis editæ Dynastis Zentæ. *ibid.* transfertur ad Metropolim Antibarensem, ubi fuit Joannes V. 79. 1. 80. 1. 237. 1.

Joannes II. de Laguis Episcopus Drivastensis. 247. 1.

Joannes Episcopus Olciniensis consecravit Metropolitam Ragusinum. 250. 2. sua sede dejectus. 251. 1.

Joannes II. Episcopus Olciniensis in clericos suos jurisdictione privatus. 251. 1.

Joannes III. Episcopus Olciniensis ex Episcopo Fogiensi. 254. 2.

Joannes IV. Episcopus Olciniensis, ex Ordine S. Francisci. 255. 2.

Joannes Episcopus Pullatensis Minor, ex Ordine S. Dominici. 270. 1.

Joannes Galata, Episcopus Sardensis, & Sappatensis, transfertur ad Ecclesiam Alexiensem. 290. 2. 393. 2. inde ad Dyrrhachiensem. *ibid.*

Joannes Episcopus Alexiensis. 386. 2. ad Squillitanam Ecclesiam transfertur a S. Gregorio M. acceptis ab eo litteris. 387. 1.

Joannes II. de Gionema, Episcopus Alexiensis, ex Ordine Minorum. 390. 1.

Joannes III. de Stymac, Episcopus Alexiensis ex Archipresbytero Montis Milonis. 390. 2.

Joannes IV. Crassinga, Episcopus Alexiensis. 391. 1. captivus sub Turcis. 391. 2.

Joannes Mocenicus Dux Venetiarum jubet Prætori Tarvisii, ut conferendum curet beneficium aliquod ecclesiasticum Francisco II. Episcopo Scodrensi. 317. 1.

Joannes Pascallus, e serie Antistitum Scodrensium expungitur. 309. 1.

Joannes Episcopus Scodrensis. 311. 2. absens epistolam recipit a Martino V. P. qui annuam eidem assignat pensionem. 312. 2. quædam ejus acta. 313. 1.

Joannes Episcopus Pullatensis. 264. 1.

Joannes II. Episcopus Pullatensis. 265. 2.

Joannes III. Logorezzius, Episcopus Pullatensis. 269. 2. postea Episcopus Sappatensis, *ibid.* 291. 2.

Joannes de Palumbis, Episcopus Sardensis. 275. 2.

Joannes Chrysostomus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis solum titulo, ex Ordine S. Francisci. 384. 2.

Joannes Bonaventura, Episcopus Sardensis, & Sappatensis, ex Ordine S. Francisci. 280. 2.

Joannes Episcopus Sirmiensis ex Præposito Orodiensi. 550. 2.

Joannes II. Episcopus Sirmiensis. 552. 2.

Joannes III. Episcopus Sirmiensis. 353. 1.

Joannes IV. Vitezius, Episcopus Sirmiensis. 558. 1. Orator Regis Hungariæ ad Innocentium VIII. P. 558. 2. Olomuciensis Ecclesiæ administrator, *ibid.* ad Ecclesiam Vesprimiensem transfertur. 559. 1.

Joannes V. Episcopus Sirmiensis. 560. 2.

Joannes VI. Orszaghius, Episcopus Sirmiensis, 561. 2. ad eum litteræ Leonis X. P. ut de gestis a Joanne de Capistrano inquirat. *ibid.* ad Ecclesiam Vaciensem translatus, 562. 1.

Joannes VII. Szaszius, Episcopus Sirmiensis nominatus. 568. 1.

Joannes VIII. Lusinszkius, Episcopus Sirmiensis nominatus, postea Episcopus Chanadiensis. 568. 1.

Joannes Castriota, primus Crojæ dynasta. 414. 2. obiit. 415. 1.

Joannes ex Ordine S. Dominici electus a Capitulo Archiepiscopus Antibarensis, rejicitur ab Innocentio IV. P. 36. 1.

Joan-

Digitized by Google

Joannes Archiepiscopus Antibarensis, 27. 1. litteras, & pallium recipit ab Innocentio III. P. 28. 2. 29. 1. Concilio provinciali Delmitano subscripsit. 30. 2. gratias agit Innocentio III. P. de pallio sibi transmisso, & de Concilio Diocleæ habito certiorem facit. 31. 2. ut Episcopo Svaciensi subveniat, jussus ab eodem Innocentio III. 33. 1. 293. alias litteras accipit ab eodem Pontifice, & ab Honorio III. P. 33. 2. 293. 294. ob senectutem minus idoneus factus est ad regendam Ecclesiam. 35. 1. obiit. 36. 1.

Joannes II. Archiepiscopus Antibarensis, ex Ordine S. Francisci, dictus de Plano Carpini. 36. 1. 2. ejus gesta ante pontificatum. 36. 2. 37. 1. mittitur legatus ab Innocentio IV. P. ad Ludovicum Regem Galliæ. 37. 2. Synodum provincialem convocat. *ibid.* binas de eodem Concilio recipit litteras ab Innocentio P. 38. 1. captus a Ragusinis, & dimissus. 39. 1. ab Archiepiscopo Ragusino de jure metropolitico postulatus apud Innocentium P. 39. 2. jus suum tuetur per Stanecham procuratorem, 40. 2. caussam obtinet, ut probabile est, contra Archiepiscopum Ragusinum. 41. 1. 295. 2. obiit. 41. 2. Beati tituto gaudet. *ibid.*

Joannes III. Zaulinus, Archiepiscopus Antibarensis, e Canonico. 70. 2. obiit. 71. 2.

Joannes IV. Archiepiscopus Antibarensis, ex Ordine S. Dominici. 78. 1. pensiones pro se & suis Episcopis solvit Legato Apostolico. 78. 1. litem composuit inter duos electos Olcinienses Episcopos. 78. 2. ad Metropolim Cæsariensem transfertur. 79. 1. titulum Antibarensis retinuit. 79. 2. obiit Ragusii. 80. 1.

Joannes V. ex Episcopo Drivastensi. 236. 2. *Vide supra.*

Joannes VI. Balza, Archiepiscopus Antibarensis e Canonico Antibarensi. 85. 1. e dignitate deponitur. 85. 2.

Joannes VII. de Tagliacotiis, Archiepiscopus Antibarensis. 100. 2.

Joannes VII. de Brunis, Archiepiscopus Antibarensis. 102. 2. interest Concilio Tridentino. 103. 1. Antibarim reversus litem habuit cum Abbate Rotaciensi. *ibid.* Olchiniensem, & Buduensem Ecclesiam administrat. 103. 2. 225. 1. 260. 1. apud Turcas captivus 104. 2. ab iisdem interficitur. 105. 1.

Joannes Episcopus Urbinensis dictus, an fuerit Albanensis, 196. 1.

Joannes I. & Joannes II. Episcopi Albanenses, non Arbenses. 197. 1.

Joannes III. de Corona, Episcopus Albanensis, ex Ordine Prædicatorum. 198. 2. binas recipit Epistolas a Julio II. P. quibus Episcopus eligitur. 199. 1. aram S. Dominici Jaderæ, & Ecclesiam S. Antonii consecrat Pagi 199. 2. ejus obitus, & inscriptio sepulcralis. 199. 2. 200. 1.

Joannes IV. Collesius, Episcopus Albanensis, ex Ordine S. Francisci. 202. 2. ejus acta & obitus. 203. 1. 407. 2.

Joannes Episcopus Buduensis, ex Ordine S. Francisci. 213. 2. Vicarius Episcopi Tarvisini consecrat ecclesiam Acelensem Fratrum Minorum. *ibid.* Vicarius itidem Episcopi Tridentini. 214. 1.

Joannes II. Lucianus, Episcopus Buduensis, ex Ordine S. Francisci. 214. 2. indulgentias elargitur Sodalitio Bellunensi S. Mariæ Battutorum, ædemque S. Jacobi de Judaica consecrat Venetiis. *ibid.* & Ecclesiam Venetam S. Mariæ de Misericordia. 215. 1.

Joannes III. Episcopus Buduensis. 215. 1.

Joannes IV. Episcopus Buduensis. 215. 2.

Joannes V. de Sillanega, Episcopus Buduensis, ex Ordine Prædicatorum. 216. 1.

Joannes VI. Rubinus, Episcopus Buduensis. 216. 2. ad Ecclesiam Coreyrensem, & Stagnensem translatus, *ibid.*

Joannes VII. Episcopus Buduensis. 218. 1. sacerdotium S. Theclæ Atestinum dimisit. *ibid.*

Joannes Butata, Administrator Ecclesiæ Buduensis. 228. 1.

Joannes Marcovichius, Administrator Ecclesiæ Buduensis, 228. 2.

Joannes Wergievorade, Episcopus Budinensis, e serie Buduensium expungitur. 219. 2.

Joannes Episcopus Daynensis, ex Ordine Prædicatorum, 230. 1. ad Civitatensem Ecclesiam transfertur, 230. 2.

Joannes II. Zupparis, Episcopus Daynensis, 231. 2.

Joannes Georgius Schelhornius, quod Concilio irriserit Tridentino, confutatur. 229. 1.

Joannes de Panella, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 368. 2. schismati adhærens ad Ecclesiam Caputaquensem transfertur a Clemente VII. Antipapa. 369. 2.

Joannes II. Archiepiscopus Dyrrhachiensis, ex Ordine S. Dominici. 370. 1. litteras accipit de sua electione a Joanne XXIII. P. *ibid.*

Joannes III. de Monte, Archiepiscopus Dyrrhachiensis ex Archidiacono. 371. 1.

Joannes IV. Galata, Archiepiscopus Dyrrhachiensis ex Episcopo Alexiensi. 384. 1.

Joannes de Malveau, Episcopus Aulonensis titularis. 400. 2.

Joannes Almedonaris, Episcopus Stephanensis, ex Ordine S. Francisci. 406. 1.

Joannes II. Casella, Episcopus Stephanensis, ex Ordine S. Francisci. 406. 1.

Joannes Hermanus, Episcopus Canoviensis. 410. 1.

Joannes Episcopus Crojensis, ex Ordine S. Francisci. 431. 2.

Joannes II. de Vaula, Episcopus Crojensis, 432. 2.

Joannes Baptista Cantellius, Archiepiscopus Crainensis. 448. 1.

Joannes ab Episcopis Sirmiensibus expunctus. 542. 1.

Joannes Baptista Paxius, Episcopus Sirmiensis. 570. 1. ad Ecclesiam Zagrabiensem transfertur. 571. 1.

Joannes Archiepiscopus Diocletanus interest Concilio Nationali Spalatensi. 6. 1. ca-

Digitized by Google

pta, & diruta Dioclea a Rege Bulgarorum, Ragusium fugit. 6. 2. fit Archiepiscopus Ragusinus. *ibid.*

Joannes Carolus Antonellus, Episcopus Diocleensis nomine tantum. 7. 2.

Joannes Capellanus & Simon Subdiaconus Innocentii III. P., Legati Sedis apostolicæ, Concilio provinciali præsunt Diocleæ. 29. 2.

Joannes Archiepiscopus Scodrensis litteras accipit a S. Gregorio Magno. 307. 1.

Joannis Antonii Ursini, dynastæ Tarentini, epistola ad Georgium Castriotum contumeliis plena. 423. 2. & Georgii responsio. 424. 1.

Joseph Maria Bonaldus, ex Ordine Prædicatorum, Archiepiscopus Antibarensis. 130. 1. ejus consilia de Antibari a Turcis recuperanda. 131. 1. 2. multa ejus præclare gesta. 132. 1. ejus morbus extremus, & pia mors. *ibid.*

Josephus Maria Favina, Episcopus Sirmiensis. 568. 2.

S. Irenæus, Episcopus Sirmiensis, 486. 2. & Martyr, 487. 1. Acta ejus martyrii Latina. 487. 1. 2. *& seq.*

Iscensis Ecclesia in Mœsia. 611. 2.

Isidorus Almopaveri, Episcopus Pullatensis ex Canonico Neritonensi. 265. 2. transfertur ad Metropolim Hieracensem. *ibid.*

Isidorus Apparisio Gilart, Episcopus Crojensis postremus. 432. 2.

Julianus Episcopus Stephanensis ad Calamonensem Ecclesiam transfertur. 405. 2.

Julianus Imperator Photino hæretico favet. 532. 1. ad eum Epistolam scribit, *ibid.*

Julius II. P. binis litteris Episcopum Albanensem eligit Joannem Coronam. 198. 2. 199. 1. & tribus eligit Dominicum Episcopum Sardensem, & Sappatensem. 279. 1. 2. Nicolaum Foresium eligit præpositum Sacello Pontificio, & Archiepiscopum Dyrrhachiensem. 377. 1. 2.

Julius III. P. scribit ad Jacobum Episcopum Olciniensem, & ad Archiepiscopum Antibarensem, ut locationem confirment, quam Abbas S. Nicolai ad Bollianam fluvium fecerat Antonio Bruto. 259. 1.

S. Junia, quomodo cognata fuerit D. Paulli. 470. 1. 2. facile Judæa fuit, & Galilæa. 471. 1. 2. laudatur a D. Paullo, & conceptiva vocatur. 473. 1. 2. Junia, non Julia, fuit, & fœmina, non vir. 478. 1. 2. fit comes S. Andronico. 478. 2. apostolicæ ejus vitæ ratio, & in Sirmiensem Ecclesiam merita. 479. 1. ejus obitus, & Constantinopolim translatio. 479. 2. ejus cultus apud Græcos, & Ruthenos, & altera translatio. 480. 1. 2. 481. 2.

Justiniana prima, caput Illyrici. 3. 2.

Justinianus Imp. Gothis expulsis, Illyrico potitur. 3. 1. 2.

Justus a serie Episcoporum Sirmiensium expungendus. 541. 1.

L

Ladislaus Episcopus Sirmiensis, 551. 1. *Ladislaus II.* Episcopus Sirmiensis. 553. 1.

Ladislaus III. Macedonius Episcopus Sirmiensis electus a Ludovico Rege Hungariæ, 562. 1. Episcopatu se abdicat. 562. 2.

Ladislaus IV. Episcopus Sirmiensis. 566. 2.

Ladislaus V. Szorenius Episcopus Sirmiensis. 569. 2. Vindicias Sirmienses edidit. 570. 1.

Laurentius Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 353. 2. subscribit Conciliabulo Constantinopolitano, 354. 1.

Laurentius Archiepiscopus Ragusiensis, qui Antibarensem Ecclesiam jure archiepiscopali lustrare voluit, Antibari vi expellitur. 33. 1.

Laurentius Archiepiscopus Antibarensis, ex Ordine S. Francisci. 42. 2. quæ gesserit ante Archiepiscopatum. 43. 1. 2. dedicationi ecclesiæ S. Agnetis extra urbis mœnia interfuit Romæ. 43. 2. duas recipit litteras ab Alexandro IV. P. de Fratribus Franciscanis, & de Episcopo Sardensi. 44. 1. in Italia versatur. *ibid.* obiit. 44. 2.

Laurentius II. Archiepiscopus Antibarensis, ex Ordine S. Francisci. 92. 1. an a Pio II. P. jussus fuerit, ut Lecham Ducaginum, qui fœdus cum Turcis inierat, anathemate percelleret, 92. 2. incertum, quo anno obierit. 93. 1.

Laurentius III. Basebetius, Archiepiscopus Antibarensis ex Episcopo Dulchiniensi. 100. 1. 258. 2. 259. 1. Dulchiniensis & Buduensis Ecclesiæ Administrator. *ibid.* Episcopatum dimisit. 100. 2.

Laurentius Santarellus, Episcopus Pullatensis. 265. 2.

Laurentius Episcopus Sirmiensis litteras recipit ab Innocentio I. P., & auxilium quod imploraverat contra Photinianos. 540. 1. 2. ejus obitus. 540. 2.

Laurus Episcopus Albanensis consecrat altare in æde Georgiana Perasti. 196. 2.

Lazarus Vladagnius, Archiepiscopus Antibarensis ex Episcopo Sappatensi. 176. 2. 291. 2. ejus litteræ ac postulata ad sacram Congr. de propaganda Fide, quibus respondet Benedictus XIV. P. *ibid.* aliam accipit de iisdem rebus Epistolam ab eodem Pontifice. 185. 1. *& seq.* ejus sollicitudo, & vigilantia. 189. 1. Ecclesiam Buduensem administrat. 229. 2. ejus obitus. 189. 2.

Lazarus Episcopus Albanensis interest dedicationi Ecclesiæ Cathedralis Catharensis. 194. 1.

Lecha Ducaginus fœdus iniit cum Turcis contra Scanderbegum. 92. 2. 422. 2. anathemate perculsus a Pio II. P. *ibid.* in gratiam rediit cum Scanderbego. 93. 1. 422. 2.

Legati Pontificis in Concilio Tridentino admonent Card. Carolum Borromæum de impudentia Antonii Episcopi Buduensis. 224. 1.

S. Leo I. P. epistolam mittit ad Achajæ Episcopos. 346. 1.

Digitized by Google

Leo X. P. Didacum eligit Episcopum Sardensem, & Sappatensem, datis ad eum litteris. 280. 1. & Michaelem Episcopum Alexiensem. 389. 2.

Leonardus, Episcopus Balleacensis, Ordinis Prædicatorum. 208. 2. a Pio II. P. per litteras eidem datas electus. *ibid.*

Leonardus de Lana, Episcopus Biduanensis, expungitur e serie Buduensium. 222. 2.

Lestronenses Episcopi. 432.

Liberius P. accusatus Arianismi defenditur. 536. 2. Valentis opera & Ursacii in exilium actus. 586. 1.

Lipsana Divorum, & sacra supellex, quæ Dyrrhachii erant in templo S. Dominici, primum Brundusium, deinde Venetias translata. 376. 1. 2.

Lissenses, seu Alexienses Episcopi. 384. 1. recensentur. 386. 2.

Lissus urbs Illyrica, nunc Alexium. 384. 1. ejus descriptio, & varii casus. 384. 1. 2. 385. 1.

Listron urbs Epiri ubi posita. 432. 1. 2.

Lucas Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 343. 2. subscripsit Conciliabulo Ephesino. 344. 1. Chalcedonensi Concilio interest, & facti pœnitens ejus decreta approbat, *ibid.* Epistolam synodicam mittit Leoni Imperatori. 344. 2. an Epistola S. Leonis P. sit eidem scripta. 346. 1.

Lucas Episcopus Stephanensis. 406. 1.

Lucianus Archiepiscopus Dyrrhachiensis interest Pseudosynodo Photianæ. 353. 1.

Ludovicus Bonitus, Archiepiscopus Antibarensis ex Archiepiscopo Panormitano. 83. 2. ad Ecclesiam Thessalonicensem, deinde ad alias translatus. 84. 1. ejus inscriptio sepulcralis. *ibid.*

Ludovicus II. Clericatus, Archiepiscopus Antibarensis, ex Ordine S. Francisci. 100. 2. ejus gesta. 100. 1. Archiepiscopatu se abdicat. 101. 2. 222. 2. ejus obitus, & elogium. *ibid.* Inscriptio sepulcralis, & effigies. 102. 1. idem & Episcopus Buduensis commendant per litteras Vicario Buduensi Fratres Franciscanos S. Mariæ de Puncta. 222. 1.

Ludovicus de Vivaldis, Episcopus Albanensis, ex Ordine Prædicatorum. 200. 1. ejus acta, & libri editi. 200. 2. 201. 1. 2.

Ludovicus Blancus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, ex Ordine S. Francisci. 379. 2.

Ludovicus Rex Hungariæ, Episcopum Sirmiensem nominat Ladislavum III. 562. 1.

S. Lupus, an fuerit Sirmiensis Episcopus. 484. 2. 485. 1. 2.

M

Majorius Sommo Episcopus Pullatensis Minor. 271. 1.

Manfredus Archiepiscopus Dyrrhachiensis ex Canonico Tarvisino. 358. 1. a sua Ecclesia depulsus Pontificis opem implorat. 358. 2. Tarvisii interest electioni Episcopi Tarvisini. *ibid.* suæ Ecclesiæ restituitur. 359. 2.

Marcus Gonella, Archiepiscopus Antibarensis e parocho Ecclesiæ Venetæ S. Benedicti. 93. 2.

Marcus II. Crisius, Archiepiscopus Antibarensis. 132. 2. post biennium vita functus. *ibid.*

Marcus III. Giorga, Archiepiscopus Antibarensis. 140. 2. diœcesim lustrat, de ejusque statu sacram Congregationem de propaganda Fide per litteras edocet. 141. 1. obiit. 141. 2.

Marcus IV. de Luchis, Archiepiscopus Antibarensis ex Episcopo Pullatensi. 176. 1. 268. Ecclesiam Buduensem administrat. 229. 2.

Marcus Scura, Episcopus Albanensis, ex Ordine S. Francisci. 203. 1. controversiam de finibus, quæ inter eum & Episcopum Alexiensem erat, composuit Franciscus de Leonardis. 203. 2. 204. 1. 2. fit Archiepiscopus Dyrrhachiensis, retenta Ecclesia Albanensi. 205. 2. 381. 1. statum Albanensis diœcesis exponit Sacræ Congregationi de propaganda Fide. *ibid.* & Ecclesiæ Dyrrhachiensis. *ibid.* Albanensis Episcopus postremus. 205. 2. 381. 1. præclarum ejus testimonium de Simeone Episcopo Sappatensi. 288. 2. ejus acta in Archiepiscopatu. 381. 2.

Marcus Episcopus Olciniensis ad Innocentium IV. P. citatur in controversia Archiepiscopi Ragusini, & Antibarensis. 251. 2. hospitium PP. Dominicanis concedit. 252. 1.

Marcus II. Niger, Episcopus Pullatensis. 269. 2.

Marcus Episcopus Sardensis, & Sappatensis. 291. 2.

Marcus Episcopus Scodrensis. 309. 2. legatus ad Pontificem nomine Rasciæ Regis missus. 310. 1.

Marcus II. Crescesius, Episcopus Scodrensis. 334. 2.

Marcus a Cbisagno, martyrium subit a Turcis Scodrensibus. 327. 1.

Marcus Catbaneus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, e Plebano SS. Simonis & Judæ Venetiarum. 373. 2. ejus obitus, & inscriptio sepulcralis. 374. 1.

Marderius Episcopus Montisnigri schismaticus ad Ecclesiam Romanam redit. 128. 2. ad Pontificem scribit. *ibid.* iterum legatos, & litteras ad eumdem mittit. 129. 1.

Margarinus Episcopus Pullatensis Minor. 270. 2.

Margenses Episcopi duo titulares. 593. 2.

Margensis Episcopus anonymus, urbis, & imperii proditor. 593. 1.

Margentis Ecclesia. 592. 2.

Margum urbs in Illyrico describitur. 592. 2.

Marianus Cencius, Episcopus Sardensis. 275. 1.

Marianus, seu *Marinianus*, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 347. 1 schismati trium Capitulorum adhæret. 347. 1. 2.

Marianus Episcopus Aulonensis consecrat Capellam in claustro FF. Prædicatorum Brixiæ. 400. 1.

Digitized by Google

Marinus Barletius Antibarim describit. 8. 1. 2. 9. 1. & urbem, & agrum Scodrensem. 303. 1. & Scodræ obsidionem. 315. 1. & deditionem. 316. 1. ejus elogium, 318. 1.

Marinus, sive *Martinus*, Archidiaconus Ecclesiæ Antibarensis, legatus Stephani Regis Serbliæ ad Nicolaum IV. P. 49. 1. sacerdotium suburbanum S. Marci ut retinere possit, obtinet ab eodem Pontifice. 53. 1. fit Archiepiscopus Antibarensis ex Archidiacono. 54. 2. Romæ consecratur. *ibid.* a Bonifacio VIII. P. commendatus Capitulo Antibarensi, Episcopis provincialibus, & Helenæ Reginæ Serbliæ. *ibid.* epistolam recipit a Benedicto XI. P. adversus corruptam ecclesiasticorum disciplinam. *ibid.* 363. duasque alias de hæreticis, & de Episcopis Scodrensi, & Suaciensi. 55. 2. 295. 2. obiit. 59. 2.

Marinus Gamba, Episcopus Olciniensis. 258. 2.

Marinus Ginus, Episcopus Pullatensis. 268. 1. interest Concilio Albano, *ibid.* transfertur ad Ecclesiam Sappatensem. *ibid.* 290. 2.

Marinus II. Archiepiscopus Antibarensis. 84. 2. ejus obitus, & testamentum. *ibid.*

Marinus III. Biggius, Archiepiscopus Antibarensis ex Archipresbytero Arbensi. 109. 1. Buduensis Ecclesiæ administrator, Francisco Crutæ possessionem quorumdam bonorum Ecclesiæ S. Joannis confirmat. 109. 2. 226. 1. 2. Damianum Marcovichium vicarium suum Buduæ constituit. 226. 2. Buduæ commissum sibi munus aggreditur. *ibid.* Pastrovichiorum conversioni incumbit. 110. 1. 2. 111. 1. sed frustra operam suam impendisse significat Rectori Cathari. 111. 1. Schismaticos quosdam recipit ad fidem catholicam reversos. 111. 2. 112. 1. ab Imperatore Turcarum diploma obtinet, unde tuto suam Ecclesiam invisat. 112. 1. 2. Buduæ discedit, & a Buduensibus perhonorificum habet testimonium. 113. 1. Antibarensem Ecclesiam, & diœcesim lustrat. 113. 2. 114. 1. 2. in Epirum penetrat. 114. 2. ejus labores, & pericula testatur Nicolaus Episcopus Sappatensis. 115. 1. adversus Patriarcham Pechiensem, qui redditus suæ Ecclesiæ usurpabat, litteras obtinet Imperatoris Turcarum. 115. 2. 116. 1. religionis cultum, & morum emendationem restituit. 116. 2. de cæremoniis ecclesiasticis, & de conjugiis rite peragendis ad Vicarium Dyrrhachiensem scribit. 117. 1. errorem de extrema Unctione evellit, de quo exstant testimonia Nicolai Episcopi Sappatensis, & Georgii Vicarii Stephanensis. 117. 2. Serbliam invisit, & testem habuit Petrum Episcopum Sophiensem. 118. 1. Buduam redit, & Antibarim profectus multis injuriis, & periculis subest. 118. 2. Antibari discessurus litteras ad Antibarenses promulgat. 119. 1. 2. Fr. Antonium a Sebenico mittit suum vicarium ad populos Clementes. 120. 1. Arbam proficiscitur. 120. 2. ejus decreta, 120. 2. 121. 122. ejus obitus, & inscriptio sepulcralis. 123. 1.

Marinus Dragus, Administrator Ecclesiæ Buduensis, dein Episcopus Catharensis. 229. 1.

Marinus Presbyter Catharensis de Episcopatu Olciniensi contendit cum Nicolao Episcopo. 255. 1.

Marinus Summa, Episcopus Sappatensis. 278. 1.

Marinus Episcopus Scodrensis. 310. 1.

Marinus Teldi, ex Ordine S. Dominici fit administrator Ecclesiæ Scodrensis a Martino V. P. 311. 2. 312. 1.

Marinus Becichemus narrat Scodrensium appulsum Venetias amissa patria. 316. 2. ejus elogium. 318. 2.

Marinus Brajanus, Episcopus Alexiensis, ex Ordine S. Francisci. 392. 2. administrat Ecclesiam Scodrensem. *ibid.*

Marinus Cantius, Episcopus Stephanensis & Bendensis, ex Ordine S. Dominici. 405. 2.

Martinus IV. P. Archiepiscopum Antibarensem eligit Michaelem, qui electus a Canonicis recusaverat. 45. 2.

Martinus V. P. potestatem facit Blasio II. Episcopo Daynensi cujuslibet sacerdotii recipiendi, 231. 2. Dionysium de Knin eligit Episcopum Drivastensem, datis ad eum litteris. 238. 1. & aliis litteris Bernardum Vivaris administratorem Ecclesiæ Drivastensis. 239. 2. Marinum Teldi administratorem creat Ecclesiæ Scodrensis, & Joanni Episcopo Scodrensi pensionem assignat, datis ad eosdem litteris. 311. 2. 312. 1. 2.

Martinus Episcopus Drivastensis interest consecrationi ædis cathedralis Catharensis, 235. 1.

Martinus Segonus, Episcopus Dulcinensis. c. 258.

Martinus Polonus, Episcopus Pullatensis, 265. 2.

Martinus Episcopus Albanensis, ex Ordine Minorum. 196. 1. suam Ecclesiam graviter corruptam offendit. *ibid.*

Martinus Jeliebius, Episcopus Sardensis, & Sappatensis. 290. 1.

Martinus Firmianus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 374. 1. in arcis custodia detentus Venetiis, quod cum Carolo VIII. Gallorum Rege fœdus inierit contra Turcas. 374. 2. missus a Venetis Dyrrhachium, ut urbi consilio succurreret. *ibid.* ejus obitus. 375. 1.

Martinus Pothe, Episcopus Sirmiensis. 565. 1.

Matthæus Episcopus Olciniensis. 255. 2.

Matthæus Sclacanovichius, Archiepiscopus Antibarensis, de quo nihil præter nomen. 171. 2. Ecclesiam Buduensem administrat. 229. 2.

Matthæus de Hermolais, Episcopus Sappatensis. 277. 1. interest Concilio Florentino, & transit ad Ecclesiam Arbensem. *ibid.* Administrator Ecclesiæ Scodrensis. 313. 1.

Matthæus Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 366. 2.

Matthæus Franciscus Kertizus, Episcopus Sir-

Sirmiensis postremus, & simul Bosnensis. 571. 1. 2.

Matthias electus Episcopus Buduensis, jus adeundi Episcopatus amisit. 215. 1.

Matthias Episcopus Buduensis, an alter a Matthia Episcopo Bitoanensi. 216. 1.

S. Maxima uxor S. Montani, Martyr Sirmiensis. 507. 1. 2. 508. 1. 2. in flumen projecta, *ibid.* ejus cultus. 509. 1.

Maximus Episcopus Diocletianopolis, non Diocletanus. 2. 1. 2.

Maximus Episcopus Æmonensis unicus. 591. 2. an Divi titulo, & honore cultus. 591. 2. 592. 1.

Meliorinus Episcopus Scodrensis. 311. 1.

Menelaus Zacharias, Episcopus Pullatensis. 265. 1.

Meridianum idem fortasse ac Aquensis Ecclesia. 612. 1.

Michael Archiepiscopus Antibarensis, electus a Canonicis, resignat Archiepiscopatum. 45. 2. denuo electus, & jussus a Martino IV. P. onus suscipere. *ibid.* fuit Canonicus Catharensis. *ibid.* tribus diplomatis Indulgentiarum cum aliis subscriptus. 45. 2. 46. 1. Romam profectus, ut auxilium a Pontifice contra schismaticos peteret. 46. 2. ad suam redit Ecclesiam. 53. 1. duas epistolas accipit a Nicolao IV. P. de Episcopo Sardanensi eligendo, & tertiam de Savensi Episcopatu restituendo. 53. 1. 2.

Michael Episcopus Albanensis diplomati Indulgentiarum Ecclesiæ Aretinæ S. Michaelis concessarum subscribit. 195. 2.

Michael II. Episcopus Albanensis confirmat electionem Archidiaconi Dyrrhachiensis. 196. 1. Episcopatu dejectus, incertum est an suæ sedi fuerit restitutus. *ibid.*

Michael de Paullis, Episcopus Balleacensis ex parocho Villæ Franchæ in diœcesi Tarvisina. 207. 2. ad Ecclesiam Drivastensem translatus. *ibid.* 240. 1.

Michael Episcopus Sappatensis ex Canonico. 476. 2.

Michael, seu *Miroslavus*, Episcopus Scodrensis. 309. 1.

Michael Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 355. 1. interest Concilio Constantinopolitano adversus Demetrium Lampenum. 355. 2. Græcorum schismati adhæret. 350. 1.

Michael Episcopus Alexiensis, ex Ordine S. Dominici. 389. 2.

Michael II. Criesesius, Episcopus Alexiensis ex Abbate S. Alexandri. 394. 2.

Michael Kopesanyius, Episcopus Sirmiensis nominatus tantum. 567. 1.

Minor Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 370. 1.

Miroslavus Episcopus Olciniensis. 252. 2.

Mohacsiana clades in Hungaria, ubi ducenta hominum millia a Turcis in prælio cæsa. 564. 1.

S. Montanus Præsbyter, & S. Maxima uxor ejus, Martyres Sirmienses. 507. 1. 2. 508. 1. 2. 594. 2. in flumen projecti, *ibid.* eorum cultus. 509. 1.

Mursa urbs Pannoniæ, ubi nunc Essecum. 581. 2. 582. 1.

Mursensis Ecclesiæ initium. 582. 2.

N

Natalis Episcopus Olciniensis interest Concilio Diocletano. 251. 1.

Nazarius Episcopus Aulonensis subscripsit epistolæ ad Leonem Imp. missæ contra Æli rum hæreticum. 398. 1.

Nemesius Episcopus Diocletanus ab expulso Paullo male habitus, ad Gregorium P. confugit. 4. 1. a Gregorio confirmatur. *ibid.*

Nicephorus Archiepiscopus Dyrrhachiensis interest Concilio Nicæno II. 348. 2.

Nicolaus IV. P. litteras cum Legatis ad Urosium mittit Regem Serbliæ, ut eum ad fidem catholicam reducat. 46. 2. alias ad Stephanum fratrem Urosii in eamdem sententiam. 48. 2. tertias tandem ad Helenam eorum matrem. *ibid.* Stephanum in clientelam Sedis Apostolicæ recipit, datis ad eum litteris. 49. 1. ejusdem rogatu præcones evangelicos in Bosinam mittit ad convertendos hæreticos. 49. 2. litteras mittit de eadem re ad Ordinis Minorum Ministrum, & ad Inquisitores in Bosinam mittendos. 50. 1. 2. itemque duas ad eamdem Helenam de ejus conscientiæ moderatore eligendo, deque Bulgariæ Imperatore ad communionem Catholicam reducendo. 52. 2. & tres ad Michaelem Archiepiscopum Antibarensem de Episcopis Sardanensi, & Savensi. 53. 1. 2. 274. 1. 2.

Nicolaus V. P. jubet Andreæ Archiepiscopo Antibarensi per litteras, ut de postulatis Fratrum cœnobii Antibarensis S. Nicolai inquirat. 90. 1. Eugenium de Somma, datis ei litteris, legatum mittit in Albaniam. 90. 2. Jacobum de Breberio eligit Episcopum Buduensem. 216. 2. Internuntium de concordia concilianda Paullum Episc. Drivastensem mittit ad Scanderbegum, & Dynastas Ducaginos, datis litteris. 241. 2. Nicolao Vayvodæ Transylvano potestatem concedit domus hospitalis Willaki erigendæ. 554. 2.

Nicolaus Card. S. Cyriaci, Legatus Urbani VI. P. in Dalmatia, litem composuit, quæ de decimis erat inter Archiepiscopum Spalatensem, & Margaritam viduam Joannis Comitis Cetinæ. 80. 2.

Nicolaus Vayvoda Transylvanus potestatem hospitalis erigendi Willaki a Nicolao V. P. obtinet. 554. 1. 2. & Franciscanis Observantibus cœnobium ædificat. 555. 1.

Nicolaus Blancus, Episcopus Sardensis, & Sappatensis, de laboribus, & periculis Marini III. Archiepiscopi Antibarensis testimonium perhibet. 115. 1. 117. 2. 283. 2. ejus acta. 282. 2. 283. 1. 2.

Nicolaus Episcopus Albanensis, cui ducatum aureum legavit Nixa de Menze. 196. 2.

Nicolaus Episcopus Drivastensis, ex Ordine S. Augustini. 236. 1. ad Ecclesiam Argolicensem transfertur. 236. 2.

Ni-

Digitized by Google

Nicolaus II. Bazie, Episcopus Drivastensis, ex Ordine S. Francisci, 237. 1.
Nicolaus III. Suallibasta, Episcopus Drivastensis ex Olciniensi. 238. 1. Ecclesiam suam non adiit. *ibid. Vide* Nicolaum II. Ep. Olcin.
Nicolaus IV. de Summa, Episcopus Drivastensis ex Canonico. 242. 2.
Nicolaus Episcopus Pullatensis, 265. 1.
Nicolaus Episcopus Sappatensis. 276. 2.
Nicolaus Blancus, Episcopus Sardensis, & Sappatensis. 282. 2. ejus acta. 283. 1. 2.
Nicolaus II. Lindius, Episcopus Sardensis, & Sappatensis. 291. 1.
Nicolaus Episcopus Svaciensis, 301. 1.
Nicolaus Episcopus Olciniensis de Episcopatu contendit cum Marino Presbytero Catharensi. 255. 1.
Nicolaus II. Suallibasta, Episcopus Olciniensis, 256. 1. ad Ecclesiam Drivastensem transfertur. *ibid. Vide* Nicolaum III. Ep. Drivastensem.
Nicolaus Lupus, Episcopus Scodrensis, 319. 1.
Nicolaus II. Gravina, Episcopus Scodrensis. 319. 1. Episcopis Vicetiæ, Cenetæ, & Tarvisii operam vicariam præstat. 319. 2.
Nicolaus Cosma, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, ex Ordine S. Francisci. 370. 1. litteras de sua electione recipit a Martino V. P. *ibid.*
Nicolaus II. Forestus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, ex Ordine S. Augustini. 376. 2. Præpositus pontificio Sacello eligitur a Julio II. P. 377. 1. ejus scripta, & obitus, 377. 2.
Nicolaus III. Carpinius, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 381. 2. de statu suæ Ecclesiæ certiorem facit sacram Congregationem de propaganda Fide. 382. 1.
Nicolaus IV. Angelus Radovanus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis ex Archiepiscopo Sophiensi. 384. 1.
Nicolaus Modulo, Episcopus Alexiensis, 390. 1.
Nicolaus II. de Naule, Episcopus Alexiensis. 390. 2.
Nicolaus III. Guernus, Episcopus Alexiensis, ex Ordine Cisterciensi. 391. 1.
Nicolaus IV. Vladagnius, Episcopus Alexiensis. 393. 2.
Nicolaus V. Malcius, Episcopus Alexiensis. 394. 2.
Nicolaus Episcopus Aulonensis. 398. 2. 399. 2. interest consecrationi templi Augustiniani Patavii. *ibid.*
Nicolaus Necansius, Episcopus Stephanensis postremus, ex Ordine S. Francisci. 407. 1. 2. Legatus Epirotarum ad Venetos. 407. 1.
Nicolaus de Batbor, Episcopus Sirmiensis. 557. 2. an translatus ad Episcopatum Vaciensem. *ibid.*
Nicolaus II. Boscayus, Episcopus Sirmiensis. 560. 2. ad Ecclesiam Nitriensem translatus. 561. 1.
Nicolaus III. de Chek, Episcopus Sirmiensis. 561. 1.
Nicolaus IV. Zelniczejus, Episcopus Sirmiensis electus, 565. 2. ad Ecclesiam Quinquecclesiensem translatus, *ibid.*
Nicolaus V. Boytbe, Episcopus Sirmiensis solum nominatus, 567. 1.
Nicolaus VI. Givovichius, primum Episcopus Annemuriensis, postea Sirmiensis. 570. 1.

O

Olcinienses Episcopi, 248. recensentur. 250. 1.
Olcinienses Canonici, 255. 1. leges sanciunt Capitulares. 255. 2. de Canonicorum electione contendunt cum Episcopo. 260. 1.
Olciniensis Episcopatus initia, & vices. 249. 2. fines. *ibid.* antiquatur. 261. 1.
Olcinium a Colchis conditum. 248. 1. 2. hujus positio, & descriptio. 249. 1. pluribus paruit dominis. *ibid.* sub Turcarum denique imperium cadit. *ibid.* 260. 2. ab iisdem direptum. *ibid.* frustra a Venetis obsidetur, 261. 1. 2.
Oliverius Episcopus Sirmiensis. 548. 2. litteras obtinet a Gregorio IX. P. contra suum Archidiaconum. *ibid.* jubetur ab Innocentio IV. P. de electione vitiosa Episcopi Zagrabiensis inquirere. 549. 1. in Laurentium Præpositum Strigoniensem munificus. 549. 2. interest Concilio provinciali Strigoniensi, 550. 1. Episcopatu se abdicat, & Ordinem Fratrum Minorum ingreditur. 550. 1. 2.
Opilinus de Gentilibus, Episcopus Canoviensis. 410. 2.
Osius Episcopus Cordubensis confirmat Sirmii formulam Fidei Arianam. 535. 536. 1. 586. 1.
Ostroylas, Gothus, Provinciæ Prævalitanæ Rex. 2. 2. in acie cæsus. 3. 1.
Osbo Roderus, Episcopus Buduensis, ex Ordine Prædicatorum. 215. 1. litteræ electionis ei redditæ a Bonifacio IX. P. *ibid.*

P

Paganinus a S. Paullo, Episcopus Olciniensis. 256. 2. plura ejus acta. 256. 2. 257. 1. 2. 258. 1.
Palacbiensis Ecclesia an eadem ac Dulchinensis. 19. 1.
Pastrovichii, cum Romana Ecclesia reconciliari cupiunt. 110. 2. 111. 1.
Paullimiri regnum in Serblia. 5. 2.
Paullus, Episcopus Sappatensis. 276. 1.
Paullus, Episcopus Svaciensis, Carmelita, 297. 1.
Paullus II. Dussius Episcopus Svaciensis, 298. 2. transfertur ad Ecclesiam Drivastensem. 299. 1.
Paullus, Episcopus Scodrensis ex Ordine S. Dominici. 324. 1.
Paullus II. Campsius Episcopus Scodrensis, 334. 2.

Paul-

Digitized by Google

Paullus Draucius Ecclesiam Scodrensem administrat, & diœcesim describit. 331. 2. a Turcis interfectus. 332. 1.

Paullus Palæologus, Patriarcha Constantinopolitanus, Legatus apostolicus in Romania. 368. 2.

Paullus Angelus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, jussus a Pio II. P. anathema denuntiare Lechæ Ducagino, *ibid.* auctor pacis inter Scanderbegum & Ducaginos. *ibid.* & bellum in Turcas renovandi. 373. 1.

Paullus II. Gallata, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 384. 2.

Paullus Episcopus Alexiensis. 393. 2.

Paullus, Episcopus Apolloniensis, interest Concilio Constantinopolitano contra Eutychem. 396. 2.

Paullus, Episcopus Aulonensis, indulgentias largitur Ecclesiæ Vicetinæ S. Thomæ. 400. 1.

Paullus, Episcopus Crojensis. 431. 2.

Paullus, Episcopus Sirmiensis. 553. 2.

Paullus II. de Tauris, Episcopus Sirmiensis nominatus. 568. 1.

Paullus Bisantius, Episcopus Catharensis, administrat Ecclesiam Buduensem. 226. 1. & Ecclesiam Canoviensem. 411. 1.

Paullus, Episcopus Diocletanus multorum scelerum reus e sua sede dejicitur. 3. 2. a Gregorio P. damnatus. 4. 1.

Paullus electus tantum Episcopus Albanensis. 198. 2.

Paullus Dusius, Episcopus Drivastensis ex Rectore parœciæ Tarvisinæ S. Augustini & Episcopo Svaciensi. 240. 1. 298. 2. 299. 1. e familia Angelorum oriundus. 240. 1. 2. Vicarius Patriarchæ Aquilejensis. 241. 1. internuntius Nicolai V. P. ad Scanderbegum. & Dynastas Ducaginos. 241. 2. creatur Archiepiscopus Crainensis. 242. 1. 438. 2. Romæ per procuratorem sisti jubetur. 242. 2. 277. 2. ad Græcum schisma desciscit, & obit. *ibid.*

S. Pelagius Martyr Æmonensis in Savia Pannonia. 590. 1. idem qui in Civitate Nova in Istria colitur. 590. 2. 591. 1.

Peregrinus, Episcopus Sardensis, ex Abbate S. Sophiæ de Zenta. 275. 1.

Petrus Delphinus, Præses Camaldulensis, litteras benevolentiæ plenas scripsit Theophilo Episcopo Drivastensi. 244. 2. 245. 1. 2. 246. 1.

Petrus, Episcopus Olciniensis, ex Ordine S. Dominici. 254. 2.

Petrus II., Episcopus Olciniensis, ex Episcopo Svaciensi. 256. 2. 298. 2.

Petrus III. Massarechius, ex Ordine S. Francisci, Episcopus Olciniensis. 259. 1. Episcopatu se abdicat, *ibid.*

Petrus Caragich, Episcopus Pullatensis. 267. 2. ad Metropolim Scopiensem transfertur. 268. 1. 383. 2.

Petrus II. Scuta, Episcopus Pullatensis. 268. 1. fit Archiepiscopus Dyrrhachiensis. *ibid.*

Petrus Zagnus, Episcopus Pullatensis Minor. 270. 2.

Petrus, Episcopus Sophiensis, perhonorificum testimonium perhibet de Marini III. Archiepiscopi Antibarensis visitatione Serbliana. 118. 1.

Petrus Archiepiscopus Antibarensis pallium cum litteris accipit ab Alexandro II. P. 17. 2. 18. 1. 2. litem habuit de jurisdictione & de Ecclesiis sibi subjectis cum Petro Archiepiscopo Ragusino. 20. 2. 21. 22. obiit. 22. 2.

Petrus II. Spanus, Archiepiscopus Antibarensis e Canonico Drivastensi. 85. 2. Antibarensium decretis de rebus ecclesiasticis annuit. 87. 1. Archiepiscopatu se abdicat. 88. 2.

Petrus III. Massarechius, Archiepiscopus Antibarensis, ex Vicario Apostolico Serbliæ. 123. 2. ejus Constitutiones synodales, antequam esset Archiepiscopus. *ibid.* 124. 1. diœcesim & Ecclesias regni Serbliani lustrat. 124. 2. 125. 1. de finibus Episcopatus Semandriensis sibi commendati contendit cum Episcopo Scardonensi. 125. 2. 561. 1. obiit. *ibid.*

Petrus, Episcopus Sardensis, ex Ordine S. Francisci. 273. 1.

Petrus Matthias, Episcopus Sardensis. 275. 2.

Petrus Zaccariæ, Episcopus Sappatensis. 276. 2.

Petrus II. Episcopus Sappatensis, ex Ordine S. Benedicti. 276. 2.

Petrus Strebigna, Episcopus Sardensis & Sappatensis. 278. 2.

Petrus Tallorsius, an Episcopus Sardensis & Sappatensis. 279. 2. 280. 2.

Petrus II. Budius, Episcopus Sardensis & Sappatensis. 284. 1.

Petrus, Episcopus Svaciensis. 292. 1.

Petrus II. Episcopus Svaciensis. 297. 1. missus a Balsis ad Pontificem, eos postea in communionem Sedis Apostolicæ recipit. 297. 2. 298. 1.

Petrus III. Episcopus Svaciensis. 298. 1.

Petrus IV., Episcopus Svaciensis. *ibid.* transfertur ad Ecclesiam Olciniensem. *ibid.*

Petrus, Episcopus Scodrensis. 308. 1.

Petrus II., Episcopus Scodrensis. 309. 1.

Petrus III. de Cardona, Episcopus Scodrensis. 321. 1.

Petrus IV. Bogdanus, Episcopus Scodrensis. 328. 1. ad Ecclesiam Scopiensem transfertur. *ibid.*

Petrus, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 363. 1.

Petrus II. de Gironsa, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, ex Ordine S. Francisci, litteras electionis accipit a Benedicto XII. P. 366. 2.

Petrus III. Zumius, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 383. 1. Concilio Albano interfuit. *ibid.* Dyrrhachium invisit. 383. 2.

B. Petrus Blancus, Dyrrhachiensis. 371. 1. ejus acta *ibid.*

Petrus Sardus, Episcopus Alexiensis, ex Ordine S. Francisci. 388. 1. ejus diploma

Digitized by Google

pro altari S. Catharinæ in Georgiano Piranensium templo, *ibid.*

Petrus II. Malonsius, Episcopus Alexiensis, 389. 1.

Petrus, Episcopus Bendensis, ex Ordine S. Dominici, 404. 1. transit ad Ecclesiam Stephanensem. 404. 2. 405. 2.

Petrus Masius, Episcopus Canoviensis, 410. 1.

Petrus de Brutis, Episcopus Crojensis, ex Plebano S. Ubaldi Venetiarum, 430. 1. ad Ecclesiam Catharensem translatus. 430. 2.

Petrus Marianus, a serie Episcoporum Sirmiensium expunctus, 567. 2.

Petrus Matthias, Episcopus Daynensis & Sardensis, ex Canonico Sardensi. 231. 2.

Petrus de Fine, ex Ordine S. Augustini, facile Episcopus Daynensis. 232. 2.

Petrus Episcopus Drivastensis, 235. 1. e sua sede dejicitur, *ibid.*

Petrus II. Episcopus Drivastensis interest Concilio Diocletano, 235. 2.

Petrus III. Ferdinandi de Jaen, Episcopus Drivastensis Ord. Prædicatorum. 247. 2.

Petrus Beke, Episcopus Sirmiensis, ex Præposito Bacsiensi, 552. 1.

Petrus II. Episcopus Sirmiensis, 553. 2.

Petrus III. Episcopus Sirmiensis, 564. 2.

Petrus IV. Jurevicsius, Episcopus Sirmiensis nominatus, 568. 1.

Philippus Gajus, Archiepiscopus Antibarensis, 97. 1. adjutor Cardinalis Zeno Episcopi Vicetini. *ibid.*

Philippus Camera, Ducis Albaniæ frater, a Clemente VII. P. creatur Cardinalis, 201. 2. 202. 1.

Philocaris, Episcopus Bullidensis, epistolæ synodicæ ad Leonem Imper. subscribit, 408. 2.

Photinus, Episcopus Sirmiensis, 518. 2. ejus hæresis, 519. 1. Ecclesiam Sirmiensem occupat, damnatur, & a Sede dejicitur. 519. 2. iterum in Concilio Sirmiensi damnatur, *ibid.* Anathematismi contra illum, 520. & *seq.* a Constantio Imp. judices obtinet contra Concilii decreta. 531. 2. disputat cum Basilio Ancyrano. *ibid.* in exsilium pulsus, a Juliano Imp. liberatur. 532. 1. ejusdem Juliani ad illum Epistola, *ibid.* exsul iterum sub Valentiniano. 533. 2. ejus obitus & scripta. *ibid.*

Pius II. P. jubet per litteras Archiepiscopis Dyrrhachiensi & Antibarensi, ut Lecham Ducaginum, qui cum Turcis fœdus inierat, anathemate percellant. 92. 2. 372. 2. Leonardum eligit Episcopum Balleacensem, datis ad illum litteris. 208. 2. Georgio Scanderbego non posse concedere quod petierat, testatur per litteras. 422. 2. obiit. 425. 2.

Pouka, Episcopus Sirmiensis, 551. 1. 2. jussu Martini IV. P. consecrat cum Archiepiscopo Colocensi Episcopum Varadiensem. *ibid.*

Prævalitana Provinciæ Episcopi an Concilium Chalcedonense improbarint? 3. 1.

Prebislavus, Episcopus Daynensis, ex Ordine S. Augustini, 231. 1.

Priscenses Episcopi. 401. recensentur. 404. 1.

Priscensis urbs & Ecclesia ubi sita. 401. 2. 402. 1.

Proculus, Episcopus Canoviensis, ex Ordine S. Dominici. 410. 1.

Prodanus, Episcopus Scodrensis. 311. 1.

Prosdocimus Pinigenago, Episcopus Sardensis & Sappatensis. 278. 1.

Ptolemæus, Episcopus Buduensis, ex Ordine Eremitarum S. Augustini. 212. 2.

Ptolemæus, Episcopus Sardensis, ex Monacho S. Ausani, 273. 2. ad Ecclesiam Ravellensem transfertur. 274. 1.

Pulcheriopolis urbis & Ecclesiæ nulla supersunt monumenta. 436. 1. 2.

Pullatenses Episcopi majores & minores. 261. majores recensentur, 263. 1.

Pullatenses Episcopi minores. 264. 2. 269. 2. recensentur, 270. 1.

Pullatensis Episcopatus descriptio, diœcesis, & fines, 261. 1. 262. 1. major & minor primum, postea in unum conjunctus, 262. 2. 263. 1. ademptus Ragusino, restituitur Metropolitæ Antibarensi. 264. 1. 2.

Pullatensis diœcesis status sæculo decimo septimo. 266. 1.

Pullatum, sive *Polletum*, 261. 1. majus & minus, 262. 2.

S. Pullio Lector & Martyr Cibaliensis, 575. 1. ejus patria, munus, ætas, & martyrium. 575. 1. 2. ejus cultus. 576. 1. 2. Acta ejus martyrii sincera. 576. 2. 577. 578. 1.

R

Ragusinis Archiepiscopis attributæ Ecclesiæ Provinciæ Antibarensis in Antibarensi interregno. 23. 1.

Ratiariensis Ecclesia in Dacia Ripensi. 612. 2.

Raymundus, Archiepiscopus Antibarensis. 82. 2. obiit, 83. 2.

Romanus Episcopus Crojensis. 413. 2. variis diplomatis Indulgentiarum subscripsit. 414. 1.

S. Romulus, Presbyter, Martyr Sirmiensis. 506. 2. 507. 1.

Rotaciense Monasterium prope Antibarim. 12. 1. privilegio donatum ab Urosio Serbliæ Rege. 58. 1. in clientelam Sedis Apostolicæ a Clemente V. P. receptum. 59. 1. causam de quibusdam possessionibus obtinet contra Pastrovichios. 9. 2. 1.

S

Salvius, Episcopus Tribuniensis citare jussus ab Innocentio IV. P. ad Curiam Lugdunensem Episcopum Scodrensem. 308. 1.

Sappa, civitas ubi posita. 271. 2.

Sappatenses Episcopi. 271. 276. 1. conjun-

Digitized by Google

junĉti Sardensibus. 272. 1. 278. 2. recensentur. 272. 2.
Sarda, civitas, ubi posita. 271. 1.
Sardenses Episcopi. 271. 273. conjuncti Sappatensibus. 272. 1. 278. 2. recensentur. 272. 2.
Savia Pannonia distinguitur a Pannonia inferiori. 588. 1.
Scampa, urbs in Epiro. 433. 1.
Scampenses Episcopi. 433.
Scanderbegus, Epiri dominus. 89. 1. ejus egregia pro religione facinora, *ibid.* a Nicolao V. P. auxilium petit. 90. 2. obiit. 93. 1.
Schismatici Episcopi tres & alii multi ad communionem Catholicam conversi. 136. 1. 2.
Schismatici in provincia Antibarensi ad Fidem Catholicam conversi. 111. 2. 112. 1.
Scodra, nunc Scutari, urbs in Dalmatia. 301. ejus vices usque ad præsentem sub imperio Turcarum statum. 302. 303. a Marino Barletio describitur. 303. 1. imperium Venetorum accepit. 314. 1. bis obsidetur a Turcis. 315. 1. 2. sub Turcis, pace interposita, transit. 316. 1.
Scodrenses, amissa patria, in Italiam & Venetias se conferunt. 316. 2.
Scodrenses Archiepiscopi. 301. recensentur. 304. 2. 305. 308.
Scodrensis Archiepiscopatus in ordinem Episcopatus redigitur. 304. 1. Metropolitæ Antibarensi nunc subjectus, *ibid.* 307. 2.
Scodrensis diœcesis. 304. 2. describitur. 331. 2.
Sebarisius, Episcopus Buduensis. 112. 2.
S. *Sebastia* Martyr Sirmiensis. 510. 1.
Sebastianus Nascinbenus, Episcopus Canoviensis. 410. 2. Ecclesiam Deiparæ Virginis consecrat Tarvisii. *ibid.*
Sebastianus, Episcopus Sirmiensis. 541. 1. tres accipit epistolas a Gregorio M. 541. 2.
Secundianus, Episcopus Singidunensis. 607. 2. legatus Singidunensis Conciliabuli ad Germinium Episcopum Sirmiensem. *ibid.* citatur ad Concilium Aquilejense. 608. 1. interrogatus Arianum se profitetur. 608. 2. 609. 1. damnatur & e sede pellitur. *ibid.*
SS. Senerotes, *Antigonus*, & socii, Martyres Sirmienses. 510. 2. 511. 1.
Senecio, Archiepiscopus Scodrensis, interest Concilio Ephesino. 305. 2.
Serapbinus Turrianus, Episcopus Pullatensis, ex Ordine S. Francisci. 268. 2. Episcopatum dimittit. *ibid.* ejus elogium. 269. 1.
Serbia, quæ & Sorbium, ubi sita. 19. 2. ex Ecclesia episcopali evasit Metropolis. 20. 1.
Serbli expellunt Avares e Dalmatia, ibique regnant. 4. 2.
Serblia Regum series. 27. 1. 33. 2. 34. 1. 2. 39. 1. 46. 1. 66. 2. 70. 2. 77. 2. 79. 1.
Serbliane Ecclesiæ Græcæ & Rascianæ descriptio. 127. 1.
Serbliani Regni interitus & divisio. 79. 1. 86. 1.
Sergius, Episcopus Svaciensis. 296. 2.
Sergius II. Episcopus Svaciensis. 298. 2.
Sigismundus Paloczius, Episcopus Sirmiensis. 558. 1.
Silvester, Episcopus Buduensis. 212. 1.
Simeon de Summis, Episcopus Sardensis & Sappatensis, ex Ordine S. Francisci. 288. 2. laudatur a Marco Archiepiscopo Dyrrhachiensi. *ibid.* suam Ecclesiam dimittit. 289. 1. in ejus possessionem restituitur. 289. 2. nominatus Episcopus Canoviensis. 411. 2.
Simon Niger, Episcopus Alexiensis. 393. 2.
Simon, Episcopus Sirmiensis ad Ecclesiam Zagrabiensem translatus 565. 2.
Simon Vesicbius de Montona, Archiepiscopus Antibarensis, ex Vicario generali Patriarchæ Venetiarum. 93. 2. per Senatum Venetum rogat Pium II. P. graviter offensum, ut remanere Venetiis ei liceat. 94. 1. in gratiam redit cum Pontifice. *ibid.* legatus in Hungariam ab eodem Pio II. mittitur. 94. 2. Suaciensem Ecclesiam administrat. *ibid.* 309. 2. Petro de Boris privilegium impetrat a Sixto IV. P. 95. 1. ad Ecclesiam Justinopolitanam transfertur, & obiit. 96. 1. ejus sigillum. *ibid.*
Simon de Boschettis, Episcopus Buduensis. 220. 1.
Simon Græcius, Episcopus Sardensis & Sappatensis. 283. 2.
Simonis Lascaris, Archiepiscopi Dyrrhachiensis Græci, fides suspecta in rebus agendis Ecclesiæ Acroceraunicæ. 435. 2.
Singidunense Conciliabulum. 606. 2.
Singidunenses Martyres. 594. *& seq.*
Singidunensis Ecclesia. 593. 2. varia ejus fortuna. 609. 2.
Singidunum, in Mœsia positum, ubi nunc Belgradum. 593. 2. 594. 1. fuit civitas episcopalis. 594. 1. ejus vices. 609. 2.
S. Sirenus, Martyr Sirmiensis. 497. 1. ejus cultus & Acta. *ibid.* ejus nomen varium. 497. 2. Hispanus aut Italus fuisse negatur. 498. 1. 2. 499. 1. monachus fuit. 500. 1. persecutionem fugit. 500. 2. 501. 1. redit Sirmium. 501. 2. tum per calumniam in judicium productus absolvitur. 502. 1. causam religionis tuetur, & capite damnatur, *ibid.* martyrium obiit Sirmii anno 304. aut 305. 502. 503. 1. 2. 504. 1. an idem sit cum S. Sireno apud Arvernos culto? 504. 2. 505. 1. 2. ejus Passio ex Actis. 506. 1. 2.
Sirmiense Concilium contra Photinum, & Anathematismi cum Censura S. Hilarii & notis 520. *& seq.* Concilium alterum, ejusque Blasphemia. 534. 2. 535. 1. Concilium tertium Semiarianorum. 536. 1.

Digitized by Google

Sirmiense Semiarianorum Conventum, ubi tertia Fidei formula scribitur. 537. 1.
Sirmienses Sancti Martyres. 491. 2. & *seq.* 510. 1. 2. 511. 1. 2. 512. 1. 2. an aliqui Sirmienses sint, dubitatur. 514. 515. 516. 517.
Sirmienses viri illustres. 451. 2.
Sirmienses veteres Episcopi recensentur. 465. 1.
Sirmienses Episcopi post restitutam Sirmiensem Ecclesiam recensentur. 548. 1. 2.
Sirmiensis tractus descriptio. 543. 1.
Sirmiensis Ecclesia. 449. ejus initia. 454. 1. 2. Metropolis fuisse asseritur contra Hansizium. 454. 2. 455. 1. 2. 456. 1. 2. Episcopatus Sirmiensi Metropoli subjecti. 462. 2. 463. 1. an Primatu per Illyricum ornata fuerit. 463. 1. 2. 464. 1. 2.
Sirmiensis Episcopatus restituitur. 543. 2. ejus sedes varia. 544. 2. 545. 1. & diœcesis. 545. 1. 2. 546. & loca sacra. 546. 2. status ejusdem initio sæculi XVIII. describitur. 547. 1. 2. status præsens. 547. 2. diœcesis nova a Turcis vastata. 564. 2. cum Bosnensi Episcopatu conjungitur. 571. 2.
Sirmium, urbs Pannoniæ. 449. 1. ejus nomen varium *ibid.* nunc Mitrovitzium dictum. 449. 2. ejus situs. 450. 1. 2. 451. 1. & magnitudo. 451. 1. 2. ejus viri illustres. 451. 2. & ornamenta. 452. 1. vices variæ, 452. 2. 453. 1. 2. Sirmii excidium. 454. 1. 540. 2. a Theodorico restituitur. *ibid.* iterum ab Avaribus deletur. *ibid.* Metropolis ecclesiastica & civilis fuisse demonstratur. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. varius Sirmii status. 542. 2.
Sisinius, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 348. 1. Synodo Trullanæ subscripsit. 348. 2.
Sixtus IV. P. privilegium Petro de Boris concedit, datis litteris, ut quodcumque ecclesiasticum beneficium obtinere possit. 95. 1. respondet quæsitis Friderici Imperatoris. 441. 442. Imperatorem laudat de captivitate Andreæ Archiepiscopi Crainensis, datis ad eum litteris. 445. 2. 446. 1.
Soterus Episcopus Aulonensis interest Concilio V. œcumenico. 398. 2.
Stephanenses Episcopi. 401. recensentur. 404. 1.
Stephanensis urbis & Ecclesiæ origo, situs, & diœcesis. 402. 2.
Stephanensis Episcopatus cum Bendensi conjunctio. 403. 1.
Stephanensis Episcopatus in Dalmatia commentitius. 403. 1. 2.
Stephanus, Episcopus Svaciensis. 301. 1.
Stephanus, Archiepiscopus Scodrensis, litem cogitur componere a S. Gregorio Magno, quæ illi erat cum Joanne consiliario Georgii præfecti Italiæ. 306. 2.
Stephanus, Episcopus Scodrensis, Episcopatum deposuit. 309. 1.
Stephanus Guillelmi, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, Carmelita. 370. 1. ad Ecclesiam Potentinam transfertur. *ibid.*
Stephanus II. Birella, Archiepiscopus Dyrrhachiensis, ex Ordine Servorum B. Mariæ Virg. 371. 2. interest Conciliis Basilensi & Florentino. 372. 1.
Stephanus, Episcopus Sirmiensis. 553. 1.
Stephanus II. Crispus, Episcopus Sirmiensis. 559. 1. ejus legationes ad Principes pro Mathia Rege Hungariæ, 559. 2. 560. 1. ejus obitus. 560. 2.
Stephanus III. de *Zarmasb*, Episcopus Sirmiensis, 561. 1.
Stephanus IV. Bederithius, Episcopus Sirmiensis & regius Cancellarius. 562. 2. de statu exercitus Hungarici contra Turcas Reginam Hungariæ per litteras certiorem facit. 563. 1. ad Vaciensem Ecclesiam transiit. 564. 2. ejus obitus. *ibid.*
Stephanus V. de Tyrnavia, Episcopus Sirmiensis e Præposito generali Ordinis S. Pauli, 565. 1.
Stephanus VI. Erdeallyus, Episcopus Sirmiensis electus, 566. 1.
Stephanus, Archiepiscopus Antibarensis, de quo nihil præter nomen. 78. 1.
Stephanus II. Teglatius, Archiepiscopus Antibarensis, 96. 1. Romæ commoratur. 96. 2. Libri ab eo scripti. *ibid.* Ad Patracensem Archiepiscopatum, dein ad Torcellanam Ecclesiam transfertur. *ibid.* interest Concilio Lateranensi. 97. 1.
Stephanus Ducaginus, Episcopus Daynensis & Sardensis. 232. 1. 275. 2.
Stephanus, Episcopus Pullatensis. 265. 2.
Stephanus de *Gasparis*, Episcopus Sardensis & Sappatensis. 289. 2.
Stephanus Megajupanus Serbliæ respondet per litteras Innocentio III. P. eique de legatis ad se missis agit gratias. 32. 2. 33. 1. succedit Vulcano fratri in regno, & titulum regium petit ab Honorio III. P. 33. 2. & obtinet. 34. 1. obiit. 34. 2. ejus sigillum. 35. 1.
Stephanus Rex Serbliæ Antibarensem Metropolitam contra Ragusinum tuetur. 39. 1. 2.
Stephanus Rex alius Serbliæ a schismate ad Fidem catholicam rediit. 48. 2. in fidem & clientelam Sedis apostolicæ receptus, litteris Nicolai IV. P. ad eum redditis. 49. 1. a Nicolao præcones evangelicos petit ad convertendos hæreticos Bosnenses, *ibid.* obiit. 59. 1.
Stephanus Urosius, Rex Serbliæ. 66. 2. per Philippum Principem Tarentinum legatos apostolicos petit & obtinet a Joanne XXII. P. 68. 1. 69. 1. 2.
Stephanus Ducianus, Serbliæ Rex, legatum misit ad Clementem VI. P. ab eoque litteras recipit. 71. 1. 310. 1. in Catholicos propensus. 72. 1. tria petit ab Innocentio VI. P. legatosque ad eumdem mittit. 72. 2. promissis non stetit, & coactus a Rege Hungariæ se subjicit Ecclesiæ Romanæ. 76. 2. 77. 1. 2. obiit. 77. 2.
S. Stratonicus Commentariensis, Martyr Sin-

Digitized by Google

Singidunensis. 595. 2. Græcorum, Ruthenorum, & Latinorum de eo testimonia. 595. 2. 596. 1. 2. 597. 1. quando Christianam fidem susceperit. 597. 2. ejus munus. *ibid.* martyrium & cultus præsertim Constantinopoli. 598. 1. 2. quo tempore martyrium subiverit. 598. 2. 599. 600. 601. 1. Singiduni passus est. 601. 2. Acta ejus martyrii cum notis. 602. 603. 604. 605. 606.

Suacia, civitas Dalmatiæ superioris. 291. 1. ejus positio, *ibid.* hodie diruta. 301. 2.

Suacienses Episcopi. 291. recensentur. 291. 2.

Suaciensis Episcopatus initia. 291. 1. ejus fines. 291. 2. commendatur Archiepiscopis Antibarensibus. 300. 2. 301. 2.

S. Sylvanus, diaconus, Martyr Sirmiensis. 506. 2. 507. 1.

Sylvester, Episcopus Stephanensis & Bendensis. 406. 2.

Synodi Antibarensis Acta. 133. 2. *& seq.*

Synodi Scodrensis sanctiones. 328. 2. 329. 1. & alterius itidem Synodi. 329. 2. 330. 1. 2. Synodus tertia. 330. 2.

T

TArchiepiscopus Antibarensis, ex epistola Martini IV. P. tantum notus. 45. 1.

Tanusius, Archipresbyter Ecclesiæ Antibarensis, Episcopus Sardensis electus solum. 274. 1.

Templum SS. Sergii & Bacchi & cœnobium in diœcesi Scodrensi ab Helena regina Rasciæ rursum exstructa. 308. 2.

Terræmotus Dyrrhachium urbem evertit. 361. 362.

Thaddæus de Thaddeis, Episcopus Olciniensis. 255. 2.

Thaddæus Paschalicus, Episcopus Scodrensis. 314. 1.

S. Theodorus Studita epistolam unam & alteram scribit Antonio Archiepiscopo Dyrrhachiensi. 349. 2. 351. 2.

Theodorus, Episcopus Pullatensis. 263. 2.

Theodorus, Episcopus Sardensis. 273. 1.

Theodorus Calompsi, Episcopus Scodrensis, & administrator & Episcopus Ecclesiæ Alexiensis. 323. 2. 391. 2.

Theodorus administrat Ecclesiam Antibarensem. 105. 1. 2.

Theodosius, Archiepiscopus Crainensis. 438. 2.

Theophilus de *Martinis*, Episcopus Drivastensis ex monacho Camaldulensi. 244. 2. litteras Petri Delphini præsidis Camaldulensis benevolentiæ plenas accipit. 244. 2. 245. 1. 2. 246. 1. Episcopatu se abdicat. 246. 1. obiit. 246. 2.

Thomas Ursinus, Archiepiscopus Antibarensis, ex Ordine S. Francisci. 107. 1. Buduensem Ecclesiam administrat, Buduæque sedem figit. 107. 2. 226. 1. Comitatum Popovi aliasque regiones lustrat. *ibid.* jussus a Clemente VIII. P. operarios evangelicos mittit ad Postrovichios. 108. 1. 2. Serbiam & loca finitima invisit. 108. 2. obiit. 109. 1.

Thomas, Episcopus Olciniensis, ex Ordine FF. Prædicatorum. 252. 2. transfertur ad Ecclesiam Catharensem. 253. 1.

Thomas, Episcopus Svaciensis postremus. 301. 2.

Thomas Mariagnius, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 384. 2.

Thomas, Episcopus Canoviensis, ex Ordine Carmelitarum. 409. 1. ejus Opera. *ibid.*

Thomas Benedictus, Episcopus Sirmiensis, ex Ordine S. Augustini. 552. 2.

Thomas II. Episcopus Sirmiensis. 552. 2.

Thomas III. Episcopus Sirmiensis. 553. 1.

S. Tiballus Martyr, incertum an Cibaliensis. 378. 1. 2.

Tossolus Blancus, Episcopus Sardensis & Sappatensis. 281. 1. Litteræ ad illum Gregorii XIII. P. 281. 2. 282. 1.

Tribunius, Archiepiscopus Ragusinus, Ecclesiam Dyrrhachiensem administrat. 357. 1.

Trojus, Episcopus Scampensis. 433. 2. ejurat schisma Acacianum. 434. 1.

V

V*Aldebrunus*, Episcopus Aulonensis. 399. 1.

Valens, Episcopus Mursensis, interest Concilio Tyrio contra Athanasium. 582. 2. & Hierosolymitano pro Ario. 583. 1. Aquileja pellitur. 583. 1. ab Episcopatu depositus in Concilio Sardicensi. 583. 2. veniam petit in Concilio Mediolanensi, *ibid.* ejus epistolæ ad Julium P. & ad S. Athanasium. 583. 2. 584. 1. 2. ad Arianos revertitur. 585. 1. ejus facinora in Concilio Mediolanensi. 585. 2. & contra Osium Cordubensem & Liberium P. 586. 1. quid improbe egerit in Concilio Ariminensi. 586. 2. 587. 1. damnatur a Damaso in Concilio Romano. 587. 2. & obiit. *ibid.*

Valens, Episcopus Iscensis Actis Concilii Sardicensis subscripsit. 612. 1.

SS. Venustus & Hermogenes Martyres Cibalienses 579. 1. Acta eorum martyrii. 579. 2. 580. 594. 2.

Ugrinus, Archiepiscopus Colocensis, Gregorium IX. P. orat, ut Episcopatum Sirmiensem restituat. 543. 2.

Villacenses curant, ut B. Joannem a Capistrano in album Sanctorum referatur. 556. 1. 2.

Viminaciensis Ecclesia. 609. 2.

Viminacium, urbs episcopalis in Mœsia. 610. 1.

Vincentius Zmajevichius, Archiepiscopus Antibarensis. 141. 2. Res ab eo gestæ. 142. 1. Concilium nationale convocat, eique præest. 142. 1. *& seq.* ejus virtutes & elogium. 171. 1. ad Jadertinam Ecclesiam transfertur, *ibid.* Ecclesiam Buduensem administrat. 229. 1.

Vin-

Digitized by Google

Vincentius Joannellus, Episcopus Pullatensis. 266. 2. suam Ecclesiam adire renuit, 267. 1. Romam vocatur, & in Castrum S. Angeli includitur. 267. 2.

Vincentius de *Scalona*, Episcopus Pullatensis Minor. 271. 2.

Vitalis, Episcopus Aquensis, interest Concilio Sardicensi. 610. 2.

Uladislavus, Rex Poloniæ, auxilium petit a Scanderbego contra Turcas datis ad eum litteris. 416. 1. a quo responsum recipit. 417. 1.

Urbanus IV. P. scribit ad Colocensem Archiepiscopum, ut Oliverio Episcopo Sirmiensi suam Ecclesiam dimittere concedat. 550. 1.

Urbanus V. P. quatuor Episcopos ex Ordine S. Francisci mittit in Albaniam ad schismaticos ad communionem Catholicam reducendos. 78. 2. Balsos dynastas Zentæ in communionem recipit, missis ad eos litteris. 297. 2.

Urbanus VIII. P. legatos & litteras Marderii Græci Episcopi recipit, ad eumque respondit. 128. 2. 129. 1. 2.

Urbanus Episcopus Sirmiensis. 557. 2.

Urbicius, Archiepiscopus Dyrrhachiensis. 348. 1. duas litteras S. Gregorii M. recipit. *ibid.*

Urosius Rex Serbliæ, ut ad Communionem catholicam redeat, rogatur a Benedicto XI. P. 56. 2. monasterium Prasquizzæ donat privilegiis. 57. 1. 2. 309. 1. itemque monasterium S. Mariæ Rotaciensis. 58. 1. 2. 309. 1. legatos & Catholicæ doctrinæ magistros petit a Clemente V. P. & impetrat. 61. 1. Catholicos vexat. 63. 2. victus a conjuratis Catholicis & a Carolo Rege Hungariæ. 64. 1. obiit. 64. 2. Ejus ingenium & mores. 64. 2. 65.

Urosius Stephani filius, Rex Serbliæ postremus. 78. 1. 79. 1.

Ursacius, Episcopus Singidunensis, Arianus. 606. 2. Ejus facinora contra Catholicos vide in Valente Mursæ Episcopo, qui Ursacii collega fuit. Germinium Episcopum Sirmiensem a Semiarianismo ad Arianos reducere conatur, missis legatis & litteris. 606. 2. 607. 1. ejus depositio & obitus. 607. 2.

Vulcanus, Rex Dalmatiæ, & Diocliæ, Legatos petit ab Innocentio III. P. & impetrat. 27. 2. 28. 1. 29. 1. gratias agit per litteras Innocentio III. P. multaque de re ecclesiastica illum admonet. 32. 1. 2.

Z

Zacharias Mossoczyus, Episcopus Sirmiensis, ad Episcopatum Vaciensem transfertur. 564. 2.

Zacharias. Vide *Catharius*.

Zenobius, Episcopus Lestronensis, Concilio Chalcedonensi interfuit. 433. 2.

Zosimus, Episcopus Horreo-Margensis, interest Concilio Sardicensi. 592. 2.

BIBLIOTHECA REGIA

Digitized by Google